image
not
available





HONORATI TOURNELY

SACRÆ FACULTATIS PARISIENSIS Doctoris, Socii Sorbonici Regii & emeriti Professoris, Sacrosanctæ Capellæ Regii Palatii Parisiensis Canonici.

CURSUS THEOLOGICUS

SCHOLASTICO-DOGMATICUS

Sive

PRÆLECTIONUM THEOLOGICARUM

Quas Auctor in Scholis Sorbonicis habuit,

TOMUS TERTIUS,

De Sacramentis in Genere.
De Sacramentis Baptismi & Confirmationis.
De Augustissimo Eucharistiæ Sacramento.

Editio post Parisiensem & [illegible]netam, in Germania Prima,





COLONIÆ AGRIPPINÆ,
Sumpt. VIDUÆ WILH. METTERNICH, & FILII, Bibliop.
Sub Signo Gryphi, Anno MDCCXXXIV.
Privilegio S. Cæs. Majestatis Speciali, & permissu Superiorum.

INDEX QUÆSTIONUM. TOMI TERTII.

PARS I.

De Sacramentis in Genere.

Variæ

ARTICU-

PARS II.

DE SACRAMENTIS BAPTISMI ET CONFIRMATIONIS.

ARTICU-

DE SACRAMENTO CONFIRMATIONIS.

CONCLU-

PARS III.

De Sacramento Eucharistiæ.

PRI-

Communio



INDEX QUÆSTIONUM.

FINIS INDICIS.



THEOLOGIÆ CANDIDATIS PRÆFATIO.



Xposuimus vobis, dilectissimi Candidati, universam divinæ gratiæ naturam, vires, efficaciam, dotes: necessitatem: his autem omnibus cognitis ritèque perpensis necesse est, si quicquam sapimus, aut omnino Christiani sumus, vehementi divinæ gratiæ consequendæ, conservandæ, augendæque desiderio animos nostros inflammari, eoque desiderio inflammatos cupere diligenter, scire & exploratum habere ubinam tam pretiosum munus delitescat, quibusve rebus contineatur, quibus producatur causis, qua via dimanet ad nos, quaque ratione conservetur:

Quapropter ad sacros publicosque divinæ gratiæ fontes vobis referandos accedimus, ex quibus cùm aquæ in vitam æternam salientes jugi fluxu scaturiant, quas haurire mortalium quilibet, si salvus esse velit, teneatur, quanti momenti sit puram earum originem ac saluberrimam naturam detegere, facilè, ut puto, mecum agnoscetis.

Conc. Trid. Sess. 7. in proœ. Septem intelligo Ecclesiæ Sacramenta, *per quæ omnis vera justitia vel incipit, vel cœpta augetur, vel amissa reparatur.* Septem illæ sunt columnæ quas sibi divina excidit Sapientia, quæ ipso Christi Mediatoris sanguine constructæ, firmissimum adversùs omnes hostium impetus Ecclesiæ ædificium fulciunt ac sustentant. Eph. 5. v. 15. *Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquæ in verbo vitæ.* Neque verò Ecclesiæ tantùm fulcimenta sunt, sed etiam augusta quædam Religionis symbola, & insignes tesseræ quibus & nostra palam declaratur fides, & vinculum communis & societatis inter Fideles fovetur ac conservatur. To. 3. p. 319. E. *In nullum quippe nomen Religionis seu verum seu falsum*, ait sanctus Augustinus lib. 19. contra Faust. cap. 11. *coagulari homines possunt, nisi aliquorum signaculorum aut Sacramentorum visibilium consortio colligentur.* Pretiosa vasa sunt quibus Christi sanguis ac merita continentur; ac totidem veluti canales per quos innumera divinæ clementiæ beneficia ad nos defluere Christus sancivit; pigmenta denique suavitatis, & unctiones sanitatis quas fecit cœle- Eccli. 38. v. 7. stis Unguentarius, ut cum Auctore sacro loquamur, in quibus adversùs omnes animorum nostrorum morbos paratissimum ac præsentissimum nobis offertur remedium. Matth. 22. v. 28. *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis*, exclamat Christus, *& ego reficiam vos.*

Quibus verò modis reficit? Aut potius quibus modis non reficit? Quis illius opes veritate incredibiles, multitudine innumeras, suavitate jucundissimas, numero pariter ac potentia infinitas enumeret? Præcipuè verò tùm Corporis sui in Eucharistia cœlesti prorsus alimonia, tum aliorum Sacramentorum vario usu, ac fructu multiplici corroborat, ornat, delectat.

Quæ

Quæ cùm tanta sint, ac humanæ mentis captum tantopere superent, ut fidem faciliùs invenirent, ac exciperentur libentius, jam diu antè in veteri Testamento prænuntiata & adumbrata fuere. Ita nos Deus Optimus Maximus ad hanc futuram aliquando largam & uberem donorum divinorum effusionem præparavit, ac quasi manu duxit, cum per Ezechielem declaravit, *Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris..... Dabo vobis cor novum, & spiritum meum ponam in medio vestri.* Ezech.36. v.25. & 26. Illam quoque præsignaverat Isaias c.12.v.3. his verbis: *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris*; ad quas, ut venirent omnes, prophetico spiritu afflatus invitabat, *Omnes sitientes venite ad aquas, & qui non habetis argentum, properate, emite & comedite. Venite, emite absque ullo argento absque ulla commutatione vinum & lac.* Isai.c.55. v.1. His enim symbolis nostra, quæ futura olim essent, procul dubio Sacramenta præfigurabat, quorum valor ac pretium non auro & argento, non rei cujuscunque terrenæ ac caducæ commutatione constat aut comparatur, sed eo qui æstimari satis non potest, Christi Sanguine, unde tanquam à fonte & origine omne meritum defluit, gratisque nobis conceditur. *Qui sitit*, ait S. Joannes, *veniat; & qui vult, accipiat aquam vitæ gratis.* Apocal. 22.v.16. *Hæc*, interprete S. Bernardo, Serm.2. de Resurr. Christi, *etiam nummo propriæ voluntatis emenda sunt, ut communis fiat, quæ propria fuit. Porrò communis voluntas, charitas est*; To.1.p. 901.A. quo alludit Christus Apoc.3. v.18. *suadeo tibi emere à me aurum ignitum probatum, ut locuples fias, & vestimentis albis induaris. Aurum illud ignitum*, ait Rupertus in hunc locum, *eme pretio piæ confessionis, & jugi memoria propriæ fragilitatis, semper memorando quid ex te sis, quid à Deo acceperis. Ut locuples fias id est, addatur tibi gratia, & vestimentis albis induaris, non ex operibus tuis, sed ex eadem gratia largitionis.* Tanta scilicet est, tam effusa in nos Dei benignitas & clementia, ut etiam pretium, unde aurum illud ignitum comparare nobis possimus, per Sacramenta gratis suppeditet. *O miram beneficentiæ celeritatem!* exclamat S. Gregorius Nazianzenus Orat. 40. in S. Baptisma. *O facilem contrahendi rationem! Hoc bonum sola voluntate venale tibi proponitur, cupiditatem ipsam Deus ingenti pretii loco habet. Sitit sitiri; liberè cupientibus potum præbet; cùm ab eo beneficium petitur, beneficio afficitur, promptus est, liberalis ac munificus; jucundiùs dat, quàm alii accipiant.* To.1.p. 657.C.

Hinc cohortationes illæ tam frequentes tam vehementes SS. Patrum, ad sitim illam in nostris mentibus ardentiùs excitandam, ut plùs gratiarum à Deo impetremus & hauriamus. *Hoc* Ibid.D. *unum caveamus*, pergit idem S. Doctor, *ne jejuni ac minuti animi notam subeamus, parva, Deique liberalitate parum digna postulantes. Beatus ille, à quo, ut ab illa Samaritana; potum Christus poscit, fontemque dat aquæ in vitam æternam salientis.*

Hinc S. Clemens Alexandrinus Admonitione ad Gentes, ad citata Isaiæ verba, *Omnes sitientes venite ad aquas, Adhortatur*, inquit, *ad lavacrum, ad salutem, ad illuminationem;* Edit.Paris.1612. *propemodum clamans & dicens; Da tibi, ô fili, terram & mare & cœlum.... Solummodo,* p.83.n.30 *ô fili, patrem sitias, Deus tibi gratis ostendetur.* Gratis quoque & bonam voluntatem, quæ necessaria prorsus est, tibi Deus gratiæ suæ largitate inspirat, qua aliquid etiam datur ad cœlestia dona in Sacramentis emenda & comparanda. *Nostrum enim est velle*, ait S. Augustinus lib. de To.6.p. bono viduit. cap.7. n.21. *sed voluntas ipsa & admonetur ut surgat, & sanatur ut valeat; &* 380.F. *dilatatur ut capiat, & impletur ut habeat.*

Intelligitis nimirum, dilectissimi Candidati, nihil appositum magis à divina providentia institui potuisse in humanæ salutis subsidium, quàm ut homines, qui spiritu & carne constant, quique ad spiritualia vix aliter quàm per corporalia possunt assurgere, per signa quædam exteriora dona cœlestia degustarent ac perciperent. *Si tu*, ait S. Chrysostomus Hom.83 in Matth. Edit. *incorporeus esses, ipse dona incorporea tradidisset tibi: quoniam vero corpori conjuncta est ani-* Comm.p. *ma tua, in sensibilibus intelligenda tibi traduntur.* 703.E.

Quid quod & ipsa etiam Sacramenta, quemadmodum observat appositè Bellarminus, non omnino corporalia, sed magna ex parte spiritualia sunt. Corporale est elementum, corporale etiam verbum; sed mirifica illa virtus & potestas, qua fit ut aqua corpus tangat, & cor abluat, ut loquitur S. Augustinus, planè spiritalis est. Itaque Dominus Nicodemo, non ex aqua solùm, sed ex aqua & spiritu renascendum esse pronuntiavit. *Quandoquidem*, ut annotavit S. To.1.1. Gregorius Nazianz. Orat.40. in sanctum Baptisma, *duabus partibus, hoc est, animo & corpore,* 641.B. *constamus, quarum altera in aspectum cadit, altera oculorum sensum fugit, duabus quoque rebus constat Baptismus, aqua scilicet & spiritu; illa visibili & corporeo modo accepta, hoc verò incorporeo & invisibili concurrente; illa typica, hoc verò & intimos animi fines purgante.*

Quapropter utrumque conjungit & corporale & spiritale Tertullianus, cum de Sacramentis nostris mentionem habet. *Caro*, inquit, *abluitur, ut anima emaculetur. Caro ungitur, ut anima* Lib. de *consecretur. Caro manus impositione adumbratur, ut anima spiritu illuminetur. Caro corpore* Resurr. *Christi vescitur, ut anima de Deo saginetur.* carnis p. 330. B.

Pro vario autem hominis statu ac multiplici morbo, quo teneri & affligi illius animus potest, diversa certoque numero definita Sacramenta, veluti totidem iis morbis sanandis accommodata pharmaca cœlestis animorum nostrorum medicus Christus præparavit, veteribus prisci populi Sacramentis longè, ait S. August. lib.19. contra Faust. cap.13. *virtute majora, utilitate* To.8.p. *meliora, aditu faciliora, numero pauciora.* 320.A.

Septenario numero definita illa sunt. Cur autem neque plura, neque pauciora numerentur, in causa est una Dei voluntas: in rebus etenim hujuscemodi, tota ratio facti est voluntas facientis. Quamquam Auctores Catechismi Romani, post Angelicum Doctorem, numerum illum, ex iis etiam rebus quæ per similitudinem à naturali vita ad spiritualem transferuntur, probabili quadam ratione deducant. Homini quippe ad vivendum vitamque ex sua Reique publicæ utilitate conservandam, hæc septem necessaria videntur: ut scilicet in lucem edatur, augeatur, alatur; ut si in morbum incidat, sanetur, imbecillitas virium reficiatur: deinde, quod ad Rempublicam attinet, ut Magistratus nunquam desint, quorum auctoritate & imperio regatur; ac postremò legitima sobolis propagatione se ipsum & humanum genus, vel potius divinam & à Christo institutam communitatem conservet. Quæ omnia, quoniam vitæ illi qua anima Deo vivit respondere satis apparet, ex iis facilè Sacramentorum numerus colligitur. Primus enim est Baptismus, veluti cæterorum janua, quo Christo renascimur; deinde Confirmatio, cujus virtute fit, ut divina gratia augeatur & roboremur: baptizatis enim jam
Luc. 13. v. 49. Apostolis, ut divus Augustinus testatur, inquit Dominus, *Sedere in civitate, donec induamini virtute ex alto.* Tum Eucharistia, qua tanquam cibo verè cœlesti spiritus noster alitur, &
Joan. 6. v. 56. sustinetur; de illa enim dictum est à Salvatore: *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus.* Sequitur quarto loco Pœnitentia, cujus ope sanitas amissa restituitur, si quando peccati vulneribus aut læsa, aut amissa fuerit: postea verò Extrema Unctio, qua peccatorum reliquiæ tolluntur, & animi virtutes recreantur; siquidem D. Jacobus cùm de hoc Sacra-
Jac. 5. v. 16. mento loqueretur, ita testatus est: *Et si in peccatis sit, remittentur ei.* Sequitur Ordo, quo publica Sacramentorum ministeria perpetuò in Ecclesia exercendi, sacrasque omnes functiones exequendi potestas traditur: postremò additur Matrimonium, ut ex maris & fœminæ legitima & sancta conjunctione filii ad Dei cultum, & humani generis conservationem procreentur, ac religiosè educentur.

Inter illa verum non eadem est, nec par omnium dignitas ac necessitas. Dignitate ac majestate omnia longè vincit Eucharistia, ob realem corporis & sanguinis Christi præsentiam: Alia verò tria sunt, tametsi non eadem ratione ac gradu, tamen præ cæteris necessaria. Bap-
Joan. 3. v. 5. tismus, dicente Domino: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* Pœnitentia; sed illis duntaxat necessaria, qui se post Baptismum aliquo peccato mortali obstrinxerint. Ad illos enim illa Christi verba sunt: *Nisi pœnitentiam*
Luc. 13. v. 3. & 5. *habueritis, omnes similiter peribitis..... Si pœnitentiam non egeritis, omnes similiter peribitis.* Ordo præterea etsi non singulis Fidelibus, toti tamen Ecclesiæ omnino necessarius est; neque enim stare Ecclesia potest sine Sacrificio, Ministerio publico & Ministris.

Atque inde nata apud Theologos distinctio duplicis modi quo res aliqua necessaria dici potest; necessitate scilicet medii, vel præcepti. Necessitate medii res aliqua necessaria est, quæ sine tali medio obtineri absolutè non potest; ita sine cibo & potu non potest homo vivere: necessitate verò præcepti tantùm, quæ vel ideò necessaria est, quia imperata, vel quia faciliùs tali via obtinetur, ita alimenta melioris succi conferunt ad sanitatem corporis faciliùs obtinendam vel fovendam. Primariam verò causam & rationem discriminis inter Sacramenta necessaria necessitate aut medii, aut præcepti, multi repetunt ex gratia specie vel gradu diversa quæ unicuique Sacramento est annexa. Sine gratia regenerante, aut à lapsu reparante, nemo salvus esse potest: inde causa cur Baptismus & Pœnitentia Sacramenta sint prorsus necessaria, quia Pœnitentia gratiam confert à lapsu reparantem, Baptismus verò regenerantem.

Quantò autem effusa magis est Dei benignitas ac providentia in Sacramentis pro salute omnium hominum instituendis, tantò major exarsit dæmonis invidia & furor in iis impugnandis, unde tot hominum millia sibi eripi perditus ille intellexit. Mirum quàm varias ac multiplices artes, dolos & machinationes adhibuerit, quàm projectos ad quodlibet audendum homines suscitaverit, ut, si fieri posset, salutares illos gratiæ fontes exsiccaret, ac cælestes divinorum chrismatum thesauros diriperet ac dissiparet.

Swenckfeldius. Hæreticos intelligitis, disertissimi Candidati, quorum alii omnia simul Christiana Sacramenta repudiarunt: homines scilicet supra modum spiritales & Angelici, quia ab omni corporis consortio segregati, nihil sibi cum signis exterioribus commercii esse voluerunt. Alii fastidiosi ac delicati, vel ipsum Sacramenti nomen, eo quòd in Scripturis non legeretur, dedignati,
Lutherus. ab Ecclesiæ usu rejiciendum aliquando putaverunt. Alii, cùm nomen servent, multa Sacramenta sustulerunt, pauca retinuere, ac ne illa quidem plena & efficacia, sed vacua, inania, & virtutis indigna. Nonnullis quippe Sacramenta visa sunt tanquam mera & nuda signa
Sociniani. Calvinus. Luth. & Calv. seu symbola, in distinctionem Christianorum ab Infidelibus; aliis tanquam externa sigilla, quibus hoc unum insitum est, ut divinas promissiones conscientiis nostris obsignent; aliis denique, maximè verò Lutheranis, nonnisi externa signa & instrumenta ad excitandam, vel alendam fidem destinata: Qui omnes communi consilio, junctisque viribus eò tendunt ac conspirant, ut Sacramentis Christi vim omnem seu efficientiam ad fructum spiritale eripiant.

Verùm non tantum vano prorsus & irrito conatu, sed etiam non sine manifesta pugna & collisione Lutheranos inter & Calvinistas ex una parte, & Anabaptistas ex altera. Quippe, ut solidè arguit Bellarminus, si Sacramentum nihil est aliud nisi excitandæ vel alendæ fidei instrumentum, quorum infantes in Ecclesia baptisantur? Nam ea vis est in Sacramentis,

ut

mulis etiam qui usum rationis non habent, fidem excitent eamque ipsis persuadeant? An non potius rectè docent Anabaptistæ, solis adultis sanis Sacramenta prodesse? *Minimè vero,* inquiunt Lutherani, *quin potius graviter errant Anabaptistæ, homines fanatici ac furiosi, dum infantes baptisari prohibent. Nam etsi parvuli alio tempore judicio rationis carent, tamen dum baptisantur, sic in eorum mentibus operatur Deus, ut & verbum Dei audiant, & Deum etiam agnoscant ac diligant, quemadmodum olim Sanctus Joannes in utero matris Christi præsentiam sensit, & præ gaudio exultavit.* En stolidum, si quod unquam fuit, Lutheri figmentum, quo se recipere compulsus fuit, ut se à laqueis Anabaptistarum, quoquomodo expediret. Sed ne in eo quidem loco illum pedem figere passi sunt; undique enim conclusum isto dilemmate tenuerunt. Vidistis aliquando infantes dum baptisantur, quàm refugiant, ejulent, obluctentur. Quæro igitur, vel intelligunt quid agant, vel non intelligunt, si non intelligunt, nec credunt; si non credunt, perperam baptisantur, & vicerunt Anabaptistæ: si intelligunt, sacrilegi sunt, qui sic pervicaciter Sacramenta recusant, nec tam purgantur, quàm maculantur; non igitur baptisentur, & vicerunt Anabaptistæ. Quid quòd has ineptias jam olim Augustinus in Epistola 187. aliàs 57. ad Dardanum irrisit, & ad exemplum S. Joannis, qui singulari miraculo in utero exultavit, arguè respondit, aliquando etiam Asinam Balaam sapienter esse loquutam, *nec tamen ob id admonitos esse homines in deliberationibus suis asinina expectare consilia.* Luther-anam. Bellar. To. 2. p. 683. F.

Sed quid mirum suis Hæreticos figmentis nihil nisi jocos risumque accersere, cùm ipse satanas illorum doctor ac parens Catholicam de Sacramentis doctrinam conatus convellere, ipsam magis confirmavit: & quantùm illi Sacramenta corrumpendo depravandoque sibi nocuerunt, tantum iste nobis eadem imitando profuit. Nam sive ut suos faciliùs inescaret, sive ut nostris illuderet adumbrata Mysteriorum specie ac similitudine, omnes ferè sacramentorum Christi ritus sacrilega imitatione æmulatus est. *Diaboli partes sunt*, dicebat Tertullianus lib. de Præscript. cap. 40. *intervertendi veritatem, qui ipsas quoque res Sacrametorum divinorum, idolorum Mysteriis æmulatur. Tingit & ipse quosdam, utique credentes & fideles suos; expositionem delictorum de lavacro repromittit; & si adhuc memini, Mithra signat illic in frontibus milites suos. Celebrat & panis oblationem, & imaginem resurrectionis inducit, & sub gladio redimit coronam. Quid? quod & summum Pontificem unius nuptiis statuit: habet & virgines, habet & continentes.* Et lib. de Baptismo cap. 5. *Nationes extraneæ ab omni intellectu spiritualium potestatum eadem efficacia Idolis suis subministrant; sed viduis aquis sibi mentiuntur: nam & Sacris quibusdam per lavacrum initiantur, Isidis alicujus aut Mithræ ipsos etiam deos suos lavationibus efferunt.* P. 216 D. P. 215. D.

Ante Tertullianum idem observaverat sanctus Justinus Apologia 2. pro Christianis. *Porrò,* inquit, *lavationem hanc* (Baptismum Christi) *cùm audissent dæmones per Prophetam promulgatam, ut & ingressuri in delubra eorum, & accessuri ad illas, atque libationibus, & adipis nidoribus offerendis operaturi, seipsos aquæ aspersione lustrarent. Quin ut in toto quoque corpore lavarentur producunt, priusquam ad Templa, ubi illi collocati sunt, veniant, instinctu & opera sua curant. Nam & illud, quod fana eorum ingredientes, calceos deponunt, & cultores eorumdem idem facere Sacerdotes jubent, per imitationem ejus instituerunt, quod Mosæ Prophetæ, quem diximus, accidit.* P. 94 E.

Denique S. Augustinus lib. 4. de Trinitate cap. 10. *Dæmon,* inquit, *fallaciarum regnum exercet..... & animas deceptas illusasque præcipitat.... pollicens etiam purgationem animæ per eas quas* τελετὰς *appellant, transfigurando se in angelum lucis per multiformem machinationem in signis & prodigiis mendacii.* Eosdem ferè purgationis & præparationis gradus Gentiles à suis exigebant, priusquam sacris initiarentur, quos Christiani à suis Catechumenis & pœnitentibus. *In Sacris*, ait Olympiodorus in Phædone Platonis, *præcedebant publicæ purgationes, deinde has excipiebant aliæ reconditiores, post has aggregationes, tum sequebantur initiationes, ad postremum epoptiæ*, idest, Sacramentorum omnium plena participatio; nihil enim aliud in Sacris ulterius erat, quàm ut fieret aliquis Epopta, idest, juxta vim nominis, testis oculatus, quia tunc apertè Mysteria contemplari licebat; quod à Valantinianis observatum quoque fuisse refert Tertullianus adversùs Valentinianos cap. 1. *Diutiùs*, inquit, *initiant, linguam consignant; cùm epoptas ante quinquennium instituunt, ut opinionem suspendio cognitionis ædificent.* To. 8. p. 819. B. P. 250 A

At nec ista quoque mendacii ac fallaciæ via, quod volebat, dæmon obtinuit, imò malè providus imitando confirmavit quod evertere nitebatur. *Omnia namque*, ait appositè idem Tertullianus Apolog. cap. 47. *adversus veritatem de ipsa veritate constructa sunt, operantibus æmulationem istam spiritibus erroris.* P. 37. B.

Et verò nisi divini aliquid ad placandum iratum numen idoneum, in his exterioribus signis latitare dæmon subodoratus fuisset, nusquam profectò ad suorum Idolorum cultum ea traduxisset. Unde porrò id intellexit? non aliunde sanè, quàm ex pervulgata Christianorum sententia de summa Sacramentorum suorum virtute ac potestate, quam quidem vel ipse dæmon magnam esse sensit ex infinita propemodum hominum cujuscunque conditionis atque ætatis multitudine, qui ejurato insano Idolorum cultu, salutaribus undis ad Christi fidem conversi sunt, ac piè sancteque vitam traduxerunt.

Mira enim verò est, ac planè stupenda Sacramentorum virtus dilectissimi Candidati. *Unde tanta virtus aquæ*, exclamabat S. Augustinus, *ut corpus tangat & cor abluat!* Nemo profectò est qui illud satis animo concipere & verbis eloqui possit. Neque porro id mirum: commune quippe hoc habent Sacramenta nostra cum cæteris fidei nostræ Mysteriis, quæ ab omni ratione & sensu longè seposita sunt. Nonne cæco nato luti applicatione visum Christus restituit? Nonne Lazarum à morte ad vitam solo verbo revocavit? Quidni ergo vel una aquæ guttula poterit totum hominem ad vitam spiritalem interiùs renovare?

Tract. 80. in Joan.

Ista, inquiet aliquis, lubens agnosco & suspicio: sed id me potissimùm anxium tenet & afficit, quòd in re sacramentaria, quæ tanti momenti est, unde & veritas Sacramenti pendet, & salus hominis, tam pauca, vel in Scripturis, vel in sanctis Patribus expressè declarata habeamus; imò & tam multa sint dubia, incerta, atque in disputatione apud Theologos etiamnum posita, quæ vel materiam, vel formam, id est, substantiam ipsam Sacramentorum spectant. Una quidem est omnium vox atque sententia, Sacramenta rebus & verbis constare: at si Baptismum & Eucharistiam exceperis quorum clare ac distinctè à Christo Domino determinata est tum materia, tùm forma, quot inter nos lites, quot dissensiones circà materiam & formam Sacramentorum v. g. Confirmationis & sacræ Ordinationis? Nulla in Scripturis mentio unctionis, nec istorum verborum, *Signo te, &c.* ubi de Sacramento Confirmationis. Nullum pariter vestigium tactus instrumentorum in sacris Ordinationibus, neo verborumque adjici solent, *Accipe potestatem &c.* Imò nusquam eorum usus apud Græcos, apud latinos verò etsi perantiquus, non tamen perpetuus & uniformis fuit. Inde nata in Scholis quæstio, quomodo scilicet res Sacramentorum sint à Christo Domino constitutæ ac determinatæ an in specie, unoquoque signo speciatim declarato; an in genere tantùm, data Ecclesiæ licentia ejusmodi signum assumendi, quod similitudinem quamdam habeat cum effectu seu fine Sacramenti. *Si enim*, ait sanctus Augustinus Epist. ad Bonif. 98. aliàs 23. *Sacramenta quamdam similitudinem earum rerum non haberent, quarum Sacramenta sunt, omnino Sacramenta non essent.*

To. 2. 267 F.

Atqui tamen ex ista quæstione, quæ necdum decisa est ac definita, sed hinc & inde in Ecclesia disputatur, ambigua ac veluti in suspenso manet sacrarum Ordinationum veritas ac substantia. Quanti tamen momenti res sit, apprimè nosse quæ sit illarum materia & forma essentialis, vel integralis aut accidentalis, nemo non intelligit: nullibi certè periculosius in praxi erratur, unde tot damna & pericula in populum Christianum, & Ecclesiam ipsam universam possunt derivari.

Verum, dilectissimi Candidati, ista ne minimùm quidem vos moveant: nihil est profectò quod inde Sacramentorum veritati, aut Ecclesiæ timeatis. Salva res est, si ritè illud omne observetur, quod vel ab Apostolis, docente Christo, legimus observatum, vel ab Ecclesia pro data sibi potestate præscriptum fuit. Manuum impositione, & oratione Apostoli sacros ordinatunt Ministros: Occidentalis Ecclesia ad expressiorem sacramentalis effectus significationem tactum instrumentorum etiam adjecit, sive Apostolorum exemplo, quamquam scriptis non tradito, edocta; sive optimis de causis excitata, ea usa fuerit auctoritate quam à Sponso suo Christo accepit: est enim illa columna & firmamentum veritatis, in moribus & usu Sacramentorum, non minùs quàm in fide, ab omni errore longè aliena.

Itaque religiosè ea omnia in praxi retineantur & observentur, quæ illa retinet & observat; Ita in tuto erit Sacramentorum substantia, seposita ista quæstione, qua animo fortè nimium curioso ac litigioso in partes Sacramentorum essentiales vel integrales tantùm inquiritur. Nec verò integritati ac substantiæ Sacramentorum tantum consuletur, sed & in concordiam, quantum ad praxim pertinet, oppositæ nostrorum Theologorum sententiæ adducentur, de immediata & in specie, vel mediata tantum ac in genere, partium aliquorum Sacramentorum determinatione.

Duæ verò potissimùm nobis causæ videntur, esse cur tam pauca de Sacramentis observata & tradita in Veterum monumentis habeamus.

Prima est, quòd quæ usu publico & quotidiana praxi trita sunt & explorata, non raro in scriptis suis veteres scriptores prætermittunt, quòd nempe res hujuscemodi oblivioni vix unquam tradi possit, quia viva quadam ac spirante traditione quasi per manus ad posteros transmittuntur. Istud porrò quasi proprium ac singulare habet hujuscemodi viva traditio, quòd longè minus subjiceat æquivocationibus ac falsis Novatorum interpretationibus, quàm traditio scriptis consignata. Quot enim verò circa proprium verborum sensum lites nobis moverint Hæretici, vel uno scriptæ circa Eucharistiam traditionis, ac grandioris Albertini Calvinistæ in ea impugnanda voluminis exemplo omnibus manifestum ac comprobatum est.

Altera maximè animadvertenda causa & ratio, est lex silentii quam in Mysteriis fidei nostræ non divulgandis tanta religione Veteres observari voluerunt, ne fortè Gentilium & impiorum hominum irrisioni ac profanationi objicerentur. Inde Augustino teste, Mysteria nuncupata sunt, hoc est, secreta & occulta, quæ nefas est in publicum efferre, ac solis initiatis communicanda sunt.

Lib. de Catech. rudibus c. 9.

Hujus silentii ac secreti tot ferè testes sunt, quot ex Veteribus de Religione scripserunt.

To. 6. p. 272. F. & A.

Tertullianus apolog. cap. 7. *Omnibus Mysteriis*, ait, *silentii fides debetur.* sanctus Joannes

Chrysostomus Hom. 40. in Ep. 1. ad Corinth. loquens de Baptismo, *Volo quidem*, inquit, *apertè dicere, non audeo tamen propter eos qui non sunt initiati: ii enim expositionem nobis faciunt difficiliorem, et qui nos cogant, vel non apertè dicere, aut eis arcana enuntiare; sed tamen dicam tectè & adumbratè.* Deniq; Innocentius I. de nonnullis quæ ad Sacramenta pertinent à Decoito Eugubino Episcopo interrogatus, *Verba dicere non possum*, ait, *ne magis prodere videar, quàm ad consultationem tuam respondere.* T. 10. p. 388.

Hinc mos ille solemnis Catechumenos ac pœnitentes publicos à conspectu sacrificii, quo tempore peragendum erat, ejiciendi, proclamante Diacono, *Exite Catechumeni, exite pœnitentes.* Eandem silentii ac secreti legem moremque in abominandis Idolorum Mysteriis Pagani servaverunt. Ep. ſ. R. m.

Narrat Livius libro tertio, duos juvenes tanquam ob infandum scelus miserè trucidatos, quòd cùm initiati non forent, Templum Cereris ingressi, absurdè quædam de sacris fuissent percunctati. Nota est & Penthæi laniatio, propter curiosius inspecta Mysteria: quo respiciebat Synesius L. de Providentia sect. 2. ubi scribens de silentio Mysteriis debito, ait: *Tam is qui ostenderit, quam qui viderit, in offensionem numinis incurrit. Ac Bæotorum narrationibus proditum est, eum qui Bacchi Orgya temerè irrumpens inspexerit, repentè laniari.* Etenim ignotatio sacris addit auctoritatem, & reverentiam conciliat; propterea nocti Mysteria committuntur. Inde solemnis illa apud Gentiles formula, tempore quo sacra sua operabantur, *Procul hinc, procul este profani.* PP. To. 1. p. 859. A. Ed. Par. 1640. p. 124 B.

Mirùm igitur vobis videri non debet, neque officere causæ nostræ bonitati, quòd Veteres hac silentii seu secreti servandi lege severius adstricti tam parcè ac dissimulanter de sacramentis nostris tractaverint. Quod in eorum scriptis deerat, utcunque supplevit oralis seu viva & spirans Traditio, in usu & praxi quotidiana fideliter expressa.

Attamen inde perdifficilis ac maximè operosa Theologis semper visa est accurata de sacramentis disceptatio, quæ infinitam propemodum rerum qua veterum, qua recentiorum, ad severioris criticæ judicium exactam notitiam postulat.

Quæ verò in præsenti Tractatu vobis offerimus, dilectissimi Candidati, eo majoris momenti sunt, & diligentiori cura studioque à vobis excipienda, quòd communia omnibus sacramentis principia & fundamenta continent, quæ nisi planè perspecta vobis fuerint, priusquam ad singulorum sacramentorum tractationem accedatis, necesse erit vos velut cæcos mediis in tenebris palpare, ac incertis prorsus vestigiis incedere. Ut autem statim in ipso hujus Tractatus aditu dignoscatis quæ sit Ecclesiæ doctrina de sacramentis generatim sumptis, vestramque in antecessum fidem præformemus, tredecim Canones, quos Tridentina Synodus eam in rem condidit, oculis vestris subjicimus.

Primus est, *Si quis dixerit, Sacramenta novæ Legis non fuisse omnia à Jesu Christo Domino nostro instituta; aut esse plura vel pauciora quàm septem, videlicet, Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam unctionem, Ordinem & Matrimonium, aut etiam aliquod horum septem non esse verè & propriè Sacramentum, anathema sit.* To. 14. Conc. p. 776.

Secundus, *Si quis dixerit, ea ipsa novæ Legis Sacramenta à Sacramentis antiquæ Legis non differre, nisi quia cæremoniæ sunt aliæ, & alii ritus externi, anathema sit.*

Tertius, *Si quis dixerit, hæc septem Sacramenta ita esse inter se paria, ut nulla ratione aliud sit alio dignius, anathema sit.*

Quartus, *Si quis dixerit, Sacramenta novæ Legis non esse ad salutem necessaria, sed superflua, & sine eis, aut eorum voto, per solam fidem homines à Deo gratiam justificationis adipisci, licèt omnia singulis necessaria non sint, anathema sit.*

Quintus *si quis dixerit, hæc Sacramenta propter solam fidem nutriendam instituta fuisse, anathema sit.*

Sextus, *si quis dixerit, Sacramenta novæ Legis non continere gratiam, quam significant aut gratiam ipsam non ponentibus obicem non conferre, quasi signa tantùm externa sint acceptæ per fidem gratiæ vel justitiæ, & notæ quædam Christianæ professionis, quibus apud homines discernuntur Fideles ab Infidelibus, anathema sit.*

Septimus, *Si quis dixerit, non dari gratiam per hujusmodi Sacramenta semper & omnibus, quantùm est ex parte Dei, etiamsi ritè ea suscipiant, sed aliquando, & aliquibus anathema sit.*

Octavus, *Si quis dixerit, per ipsa novæ Legis Sacramenta ex opere operato non conferri gratiam, sed solam fidem divinæ promissionis ad gratiam consequendam sufficere, anathema sit.*

Nonus, *Si quis dixerit, in tribus Sacramentis, Baptismo scilicet, Confirmatione & Ordine, non imprimi characterem in anima, hoc est, signum quoddam spiritale & indelebile, unde ea iterari non possunt, anathema sit.*

Decimus, *Si quis dixerit, Christianos omnes in verbo & omnibus Sacramentis administrandis habere potestatem, anathema sit.*

Undecimus, *Si quis dixerit, in Ministris, dum Sacramenta conficiunt & conferunt, non requiri intentionem saltem faciendi quod facit Ecclesia, anathema sit.*

Duodecimus, *Si quis dixerit, Ministrum in peccato mortali existentem, modò omnia essentialia quæ ad Sacramentum conficiendum aut conferendum pertinent, servaverit, non conficere aut conferre Sacramentum, anathema sit.*

Decimus tertius. *Si quis dixerit, receptos & approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus, in solemni Sacramentorum administratione adhiberi consuetos aut contemni aut sine peccato à Ministris pro libito omitti, aut in novos alios per quemcumque Ecclesiarum Pastorem mutari posse, anathema sit.*

Novem Quæstionibus totam istam de Sacramentis in genere disputationem absolvemus.

Prima erit de natura seu definitione Sacramenti.
Secunda, de fine ac necessitate seu existentia Sacramentorum.
Tertia, de virtute & efficacia eorumdem.
Quarta, de effectibus, gratia & charactere.
Quinta, de auctore seu institutione.
Sexta, de Ministro.
Septima, de conditionibus in Ministro requisitis ut Sacramenta perficiat.
Octava, de subjecto, seu de homine percipiente Sacramenta.
Nona denique, de cæremoniis Sacramentorum.

ADMONITIO
AD LECTOREM
OCCASIONE LIBRI SUPPLICIS SUB nomine Pastorum Parisiensium ad Eminentissimum Cardinalem Noallium Archiepiscopum Parisiensem.

PRodiit in lucem paucis ab hinc diebus gallico idiomate Libellus quidam supplex sub nomine Pastorum Parisiensium, ad Eminentissimum Cardinalem Noallium Archiepiscopum Parisiensem. Siluissem profecto, ac Scriptum illud furtivis typis absque auctoritate publica in lucem editum, publica ipsa auctoritate reprimendum neglexissem, nisi fidem & doctrinam meam vellicaret, & ad justam me cogeret defensionem. *Nolo*, dicebat sapienter S. Hieronymus, *in suspicione hæreseos quemquam esse patientem, ne apud eos qui ignorant innocentiam ejus, dissimulatio conscientiæ judicetur si tacuerit.... Stultum enim est frustra infamiam sustinere.* Neque vero infamiam impositi mihi erroris frustra sustinuissem: quin potius tota illa recidisset in publicam offensionem ac scandalum Theologiæ nostræ Candidatorum, quibus erroris suspecta redderetur doctrina, quam in eorum gratiam publicis scriptis evulgare pergo.

Epist. 48 ad Pamm. Tom. 4. nov. ed. p. 307.

Scio equidem in supplici Libello speciosum, ut moris est obtendi læsæ ac periclitantis Religionis nomen, fidei morumque violatam integritatem, depressum ac ferè extinctum amoris Dei præceptum, catholicum gratiæ à se efficacis dogma in errorem Jansenianum traductum, perniciosum æquilibrii systema, velut Ecclesiæ doctrinam Fidelibus propositum. At scio etiam non hodie primùm vana hæc monstra conficta fuisse ad simplicium & indoctorum fraudem, & ad invidiam eorum qui proscriptos Jansenii errores strenuè pro viribus impugnant. Jansenium impetis? Tibi crimen est; & crimine in uno quot & quanta alia! Illico infamaris tanquam conjuratus doctrinæ SS. Augustini & Thomæ, ac gratiæ Christi inimicus, fautor semipelagianorum, Christianæ moralis corruptor, præcepti amoris Dei, imò & ipsius divinæ omnipotentiæ destructor. Ut verò fidem apud simplices inveniant, quot doli ac fraudes! Adulteratur Scriptorum textus; sensus genuinus invertitur ac detorquetur; quæ disjuncta sunt, copulantur; quæ unita, separantur; quæ præcedunt vel sequuntur unde Scriptoris mens elucescit callidè omittuntur. Ac ne insignis hujus falsitatis & malæ fidei exempla repetam altiùs, duo inter alia multa vel ipse Libellus supplex nobis subministrat, quorum unum bonæ memoriæ Cameracensem Archiepiscopum, alterum vero me ipsum spectat. In uno litteralis textus turpiter truncatur, interpolatur, corrumpitur; in altero textus ad erroneum sensum, textu ipso renitente, ac invita auctoris mente, trahitur ac detorquetur.

Summa ingenii luce ac vi eloquentiæ totius systematis Janseniani virus omne ac periculum detegit ac prosequitur Cameracensis Archiepiscopus? Pœnas luat necesse est. Statim in tribunali Janseniano reus declaratur damnatæ gratiæ à se efficacis Thomisticæ. In systemate Jansenii, ait auctor Libelli, systema gratiæ efficacis Thomisticæ proscriptum fuisse contendit Cameracensis. *Ou* (verba ipsa sunt Libelli ex prima Cameracensis ad Quenellium Epist. pag. 33.) *ou il faut* QUE CE SOIT UNIQUEMENT LE SYSTEME DE LA GRACE EFFICACE DES THOMISTES, QUE L'EGLISE A VOULU CONDAMNER *dans Jansenius, ou bien cette Eglise n'a voulu condamner rien de serieux. Si ce n'est pas là précisément ce qu'elle y condamne, elle agit comme un homme en delire; ou bien elle se joue & de la foi, & de sa propre autorité, & de la croyance de ses enfans; cette Eglise imagine un sens chimérique & ridicule, pour servir de fantome sur lequel tombent tous ses anathêmes.* Prosequitur: *Les termes de la grace efficace par elle-meme sont un nom adouci, sous lequel on enseigne la délectation necessitante.*

Si hæc revera scripsit (ut auctor Libelli refert) Cameracensis, non dissimulo, aberravit; nusquam etenim de proscribendo systemate gratiæ à se efficacis sensu Thomistico, Ecclesia cogitavit. Si verò ea non scripsit, sed ipsi mendaciter imponuntur, quanti criminis reus ille habendus est, qui adultera manu tantam intulit in textum Illustrissimi Archipræsulis falsitatem? Judica, lector æquissime, ex genuinis Cameracensis verbis, quæ tibi summa fide repræsento, hæc sunt. *Voilà le systême* (de Jansenius) *qui saute aux yeux de tout homme un peu sensé & attentif, quand il lit ce Livre. C'est sur quoi il ne peut se méprendre. Il faut que ce soit uniquement ce systême que l'Eglise ait voulu condamner dans Jansenius, ou bien elle n'a voulu y condamner rien de serieux. Si ce n'est pas là précisement ce qu'elle y condamne, elle agit comme un homme en delire, ou bien elle se joue & de sa foi & de sa propre autorité, & de la croyance de tous ses enfans. Elle imagine un sens chimerique & ridicule, pour servir de fantome sur lequel tombent tous ses anathêmes.*

1. Lettre au P. Quesnel, p. 33.

De systemate Janseniano circa duas delectationes relativè victrices unicè loquitur Archipræsul; de systemate verò Thomistico gratiæ à se efficacis eo loci ne verbum quidem. Ergo verba ista Libelli, *Il faut que ce soit uniquement le systême de la grace efficace des Thomistes que l'Eglise a voulu condamner dans Jansenius, ou bien cette Eglise &c.* Verba inquam, ista supposititia sunt, falsa, adulterina, germano textui malignè ac fraudulenter assuta.

Eodem loco habenda, quæ simili fraude ac mala fide reddit auctor Libelli: *Les termes de la grace efficace par elle-meme sont un nom adouci, sous lequel on enseigne la délectation nécessitante.* Ecce Cameracensis verba pag. 40. ejusdem Epistolæ: *Le parti veut les Molinistes par tout; & quiconque ne croit point la délectation necessitante sous le nom adouci de grace efficace par elle meme, lui paroit Moliniste & Pelagien.* Heu! quan-

quantùm hæc distant à sensu & verbis quæ refert Libellus? Cameracensi miscere ac confundere licet? *Crimine ab uno, disce omnes.*

Vix scio quid ad tam enormem fraudem ac falsitatem reponere possint Libelli supplicis auctores; atque hæc me cogitatio dubium & ancipitem tenuit; verumne esset an fictus dictus Libellus. Occurrebat animo sapientia, eruditio & pietas Pastorum Parisiensium. Qui ergo, dicebam intra me tacitus, fieri potuit, ut tantæ falsitatis crimine se se implicare voluerint? Occulta confœderatione ac coitione dicti Libelli furtivæ subscriptiones ostiatim emendicatæ circumferuntur: at quis prudens & cordatus, viris tam gravibus id imputet? norunt illi occultas coitiones in societate qualibet periculosas esse, ac seditioni ut plurimum proximas. Unicus hujus Libelli supplicis finis ac scopus videtur esse, ut XII. famosi articuli, quos venditant quasi totidem Bullæ *Unigenitus* Explicationes Româ in Galliam missos, vindicentur & approbentur. At non ignorant, Scriptum typis editum, cui gallicè titulus est, *Explications de N. S. P. le Pape Benoît XIII, envoyées en France au mois de Mars 1725. sur la Bulle Unigenitus*, supremi Consistorii Decreto die 2. Junii ejusdem anni suppressum fuisse, ac cautum ut Exemplaria lacerarentur. An verò Scriptum illud quasi de novo revocare in lucem, ac contentos in eo articulos publico instrumento confirmare voluissent Pastores Parisienses? Credat qui voluerit, non ego. Regii Decreti hæc verba sunt: *Sa majesté étant bien informée que les Propositions contenues en cet Ecrit, n'ont jusqu'à present été autorisées par aucun acte émané de sa Sainteté, & voulant reprimer la témerité de ceux qui non seulement ont osé les faire imprimer, mais même ajouter de leur chef des notes pleines d'aigreur, qu'ils ont appuyées sur un prétendu Corps de Doctrine de la Faculté de Theologie de Paris, qui n'a jamais été reconnu pour l'ouvrage de cette Faculté, ni revêtu d'aucune sorte d'autorité; Sa majesté a ordonné & ordonne que ledit Ecrit imprimé sous le titre d'* Explications &c. *sera & demeurera supprimé: & en conséquence que tous les Exemplaires qui ont été répandus dans le Royaume seront incessamment rapportés . . . . . pour être lacerés.*

Verùm, ut ad causam meam jam propiùs accedam, quisquis tandem sit Libelli supplicis auctor, non possum quin illum falsi postulem, quòd me nominatim in crimen vocaverit propugnatæ turpis cujusdam æquilibrii doctrinæ.

Accusationis ansam & prætextum arripit ex iis quæ circa naturam & vires gratiæ sufficientis docuimus, gratiam nempe sufficientem conferre omni *expeditam, proportionatam & relativam ad occurrentes subjecti circumstantias, ad opus bonum potentiam, viresque pares & æquales superandæ oppositæ concupiscentiæ.* Bilem maximè censori nostro movent verba ista, *vires pares & æquales*; quasi virus omne æquilibrii ac æqualitatis virium, qualem ille fingit, certè in se continerent. *On veut*, inquit, *que l'homme libre soit toujours dans une egalité de forces pour faire le bien & le mal; & que la plus foible grace qui porte à une action sainte, lui donne des forces egales pour surmonter la plus forte tentation; c'est-à-dire, que dès que l'homme aura quelque foible pensée, ou quelque foible desir de vaincre les attraits de la cupidité, il ne pourra plus, sans une erreur manifeste, confesser devant Dieu les besoins d'un libre arbitre affoibli & incliné, ni lui demander de plus grandes forces, & que Dieu même ne pourra pas lui en donner de superieures à la tentation, parce qu'en étant l'égalité il feroit perir la liberté.* Manifestè fallitur, vel fallit censor. Sententiam nostram aut non intelligit, aut malignè dissimulat.

Hanc etenim virium æqualitatem, inter gratiam & concupiscentiam, quam unam ille reprehendere meritò potest, expressè damnamus ac rejicimus. Fraudem proculdubio censorem nostrum induxit ambigua æquilibrii & æqualitatis virium significatio. Ut ergo omnis ambiguitatis procul amoveatur; & nomen & multiplex æquilibrii distinctio exponi statim à nobis debet.

Æquilibrium in moralibus quædam est voluntatis quasi suspensio & determinatio; metaphora ducta à bilance, quæ in æquilibrio esse dicitur, quando examen ejus in neutram partem inclinetur.

Multiplex æquilibrii species distinguenda.

I. Æquilibrium quoddam est naturale, liberum nempe arbitrium, seu facultas illa naturalis quæ ad opposita flexibilis est, nulli parti tenaciter ac immobiliter affixa. Solet hæc in Scholis appellari activa indifferentia. *Liberum arbitrium*, ait sanctus Augustinus, *illa media vis est, quæ vel intendi ad fidem, vel inclinari ad infidelitatem potest.* Speciem hanc æquilibrii repudiarunt Manichæi, quorum hic error fuit, homines ad bonum vel malum fatali quadam & ferrea necessitate rapi & determinari. *L. de Sp. & Litt. cap. 33. n. 58. T. 10. p. 118 E.*

II. Æquilibrium quoddam est quo voluntas ex se se ad bonum sicut ad malum æqualiter libera est ac expedita: quale admiserunt Pelagiani, qui cùm neque infirmitatem naturæ nostræ ex primævo Adami peccato derivatam, neque gratiæ necessitatem aut ad volendum, aut ad perficiendum bonum agnoscerent, consequenter affirmabant, voluntatem æqualiter ex sese ad bonum & ad malum liberam esse, nec sine manifestæ læsione actuosa libertatis per gratiam præveniri & ad bonum applicari posse. Genus istud æquilibrii festivè carpit sanctus Augustinus impugnans Julianum: *Libram tuam*, inquiebat, *quam conaris ex utraque parte per æqualia momenta suspendere, ut voluntas quantùm est ad malum, tantum etiam sit ad bonum libera, vergendo in unam partem te indicat deprimentem.* *L. 3. Op. imp. n. 117 Ib. p. 1098. B C.*

III. Aliud æquilibrium est potentiæ nimirum seu facultatis, id est voluntatis quo fit ut voluntas sub motione cujuscumque gratiæ, libera sit, *ut possit dissentire si velit*; atque promptam & expeditam retineat ad contrarium potestatem. Istam æquilibrii speciem, quæ ad fidem spectat, directè impugnant Jansenii. Apud illos quippe, necesse est voluntatem eo semper ac necessariò inclinari, quò eam rapit indeliberata superior ac victrix delectatio, qua velut quodam *vinculo* ligatur ac constringitur: *Nisi enim*, ait Jans. L. 4. de Gr. Ch. c. 10. *suavitas gratiæ tanta fuerit, ut ea delectationes rerum creatarum cessent, vel peccabitur, vel alternante delectationum fluctu, in medio remanebitur.* *Conc. Trid. Sess. 6. Can. 4. Jans. L. 7. de Gr. cap. 5. p. 315. 2. col. Ib. ... p. 184. col. 2.*

IV. Quoddam fingi potest æquilibrium æqualis inclinationis seu propensionis & facilitatis ad bonum & ad malum, quod exigit æqualitatem virium gratiam inter ac concupiscentiam; ita ut ad meritum vel demeritum actionis, necesse sit vires gratiæ commensurari ac pares & æquales esse viribus oppositæ concupiscentiæ.

Hæc igitur virium æqualitas, quæ nobis objicitur, spectatur vel respectu facultatis seu voluntatis quæ per gratiam sufficientem redditur relativè expedita & idonea ut possit tentationi resistere, & operari bonum mediatè aut immediatè; vel respectivè ac comparatè ad gratiam & concupiscentiam. Prior sensus verus est ac orthodoxus; posterior falsus & erroneus. Janseniani priori sensu callidè omisso ac dissimulato, in altero, qui à nemine defenditur, explodendo ac confutando jactantius exultant ac triumphant.

His prænotatis, postremum hunc ac erroneum æquilibrii sensum mihi opponit & exprobat auctor Libelli; verùm, pace dixerim, insignis calumnia est. Omni etenim ambiguitate nominis remota, tam clarè ac distinctè æqualitatem illam virium gratiam inter ac concupiscentiam damno ac rejicio, ut crassi hujusce mendacii pudere censorem debeat si quid in ipso frontis est ac pudoris. Audiat igitur censor quæ scribo Tom. 2. de Gratia pag 337. *Nec minùs certum est, necesse non esse ut pares sint & æquales ex utraque parte, gratiæ nimirum & concupiscentiæ, vires. Neque enim hæ vires unius cum viribus alterius comparantur; sed hoc unum exigit Ecclesia contra sententiam Jansenii, ut vires gratiæ, tametsi gradibus inferiores viribus concupiscentiæ, illas nihil minus superare possint, seu pares sint illis vincendis ac superandis; quod è diametro pugnat cum systemate Janseniano, in quo impossibile est vim majorem à minore superari.* Hæc ne, quæso, obscura sunt vel ambigua? An potui mentem meam clariùs & nitidiùs exprimere? Cur ergo ea confundit ac perturbat? Cur malignè censor dissimulat? Cur æqualitatem virium inter gratiam & concupiscentiam, quam rejicio, substituit in locum æqualitatis virium in voluntate, quam solam admitto?

Hac solite & communi fraude auctores XII. articulorum, qui quartum numero velut antidotum

tum opponunt errori æquilibrii, sic illum ambiguè conformant, ut verum cum falso permisceant; en articulus *Ut in statu natura lapsa liberum hominis arbitrium peccare aut mereri censeatur, non requiritur æqualis ad bonum & malum facultas, aut æqualis utrinque propensio; nec æquales in voluntate vires requiruntur.* Prima hujus articuli pars de æquali ad bonum & malum facultate ac propensione non necessaria, *ut liberum hominis arbitrium peccare aut mereri censeatur*, vera est, omniumque Theologorum calculo probata: altera vero de virium æqualitate in voluntate, ambigua planè, vel superflua & cum prima parte confunditur, si intelligatur de virium æqualitate inter gratiam & concupiscentiam; vel falsa, erronea & Janseniana, si de virium æqualitate in potentia seu voluntate ad oppositas concupiscentiæ vires debellandas. Ita Jansenianii in æquivoco delitescere amant, ac fallere.

Hanc profectò ambiguitatem, quæ censorem decipere potuerit, non præseferunt nostra quæ, mox reddidimus, verba; non ea quæ ex Angelico Doctore toties laudavimus, quæ nonnisi iniquè supponere quis posset cum prætenso, quo infamamur, æquilibrio conciliari unquam posse. *Minima gratia*, inquit S. Doctor 3. p. q. 62. art. 6. ad 3. *potest resistere cuilibet concupiscentiæ, & mereri vitam æternam.* Et rursus ibidem q. 70. art. 4. in corpore. *Minima gratia potest resistere cuilibet concupiscentiæ, & vitare omne peccatum, quod committitur in transgressione mandatorum.* Non magis distat cælum à terra & lux à tenebris, quàm hæc S. Thomæ doctrina ab æquilibrio, & æqualitate virium: si enim minima gratia resistere potest, saltem mediatè, cuilibet concupiscentiæ etiam superiori & ardentiori, ergo necesse non est ut pares & æquales vires habeat cum viribus oppositæ concupiscentiæ; ergo calumniæ vel insitiæ plena est accusatio qua auctor Libelli me impetit.

Objectionem contra naturam gratiæ sufficientis ex æquilibrio ductam mihi propono pag 333. æquilibrium iis omnibus teteris coloribus depingo, quibus solet depingi; vanam & ridiculam esse assevero istam adversùs nos objectionem, ab iis hominibus confictam, qui vel non intelligunt, vel malignè & ad invidiam, sententiam, quam tuemur, ut erroneam traducunt, *Volentes esse Legis Doctores, non intelligentes neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant.* Tùm ad solvendam propositam objectionem, multiplicem distinguo speciem æquilibrii, præsertim vero unum inclinationis seu æqualis propensionis ac facultatis ad bonum & malum, quod cum omnibus Orthodoxis apertè repello ac damno; alterum potentiæ seu voluntatis, quo fit ut voluntas sub quacunque motione gratiæ libera remaneat & ad oppositum relativè expedita; quod adversus Jansenium cum omnibus Orthodoxis admitto; atque hujusce doctrinæ nostræ præsidium ac firmamentum ex Angelico Doctore locis mox laudatis potissimùm mutuamur.

1. ad Timoth. 1. v. 7.

At immeritò prorsus, dicet censor, S. Thomam invitum ad nos trahimus: loquitur etenim S. Doctor de sola gratia habituali seu sanctificante, occasione Circumcisionis.

Fallitur censor, de utraque enim tùm habituali, tùm actuali gratia intelligendus est D. Thomas; habitualis quippe gratia opus habet actuali ut in actum erumpat, judice eodem S. Doctore 1. 2. q. 109. art. 9. *Dicendum*, inquit, *quod homo ad rectè vivendum dupliciter auxilio Dei indiget. Uno quidem modo, quantùm ad aliquod habituale donum, per quod natura humana corrupta sanetur: & etiam sanata elevetur ad operanda opera meritoria vitæ æternæ, quæ excedunt proportionem naturæ. Alio modo indiget homo auxilio gratiæ, ut à Deo moveatur ad agendum.* Laudat verò sanctus Doctor in confirmationem suæ sententiæ, egregium istud S. Augustini testimonium ex Libro de Natura & Gratia cap. 26. *Sicut enim oculus corporis plenissimè sanus, nisi candore lucis adjutus non potest cernere, sic homo perfectissimè etiam justificatus, nisi æterna luce justitiæ divinitùs adjuvetur, rectè non potest vivere.* Ergo cùm à gratia habituali, ubi urget præcepti observatio, separari non debeat actualis, ista, quemadmodum & habitualis, licèt minima sufficit in mente ac doctrina Doctoris Angelici cuilibet vincendæ ac superandæ concupiscentiæ.

Nihil profectò est quod Janseniano systemati tam capitaliter repugnet & adversetur, quàm hæc D. Thomæ sententia. Paradoxum quidem Jansenio videtur in principiis (ut ipse putat) sancti Augustini, *charitatem quamvis minimam sufficere ad quamcumque tentationem superandam, vel quæcumque præcepta sine transgressione servanda.* Verùm longè meliori jure paradoxa videri debet Jansenii doctrina ad ipsum usque in Scholis Catholicis inaudita, quæ novitate sua, ut ipsemet Jansenius præsentiebat, universam turbatura erat Ecclesiam. Reipsa enim easdem in gratia sufficiente vires, quas nos jam post Jansenium appositè ad illius errorem repellendum pares & æquales dicere cogimur, veteres Theologi sub aliis verbis admiserunt; nempe per gratiam sufficientem voluntati hominis conferri ad bonum potentiam sufficientem, expeditam, proximam, completam. Quare igitur inquies, ab his verbis jam nos recedimus? Non recedimus, si Catholico intelligantur sensu. Verùm cum apud Jansenianos ambigua sint, quibus illi abutuntur ut suum occultent & involvant errorem, verba ista, in iis qui meritò suspecti sunt, non sufficere arbitramur ad declinandam erroris Janseniani suspicionem. Certum quippe est, Jansenianos plenis manibus dare potentiam, quam confert gratia sufficiens, *sufficientem esse, sufficientissimam, completam, completissimam, plenam, plenissimam, expeditam, expeditissimam.* Solita nempe æquivocatione, potentiam illam *plenissimam, completissimam &c.* appellant, spectata natura gratiæ sufficientis in se absolutè ac præcisis præsentibus subjecti circumstantiis, non autem relativè ad illas; sub qua una consideratione, gratiæ sufficientis virtutem ac potentiam hic adversus Jansenium spectamus, prout scilicet hic & nunc ad præceptum implendum conferri debet: abstracta etenim illa & absoluta virtus, quid ad usum & exercitium operis boni actu exercendi?

Lib. 2. de Gr. c. 15. T. 3 p. 144 col. 1. E.

Paulus Irenæus disq. 3 ar. 22. ad calcem Diarii de S. Amour p. 206. col. 2.

Neque verò est quòd Janseniani vitio nobis vertant, novum *potentiæ absolutæ & relativæ* terminos in Scholam nos invehere. Ipsi nos coegerunt, istud à duce & magistro suo discant. *Cùm ad quid propter novas opiniones emergentes efficaciter exprimendum & accuratè ab aliis distinguendum est, rem veterem novo vocabulo insignire, nihil vetat.*

Jans. L. 8 de Gr. c. 2. T. 3. p. 344. col. 1 B.

Quantùm porrò ab ista, quam fusè in nostro Tractatu exposuimus, Catholicorum circa vires & naturam gratiæ sufficientis sententia, distet ac discrepet Janseniana, res est luce meridiana clarior. Totius scilicet Janseniani systematis basis ac fundamentum est, vim totam gratiæ relativam esse ad oppositam majorem vel minorem cupiditatis oppositæ delectationem. *Delectatio victrix*, ait Jansenius, *quæ Augustino est efficax adjutorium, relativa est; tunc enim est victrix quando alteram superat. Quòd si contingat alteram ardentiorem esse, in solis effectibus desideriis hærebit animus.* Consequenter igitur eo in systemate, necesse est gratiam sufficientem, quam Jansenius parvam appellat, inferiorem esse viribus oppositæ cupiditate; adeoque ipsi relativè impossibile esse ut eam superet, *propter defectum virium*, ait Jansenius: unde justis qui volunt & conantur secundùm præsentes quas habent vires, id est relativè ad illas vires, impossibilia dicit mandata Dei: impossibile quippe est ut minor delectatio vincat majorem, quemadmodum impossibile est ut majus pondus à minori trahatur. Ista profectò in systemate Janseniano tam necessariò cohærent ac connexa sunt, ut divelli à se invicem non possint, nisi ab iis qui systema illud ignorant, vel dissimulant, aut corrumpunt. Ex quibus istud obiter inferes; causam primariam ac capitalem discriminis quod est inter gratiam sufficientem Thomisticam, & Jansenianam, ex eo esse, quòd gratia Thomistica ex virtute sua absoluta, Janseniana verò ex relativa operetur, comparatè scilicet ad oppositam cupiditatem; quapropter ut in actum exeat, non tantùm æqualis esse debet, sed illa etiam major ac superior. Discrimen istud gratiæ victricis per delectationem superiorem relativam sensu Jansenii, tùm à præmotione physica Thomistarum, tùm à gratia efficaci per delectationem simpliciter victricem sensu quorumdam Theologorum, ex professo exposuimus T. 1. de Gratia pag. 624 & 625.

Lib. 8. de Gr. Ch. c. 2. p. 344

L. 3 de Gr. cap. 13. p. 138.

Quæ autem sit Jansenii circa vires gratiæ sufficientis, quæ non sufficiunt quia sunt inferiores, mens ac sententia, nemo nisi cæcus fuerit, non videt

Joan. videt. *Cur*, inquit Jansenius Lib. 4 de Grat. Chr. cap. 10. *Augustinus etenim omnem gratiam pure sufficientem auferat, ratio perspicua est: quoniam in nullo sic gratia operandi præter istam suavitatem Dei, nisi ista tanta fuerit, ut ei delectationes rerum creatarum cedere, vel peccabitur, vel alternante delectationum fluctu in medio remanebitur: sin autem ista superaverit, tum sine dubio voluntas benè operabitur; Quod enim amplius nos delectat, secundùm id operemur necesse est. Sed utrumlibet fiat, nunquam sufficiens gratia, sed vel efficax vel inefficax, ex qua operatio nequidem possit sequi, nisi ejus inefficacia per aliam suppleatur.* Quare verò ex gratia sufficienti seu parva, *operatio non sequi* *potest?* *propter defectum virium*, seu quia vires non habet pares & æquales; ex quo necessariò consequens est, ut justis qui hac sola gratia sufficiente instructi sunt, relativè ad illas in quibus constituti sunt circumstantias, impossibilia sint Dei mandata. Et revera hic ipse error est primæ Propositionis damnatæ inter quinque famosas Jansenii, *Aliqua Dei præcepta hominibus justis volentibus & conantibus secundùm præsentes quas habent vires, sunt impossibilia; deest quoque illis gratia qua possibilia fiant.*

L. 3. de Gr. Chr. c. 13. p. 138. col. 2. E.

Hic non loquitur Jansenius de impossibilitate absoluta, de justis enim qui volunt & conantur loquitur; sed de impossibilitate relativa, *secundùm præsentes quas habent vires*, quæ cùm inferiores sint opposita concupiscentia non sunt huic debellandæ relativè pares. Ergo opposita huic errori Ecclesiæ doctrina hæc est, justis impossibilia non esse Dei mandata relativè ad præsentes, seu *secundùm præsentes earum vires*; atque adeo ipsis adesse gratiam quæ pares & æquales vires ipsi conferat, ut oppositam concupiscentiam superiorem superare possint, ac mandatum quod urget, mediatè saltem observare. Atque hoc ipsum est quod meritò asserimus pertinere ad substantiam dogmatis Ecclesiæ circa naturam & vires gratiæ sufficientis quod quidem isto simplici argumento demonstramus: Ecclesia eam in gratia sufficiente ad opus bonum potentiam easque vires agnoscit, quas negat Jansenius in sua prima damnata Propositione: atqui Jansenius in hac sua prima damnata Propositione negat per gratiam sufficientem relativam conferri potentiam ad opus bonum perficiendum; negat ipsi vires pares & æquales ad oppositam cupiditatem fortiorem debellandam; ergo veritas Catholica huic errori opposita, hæc est, per gratiam sufficientem voluntati relativam conferri potentiam ad opus bonum perficiendum, ac vires pares & æquales ad oppositam cupiditatem fortiorem debellandam.

Duo hic non omittenda, quæ velut absurda nobis opponuntur.

Primum ad substantiam dogmatis Catholici ex nobis illud pertinere quòd nempe gratia sufficiens in se generatim sumpta, prout justis & peccatoribus communis est, vires pares & æquales voluntati afferat ad opus bonum perficiendum. Atqui tamen de solis justis ab Ecclesia definitum fuit, non de aliis; ergo limites fidei ab Ecclesia hic positos prætergredimur.

Alterum, à nobis hic damnari Thomistas, qui cùm gratiæ sufficienti, ut in actum erumpat, necessarium esse doceant novum ex parte Dei auxilium efficax ac physicè præmovens, consequenter negant gratiæ sufficienti soli & ab efficaci sejunctæ vires adesse pares & æquales ad bonum opus perficiendum.

Verùm, parùm nos urgent, nec quidquam momenti ac ponderis habent duo hæc prætensa absurda & incommoda.

Non primum: quia tametsi de solis justis, occasione primæ Propositionis Jansenii, Ecclesia pronuntiaverit, non tamen prohibet, imò antiquæ Scholæ libertati permittit, ut eædem vires pares & æquales, quas gratiæ sufficienti justorum tribuit, ipsi quoque prout peccatoribus communis est, tribuantur; imo hæc est Scholæ pervulgata magis ac probata sententia, à qua discedere periculosum foret. Non alia etenim natura est gratiæ sufficientis justorum quàm peccatorum; & si ista vires pares, ac expeditam ad bonum potentiam non conferat, homo peccator cum illa gratia laborabit vera impotentia antecedente ac relativa ad bonum, & ad tentationem superandam quod quidem salva fide asseri non potest.

Non secundum. Absit à me ut systema Thomisticum damnem vel improbem, tametsi illud non sequar, quod difficultate ejus pro mea tenuitate digerere non possim. Utrum autem gratia sufficiens, ut agat, indigeat auxilio actualis gratiæ physicè præmoventis, vel tantùm moraliter excitantis, ac physicè dumtaxat cooperantis aut concomitantis, ad substantiam dogmatis Catholici non pertinet, sed ad opinionem Scholæ, ac varium modum explicandi operationem, seu vires & efficientiam gratiæ sufficientis. Sciunt porrò Theologi omnes, varios mysteria explicandi modos non pertinere ad fidem, atque ab iis minimè pendere dogmatis substantiam; quod quidem duplici exemplo illustravimus Tom. 2. de Gratia pag 678. alicujus vet grat. Nestoriani, qui unionem hypostaticam Verbi divini cum humanitate ex eo capite impugnaret, quòd inter nos non constet quænam sit natura illius unionis; an modalis entitas, an relatio &c. Calviniani pariter qui ad fidem realis Christi in Eucharistia præsentiæ exigeret, ut exponatur ipsi quomodo hæc præsentia fiat, an per creationem, vel adductionem localem aut veram reproductionem. Tota sophistica est isthæc arguendi ratio à dicto, ut vocant Dialectici, secundùm quid, ad dictum simpliciter. Sive igitur neges, sive affirmes unionem Verbi cum humanitate esse, vel non esse modalem entitatem, perinde est ad fidem Catholicam, modo fatearis esse physicam & personalem unionem. Hic hæret fides. Pariter seu neges, seu affirmes Christum præsentem fieri in Eucharistia aut per veram reproductionem, aut per simplicem adductionem, nihil Catholico dogmati nocet, modò agnoscas Christum verè, realiter ac substantialiter præsentem esse in Eucharistia. Pari quoque ratione, sepositis variis modis quibus Theologi exponunt sufficientis gratiæ efficientiam & operationem, sive per se ipsam, sive per auxilium physicè præmovens, aut aliud quodlibet, dicimus hoc unum hìc ad substantiam dogmatis Ecclesiæ pertinere, nempe per gratiam sufficientem voluntati conferri potentiam relativè proportionatam & expeditam, non impeditam nec ligatam, ut Jansenio placet, vinculo superioris delectationis; adeoque pares & æquales esse illius vires superandæ oppositæ concupiscentiæ ac implendo, ubi urget, Dei mandato.

Pares & æquales, repeto, cùm dicimus vires, non eas comparamus nec commensuramus cum viribus oppositæ concupiscentiæ, sed cum ipsa potentia seu voluntate, quæ beneficio gratiæ sufficientis potest etiam relativè appositam cupiditatem superiorem vincere, ac præceptum mediatè saltem observare. Particulam istam, *mediatè*, in ea ipsa pagina 41 unde auctor Libelli nos arguit non sine consilio addidimus, quam ille tamen pro ea qua est fide, suppressit, ut gravi huic suo commentario locum daret. *C'est-à-dire, que dès que l'homme aura quelque sainte pensée, ou quelque foible desir de vaincre les attraits de la cupidité, il ne pourra plus, sans une erreur manifeste, confesser devant Dieu les besoins d'un libre arbitre affoibli & incliné, ni lui demander de plus grandes forces, & que Dieu-même ne pourra plus en donner de superieures à la tentation, parce qu'en ôtant l'egalité, il feroit perir la liberté.*

Requête, p. 2.

Monstra sibi fingit censor, ut ea impugnet. Vanæ profectò huic suæ declamationi parcere debuisset, quam funditus diruit particula *mediatè*, quam ille data opera omisit ut reprehendere posset. Nusquam enim diximus, gratiam sufficientem per se solam ac *immediatè* valere semper ad quodlibet opus bonum arduum ac difficile, sed *mediatè* saltem, implorando scilicet uberius Dei auxilium, quo accedente opus bonum perficiatur: atque hæc ipsa est Concilii Tridentini doctrina Sess. 6. de Justit. cap. 11. *Deus*, inquit, *impossibilia non jubet, sed jubendo monet, & facere quod possis, & petere quod non possis.* Supponit igitur Concilium, nonnulla esse ardua & difficilia, quæ ex præsenti gratia sufficiente *immediatè* non possumus, quæ possumus tamen *mediatè*, implorando auxilium uberius & abundantius, quod Deus ex infinita sua in homines benignitate ac clementia non denegat facientibus quod in se est ex viribus gratiæ præsentis, quam liberaliter concedit Deus, *qui fidelis est, qui non patietur nos tentari supra id quod possumus.* Hæc si non dissimulasset personatus censor, quæ legere debuerat

1. Cor. 10. v. 13.

debuerat pag 337. Tom.2. de Gratia, ubi ſolvitur objectio ex æquilibrio ducta, nihil habuiſſet quod nobis ad invidiam potuiſſet opponere. At jam animo concepta erat & parata in nos criminatio; Janſenianorum quippe antiquus mos eſt, Catholicos, à quibus arguuntur, vice verſa erroris inſimulare, ut hac arte diſtractis animis errorem ſuum cognitioni Fidelium ſubducant. At hic non effugiet larvatus cenſor. Quippe, vel agnoſcit Janſenium de natura ſufficientis gratiæ ita ſenſiſſe, ut mox expoſuimus, vel non agnoſcit: ſi agnoſcit, ergo agnoſcat neceſſe eſt veritatem huic errori contrariam, quam Eccleſia contra Janſenium definivit, ad ſubſtantiam dogmatis Catholici circa vires & naturam gratiæ ſufficientis pertinere, ſicut nos contendimus; adeoque & ſe ipſum erroris Janſeniani reum eſſe. Si non agnoſcit, ſed factum revocet in dubium; ergo Eccleſia vano erroris ſimulacro deluſa umbram ac evanidum quoddam phantaſma tamdiu ſeriò inſecuta fuit, ac planè inanem emiſit cenſuram. Itane verò ſentire Paſtores Pariſienſes abſque gravi contumelia ſupponere ille potuit? An ignorat ne unum quidem eſſe inter Paſtores illos, qui Formulæ fidei Alexandri VII. circa factum Janſenii etiam cum juramento non ſubſcripſit? An porrò mendacii & perjurii reos illos omnes traducet & incuſabit? Intoleranda profectò temeritas & audacia foret pœnis publicis coercenda.

Antequam finiam, non poſſum quin cenſorem noſtrum moneam, illud omne quod in æquilibrio ridiculum & odioſum Janſeniani exaggerant, in ipſum eorum caput recidere. In ſyſtemate quippe Janſeniano tota virtus gratiæ relativa eſt, pro majori nimirum vel minori oppoſita delectatione; *ac niſi delectatio gratiæ tanta fuerit, ut eâ delectationes rerum creatarum ſuperent, vel peccabitur, vel alternante delectationum fluxu in medio remanebitur*, ait Janſenius Lib.4 de Gratia Chriſti cap 10. Ergo in eo ſyſtemate, Deus, qui hominem ad fidem & cordis converſionem efficaciter adducere decrevit, explorare priùs debet quot ſint in illo homine concupiſcentiæ gradus, ut eorum ſemper iis commenſuret gradus oppoſitæ cœleſtis delectationis: in conflictu quippe

T. 3. p. 184. 2. col.

gratiæ & concupiſcentiæ, qua proportione augetur ac creſcit concupiſcentia, eadem augeri & creſcere debet gratia cœleſtis, imò & ſuperior evadere ſi enim ad æqualitatem tantum deveniret, voluntas in medio quaſi ſuſpenſa remaneret. An non hoc ipſum eſt putidum æquilibrii ſyſtema, quod velut monſtrum quoddam in moralibus ſuperbiùs oſtentant Janſeniani? Improvidè igitur ac incautè nobis illi vitium imputant, quod eorum proprium eſt.

Ne porrò cenſor noſter exiſtimet nos plùs æquo difficiles ac moroſos eſſe, duo ipſi non illibenter damus. Car. de Biſſy Inſtr. Paſt. de l'an. 1725. pag. 44.

I. Cùm nomen æquilibrii ambiguum ſit, variiſque in ſenſus poſſit trahi, quos eruditè ac ſolerter evolvunt Eminentiſſimus Cardinalis de Billy, & poſt ipſum Illuſtriſſimus Epiſcopus Sueſſionenſis, nec prorſus rejiciendum eſt, quo Veteres nonnulli uſi ſunt; nec promiſcuè ac ſine additione uſurpandum, ſed explicandum; ne æmulis noſtris, qui eo obtuntur, obtrectandi locum demus: & ne quis ſuſpicari poſſit, nos æquilibrii nomine exigere aut æqualem ad bonum & malum propenſionem & facilitatem, aut æquales & pares gratiam inter & concupiſcentiam vires. Evêque de Soiſſ. Lett. V. Paſt. 1. par. 1. p. 61. & ſuiv.

II. Cùm in iſtis verbis, *vires pares & æquales*, nonnihil pariter ambiguitatis ſubſit, ac utroque dicto ſenſu poſſint accipi, fortè placebit magis dicere, *voluntatem, vel hominem per gratiam ſufficientem parem reddi ſuperandæ tentationi ac obſervando mandato*. Idem reverà eſt quantùm ad rei ſubſtantiam ſenſus: at loquendi ratio videtur ambiguitati ac reprehenſioni minùs patere. Nomen quippe illud, *par*, in voluntatem vel hominem cadit, iſta verò, *vires pares*, videri poſſunt apertiùs indicare æquales ex utraque parte, gratiæ nimirum & concupiſcentiæ vires. Eliget lector quam voluerit partem, nobis perinde eſt.

Hæc te, amice lector, monitum volebamus ad juſtam noſtram defenſionem, quæ dicta volumus abſque cujuſquam offenſione, *ſupportantes invicem in charitate, ſolliciti ſervare unitatem ſpiritus in vinculo pacis*. Eph. 4. v. 3.

PRÆLECTIO-



PRÆLECTIONES THEOLOGICÆ DE SACRAMENTIS IN GENERE.

QUÆSTIO PRIMA.

De natura seu definitione Sacramenti.

NATURA Sacramenti per nomen & definitionem ejus declaratur. Cùm autem definitio constet genere ac differentia, de genere primùm ac differentia Sacramenti disseremus, tùm de partibus ipsius quasi physicis, materia scilicet & forma.

ARTICULUS I.

De nomine ac definitione Sacramenti.

IDem omnino est Latinis Sacramentum, quod Græcis *μυστήριον*, *mysterium*. Utriusque nominis eadem derivatio, à re nimirum sacra & secreta, seu occulta. Habent autem illæ voces, etiam apud Auctores profanos, nescio quid religionis, reverentiæ ac majestatis plenum.

Priscis linguæ latinæ auctoribus sacramentum duo significat.

I. Pecuniam sive pignus à litigantibus apud Pontifices in loco sacro depositum, quo mulctabatur is qui causa ceciderat, in pœnam injustæ litigationis.

II. Juramentum, quod nonnisi invocato sacro quodam numine concipiebatur; unde sacramento contendere, apud Tullium, idem est ac jurejurando affirmare. Peculiariter verò usurpatur ad significandum juramentum militare, quo milites certo ritu ac præscriptis verbis Reipublicæ defensioni obligabantur, suumque nomen militiæ inscribebant; unde Sacramentarii dicebantur. Quo sensu Tertullianus *Rigalt. 38. A 102. A.* Lib. ad Martyres cap. 3. ait *vocatos non esse ad militiam Dei vivi, jam tunc cùm in sacramenti verba respondimus.* Quod verò sit illud sacramentum, exponit Lib. de Corona militis c. 3. cùm nempe *aquam Baptismatis adituri, in Ecclesia sub Antistitis manu contestamur nos renuntiare diabolo, & pompæ, & Angelis ejus.*

Apud Scriptores sacros & Ecclesiasticos Sacramentum seu mysterium significat.

I. Rem sacram, sed occultam & latentem Sapientiæ 2. v. 22. *Nescierunt sacramenta Dei.* Matth. 13. v. 11. *Vobis datum est nosse mysteria Regni Cælorum.* Ephes. 1. v. 9. *Ut notum faceret nobis sacramentum voluntatis suæ.* 1. Corinth. 2. v. 7. *Loquimur Dei sapientiam in mysterio quæ abscondita est.* Et 1. Corinth. 4. v. 1. *Sic nos existimet homo ut Ministros Christi & dispensatores mysteriorum Dei.* Hoc sensu, quælibet Religionis nostræ ac fidei capita generatim mysteria dicuntur. 1. ad Timoth. 3. v. 16. Incarnatio Verbi divini *magnum* dicitur *pietatis Sacramentum* Græcè *μυστήριον*. Quin & ad res quoque non sacras, sed quas evulgare religio est; extenditur. Sic Tobiæ 12. v. 7. de secreto Regis dicitur: *Sacramentum Regis abscondere bonum est.*

Idem quoque significat apud auctores profanos, rem scilicet sacram, sed obscuram, arcanam ac latentem. Apud illos etenim Religionis arcana mysteria dicebantur, Sacra opertanea, aut Sacra operta; à silentio scilicet quo sua Sacra obtegi & obvelari curabant: summum quippe apud eos piaculum erat, res sacras profanis & nondum initiatis aperire. Hinc solemnis illa formula in celebrandis mysteriis præmitti solita, *Procul hinc, procul ite profani.*

II. Mysterium & Sacramentum significat ipsum rei latentis & occultæ symbolum seu signum: quo sensu Apocal. 1. v. 20. appellatur, *Sacramentum septem stellarum.* Et cap. 17. v. 7. *Sacramentum mulieris & bestiæ. Cujus in fronte*, ut dicitur vers. 5. *scriptum erat Mysterium.* Hoc est, quale signum sint, seu quid significent septem stellæ, quid significet mulier & bestia &c. Quo sensu dixit Augustinus Epistola 138. *Ed nov. T. 2. p. 412. E.* alias 5. num. 7. *Signacula ad res divinas pertinent, Sacramenta appellari.* Et Epistola 98. ad Bonifacium, *Ib. pag. 267. F.* alias 23. n. 9. *Si Sacramenta quamdam similitudinem earum rerum, quarum Sacramenta sunt, non haberent, omnino Sacramenta non essent.*

Hoc eodem sensu usurpatur etiam à Paganis; qui sua sacrilega mysteria nonnullis signis ac symbolis exprimebant, de quibus Clemens Alexandrinus in Protreptico seu Oratione ad Gentes exhortatoria, Arnobius Lib. 5. Eusebius Lib. 2. Præpar. Evang. cap. 3. *Ed. Paris. 1528 p. 65. A. Ib. pag. 66. D.* ubi ait: *Hæc sunt Sacrorum symbola, Talus, Pila, Trochus, Poma, Turbo, Speculum, Vellus.* Ibid. refert *mysteriorum Eleusiniorum hanc communem quasi Tesseram fuisse: Jejunavi; cinnum ebibi; accepi è cista &c.*

III. Significat rem sacram occultam, sed sacrantem seu initiantem hominem divino cultui; quæ postrema significatio maximè propria est ac præsenti nostro instituto accommodata. Sacramenti quippe nomine hic intelligimus signum rei sacræ quâ Deo consecramur seu sanctificamur, & ejus cultui initiamur. *Inde Sacramenta manarunt*, ait sanctus Au-

gustinus Lib. 15. de Civitate Dei cap. 26. *quibus credentes initiantur.* Et Libro de Catechisandis rudibus capite 26. admonet de hoc imprimis rudes informandos esse, nempe *Sacramenta signacula esse rerum divinarum visibilia, sed resipsas invisibiles in eis honorari, nec sic habendam illam speciem benedictione sanctificatam, quemadmodum habetur in usu quolibet.* S. Ambrosius Librum scripsit cui titulum fecit, *de Mysteriis, seu de initiandis.* S. Thomas 1. 2. qu. 102. Articulo 5. in corpore ait, *Sacramenta proprie dici illa, quæ adhibebantur Dei cultoribus ad quandam consecrationem, per quam scilicet deputabantur quodammodo ad cultum Dei.* Atque hoc sensu unio conjugalis viri & mulieris Ephes. 5. v. 32. dicitur, *magnum Sacramentum in Christo Jesu & in Ecclesia;* non tantùm quia signum est unionis Christi & Ecclesiæ, sed quia signum efficax gratiæ, qua donantur conjuges cùm in Domino nubunt.

T. 7. p. 410. E.

T. 6. p. 293. F.

Hoc ipso sensu veteres Pagani mysteria sua initia dicebant, *Quibus,* ait Tullius Lib. 2. de Legibus, *ex agresti vita exculti ad humanitatem sumus, tanquam ea sunt vitæ melioris principia.*

Displicuit aliquando morosis ac fastidiosis nostris Novatoribus Sacramenti nomen, ea potissimum de causa quod in Scripturis non extaret: sed ineptè prorsus: latinum quippe nomen est, quod in primogenio Scripturæ textu Hebraico vel Græco intulsè quæreretur. Cum autem in usu Ecclesiæ idem prorsus significet Sacramentum apud Latinos, quod Mysterium apud Græcos, meritò Sacramenti nomen retinuit Ecclesia, ut & multa alia vocabula, tametsi in Scripturis expressè non legantur. Quapropter obtinuit subinde apud Novatores ipsos: soli Sociniani ab eo, velut à superstitione abhorrent.

Definitio Sacramenti.

Videntur nonnulli dubitare an Sacramentum definiri accuratè possit. Ratio dubitandi ipsis est, quod Sacramentum vel est aggregatum quoddam per accidens, constans rebus tanquam materia, vel verbis tanquam forma; vel est ens rationis, si formaliter consideretur ratione suæ significationis, quam habet ex instituto.

Verùm, esto non possit accuratè definiri Sacramentum physicè spectatum, potest tamen si moraliter consideretur, ut reipsa solet à Theologis considerari. Hac quippe ratione est totum quoddam destinatum ad significandam & efficiendam hominis sanctificationem: posse autem totum morale definiri, solus ille inficiabitur, qui negaverit Ecclesiam, Concilium, Regnum, Civitatem aut familiam definiri posse. Quæ porrò sit definitio Sacramenti tum apud Hæreticos, tum apud Orthodoxos, exponendum.

Definitio Sacramenti apud Hæreticos.

T. 1. p. 709.

Sociniani definiunt Sacramentum, *nudum & simplex signum quo Christianus à Judæo vel Gentili distinguitur.* Ita Catechesis Racoviana cap. 4. Socinus disp. de Baptismo, Volkelius Lib. 4. de vera Religione cap. 22.

Rejicitur à Lutheranis & Calvinistis hæc definitio, quibus Sacramentum non tantum ad otiosam & vacuam distinctionis notam, sed etiam ad promissiones divinæ gratiæ in nobis obsignandas & confirmandas institutum videtur.

Lutherani igitur & Calvinistæ Sacramenta definiunt, *signa seu sigilla divinitùs instituta ad obsignandas in nobis & confirmandas divinas gratiæ promissiones, ad sustinendam fidei nostræ imbecillitatem, & excitandam nostram in Deum pietatem.* Colligitur hæc definitio seu descriptio Sacramenti ex Calvino Lib. 4. Institutionis cap. 14. & ex Kemnitio parte 2. examinis Concilii Tridentini. Bellarminus Lib. 1. de Sacramentis in genere cap. 14. 15. 16. & 17. fusè definitionem hanc prosequitur ac refellit.

Si porrò verba hæc, ut sonant, & præcisè à tota contextus & doctrinæ Novatorum serie attendantur, non videntur sensum habere à Catholico dogmate alienum. Sano quippe sensu Sacramenta dici possunt signa seu sigilla quibus divinæ promissiones confirmantur; non quidem ex parte Dei, cujus promissio ex se firma est, nec vade aut sponsore indiget, sed ex parte nostri, ob fidei nostræ tarditatem & imbecillitatem. Confirmantur autem, non mera dumtaxat ac sterili ostensione seu significatione gratiæ, sed collatione; non speculativè tantum, sed practicè: confirmat enim Deus in nobis suas promissiones tum maximè cum per Sacramenta velut per instrumenta illas adimplet ac veluti obsignat. Valere etiam plurimùm Sacramenta ad juvandam fidem nostram & excitandam pietatem agnoscit Catechismus Concilii Tridentini parte 2. num. 13. *Magnam,* inquit, *vim habent Sacramenta ad fidem in animis nostris excitandam & exercendam, & ad charitatem inflammandam.* Paulò ante dixerat, *Christum, cùm peccatorum veniam, cœlestem gratiam, Spiritus sancti communicationem nobis pollicitus est, quædam signa oculis & sensibus subjecta instituisse, quibus eum quasi pignoribus obligatum haberemus, atque ita fidelem in promissis futurum dubitare nunquam possemus.*

Itaque si in uno dumtaxat verbum sono ac cortice hæreremus, ob hac auctorum Catechismi sententia recedere non viderentur Novatores, cum Sacramenta definiunt, *signa seu sigilla quibus divinæ in nobis promissiones obsignantur & confirmantur &c.* Verum multiplex in eorum sententia error involvitur.

Docent enim 1. Sacramenta esse sigilla gratiæ respectu electorum dumtaxat, non aliorum hominum, *Docemus,* ait Calvinus in L. de Consensione inter Tigurinos & Genevenses de re Sacramentaria, *Deum non promiscuè vim suam exercere in omnibus qui Sacramenta percipiunt, sed tantum in electis. Nam quemadmodum non alios ad fidem illuminat, quàm quos prædestinavit ad vitam; ita arcana Spiritus sui virtute efficit, ut percipiant electi quæ offerunt Sacramenta.*

Docent 2. gratiam hanc nihil esse internum homini, sed meram & externam peccati non imputationem.

Docent 3. quod hic capitale est, non aliam Sacramentis vim & efficaciam inesse, quàm ut objectivè moveant & excitent fidem, non verò ut efficienter gratiam conferant. Ita rem totam exponit Theodorus Beza Lib. de Summa rei Sacramentariæ q. 2. *Efficacia,* inquit, *Sacramentorum est à Spiritus sancti operatione in solidum, non autem à signis, nisi quatenus externis illis objectis interiores sensus moventur.*

Si quando igitur apud Novatores legeris, *Sacramenta esse instrumenta Dei ad nostram sanctificationem instituta,* cave, dolus est: nullam etenim in illis veram efficientiam, sed meram movendi & excitandi vim objectivam & externam agnoscunt. *Schola sophistica,* ait Calvinus Lib. 4. Instit. cap. 14. paragr. 14. *magno consensu tradiderunt, Sacramenta novæ legis justificare & conferre gratiam, modo non ponamus obicem peccati mortalis. Quæ sententia dici non potest,* pergit ille, *quàm sit exitialis & pestilens.* Deinde eam serio refellit, quasi mens Catholicorum foret, Sacramentum vi sua propria, naturali, interna & inhærente producere gratiam, sine ullo vel influxu ex parte Dei, vel motu fidei ac pietatis ex parte nostri. Sic ille sibi monstra fingit, ut ea facilius impugnet ac simpliciores decipiat.

Ed. Genev. 1558. p. 476.

Verùm

Verùm de hoc posteriori Novatorum errore fusiùs & professo dicemus ad tertiam hujus Tractatus Quæstionem; non desunt enim inter nostros, quibus hac in parte sententia Novatorum à Catholica, nonnisi loquendi modo, distare videtur.

Anabaptistæ definiunt Sacramenta, *allegorias seu signa quædam vitæ spiritualis, morum atque bonorum operum, quibus scilicet signis admonemur bonis operibus nos exercere.*

Zuinglius Lib. de vera & falsa Religione, docet Sacramentum nihil esse præter *initiationem quandam & oppignerationem, qua Christo se homines obligant, atque ejus militia nomen dant.*

Omnes illæ definitiones hoc habent commune vitium, quòd nullam in Sacramento vim ad sanctificationem hominis efficiendam agnoscant; quam agnosci debere, ex professo Quæstione 3. hujus Tractatus demonstrabimus.

Definitio Sacramenti apud Catholicos.

Multæ passim apud Scholæ Magistros leguntur Sacramenti definitiones, quæ tametsi nonnullis verbis discrepent, & aliæ minus, aliæ vero magis evolutæ sint & explicatæ, unum tamen habent eumque orthodoxum sensum.

Magister Sententiarum Lib. 4. dist. tres proponit Sacramenti definitiones.

Prima hæc est: *Sacramentum est sacræ rei signum.* Verùm rectè observat Hugo Victorinus Lib. 1. de Sacramentis parte 9. cap. 2. illam non tam definitionem esse, quàm nominis interpretationem, quæ latiùs patet quàm res definita: siquidem multa sunt rei sacræ signa, quæ non sunt vera Sacramenta, quales fuère omnes veteris Testamenti figuræ.

Altera definitio hæc est: *Sacramentum est invisibilis gratiæ visibilis forma.*

Verùm strictior videtur hæc definitio, nec satis adæquata; cùm ea duntaxat signa comprehendat, quæ interiorem gratiam significant, sive eam efficiant, sive non.

Denique Sacramentum definit, *id quod ita signum est gratiæ Dei, & invisibilis gratiæ forma, ut ipsius imaginem gerat, & causa existat.*

Verum hæc quoque definitio satis adæquata non videtur, quandoquidem soli novæ Legis Sacramentis competit; hic verò definitionem quærimus, generalem & adæquatam, quæ possit omni vero Sacramento adaptari.

Edit. Mogun. T. 3. p. 405. F. Hugo Victorinus loco jam citato Sacramentum definit, *corporale vel materiale elementum foris sensibiliter propositum, ex similitudine repræsentans, & ex institutione significans, & ex sanctificatione continens aliquam invisibilem & spiritualem gratiam.*

At descriptio potius hæc esse videtur quàm accurata Sacramenti definitio, nec omnibus, sed solis Christi Sacramentis congruit.

Catechismus Concilii Tridentini parte 2. duas exponit, quæ in eundem sensum recidunt.

Primam n. 5. his verbis: *Sacramentum est invisibilis gratiæ visibile signum ad nostram justificationem institutum.* Quæ definitio ex Conc. Trid. sess. 13. c. 3 excerpta videtur.

Alteram nu. 10. his verbis: *Sacramentum est res sensibus subjecta, quæ ex Dei institutione sanctitatis & justitiæ tum significandæ, tum efficiendæ vim habet.* Prior definitio optima quidem ac tenenda, cùm de Sacramentis novæ Legis definiendis agitur; posterior vero, cum de Sacramento generatim sumpto.

Dicitur autem 1. res sensibus subjecta, seu signum quoddam sensibile; quo nomine genus Sacramenti aperitur: per res autem sensibiles, non tantum intelligimus elementum seu substantiam quandam externam, v. g. aquam in Baptismo, oleum in Confirmatione &c. sed etiam sensibiles & externas actiones, seu Ministri conficientis, seu hominis recipientis Sacramentum, quales, sunt v. g. in Sacramento Pœnitentiæ, contritio & confessio ex parte pœnitentis; & absolutio ex parte Sacerdotis.

Dicitur 2. *Quæ ex Dei institutione vim habet*, quia nempe signum illud sensibile sacrum, non habet ex se propriaque sua natura, sed ex voluntate Dei instituentis, quod rem sacram & religiosam significet.

Dicitur 3. *Quæ vim habet significandæ & efficiendæ sanctitatis & justitiæ*: quæ verba differentiam specificam signi sacramentalis ab aliis, exprimunt. Sacramenti etenim proprium istud est ac singulare, ut sanctitatem aliquam & justitiam significet & conferat, sive ea exterior dumtaxat sit ac legalis, qualis à Sacramentis veteribus conferebatur; sive interior ac spiritualis, quæ Sacramentorum novæ Legis propria est.

Dices 1. Definitio accurata non est quæ non convenit soli definito; atqui talis est adducta modo definitio Sacramenti; convenit enim ipsi etiam Sacrificio, quod certè signum est rei sacræ seu sanctitatis ac justitiæ quam impetrat & producit.

Resp. nego min. Ad probationem dico, Sacrificium & Sacramentum convenire quidem in ratione signi sacri, tam ex parte cæremoniæ, quia utrumque debet esse cæremonia religiosa, quàm ex parte rei significatæ, quia in utroque debet esse res sacra; differre tamen in eo maximè, quod Sacrificium primariò & immediatè referatur ad cultum Dei, ob testimonium quod continet, supremi ipsius in res omnes dominii; Sacramentum vero primario ac immediatè tendat ac referatur ad sanctificationem hominis & significandam & efficiendam: unde fit ut Sacrificium consistat in actione aliqua seu oblatione quæ ad Deum refertur, & ut non tantum offerentibus, sed etiam aliis prodesse possit; Sacramentum vero in receptione seu quasi passione, quæ in homine aliquo modo recipitur, & ipsi soli recipienti prodest. Altera discriminis ratio est, quod Sacrificium non prosit v. gr. defunctis in Purgatorio detentis, ex operato ac per modum Sacramenti, sed ex opere operantis, pro conditione scilicet ac mensura bonorum operum, quæ illi, dum viverent, fecerunt. *Neque enim*, ait sanctus Augustinus, *mortuis nova merita comparantur, sed eorum præcedentibus consequentia ista redduntur. Hoc quippe meritum*, pergit idem sanctus Doctor, *sibi quisque cum in corpore viveret, comparavit, ut ei possent ista* (vivorum suffragia) *prodesse.* Vide quæ eam in rem diximus Tractatu 1. de Attributis p. g. 605. & seq. Sacrificium igitur ex intrinseca sua & formali ratione hoc unum exigit, ut directè ac primario publica sit protestatio excellentiæ Dei ac supremi ejus in res omnes dominii, secundario autem ut à Deo nova quædam beneficia impetret; Sacramenti verò natura est, ut primario ac directè, gratiam, quam significat, operetur. Serm. 172. aliàs 32 de verbis Apostoli n. 2. T. 5. p. 8. 8. Enchirid. c. 110. T. 6. p. 238.

Dices 2. Multa tum in veteri, tum in nova Lege occurrunt signa rei sacræ, quæ inter vera Sacramenta recenseri non possunt. Sic transitus maris rubri significavit sanctitatem per Baptismum conferendam; manna panis significavit sanctitatem dandam per Eucharistiam. Omnes denique veteres cæremoniæ, figuræ quædam erant eorum omnium quæ in nova Lege adimpleri debebant, nec tamen hæc omnia inter vetera Sacramenta recensenda sunt. Apud nos pariter multa sunt signa rei sacræ, & quidem suo modo efficacia, quæ tamen pro veris non habentur Sacramentis: talia sunt omnia Sacramentalia, seu ritus & cæremoniæ Sacramentorum: talis aquæ lustralis seu benedictæ consecratio, ejusque usus quo peccata

venialia dimitti, dæmones morbique expelli ac fugari dicuntur; tale signum crucis; tale martyrium infantium ab Herode occisorum, quod quidem ex opere etiam operato ipsis ad salutem profuit; talis denique lotio pedum, & alia innumera quæ ad Christianam humilitatem ac varia pietatis officia significanda & promovenda usurpata fuêre.

Resp. Cùm Sacramentum signum sit rei sacræ non cujuscumque, sed sacrantis seu initiantis & sanctificantis hominem, à numero Sacramentorum excludi debent quæcunque signa rei sacræ simpliciter speculativa, non practica & efficacia; atque ita nec transitus maris rubri, nec manna, nec serpens æneus, nec alia hujuscemodi benè multa, veri nominis Sacramenta fuêre apud Judæos; quia etsi rem aliquam spiritalem futurem designarent, tamen vel non erant stabiles cæremoniæ sacræ ab ipso Deo institutæ, vel steriles omnino erant & otiosæ, quæ nullam nequidem legalem & externam sanctitatem operantur.

In nova pariter Lege, illud dumtaxat signum sacrum pro vero Sacramento haberi debet, quod gratiam ex sese seu ex opere operato producit: quapropter Sacramentali, seu ritus Sacramentorum, vera non sunt Sacramenta, quia ex pietata dumtaxat, seu ex opere operantis, vim aliquam exerera pollunt, non ex seipsis; sunt etenim isthæc omnia instituta ab Ecclesia, quæ potestatem non habet signa instituendi, quibus gratia certo & efficaciter conferatur. Aqua igitur benedicta, si vim habeat dimittendi peccata venialia, hanc profecto non habet, nisi per modum impetrationis & suffragii totius Ecclesiæ, & propter affectum pietatis & religionis in ea usurpanda, non vero ex ipsius usu physico & materiali: ad morbos pariter & dæmones pellendos ut valeat, Ecclesia deprecatur; at vim illam certo & infallibiliter annexam non habet; dici etiam possunt per illius aquæ religiosum usum spiritaliter fugari dæmones, quando tollitur aut minuitur in nobis, id per quod dæmones nos sibi obnoxios & quasi mancipatos tenent, id est peccatum; quod, ut diximus, non per aquæ illius aspersionem præcisè, sed per orationes Ecclesiæ, aut pietatem hominis, Deo condonante, dimittitur. S. Thomas 3. p. q. 60. art 2. ad 3. solvens hanc objectionem ductam ex aspersione aquæ benedictæ, distinguit inter dispositionem ad sanctitatem, & sanctitatem ipsam; vultque aspersionem aquæ benedictæ esse dispositionem dumtaxat ad sanctitatem, non vero operari sanctitatem, adeoque non esse Sacramentum. *Dicendum*, inquit, *quòd res denominatur à fine & complemento: dispositio autem non est finis neque perfectio. Et ideo quæ significant dispositionem ad sanctitatem, non dicuntur Sacramenta, (de quibus procedit objectio) sed solùm ea quæ significant perfectionem sanctitatis humanæ.* Signum crucis eodem modo efficax est, non ex sese, sed ex pietate ac religione illius qui se aut res alias signat. Martyrium vero Innocentium verum non fuit Sacramentum, etsi ex opere operato ipsis ad salutem profuerit, quia nempe Sacramentum ritus est exterior à Christo Domino institutus in Religione constans ac perpetuus; at martyrium est à dæmone ejusque ministris in odium Christi ac Christianæ Religionis, neque signum est stabile ordinarium ac perpetuum in Ecclesia ad gratiam conferendam, ut per se patet. Denique, lotio pedum documentum quidem fuit humilitatis, at non verum sanctitatis efficiendæ Sacramentum.

ARTICULUS II.

De genere Sacramenti.

An & quale sit signum.

Placet Lutheranis genus Sacramenti actionem potius esse, quàm signum: ratio ipsis est, quia Sacramentum verum esse non potest extra usum. Calvinistæ licet in usu pariter & actionibus Sacramentum reponant, satius tamen esse ducunt Sacramentum ad signum velut ad genus suum revocare ac referre. Verum confundunt illi Hæretici externas Sacramenti causas cum internis; actiones quidem necessarias esse ut perficiatur Sacramentum, omnes fatentur; sed actiones illæ sunt dumtaxat causæ externæ conficientes Sacramentum, usus vero conditio est necessaria: nos vero hic loquimur de causis internis Sacramenti. Ad hanc sententiam Novatores maximè adduxit error alius quo circa Eucharistiam laborant, quam quidem in solo usu, non vero in re permanenti positam esse contendunt.

Orthodoxi Theologi communi suffragio docent signum esse genus Sacramenti, seu Sacramentum esse in genere signi. Signum autem definitur à S. Augustino Lib. 2. de doctrina Christiana c. 1. *Res, quæ* T. 3. a. v. *præter speciem quam ingerit sensibus, aliud aliquid* p. 19. B. *facit in cognitionem venire.*

CONCLUSIO.

Sacramentum est in genere signi.

Probatur: Quia omne Sacramentum est cæremonia seu ritus quidam exterior sacer ac religiosus à Deo institutus, & significat rem aliquam sacram & religiosam pertinentem ad cultum Dei & sanctificationem hominis. Ita Circumcisio Gen. 17. v. 11. dicitur *signum fœderis* Deum inter & Abrahamum. Et Rom. 4. v. 11. dicitur *signaculum justitiæ fidei*. Et cap. 6. v. 3. idem Apostolus de Baptismo loquens, ait: *Quicunque baptisati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptisati sumus &c.* Quia nempe Baptismus figura est, signum ac symbolum mortis & resurrectionis Christi. De Eucharistia 1. Corinth. 11. v. 26. idem Apostolus ait: *Quotiescunque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis*: quia nempe Eucharistia in signum & memoriam passionis Christi est instituta. Ephes. 5. v. 32. unio conjugalis viri & mulieris dicitur Sacramentum seu signum ac symbolum unionis Christi cum Ecclesia.

Ratio est, quia illud est genus respectu Sacramenti, quod de multis rebus sacris & Sacramentis specie distinctis prædicatur: atqui esse signum & quidem sacrum prædicatur de multis rebus sacris & Sacramentis specie distinctis: figuræ enim veteris Testamenti, sicut & omnia illius ævi Sacramenta vera erant signa rei alicujus sacræ, & quidem specie distincta à Sacramentis Legis Evangelicæ, ergo &c.

Quæres 1. quale signum sit Sacramentum.

Resp. 1. esse signum exterius ac sensibus subjectum; quia est symbolum distinctionis & Religionis. *In nullum enim nomen Religionis, seu verum,* T. 8. p. *seu falsum*, ait sanctus Augustinus Lib. 19. contra 319. E. Faustum cap. 11. *coagulari homines possunt, nisi aliquo signaculorum aut Sacramentorum visibilium consortio colligentur.*

II. Esse signum rei sacræ, non cujuslibet, sed sacrantis seu activè initiantis hominem; qua discriminis ratione verum Sacramentum distinguitur ab alio quocunque signo sacro.

III. Esse

III. esse signum non naturale, sed ex instituto, cujus tota vis & efficacia pendet à libera Dei instituentis voluntate.

IV. esse signum fixum ac in Religione perpetuum, cujus non alius futurus est finis, quam qui & Religionis. Unde Gen. 17. & Exodi 12. ritus Circumcisionis & Agni Paschalis dicitur *fœdere & cultu sempiterno* observandus: & Eucharistia 1. Corinth. 11. v. 26. celebranda dicitur in memoriam Christi, *donec ipse veniat*. Id est, ad finem usquè mundi.

V. esse signum quandam habens cum re significata proportionem seu analogiam. *Si enim Sacramenta*, inquit S. Augustinus Epistola jam citata ad Bonifacium 98. alias 23. *quandam similitudinem earum rerum, quarum Sacramenta sunt, non haberent, omnino Sacramenta non essent.* Sic v. g. ablutio externa in Baptismo, rectè significat & exprimit internam animæ à peccatorum sordibus munditiem.

VI. denique, esse signum efficax & practicum sanctitatis quam efficit, sive externa illa sit ac legalis, sive interna & vera animæ justitia, sicut jam exposuimus.

Quæres 2. quarum rerum signa sint Sacramenta.

Resp. per signum sacramentale significari 1. gratiam significantem, vel futuram, qualem vetera, vel præsentem, qualem nova Sacramenta exhibent ac significant. 2. Passionem & mortem Christi, quæ est causa gratiæ, & vel futura, vel præterita repræsentatur. 3. Vitam æternam, quæ est effectus gratiæ, & ut futura præfigurantur. Tria hæc in aliquibus novæ Legis Sacramentis, v. g. Baptismo & Eucharistia, distinctè significantur; in aliis vero impliciter saltem ac confuse. De Baptismo sanctus Paulus Rom. 6. v. 3. ait: *An ignoratis quia quicumque baptisati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptisati sumus? consepulti enim sumus cum illo per Baptismum in mortem.* De gratia vero Baptismali ibid. v. 7. ait: *Qui mortuus est, justificatus est a peccato.* Et Act. 22. v. 16. *Baptisare, & ablue peccata tua.* Denique de vita æterna idem Apostolus citato c. 6. ad Rom. v. 5. ait: *Si enim complantati facti sumus similitudini mortis ejus, simul & resurrectionis erimus.* Eadem in Eucharistia exprimi ostendunt quæ canit Ecclesia in solemni ejus Officio. *O sacrum convivium*, exclamat, *in quo Christus sumitur; recolitur memoria passionis ejus, mens impletur gratia, & futura gloria nobis pignus datur.*

Sacramentum proprie dicitur, S. Th. 3. p. q. 60. art. 3. in corp. *quod ordinatur ad significandam nostram sanctificationem, in qua tria possunt considerari, videlicet ipsa causa sanctificationis nostra, qua est passio Christi, & forma nostra sanctificationis, qua consistit in gratia & virtutibus, & ultimus finis sanctificationis nostra, qui est vita æterna. Unde Sacramentum est signum rememorativum ejus quod præcessit scilicet passionis Christi; & demonstrativum ejus quod in nobis efficitur per Christi passionem, scilicet gratiæ; & prognosticum, id est, prænuntiativum futuræ gloriæ.*

Præterea per Sacramenta nostri admonemur officii, tum erga Deum, tum erga proximum. Erga Deum, ut memores accepti beneficii ulterius non peccemus. Rom. 6. v. 4. *Consepulti enim sumus cum illo per Baptismum in mortem; ut quomodo Christus surrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos novitate vitæ ambulemus.* Erga proximum vero admonemur mutuæ charitatis servandæ, quia omnes fratres sumus & unius Capitis Christi membra; 1. Cor. 12. v. 13. *In uno spiritu omnes nos in unum corpus baptisati sumus.* Inter hæc omnia gratia sanctificans est principale significatum signi sacramentalis, quam nempe significando producit.

ARTICULUS III.

De Differentia Sacramenti.

An debeat esse signum efficax, seu alicujus sanctitatis effectivum.

QUæstio non vertitur, an Sacramentum semper in usu sanctitatem operetur: fieri enim potest ut per accidens, propter malam recipientis dispositionem, suum non consequatur effectum.

Quæstio pariter non est, utrum omne Sacramentum sanctitatem spiritualem & interiorem operetur: nobis quippe certum est, quod postea demonstrabimus, vetera Sacramenta vim talem non habuisse.

Quæstio igitur est, utrum Sacramentum in genere, prout abstrahit à veteribus & novis, aliquam sanctitatem, seu exteriorem & legalem, seu spiritualem & internam, ex se producere valeat, ita ut ex sua institutione sit signum efficax & practicum.

Circa quam quæstionem varie opinantur Scholæ Theologi.

Sunt qui existimant esse de ratione veri Sacramenti, ut veram & internam animæ sanctitatem significet & conferat; atque inter illos aliqui ideirco negant vetera Sacramenta propria & vera fuisse, ac cum nostris univoce convenire, quod veram & internam illam gratiam non efficerent. Ita Magister Sententiarum Lib. 4. dist. 1. Alii è contra, & vere ac proprie illa Sacramenta fuisse, ac spiritualem gratiam contulisse docent. Ita sentire videntur Hugo Victorinus Lib. 1. de Sacramentis p. 9. c. 1. S. Bonaventura in 4. dist. 1. art. 1. quæst. 5.

Sunt qui volunt ad rationem Sacramenti dumtaxat pertinere, ut significet veram internam animæ sanctitatem, sive futuram & per Christum dandam, sive præsentem; non vero ut aliquam reipsa sanctitatem conferat sive perfectam sive imperfectam. Videtur hæc communis esse discipulorum S. Thomæ opinio.

Sunt denique qui putant, esse de ratione essentiali Sacramenti, ut aliquam operetur sanctitatem, aut veram & internam, aut legalem & externam: internam vero necessario significet.

CONCLUSIO.

Differentia specifica Sacramenti in eo est, ut significet & conferat aliquam sanctitatem; adeoque ut sit signum efficax, practicum & operativum.

Probatur: quia differentia specifica Sacramenti in eo reponenda est, per quod verum Sacramentum constituitur, ac distinguitur ab aliis signis sacris quæ non sunt veri nominis Sacramenta: atqui per hoc maxime verum Sacramentum constituitur, ac distinguitur ab aliis signis sacris quæ veri nominis Sacramenta non sunt, quod aliquam sanctitatem naturæ suæ proportionatam efficiat, hoc est, vel externam & legalem, si sit veteris Legis Sacramentum, vel internam ac spiritualem, si sit Sacramentum Legis Evangelicæ.

Sacramenta etenim vetera quamdam legalem ac externam sanctitatem contulisse, res est per se manifesta. De Sacerdotibus veteribus Exodi 28. v. 41. dicitur: *Cunctorum consecrabis manus, sanctificabisque illos, ut Sacerdotio fungantur mihi.* Lev. 8. v. 11. Aaron à Moyse consecratur per infusionem olei; & Apostolus generatim de omnibus veteris Legis cæremoniis, Hebr. 9. v. 9. pronuntiat, eas valuisse *solummodo in cibis, & in potibus & variis baptismatibus & justitiis carnis.* Et v. 13. *Sanguis*, inquit, *hircorum & taurorum, & cinis vitulæ aspersus, inquinatos sanctificat ad emundationem carnis.*

Quanta verò sit Sacramentorum Legis Evangelii ex virtus & efficacia, inferius ex professo demonstrabimus: sufficiat jam vel hoc unum Apostoli testimonium de Baptismo, ad Titum 3. v. 5. *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus sancti, quem effudit in nos abunde per Jesum Christum Salvatorem nostrum.*

Et verò Sacramentum omne ex sese cæremonia quædam est sacra, initians seu consecrans & deputans homines ad cultum Dei. Ita olim Circumcisio hominem Deo quodammodo consecrabat, sicut jam Baptismus; & sicut Baptismus janua est & introitus ad Religionem Christi, ita olim & Circumcisio ad Religionem Moysis: unde universæ Legis debitor erat quicunque circumcisus fuerat; quemadmodum & Christianæ Legis præceptis obstrictus tenetur, qui per Baptismum Christo nomen suum dedit & obligavit.

Ex dictis hactenus nascitur inter Scholasticos controversia, utrum scilicet definitio Sacramenti superiùs adducta univoce conveniat omnibus tum veteris tum novæ Legis Sacramentis. Affirmant qui censent ad hoc satis esse, quod vetera Sacramenta internam ac spiritualem sanctitatem per Christum nobis dandam significaverint, externam vero aliquam & legalem contulerint: negant vero: qui existimant tantum differre Sacramenta vetera à ratione veri & propriè dicti Sacramenti, quantum differt sanctitas legalis & externa ab interna & spirituali. Cùm autem hæc analogicè tantùm cum illa conveniat, idcirco asserunt vetera Sacramenta analogicè dumtaxat convenire cum Sacramentis Evangelicis: quæ certè controversia, cùm fidem non spectet, tanti non videtur, ut in ea immorari diutiùs necesse sit.

Hactenus de partibus Sacramenti logice spectatis, genere scilicet & differentia; nunc de partibus ejusdem physicis, materia scilicet & forma disserendum.

ARTICULUS IV.

De materia & forma Sacramenti.

Circa materiam & formam Sacramenti universim considerati, hæc sunt exponenda capita.

I. Quid per materiam & formam Sacramenti Theologi intelligant?

II. An quodlibet Sacramentum necessario constare debeat rebus tanquam materia, & verbis tanquam forma?

III. An materiæ & formæ Sacramentorum sint à Christo Domino fixæ & determinatæ?

IV. An & quæ mutatio, sive in materia, sive in forma, Sacramentum irritum faciat?

V. Qualia sint Sacramentorum verba, an promissoria, an concionalia, an consecratoria?

VI. Denique, quotuplex generatim sit forma Sacramentorum: an ea quæ conditionalis dicitur, semper in usu fuerit, & quibus in casibus usurpanda?

Quid per materiam & formam Sacramenti Theologi intelligant.

Apud veteres Ecclesiæ Scriptores, Sacramentorum partes, quas nos materiam & formam appellamus, simpliciter res Sacramentorum dicebantur. Ita Tertullianus Lib. de Præscriptionibus cap. 40. ait dæmonem in suis idolorum mysteriis *res Sacramentorum divinorum* æmulari. (P.216.D.) Dicebantur etiam communiter, mystica symbola, sacra signa, Religionis initia seu initiationes, & Sacramenta. Paulò distinctiùs aliquando designabantur per elementum & verbum; quo sensu de Baptismo dicebat S. Augustinus Tract. 80. in Joan. n. 3. *Accedit verbum ad elementum & fit Sacramentum.* (T. 3. p. 2. p. 603. C.)

Reipsa quidem formam Baptismatis ab illis aliquando dictam legimus; at non eo profecto sensu, qui è Schola Peripatetica subinde manavit; per formam enim, non partem aliquam, sed totum Baptismatis ritum, ipsos etiam exorcismos cæterasque cæremonias intelligunt, ex quibus sanctus Augustinus Lib. 1. de peccatorum meritis & remissione cap. 34. (T. 10. p. 55. & 56.) & Patres Milevitani Concilii, quos inter se erat sanctus ille Doctor anno 402. demonstrabant adversus Pelagianos efficaciam Baptismi, & existentiam peccati originalis. (Tom. 2. Conc. p. 1663. A.) Si enim nullum est in parvulo qui baptisatur peccatum, arguebant illi, necesse est formam Baptismatis in remissionem peccatorum, non veram sed falsam esse. (Tom. 14. Conc. p. 752 D) Simili argumento adversùs Novatores utitur Concilium Tridentinum sess. 5. in Decreto de peccato originali, verba Concilii Milevitani sua faciens.

Methodus igitur explicandi partes Sacramentorum per materiam & formam, ante exortam Scholasticam Theologiam incognita fuit. E placitis Philosophiæ Peripateticæ, quibus imbuti jam tum & innutriti erant Scholastici, fluxit ad Scholas Theologorum; quamquam non statim Scholas omnes occupaverit: quippe centum jam annis integris obtinuerat Philosophia Peripatetica, priusquam methodus hæc à Theologis usurpata fuerit. Nihil de ea veteres Scholæ Magistri, ne ipse quidem Petrus Lombardus, Magister Sententiarum dictus, nec Hugo Victorinus. (Petrus Lombardus obiit anno 174. Hugo Victorinus obiit anno 1140.) Licet enim isti interdum aut formam, aut materiam Baptismi nominent, non tamen Philosophorum sensu: neque enim de forma, per ordinem ad materiam, aut de materia, per ordinem ad formam, locuti videntur; sed per materiam, totum sensibile quo constat Sacramentum; per formam vero, Jurisconsultorum more, certas verborum formulas seu conceptiones intelligebant, quas & Judices in formula Judiciorum, & Ministri Ecclesiastici in administratione Sacramentorum observare tenerentur.

Primus itaque inter Scholasticos Sacramenta per materiam & formam distinctè exposuit Gulielmus Antissiodorensis in sua Summa Theologica an. 1215. Ab eo vero tempore summo consensu methodus hæc recepta fuit, publico etiam Ecclesiæ usu consecrata, tum in Decreto Eugenii IV. ubi dicitur: *Omnia Sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, & persona Ministri conferentis Sacramentum cum intentione faciendi quod facit Ecclesia. Quorum si aliquod desit, non perficitur Sacramentum.* (Tom. 13. Conc. p. 535. A.) Tum in Conc. Trid. sess. 14. cap. 3. ubi tres actus pœnitentis, nempe contritio, confessio & satisfactio appellantur *quasi materia*, & verba absolutionis, *forma* Sacramenti Pœnitentiæ. (Tom. 14. Conc. p. 817. A.) Observa particulas istas, *tanquam*, &, *quasi*, quibus certè innuitur, materiæ & formæ vocabula, cum ad rem sacramentariam transferuntur, non proprio ac physico sensu, sed metaphorico & improprio usurpari: neque enim Sacramentum hîc spectatur, ut est totum quoddam physicum, sed morale dumtaxat constans ex partibus à Christo Domino destinatis ad significandam & producendam in nobis gratiam sanctificantem.

Ex analogia vero quæ est inter totum Sacramentale, & totum physicum, fluxit methodus exponendi partes Sacramentorum per materiam & formam. Sicut enim in composito physico materia præcedit, forma accedit; ita in Sacramento accedit verbum ad elementum. Pariter, sicut in toto physico materia ex se indifferens est & indeterminata ad hoc vel

illud

illud compositum, determinatur autem & contrahitur per formam; ita in Sacramento verbum determinat indifferentiam elementi. *Detrahe verbum*, ait sanctus Augustinus Tract. 80. in Joan. num. 3. *quid est aqua, nisi aqua? Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum.* Denique, ut in composito physico materia est imperfecta, forma vero perfecta, & rem ipsam constituit; ita in Sacramento verba sunt rebus perfectiora, & apertius significant. In Baptismo v. g. aqua quæ refrigerandi perinde ac abluendi vim habet, accedente verbo vitæ, ad interiorem animæ mundationem significandam coarctatur, Ephes. 5. v. 25. & 26. Christus *dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquæ in verbo vitæ. Dicendum*, ait sanctus Thomas 3. part. q. 60. art. 7. in corp. *quod in Sacramentis verba se habent per modum formæ, res autem sensibiles per modum materiæ. In omnibus autem compositis ex materia & forma, principium determinationis est ex parte formæ, quæ est quodammodo finis & terminus materiæ; & ideo principalius requiritur ad esse rei determinata forma, quam determinata materia; materia enim determinata requiritur, ut sit proportionata determinatæ formæ. Cum igitur in Sacramentis requirantur determinatæ res sensibiles quæ se habent in Sacramentis sicut materia, multo magis requiritur in eis determinata forma verborum.*

2. P. T. 703.

Per materiam igitur Sacramenti, intelligitur illud omne sensibile quod magis confuse gratiam significat; sive illud sensibile sit res quædam seu substantia, qualis est aqua in Baptismo, unctio in Confirmatione, panis & vinum in consecranda Eucharistia &c. sive sit quædam actio aut ex parte ministrantis, aut ex parte suscipientis Sacramentum, qualis est manus impositio in Ministro Confirmationis & Ordinationis, & contritio, confessio, & satisfactio in pœnitente.

Per formam vero intelliguntur non tantum verba proprie dicta quæ ore proferuntur, sed id omne quod in Sacramento rem sensibilem arctius & clarius restringit ad significandam gratiam sanctificantem, sive illud verbum sit vocale, sive non: ut sunt v. g. nutus, & similia signa, quæ sanctus Augustinus Lib. 2. de Doctrina Christiana c. 3. appellat *verba visibilia*, quia nempe verborum vice funguntur, & verba possunt appellari, sumpta denominatione à nobiliori signorum genere, quod est verbum, ut docet ibidem sanctus Augustinus. Quod quidem in Sacramento Matrimonii locum habere potest, cum nempe qui contrahit matrimonium vocis usu privatus, solo nutu consensum exterius demonstrare valet, saltem in eorum opinione, qui mutuum consensum hujus Sacramenti formam esse affirmant. In Sacramento etiam Pœnitentiæ sufficit ad illius materiam, ut confessio & contritio aliquo exteriori signo seu nutu declarentur: qua propter sacramentalis absolutio impendi solet moribundo qui subita vi morbi oppressus, voce confiteri non potest, sed nutu aliquo aut gestu suum de peccatis dolorem testatur.

T. 3. p. 1. p. 20. D.

Sapienter observat Dominicus Soto in 4. dist. 1. q. 1. art. 6. *fidei esse Catholicæ, Sacramenta constare rebus & verbis, quod sine manifesta hæresi*, inquit, *negari non posset*: quod vero res materiæ, verba autem formæ nomine donentur: ex usu dumtaxat Theologorum invaluisse, à quo recedere jam non licet, cum sit totius Ecclesiæ praxi approbatus & consecratus.

Ab illo usu recedunt Novatores, qui Sacramenti formam, non in verbis ipsis, sed in virtute seu efficacia & in significatione tum rerum, tum verborum collocant. *Sacramenti materia*, ait Spalatensis Lib. 5. de Republica Christiana c. 4. n. 10. *est actio sensibilis; forma vero, vis aliquo modo producendi gratiam seu efficaciter testandi.* Ita porro sentiunt illi, quod existiment verba Sacramentorum promissionis esse ac concionis, voce destinata ad finem audientium excitandam.

Ex nostris aliqui, quamquam sensu ab errore Novatorum longe alieno, dixere totum id quod in Sacramento sensibile est, sive res sit, sive verbum esse loco materiæ, significationem vero esse loco formæ totius Sacramenti. Scilicet Sacramentum illi materialiter & subjective considerant, prout est signum quoddam totale sensibile compositum ex rebus & verbis; cum autem signi veluti forma sit ipsa significatio, inde totius Sacramenti formam in significatione positam esse dixere; non tamen negant illi quin verba ad elementum comparata, & vere consecratoria sint, & formæ rationem habeant. Audiatur eam in rem Maldonatus, de natura Sacramentorum parte 3. „Solet vulgo dici [*inquit*] Sacramentorum materiam esse res, formam verba, quod aliquo quidem "modo verum est; si vero summo agamus jure, fal- "sum. Nam quemadmodum in re artefacta materia "constat ex materia singularum partium, forma ex "formis singularum; sic in Sacramento [quod res „quædam est artificia] necesse est, ut materia totius „Sacramenti constet ex materia singularum partium, "& forma ex forma. Singulæ autem partes Sacramenti, "sunt res & verba. In rebus, id quod videtur, est ma- „teria, significatio, forma; in verbis id quod auditur, „materia, significatio, forma; Ergo in toto Sacramento, „id quod videtur & auditur simul, id est, res & verba, "materia; significatio, quæ neque videtur, neque „auditur, forma. Quo loco non comparat Maldonatus unam Sacramenti partem cum altera, sed omnes cum toto Sacramento; atque sub ea consideratione vult res & verba esse materiam, significationem vero rerum & verborum, esse formam totius Sacramenti. Idem Theologus agens de Sacramento Matrimonii q. 1. multum laborat in assignanda materia & forma hujus Sacramenti, asserit que *non ita subtiliter in Sacramentis quærendam esse materiam & formam*; ac tandem concludit, *conjunctionem & societatem externam viri & mulieris, esse materiam; significationem vero esse formam Sacramenti Matrimonii.*

Ed. Paris. 1677. p. 7. D.

Quamquam vero hæc Maldonati & aliquorum recentiorum sententia fidei Catholicæ non adversetur, emendari nihilominus debet, judice Bellarmino de Sacramentis in genere Lib. 1. c. 18. quia non licet à communi & recepto usu loquendi Ecclesiæ recedere; Ecclesia autem res Sacramentorum materiam, verba autem formam appellare consuevit.

Ed. Colon. 1615. T. 3. p. 3.

Quærunt hic nonnulli, utrum materia & forma dici possint partes componentes Sacramentum. Ratio dubitandi est, quod partes illæ simul non uniantur, sed aliquo intervallo temporis à se invicem separentur, quod maxime patet in Sacramento Eucharistiæ, quod perseverat postquam verba consecrationis effluerunt.

Verum facile reponitur, id non obstare quominus materia & forma dici possint partes componentes Sacramentum, saltem illud quod in usu & actione transeunte positum est; sufficit enim ad morale compositum, quale Sacramentum est, moralis unio partium, quæ fit, cum una & eadem judicio prudentum censetur esse moralis actio, per quam materia & forma Sacramenti adhibetur; neque vero morosius ac scrupulosius hic exigendum, ut eodem puncto mathematico temporis materia & forma simul conjungatur: moraliter istud æstimari debet, non physice aut mathematice.

Specialis porro ac propria videtur esse ratio Eucharistiæ, quæ sola habet esse permanens, etiam postquam effluxere verba consecrationis: ut conficeretur quidem necessaria sunt verba, quæ sunt veluti forma: at post consecrationem perfectam, perseverat Sacramentum, corpus scilicet & sanguis Christi sub speciebus panis & vini.

An quodlibet Sacramentum necessariò constare debeat rebus tanquam materia, & verbis tanquam forma.

Quæstio moveri potest de Sacramentis tum veteribus tum novis.

PRIMA CONCLUSIO.

Quodlibet Sacramentum seu veteris seu novæ Legis, constare necessario debet rebus aliquibus tanquam materia.

Probatur: Quia quodlibet Sacramentum est signum sensibile; ergo necesse est ut res aliquas habeat externas & sensibiles, quibus tanquam materia componatur & in sensus incurrat.

SECUNDA CONCLUSIO.

Quodlibet veteris Legis Sacramentum necessariò verbis tanquam forma non constabat.

Probatur. Quia Genes. 17. ritus Circumcisionis; Exodi 12. ritus Agni Paschalis; Levit. 8. ritus Consecrationis Pontificum ac Sacerdotum describuntur, absque ulla præscripta verborum solemnitate ac forma.

Neque obstat quod Levit. 4. 5. & 6. quædam ex mandato Dei preces adhibendæ sint in sacrificiis pro peccato. Quid enim inde? nisi hoc unum, in aliquibus cæremoniis Deum verba nonnulla observanda præscripsisse, in aliis vero non præscripsisse, pro sua voluntate; neque enim alia hic quærenda est ratio præter Dei voluntatem, quia in hujusmodi rebus, tota ratio facti est voluntas facientis. Illis vero Sacramentis quæ sine verbis perficiebantur, ipsa symboli seu signi exterioris significatio veluti formæ rationem induebat.

TERTIA CONCLUSIO.

Quodlibet Legis Evangelicæ Sacramentum necessario constat rebus tanquam materia, & verbis tanquam forma: sive rerum nomine, elementum, aut substantiam, aut actiones quasdam; & per verba, vocalia verba intelligas, aut aliquid simile ipsis æquivalens.

Probatur inductione singulorum nostrorum Sacramentorum.

Baptismi materia est aqua; forma, invocatio Sanctissimæ Trinitatis. Matth. 28. v. 19. *Docete omnes gentes, baptisantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti.*

Confirmationis materia est manus impositio & unctio; forma, oratio. Act. 8. v. 15. & 17. *Oraverunt pro eis ...., tunc imponebant manus super illos.* De unctione 2. Corinth. 1. v. 21. & 22. Apostolus ait: *Qui autem confirmat nos vobiscum in Christo, & qui unxit nos Deus; qui & signavit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus.* Quæ verba de interna unctione per gratiam multi interpretantur, rectè quidem, at non excludit Apostolus externam olei unctionem quæ interioris signum ac symbolum est: imo ad eam illum alludere eo verisimilius videtur, quod velà primis Ecclesiæ temporibus, unctionem olei in Sacramento Confirmationis usurpatam fuisse certissimis monumentis testatum habeamus; cui unctioni correspondet quædam verborum formula, quæ cum oratione integram & completam hujus Sacramenti formam perficit.

Eucharistiæ materia est panis & vinum; forma, hæc verba, *Hoc est corpus meum. Hic est calix sanguinis mei.* Matth. 26. v. 26. *Accepit panem, & benedixit ...., & ait: Hoc est corpus meum.* Et de calice; *Hic est sanguis meus, &c.*

Pœnitentiæ materia remota, sunt peccata; proxima, pœnitentis actus; contritio, confessio & satisfactio: forma vero, verba quibus Sacerdos absolvit à peccatis. Joan. 20. v. 22. & 23. *Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.* Ex quibus verbis semper intellexit Ecclesia, datam esse à Christo Sacerdotibus auctoritatem dimittendi peccata per verum ac propriè dictum Sacramentum Pœnitentiæ: quæ auctoritas exerceri non potest, nisi ex prævia pœnitentis confessione, & subsequente absolutione Sacerdotis, ut fusius suo loco ostendemus.

Unctionis extremæ materia, est olei unctio; forma, oratio. Jac. 5. v. 14. *Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Ecclesiæ; & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini.*

Ordinis materia, est manus impositio; forma, oratio. Act. 6. v. 6. de Ordinatione Diaconorum dicitur: *Hos statuerunt ante conspectum Apostolorum, & orantes imposuerunt eis manus.*

Matrimonii denique materia, rectè potest assignari aut mutua corporum traditio, aut mutuus contrahentium consensus; forma vero, aut acceptatio mutua, aut verba Sacerdotis, pro varia ea de re Theologorum opinione. Ephes. 5. v. 31. *Propter hoc relinquet homo patrem & matrem suam, & adhærebit uxori suæ; & erunt duo in carne una. Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo & in Ecclesia.*

Verum de materia & forma uniuscujusque Sacramenti commodiùs ac fusiùs, cùm de singulis disputabimus.

Conclusionem nostram confirmat Decretum Eugenii IV. jam citatum, ubi ait, *omnia Sacramenta tribus perfici, videlicet rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, & persona Ministri conferentis Sacramentum cum intentione faciendi quod facit Ecclesia; quorum si aliquod desit, non perficitur Sacramentum.* Illud vero sine quo Sacramentum perfici non potest, haud dubiè absolutè necessarium est. T. 13. Conc. p. 535. A.

Tam illud certum & exploratum omnibus Christianis semper fuit, ut dæmon divinitatis æmulator, in Sacrificiis idolorum, ac Gentilium mysteriis easdem ferè res eosdemque ritus imitatus fuerit, quos à Christianis in suorum Sacramentorum usu observari noverat. *Dæmon*, inquit sanctus Augustinus Lib. 4. de Trinitate cap. 10. *fallaciarum regnorum exercet .... & animas deceptas illusasque præcipitat. .... pollicens etiam purgationem animæ per eas, veris appellant, transfigurando se in Angelum lucis per multiformem machinationē in signis & prodigiis mendacii.* T. 8. o. 8 9. A B.

Tertullianus Lib. de Præscriptionibus c. 40. "Diaboli, *inquit*, partes sunt intervertendi veritatem, qui "ipsas quoque res Sacramentorum divinorum, idolo-"rum mysteriis æmulatur. Tingit & ipse quosdam, "utique credentes & fideles. expositionem delictorum "de lavacro repromittit; & si adhuc memini, Mithra "signat illic in frontibus milites suos: celebrat & pa-"nis oblationem, & imaginem resurrectionis inducit, "& sub gladio redimit coronam. Quid? quòd & Sum-"mum Pontificem unius nuptiis statuit? Habet & vir-"gines, habet & continentes. P. 216. D.

S. Justinus Apoc. 2. pro Christianis, refert Gentiles ad imitationem Christianorum suis in Sacrificiis panem & calicem offerre verbis *etiam quibusdam additis.* Et paulo ante narrat, quomodo

dæmones

Edit. Paris. 1615. p.98.C. P.94.E.

dæmones in abominandis Paganorum Mysteriis Christianorum Baptisma imitati fuerint. "Porrò, *inquit*, "lavationem hanc cum audissent dæmones per Prophetam promulgatam, ut & ingressuri in delubra "eorum, & accessuri ad illos, atque Libationibus & "adipis nidoribus offerendis operaturi, seipsos aquæ "aspersione lustrarent, effecerunt. Quin ut toto quoque corpore lavarentur prodeuntes, priusquam ad "templa, ubi illi collocati sunt, veniant, instinctu & "opera sua curant. Nam & illud, quod fana eorum ingredientes, calceos deponunt, & cultores eorundem "idem facere Sacerdotes jubent, per imitationem ejus "instituerunt quod Mosæ Prophetæ, quem diximus, "accidit.

P.225.D. Hoc ipsum de lustrationibus ac lotionibus Paganorum ad imitationem nostram factis, testatur Tertullianus Lib. de Baptismo c. 5. "Sed enim, *inquit*, Nationes extraneæ ab omni intellectu spiritualium potestatum eadem efficacia idolis suis subministrant: sed "viduis aquis sibi mentiuntur. Nam & sacris quibusdam per lavacrum initiantur, Isidis alicujus aut Mithræ. Ipsos etiam Deos suos lavationibus efferunt.

Quandam etiam peccatorum confessionem exigebant ab eo qui initiandus erat. Constat ex Plutarcho in Apophtegmatis, ubi narrat Antalcidam, cùm erat initiandus, à Sacerdote fuisse interrogatum, cujus maximi peccati esset sibi conscius. Notum est Neronem, post occisam matrem, ausum non fuisse accedere ad sacra Eleusinia; adeo nempe vel ipsis Gentilium animis altè insederat, nonnisi pura conscientia ad Deorum Sacra esse accedendum. Hinc solemnis illa apud ipsos formula, *Procul hinc, procul ite prophani*; qua certe agendi ratione Christianos imitabantur, apud quos severè cautum semper fuit, ne quis indignus absque prævia per Sacramentum Pœnitentiæ purgatione, ad sacram Mensam auderet accedere. *Nolite*, dicebat Christus Matth. 7. v. 6. *sanctum dare canibus.*

Quin & prævios illos instructionis ac purgationis gradus, quos & Catechumeni ante Baptismum, & pœnitentes ante absolutionem ex more Christiano percurrebant, Gentiles utcumque adumbrasse, & erga eos quos Sacris suis initiabant, observasse videntur. *In Sacris*, ait Olympiodorus in Phædone Platonis, *præcedebant publicæ purgationes; deinde has excipiebant aliæ reconditiores: post has aggregationes, tum sequebantur initiationes; ad extremum Epoptia*, id est, Sacrorum omnium plena participatio. Nihil enim aliud in Sacris ulterius erat, quàm ut fieret aliquis Epopta, id est, juxta vim nominis, testis oculatus; quia tunc aperte Mysteria contemplari licebat.

Dial. apud Pl. de anima.

P.250.A. Hoc ipsum de Valentinianis refert Tertullianus in Libro quem adversùs eos scripsit cap. 1. *Diutiùs*, inquit, *initiant, linguam consignant, cùm Epoptas ante quinquennium instituunt, ut opinionem suspendio cognitionis ædificent.*

Denique, quod Christianis solemne erat ut Mysteria sua silentio premerent, nec coram prophanis aperirent, ipsi quoque Gentiles religiosè observabant, apud quos severe puniebantur, qui non initiati se Sacris immiscere ausi fuissent. Narrat ea occasione Livius Lib. 31. duos juvenes tanquam ob infandum scelus misere trucidatos fuisse, quod cum initiati non forent, Templum Cereris per initiorum dies imprudentes cum cæteris ingressi, absurde quædam de Sacris fuissent percunctati.

Edit. Paris. 1640. p.214.B. Synesius Libro de Providentia Sect. 2. de silentio Mysteriis debito dicebat; *Tam is qui ostenderit, quàm qui viderit, in offensionem numinis incurrit. Ac Bœotorum narrationibus proditum est, cum quis Bacchi Orgya temerè irrumpens inspexerit, repentè insanire. Etenim ignoratio Sacris addit auctoritatem: propterea noctu Mysteria committuntur.*

Atque hæc, occasione rerum & verborum quibus nostra perficiuntur Sacramenta, enarranda nobis fuere, ut pateat quàm falsò Celsus apud Origenem, & alii nonnulli post ipsum affirmaverint, omnes fere Christianorum ritus à Gentibus per imitationem dimanasse: quam opinionem fusè refellit Origenes Lib. 6 contra Celsum. Imò potius Paganorum ritus ac fabulæ ex Judæorum Mysteriis ac Historiis inversis & depravatis, sacrilega æmulatione originem traxere; *Omnia enim adversùs veritatem*, verè ait Tertullianus Apolog. c. 47. *de ipsa veritate constructa sunt, operantibus æmulationem istam spiritibus erroris.* P.37.B.

An & quomodo materia & forma Sacramentorum sint à Christo Domino fixa ac determinata.

Aliquæ Sacramentorum res in Scripturis non expressæ.

Nonnulla in aliquibus Sacramentis signa seu symbola & verba usurpantur, quorum nulla exstat in Scripturis mentio; imò quæ aut Ecclesia Græca nusquam, aut Latina non semper adhibuit. V. g. nulla in Scripturis mentio unctionis Chrismatis, & istorum verborum, *Signo te signo crucis*, ubi de Sacramento Confirmationis, quod per solam manus impositionem & orationem datum ab Apostolis legimus Act. 8. Nulla pariter mentio instrumentorum, & istorum verborum, *Accipe potestatem &c.* in sacris Ministrorum Ordinationibus perficiendis: imò nullus unquam eorum usus apud Græcos; apud Latinos verò, etsi antiquus, non tamen perpetuus & uniformis fuit.

Atque hinc duplex inter Theologos nata controversia: prima, an hujuscemodi materia & forma sit Sacramento essentialis, an accidentalis dumtaxat aut integrans. Secunda, an & quomodo Christus Dominus singulorum Sacramentorum materiam & formam determinaverit. Seposita jam priori quæstione, quæ suo proprio loco servanda est, de posteriori dumtaxat hic agemus, cui prima locum & ortum dedit.

Res Sacramentorum duplici modo determinari potuerunt, in genere & specie.

Observandum autem primo, res & verba Sacramentorum duobus modis à Christo Domino determinari potuisse, in genere scilicet & in specie: in genere quidem, si tantum præscripsit assumendum esse signum aliquod exterius, aptum & idoneum ad finem instituti Sacramenti significandum; Ecclesiæ verò potestatem fecerit tale signum eligendi ac determinandi. In specie verò, si ipsemet Christus signum illud notaverit ac determinaverit, imposita lege eo semper utendi: v. g. aqua in Baptismo; pane & vino in Eucharistia: Quod de rebus seu materia Sacramentorum, idem de verbis, quæ formæ rationem habent, planè dicendum: quocunque autem modo ea per Christum determinata fuisse dixeris, quoad sensum dumtaxat ac significationem, seu, ut ajunt, formaliter, non vero quoad sonum & idioma, seu materialiter determinata sunt; quocunque enim idiomate collatus Baptismus in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, ratus ac validus est.

Materia Sacramentorum alia physica, alia moralis. Quid inter eas discriminis.

Observandum 2. Sacramentorum nostrorum materiam, aliam in re quadam seu substantia physica consistere, qualis est aqua Baptismi, oleum Confirmationis, panis & vinum Eucharistiæ &c. aliam in actione quadam morali, quales sunt actus pœnitentis in Sacramento Pœnitentiæ, qualis consensus mutuus contrahentium in Sacramento Matrimonii. Istud autem discriminis esse observant Theologi, inter materiam Sacramenti physicam, & moralem, quòd physica nullatenus pendeat à legibus Ecclesiæ, ut rata sit, ac verum efficiat Sacramentum: è contra, moralis his legibus subjaceat, ita ut si observatæ illæ non fuerint, nullum & irritum sit Sacramentum. V. gr. post receptum Decretum Concilii Tridentini

dentibus irritantis matrimonia clandestina, mutuus contrahentium consensus clanculum & contra Ecclesiæ leges datus nullus est, ac irritum fit matrimonium: non quòd mutetur materia Sacramenti à Christo instituta, sed quòd personæ inhabiles reddantur ad contrahendum.

Consentiunt omnes inter se Scholæ Magistri, Christum Dominum aliquorum Sacramentorum materiam & formam in specie assignasse ac determinasse, puta Baptismi & Eucharistiæ; cæterorum verò saltem in genere.

Duplex opinio.

Hoc unum igitur in dubium & controversiam adducitur, utrum, non tantùm in genere, sed etiam in specie singulorum omnium Sacramentorum res & verba Christus Dominus per seipsum determinaverit: affirmant aliqui, negant alii.

Qui affirmant, his ducuntur momentis.

Affirmantis momenta.

I. Quia nullum est ex septem novæ Legis Sacramentis, cujus sufficiens non occurrat in Scripturis expressa materia & forma: quod quidem, inductione facta, demonstrant locis Scripturæ Conclusione 3. præcedenti citatis. Quidquid ergo ad hanc materiam & formam ex Ecclesiæ usu aut præcepto temporis lapsu accessit, illi revocant ad partem Sacramenti accidentalem, aut integrantem, nullatenus vero ad substantialem & essentialem. Ita sentiunt de unctione Chrismatis in Confirmatione, & porrectione instrumentorum cum verbis adjunctis in sacris Ministrorum Ordinationibus.

II. Quia Christus Dominus immediatè ac per se omnia & singula Legis Evangelicæ Sacramenta instituit. Doctrinam hanc colligunt ex Conc. Trid. sess. 7. can. 1. quam nos ipsi inferiùs propugnabimus. Atqui si Ecclesiæ potestatem fecisset speciatim determinandi materiam & formam Sacramentorum, non immediatè, nec per se, sed mediate ac per Ecclesiam, ea Sacramenta instituisse dicendus foret: qui enim partes Sacramenti essentiales instituit, is certe Sacramentum ipsum instituere dicitur.

Tr. 14. Conc. p. 846. D.

III. Concilium Tridentinum sess. 21. c. 2. dicet, *hanc potestatem perpetuò in Ecclesia fuisse, ut in Sacramentorum dispensatione salva illorum substantia, ea statueret vel mutaret, quæ suscipientium utilitati, seu ipsorum Sacramentorum venerationi, pro rerum, temporum & locorum varietate magis expedire judicaret.* Opponit eo loci Concilium, substantiam Sacramentorum ritibus ac cæremoniis quæ in eorum dispensatione observantur: ritus quidem illos ab Ecclesia statui ac mutari posse, substantiam verò non posse, satis apertè declarat. Porrò si Ecclesiæ datum esset, in specie determinandi essentiales Sacramenti alicujus partes; si pro rerum, temporum ac locorum varietate, varias assumere posset, mutationi profectò subjacerent partes substantiales Sacramenti, perinde ac ritus & cæremoniæ: qua enim libertate potuisset Ecclesia hanc vel illam materiam aut formam præscribere, potuisset & mutatis circumstantiis immutare, alia subrogata in locum prioris; & ita salva semper & integra non remaneret Sacramenti substantia, contra expressam Concilii Tridentini doctrinam. Et verò, inquiunt, si porrectio instrumentorum v. gr. pertinet ad substantiam sacrarum Ordinationum, tùm hæc ab Ecclesia usurpata semper non fuerit, omnino necesse est fateri, ad substantiam sacræ Ordinationis de non novo aliquid accessisse; adeoque mutatam illam fuisse, non quidem per detractionem ritus antiqui, sed per additionem novi.

Addunt denique, esse de dignitate Sacramentorum, ut substantialis eorum ritus constans sit, perpetuus ac uniformis. talem verò esse, si in iis teponatur, rebus, quas assignat Scriptura, ubi de illis mentionem facit; secùs vero, si in iis, quas varius Ecclesiæ usus, varia disciplina diversis temporibus invexit; quæ certè, pro reverentia & obedientia quæ Ecclesiæ debetur, religiosè observari quidem debent, non ut substantiales, sed ut accidentales aut integrantes Sacramenti partes.

Opinio negans quæ ratione nitatur.

Qui ex adverso existimant; non in specie, sed in genere dumtaxat Christum Dominum aliquorum Sacramentorum res & verba determinasse, Ecclesiæ suæ data libertate ea speciatim assignandi, ii hac una maximè ratione moventur, quòd substantialis Sacramenti veritas inter tam diversam ac discrepantem Ecclesiarum praxim, aliter salvari ac vindicari non possit. Nonnulla siquidem, ut jam observavimus, in perficiendis Sacramentis usurpat Ecclesia tanquam essentialia, quorum tamen in Scripturis nulla prorsus mentio, quorum varius est in Ecclesia Græca & Latina usus, imò nec in ipsa quidem Latina semper constans ille fuit ac uniformis; talis est imprimis porrectio instrumentorum in sacris Ordinationibus, cujus nulla in Scripturis mentio, nullumque in Ecclesia vestigium deprehenditur ante decimum vel duodecimum Ecclesiæ sæculum: quomodo igitur in hac varietate stabit veritas substantialis Sacramenti, nisi dixeris, Christum Ecclesiæ permisisse, ut quas idoneas judicaret, res Sacramentorum seligeret ac determinaret?

Supponit hæc opinio & unctionem Chrismatis, & porrectionem instrumentorum ad substantiam Sacramenti Confirmationis & Ordinis pertinere; de quibus aptus non est hic dicendi locus.

Ad momenta verò prioris sententiæ reponunt.

Responsio ad momenta primæ opinionis.

I. Non omnia quæ ad Sacramenta pertinent, in Scripturis expressa esse, sed multa ex Traditione constanti & perpetua dimanasse, quæ ad substantiam Sacramentorum sunt pariter revocanda.

II. Rectè ista duo conciliari, Christum immediatè ac per se omnia Sacramenta instituisse, ac Ecclesiæ suæ potestatem fecisse nonnullorum Sacramentorum res & verba speciatim determinandi; quia ad hoc satis est quòd Christus & rebus ab Ecclesia selectis vim & efficaciam dare promiserit, & quod ipsam formalem significationem signi ab Ecclesia materialiter determinati, per seipsum instituerit: hoc est, effecerit ut tale signum, v. gr. porrectio instrumentorum, efficaciter significet spiritualem aliquam potestatem datam ei qui sacram Ordinationem percipit.

III. Respondent, salvam semper remanere Sacramenti substantiam, quæcunque sit in ritu, quo perficitur, varietas, & discrepantia, quia nempe idem semper quoad substantiam Sacramentum remanet, cùm servatur Christi institutio; servatur autem, cùm Ecclesia, pro concessa sibi libertate, juxta sponsi sui mentem assumit signum aliquod idoneum ad finem Sacramenti exprimendum: quapropter, etsi signum illud materialiter spectatum, sit diversum, formaliter tamen idem est, quod sufficit ut salva & integra remanere dicatur Sacramenti substantia.

IV. Respondent, non aliam in præsenti argumento quærendam esse congruam rationem, quàm voluntatem Christi instituentis Sacramenta, qui voluit ut Ecclesia nonnullas res & verba eorum in specie determinaret.

En momenta quibus utraque sententia innititur. Utraque suos habet Catholicos defensores, utramque probabilem judicamus: quam quisque voluerit eligat & sequatur; modo tamen expendat priùs, quam partem amplecti maluerit circa materiam & formam adæquatam & totalem tùm Confirmationis, tùm Ordinis: inde enim veluti præjudicatam & præformatam

matam habebit circa præsentem nostram quæstionem sententiam.

De his etenim solummodo duobus Sacramentis, ut jam innuimus, dubium movetur; an scilicet in Confirmatione præter manuum impositionem & orationem, unctio Chrismatis cum forma ei correspondente; & in sacra Ordinatione pariter præter impositionem manuum & orationem, porrectio instrumentorum cum verbis adjunctis, materiæ & formæ substantialis rationem habeant, an tantum accidentalis seu integrantis. Prior sententia Hæreticis in re nostra sacramentaria peccantibus pressius confutandis eo videtur aptior, quod eam dumtaxat utrique Sacramento materiam & formam assignat, de qua in Scripturis mentio habetur. Altera vero commodior vindicandæ ac simul conciliandæ in utraque Ecclesia Græca & Latina eorumdem Sacramentorum veritati; iis nimirum pro materia & forma essentiali assignatis, quæ Ecclesia longo & constanti usu adhibuit. Quæstionem hanc in suspenso Ecclesia hactenus reliquit, ac Scholæ disputationi permisit; pendente autem illo dubio, ea omnia religiose observanda quæ observat Ecclesia, & caute supplendum, si quid forte omissum fuerit.

An & quæ mutatio, sive materia, sive in forma, Sacramentum nullum & irritum efficiat.

Duplex generatim hic mutatio distinguenda: una substantialis, accidentalis altera. Qua in re generalis ac certa est regula omnem scilicet mutationem substantialem, seu materiæ, seu formæ, nullum & irritum reddere Sacramentum.

Substantialis est mutatio materiæ, cum non remanet eadem, vel quoad speciem physicam, vel quoad usum humanum & communem. Baptizet v. g. aliquis in vino, aut in aqua ex floribus expressa, aut in alio quocunque liquore qui non sit vera, naturalis & elementaris aqua, mutat speciem physicam materiæ Sacramenti Baptismatis, nec consequenter vere baptizat: pariter congelatam aquam adhibeat, aut in perficienda Eucharistia loco panis, massam non coctam, nullum etiam erit Sacramentum. Quid ita? quia recepto ac communi usu, nec aqua congelata sit lotio, nec massa nondum cocta nutritio. E contra baptizet in aqua calida vel frigida, maris vel fontis, benedicta vel non benedicta; panem azimum vel fermentatum consecret, perinde est ad veritatem substantialem Sacramenti Baptismi & Eucharistiæ, quia mutatio illa materiæ prorsus accidentalis est, quæ Sacramento non officit.

Substantialis vero est mutatio formæ, cum idem non remanet verborum sensus. Non in sono quippe, sed in sensu ac significatione potissimum vis verborum posita est; nec alia re melius Veteres æstimabant an verus, an falsus esset Baptismus datus ab Hæreticis, quam si sensum verborum Christi quibus Baptisma perficitur retinuissent, vel adulterassent.

Quæcunque autem sit mutatio, sive substantialis, sive accidentalis, caute fugienda est, quæ culpa carere non potest, & quidem gravissima, si mutatio substan-
ver. tialis fuerit. *Oportet enim*, ait sanctus Basilius Lib. de
2. p.
3. A. Spiritu sancto, c. 12. *inviolabilem manere traditionem ..... ut quidquam addere aut detrahere plane sit ab æterna vita excidere. Proinde si in Baptismo*
229. *separare Spiritum a Patre & Filio, ut periculosum est baptizanti, ita Baptismum accipienti inutile. Lex tingendi imposita est*, ait Tertull. Lib. de Baptismo c. 13. *& forma præscripta. Ite, docete nationes,*
14. *tingentes eas in nomine Patris, & Filii, & Spiritus*
ne. p.
7. E. *sancti.* Graviter etiam peccat Minister, qui non observato ritu Ecclesiæ, accidentalem invehit mutationem. *Si quis enim dixerit*, ait Conc. Trid. sess. 7. Can. 13. *receptos & approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus in solemni Sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut contemni, aut sine peccato pro libito omitti, aut in novos alios per quemcumque Ecclesiarum Pastorem mutari posse, anathema sit.*

Observant hic Theologi, mutationem facilius in verba obrepere, & quidem variis modis.

Primus est per simplicem mutationem, quæ triplex fingi potest; ratione scilicet vel idiomatis, vel synonimæ alicujus vocis, vel modi indicativi pro imperativo, aut absoluti pro deprecativo, aut vice versa.

Prior mutatio accidentalis prorsus est, ac plane indifferens ad substantiam Sacramenti: quocunque enim idiomate seu lingua perficiatur, si servatur integra Christi institutio, ratum est Sacramentum. Sensu quippe, non sono, verba sacramentalia operantur; sensus autem idem occurrit in diverso idiomate. Absit autem à publico Sacramentorum Ministro, ut in eorum administratione alio utatur sermone, quam qui publico & communi Ecclesiæ usu receptus est.

Altera mutatio quæ fit unius vocis in aliam synonimiam & ejusdem significationis, accidentalis pariter est, ut si quis v. g. diceret, *Ego te abluo, lavo, vel tingo*, loco, *Ego te baptizo*. Non ita esset, si aliud verbum substitueret aut diversæ significationis, aut non æque distinctæ & claræ ac est significatio verborum quibus Ecclesia utitur: v. g. si quis diceret, *Te mundo, purgo, vel refrigero in nomine Patris &c.* substantialis foret mutatio, quia mundatio seu purgatio peccatorum significari hoc in Sacramento debet per modum ablutionis. Si quis nomine collectivo baptizaret in nomine Trinitatis, nullus esset Baptismus, quia jussi sumus baptizare in clara & distincta invocatione Patris, & Filii, & Spiritus sancti: nomen vero collectivum Trinitatis confuse tantum & indistincte tres divinas personas exprimit.

Sapienter hic monet Dominicus Soto in 4. dist. 1. q. 1. Articulo 8. necesse esse ut significatio vocis in quam fit mutatio, publica sit & communi impositione recepta: neque enim privatorum est ad arbitrium significationem verbis imponere.

Denique mutatio verbi ratione modi indicativi vel imperativi, absoluti vel deprecativi, accidentalis pariter est, nec nocet integritati Sacramenti. Sic Latini verbo indicativo dicunt, *Ego te baptizo*: Græci autem, *Baptizatur, vel baptizetur talis.* In Sacramento etiam Pœnitentiæ, Latini verbis absolutis, Græci deprecativis utuntur: utrobique autem verus est Baptismus, vera absolutio sacramentalis, quia idem est quoad substantiam verborum sensus.

Secundus modus mutationis verborum fit per simplicem corruptionem. Talis fuit corruptio, de qua consultus olim fuit Zacharias Summus Pontifex. *Quidam scilicet Sacerdos qui latinam linguam penitus ignorabat, nesciens latine eloqui, infringens linguam dicebat: Baptiso te in nomine Patria & Filia & Spiritu sancta.* Sic baptisatos iterum baptizari jusserat Bonifacius Episcopus: Summus vero Pontifex data ad eum Epistola, quam refert Gratianus de Consecratione dist. 4. cap. *Retulerunt* 86. & extat Tom. 6. Conc. respondet: *Si ille qui baptisavit, non errorem introducens aut hæresim, sed pro sola ignorantia Romanæ locutionis infringendo linguam, ut supra fati sumus, baptisans dixisset, non possumus consentire ut denuo baptizentur.* P 1505. D.

Duo hac responsione insinuat Summus Pontifex: primum, per corruptionem in pronuncianda forma, sive sit ex ignorantia latini sermonis, sive ex vitio seu elisione linguæ, non destrui veritatem

Baptis-

Baptismatis. Quod intelligo, modò sensus verborum ex communi audientium judicio integer maneat, qualis præsumitur fuisse sensus illius Sacerdotis de quo loquitur Summus Pontifex. Si enim sensus legitimus destrueretur, quacunque tandem de causa, non perficeretur Baptismus. Alterum, per corruptionem quæ fit animo introducendi errorem vel hæresim, nullum reddi Sacramentum; istud enim contrario sensu videtur inferri ex verbis Pontificis; quippe si corruptio formæ facta sine intentione errorem introducendi non nocet substantiæ Sacramenti, à contrario nocet ubi est intentio introducendi errorem. Cujus quidem rei rationem reddit S. Thomas 3. parte q. 60. art. 8. in corpore, *Quia non videtur quod ille intendat facere id quod facit Ecclesia.* Sanctus igitur Doctor nullum tunc censet Sacramentum, non quidem ex defectu formæ, sed ex defectu intentionis debitæ in Ministro.

Suarez in 3. p. q. 60. art. 8. sect. 1. 4. & 5. Vasqu. ib. ad q. 60. ar. 8. dis. 119. c. 6. & 7. Isambertus de Sacr. in gen. ad qu. 60. disp. 7. ar 1. 2. 4. 5. & 6. To. 1. p. 134. C. D.

Atque occasione hujusce postremi capitis quod ex responso Zachariæ deducitur, prolixè disputant recentiores Scholastici, de veritate Sacramenti cujus forma eo fine corrumpitur, ut error vel hæresis inducatur: eorum sententia ad hæc capita revocari potest.

I. Nullo errore interiori, quicunque ille sit violari veritatem Sacramenti quod ritu legitimo celebratur. Ita expressè S. Augustinus Lib. 4. de Baptismo contra Donat. cap. 15. *Jam satis ostendimus*, inquit, *ad Baptismum, qui verbis Evangelicis consecratur, non pertinere cujusquam vel dantis vel accipientis errorem, sive de Patre, sive de Filio, sive de Spiritu sancto aliter sentiat, quam cœlestis doctrina insinuat.*

II. Errore, qui exteriùs manifestatur, nec invertit legitimum verborum sensum, Sacramenti substantiam non destrui, quæcunque tandem sit privata intentio Ministri pro errore inducendo. Ratio est, quia privata intentio Ministri nocere non potest generali Ecclesiæ intentioni, per quam ille præsumitur velle facere id quod facit Ecclesia. Sit v. g. Græcus aliquis, qui ista Baptismi forma apud suos recepta, *Baptizatur*, vel *baptizatur talis*, eo utatur animo, ut velit modum baptizandi Latinorum invalidum esse; aut qui istis verbis Eucharisticis, *Hoc est corpus meum*, hæc addat tanquam essentialia, *quod pro vobis tradetur*; aut fermentatum panem sic adhibeat, ut declaret azymum insufficientem esse, profectò ille validè baptizat, & consecrat Eucharistiam; quia error, quo laborat, intactam & integram relinquit Sacramenti substantiam.

III. Denique, cùm ex corruptione formæ verborum sensus aut apertè corrumpitur, aut ambiguus saltem redditur, ex ipsa intentione Ministri volentis errorem vel hæresim inducere, ambiguus sensus ad perversum determinatur, & tunc judicatur esse substantialis corruptio, cum qua non stat substantia Sacramenti. v. g. baptizat quis in nomine Matris, Filii, & Spiritus sancti; corruptio est manifesta, & apertè contraria sensui verborum Christi; baptizat verò in nomine Patria, & Filia, & Spirit. sancte; sensus potest esse ambiguus. Si ex circumstantiis & judicio audientium corruptio hæc fiat ex ignorantia latini sermonis, aut elisione linguæ, mutatio est accidentalis; si verò fiat ex intentione inducendi errorem, nempe in Deo quamdam esse personam generis fœminini, filiam, non filium, corruptio essentialis est, nec potest compati cum sensu verborum quibus voluit Christus Baptismum perfici; atque hoc sensu intelligenda videtur responsio supra memorata Zachariæ: quo casu nullum est Sacramentum, non modò ex defectu debitæ intentionis Ministri, sicut innuit sanctus Thomas, sed etiam ex defectu veræ ac legitimæ significationis in forma verborum. Si quis pariter Lutheranus in consecranda Eucharistia diceret, *Hic est corpus meum*; ambiguus foret sensus. Si enim particulam, *Hic*, adverbialiter sumeret, innuens Christum hic, sicut & in cæteris aliis locis per ubiquitatem, ut ajunt, esse præsentem, non verò præsentem fieri vi pronominis demonstrativi, *Hoc*, & aliorũ verborum, profectò irrita foret consecratio, eo quòd non servaretur sensus verborum Christi; non ita si particulam, *Hic*, ex ignorantia vel lapsu linguæ, masculinum pro neutro usurpans, loco pronominis, *hoc*, pronuntiaret, nullum habens in animo perversum consilium. Ambiguus autem dictionis alicujus sensus judicatur, vel ex proprietate verborum, quæ non servatur, vel ex communi usu, à quo receditur, vel ex circumstantiis personæ seu Ministri, qui vel suspectus est, vel non.

Tertius mutationis verborum modus fit per additionem quæ sensum verborum Christi aut corrumpit, aut integrum servat. Si prius, irritum est Sacramentum; si posterius, firmum, ac ratum. In exemplum prioris additionis sit hæc forma baptizandi qua ci Eunomiani usurpabant, referente S. Epiphanio hæresi 76. *Baptizo te in nomine Dei increati, & Filii creati, & Spiritus sanctificantis à creato Filio creati.* Vel ista qua utebantur Marcitæ, teste S. Irenæo Lib. 1. cap. 21. aliàs 18. *In nomine ignoti Patris universorum, in veritate matre omnium, in eo qui in Jesum descendit, in unione ac redemptione & communione virtutum.*

Edit. Paris. 1622. T. 1. p. 922 B. Edit. nova p. 95. col. 1.

Nemo sanè hic recognoscit formam baptizandi quam Christus præscripsit Matth. 28 *Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*; quibus certè verbis exprimitur æqualitas & consubstantialitas trium divinarum personarum. Propter adulteratam istam à Paulianistis Baptismi formam, jussit Synodus Nicæna I. Generalis anno 325. Can. 19. eos, si ad Ecclesiam redirent, rebaptizari. Si quis pariter diceret, *Baptizo te in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, & beatæ Virginis*, verè non baptizaret; quia hæc additio formæ sensum adulterat, qua nempe innuitur B. Virginem in auctoritate ac potestate æqualem esse personis divinis; hoc enim importat ista formula loquendi, *In nomine &c.* qui profectò sensus à Catholica fide longè alienus est. S. Thomas 3. p. q. 60. articulo 8. in corpore ait, quòd si isthæc additio, *& B. Virginis, sic intelligatur, non quasi nomen Beatæ Virginis aliquid operetur in Baptismo, sed ut ejus intercessio prosit baptizato ad conservandam gratiam baptismalem, non tollitur perfectio Sacramenti.*

Verùm, cùm verborum significatio non pendeat à privata loquentis intentione, sed ab usu publico; atque ex usu publico baptizare in nomine *B. Virginis*, significet Baptismum auctoritate ac virtute B. Virginis collatum, consequenter nullus esset Baptismus ob corruptum exteriùs formæ sensum, quantumvis interiùs rectè ille sentiret. Sicut enim internus error mentis Sacramenti perfectionem non tollit, cùm omnia necessaria ritè observantur; ita pariter interna mentis intentio recta, non corrigit, nec tollit exteriùs formæ vitium, quod ex recepta & communi significatione essentiale seu substantiale judicatur.

Posterioris additionis exemplum est, si quis v. g. baptizaret *in nomine Patris ingeniti, Filii geniti, & Spiritus sancti procedentis*: vel *in nomine Patris omnipotentis, & Filii sapientis, & Spiritus sancti paracleti*; ille verum Sacramentum perficeret, quia ejusmodi additio non invertit substantialem verborum Christi sensum.

Quartus modus mutationis fit per detractionem alicujus verbi, quod vel necessarium judicatur ad integritatem sensus, vel non judicatur necessarium. Si prius, eo verbo detracto, nullum est Sacramentum: ut si quis baptizaret in nomine Filii & Spiritus sancti, omisso Patre, aut vice versa. Velut in consecranda Eucharistia diceret. *Corpus meum*, omisso pronomine

nomine

nomine *Hoc*, vel, *Hoc est corpus*, suppresso *meum*. Si posterius, ratum ac validum est Sacramentum; ut si quis diceret, *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*, omisso pronomine, *ego*, aut in consecrande Eucharistia diceret, *Hoc est corpus meum*, dempta particula, *enim*.

Quintus mutationis modus fit per transpositionem seu inversionem verborum, cum qua si idem substantialiter remanet sensus, valet Sacramentum; si non remanet, nullum est. V. g. si quis ita baptizaret, *Filii ego te baptizo in nomine Patris & Spiritus sancti*, invalidè prorsus baptizaret; quia hæc transpositio invertit ac perturbat sensum verborum Christi. Secus si diceret, *In nomine Filii, Patris, & Spiritus sancti ego te baptizo*; quia hæc transpositio, quamquam animo erroris alicujus inducendi facta, non mutat essentialem significationem formæ consuetæ.

Ultimus denique mutationis modus fit per interruptionem verborum, quæ si tanta esset ut communi judicio non conseretur esse una & eadem moralis actio, & interciperetur intentio pronuntiantis, haud dubiè, ait sanctus Thomas 3. parte q. 60. art. 8. ad 3. *Tollitur sensus Sacramenti, & per consequens veritas ejus.* Ut si quis v. g. post ista verba, *Ego te baptizo in nomine Patris &c.* Missam celebraret, vel Horas Canonicas recitaret, tum rediens ad prius ministerium pergeret, *& Filii & Spiritus Sancti.* Secus vero si hæc intèrruptio tanta non esset, quin moraliter eadem æstimaretur actio: neque enim physicè aut mathematicè temporis instantia numeranda sunt.

Atque isti sunt vulgares modi quibus immutari possunt verba Sacramentorum. Rectè autem hic Bellarminus, de Sacramentis in genere Lib. 1. cap. 21.
l. p. 48. "Utcunque varientur verba, *inquit*, addendo, detrahendo, mutando, transponendo, corrumpendo, interrumpendo, semper manet integritas substantialis, dum manet idem sensus: è contra minima etiam variatio destruit integritatem substantialem, si pereat sensus, . . . Accidentalis autem integritas consistit, (pergit ille) in cæteris omnibus, id est, integro sono, ordine & numero syllabarum.

Quod si in praxi dubium aliquod grave occurrat circa mutationem aliquam, an substantialis habenda sit vel accidentalis, consulendus loci Episcopus, ac legitimo perseverante dubio, Sacramentum sub conditione iterandum.

Qualia sint verba Sacramentorum: an promissionis & concionis, an consecrationis.

[In]audita Lu[theri q]uæstio.

Ante Lutherum & Calvinum inaudita prorsus fuit præsens controversia. Communi quippe ac trito usu, Sacramentorum verba vocabantur solemnia, Evangelica, divina, sacramentalia; verba invocationis, benedictionis & consecrationis. Illis primùm visum est Novatoribus, ea etiam, & quidem potissimum, nuncupare verba promissionis, concionis, prædicationis seu instructionis & doctrinæ: quæ controversia tota de nomine & appellatione videri posset, nisi certam ac necessariam connexionem haberet cum altera Novatorum sententia circa vim & efficaciam Sacramentorum. Quippe si non aliam illi agnoscunt in Sacramentis virtutem, quàm ut fidem, qua justi sumus, objectivè moveant & excitent, consequenter verba, qu[illegible] ea perficiuntur, promissionis esse, concio[illegible] prædicationis seu instructionis, affirment [illegible]st, utpote quæ eo unicè destinata sint, ut au[illegible]um fidem ac pietatem exteriùs promoveant; [illegible], ut lo-

[Co]nnexio[nem] habet [c]um alia de efficacia Sacramentorum.

472. quitur Calvinus L. 4. Instit. cap. 14. num. 4. *ut clara*

Tournelis Tom. III. P. I. *de Sacram. in Gen.*

voce à Ministro prædicato plebem eo manu ducant, quo signum tendit ac nos dirigit. Si è contra Novatores nonnisi diverso loquendi modo à Catholicis discrepant circa efficaciam Sacramentorum, sicut aliqui è nostris sentiunt, quod nos inferius expenderemus, profectò nonnisi etiam de nomine præsens æstimanda erit controversia. Quod ut apertius fiat; & termini ipsi exponendi sunt, & quid sit ex utraque parte concessum vel negatum, aperiendum.

I. Itaque verbum promissionis appellant illud, quod divinas promissiones aut expresse continet, qualia ista sunt de Baptismo, Joan. 3. v. 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in Regnum Dei.* Et ista de Eucharistia, Joan. 6. v. 54. *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis*: aut ad eas promissiones jam factas animum erigit ac revocat, qualia sunt hæc Baptismi, *Ego te baptizo in nomine Patris &c.* & ista Eucharistiæ, *Hoc est corpus meum &c.*

Quid verbum promissionis.

Verbum concionis seu instructionis & doctrinæ dicunt, quod alta intelligibili voce prolatum fidem audientium movet & excitat aut saltem ex se movere potest & excitare.

Quid verbum concionis.

Verbum denique consecrationis seu benedictionis dicitur, quod rem ab usu prophano & vulgari ad sacrum & religiosum traducit, ac sacram efficit: de quo tritum istud Augustini Tract. 80. in Joan. *Accedit verbum ad elementum & fit Sacramentum.*

Quid verbum consecrationis.

II. Aberrat Calvinus ac inverecunde Catholicis imponit, cum ait apud illos verbum consecrativum illud esse, *quod sine sensu & fide insusurratum, solo strepitu velut magica incantatione, consecrandi elementi vim habeat*, Institutionis Lib. 4. c. 14. n. 4. Apage tam crassum errorem ac tam apertam calumniam. Nullus Catholicorum ita desipuit unquam.

Calumnia Calvini circa verbum consecrationis.

Ps. 472.

III. Quamquam Novatores Sacramentorum verba promissionis ac concionis esse doceant, non tamen negent, ea vere consecratoria esse, quibus elementum ab usu profano & communi traducitur ad sacrum & religiosum. Hoc profectò vult Calvinus, cum Libro & capite mox citato n. 16. probans vim ac veritatem Sacramenti non pendere à conditione aut arbitrio illius qui vel ministrat, vel recipit Sacramentum, sic loquitur; *Consecratum verbum Domini symbolum est revera quod dicitur, vimque suam conservat.* Hoc est, verum ac ratum est Sacramentum, etiam seclusa fide vel ministrantis, vel recipientis illud. Longe apertius mentem suam ea de re explicant posteriores Calvinistæ: unum hic appellabimus Turretinum in Academia Genevensi Theologiæ Professorem, de Sacramentis q. 6. n. 2. *Facile admittimus*, inquit, *verbum sacramentale institutionis prædicatum, esse etiam consecratorium respectu signorum, quatenus per illud ab usu communi & prophano transferuntur ad usum sacrum.* Et n. 3. dilucide aperiens statum hujus nostræ quæstionis, *Hinc patet*, inquit, *status quæstionis: non, an detur verbum sacramentale consecratorium, quod non negamus: sed an ita sit consecratorium, ut sit etiam operativum, quod negamus: non, an verbum aliquod proferendum sit prædicandum, ut ab iis intelligatur quibus Sacramentum est administrandum, vel ea ratione consecratorium dici possit.* Agnoscit ergo ille, verbum sacramentale vere & esse ac dici posse consecratorium respectu signorum; tametsi & illud alta & intelligibili voce pronuntiandum esse velit, ut intelligi possit ab iis quibus Sacramentum administratur, nempe ut fidem in illis excitet.

Novatores non negant verbum sacramentale esse vere consecratorium. Calvinus. p. 476.

Turretinus

IV. Docent iidem Novatores, verbum illud conse-

secra-

Novatores docent verbum concionis non pertinere ad substantiam Sacramenti. Danæus.

secratorium, quod & concionale appellant, qua parte concionis ac doctrinæ speciem habet, non pertinere ad substantiam Sacramenti, sed ad conditionem duntaxat necessariam, ut cum fructu percipiatur Sacramentum. Ita rem explicat Lambertus Danæus ad cap. 19. Libri primi Bellarmini de Sacramentis, Controversia 3. ubi sic loquitur. *Explicatio promissionis Dei ad Sacramenti legitimam administrationem requiritur, uti ad illius participationem vera fides: neutra tamen ut pars essentialis Sacramenti; utraque tamen velut res ad verum Sacramenti usum necessaria.* Quæ doctrina fundamentum habet in quotidiana praxi & disciplina Novatorum; ratum enim illi habent Baptismum datum infantibus, qui doctrinæ & instructionis tunc sunt incapaces.

Quo recidat præsens controversia.

Tota igitur præsens controversia eo recidit, utrum verba Sacramentalia merito possint appellari verba promissionis, & concionis seu instructionis, perinde ac consecrationis; & utrum altiori voce sint pronuntianda cum administratur Sacramentum: quæ certe quæstio præcisa ab altera quæ spectat Sacramentorum efficaciam merè externam & objectivam, circa quam obscura & incerta videtur sententia Novatorum, levis videri potest ac tota ferè de nomine, de qua solliciti plurimum non sunt Orthodoxi, cum fidem in tuto esse intelligunt.

Quid Catholici Novatoribus hic concedant.

Permittent illi facilè Novatoribus, verba Sacramentalia promissionis ac concionis appellari, modò non inficientur ea quoque consecratoria esse: permittent ea dici divinarum promissionum sigilla, modo agnoscant ea esse operativa & efficacia: permittent ut doceant ea ad doctrinam audientium utcumque pertinere, valere etiam ad eorum fidem & pietatem excitandam, adeóque institutionem, vim, energiam, significationem Sacramentorum à Pastoribus etiam lingua vernacula populo explicari debere, sicut statuit Tridentina Synodus sess. 24. de Reform. cap. 7. modo credant vim & veritatem Sacramenti non pendere tanquam à vera causa, aut à concione Ministri, aut à fide audientis; hæc omnia Catholicis Novatoribus non inviti concedunt, à quibus isti multum alieni non videntur. Inde factum est, ut inter Canones tredecim quos Tridentinum Concilium sess. 7. opposuit doctrinæ Novatorum circa Sacramenta universim spectata, nullus sit qui directè ac expresse verba Sacramentorum promissoria & concionalia perstringat. Quid ita? Quia noverant Patres Tridentini, aut nullum hic specialem errorem esse, aut saltem non distinctum ab eo qui circa virtutem Sacramentorum pure objectivam & externam versatur, quem Canonibus 4. 5. 6 & 7. proscribunt. Ita Novatorum sententiam in re præsenti, nonnulli explicare & mollire conantur.

Verùm, si mens ac sententia Novatorum propiùs inspiciatur, ludere in verbo illi videntur, cum Sacramentorum verba non recusant consecratoria nuncupare. Reipsa enim non ad elementum, ut consecretur, sed ad eum qui Sacramentum percipit, ut Dei justitiam apprehendat ac sibi applicet, verba illa dirigi arbitrantur. Quod ut intelligatur, paulò altiùs res repetenda est. Scilicet docent Novatores post Calvinum, in justificatione inhærentem justitiam non infundi, qua interiùs homo renovetur, sed Christi justitiam duntaxat imputari; adeoque Sacramentum in eo duntaxat vim exercere suam, ut fidem promissionum Dei in nobis excitet, & divinam apprehendendo justitiam, eam nobis applicet; qui error aliorum omnium caput & origo est. *Hanc donationem* [peccati originalis] ait Calvinus Lib. 4. Instit. cap. 15. n. 10. *sublatam & à se depulsam esse certo per Baptismum fideles sciunt, quando Dominus hoc signo nobis pollicetur plenam solidamque remissio-* P. 484.

nem factam esse, & culpa quæ imputanda nobis erat, & pœna quæ ob culpam luenda: justitiam quoque apprehendunt, sed qualem in hac vita obtinere populus Dei potest, nempe imputatione duntaxat; quia pro justis & innocentibus eos sua misericordia Dominus habet.

Itaque in sententia Novatorum, homo qui justificatur, peccator manet & immundus, & solum habetur pro justo propter imputatam Christi justitiam, qua non obstante omnia hominis opera peccata sunt mortalia, quæ tamen homini non nocent, quia per Christi justitiam tanquam per quoddam velamen obteguntur & occultantur.

Porro ut hæc justitia Christi, qua justi censemur, nobis imputetur, & quodammodo nostra fiat, sola fide opus est quæ eam apprehendat, & quasi nobis communicet; atque hoc sensu asserunt solam fidem justificare. Hæc autem fides qua homo justificatur, est fides promissionum. Alia enim est historica, qua creduntur quæ narrantur in Scripturis; alia miraculorum, qua creditur nihil esse Deo impossibile; tertia tandem est promissionum, qua creditur veras esse Dei promissiones de gratuita peccatorum remissione per merita Christi; & hæc potissimum fides duplex est: generalis una, qua generatim creditur promissam esse remissionem peccatorum in omnibus qui in Christum credunt; specialis altera, qua unusquisque in particulari promissionem illam sibi applicat, credendo certo omnia peccata propter meritum Christi sibi esse remissa, & hac speciali fide justificatur homo, quia per eam sibi adaptat justitiam Christi.

Cum ergo in mente Novatorum sola fides unicum sit medium quo gratia homini communicatur, consequenter Sacramenta nuda sunt signa, quæ per se ac immediatè gratiam non conferunt, sed duntaxat exhibendo oculis per symbola externa promissiones Christi, excitant ac roborant promissionum fidem qua homo justificatur. Inde est quod Calvinus Sacramentum definiat vel describat, *Signum quo benevolentiæ erga nos suæ promissiones conscientiis nostris Dominus obsignat ad sustinendam fidei nostræ imbecillitatem; & nos vicissim pietatem erga eum nostram tam coram eo & Angelis, quam apud homines testamur.* Ex qua definitione intelligitur nunquam sine præeunte promissione esse Sacramentum, sed promissioni tanquam appendicem adjungi Sacramentum, eo fine ut promissionem ipsam obsignet & ratam quodammodo faciat. L. 4. Inst. cap. 14. n. 1. p. 475. Ib. n. 3.

Ex quibus omnibus inferimus, (quidquid tandem recentiores aliqui Calvinistæ ad fucum faciendum dicant) verba in Sacramentis eo duntaxat fine ab illis adhiberi, ut per ea populus edoceatur, & fides promissionum Christi excitetur signis externis quæ Christus instituit.

Catholici vero qui existimant in Sacramentis, & per Sacramenta tanquam Dei instrumenta gratiam conferri, non propter meritum conferentis, nec propter suscipientis fidem, sed vi ipsius actionis sacramentalis ad hoc à Deo institutæ, docent consequenter primò, ad essentiam Sacramenti non esse necessariam concionem, qua eorum excitetur fides, qui Sacramentum sunt percepturi: secundo, ad essentiam Sacramentorum requiri quædam verba determinata, quæ propriè consecratoria sunt, quibus elementum ad dignitatem Sacramenti elevetur.

PRIMA CONCLUSIO.

Ad essentiam Sacramenti non requiritur concio, qua exponatur Sacramentorum vel promissio, vel institutio, vel effectus.

Pro-

Probatur I. ex Scripturis quæ cùm loquuntur de Baptismo & Eucharistia nullam concionis habendæ faciunt mentionem; quinimò officia baptisandi & concionandi velut distincta exhibent. Ait quippe sanctus Paulus 1. Cor. 1. v. 17. *Non misit me Christus baptisare, sed evangelisare*: & Christus ipse describitur instituens Eucharistiam, nullo adhibito de ejus institutione sermone. Qui enim legitur cap. 13. sancti Joannis Eucharistiam non spectat.

Secundò: certum est olim Hæreticorum Baptisma, cujus integra forma servabatur, à Catholicis admissum fuisse, atque ad hoc unum eos attentos fuisse, an baptisarent in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. *Si Evangelicis verbis*, ajebat S. Augustinus, *in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, Marcion Baptismum consecrabat, integrum erat Sacramentum, quamvis ejus fides sub eisdem verbis aliud opinantis quàm Catholica veritas docet, non esset integra, sed fabulosis falsitatibus inquinata. Nam sub eisdem verbis, id est, In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, non solùm Marcion, aut Valentinus, Arius, aut Eunomius, sed ipsi carnales parvuli Ecclesiæ.... si possent singuli diligenter interrogari, tot diversitates opinionum fortassis, quot homines numerarentur.* Diversa ergo fuit expositio horumce verborum, *In nomine Patris* &c. Alio quippe sensu intelligebantur ab Arianis, alio ab Eunomianis, & alio à Valentinianis, attamen ratum & validum erat Sacramentum ab illis datum, dummodo verba hæc integra redderentur. Ergo aut dicendum est concionem præviam ad essentiam Sacramenti non pertinere, aut agnuscendam concionem hæreticam impietatis & blasphemiæ plenam, in qua perversè promissio & institutio Sacramenti exponebatur, fuisse partem essentialem Sacramenti, quod certè ferre non possurat aures Christianæ.

de … smo l. 20. 155.

Tertiò. si concio ad essentiam Sacramenti pertineret, infantes baptisandi non essent. Ad quid enim concio, ubi non est qui eam intelligat? Atqui infantes nec promissionem nec institutionem Sacramentorum intelligere possunt; ergo ad eos habenda non est concio; ergo nec baptisandi sunt, si concio ad essentiam Baptismatis pertinet. Atqui Ecclesia Catholica infantes semper baptisavit, imò & eos vel ipsi Novatores baptisant, ergo ut secum illi cohæreant, fateri debent concionem non pertinere ad essentiam Sacramentorum.

Respondet Calvinus, infantibus quidem, quo tempore baptisantur, non prodesse Baptismum cujus significationem non agnoscunt, subinde tamen profuturum. *Nihil plus in pædobaptismo*, ait Calvinus, *præsentis efficaciæ requirendum est, quàm ut fœdus cum illis à Domino percussum obfirmet & sanciat. Reliqua ejus Sacramenti significatio, quo tempore Deus ipse providerit, postea consequetur.*

Vit. 2.

Verùm, illusoria prorsus est responsio. Si enim concio est de essentia Baptismi, debet ab infantibus actu percipi, sicut aque debet actu eos attingere. Ad de plures infantes mori priusquam quidquam utilitatis ex concione consequantur.

Respondet 2. concionem, si non prosit Infantibus, prodesse saltem circumstantibus. Verùm Sacramenta non celebrantur propter circumstantes, sed ad utilitatem suscipientium. Præterea fieri potest nullum adesse præter infantem baptisandum & Ministrum baptisantem.

Dices; Matth. 28. v. 19. Christus Apostolis mandat ut gentes doceant & baptisent. *Euntes docete omnes gentes, baptisantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.* Ergo Baptismo præire debet doctrina seu concio.

Resp. Doctrinam & instructionem præmitten-dam esse, non quidem erga infantes, quibus plane inutilis est, sed ergo adultos; non ut partem essentialem Sacramenti, sed ut conditionem præviam ac necessariam ut adulti Baptismum cum fructu percipiant. Prius enim quam baptisentur, doctrina Christiana imbuendi sunt ac præformandi.

SECUNDA CONCLUSIO.

Verba Sacramentorum vere ac proprie consecratoria sunt, non promissoria, nec concionalia.

Probatur 1. auctoritate Scripturæ, ac constanti usu Scriptorum Ecclesiasticorum, à quibus verba Sacramentorum, non promissionis, nec concionis seu instructionis dicuntur. sed.

I. Benedictionis 1. Cor. 10. v. 14. *Calix benedictionis cui benedicimus nonne communicatio sanguinis Christi est?* Idem porro est apud nos verbum benedictionis, ac consecrationis.

II. Dicitur verbum invocationis. 1. Cor. 1. v. 14. *Numquid in nomine Pauli baptisati estis?* id est, invocato Pauli nomine: quo sensu Act. 22. v. 16. dicitur; *Exurge & baptisare, & ablue peccata tua, invocato nomine ipsius.*

III. Verbum vitæ. Ephes. 5. v. 26. *Mundans eam* [Ecclesiam] *lavacro aquæ verbo vitæ.*

IV. Dicitur verbum cœleste, Evangelium, Dei verbum. Sanctus Irenæus Lib. 5. c. 2. *Quando et mixtus calix & fractus panis percipit verbum Dei; fit Eucharistia corporis sanguinis Christi.* P. 194. n. 3. Ed. nova T. 2. p. 357. F.

Sanctus Ambrosius Lib. 2. de Sacramentis cap. 5. *Venit*, inquit, *Sacerdos, precem dicit ad fontem, invocat Patris nomen, præsentiam Filii & Spiritus sancti: utitur verbis cœlestibus. Cœlestia verba quæ? Christi sunt, quod baptisemus in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.*

S. Augustinus Lib. 3. de Baptismo cap. 10. *Baptismus Christi verbis Evangelicis consecratus, & per adulteros & in adulteris sanctus est.* T. 9. p. 113. A.

V. Dicitur verbum solemne ab auctore Sermonis de Baptismo, inter Opera S. Cypriani. *Verborum solemnitas*, inquit, *& sacri invocatio nominis, & signa institutionibus Apostolicis Sacerdotum ministeriis attributa, visibile celebrant Sacramentum.* Ed. Rigalt p. 320.

VI. Dicitur verbum consecrationis seu sanctificationis à sancto Ambrosio Lib. 4. de Sacramentis cap. 4. *Ubi accessit*, ait, *consecratio, de pane fit caro Christi.* Ed. nova T. 2. p. 368. C.
Ex libro de Mysteriis aliter de Initiandis cap. 3. n. 14. *Aqua sine prædicatione Dominicæ crucis ad nullos usus futuræ salutis est: cum vero salutaris fuerit crucis mysterio consecrata, tunc ad usum spiritalis lavacri & salutaris poculi temperatur.* Ib. c. 328. D.E.

A Sancto Gregorio Nysseno Oratione Catechetica cap. 37. *Dei verbo sanctificatum panem*, inquit, *in corpus Dei Verbi transmutari credo.* Ed. Paris. 1615.

A Sancto Augustino Lib. 19. contra Faustum c. 16. *Illæ syllabæ*, inquit, *celeriter sonantes & transeuntes..... nisi dicantur, non consecratur* [Baptismus.] Et Lib 6. de Baptismo c. 25. *Deus adest*, inquit, *Evangelicis verbis suis, sine quibus Baptismus consecrari non potest; & ipse sanctificat Sacramentum suum, ut homini sive ante quam baptisetur, sive cum baptisatur, sive postea quandoque ad se veraciter converso, id ipsum valeat ad salutem, quod ad perniciem, nisi converteretur, valeret.* T. 2. p. 536. C. T 8. p. 321 C T 9. p. 176. D.

VII. denique, idem S. Augustinus Tract. 80. in Joannem, unde Calvinus potissimum arguit, iis caracteribus verbum sacramentale describit, qui nullatenus in verbum concionis sed consecrationis cadere possunt. Ait nempe I. *Detrahe verbum, quid est aqua, nisi aqua?* At detracto verbo doctrinæ quo instruuntur audientes, pronuntiatis autem Evan-gelicis

T. 3.p. 1. 705. B. gelicis verbis, aqua non est aqua simplex & communis, sed sacra ad effectum plane spiritualem destinata. Ait. 2. *Accedit verbum elementum, & fit Sacramentum.* Ibid. C. At verbum concionis non dirigitur ad sudum elementum, recte autem verbum consecrationis. Ibid. Ait. 3. *Unde tanta virtus aquæ, ut corpus tangat & cor abluat, nisi faciente verbo?* Ibid. E. Et postea: *Mundatio nequaquam fluxo & labili tribueretur elemento, nisi adderetur, in verbo.* Quid vero potest verbum instructionis respectu aquæ? Ait 4. Ibid. D. *Hoc verbo, ut mundare possit, consecrari Baptismum.* Consecratur autem verbis istis Evangelicis, *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*, fatente ipsomet S. Doctore Lib. 3. contra Donat. c. 26. Ait denique, Ibid. E. « hoc verbum fidei „tantum valere in Ecclesia Dei, ut per ipsum credentem offerentem, benedicentem, tingentem, etiam tantullum, mundet infantem; quamvis nondum valentem corde credere ad justitiam, & ore confiteri ad salutem. At verbum concionis seu instructionis nihil prodest, nisi actu credatur, seu fidem excitet audientis.

Accedit totum esse S. Doctorem, ut adversus Donatistas demonstret vim ac veritatem Sacramentorum Christi non pendere ex privata conditione, fide ac pietate Ministri. To. 9. p. 113. A. *Non est aqua profana*, inquit L. 3. de Baptismo cap. 10. „ & adultera super quam Dei „nomen invocatur, etiamsi à prophanis & adulteris „invocetur .... Baptismus Christi verbis Evangelicis „consecratus, & per adulteros & in adulteris sanctus „est, quamvis illi sint impudici & immundi; quia ipsa „ejus sanctitas pollui non potest, & Sacramento suo „divina virtus assistit. Non pendet igitur, in mente sancti Augustini, vis ac veritas Sacramenti aut ex doctrina seu instructione ministrantis, aut ex fide & pietate suscipientis; adeoque ad substantiam verbi sacramentalis non pertinet, quod per modum concionis clara & alta voce prædicatum fidem in audiente moveat & excitet.

Probatur 2. Quia finis primarius, proximus & immediatus verborum sacramentalium non est ut divinas in nobis obsignent promissiones, aut fidem excitent; sed ut & symbola ipsa consecrent, & hominem divino cultui devoveant ac sanctificent.

Antecedens manifestum est, tum quia verba quibus Sacramenta perficiuntur, nullas clare & expresse continent divinas promissiones, qualia sunt ista Baptismi, *Ego te baptiso in nomine Patris &c.* Et ista Eucharistiæ, *Hoc est corpus meum &c.* quorum loco hæc potius adhibenda fuissent, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei,* Joan. 3. v. 5. &, *Nisi manducaveritis carnem filii hominis & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Ib. 6. v. 54. si verum esset verba sacramentorum primario ac immediate destinata esse ad divinas in nobis promissiones obsignandas.

Tum quia ratum ac firmum est Sacramentum Baptismatis, etsi nullam excitet in infante, qui baptisatur, fidem ac pietatem. Nec juvat reponere, Baptismum illum tunc inutilem, postea vires suas recuperaturum, cum infans in adulta ætate confirmabit quod antea nesciens susceperat. Esto, ita sit; [quod hic non expendimus] ad saltem non iteratur ejuscemodi Baptismus; ergo quoad substantiam ratus & validus fuit, quamquam sine fide datus aut susceptus.

Tum denique, quia ut Ecclesia de veritate collati Baptismatis certa & secura sit, non attendit ad fidem, doctrinam & instructionem Ministri, sed ad formam qua baptisavit; quam, si rite, ut oportet, observavit, validus; si è contra violavit & adulteravit, invalidus ac nullius judicatur Baptismus. Ita Concil. Nicænum generale primum Can. 19. Paulianistarum, & Conc. Laodicenum Can. 8. Cataphrygarum Baptismum reprobavit. E contra Conc. Arelatense I. Can. 8. admisit Baptismum datum Arianis. Unde porro discrimen istud? An ex fide & doctrina baptisantium? minimè; omnes enim illi turpiter errabant contra orthodoxam fidem; sed ex diversa baptisandi forma, quam violabant Paulianistæ, Ariani vero integram retinebant.

Probatur denique ex Concilio Tridentino. Quamvis enim, ut dictum est, nullo speciali Canone verba promissionis & concionis directè perstringat, indirectè saltem Canone 6. Sess. 7. de Sacramentis in genere comprehenduntur, quo damnantur qui dicunt, *Sacramenta novæ Legis esse tantum externa signa acceptæ per fidem gratiæ vel justitiæ.* To. 14. Conc. p. 777. A. Verba quippe promissionis ac concionis qualia Novatores admittunt, sunt tantum externa signa gratiæ seu justitiæ per fidem acceptæ; nec ad aliud ex sese valent, quam ad fidem illam movendam & excitandam. Ergo verba illa indirectè saltem Canone illo 6. damnantur.

Solvuntur Objectiones.

Objicies 1. Omne Sacramentum signum est ac symbolum rei alicujus; signi autem natura in eo est, ut in cognitionem alterius ducat; ergo essentia Sacramenti in eo consistit, ut suscipientem ducat in cognitionem alicujus rei, nempe mysteriorum Religionis, excitando scilicet in eo fidem ac pietatem per quam ad Deum erigitur. In Sacramentis verò non tantum res, sed etiam verba signi rationem habent: verba autem significare non possunt, nisi prædicata; ergo nullam vim habent, nisi in audiente fidem excitent; adeoque meritò sunt & dici possunt verba concionis seu instructionis & doctrinæ.

Resp. Distinguo ant. Omne Sacramentum est signum rei alicujus efficax & practicum, concedo; signum nudum & merè speculativum, nego. Distinguo pariter istam propositionem, signi natura in eo est, ut in cognitionem alterius ducat, signi speculativi, vel ex se ducere possit, concedo; ut actu semper ducat, nego. Itaque fallacia Objectionis propositæ in eo est, quod confundat signum practicum & operativum, cum signo merè speculativo. Equidem signum merè speculativum, nisi in cognitionem rei significatæ duxerit, inutile prorsus videtur: non ita signum practicum, quod operatur id quod significat independenter à notitia rei significatæ. Porrò ex dictis supra Art. 3. differentia specifica signi Sacramentalis est, ut efficax & practicum sanctitatis alicujus, quæ sanctitas est res principaliùs per Sacramentum significata. Revera Sacramentum nonnulla etiam speculativè significat, quæ non operatur: ita Baptismus repræsentat mortem ac resurrectionem Christi; Eucharistia pariter in memoriam ejusdem mortis celebratur. Ad id quod præcipuè significat, hæc ipsa res est quam efficit, gratiam scilicet & caracterem.

Instabis 1. Apostolus Rom. 4 v. 11. loquens de Abrahamo, ait, *eum accepisse signum Circumcisionis, signaculum justitiæ fidei quæ est in præputio*; at circumcisio non fuit signum practicum seu operativum justitiæ fidei.

Resp. Quidquid sit de virtute & efficacia Circumcisionis quoad internam animæ justitiam, de qua proprius erit infra disserendi locus, saltem legalem aliquam & externam sanctitatem illa conferebat: siquidem Judæorum nullus populo Dei accenseri, ac omnium veterum Sacramentorum particeps fieri poterat, nisi circumcisus prius fuisset; adeoque sub ea consideratione Circumcisio signum fuit efficax & practicum.

Instabis 2. Sanctus Petrus Epistolæ 1. cap. 3. v. 21. de

de Baptismo ait : *Vos similis forma salvos facit Baptisma, non carnis depositio sordium, sed bonæ conscientiæ interrogatio in Deum.* Quo loco observat Lutherus, vocem Græcam ἐπερώτημα quam Latinus Interpres vertit, interrogationem, significare pactum seu stipulationem, quam nempe anima init cum Deo, quando promissiones ejus fide apprehendit : unde concludit, verba quibus constat Baptismus, esse verba pacti & promissionis.

Resp. nego consequens. Namque dato, quod vult Lutherus, vocem Græcam ἐπερώτημα significare pactum seu stipulationem, & aliquando per metonymiam sumi pro ipsa responsione seu promissione quæ interroganti redditur, ne vel minimum inde nostra læditur Conclusio.

Tum quia pactum illud, de quo sanctus Petrus, non se tenet ex parte Sacramenti seu Baptismi, (nusquam enim sanctus Petrus Baptismum appellavit sigillum promissionum Dei, vel pactum Dei) sed ex parte
102. A. baptisati, qui in Baptismo *sub Antistitis manu*, inquit Tertullianus L. de Corona c. 3. *contestatur se renuntiare diabolo, & pompæ, & angelis ejus.*

Tum quia Baptismo eandem ad salutem animæ procurandam vim & efficaciam tribuit sanctus Petrus, quam Arcæ Noe ad salutem corporis : atqui Arca Noe non tantum testificando & obsignando promissiones aliquas, sed etiam vere in se continendo & ab aquis diluvii præservando octo animas salvas fecit ; ergo pariter Baptismus non tantum speculative, sed effective salutem animæ operatur per infusionem gratiæ regenerantis. Tum denique, quia citato loco consilium Apostoli hoc unum videtur esse, nempe ut discrimen afferat quod est inter lotiones Judæorum, & Baptismum à Christo Domino institutum. Illæ quippe externas dumtaxat corporis sordes abluebant, & ad mundıtiem carnis valebant ; iste vero internam animæ sanctificationem & purgationem operatur, quæ quidem exprimitur ac designatur, tanquam per proprium suum effectum, per bonam conscientiæ in Deum interrogationem.

Instabis 3. Sacramenta frequenter à sanctis Patribus appellantur signacula, sigilla, pignora, arrhæ &c.

Resp. hæc Catholicis immerito opponi, quæ ultro agnoscunt ac profitentur. Neque enim in Novatoribus arguimus, quod Sacramenta dicant esse signacula, sigilla, pignora divinarum promissionum ac cœlestis gratiæ, sed quod negent aut negare saltem videantur, ea esse sigilla & pignora efficacia & practica, ut jam monuimus. Concedant hoc Novatores, & sola remanebit inter nos circa quæstionem hanc, de nomine controversia.

Objicies 2. Sanctum Ambrosium Lib. de Mysteriis c. 3. n. 14. *Aqua*, inquit, *sine prædicatione Do-*
. nova *minicæ Crucis ad nullos usus futuræ salutis est : cum*
e p.328 *vero salutaris fuerit Crucis mysterio consecrata*, (alii legunt consecrata) *tunc ad usum spiritualis lavacri & salutaris poculi temperatur. Sicut ergo in illum fontem Moyses misit lignum, hoc est, Propheta ; ita & in hunc fontem Sacerdos prædicationem Dominicæ Crucis mittit, & aqua fit dulcis ad gratiam.*

Resp. per prædicationem Dominicæ Crucis hic non intelligere Ambrosium verbum concionis seu instructionis & doctrinæ, sed verbum consecrationis. Concio enim ad aquam non dirigitur, sed ad audientes; verbũ vero consecratorium ad aquam dirigitur tanquã forma in materiam, & eam dulcem reddit, quia ad gratiæ productionem illam determinat. *Quid vidisti?* ait sanctus Ambrosius initio capitis citati. *Aquas utique,*
p. 327. *sed non solas. Levitas illic ministrantes, Summum Sacerdotem interrogantem & consecrantem.* Quomodo vero consecrat ? Verbo utique quod consecratorium appellamus, & elementum ab usu communi ac profano transfert ad usum sacrum ac divinum. S. autem Doctor verbum illud consecratorium vocat prædicationem sanctæ Crucis, eo quod signum sit præteritæ passionis Christi, cujus virtute sanctificatum est Baptisma.

Objicies 2. S. Augustinum Tract. 80. in Joan. To. 3. p. 2. p.
n. 3. ad hæc verba, "Jam vos mundi estis propter ver- 705. B.
bum quod locutus sum vobis. Quare non ait, inquit sanctus Doctor, mundi estis propter Baptismum quo loti estis, sed ait, propter verbum quod locutus sum vobis : nisi quia & in aqua verbum mundat? Detrahe verbum & quid est aqua nisi aqua? Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum etiam ipsum tanquam visibile verbum. Nam & hoc utique dixerat, quando pedes discipulis lavit, Qui lotus est, non indiget nisi ut pedes lavet ; sed est mundus totus. Unde ista tanta virtus aquæ, ut corpus tangat & cor abluat, nisi faciente verbo : non quia dicitur, sed quia creditur ? Nam & in ipso verbo, aliud est sonus transiens, aliud virtus manens. Hoc est verbum fidei quod prædicamus, ait Apostolus, quia si confessus fueris in ore tuo quia Dominus est Jesus, & credideris in corde tuo quia Deus illum suscitavit à mortuis, salvus eris. Corde enim creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Unde in Actibus Apostolorum legitur, Fide mundans corda eorum. Et in Epistola sua beatus Petrus, sic & vos, inquit, Baptisma salvos facit, non carnis depositio sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio. Hoc est verbum fidei quod prædicamus : quo sine dubio ut mondare possit, consecratur & Baptismus. Christus quippe nobiscum vitis, cum Patre agricola, dilexit Ecclesiam, & se ipsum tradidit pro ea. Lege Apostolum, & vide quid adjungat : Ut eam sanctificaret, inquit, mundans eam lavacro aquæ in verbo. Mundatio igitur nequaquam fluxu & labili tribueretur elemento, nisi adderetur, in verbo. Hoc verbum fidei tantum valet in Ecclesia Dei, ut per ipsum credentem, offerentem, benedicentem, tingentem, etiam tantillum, mundet infantem : quamvis non valentem corde credere ad justitiam, & ore confiteri ad salutem. Totum hoc fit per verbum, de quo Dominus ait, Jam vos mundi estis, propter verbum quod locutus sum vobis." Huc usque sanctus Augustinus, ex quibus Novatores duo potissimum inferunt. Nempe 1. S. Doctorem verbis citatis loqui de verbo sacramentali, seu de illo materia elevatur ad dignitatem Sacramenti. 2. Verbum illud sacramentale verbum esse concionis & doctrinæ.

Primum demonstratur his momentis.

I. Sanctus Doctor de illo verbo loquitur quod si ab aqua detrahatur, ipsa sola maneat.

II. De illo verbo quo accedente ad elementum, fit Sacramentum.

III. De illo verbo quod aqua mediante cor abluit.

IV. Illud verbum de quo loquitur tale est, ut per id consecretur Baptismus, ut mundare possit.

V. De verbo loquitur quod tantum valet in Ecclesia Dei, ut per ipsum credentem, offerentem, benedicentem, tingentem etiam tantillum, mondet infantem.

His momentis ultro subscribunt Orthodoxi, quibus invicte demonstratur sanctum Augustinum, ubi loquitur de verbo quo fit hominis mundatio, intelligere non tantum verbum concionis seu doctrinæ, sed etiam verbum consecrationis quod proprium est Sacramentorum ; qui enim mox delineati sunt verbi mundantis characteres, perfecte exprimunt verbum consecratorium seu sacramentale.

Secundum igitur quod urgent Novatores illud

est, nempe verbum illud sacramentale, & de quo sanctus Augustinus, esse concionale ad fidem excitandam destinatum, probant.

I, Quærit Augustinus quare Christus non dixerit, *Mundi estis propter Baptismum quo loti estis*, *sed dixerit*, *mundi estis propter verbum quod locutus sum vobis*; ac respondet causam istam esse, *quia & in aqua verbum mundat*, Sed verbum quod in aqua mundat illud ipsum est quod Christus Apostolis prædicavit, quod certe verbum fuit concionis & instructionis,

II, Ait verbum illud mundare, *non quia dicitur*, *sed quia creditur*. At verbum quod mundat quia creditur, baud dubie verbum est concionis quod fidem excitat & excitando mundat.

III. Verbum quod ex Augustino mundat in aqua, est fidei verbum quod Apostoli prædicabant, de quo loquitur sanctus Paulus Rom. 10. v. 8. & S. Petrus Epist. 1. c. 3. v. 21. At verbum hujusmodi concionis est ac doctrinæ, eo unice tendens ut fidem per quam justitia comparatur, excitet;

Resp. ad primum: Recte observat sanctus Doctor Christum dixisse, & *Vos mundi estis propter verbum*, non dixisse, *mundi estis propter Baptismum*, quia in omni mundatione, sive fiat in Sacramento, sive extra Sacramentum, vis mundandi semper oritur à verbo. Si enim mundatio fiat extra usum Sacramenti, necesse est ut adsit fides actualis: *fides autem ex auditu*, *auditus autem per verbum Christi*. Rom. 10. v. 17. Si vero mundatio fiat in Sacramento, necesse est ad elementum accedat verbum consecrationis, Igitur sanctus Augustinus citato Tract. 80. in Joan. universim loquitur de omni verbo per quod fit mundatio: qua propter promiscue argumenta & testimonia Scripturæ proponit, quibus mundatio verbo tribuitur tum sacramentali & consecratorio, tum concionali. Nec ulla tamen est in verbis sancti Doctoris ambiguitas & æquivocatio: tam quippe distincti ac diversi sunt verbi utriusque characteres, ut nemo decipi possit, Neganda igitur primi argumenti consecutio. verbum enim quod in aqua mundat, proprie verbum est consecrationis; non illud quod prædicarunt Apostoli: nisi forte hoc sensu intelligere volueris, quod nempe Apostoli verbi hujus efficaciam & virtutem annunciaverint & exposuerint.

At secundum: sensus Sancti Doctoris non est, verbum sacramentale nullatenus mundare, *quia dicitur*, quasi necesse non foret illud pronuntiare: ne ipsi quidem Novatores sensum hunc admittunt, Neque etiam sensus esse potest, nullam vim inesse verbis sic pronuntiatis: sic enim elementum vim mundandi habet, quanto magis verba? Cum pariter sanctus Augustinus ait, verbum illud mundare *quia creditur*, haud dubie fidem actualem absolute, non exigit; noverat enim vim illam à Christo ipso derivari, ac firmum stare Sacramentum verbis Evangelicis consecratum, etiam sine fide datum vel acceptum. Cum igitur ait, verbum illud mundare, *non quia dicitur sed quia creditur*; sensus illius hic est, verbum vim mundandi non habere præcise ex materiali et sensibili sono, seu ex strepitu transeunte, sed ex invocatione Trinitatis; seu ex sensu qui fide apprehenditur, & est objectum fidei. *Verbum enim*, ait S. Thom. 3. p. q. 60. art. 7. ad 1. *operatur in Sacramentis, non quia dicitur, id est, non secundum exteriorem sonum vocis, sed quia creditur, id est, secundum sensum verborum qui fide tenetur*. Seipsum clare exponit sanctus Augustinus his verbis: *Quæ est tanta virtus aquæ, ut corpus tangat & cor abluat, nisi faciente verbo: non quia dicitur, sed quia creditur? Nam & in ipso verbo aliud est sonus transiens, aliud sensus manens*. Et Epist. 23. ad Bonifacium nunc 98. *Non scriptum est*, inquit, *Nisi quis renatus fuerit ex parentum voluntate, aut ex offerentium vel ministrantium fide; sed, Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto. Aqua igitur exhibens forinsecus Sacramentum gratiæ, & Spiritus operans intrinsecus beneficium gratiæ, regenerant hominem*. Distinguenda igitur hæc propositio argumenti, verbum quod mundat, *non quia dicitur, sed quia creditur*, mundat excitando fidem; si mundat, quia creditur actu & formaliter, concedo: si mundat, quia creditur objective, id est, quia est objectum seu verbum fidei, nego. Porro hoc posteriori duntaxat modo ait sanctus Augustinus, verbum sacramentale mundare: infantes enim per Baptismum mundantur, etsi corde credere non possint ad justitiam, & ore confiteri ad salutem. T. 2. p. 264 E.

Ad tertium: Quæ laudat ibi sanctus Doctor Scripturæ testimonia, de verbo prædicationis seu concionis recte intelliguntur, quia, ut jam observatum fuit generatim agit de omni verbo per quod fit mundatio; at per verbum concionis, mediante fide quam excitat, mundatio fit, Qua propter argumenta & probationes quibus utitur sanctus Augustinus, accommodate distribui debent ad scopum quem sibi proponit, & naturam verbi de quo loquitur, quod & consecrationis est & concionis.

Quotuplex generatim sit forma Sacramentorum; An ea quæ conditionalis dicitur, in usu semper fuerit; & quibus in casibus usurpanda.

Quæres 1. Quotuplex generatim à Theologis distinguatur forma Sacramentorum?

Resp. duplicem distingui: absolutam, quæ nullam involvit conditionem; ut si dicas, *Ego te baptiso in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*; alteram conditionalem, quæ conditionem aliquam includit; ut si dicas, *Si non es baptisatus, ego te baptiso in nomine Patris &c.*

Quæres 2. An vulgatus apud veteres fuerit usus formæ conditionalis, cum dubia erat veritas Sacramenti?

Resp. ad octavum usque Ecclesiæ sæculum nullum occurrere vestigium formæ conditionalis adhibitæ, etiam cum de veritate collocati Sacramenti legitimum dubium moveri poterat,

Tertio sæculo excitata est quæstio de Baptismo Clinicis per aspersionem dato, an validus esset, vel iterum conferendus, de quo Magnus sanctum Cyprianum consuluit. Respondit sanctus Doctor per Epist. 76. sibi quidem verum ac legitimum videri Baptismum, iis tamen qui dubitant, auctorem esse ut eum iterum conferant, nulla prorsus injecta mentione conditionis. "Si aliquis existimet, *ait*, eos nihil con- Pag. 654.
"secutos, eo quod aqua salutari tantum perfusi sunt,
"sed & inanes & vacui sunt; non decipiantur, ut si in-
"commodum languoris evaserint, & convaluerint,
"baptisentur.

In celebri etiam controversia de baptismo Hæreticorum, inter sanctum Cyprianum & Orientales Episcopos ex una parte, ac sanctum Stephanum Romanum Pontificem & Occidentales ex altera, cum nondum veritas plane eliquata foret, ac pendente adhuc dubio, opportune forma conditionalis usurpata fuisset, nullum tamen illius tunc temporis exemplum in veteribus monumentis deprehenditur,

Quarto sæculo, Cæciliani Carthaginensis Archiepiscopi Ordinatio in dubium vocata fuit ab auctoribus schismatis Donatistarum, hoc prætextu, quod illam accepisset à Felice Aptungitano factorum codicum traditore. Cæcilianus vero alteri Ordinationi, quasi prior invalida fuisset, se subjecit, nulla prorsus facta mentione conditionis, Ita refert Optatus L. 1. de Schismate Donatistarum adversus Parmenianum.

Eodem

Eodem sæculo, anno scilicet 398. Canone 6. Concilii V. Carthaginensis providetur, ut *quoties certissimi non inveniuntur testes, qui asserunt infantes fuisse baptisatos, neque ipsi sunt per ætatem idonei de traditis sibi Sacramentis respondere, absque ullo scrupulo baptisentur, ne ista trepidatio eos faciat Sacramentorum purgatione privari.* Repetitur idem Canon altero in Conc. Africano an. 401. Absolutè, sine ulla conditione volunt Africani Patres, ejusmodi infantibus Baptismum conferri.

T. 2. Conc. p. 1216 C.

Ibid. pag. 1652 E.

Eandem disciplinam quinto sæculo retinuit S. Leo. Interrogatus etenim à Rustico Narbonensi, de his *qui parvuli ab hostibus capti sunt, & non se sapiunt baptisatos; sed sciunt se aliquoties ad Ecclesiam à parentibus ductos: utrum possint vel debeant, cum ad Romaniam veniunt, baptisari?* Sic autem respondet S. Pontifex: *Qui possunt meminisse, quod ad Ecclesiam veniebant cum parentibus suis, possunt recordari an quod eorum parentibus dabatur acceperint. Sed si hoc etiam ab ipsorum memoria alienum est, conferendum eis videtur, quod collatum esse nescitur: quia non temeritas intervenit præsumptionis, ubi est diligentia pietatis.* Pluribus hoc ipsum exponit idem sanctus Pontifex in sua ad Neonam Ravennatem Episcopum Epistola n. 135. isto nixus fundamento, quod vulgatum ac commune tunc erat. *Quoniam non potest in iterationis crimen venire, quod factum esse omnino nescitur.*

Ed. Quesnell. in 4. T. 1. p. 411.

Sanctus Gregorius Magnus labente sexto sæculo & initio septimi, eandem cum antecessoribus viam iniit. In Epistola ad Felicem Episcopum Messanæ quæ est n. 32. Lib. 12. Indictione 7. nunc 17. Lib. 14. Indict. 7. sic loquitur: *Hoc vos ritè tenere debetis, quod ab antecessoribus nostris traditum accepimus: id est, ut quoties tam de Baptismo aliquorum, vel Confirmatione, quàm de Ecclesiarum consecratione dubitatio habetur, & nec Scriptis nec testibus ratio certa habetur, utrum baptisati, vel confirmati, sive Ecclesia consecrata sint; ut baptisentur tales ac confirmentur, atque Ecclesiæ canonicè dedicentur, ne talis dubitatio ruina fidelibus fiat: quoniam non monstratur iteratum, quod non certis indiciis ostenditur ritè peractum.*

id. p. 7. dit anno 10. & ... 1604. ... nova n. 2. 279. C.

Gregorius II. initio octavi sæculi Epistola 13. ad Bonifacium Episcopum responsione ad 9. articulum, *De parvulis,* inquit, *qui à parentibus subtracti sunt, & an baptisati an non ignorant, quia interrogasti: hos ut baptisare debeat, secundum Patrum traditionem, si non fuerit qui testificetur, ratio poscit.* Nulla pariter hîc mentio conditionis appositæ.

... 6. ... p. ... 9. D.

Gregorius III. Epistola 2. ad eundem Bonifacium, jubet ordinari Presbyteros de quibus dubium est an fuerint à veris Episcopis ordinati.

... pag. ... 5 A B.

Octavo primum sæculo legitur forma baptisandi sub conditione, Lib. 6. Capitularium c. 184. his verbis: *De quibus dubium est utrum sint baptisati, an non, omnimodis absque ullo scrupulo baptisentur, his tamen verbis præmissis: Non te rebaptisa; sed si nondum baptisatus es, baptiso te in nomine Patris &c.* Eundem Canonem totidem verbis describit Isaac Lingonensis Episcopus titulo 11. cap. 17. & ante ipsum sanctus Bonifacius Moguntinus Archiepiscopus in Statutis quæ Tom. 9. Spicilegii edita sunt.

... 1. ... Ba- ... p. 954.

Alexander III. S. Pontifex qui sedit an. 1159. & obiit anno 1181. disertè jubet sub conditione rebaptisari eum de quo dubium est, an fuerit baptisatus. Sic refertur Extra. *de Baptismo* cap. *de quibus.*

... 65.

Pariter Odo Parisiensis Episcopus Alexandro coætaneus, in Statutis Synodalibus eandem in dubio baptisandi formam præscribit.

Nihilominus tamen nec octavo, nec duodecimo sæculo, etiam post Decretum Alexandri III. ubique planè receptus ac confirmatus videtur usus formæ illius conditionalis. Siquidem & Lib. 7. Capitularium cap. 391. repetitur quod ex Canone 6. Conc. V. Carthaginensis mox retulimus, de repetendis sine ulla conditione, Baptismo, Confirmatione, & consecratione Ecclesiarum; & duo Anglicana Concilia, Eboracense an. 1195. Londinense an. 1200. jubent absolutè conferri Baptismum, ubi legitima subest dubitandi ratio an collatus fuerit, hac indicata communi ratione, *quia non dicitur iteratum, quod non scitur fuisse collatum.* Quin & vivente adhuc Alexandro III. & etiam post ejus obitum, multi (quibus haud dubie ejus Decretalis non innotuerat) idem statuerunt, ut Petrus Lombardus Lib. 4. Sent. dist. 6. & ipsius singularis discipulus Petrus Pictaviensis, Commentario in illum Lombardi textum; & Petrus Cantor in Summa manuscripta folio 156. ubi narrat excitatam tunc temporis inter Doctores Parisienses præsentem controversiam, aliis sub conditione, aliis verò, quibus ipse suffragatur, absolutè in dubio conferri debere Baptismum contendantibus.

T. 1. p. 1109.

Tom. 10. conc. pag. 1792. B. To 11. conc. pag. 14. D.

Ex his colligi non immeritò potest, priùs ubique non invaluisse formam baptisandi sub conditione, quàm Decretalis Alexandri III. fuerit à Gregorio IX. qui sedit an. 1227. in Corpus Juris Canonici relata. Ab eo vero tempore usque in hodiernum diem, constanti praxi in Ecclesia observatur.

Quæres 3. An, quo tempore forma conditionalis primum invaluit, omnia Sacramenta sub conditione iterata fuerint, an aliqua dumtaxat.

Resp. Ex citatis testimoniis manifestum esse, ea dumtaxat Sacramenta sub conditione iterata fuisse, quæ absolutè iterari non possunt, ob eum quem imprimunt characterem, quibus & Ecclesiarum consecratio adjuncta fuit: subinde tamen ad alia quoque Sacramenta eundem agendi morem fluxisse testantur aliqui. Sic, referente Homobono in examine Ecclesiæ parte 1. Tractatu 7. cap. 18. quæst. 84. Clemens VIII. qui sedit anno 1592. cum vidisset aliquem è fabrica sancti Petri præcipitem cadentem, eum absolvit his verbis, *Si es capax, absolvo te à peccatis.* Nihilominus multùs dispar hic videtur ratio conditio Pœnitentiæ aliorum Sacramentorum. Namque vel conditio apposita spectat Ministrum, hoc modo, *Si possum, ego te absolvo;* vel subjectum seu hominem qui absolvitur, hoc modo, *Si es capax, ego te absolvo.* Atqui neutra ex parte putant illi apponi posse conditionem. Non ex parte Ministri: qui enim prudenter judicat se non delinquere absolvendo, potest sine conditione absolvere; non etiam ex parte subjecti, quia vel sufficiens dignoscitur adesse materia Sacramenti, contritio scilicet & confessio, vel dignoscitur non adesse: si primum, absolutè absolvendus ille est; si postremum, nullatenus absolvendus. Atque hæc potissimum illis auctoribus videtur esse ratio discriminis inter Sacramentum Baptismi v. g. & Pœnitentiæ, quoad præsens institutum, quia parata semper ac certa esse potest Baptismatis materia; non ita vero Pœnitentiæ: ut contingit quando moribundus subita vi morbi oppressus, nullo exteriori signo nec peccata, nec suum de illis dolorem manifestare potest.

Quæres 4. quibus in circumstantiis sub conditione conferri debeat Sacramentum.

Resp. Cùm legitima est ratio dubitandi, an revera collatum fuerit Sacramentum. "Sciendum est," ait Estius in 4. dist. 4. paragr. 15." non quamcunque levem in contrarium suspicionem vel scrupulum debere sufficere, ad hoc ut sub conditione quis hoc pacto baptisetur; sed requiri dubitationem probabilem, ... Ea autem probabilis dubitatio est, quæ facta "etiam diligenti indagine discuti non potest, ita ut nec "moralis

Edit. Paris. 1696. Tom. 2. p. 58. B.

"moralis certitudo facti haberi queat. Itaque, pergit "Estius, vituperabilis est consuetudo quorundam, qui "passim ac sine discrimine infantes ab obstetricibus "propter vitæ periculum baptisatos iterum sub con- "ditione baptisant, non aliam dubitandi causam ha- "bentes, quàm quòd muliercula fortè vel intentione "deficere, vel in verbis proferendis hallucinari potue- "rit, cùm tamen obstetrix interrogata testetur se ritè "totum mysterium peregisse. Contra quem abusum "graviter scribunt Dominicus Soto in 4. dist. 3. art. 6. "Petrus de Palude dist. 6. q. 4. &c.

QUÆSTIO II.

De fine ac necessitate, seu existentia Sacramentorum.

EX fine propter quem instituta sunt Sacramenta, eorum sequitur ac dignosci debet necessitas.

Duplex necessitas, medii, & præcepti. Duplex verò distingui generatim potest necessitas Sacramentorum: una institutionis seu existentiæ, altera usus; & hæc iterum duplex, medii scilicet, & præcepti.

Necessitas medii seu finis ea dicitur, qua res ad finem assequendum sic est necessaria, ut sine ipsa non possit obtineri. Ita cibus & potus necessarii sunt ad vitæ conservationem, Ita Baptismus necessarius ad vitam æternam habendam.

Necessitas præcepti dicitur ea, qua res est necessaria ad finem faciliùs & tutiùs obtinendum: talis est sobrietas in cibo & potu, ad sanitatem corporis; & perceptio Eucharistiæ, ad sanitatem animæ conservandam & fovendam. Prior necessitas rectè dici potest interna, quæ nempe ex natura rei ipsius necessitatis; altera verò externa, quæ ex præcepto duntaxat nascitur.

Unde repeti debeat discrimen necessitatis medii & præcepti. In re quippe nostra sacramentaria, totum discrimen necessitatis medii & præcepti repetitur duntaxat ex natura gratiæ sacramentalis quam Christus Dominus sua institutione unicuique Sacramento propriam esse voluit: quæ si talis est ut sine ipsa salus æterna non possit obtineri, Sacramentum necessarium dicitur necessitate medii: talis est Baptismus, talis Pœnitentia, propter gratiam quam continent, vel regenerantem, vel reparantem. Si verò gratia sacramentalis non est absolute necessaria ad vitam æternam, qualis est gratia confortans in Sacramento Confirmationis, & nutriens ac roborans in Sacramento Eucharistiæ Sacramenta necessaria duntaxat dicuntur necessitate præcepti; & qui, urgente præcepto, hujusmodi Sacramenta percipere vel negligunt vel contemnunt, ii quidem rei sunt violati præcepti ac æternæ damnationi obnoxii, non quidem præcisè ex defectu gratiæ quæ propria est illorum Sacramentorum, sed ob lethale peccatum ex violato præcepto contractum. Unde fit ut omne medium ad finem assequendum necessarium, sub præceptum etiam cadat; & vice versa, quod ex præcepto necessarium est, fiat medium necessarium: quia præceptorum observatio necessaria est illis qui sunt præcepti capaces. Nec tamen propterea confundenda necessitas medii & præcepti, quæ, ut diximus, Deo ita volente consistit in natura vel gradu gratiæ sacramentalis, quam in aliquibus Sacramentis absolutè ad salutem necessariam esse voluit Christus, in aliis vero non necessariam.

Non hîc agimus de necessitate usus Sacramentorum, sive absoluta sit & medii, sive tantum præcepti; sed de necessitate duntaxat institutionis & existentiæ, non quidem simplici & absoluta, quæ soli Deo convenit, sed hypothetica & relativa ad finem supernaturalem. Imo nec quæstio est, utrum ex hypothesi quod voluerit Deus gratiam homini conferre, necesse omnino fuerit institui Sacramenta: certum quippe est virtutem Dei signis externis sic alligatam non esse, quin absolutè possit Deus per semetipsum, absque ullis Sacramentis, gratiam conferre. Quæstio igitur est de necessitate congruentiæ ac sapientia cujusdam œconomiæ, an nempe consentaneum fuerit & divinæ providentiæ & naturæ hominis, ut per signa quædam externa cœlestis gratia daretur.

Cùm vero humanum genus in quadruplici quasi statu considerari possit, nempe innocentiæ, à creatione scilicet Adami usque ad ejus lapsum; Legis naturæ, à lapsu Adami usque ad Moysen; Legis scriptæ, à Moyse usque ad Christum; & Legis Evangelicæ, à Christo usque ad mundi finem, quæritur an congruum & consentaneum fuerit in variis illis naturæ humanæ statibus, Sacramenta quædam institui.

ARTICULUS I.

De fine seu causis propter quas consentaneum fuit institui Sacramenta.

MUltæ institutionis Sacramentorum causæ seu rationes vulgò proferuntur, istæ sunt præcipuæ.

I. Ad domandã & sanandam primævam hominis superbiam: ut nempe qui Deo subjici noluit, & jugum ejus peccando excussit, signis quibusdam externis subjiceretur & ab illis dependeret tanquam mediis & instrumentis ad salutem æternam assequendam necessariis.

II. Ad eruditionem. Cùm enim ea sit nativa hominis conditio, ut ex rebus sensu perceptis ad spiritualia deducatur, sapienter instituta sunt Sacramenta, velut externa quædam documenta quibus ad cœlestia erigatur. *Nam si tu incorporeus esses*, ait S. Joannes Chrysost. Homil. 83. in Matth. *nuda ipse dona & incorporea tradidisset tibi: quoniam vero corpori conjuncta est anima tua, in sensibilibus intelligenda tibi traduntur.* Edit. Commel. p. 703. E.

III. Ad fidei nostræ firmitatem. Quemadmodum enim in veteri Lege Dominus promissiones suas multa signorum varietate confirmavit, ut populus ille firmius adhuc verbis Dei crederet, ita quoque in nova Lege Christus cum nobis veniam peccatorum, justitiam, Spiritum sanctum, vitam æternam promiserit, quædam signa sensibus subjecta instituit, quibus eum quasi pignoribus obligatum haberemus, atque ita fidelem in promissis futurum minimè dubitaremus.

IV. In fidei nostræ testimonium: ut nempe per Sacramenta, tanquam per voces quasdam visibiles, in hominum conspectu fidem nostram profiteamur. Sicut enim *corde creditur ad justitiam, sic ore confessio fit ad salutem*, Rom. 10. v. 10. Sic & aliis quibuscunque externis symbolis, iis maximè quæ ad spiritualia significanda divinitus instituta sunt, quasi totidem vocibus fidem nostram manifestam omnibus fieri consentaneum maximè fuit. Talia vero sunt Sacramenta, quæ sanctus Augustinus Lib. 19. contra Faustum cap. 16. appellat *quasi verba visibilia.*

V. Ad distinctionem Fidelium, & adunationem Ecclesiæ; ad utrumque enim necessaria sunt Sacramenta. Fideles quippe distinguunt ab Infidelibus, ipsosque inter se Fideles sancto quodam societatis vinculo connectunt. *In nullum quippe Religionis nomen seu verum, seu falsum, coagulari possunt homines*, ait S. Augustinus Lib. 19. contra Faustum cap. 11. *nisi aliquo signaculorum vel Sacramentorum visibilium consortio colligentur: quorum Sacramentorum vis inenarrabiliter valet plurimum, & ideo contempta sacrilegos facit.* To. 8. p. 321 C. Ibid. p. 319. E.

VI. De-

IV. Denique ad sanctificationem hominis, quæ præcipua causa est institutionis Sacramentorum, *per quæ scilicet*, ajunt Patres Tridentini sess. 7. *omnis vera justitia vel incipit, vel cœpta augetur, vel amissa reparatur*; quæ ratio vel in ipsa Sacramenti definitione quam adducit Catechismus Conc. Trid. continetur. Est quippe Sacramentum, res sensibus subjecta, quæ ex Dei institutione sanctitatis & justitiæ tum significandæ tum efficiendæ vim habet. "Illud sine dubitatione tenendum est," ait sanctus Augustinus, "quæcunque illa sanctificatio sit, non valere ad Christianos faciendos, atque ad dimittenda peccata, nisi "Christiana & Ecclesiastica institutione Sacramentis "efficiantur fideles. Nam nec conjuges infideles, quamlibet sanctis & justis conjugibus hæreant, ab iniquitate mundantur, quæ à Regno Dei separatos in damnationem venire compellit; nec parvuli de quibuslibet sanctis justisque procreati, originalis peccati "reatu absolvuntur, nisi in Christo fuerint baptizati, "pro quibus tanto impensiùs loqui debemus, quanto "pro se ipsi minus possunt." Verum de hoc argumento plenius infra disputabimus.

Tom. 14. Conc. p. 776. B.

L. 3. de pecc. mer. & rem. cap. 12 n. 21. T. 10. p. 83. A.

ARTICULUS II.

De Sacramentis innocentis naturæ. An eò in statu aliqua extiterint; aut extitura fuissent, si perseverasset diutiùs.

In his quæ ab una Dei voluntate pendent, cum silet Scriptura & Ecclesiæ Traditio, silere & nos satius forsan esset, quàm meris indulgere conjecturis. De Sacramentis autem naturæ innocentis altum in Scripturis ac Traditione silentium: conjecturis ergo ac ratiociniis, ut mori Scholæ serviamus, res tota hic perficienda.

Sensus verò Articuli propositi multiplex esse potest. 1. Utrum Sacramentorum institutio repugnantiam & oppositionem quandam ex sese habeat, quod existimant nonnulli, cum perfectione naturæ innocentis. 2. Supposito quod nulla sit repugnantia, utrum aliqua de facto extiterint in statu innocentiæ Sacramenta. 3. An si perseverasset diutius ætas illa innocens, vi præsentis decreti eadem habuisset Sacramenta, quæ nunc habet collapsa natura, aut saltem alia diversæ conditionis, & virtute alterius decreti.

PRIMA CONCLUSIO.

Sacramentorum institutio nullam videtur ex sese habere repugnantiam & oppositionem cum perfectione status innocentiæ.

Probatur; Quia Sacramenta considerari possunt vel ut signa, vel ut causæ gratiæ: atqui neutra ex parte pugnant cum perfectione naturæ innocentis.

Non ut signa; imo sub ea ratione multiplex deprehenditur eorum utilitas & convenientia.

I. Ad comparandam rerum spiritualium actualem cognitionem. In eo quippe statu, actualis rerum sive naturalium, sive supernaturalium perceptio modo naturali comparata fuisset, per species quasdam sensibiles, & conversionem ad phantasmata. Quanquam enim tunc cum gratia & justitia originali infusus fuerit habitus fidei, non tamen infusæ species ac phantasmata quibus homo ex nativa sua conditione indiget, ut actu apprehendat res fidei; neque enim factæ fuissent omnibus ac singulis hominibus interiores revelationes rerum omnium credendarum, sed per traditionem filii à parentibus accepissent; necesse ergo tunc fuisset homines in rebus fidei institui per voces ac signa sensibilia. Neque modus iste magis alienus videtur à perfectione naturæ integræ, quàm modus [qui fuisset] acquirendi scientiam experimentalem rerum naturalium ministerio sensuum & phantasmatum; vel utendi alimentis ad vitæ conservationem; vel declarandi cogitationes mentis per voces aut scripturam, aut alia quælibet exteriora signa. Quod si perfectioni naturæ Angelorum non repugnat ut inferiores à superioribus illuminentur, quare repugnet perfectioni hominis innocentis, ut ad cognitionem rerum spiritualium per sensibilia quædam signa erigeretur?

Ita Suarez q. 62. S. Th. q. 61. ar. 2. disp. 3. sect. 3. Ysambertus de Sacramentis in genere ad qu. 61. disp. 1. art. 2.

II. Valerent eo in statu signa Sacramentalia ad exprimendam & profitendam interiorem fidem: quia *sicut corde creditur ad justitiam, sic ore confessio fit ad salutem*; & hæc est naturalis hominis conditio, ut nonnisi externo quodam medio testetur ac significet quod intus habet in animo præconceptum. In statu autem innocentiæ, si durasset, congruum fuisset interiorem fidem manifestari exterius, non tantum Sacrificiis, sed etiam Sacramentis: neque enim ista magis quàm illa exclusisset hujus status perfectio.

III. Valerent ad excitandam memoriam. Neque enim continuo præsentes animo obversarentur res fidei, eas igitur aliquibus adjumentis exterius excitari & revocari in memoriam oportuisset, aut saltem illud absurdum & absonum non fuisset.

IV. Valerent ad quandam repræsentationem supernaturalium mysteriorum, & faciliorem eorum apprehensionem.

V. Ad consensionem & unitatem hominum ejusdem Religionis in exteriori Dei cultu. Fuisset enim tunc vera Religio, fuisset vera Ecclesia: porrò, ex sancto Augustino jam citato, *in nullum Religionis nomen coagulari homines possunt, nisi aliquorum signaculorum vel Sacramentorum visibilium consortio colligentur*.

Non pugnarent etiam Sacramenta cum statu innocentiæ, quatenus sunt causæ gratiæ. Nam quamvis eo statu, nullo existente peccato, gratia medicinali ac sanante opus non fuisset, non repugnasset tamen augeri gratiam: quin & necessaria fuisset gratia conservans ac præservans à lapsu, imo & à lapsu etiam reparans, si fortè homo peccasset, quod contingere potuisset, quandoquidem in gratia confirmatus non fuisset, sicut reverà non fuit, ne ipsi quidem confirmati fuere Angeli viatores. Atqui quòd per Sacramenta, tanquam per instrumenta efficacia, homini etiam innocenti (de lapso enim vix dubium esse potest) communicata fuisset gratia vel major, vel conservans, & præservans, non videtur contrarium perfectioni status innocentiæ: è contra potius. Tum quia habere gratiam vi operis ipsius externi ultra meritum operantis, perfectio est & utilitas maxima, qua sapienter consulitur nativæ fragilitati hominis. Tum quia conferre gratiam per res sensibiles unum est ex maximis operibus sapientiæ, potentiæ & bonitatis divinæ; quia res infimas cum supremis eo in opere mirabiliter conjungit, quod est maximæ sapientiæ; & res inferioris ordinis elevat ad perfectiones efficiendas, quod est maximæ potentiæ; ac denique in rebus facilibus & quæ passim usu veniunt, sanctificationem & gratiam præstat, quod est magnæ bonitatis & misericordiæ. Igitur hujusmodi Sacramenta non solùm propter utilitatem hominum, sed etiam propter manifestationem divinæ virtutis, poterant in statu innocentiæ sufficientem habere congruentiam.

Neque dicas indecens futurum & contra ordinem status innocentis naturæ, quod homo subjiceretur rebus sensibilibus ad bona spiritualia consequenda. Ita sanctus Thomas 3. par. q. 61. art. 2. in corp. Namque 1. non magis istud indecens fuisset in ordine supernaturali, quàm uti speciebus & phantasmatibus ad cognitionem rerum naturalium, aut alimentis ad

con-

conservationem vitæ corporalis. 2. Sicut non fuit contra dignitatem status innocentiæ, ut in signum obedientiæ & subjectionis homini prohiberetur usus ligni scientiæ boni & mali; ita pariter non fuisset contra dignitatem ejusdem status, si propter obedientiam & humilis Deum subjectionis testificationem, voluisset Deus hominem signis sensibilibus uti ad conservationem vel augmentum vel reparationem gratiæ sanctificantis: neque propriè tunc rebus illis sensibilibus subjectus homo fuisset, sed uni Deo usum illarum rerum imperanti. Ad sancti Thomæ auctoritatem fatemur eum nobis hic adversari: sed præsens controversia ex earum est numero quæ pondere rationum, non vero auctoritate, sepositis rationum momentis, deficiendæ sunt.

SECUNDA CONCLUSIO.

Nulla de facto extitere in statu innocentiæ Sacramenta.

Probatur: Tum quia nulla prorsus eorum facta legitur mentio in Scripturis aut Traditione: quæ autem pendent ab uno Dei instituentis arbitrio, ea absque testimonio Scripturæ vel Traditionis instituta esse, prudens nusquam affirmabit Theologus. Tum quia Sacramentum est signum stabile ac permanens in Religione; atqui status innocentiæ brevissimo duravit tempore: ergo consentaneum non fuit institui Sacramenta tam cito abolenda.

Neque porro hic par & eadem est ratio Sacrificii, ac Sacramenti. Namque Sacrificium non ordinatur primariò & immediatè ad sanctificationem offerentis, sed ad officium Religionis seu cultum & honorem Dei, in signum scilicet & testificationem supremi ipsius in res omnes dominii, & in gratiarum actionem pro acceptis ab ipso beneficiis. *Tua sunt omnia, & quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi*. 1. Paralip. 29. v. 14. Unde sanctus Thomas 2. 2. q. 45 art. 1. in corp. ait, *rationem sacrificii pertinere ad jus naturale*.

E contra, Sacramentum primariò destinatur ad sanctificationem hominis, aut primo efficiendam, aut conservandam. Verùm homo innocens in ortu suo justitiam originalem à Deo immediatè accepit, atque cum tam brevi post tempore ea propter inobedientiam spoliandus esset, nulla videntur necessaria fuisse eo in statu Sacramenta.

Neque etiam Matrimonium Adami & Evæ Gen. 2. v. 24. verum & propriè dictum fuit Sacramentum, sed latiori tantùm sensu, quatenus nempe futuram significabat unionem Christi cum Ecclesia: quomodo lignum vitæ appellatur aliquando à sancto Augustino Sacramentum; & quomodo pariter Lib. 1. de nuptiis & concup. cap. 21. dixit idem sanctus Doctor, *tria nuptiarum bona, prolem, fidem, & Sacramentum fuisse in paradiso*; fuit enim dumtaxat primum illud conjugium, in officium naturæ, quod Christus subinde ad dignitatem & virtutem Sacramenti evexit. Unde Apostolus de illo verba faciens Ephes. 5. v. 22. non ait illud fuisse, *sed esse in Christo & Ecclesia magnum Sacramentum, propter quod homo relinquet patrem & matrem*; quod quidem de Adamo ad litteram dici non potuit.

Lib. 11. de Gen. ad lit. c. 32. & 40. Lib. 13. de Civit. Dei cap. 21. & alibi. T. 10. p. 392.

TERTIA CONCLUSIO.

Verisimilius est, quod vi præsentis decreti, nulla futura fuissent in statu innocentiæ, si diutiùs perseverasset, Sacramenta: utrum autem virtute alterius decreti futura fuissent, quis consiliarius Dei fuit, ut certò possit definire?

Prima pars probatur. Quia vi præsentis decreti, Sacramenta destinata sunt ad conferendam homini gratiam medicinalem, vel reparantem, vel præservantem à lapsu, quam efficaciam trahunt ex morte & passione Christi; atqui Adamo non peccante, nulla opus fuisset, vi præsentis decreti, gratia medicinali; neque etiam Christus in carne venisset, neque consequenter Sacramenta suam ex morte Christi virtutem traxissent, adeoque non fuissent nostris similia; ergo verisimilius videtur, vi præsentis decreti, nulla futura fuisse in statu perseverantis innocentiæ Sacramenta.

Secunda pars probatur, Quia nemo scire potest quid in alio rerum ordine Deus facturus fuisset. Quamquam enim ex dictis Conclusione prima, Sacramentorum institutio nihil habeat in se quod pugnet cum perfectione naturæ innocentis, inde tamen certò affirmari non potest, futurum ut eo in statu, si diutiùs perseverasset, Deus Sacramenta quædam institueret: neque enim Deus semper operatur quod nobis infirmis mortalibus congruum magis ac consentaneum apparet; quod vel uno patet malorum Angelorum exemplo, quos creavit Deus, etsi brevi lapsuros ac sine ulla spe remedii æternum cruciandos fore prævidisset.

ARTICULUS III.

De Sacramentis Legis naturæ.

Lex naturæ ab Adami lapsu ad Moysen usque solet extendi, sic dicta, non per exclusionem gratiæ, sed Legis scriptæ. Quia verò Deus Circumcisionis præceptum Abrahamo imposuit multis ante Moysen annis, idcirco nos Legis naturæ statum hic consideramus dumtaxat ante imperatam Circumcisionem, de qua suus erit dicendi locus, ubi de Sacramentis Legis Mosaicæ.

Quæritur ergo hic 1. utrum toto illo intervallo temporis quod fluxit ab Adami lapsu ad præceptum usque Circumcisionis, extiterit aliquod remedium à Deo destinatum ad delendum in parvulis originale peccatum. 2. Quale illud fuerit? an sola interior fides parentum, an aliqua exterior actio necessariò etiam fuerit. 3. An actio illa seu signum exterius, fuerit verum Sacramentum, & qua ratione determinatum? an à Deo, an ab homine? 4. Quomodo efficax fuerit, an ex opere operato, an ex opere operantis? 5. Denique, an aliqua alia eo in statu extiterint pro adultis Sacramenta.

Circa hæc omnia nihil fide Catholica certum ac præfinitum habemus: quapropter varias in partes hic abeunt Theologi, præsertim circa naturam & virtutem illius remedii.

Ante S. Augustinum, qui ex professo contra Pelagianos accuratè demonstravit, unumquemque hominem nascendo ex Adamo trahere peccatum originale, nullus ferè inter Veteres existentiam illius originalis peccati probavit ex remedio adversùs illud instituto. Primus sanctus Augustinus efficax inde duxit argumentum; quamquam candidè agnoscat & fateatur Lib. 15. de Civitate cap. 16. de illo remedio prorsus silere sacros Scriptores. *Utrum*, inquit, *aliquod fuerit, vel si fuit, quale fuerit corporale atque visibile regenerationis signum ante diluvium, sicut Abrahæ Circumcisio postea est imperata, sacra Historia tacet.* Idem repetit Lib. 2. de peccato originali cap. 30. His præmissis sit. *To. 7 p. 399 B.* *To. 10. p. 268 E.*

PRIMA CONCLUSIO.

Extitisse pro parvulis in Lege naturæ aliquod adversùs peccatum originale remedium, pie est ac vera sententia; illud verò in fide venturi Messiæ signo aliquo vel actu exteriori demonstrato positum fuisse, verisimilius.

Prima

Prima pars probatur auctoritate S. Augustini Lib. 5. contra Julianum c. 11. *Ibid. p. 651. C.* „Nec ideo credendum est, „*inquit*, ante Circumcisionem famulos Dei, quandoquidem eis inerat Mediatoris fides in carne venturi, nullo Sacramento ejus opitulatos fuisse parvulis suis; quamvis quid illud esset, aliqua necessaria causa Scriptura sacra latere voluerit. Nam & sacrificia eorum legimus, quibus utique sanguis ille figurabatur qui solus tollit peccata mundi. Apertius etiam Legis jam tempore nascentibus offerebantur sacrificia pro peccatis. Et Lib. 2. de nuptiis & concupiscentia c. 11. *Ib. p. 313. D.* *Superioribus temporibus* (nempe ante Circumcisionem) *omnino*, inquit, *latuit Sacramentum justificationis ex fide.* Non ait sanctus Doctor, nullum fuisse, sed latuisse dumtaxat Sacramentum quod ex fide justificabat.

Sancti Prosperi Lib. 2. de vocatione Gentium c. 23. *Edit. nova p. 911. C.* ubi ait, „non irreligiosa credi, neque inconvenienter intelligi, quod isti paucorum dierum homines ad illam pertineant gratiæ partem, quæ semper universis est impensa nationibus; qua utique si bene eorum uterentur parentes, etiam ipsi per eos juvarentur.„ At parentes suis parvulis tutius subvenire non poterant, quam ipsis procurando remedium quo ab originali labe mundarentur.

Innocentii III. cap. *Majores, De Baptismo & ejus effectu*, *1383. l. 2. n. 10.* ubi postquam asseruit originale peccatum in veteri Lege per Circumcisionem, in nova autem per Baptismum deletum esse, hanc generalem adducit causam & rationem: " Absit enim ut universi parvuli pereant, quorum quotidie tanta multitudo moritur, quin & ipsis misericors Deus, qui neminem vult perire, aliquod remedium procuraverit ad salutem; quæ certe ratio ad eos etiam parvulos extenditur qui in Lege naturæ vixere.

Auctoris Tractatus de operibus cardinalibus Christi, inter Opera sancti Cypriani (fuit ille Abbas Bonævallis qui decimo tertio floruit Ecclesiæ sæculo.) En in opere, ubi de Circumcisione hæc habet dictus Auct. *Oper. S. Cypr. p. 958* „Sane originale peccatum quod à primis parentibus in totam generis humani successionem defluxit, omni tempore aliquibus remediis oportuit expiari, licet vim plenam significationis non habuerint, donec ad rem ipsam ventum est, quæ figurarum operiebatur velamine. Et licet Sacramentorum arcana omnibus non paterent, virtus tamen & effectus eorum ignorari non poterat.

Idem mox patebit ex aliis quæ referemus Veterum testimoniis, quibus constat remedium illud in fide positum fuisse. Idem universi affirmant Scholæ Doctores in 4. dist. 1. & 2. absque ulla controversia aut opinionum varietate; *quod signum est*, ait Suares in 3. p. *Edit. Lugd. 1608. T. 2. p. 12. col. 2.* S. Thomæ q. 61, disp. 4. art. 3. sect. 1. *dogma hoc certum ac indubitatum apud illos fuisse.*

Et quidem sanctus Thomas in Summa 3. p. q. 61. art. 3. in corpore, postquam asseruit universim necessaria esse Sacramenta ad humanam salutem, *in quantum sunt quædam signa sensibilia invisibilium rerum, quibus homo sanctificatur*; sic pergit: *Et ideo oportebat ante Christi adventum esse quædam signa visibilia, quibus homo fidem suam protestaretur de futuro Salvatoris adventu. Et hujusmodi signa dicuntur Sacramenta.* Quæstione 60. ar. 5. ad 3. dixerat: „Sicut in statu legis naturæ, homines nulla lege exterius data, sed solo interiori instinctu movebantur ad Deum colendum, ita etiam ex interiori instinctu determinabatur eis, quibus rebus sensibilibus ad Dei cultum uterentur.

Et in 4. d. 1. q. 1. art. 2. in responsione ad 3. quæst. ad 2. *Edit. Nicolai 1660. p. 9. col. 2. E.* „Dicendum est, *inquit*, quod ante Legem scriptam erant quædam Sacramenta necessitatis, sicut illud fidei Sacramentum quod ordinabatur ad deletionem originalis peccati; & similiter Pœnitentia quæ ordinabatur quoque ad deletionem actualis.

Atque hoc ipsum Legis naturæ contra originalem noxam remedium perseveravit etiam in Lege Moysis, ac locum habuit tum in infantibus, qui ante octavum à nativitate diem circumcidi non poterant, tum in mulieribus quæ à Lege Circumcisionis erant immunes; pro illis enim non aliud fuit remedium, quam quod tempore Legis naturæ usurpabatur.

Ratio autem petitur ex summa Dei clementia, qui cum neminem perire velit, sed omnes salvos fieri, haud dubie saluti parvulorum in Lege naturæ consuluit, per aliquod remedium ad eluendam maculam originalem destinatum. *Nulla ratio patitur*, ait Melchior Canus, Relectione de Sacramentis in genere, parte 3. *P. 781.* " ut divinæ providentia ullo tempore defuerit hominibus in necessariis ad salutem. Non possent autem filiis parvulis remedia parentes applicare, nisi per Dei revelationem cognovissent, & parvulos originali peccato teneri, & aliquod remedium ad eos servandos idoneum esse, quod licet scriptum non sit, non est tamen minus exploratum, quam si fuisset scriptum. Et cum Scriptura exprimat ante Abrahamum fuisse Religionem ac Sacerdotium, ex consequenti tradit fuisse Sacramenta, sine quibus nec Religio, nec Sacerdotium est. Cumque etiam in Lege naturæ Sacrificia pro peccatis fierent, ut Job 1. capite dicitur, non potest quin in Lege naturæ fuerint aliqua Sacramenta.„ Ita Canus.

Secunda Conclusionis pars, nempe remedium illud in fide venturi Messiæ positum fuisse. *Secunda pars Conclusionis, remedium illud fuit fides.*

Probatur 1. Quia sine fide in Christum Mediatorem nulla est speranda salus, Act. 4 v. 12. " Non est aliud sub Cœlo nomen datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri.„ Et 1. Cor. 3. v. 11. *To. 2. p. 701. C. D.* „Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Jesus.„ Unde merito S. Aug. Ep. 190. alias 157. ad Optatum ait: „Illa est fides salva, qua credimus nullum hominem, sive majoris, sive parvulæ quamlibet & recentis ætatis, liberari à contagione mortis antiquæ & obligatione peccati, quod prima nativitate contraxit, nisi per unum Mediatorem Dei, & hominum, hominem Christum Jesum.

Probatur 2. auctoritate sanctorum Patrum.

S. Augustinus Lib. 2. de nuptiis & concupiscentia c. 11. *To. 10. p. 313. D E.* „Superioribus temporibus, *inquit*, omnino latuit Sacramentum justificationis ex fide. Eadem tamen fides Mediatoris salvos justos faciebat antiquos, pusillos cum magnis ... Quia sicut credimus nos Christum in carne venisse, sic illi venturum; sicut nos mortuum, sic illi moriturum.

S. Gregorius Magnus Lib. 4. Moralium cap. 3. *T. 1. p. 102. C.* „Quod vero, *inquit*, apud nos valet aqua Baptismatis, hoc egit apud Veteres vel pro parvulis sola fides, vel pro majoribus virtus Sacrificii, vel pro his qui ex Abrahæ stirpe prodierant, mysterium Circumcisionis.

Venerabilis Beda Lib. 1. in Lucam c. 8. sic loquitur: *Edit. Basil. To. 5. p. 211. n. 37.* „Qui vel ante tempora Circumcisionis, vel etiam post datam Circumcisionem de exteris gentibus extitere Fideles, ut exemplat patientiæ Job, & amici liberique illius, sive victimis hostiarum se suosque ab originali peccato, seu certe sola fide salvabant, quia justus ex fide vivit, & sine fide impossibile est placere Deo.

S. Bernardus Epistola 77. ad Hugonem à sancto Victore, quæ inter Tractatus rejecta est ad Tomum 2. editionis postremæ c. 1. n. 4. postquam dixit Abrahamo ejusque posteris datam esse Circumcisionem in remedium peccati originalis, sic pergit: " In nationibus vero quotquot inventi sunt Fideles, adultos *To. 1. p. 627 B.* quidem fide & Sacrificiis credimus expiatos, parvulis autem solam profuisse, imo & sufficisse parentum fidem.

Idem

Idem planè sentiunt Magister Sententiarum, L. 4. dist. 1, Hugo à S. Victore Lib. 1. parte 2. cap. 3. S. Bonaventura in 4. dist. 1. parte 2, art. 2. q. 2. sanctus Thomas tomo Lib. 4. Sententiarum, dist. 1. qu. 2. art. 6. tum in Summa 3. parte qu. 70. articulo 4. ad 2. ubi docet, hujusce remedii vim in fide potissimum positam fuisse: "Sicut, *inquit*, ante institutionem "Circumcisionis, sola fides Christi futuri justificabat "tam pueros, quàm adultos; ita etiam & Circumci"sione data. Sed antea non requirebatur aliquod si"gnum protestativum hujus fidei, quia nondum ho"mines fideles seorsim ab infidelibus cœperat adunari "ad cultum unius Dei.

Ante illos omnes Tertullianus Lib. de Baptismo cap. 13. concedit ultro ante Legem solam fidem absque ullis signis exterioribus sufficientem fuisse ad sa-
P. 129. D. lutem. "Fuerit, *inquit*, salus retro per fidem nudam "ante Domini passionem & resurrectionem; at ubi fi"des aucta est credendi in nativitatem, passionem & "resurrectionem ejus, addita est ampliatio Sacramen"to, obsignatio Baptismi, vestimentum quodammo"do fidei, quæ retro erat nuda.

Fidem autem illam solam & nudam non fuisse, sed aliquo signo seu actione externa circumvestitam, probabile omnino nobis videtur: tum quia sanctus Augustinus ait *credendum esse aliquo Sacramento famulis Dei primis illis temporibus subventum esse*; Sacramentum autem est signum sensibile: tum quia per istud remedium seu Sacramentum, infantes populo Dei aliqua ratione adunabantur: tum quia id verisimile putat S. Thomas 3. parte qu. 70. articulo 4. ad 2. ubi postquam dixit sola fide justificatos fuisse tam parvulos, quàm adultos, addit, "probabile tamen "esse, quòd parentes fideles pro parvulis natis, & "maximè in periculo existentibus, aliquas Deo preces "funderent, vel aliquam benedictionem eis adhibe"rent, [quod erat quoddam signaculum fidei] sicut "adulti pro seipsis preces & Sacrificia offerebant.

Quo sensu dicunt Veteres sola fide justificatos fuisse parvulos. Quo ergo, inquies, sensu aliquot Veteres mox citati, parvulos sola parentum fide, adultos autem Sacrificiis mundatos fuisse?

Resp. solam ab ipsis fidem pro remedio infantium assignari, non per exclusionem signi alicujus exterioris quo manifesta fieret, sed per exclusionem Sacrifi-
P. 780. cii. *Veteres*, ait Melchior Canus Relectione de Sacramentis in genere parte 3. *distinguunt fidem non a signo seu Sacramento, sed à Sacrificio, asserentes Sacrificium pro adultorum peccatis fuisse necessarium, sed propter generale peccatum fuisse etiam generale remedium, nempe fidei quamcumque professionem.*

Præterea, solam idcirco fidem Veteres hic appellant, quòd ab illa, non vero à signo exteriori, potissimum penderet vis tota & efficacia remedii, signum enim illud infirmum erat & egenum elementum, ac mere conditio necessaria; fides autem vera justificationis causa: denique à fide non distinguunt nec separant externam ipsius professionem & protestationem; quæ professio etiam ab ipsis fides appellatur, quia Sacramentum est seu signum fidei.

Quæres, quomodo fides illa causa fuerit justificationis, an ex merito credentis, an vero ex merito objecti, seu Christi qui credebatur venturus?

Resp. Fidem illam vim habuisse impetrandi gratiam, non præcisè ut erat actus personæ credentis, sed propter objectum, seu Christum, qui credebatur. Un-
T. 10. p. 26. co. 1. E. de sanctus Thomas in 4. dist. 1. qu. 1. art. 6. ad 2. ait, *eam quandam habuisse similitudinem cum nostris Sacramentis, in quantum justificabat quasi ex opere operato, non autem ex opere operante.* De industria particulam istam imminuentem, *quasi*, apponit sanctus Doctor, ut innuat non eundem plane fuisse modum agendi ex opere operato hujus remedii in Lege naturæ, qualis est Sacramentorum Christi in Lege Evangelica: remedium enim illud prius ex ipso exteriori signo non pendebat sicut jam pendet, sed ex fide, non tantum objectivè sumpta, sed etiam subjectivè, quia nempe necesse erat per actum fidei parvulo remedium illud applicari, hoc est, meritum fidei in Christum. Operabatur enim illa fides simul per modum meriti & suffragii: meritum autem potissimum ex parte objecti crediti, nempe Christi venturi, profluebat; suffragium autem erat ex parte credentis, qui remedium applicabat. Unde merito dixit S. Thomas, *fidem illam justificasse ex objecto, quasi ex opere operato, non ex opere operantis*: quia licet fides ex parte operantis necessaria foret ut causa applicans remedium, non erat tamen causa efficaciæ & virtutis ipsius remedii; atque in hoc potissimum à veteribus Sacramentis nova discrepant, quod nova ex virtute Christi sine ulla Ministri fide data, etiam valeant & rata sint.

Fides vero illa parentum, qua parvuli mundabantur, sola non erat mentis credulitas, sed quælibet moralis ac pia actio quæ ex fide manabant, & cujus quoddam erat signum protestativum. Necesse etiam non erat, ut fides illa charitate formata foret; quia, ex mox dictis non operabatur virtute actus seu personæ credentis, sed virtute objecti seu Christi qui credebatur venturus: non sufficiebat tamen fides habitualis, sed actualis requirebatur, ea scilicet per quam Deo parvulus offerebatur.

Neque inde licet inferre, aut fidem in Christum majoris efficaciæ apud Veteres fuisse, quàm jam sit apud nos; aut meliorem etiam fuisse infantium tunc temporis conditionem, quàm nostrorum, quibus nempe sola parentum fides ad salutem sufficiebat, cum Sacramentum Baptismatis prorsus necessarium sit.

Namque de virtute fidei nihil prorsus detractum est, quæ plurimum semper valuit sive in Lege naturæ, sive in Lege Moysis aut Christi; fidei solummodo in Lege Christi, accessit Sacramenti necessitas velut quoddam vestimentum, ait Tertullianus: unde concludi non debet, fidem jam salutem nostram non operari; sed solam non operari, cum necessaria prorsus sint Sacramenta, velut causæ effectrices gratiæ salutaris. Tantum igitur abest ut melior inde fuerit Veterum conditio, quin nostra longe præstantior; tum quia obscurior & rarior erat fides apud antiquos, & gratia parcior; nunc vero & fides frequentior ac magis evoluta, & gratia uberior; tum quia salus infantium pendebat olim ex fide parentum, vel eorum à quibus Deo offerebantur; nunc vero seclusa etiam illa parentum vel Ministri Sacramentorum fide, virtute ipsius Sacramenti applicati salus obtinetur: tum denique quia innumeris ritibus ac legalibus ceremoniis Veteres obruebantur, quibus nos per Christum jam liberi facti sumus: tanto igitur sors nostra veteri præstat, quanto filius servo, figuræ veritas, lux tenebris antecellit.

SECUNDA CONCLUSIO.

Conjici non immerito potest, in Lege naturæ nonnulla pro adultis fidelibus extitisse Sacramenta.

Probatur: Quia fuere eo in statu Deo oblata Sacrificia, ut patet exemplis, Abelis, Cain, Job, Abraham, Melchisedecis; quin & Gentiles ipsi hoc quasi innatum habuere, ut quos Deos colerent, eos cultu aliquo externo venerarentur. Unde Gen. 41. & 47. mentio fit Sacerdotum Ægypti, & Exodi 2. & 3. nominatur Sacerdos Madian: gentium quippe omnium consensu firmatum illud est, non aliter quàm oblatis Deo sacrificiis divinam iram placari ac mitigari posse; quidni ergo fuere eo in statu Sacramenta? Maximè

cum

cum idem ritus exterior, simul & sacrificii ad cultum Dei, & Sacramenti ad sanctificationem hominis rationem habere potuerit, quam sanctificationem non virtute ritus externi, sed merito fidei tunc homines consequebantur. Adde quod rationes omnes & causæ propter quas ostendimus consentaneum fuisse aliqua post hominis lapsum institui Sacramenta, locum habeant in statu Legis naturæ, perinde ac in Lege scripta. Favere videtur sanctus Thomas jam citatus in 4. dist. 1. q. 1. art. 2. in responsione ad 3. q. ad 2.

ARTICULUS IV.

De Sacramentis Legis scriptæ Mosaicæ, & Evangelicæ.

DE iis hic dumtaxat loquimur Sacramentorum in Lege veteri & nova institutione ac existentia: dicturi subinde de essentia, de virtute, ad discrimine nostrorum à veteribus.

PRIMA CONCLUSIO.

Instituta sunt nulla in Lege veteri Sacramenta.

Probatur: Quia multi ea in Lege fuere ritus, multæ cæremoniæ stabiles ac fixæ quæ legalem & externam conferebant sanctitatem, internam vero per Christum dandam præfigurabant; talis imprimis fuit Circumcisio, talis Agnus paschalis, & alia hujusmodi benè multa, quibus totidem umbris ac figuris venturus Christus adumbrabatur; finis enim Legis Christus. Unde Apostolus 1. Corinth. 10. v. 11. generatim pronuntiat, *omnia Judæis in figura contigisse*: ritus porro illi fuere prisci populi Sacramenta, quibus in unum Religionis corpus adunabatur. In re tàm certa & omnibus explorata superfluum foret plura referre Veterum testimonia.

10 p. co. 1. A. Unus hic sufficiat S. Thom. qui scribens in L. 4. Sentent. dist. 1. q. 1. art. 2. in solutione ad 4. q. causam exponit cur diversis temporibus oportuerit diversa institui Sacramenta. *Cum Sacramentorum usus*, inquit, *fidei proportionaliter respondeat, oportuit quod secundum diversum statum fidei diversimode Sacramenta traderentur; fides autem quantum ad articulorum explicationem, semper magis & magis crevit secundum propinquitatem temporis gratiæ; & secundum hoc oportuit Sacramenta magis ac magis determinari. Et propter hoc, quia in Abraham fides primo habuit quasi notabilem quantitatem, ut propter fidei religionem ab aliis separaretur, ideo ei signaculum sive Sacramentum fidei determinatum fuit, scilicet Circumcisio. Et quia tempore Moysi jam fides ad tantam quantitatem devenerat, ut non solum in uno homine refulgeret, vel in familia, sed in una tota gente, populo Dei multiplicato, ideo oportuit & Legem dari ... & Sacramenta in speciali determinari & multiplicari; & propter hoc necessarium fuit in lege Moysi determinari sacrificia, oblationes, & decimas, quantum ad omnes singulares circumstantias, & matrimonia ordinari, & pœnitentiæ satisfactiones distingui.* Hæc sanctus Thomas.

De duratione ac tempore quo vetera Sacramenta non tantum mortua, sed & mortifera fuere, non est hic aptus dicendi locus sed pertinet ad disputationem de Legibus, ubi de veteri Lege controversia instituitur.

SECUNDA CONCLUSIO.

Christus in nova Lege vera & proprie dicta Sacramenta instituit, numero septem, non plura nec pauciora: videlicet, Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam unctionem, Ordinem, & Matrimonium.

Probatur: Quia in verbo Dei seu scripto seu tradito isthæc dumtaxat septem, non alia, referuntur à Christo Domino instituta veri nominis Sacramenta. Testimonia Scripturæ eam in rem superius, occasione materiæ & formæ Sacramentorum, laudavimus. Traditionis vero seriem hic texere nobis animus non est, quod, Deo aspirante, ubi de unoquoque sigillatim Sacramento exequemur adversus Novatores, qui septenarium illum numerum detractis aliquibus Sacramentis, non sine aliqua inter se varietate & inconstantia labefactare tentarunt. Vide Bellarminum Lib. 2. de Sacramentis in gen. cap. 23.

Neque porro vim Catholicæ probationis elidere potest prætensum illud, quod jactitant Novatores, antiquorum silentium, apud quos, inquiunt, ex ordine descriptus non legitur septenarius ille Sacramentorum numerus, qualis primus occurrit apud Hugonem à sancto Victore an. 1130. & apud Petrum Lombardum an. 1140. Occupatur objectio ducta ex silentio Veterum qui septem non numerant Sacramenta.

Namque 1. argumentum istud plane negativum est, cujus apud ipsosmet Novatores nullum pondus, nullum fere est momentum. 2. Pari argumento si valeret, impugnari & everti posset auctoritas & vetustas Librorum Canonicorum, quia ante Laodicenam Synodum eorum Catalogus ex ordine concinnatus non legitur. 3. Veteres pro data dumtaxat occasione ac suscepti operis instituto, non de omnibus simul, sed de aliquibus solummodo Sacramentis tractarunt, ac de illis potissimum, quæ eodem tempore initiandis conferebantur, Baptismo scilicet, Confirmatione, & Eucharistia, de quibus ordo postulabat ut Catecheses & institutiones præmitterentur: quæ certe causa fuit, cur sanctus Ambrosius, aut quisquis apud ipsum auctor est Librorum de Sacramentis, & sanctus Cyrillus Hierosolymitanus in suis ad Neophytos Catechesibus, de tribus illis dumtaxat Sacramentis verba fecerint; sanctus vero Justinus in 2. Apologia, de duobus tantum, Baptismo & Eucharistia: non quod cætera exclusa voluerint, absit; sed quod eorum expositionem non postulabat tunc suscepti ab ipsis operis ratio. 4. Ea quæ quotidiano Ecclesiæ usu ac praxi teruntur, quia sunt in publica veluti luce posita, & à nemine ignorantur, nonnunquam suis in Operibus commemorare prætermittunt Scriptores Ecclesiastici, quæ negare nemo ausus fuisset, quin statim, e vestigio insurgente ac reclamante Orbe Christiano repressus fuisset. Tom. 1. Conc. p. 1521. D. E.

Ad hunc Orbis totius consensum ac publicam praxim provocabat olim sanctus Hieronymus, ut Sacramentum Confirmationis demonstraret: *An nescis*, inquiebat Dialogo adversus Luciferianos ante medium, *Ecclesiarum hunc esse morem, ut baptisatis postea manus imponantur, & ita invocetur Spiritus sanctus? Exigis ubi scriptum sit? In Actibus Apostolorum. Etiam si Scripturæ auctoritas non subesset, totius orbis in hanc partem consensus instar præcepti obtineret.* Ed. nov. T. 4. p. 2. p. 294.

Quamquam facile sit plura ex sanctis Patribus testimonia hic proferre, quibus septem illa Ecclesiæ Catholicæ Sacramenta designantur, unus inpræsentiarum sufficiat sanctus Augustinus.

Lib. 5. de Baptismo c. 20. n. 28. *Si adhuc valet*, inquit, *quod dictum est in Evangelio, Deus peccatorem non audit, ut per peccatorem Sacramenta non celebrentur, quomodo exaudit homicidam deprecantem, vel super aquam Baptismi, vel super oleum, vel super Eucharistiam, vel super capita eorum quibus manus imponitur? Quæ omnia tamen & fiunt & valent etiam per homicidas ..... in ipsa intus Ecclesia.* To. 9. p. 154 & 155. A.

Lib. 2. contra Petil. cap. 104. nu. 239. exponens verbo Psalmi, *tanquam unguentum in capite*, quæ Petilianus antea in sensum suum interpretatus fuerat, *In hoc unguento*, inquit sanctus Augustinus, *Sacramentum Chrismatis vultis interpretari, quod quidem in genere visibilium signaculorum Sacrosanctum est sicut ipse Baptismus.*

Ib. pag. 293. B.

Lib. 1. de Baptismo cap. 1. num. 2. "Sacramentum, ait, dandi Baptismi est quod habet qui ordinatur ..... si ab unitate recesserit, Sacramentum dandi "Baptismi non amittit ..... Qui priusquam recederent "ordinati sunt, non utique rursus ordinantur, sed aut "administrant quod administrabant, aut si non admi-"nistrant, Sacramentum Ordinationis suæ tamen ge-"runt, & ideo eis manus inter laicos non imponitur.

Ib. p. 80. A. B.

Lib. 1. de Nuptiis cap. 10. num. 11. *Dicit Apostolus*, inquit, *Viri diligite uxores vestras sicut & Christus dilexit Ecclesiam; hujus procul dubio Sacramenti res est, ut mas & fœmina connubio copulati quamdiu vivunt inseparabiliter perseverent.* Et Lib. 9 de Gen. ad lit. cap. 2. n. 12. ait, *Matrimonii triplex bonum, proles, fides, Sacramentum.*

T. 10. pag. 275. F.

T. 3. p. 1. p. 247. E.

Ex his omnibus patet, sanctum Augustinum septem agnovisse Sacramenta, quæ satis in testimoniis adductis designantur, nisi fortè Unctionem extremam excipias, quæ tamen olei nomine in primo testimonio subintelligi potest.

Ante Augustinum Tertullianus nonnulla commemorat Ecclesiæ Sacramenta quæ diabolus in mysteriis idolorum imitabatur. "Ipsas, *inquit*, quoque res Sa-"cramentorum divinorum, idolorum mysteriis æmu-"latur. Tingit & ipse quosdam, utique credentes & "fideles suos; expositionem delictorum de lavacro re-"promittit; & si adhuc memini, Mithra signat illic in "frontibus milites suos; celebrat & panis oblationem, "& imaginem resurrectionis inducit, & sub gladio re-"dimit coronam. Quid? quod & Summum Pontifi-"cem unius nuptiis statuit? habet & virgines, habet "& continentes." Tria hic apertè Sacramenta designantur, Baptismus, Confirmatio Eucharistia; alibi mentionem facit Pœnitentiæ, de qua Librum integrum scripsit; Ordinationis Lib. 1. ad uxorem cap. 7. ubi ait, *Ecclesiæ disciplinam non permittere bigamos præsidere, viduam allegi in ordinem nisi univiram.* Et Lib. de Præscript. cap. 41. ubi Hæreticorum Ordinationes temerarias, leves, inconstantes esse ostendit, apud quos *alius hodie Episcopus, cras alius: hodie Diaconus, qui cras Lector: hodie Presbyter, qui cras Laicus.* Matrimonii mentionem habet L. 2. ad uxorem cap. 8. *Unde, sufficiamus ad enarrandam felicitatem ejus Matrimonii, quod Ecclesia conciliat, & confirmat oblatio*, inquit, *& obsignat benedictio? Angeli renuntiant, pater rato habet?*

Lib. de Præscr. c. 40. p. 116. D.

P. 165. C.

P. 117. C.

P. 171. C.

Denique utramque Ecclesiam Græcam & Latinam summo consensu septem agnoscere Legis novæ Sacramenta, demonstrant Arcadius & Leo Allatius.

Alia objectio occupatur ex variis speciebus Ordinationis.

Huic vero Conclusioni nostræ, quæ Catholicorum omnium est, & ad fidei dogma pertinet, non adversantur qui ex nostris Scholasticis docent, unumquemque Ordinem, Episcopatus, Presbyteratus, Diaconatus &c. esse Sacramentum propriè dictum ac specie distinctum; non enim propterea crescit in eorum sententia, qui definitus est, septenarius Sacramentorum numerus; quia scilicet species illæ variæ Ordinationis revocantur ad unum genus quod dicitur Sacramentum Ordinis. Non est autem ab Ecclesia definitum, sed disputationi permissum, an illæ variæ Ordinationes, sint, vel non sint totidem specie distincta Sacramenta.

Eugenius IV. S. Pontifex in Decreto seu Instructione Armenorum. Sanctus Thomas cæterique Scholæ Magistri hujus septenarii Sacramentorum numeri congruam rationem & causam reddunt, ex analogia & similitudine vitæ spiritualis cum corporea, seu publica, seu privata. Hanc eleganter exponunt auctores Catechismi Conc. Tridentini parte 2. num. 18. his verbis: *Homini ad vivendum vitamque conservandam & ex sua Reique publicæ utilitate traducendam, hæc septem necessaria videntur: ut scilicet in lucem edatur, augeatur, alatur, si in morbum incidat sanetur, imbecillitas virium reficiatur; deinde, quod ad Rempublicam attinet ut Magistratus nunquam desint, quorum auctoritate & imperio regatur, ac postremo legitima sobolis propagatione seipsum & humanum genus conservet. Quæ omnia quoniam vitæ illi, qua anima Deo vivit, respondere satis apparet: ex iis facile Sacramentorum numerus colligetur. Primus enim est Baptismus, veluti cæterorum janua, quo Christo renascimur. Deinde Confirmatio, cujus virtute fit ut divina gratia augeatur, & roboremur ..... Tum Eucharistia, quo tanquam cibo verè cœlesti spiritus noster alitur ac sustinetur ..... Sequitur quarto loco Pœnitentia, cujus ope sanitas amissa restituitur, postquam peccati vulnera accepimus. Postea vero Extrema unctio, qua peccatorum reliquiæ tolluntur, & animi virtutes recreantur ..... Sequitur Ordo, quo publica Sacramentorum ministeria perpetuò in Ecclesia exercendi, sacrasque omnes functiones exequendi potestas traditur. Postremò additur Matrimonium, ut ex maris & fœmina legitima & justa conjunctione, filii ad Dei cultum & humani generis conservationem procreentur, & religiosè educentur.*

Catechismus Concilii Tridentini causam exponit septenarii numeri Sacramentorum.

Quæres 1. quis sit ordo inter Sacramenta numeranda servandus.

Quis sit ordo inter Sacramenta?

Resp. eum esse quem Conclusio nostra ex Decreto Eugenii IV. & ex Concil. Trid. sess. 7. Can 1. exprimit; cujus quidem ordinis consentanea ratio manifesta est ex mox citatis Catechismi Romani verbis.

Ordo porrò ille non est ordo perfectionis: alioquin Eucharistia, quæ Christum ipsum continet, ac cæteris idcirco dignitate est superior, primo loco numeranda fuisset: neque etiam est ordo necessitatis; alias Pœnitentia ante Confirmationem collocanda foret: neque etiam ordo naturæ & causalitatis, quia unum Sacramentum non est causa alterius; neque pariter ordo temporis, quasi necesse foret Sacramenta eo ordine percipi quo numerata sunt. Est igitur solummodo ordo relativus ad fines Sacramentorum proprios, quatenus scilicet ad spiritualem vitam ordinantur, vel cum ea conjunctionem habent: hac quippe de causa dicuntur priora Sacramenta, quæ privatam singulorum vitam spectant; posteriora verò, quæ publicam.

Quæres 2. an omnia Sacramenta novæ Legis sint necessaria.

Resp. affirmativè, quamquam diverso necessitatis gradu. Aliqua enim necessaria sunt necessitate medii seu finis, ut Baptismus & Pœnitentia; alia verò necessitate præcepti, ut Confirmatio, Eucharistia &c. nullum porrò est planè otiosum ac superfluum. *Si quis dixerit*, ait Canon 4. Tridentinus sess. 7. de Sacramentis in genere, *Sacramenta novæ Legis non esse ad salutem necessaria, sed superflua, & sine eis aut eorum voto, per solam fidem homines a Deo gratiam justificationis adipisci, licèt non omnia singulis necessaria non sint, anathema sit.*

To. 14. Conc. 776. E.

Quæres 3. an omnia Sacramenta sint inter se dignitate paria.

Resp. negativè. Ita Conc. Trident. sess. 7. citata Can. 3. *Si quis dixerit hæc septem Sacramenta ita inter se paria esse, ut nulla ratione aliud sit alio dignius; anathema sit.* Et vero Eucharistia quæ continet Christum totius gratiæ fontem & auctorem, cætera Sacramenta dignitate & excellentia superat.

Ibid.

Quæres

Lotio pedum fit verum Sacramentum? rationes dubitandi.

Quæres 4. cur inter vera novæ Legis Sacramenta non recenseatur illa pedum lotio quæ à Christo facta refertur ante ultimam cœnam, Joan. 13. v. 5. & seq. nihil quippe eorum quæ ad verum Sacramentum exiguntur, in ea desiderari videtur. 1. Est signum externus; *Cœpit lavare pedes discipulorum.* 2. annexum habet præceptum: *Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis.* 3. Continet promissionem gratiæ; *Si non lavero te*, ait Christus ad Petrum, *non habebis partem mecum.* Rursus: *Qui lotus est, non indiget, nisi ut pedes lavet*; quæ verba necessariam designant mundationem à venialibus peccatis post acceptam gratiam Baptismalem. Denique mysticam ea in lotione significationem latitasse, indicant hæc Christi verba ad sanctum Petrum; *Quod ego facio tu nescis modo, scies autem postea.*

Accedit & auctoritas nonnullorum è Veteribus.

Ambrosius.

Sanctus Ambrosius Lib. 3. de Sacramentis cap. 1. contendit ritum illum lavandi pedes non ad humilitatem modò, sed etiam ad sanctificationem seu mundationem à peccatis institutum fuisse. "Audi, *inquit*, "quia mysterium est & sanctificatio; Nisi lavero tibi "pedes, non habebis partem mecum. *Et postea*: In "Baptismate omnis culpa diluitur. Recedit ergo culpa; sed quia Adam supplantatus à diabolo est, & venenum ei effusum est supra pedes, ideo lavas pedes; "ut in ea parte in qua insidiatus est serpens, majus subsidium sanctificationis accedat, quo postea te supplantare non possit. Lavas ergo pedes, ut laves venena serpentis. Ad humilitatem quoque proficit, ut "in mysterio non erubescamus, quod dedignamur in "obsequio.

T. 2. p. 353. A.
T. 2. p. 348. C.

Et Lib. de Mysteriis cap. 6. *Ideo*, inquit, *planta ejus* (Petri) *abluitur, ut hæreditaria peccata tollantur; nostra enim propria per Baptismum relaxantur.*

Bernardus.

Sanctus Bernardus Serm. in Cœna Domini, cui titulus est de Baptismo, Sacramento altaris, & ablutione pedum n. 2. postquam præmisit Deum curasse ut aliquo visibili signo suam nobis gratiam communicaret, sic pergit: *Ad hoc instituta sunt omnia Sacramenta; ad hoc Eucharistiæ participatio; ad hoc pedum ablutio; ad hoc denique ipse Baptismus initium Sacramentorum omnium.* Confert eo loci sanctus Doctor, lotionem pedum cum Baptismo & Eucharistia, veris sine dubio Sacramentis, atque ea omnia ad hoc instituta esse affirmat, ut signo visibili invisibilis gratia nobis donetur. Quod ubi de Baptismo & Eucharistia demonstravit, tum n. 4. de lotione pedum subjungit: "Ut de remissione quotidianorum minime dubitemus habemus ejus Sacramentum, pedum ablutionē. "Quæris forte unde scis, quòd Sacramentum sit hujus "remissionis? Maxime cum ipse Dominus promiserit "Petro dicens, Quod ego facio tu nescis modo, scies "autem postea; nihil autem de Sacramento locutus "est, sed tantum, Exemplum dedi vobis, ut & vos ita "faciatis. ... Vis autem nosse, quia pro Sacramento illud est, non pro solo exemplo factum? Illud attende "quod Petro dictum est: Si non lavero te, non habebis partem mecum. Aliquid igitur latet quod necessarium est ad salutem, quando sine eo nec ipse Petrus partem haberet in regno Christi & Dei. ... Unde "scimus quia ad abluenda peccata, quæ non sunt ad "mortem, & à quibus plane cavere non possumus ante "mortem, ablutio ista pertineat? Ex eo plane, quod offerenti manus & caput pariter ad abluendum, responsum est, Qui lotus est, non indiget nisi ut pedes "lavet.

T. 1. p. 891. F.
T. 1. p. 892. E.
pag. 893. A.

Igitur sanctus Bernardus lotionem pedum comparat Baptismo Eucharistiæ, asseritque 1. eam Sacramentum esse quotidianorum peccatorum. 2. Illam non pro solo exemplo, sed etiam pro Sacramento factam. 3. Aliquid in ea latere ad salutem necessarium, sine quo nec ipse Petrus partem habere potuisset in regno Christi. 4. Denique, ad diluenda peccata à quibus omnino cavere non possumus, ablutionem illam pertinere.

Arnoldus Abbas Bonevallis. Oper. Cypr. pag. 354.

Denique auctor Tractatus de ablutione pedum inter Opera sancti Cypriani, existimare pariter videtur ablutionem illam pro delendis quotidianis peccatis institutam fuisse, quod probat his verbis Christi. *Si non lavero te, non habebis partem mecum: qua conditio proposita*, inquit, *inevitabilem declarat hujus mysterii necessitatem.*

Solvuntur rationes dubitandi.

Resp. Non aliam in factis hujusmodi rationem & causam quæri aut reddi posse, præter unam voluntatem Christi, cujus Ecclesia fidelis est interpres: hæc porrò lotionem illam pedum nusquam loco veri Sacramenti à Christo Domino instituti se habuisse aperte declaravit, tum præfinito septenario Sacramentorum numero; tum varia & inconstanti sua disciplina & praxi in ea lotione retinenda, vel non retinenda. Testatur id sanctus Augustinus in Epistola 55. alias 119. ad Januarium. "Ne, *inquit*, ad ipsum Sacramentum "Baptismi videretur pertinere, (*pedum lotio*) multi "hoc in consuetudine recipere noluerunt. Nonnulli "etiam de consuetudine auferre non dubitarunt. Alii "qui autem ut hoc & sacratiore tempore commendarent, & à Baptismi Sacramento distinguerent, vel "diem tertium Octavarum, quia & ternarius numerus "in multis Sacramentis maxime excellit, vel etiam ipsum octavum, ut hoc facerent, elegerunt.

Incerta & varia disciplina circa lotionem pedum. T. 2. p. 141. F.

Et vero Ecclesia Romana cæterarum mater ac magistra, ritum hunc lavandi pedes non observavit, teste ipsomet sancto Ambrosio Lib. 3. de Sacramentis cap. 1. num. 5. Ecclesia pariter Hispanica in Conc. Eliberitano Can. 48. prohibuit lavari à Sacerdotibus vel Clericis pedes eorum qui baptisabantur; Ecclesia etiam Africana certam ac fixam ea in re disciplinam non habuit, ut ex citato sancto Augustino intelligimus.

Origo & finis illius lotionis.

Quod si origo & finis hujusce lotionis aliquibus in locis observatæ propius inspiciatur, non aliud esse videbitur, quàm ut sordida baptisandorum corpora, ne forte oculos offenderent, mundarentur. *Si quæras*, ait S. Augustinus Epistola 54. alias 118. *cur lavandi mos ortus sit nihil mihi hac de re cogitanti probabilius occurrit, nisi quia baptisandorum corpora per observationem quadragesimæ sordidata, cum offensione sensus ad fontem tractarentur, nisi aliqua die lavarentur. Istum autem diem potius ad hoc electum quo Cœna Dominica anniversarie celebratur. Et quia concessum est hoc Baptismum accepturis, multi cum his lavari voluerunt, jejuniumque relaxare.*

Ibid. p. 127. E.

Eam ob causam Hispanica Ecclesia non modo pedes, sed & caput baptisandorum lavabat die Dominica Palmarum, quam propterea vulgò *Capitilavium* vocatam fuisse observat Isidorus Lib. 6. Etymologiarum cap. 17. & Lib. 1. de Officiis Ecclesiasticis cap. 26. In Galliis quoque eundem morem aliquando invaluisse narrat Alcuinus Lib. de Ecclesiasticis Officiis. Quin & ex Missalibus Gothico pag. 249. & Gallicano veteri, quæ doctissimus Mabillonius evulgavit, constat non tantum caput, sed & pedes baptisandorum lavari solitos fuisse.

Ad argumenta autem prius adducta respondemus.

I. Equidem lotionem illam esse signum exterius; verùm id non sufficit ad verum Sacramentum, sed necesse est ut sit signum constans, in Religione perpetuum, efficax & practicum gratiæ sanctificantis, quæ præsertim conditio desideratur in lotione pedum.

II. Morem hunc lavandi pedes, in splendidis conviviis olim usurpari solitum, ut multi existimant, Christus ipse observavit in exemplum & documentum humilitatis, charitatis & hospitalitatis; nullatenus vero ut legem ac præceptum daret Sacramenti in

perpetuum celebrandi. *Si ergo*, inquit Joan. 13. v. 13. *ego lavi pedes vestros Dominus & Magister, & vos debetis alter alterius lavare pedes. Exemplum enim dedi vobis .... Amen, amen dico vobis; Non est servus major Domino suo, neque Apostolus major eo qui misit illum.*

Quid significatur per lotionem pedum.

III. Nulla est promissio gratiæ à Christo annexa huic cæremoniæ, sed nuda dumtaxat significatio alicujus mysterii & effectus spiritualis; quam quidem varii variam assignant. Sunt qui volunt ea pedum lotione adumbratum fuisse Sacramentum Confirmationis, quo homini baptizato robur accedit contra tentationes mundi, dæmonis & concupiscentiæ: alii Sacramentum Pœnitentiæ, quod lapsis post Baptismum plane necessarium est; idque significasse Christum his verbis, *Qui lotus est non indiget nisi ut pedes lavet.* Sunt qui solam remissionem venialium seu quotidianorum peccatorum ea lotione designatam dicunt, similitudine nimirum ducta ab iis qui è balneo exeuntes corpore mundi sunt, nec indigent nisi ut laventur pedes quos calcata terra iterum paululum inquinat; idque eo consilio à Christo factum ac dictum asserunt, ut suos edoceret qua animi puritate ac munditie ad sacram Eucharistiam, quam mox ipsis daturus erat, accedere deberent. De variis illis Interpretum expositionibus lege Maldonatum in cap. 13. sancti Joannis. Existimat ille probabilius, ea lotione designari Sacramentum Pœnitentiæ. Sed quidquid sit, hoc unum apud nos certum & exploratum esse debet, huic lotioni nullam à Christo Domino annexam fuisse vim & efficiam ad gratiam sanctificantem conferendam; quapropter comminantis Christi verba ad sanctum Petrum, *Nisi lavero te, non habebis partem mecum*, non indicant ipsius præcisè lotionis ac gratiæ annexæ defectu excludendum sanctum Petrum à Regno Cœlorum; sed eorum verborum sensus est juxta nonnullos, Si obstinatè recuses tibi à me lavari pedes, propter inobedientiam non habebis partem mecum in Regno Cœlorum: vel, juxta alios, Si non lavero te, non fies particeps Eucharistiæ quam mox instituturus sum: vel, Si non lavero te lotione scilicet interna & spirituali, qua brevi indigebis, postquam me negaveris, non habebis partem mecum. Sub typo enim lotionis materialis, Christus internam intelligebat, ac futurum prævidens Petri lapsum, atque in ejus persona omnes alloquens homines, admonet, post Baptismum, qui repeti non potest; contra humanas prolapsiones tam frequentes gratiam pœnitentiæ necessariam insuper esse.

Quis sensus verborum Christi: Nisi lavero te &c.

IV. Denique, fatemur ea in lotione mysticum aliquid latitasse, quod tunc ignorabat sanctus Petrus, & quod postea cogniturus erat, sive cùm lapsum suum agnovit & amare deflevit; sive cum audivit Christum dicentem, *Rogavi pro te ne deficiat fides tua*; sive cùm in die Pentecostes Spiritum sanctum accepit; sive cùm ipse pœnitentiæ necessitatem prædicavit Act. 8. v. 22. Quod verò sit illud mysterium, ex iis quæ mox dicta sunt, colligere quisque facile poterit.

Luc. 22. v. 32.

Ad auctoritatem sancti Ambrosii, dicimus reipsa quidem S. Doctorem agnoscere lotionem illam pedum non tantum ad humilitatem, sed etiam ad sanctificationem institutam fuisse, quam nempe significabat, non vero ex se operabatur; porrò Sacramenti proprius character est, ut non tantum significet, sed etiam conferat gratiam sanctificantem; nec aliter hìc exponenda sancti Ambrosii, quàm ipsius Scripturæ verba mox relata.

Plus momenti habere videtur quod ait sanctus Doctor in Libro de Mysteriis c. 6. unde monet Maldonatus, locum illum indigere tuto lectore ac benevolo interprete. Verum seipsum interpretatur sanctus Doctor Expositione in Psalm. 48. nu. 9. ubi per hæreditaria peccata, non intelligit ipsum quod ab Adamo jure nativitatis peccatum traximus, sed concupiscentiam ipsam quam ibidem appellat *lubricum delinquendi*, & quæ peccatum dicitur, quia est à peccato, & ad peccatum inclinat. Sensus igitur illius est: post mundationem baptismalem, aliam rotius necessariam esse qua purgentur hæreditaria peccata, id est, ea quotidiana ad quæ continuò per hæreditariam concupiscentiam sollicitamur; quam quidem mundationem significat, non autem efficit illa pedum lotio, nisi saltem ex opere, ut vocant, operantis.

S. Bernardus lotionem illam Sacramentum appellat latiori quodam sensu, quia nempe rem aliquam sacram seu spiritualem significabat; at non asserit virtute ipsius exterioris signi rem illam spiritualem seu gratiam concessam esse. Ait quidem esse mysterium rei ad salutem necessariæ; sed non rem illam necessariam, id est, mundationem à venialibus peccatis, virtute lotionis externæ obtineri; ait lotionem illam pertinere quidem ad abluenda peccata quæ non sunt ad mortem; sed non ait eam esse causam effectricem mundationis à peccatis.

Idem videtur esse sensus eademque mens Arnoldi Carnotensis Abbatis Bonævallis, qui auctor est Tractatus citati de lotione pedum; tametsi existimet Maldonatus, auctorem hunc voluisse per lotionem pedum significatam fuisse non tantum remissionem venialium peccatorum per opera humilitatis, sed etiam mortalium, per verum Sacramentum Pœnitentiæ.

Quo sensu professio religiosa Sacramentum ab aliquibus dicitur.

Quæres denique, quo sensu nonnulli, ut Sanctus Dionysius, Theodorus Studita, Professionem religiosam seu Monachatum Mysterium & Sacramentum appellavere?

Resp. sensu latiori & improprio, quia à Christo institutam esse probant religiosam Professionem, tanquam secundum quemdam Baptismum quo peccata remittuntur, non quidem ex opere operato, sed ex opere operantis, propter fervorem ac vehementiam charitatis eorum qui mundo renuntiant. *Rationabiliter dici potest*, ait sanctus Thomas 2. 2. q. ultima articulo 3. ad 3. *quòd etiam per ingressum Religionis aliquis consequatur remissionem omnium peccatorum. Si enim aliquibus eleemosynis factis, homo potest statim satisfacere de peccatis suis, secundum illud Danielis 4. Peccata tua eleemosynis redime; multò magis in satisfactione pro omnibus peccatis sufficit, quòd aliquis se totaliter divinis obsequiis mancipet per Religionis ingressum, qui excedit omne genus satisfactionis, etiam pœnitentia publica ...., Unde legitur in vitis Patrum, quòd eandem gratiam consequuntur Religionem intrantes, quam consequuntur baptizati.* Ita sanctus Thomas, qui tamen longè abest ut existimet parem in omnibus esse virtutem & efficaciam Professionis Monasticæ, ac Sacramenti Baptismatis. Lege Leonem Allatium Lib. 3. de consensu cap. 16. num. 22. & seq. ubi explicat quo sensu Veteres nonnulli Monachatum Sacramentum esse dixerint.

QUÆSTIO III.

De virtute & efficacia Sacramentorum.

TRia hic occurrunt nobis discutienda capita.

Primum spectat dogma fidei adversùs Hæreticos, an scilicet Sacramenta novæ Legis gratiam ex opere operato conferant iis qui nullum opponunt obicem, cùm ea percipiunt.

Secundum spectat Scholæ dissidium, seu controversiam liberæ Theologorum disputationi permissam, nempe an Sacramenta modo physico vel morali operentur.

Tertium denique spectat discrimen nostrorum Sacramentorum à veteribus; nimirum utrum vetera Sacramenta, imprimis Circumcisio, vim habuerint ex sua institutione conferendi gratiam sanctificantem.

ARTICULUS I.

An Sacramenta Legis Evangelicæ ex se, seu ex opere operato gratiam non ponentibus obicem conferant.

Rei Catholicæ interest plurimùm, nosse quæ genuina sit Sacramentorum nostrorum virtus & efficacia, ex qua, ut eorum dignitas & præstantia, ita & sanctificatio nostra derivatur. Inde graves de hocce argumento Catholicos inter & Novatores Lutheranos & Calvinistas discordiæ; quæ, ut pluribus videtur, ex eo plurimum creverunt, quod non satis ex utraque parte litigantium sententia perspecta & eliquata visa fuerit; nec sese mutuo satis intellexerint.

Ut vero intelligatis quid sit apud Theologos Sacramentum agere ex opere operato, observate statim ad justificationem hominis ista concurrere: 1. ex parte Dei, concurrit voluntas, qua vult Ministrum uti tali materia sensibili ad conferendam gratiam ab eo determinata. 2. ex parte Christi, ejus Passio cujus merita applicantur. 3. ex parte Ministri, intentio & potestas. 4. ex parte Sacramenti, ipsa externa actio, quæ exurgit ex debita materiæ & formæ applicatione. 5. denique, ex parte subjecti seu hominis Sacramentum percipientis, si adultus fuerit, actus fidei, spei &c. dispositiones sunt seu præparationes præviæ ad Sacramentum cum fructu percipiendum omnino necessariæ. Christus igitur est gratiæ Sacramentalis causa meritoria; Deus causa primaria seu principalis; Minister causa ministerialis, quando materiam cum forma conjungit; Sacramentum vero ut instrumentum Dei gratiam operatur; actus fidei, spei &c. sunt dispositiones seu conditiones necessariæ.

Duplex modus producendi gratiam, ex opere scilicet operato, & ex opere operantis.

Duplicem Theologi modum distinguunt producendi gratiam: unum ex opere operato, alterum ex opere operantis.

Gratia produci dicitur ex opere operantis, quæ conceditur à Deo intuitu fidei ac pietatis seu meriti, vel ministrantis, vel suscipientis Sacramentum.

Dicitur vero produci ex opere operato, quæ vi & efficacia ipsius operis externi sacramentalis à Christo Domino instituti ac debitè subjecto applicati, producitur ultra omne meritum ministrantis vel recipientis Sacramentum; quamquam non sine præviis ex parte subjecti Sacramentum percipientis, fidei & pietatis dispositionibus, quæ dispositiones seu præparationes, neque sunt causæ effectrices gratiæ, neque ipsis Sacramentis vim & efficaciam tribuunt, quam habent à Christo ipso derivatam, sed removent dumtaxat obicem seu obstacula quibus impediri ac retardari posset vis & efficacia Sacramentorum; eo ferè modo quo in combustione ligni v. g. ignis est causa naturalis & physica combustionis, siccitas autem dispositio est ex parte ligni, & approximatio ad ignem conditio est requisita. Istud vero manifestum fit exemplo duorum parvulorum, quorum unus baptisatur, alter non baptisatur. Uterque pari labe originali infectus est ac æternæ damnationi obnoxius; uterque propriæ seu personalis dispositionis pariter incapax: qui tamen baptisatur, salvus est, si in infantia moriatur; altero æternum pereunte, non quidem propter meritorum diversitatem, quæ in utroque nulla sunt, sed propter merita Christi quæ uni per Baptismum applicantur, alteri vero non applicantur. Quomodo vero uni applicantur? ex opere scilicet operato, virtute & efficacia operis externi sacramentalis. Non alius porrò est, sed idem prorsus modus agendi Sacramentorum in adultis, qui & in infantibus: in hoc uno stat discrimen, quod in adultis præviæ fidei ac pietatis dispositiones exiguntur, non autem in infantibus, quarum incapaces sunt.

Opus igitur operatum hic nihil aliud est quàm Sacramentum ipsum subjecto debitè applicatum; atque adeo gratiam produci ex opere operato à Sacramentis, id unum significat, Deum nempe vi actionis externæ Sacramenti determinari efficaciter ad producendam gratiam propter promissionem ab ipso annexam actioni externæ qua materia Sacramenti ritè cum forma conjungitur.

Novatores, quibus propositum est odiosam reddere Concilii Tridentini doctrinam, mirum in modum pervertunt ac deformant sensum & interpretationem istorum verborum, *ex opere operato*.

Fraudes ac mendacia Novatorum circa sensum istorum verborum, ex opere operato.

Fingunt alii Sacramenta agere ex opere operato, idem apud nos esse, ac illa causas esse gratiæ primarias ac principales. Sensum hunc innuere videtur Calvinus Lib. 4. Instit. cap. 14. paragr. 17. *Hic tantum quæritur, an propria ne & intrinseca virtute operetur Deus, an externis symbolis resignet vices suas. Nos vero, pergit ille, contendimus quæcunque adhibeat organa, primariæ ejus operationi nihil decedere.* Verùm struit hæc Calvinus; contendunt enim Catholici, non aliam in Sacramentis agnoscendam efficaciam, quàm instrumentalem divinæ virtuti ac motioni, velut causæ primariæ ac principali, subordinatam. *P. 477.*

Placet aliis fingere, docere nos Sacramenta virtute sua naturali ac physica sanctificationem in animis nostris operari. At putida est calumnia. Profitentur enim Orthodoxi omnes cum S. Basilio Lib. de Spiritu sancto cap. 15. *quod si qua sit in aqua gratia, non ex aqua natura sit, sed ex præsentia Spiritus.* *Ed. ver. To. 2 p. 177. D.*

Dicunt alii, agere ex opere operato idem esse apud nos, atque agere per qualitatem insitam, inhærentem ac permanentem. Verum maligne confundunt illi privatam aliquorum ex nostris opinionem cum dogmate Catholico. Orthodoxi quidem omnes in eo conspirant, Sacramenta gratiam conferri vi operis externi subjecto debitè applicati, non autem merito vel suscipientis, vel ministrantis: an verò id assequatur per qualitatem quamdam inhærentem & insitam, an per motionem seu actionem Dei fluentem ac transeuntem, Scholæ disputationi, salva & integra fide, permittunt.

Alii supponunt idem esse apud nos agere ex opere operato, ac agere modo physico; atque in eo gendi modo Sacramentorum confutando mirè illi exultant. Verùm scopum illi non attingunt: modus quippe agendi Sacramentorum physicus vel moralis, non pertinet ad dogma fidei, sed ad varium Scholæ placitum. Hoc unum fides Catholica hic exigit, Sacramenta ex se ipsis causas esse gratiæ effectrices, non ex fide ac merito subjecti vel Ministri Sacramentorum. Et quamquam exponi satis & explicari non possit modus hujus efficaciæ, non tamen propterea mi-

nus firma & certa illa permaneret: atque hoc haberet commune cum cæteris fidei nostræ mysteriis, quæ certissima sunt, etsi modus eorum intelligi & explicari satis non possit. Diceret in præsenti argumento prudens Theologus quod dicebat Sanctus Augustinus Lib. 3. de peccat. mer. & rem. c. 4. de argumentis Pelagianorum adversus modum quo peccatum originale traducitur, *Ego autem*, inquiebat, *etsi refellere istorum argumenta non valeam, video tamen inhærendum esse iis quæ in Scriptura apertissima.*
To. 10. p. 74 C. Et in Epistola 166. alias 28. ad sanctum Hieronymum c. 4. n. 9. dicit se, cum interrogatur, quomodo peccatum Adæ propagatur in posteros, respondere solitum.
To. 2. p. 587 B. C. *Sicut alia multa, & hoc me ignorare confiteor.*

Fingunt denique omnes fere Novatores, per opus operatum Sacramentorum Catholicos excludere à suscipientibus tanquam necessarios prævios fidei, spei & aliarum virtutum motus; quasi Sacramenta ex se ipsis cuicunque subjecto admota gratiam certo conferrent; atque in hac absurditate refellenda serio illi
P. 476. occupantur, & triumphant. *Quid est*, exclamat Calvinus Lib. 4. Inst. c. 14. paragr. 14. *Sacramentum sine fide sumptum, nisi certissimum Ecclesiæ exitium*? Paulo ante dixerat, *Catholicorum sententiam exitialem esse, pestilentem ac diabolicam, dum justitiam sine fide pollicetur.* At pugnant illi cum larvis & umbris. Quis enim Catholicus ita unquam deliravit, ut dixerit Sacramenta iis adultis prodesse, qui non bene præparati ac dispositi ea percipiunt? An non legerunt quod
To. 14. Conc. p. 759 D. sess. 6. Conc. Trid. c. 7. scriptum est, *unumquemque justitiam recipere secundum mensuram, quam Spiritus sanctus partitur singulis prout vult, & secundum*
Ib. p. 627. E. *propriam cujusque dispositionem, & cooperationem.* Et c. 6. ibidem, nonne Concilium enumerat dispositiones quibus adulti ad gratiam justificationis se præparare debent? Unde merito Patres Tridentini sess. 14. de Pœnitentia c. 4 ajunt, *Falso quidam calumniantur Catholicos Scriptores, quasi tradiderint Sacramentum Pœnitentiæ absque bono motu suscipientium gratiam conferre, quod nunquam Ecclesia Dei docuit nec sensit.*

Neque porro est quod Novatores opponant, hanc loquendi rationem, *ex opere operato*, novam ac barbaram esse.

Namque Ecclesia universa in Concilio Tridentino sess. 7. can. 8. hanc usurpavit & consecravit: quæ licet quoad sonum verborum non ita antiqua videatur, nec multo ante tempora sancti Thomæ fuerit usu recepta, attamen quoad sensum & rem significatam ipsi Ecclesiæ coæva est. Hoc volebat S. Aug. cum L. 4. contra Cresconium c. 16. dicebat, "Baptismum non
To. 9. p. 393 G. "eorum meritis à quibus ministratur, nec eorum "quibus ministratur, constare, sed propria sanctitate "atque veritate, propter eum à quo institutus est. Et de Circumcisione ipsa, quanto magis de Baptismo?
Ib. p. 140. E. L. 4. contra Donatistas c. 24. docebat, *ipsum per semetipsum Sacramentum multum valuisse*: quod certe idem est ac si dixisset, ex se se, seu ex opere operato valuisse. Fatemur equidem puriorem latinitatem non redolere dictam loquendi formam; at de rebus
In Ps. 138 T. 4. p. 1545 B. Theologicis accurate magis, quam polite dicere solliciti sunt Doctores Catholici, satiusque esse ducunt cum S. Augustino, *ut reprehendant Grammatici, quam ut non intelligant populi.* Liceat ergo Theologis quod unicuique in arte sua permittitur, propria scilicet usurpare disciplinæ suæ vocabula, ad dogma quod significare volunt, & ad revincendas Hæreticorum fraudes & cavillationes apta maxime & accommodata.

Quæ sit Novatorum sententia de virtute & efficacia Sacramentorum.

Novatorum sententia dubiam & incertam reddere videntur, tum varia & pugnans eorum loquendi ratio, tum diversa de illorum sensu nonnullorum Scriptorum judicia & testimonia.

Novatores vim producendi gratiam ex opere operato Sacramentis adimunt.

Sociniani & Anabaptistæ omnem Sacramentorum usum ac fructum in eo collocant, ut nuda & sterilia sint signa, tum externæ professionis fidei Christianæ, tum distinctionis Fidelium ab Infidelibus. Ita Catechesis Racoviana c. 4. de Baptismo q. 1. Volkelius Lib. 4. de vera Religione c. 22.

Hanc Anabaptistarum sui temporis sententiam acrius perstringunt Lutherus & Calvinus; atque vim & efficaciam Sacramentorum ita extollunt aliquando, ut Catholicis ipsis fucum faciant ac fere persuadeant se Catholice omnino de virtute illa Sacramentorum sentire, quæ non tantum signacula, sigilla & pignora divinarum promissionum appellant, sed etiam Dei instrumenta & organa gratiæ. Verum sub his verbis occultatur error; aut saltem dubium ac incertum videtur, quo sensu Sacramenta & dicant esse efficacia divinarum promissionum signa, sigilla, pignora, gratiæ organa & instrumenta: an immediate ac per se, id est, vi divinæ institutionis & ipsius operis externi; an mediate duntaxat, quatenus scilicet fidem alunt vel excitant, qua sola homo justus fit, & sine qua vanum ac nullum est Sacramentum.

Communior nostrorum opinio est, Lutheranos & & Calvinistas non aliam in Sacramentis agnoscere vim & efficaciam, quam mere externam & objectivam, ad fidem scilicet movendam & excitandam, sicut antea diximus, ubi de verbis Sacramentorum, an concionis sint vel consecrationis, agebamus; qui certe Novatorum error ab alio tanquam à principio & fonte defluit, nempe sola fide homines justos constitui. Quamdiu enim ab hoc suo principio Novatores non To. 2. p. 56. col. 2.
recedent, scite observat Bellarminus Lib. 1. de Sacramentis in genere c. 2. necesse erit fateantur Sacramenta non habere immediate ullam veram efficientiam respectu gratiæ, sed immediate duntaxat, quatenus videlicet fidem movent & excitant, per quam homines justitiam assequuntur. Cum autem illi præviam in suscipiente Sacramentum fidem exigant, ipsius virtute prius justificatum illum censere debent, quam Sacramenti particeps factus fuerit: unde consequens est, Sacramentum in illo homine signum esse duntaxat jam collatæ gratiæ non vero causam ipsius effectricem; adeoque merum esse ac plane vacuum distinctionis symbolum, sicut contendunt Sociniani, quibus Novatores, si suis stare velint principiis ac cohærenter sentire & loqui, vel inviti infeliciter suffragantur.

Hanc porro esse Lutheri & Calvini mentem atque sententiam probant ex eorum verbis.

Lutherus Lib. de Captivitate Babylonica cap. de Baptismo. „Baptismus, *inquit*, neminem justificat, "nec ulli prodest, sed fides in verbum promissionis, cui "additur Baptismus...... Idem Deus qui nos nunc "per Baptismum & panem salvat, salvavit Abel per "Sacrificium, Noe per Arcam, Abraham per Circum"cisionem, & alios omnes per signa." Et paulo post numerat inter Sacramenta veteris Legis, quæ contendit inferiora nostris quoad efficaciam non fuisse, signum datum Gedeoni in rore & vellere, & signum datum Manue in sacrificio, & signum oblatum Achaz Is. 7. ac tandem ita concludit: „Nostra & patrum signa "seu Sacramenta habent annexum verbum promissi"onis quod fidem exigit...... ideo sunt signa seu

Sacra-

"Sacramenta justificationis, quia sunt Sacramenta justificantis fidei, & non operis; unde tota eorum "efficacia est ipsa fides, non operatio.

Calvinus Lib. 4. Instit. c. 14. paragr. 12. docet "hoc unicum esse Sacramentorum officium, ut Dei "promissiones oculis nostris spectandas subjiciant, & "eorum nobis sint pignora." Et paragr. 17. ait, "alias non esse Sacramentorum, quam verbi Dei "partes, quæ sunt offerre nobis ac proponere Christum, & in eo cœlestis gratiæ thesauros." Et infra: "Sacramenta id sunt nobis à Deo quod ab hominibus rerum lætarum nuntii, vel arrhæ in pactis "sanciendis; utpote quæ non à se quidem largiantur "aliquid gratiæ, sed renuntient & ostendant, atque "[ut sunt arrhæ & tesseræ] rata apud nos faciant, "quæ divina largitate donata nobis sunt.

P. 475.

P. 477.

Ibid.

Theodorus Beza in Lib. de summa rei Sacramentariæ q. 2. ait, "totam illam efficaciam Sacramentorum à Spiritus sancti operatione in solidum derivari, non à signis, nisi quatenus externis illis objectis interiores sensus moventur.

Confessio Gallica art. 38. hæc habet: "Dicimus "elementum aquæ quantumvis caducum, nihilominus verè testificari interiorem animi nostri ablutionem in sanguine Jesu Christi per sancti Spiritus efficaciam. Itemque panem illum & vinum illud quod "nobis in Cœna datur, vere nobis fieri spiritale alimentum, quatenus videlicet oculis nostris spectandum præbent carnem Christi nostrum cibum esse, "& ejusdem sanguinem nobis esse potum." Nihil hic externum & objectivum Sacramentis tribuitur: nempe Baptismo ut *testificetur interiorem animi nostri ablutionem*? & Eucharistiæ, ut oculis nostris objiciat carnem Christi & ejus sanguinem tanquam spiritalem animæ nostræ cibum & potum. Quapropter Synodus Tridentina sess. 7. Can. 5. ad illum Novatorum errorem attendens sic statuit: "Si quis dixerit hæc Sacramenta propter solam fidem nutriendam instituta fuisse, anathema sit.

Corpus & syntagma Confessionum fidei. Genevæ an. 1612. p. 550.

... 14. Conc. p. 77. A.

Verum reclamant nonnulli, & ad ipsos Novatorum Libros ac publicas fidei eorum Confessiones provocant, ut afficiant, unam hic esse inter illos & nos de nomine controversiam, nec aliam istorum verborum, *ex opere operato*, sensum ab illis rejici, quam qui supponit Sacramenta propria sua & naturali virtute gratiam suscipientibus conferre, absque fide & ullo bono ex eorum parte motu.

Novatores veram in Sacramentis virtutem & efficaciam respectu gratiæ agnoscere interdum videntur.

Probant ex Luthero Hom. 2. de Baptismo, ubi docet Baptismum institutum esse in regenerationem & renovationem Spiritus sancti; tantam esse illius virtutem, ut peccata abluere, mortem submergere & suffocare, & omnia vitia & sordes sanare & mundare possit.

Ex Calvino in Antidoto Conc. Trid. ad sess. 7. & Can. 5. ubi ait, "Sacramenta instrumentales esse gratiæ conferendæ causas." Et ad Canonem 6. "Si "qui sunt, *inquit*, qui negent Sacramentis contineri "gratiam quam figurant, illos improbamus...." Nos "vero, pergit, "sicuti monachale illud commentum "repudiamus, aliter prodesse Sacramenta quam per "fidem, ita libenter cum signis conjungimus veram "rei exhibitionem, ut nullus eorum extra fidem sit "effectus, & tamen non inania sunt nudaque gratiæ "procul remotæ signa." Et in Canonem 7. "Quis, "*inquit*, rite ut decet, accedentibus exhiberi dubitat "quam Deus illic promisit gratiam?" Et Lib. 4. Instit. cap. 14. paragr. 9. "Sic, *inquit*, inter Spiritum & Sacramenta partior, ut penes illum agendi "virtus resideat, his ministerium duntaxat relinquatur: idque sine Spiritus actione inane ac frivolum; illo vero intus agente vimque suam exerente multæ energiæ refertum.

... inter Opuscula Edit. Genev. an. ... 4 p. 734. Idem ... p. ... 5. ... 4. p. ... 4.

Probant præterea ex publicis Novatorum fidei Confessionibus.

Confessio Augustana articulo 9. de Baptismo, declarat, "quod necessarius sit ad salutem, tanquam "cæremonia à Christo instituta; & quod per Baptismum offeratur gratia Dei; & quod infantes sint "baptisandi, & quod infantes per Baptismum Deo "commendati, recipiantur in gratiam Dei, & fiant "filii Dei.

Corpus Conf. ff. ... 14.

Ib p. 159.

Confessio Gallica art. 34. "Credimus adjuncta "esse verbo Sacramenta, amplioris confirmationis "causa, gratiæ Dei nimirum pignora & tesseras, quibus infirmæ & rudi fidei nostræ subveniatur; fatemur enim talia esse signa hæc exteriora, ut Deus per "illa, sancti sui Spiritus virtute operetur, nec quidquam ibi frustra nobis significetur." Et art. 35. "In eo (*Baptismo*) inserimur Christi corpori, ut ejus "sanguine abluti, simol etiam ipsius Spiritu ad vitæ "sanctimoniam renovemur." Ibidem asserunt Baptismum infantibus necessarium esse. Et art. 37. "Credimus tam in Cœna quam in Baptismo, Deum nobis reipsa, id est, vere & efficaciter donare quidquid "ibi Sacramentaliter figurat; ac proinde cum signis "conjungimus veram possessionem ac fruitionem ejus "rei quæ ibi nobis offertur.

Ibid.

P. 510.

Confessio Polonica. "Sacramenta sunt externa & "in oculos incurrentia signa, sigilla & testimonia voluntatis divinæ per verbum elemento additum, à Deo "ipso instituta, ad invisibilem gratiam, quæ verbo fœderis promittitur, obsignandam & mediantibus illis "signis exhibendam." Multo plura in rem eamdem profert Veronius Controversiarum parte 5. de Sacramentis cap. à quibus recensendis, cum nihil novi addant, hic supersedemus.

Atque hæc sunt quibus nonnulli non Heterici modo, sed & Catholici inducti fuere, ut dicerent re ipsa Novatores, quoad substantiam Catholici dogmatis, nobiscum hac in parte consentire, ac unam esse inter illos & nos de nomine controversiam.

Kemnitius in examine Conc. Trid. parte 2. cap. *De opere operato*, expendens istorum verborum sensum: "Si hoc vellent [*Catholici*] ait, Sacramentorum veritatem non esse ex Ministri operantis dignitate seu merito æstimandam, sed ex Dei auctoris institutione potentia & operatione & falsum esse per Sacramenta "gratiam sine prævia suscipientis fide conferri, quia "sententia vera est, nulla esset controversia." Videtur hic Kemnitius non aliam rejicere verborum istorum, *ex opere operato*, interpretationem, quam falsam illam & commentitiam, quæ à nonnullis falsò & per calumniam nobis imponitur.

Inter postremos Calvini discipulos Ludovicus le Blanc in suis Thesibus Sedanensibus fusé ostendit vel ipso parvulorum exemplo, Sacramenta virtute propria ex Deo profluente, non autem ex merito suscipientis operari; eosque refellit, qui non alias, in justificatione hominis, Sacramenti, quam verbi partes esse affirmant. "Proinde, *inquit*, circa modum & rationem "agendi, Sacramenta in duobus à verbo nobis differre "videntur: 1. quidem, quod verbum non agit nisi objective id est, nisi perceptum & cognitum ab iis in "quibus efficax est; Sacramenta vero etiam aliter "quam objective ajunt. Deinde, quod ex nullo pacto "tenetur Deus verbum virtute sui Spiritus comitari, "ut fidem in his, potius quam in illis creet; Sacramentis autem ex certa Dei pactione adest virtus divina, "per quam gratiam quamdam salutarem communicant omnibus illis qui secundum ordinem à Deo "positum illa participent."

Ludovic. le Blanc.

De Dominis Spalatensis Archiepiscopus & Apostata Lib. 5. de Republica Christiana cap. 4 postquam

num. 27. & 28. nostram & Reformatorum sententiam de virtute Sacramentorum exposuit, ac pronuntiavit "istum fuisse Ecclesiæ Catholicæ etiam puræ "& incorruptæ sensum perpetuum, Sacramenta nempe "gratiam ex opere operato, hoc est, ex se, & non ex "merito suscipientis contulisse, *n. 29. ait*, nostram "sententiam veram esse, quam Reformatores tolerare, nec propterea unioni, si quis eam cuperet, resistere debent; nam & ipsi, *inquit*, coguntur fateri "Sacramenta esse signa efficacia gratiæ, hoc est, non "tantum significativa, sed talia ut gratia ea semper "consequatur vel comitetur. *Et n. 26.* definiri "non posse quis sit modus agendi Sacramentorum, "an physicus an moralis, quia mysterium est divinorum operationum nobis inscrutabile; ac sufficere "nobis debet, quod scimus ea instrumenta esse ad quorum præsentiam Deus suam nobis concedit gratiam.

Denique Illustrissimi & doctissimi Præsules de Walenburch To. 2. in Compendio controversiarum particularium c. 21. existimant, *Protestantes facile judicare nihil hic esse in doctrina Catholica quod merito reprehendant, imo quod ipsi non teneant; ideoque de modo loquendi non litigandum*: Idem plane videtur esse Veronii sensus.

Verum si propius inspiciatur Novatorum sententia de fide justificante, manifestum erit, quod observat Bellarminus citatus, Sacramenta per se ac immediate gratiam non conferre, sed mediate duntaxat, quatenus fidem excitant, quæ sola causa est justificationis, & sine qua Sacramentum vacuum est ac inane signum. Hoc sensu dicunt Sacramenta esse signa efficacia, esse causas instrumentales gratiæ præsentis, Deum per illa operari, nec frustra signa illa instituta fuisse &c. sub illis etenim verbis latet error, non excluditur; nec vera & interna efficientia, sed externa duntaxat & objectiva defenditur. *Per Baptismum offertur gratia Dei*, ait Confessio Augustana. *Verbo adjuncta sunt Sacramenta, amplioris confirmationis causa*, inquit Confessio Gallica. Item, *Aqua testificatur interiorem animi ablutionem. Panis Eucharisticus fit nobis cibus spiritalis, quatenus oculis spectandam præbet carnem Christi.* In his profecto nihil nisi mere externum & objectivum deprehenditur.

Sed, inquiet aliquis, nonne hic satis esse debet, quod ex utraque parte tum Novatorum tum Catholicorum istud concessum habeamus, fidem prorsus necessariam esse ut Sacramentum cum fructu percipiatur? Hanc quidem Novatores causam dicunt justificationis effectricem, Catholici vero tantum dispositionem appellant; verum, quæstio hæc tantine est ut nos à Novatoribus fide & communione sejungat? Ita certe. Si enim fides una est justificationis causa, ergo Sacramentum ex sese nihil potest, sed iners est ac sterile signum; ergo gratiam ex opere operato non producit: quod certe quam falsum sit & à fide Catholica alienum, præter Tridentinam definitionem, manifeste demonstrat vel ipse infantium Baptismus, qui ratus ac validus est etiam sine fide datus & acceptus.

Probatur Catholicum dogma de virtute & efficacia Sacramentorum ex opere operato.

CONCLUSIO.

Sacramenta novæ Legis gratiam ex opere operato iis conferunt, qui nullum obicem opponunt.

PRIMA PROBATIO.

Ex Scripturis.

Ea Sacramenta gratiam iis non ponentibus obicem producunt ex opere operato, quæ eam producunt vi utique operis externi à Christo Domino instituti, subjecto debite applicati, non autem ex merito seu ministrantis, seu recipientis Sacramentum: atqui talia sunt Sacramenta novæ Legis.

De Baptismo Joan. 3. v. 5. dicitur: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in Regnum Dei.* Regenerandi vis & efficacia aquæ non minus, quam Spiritui sancto hic tribuitur; aquæ, tanquam instrumento; Spiritui sancto, tanquam causæ principali.

Calvinus L. 4. Instit. cap. 16. parag. 25. respondet figuratam esse eo loci Christi locutionem, neque de vero aquæ Baptismo mentionem fieri, sed de sola renovatione interiori per Spiritum sanctum, *qui* P. 498. *purgando & irrigando animas fideles, vice aquæ fungitur*; hoc est, ut ipse loquitur, *quod in anima id facit, quod aqua in corpore*: eo prorsus modo quo Matth. 3. v. 11. S. Joan. dicebat: *Qui post me venturus est ...... ille vos baptisabit in Spiritu sancto & igni.*

Verum, præterquamquod universa Ecclesiæ traditio hic in Calvini commentum insurgit, quæ summam Baptismi necessitatem ex citato S. Joannis textu semper demonstravit, nonne S. Paulus verborum Christi fidelis interpres, ad hanc renovationem seu regenerationem alludens, de vero aquæ Baptismo dicebat ad Titum 3. v. 5. *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus sancti?*

Nullo porro alio in loco, quam Joannis 3, v. 5. vis regenerandi Baptismo aquæ concessa fuit à Christo; ergo citatus textus de vero aquæ Baptismo, non autem de sola interiori renovatione per Spiritum sanctum intelligendus est; alias istud, *ex aqua*, superfluum omnino foret, nihilque significaret à Spiritu distinctum. Neque paritas Baptismi in igne Calvino favet; namque vere sub specie ignis die Pentecostes super Apostolos Spiritus sanctus delapsus est, eosque miris ac stupendis donis eos cumulavit. Quamquam etsi sensu figurato ac metaphorico ignis ille de quo S. Matth. c. 3. exponendus foret, quid inde allequeretur Calvinus? nihil omnino.

Apertum discrimen ostendit constans & perpetua praxis Ecclesiæ, quæ inter baptisandum elementum aquæ semper usurpavit, non ignem; quæ profecto praxis, viva quædam est ac spirans voluntatis ac verborum Christi interpretatio. Quapropter Synodus Tridentina sess. 7. de Baptismo Can. 2. anathema dicit iis, *qui citata Christi Domini verba, Nisi quis re-* To. 14. *natus fuerit &c. ad metaphoram aliquam detorserint.* Conc. p.

Ephesiorum 5. v. 26. *Christus dilexit Ecclesiam,* 778. A. *& tradidit semetipsum pro ea, ut illam sanctificaret, mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ.* Ergo B primus aquæ vere mundat, Deo mundationem illam per aquam operante; non ergo ex fide ministrantis vel recipientis Baptismum aqua, mundat, sed ex sese virtute divinæ institutionis.

Actorum 2. v. 38 *Pœnitentiam agite, & baptisetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi, in remissionem peccatorum.* Et Marci ultimo v. 15. *Qui crediderit, & baptisatus fuerit, salvus erit.* Baptismus igitur remissionem peccatorum ac salutem operatur, præsupposita in adultis fide.

Denique Lucæ 3. & Joannis *Ego*, ait Christi præcursor, *baptiso vos aqua, ille vos baptisabit Spiritu sancto*: ubi tantum discrimen ponitur inter Baptisma Joannis & Baptisma Christi, quantum est inter aquam & Spiritum: atqui Baptismus Joannis excitabat fidem, prædicabat enim Baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum; ergo Baptisma Christi alio modo gratiam producit, quam excitando fidem, scilicet ex opere operato.

De

De Confirmatione Act. 8. v. 17. & 18 dicitur : „Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum sanctum. Cum autem vidisset Simon, quia per impositionem manus daretur Spiritus sanctus, obtulit eis pecuniam &c.

De Eucharistia Joan. 6. v. 55. „Qui manducat, *inquit Christus*, meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam.

De Pœnitentia Joan. 20. v. 23. „Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt.

De Unctione extrema S. Jacobus Epist. c. 5 v. 14. ait: „Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Ecclesiæ; & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus; & si in peccatis sit, remittentur ei.

De Ordine 1. ad Timoth. 4. v. 14. „Noli, *ait Apostolus*, negligere gratiam quæ est in te, quæ data est tibi per prophetiam cum impositione manuum Presbyterii.„ Idem affirmat 2. ad Timoth. 1. v. 6.

Matrimonii denique gratiam commendat & insinuat Christus, cum nuptias in Cana Galilææ præsentia sua cohonestavit & sanctificavit.

Et hæc quidem ex Scripturis ducta probatio hic sufficiat : plenior enim & accuratior propriis locis servanda est, cum nempe de unoquoque sigillatim Sacramento tractabimus.

SECUNDA PROBATIO.

Ex constanti Ecclesiæ Traditione.

Constans illa & perpetua Traditio Ecclesiæ nobis ex Conciliis ac SS. Patribus certo innotescit.

CONCILIA.

Tom. 2. Conc. p. 955. B. Constantinopolitanum I. quod est generale secundum an. 381. in symbolo fidei. *Confitemur unum Baptisma in remissionem peccatorum.*

Ib. p. 1538. D. E. Ibid. C. Milevitanum II. an. 416. Can. 2. " Parvuli qui nihil peccatorum in seipsis adhuc committere potuerunt, ideo in remissionem peccatorum veraciter baptisantur, ut in iis regeneratione mundetur, quod generatione traxerunt. „ Et initio Canonis anathemate damnatur " quicunque negaverit parvulos recentes ab uteris matrum baptisandos, aut dixerit in remissionem quidem peccatorum eos baptisari, sed nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod regenerationis lavacro expietur; unde consequens fit ut in eis forma Baptismatis in remissionem peccatorum, non vere, sed falsè intelligatur.

Tom. 4. Conc. p. 672. A. Arausicanum II. an. 529. Can. 25. " Hoc etiam, *ajunt Patres*, secundum fidem Catholicam credimus, quod accepta per Baptismum gratia, omnes baptisati, Christo auxiliante & cooperante, quæ ad salutem animæ pertinent possint & debeant, si fideliter laborare voluerint, adimplere : „ quam quidem fidei professionem, cum ad omnes pertineat, ab omnibus etiam Laicis, propria manu subscribi debere jubent sanctissimi hujus Concilii Episcopi.

Tom. 13. Conc. p. 543. Florentinum an. 1439. sive Eugenius IV. in Decreto. " Novæ Legis, *inquit*, septem sunt Sacramenta ..... quæ multum à Sacramentis differunt antiquæ Legis. Illa enim non causabant gratiam, sed eam solum per passionem Christi dandam esse figurabant; hæc vero nostra & continent gratiam, & ipsam digne suscipientibus conferunt.

Tom. 14. Conc. p. 776. B. Tridentinum denique inchoatum an. 1545. absolutum an. 1563. sess. 7. in decreto de Sacramentis in genere; *Consentaneum visum est*, ajunt Patres, *de sanctissimis Ecclesiæ Sacramentis agere, per quæ omnis vera justitia vel incipit, vel cœpta augetur, vel amissa reparatur.*

Et Can. 6. " Si quis dixerit Sacramenta novæ Legis non continere gratiam, quam significant; aut gratiam ipsam non ponentibus obicem non conferre, quasi signa tantum externe sint accepta per fidem gratiæ vel justitiæ, & notæ quædam Christianæ professionis, quibus apud homines discernuntur fideles ab infidelibus, anathema sit. *Ib. p. 777. A. B.*

Can. 7. " Si quis dixerit non dari gratiam per hujusmodi Sacramenta semper & omnibus, quantum est ex parte Dei, etiam si rite ea suscipiant, sed aliquando, & aliquibus, anathema sit. *Ibid. B.*

Canone denique 8. " Si quis dixerit per ipsa novæ Legis Sacramenta ex opere operato non conferri gratiam, sed solam fidem divinæ promissionis ad gratiam consequendam sufficere, anathema sit. *Ibid. C.*

Sancti Patres.

Eadem Traditio probatur ex SS. Patribus, quorum testimonia longo ordine referunt Bellarminus Lib. 2. de Sacramentis c. 6. & 7. Maldonatus de Sacramentis in genere q. 4. c. 1. Coccius in Thesauro T. 2. Lib. 5. art. 4. & alii passim Theologi. Ne vero prolixior evadat hæc nostra disputatio, ad certa generalium capita revocabimus, quæ de virtute Sacramentorum fusius SS. Patres edisserunt.

Docent igitur 1. vim sanctificandi signis exterioribus à Spiritu sancto inditam esse; ea causas esse sanctificationis; sine Spiritu & symbolis salutem obtineri non posse.

Tertullianus Lib. de Baptismo c. 4. " Aquæ sanctificatæ „ (à Spiritu sancto) " vim sanctificandi combibunt. „ Et Lib. de resurrectione carnis c. 8. " Caro, *inquit*, abluitur, ut anima emaculetur. Caro ungitur, ut anima consecretur. Caro signatur, ut & anima muniatur. Caro manus impositione adumbratur, ut & anima Spiritu illuminetur. Caro corpore Christi & sanguine vescitur, ut & anima de Deo saginetur. *P. 225. C. D.* *P. 330 B.*

S. Irenæus Lib. 3. c. 17. alias 19. " Corpora nostra, *inquit*, per lavacrum illam, quæ est ad incorruptionem, unitatem acceperunt; animæ autem per Spiritum. Unde & utraque necessaria, cum utraque proficiunt in vitam Dei. *P. 208. n. e.*

S. Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi 3. " Qui in aquam descensurus es, *inquit*, non aquæ simplici mentem adhibe, sed Spiritus sancti virtute salutem suscipe : nam sine utrisque ad perfectionem deduci non poteris. *Edit. Paris. 1640 p. 16 C. D.*

S. Gregorius Nyssenus Oratione in Baptismum Christi sic loquitur; " Baptisma peccatorum expiatio est, remissio delictorum, renovationis & regenerationis causa :„ supple, instrumentalis & secundaria; primaria enim Deus est. *Edit. Paris. 1615 T. 2. p. 800. D.*

Docent 2. falsam fore Baptismatis formam, si revera Baptismus peccata non remitteret. Ita Patres Concilii II. Milevitani citati.

Docent 3. Sacramenta vim sanctificandi habere ex seipsis, seu ex sua per Christum facta institutione, non autem ex merito ministrantis vel suscipientis, in quo consistit quæ ex opere operato dicitur vis & efficacia. Ita passim sanctus Augustinus in suis contra Donatistas Operibus, Lib. 4. contra Cresconium c. 16 " Non enim, *inquit*, meritis à quibus ministratur, nec eorum quibus ministratur, constat Baptismus, sed propria sanctitate atque veritate propter eum à quo institutus est; male utentibus ad perniciem, bene utentibus ad salutem. *T. 9. p. 495. G.*

Docent 4. Sacramentorum efficaciam similem esse (proportione servata) efficientiæ seu causalitati re-

tum naturalium; v. g. terræ ad fructus producendos, seminis ad generationem hominis, ignis ad calefaciendum &c.

Docent 3. stupendam esse, quæ verbis explicari non possit, Sacramentorum virtutem & efficaciam. Sanctus Gregorius Nyssenus Oratione de Baptismo jam citata, postulanti ut exponeretur modus quo aqua
Te. 2. p. 803. B. ib. C. Baptismatis regenerat, respondet: " Ostende mihi "modum nativitatis quæ fit secundum carnem; & "ego tibi vim regenerationis quæ secundum animam "fit, exponam. ... ubique divina vis & efficacia in"comprehensibilis est, nullaque vel ratione, vel arte "explorari potest.

To 8 p. 319 E F. To. 3 p 2. p. 703. C. S Augustinus Lib. 19. contra Faustum c. 11. „Sacramentorum vis, *inquit*, inenarrabiliter valet plu"rimum, & ideo contempta sacrilegos facit. Impie "quippe contemnitur, sine qua non potest perfici pie"tas." Et Tract. 80. in Joan. exclamat: " Unde „tanta virtus aquæ, ut corpus tangat & cor abluat? Porro si Sacramenta objective dumtaxat agerent, movendo & excitando fidem, nihil profecto tam stupendum & ad explicandum difficile occurreret; ergo alia quam pure externa & objectiva, & in Sacramentis agnoscenda vis est & efficientia.

QUARTA PROBATIO.

Et Theologica ratione.

Ratio Theologica a Baptismo infantium. Probatur 4. ratione Theologica ducta ex Baptismo infantium. Contendunt scilicet nobiscum adversus Anabaptistas Lutherani & Calvinistæ, infantes baptisandos esse ut Regni Cœlorum participes fieri possint: at vel baptismus ex se ipso, seu ex opere operato, prodest infantibus, vel non prodest, merumque est symbolum externum distinctionis à populo infideli. Si prius dixerint, vincimus; si posterius, vincunt Sociniani: nullum enim videtur esse medium. Baptismus etenim vel ex se ipso prodest infantibus, vel ex merito fidei seu fiduciæ in divinam clementiam quam in ipsis excitat: porro tam fatui & absurdi non sunt Novatores, ut credant in infantibus actualem fidem excitari, cujus plane incapaces sunt; & jam diu est ex quo ab hoc Lutheri putido figmento recesserunt: superest igitur ut asserant Baptismum seipso, hoc est, virtute à Christo accepta, in ipsis efficacem esse.

Neque vero nodum solvunt, qui respondent Baptismum non esse nudum signum, sed efficax, quia non falso, sed vere præsentem significat gratiam, quam instar sigilli obsignat & confirmat: namque vix intelligitur in quo posita sit hæc efficacia. Vel enim effective signum externum aliquid operatur, vel objective dumtaxat significat rem factam; qua ratione sigillum Principis chartæ appensum, vera non facit, sed declarat & ostendit quæ in charta descripta sunt; qua ratione pariter Trophæa Principi erecta, signa sunt victoriæ mere speculativa, non practica & efficacia. Si dixerint signum Sacramentale effective aliquid operari, ac sigillum esse, non tantum significando, sed causando saltem moraliter, qui nempe Deum sua præsentia certissime movet ad gratiam concedendam; si, inquam, id dixerint, sufficit nobis: Catholice sentiunt, nec ulla superest inter illos & nos circa rem præsentem controversia. Si è contra dixerint, Sacramentum objective tantum operari, quatenus movet fidem per quam justi sumus, à Socinianis reipsa non recedunt, quacumque tandem verborum pompa vim Sacramentorum extollant, quæ ad furum & fraudem faciendam composita est.

Neque dicant infantes baptisati in fide Ecclesiæ, quæ in illis eam supplet quam præ infantia habere non possunt. Recte quidem: sed fides illa generalis & communis Ecclesiæ infantes non justificat, nisi quia ipsis applicatur Baptismus qui est Sacramentum fidei. In mente quippe Novatorum, fides quæ justificat, personalis esse debet ac subjectiva; talis porro non est generalis Ecclesiæ fides respectu infantium; nisi forte (quod verisimile non videtur) velint illi recurrere ad obsoletum istud commentum, Deum infantes interius, dum baptisantur, illuminare ac fidem in ipsis excitare; quod tam absonum & inusitatum videtur, ut ipsis affingi facile non debeat.

Diximus in Conclusione, Sacramenta gratiam ex opere operato conferre non ponentibus obicem, hoc est iis qui ex prævius fidei, spei, & aliarum virtutum bonis motibus rite, ut oportet, præparati, ad Sacramentum accedunt. *Habent enim singula*, ait Estius in 4. dist. 1. parag. 10. " partes suas atque ordinem in „nostra justificatione. Per fidem enim medicina cog"noscitur, per spem desideratur, per invocationem ad "eam appropinquatur, per pœnitentiam à morbo recedit
Quid sit non ponere obicem gratiæ sacramentali. To 2. p 9. col. 2. A.B.
"ceditur per vitæ mutationem ad sanitatem acceditur; "denique per Sacramentum seu poculum quoddam „efficax & salutare, medicina hauritur, morbus pellitur "& sanitas restituitur. Quæcumque ergo Sacra"mentum præcedunt, præparationes seu dispositiones "quædam sunt ad justitiæ effectum ex Christi morte „consequendum, sed non continuo justum reddunt. Hæc Estius, quibus certe funditus evertitur calumnia Novatorum, asserentium Catholicos docere Sacramenta sic ex opere operato efficacia esse, ut etiam sine fide aliisq; bonis motibus suscepta ad salutem proficiant.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objicies 1. Scripturæ soli fidei vim sanctificandi tribuit, non vero Sacramentis, nisi quatenus fidem movent & excitant. Rom. 1. v. 18. *Justus ex fide vivit.* Et c. 3. v. 28. *Arbitramur justificari hominem per fidem.* Et c. 4. v. 3. *Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad justitiam.* Joan. 3. v. 18. *Qui credit in eum* [Christum] *non judicatur: qui autem non credit, jam judicatus est.*

Resp. plane falsum esse antecedens.

Ad probationem 1. In nullo excitatis Scripturæ locis exclusiva particula, *sola*, legitur, sicut falso supponit argumentum. Quamquam igitur fides suas habeat in justificatione hominis partes non idcirco excluduntur Sacramenta, aut alia virtutum exercitia.

II. Fides illa qua justus vivere dicitur Rom. 1. non est virtus Theologica sed potius fiducia per quam justus constanter expectat divinas promissiones, nec frangitur aut deficit propter moram in eis adimplendis. Alludit scilicet Apostolus ad hæc verba Prophetæ „Habacuch, „ Si moram fecerit, expecta eum; quia "veniens veniet & non tardabit. Ecce qui incredulus "est, non erit recta anima ejus in semetipso, justus „autem in fide sua vivet." quæ de firma in venturum Messiam spe atque fiducia recte intelliguntur: quamquam & recte intelligi quoque possunt de fida seu persuasione qua credimus vera esse quæ divinitus revelata & promissa sunt; atque illud imprimis, à Deo justificari impium per gratiam ejus, per redemptionem quæ est in Christo Jesu: his enim verbis fidem justificantem exponit Conc. Trid. sess. 6. c. 6. fides autem illa qua homo justitiam vel adipiscitur, vel jam adeptam conservat, non est sola credulitas & persuasio mentis, sed cum spe seu fiducia & bona voluntate placendi Deo in omnibus conjungitur.

III. Cum Apostolus Rom. 3. v. 28. ait: *Arbitramur justificari hominem per fidem*, excludit dumtaxat opera Legis Mosaicæ, non Sacramenta, non alia virtutum merita: *Arbitramur*, inquit, *justificari homi-*

nem

nem per fidem, sine operibus Legis. Et v. 20. dixerat: *Ex operibus Legis non justificabitur omnis caro.* Judæos scilicet ex operibus Legis se justos esse confitentes, ac inde se se supra Gentiles superbius efferentes Apostolus eo loci reprimit, proposito exemplo Abrahæ omnium credentium parentis, qui non ex Circumcisione, sed ex fide justificatus est.

IV. denique, ne ipsis quidem recentioribus Calvinistis fides, qua justificamur, est aut mera credulitas mentis, aut sterilis & pure speculativa fiducia, qua credimus nobis per Christum condonata esse peccata, aut otiosa fides à charitate & bonis moribus sejuncta: sed fides est actuosa, charitate formata, quæ firmum includit voluntatis propositum servandi omnia Dei mandata, ac proinde & usum ipsum Sacramentorum quæ Deus præscripsit; de qua fide dicitur Marci ultimo v. 15. *Qui crediderit, & baptisatus fuerit, salvus erit.* Et Jacobi 2. v. 20. *Fides sine operibus mortua est.* Et v. 24. *Ex operibus justificatur homo, & non ex fide tantum.* Lege Theses Sedanenses arctore Ludovico le Blanc. Idcirco autem justificationem fidei præsertim tribuit Scriptura, quia ut ait Conc. Trid. sess. 6. c. 8. *fides est humanæ salutis initium, fundamentum & radix omnis justificationis, sine qua impossibile est placere Deo.*

Tom. 14. Conc. p. 760. B.

Instabis 1. Marci ultimo v. 15. Christus ait: *Qui crediderit, & baptisatus fuerit, salvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur;* unde duplex argumentum eruit Lutherus.

Primum: Qui credit & baptisatur, salvus est; qui non credit, damnatur, etiamsi baptisetur; igitur non Baptismus, sed fides salvat.

Secundum: Christus ait: *Qui non crediderit, condemnabitur,* non autem ait: Qui non fuerit baptisatus, condemnabitur; ergo sola fides salvat, non vero Baptismus.

Resp. vitiosum esse duplex illud argumentum.

Primum, quia male concludit: sic enim concludere deberet; ergo non solus Baptismus, sed etiam fides salvat, quod certe concedimus; fides enim dispositio est omnino necessaria in adultis, ut cum fructu Sacramentum Baptismatis percipiant; ac tam oblique ac distorte concludit argumentum istud, Baptismus sine fide non salvat, ergo sola fides salvat; quam istud, Fides sine charitate non prodest ad salutem, ergo fides nihil omnino prodest ad salutem.

Secundum: 1. Quia falsum supponit, nempe Christum non dixisse eum, qui baptisatus non fuerit, fore condemnandum; hunc enim sensum manifeste præ se ferunt hæc Christi verba jam citata Joan. 3. v. 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in Regnum Dei.* Revera in citato loco Marci ultimo, non repetit Christus hanc suæ sententiæ partem, *& qui baptisatus non fuerit condemnabitur.* Quare? quia necesse non erat, cum ex sese satis intelligeretur, atque ex istis verbis, *Qui non crediderit, condemnabitur,* nexu quodam necessario sequeretur: qui enim non credit, consequenter non vult baptisari, atque etiamsi vellet, nihil tamen ipsi proficeret ad salutem Baptismus sine fide susceptus. 2. Ex isto antecedente, Qui non crediderit, condemnabitur, male infertur, Ergo sola fides salvat; sed tantum adultum debere credere simul & baptisari.

Instabis 2. ex sancto Petro 1. Epistolæ c. 3. v. 21. *Salvos facit Baptismus non carnis depositio sordium, sed bonæ conscientiæ interrogatio in Deum;* non ergo ex opere ipso operato salutem affert Baptismus, sed ex fide non ficta & conscientia pura.

Resp. nego conseq. sensus enim Apostoli iste est, Baptisma salvos facere quos abluit, non quidem mundando sordes corporis, quod unum poterant Baptismata Judæorum, sed mundando sordes animæ; quam mundationem expressit S. Petrus per bonæ conscientiæ interrogationem, seu, juxta Græcum, promissionem & stipulationem; stipulationis autem nomine per metonymiam intelligit & responsionem, seu bonum animæ testimonium, quia scilicet qui per gratiam baptismalem interius mundatur, is ex pacto fœdere Deum sibi velut obstrictum habet, & seipsum vice versa obligat Deo, suumque ipsi spondet ac devovet obsequium: cujus rei externum symbolum exhibetur, tum in multiplici interrogatione qua Minister postulat à baptisando, utrum credat in Deum Patrem &c. utrum renuntiet diabolo & pompis ejus; tum in responsione baptisandi, Credo, renuntio. De illo sancti Petri testimonio jam diximus Quæst. 1. Articulo 4. cum ostendimus verba Sacramentorum consecratoria esse, non concionalia &c.

Instabis 3. S. Petrus citato in loco addit, Baptismum *salvos facere per resurrectionem Jesu Christi;* id est, per fidem in resurrectionem Jesu Christi.

Resp. dist. ant. Per resurrectionem Jesu Christi, tanquam causam exemplarem nostræ justificationis seu resurrectionis à morte peccati, concedo: tanquam causam efficientem & meritoriam, nego. Christus enim sua passione & morte omnem implevit justitiam, sua vero resurrectione fidem nostram confirmavit, ac novæ vitæ ineundæ exemplar nobis proposuit. *Consepulti sumus cum illo per Baptismum in mortem,* ait Apost. Rom. 6. v. 4. *ut quomodo Christus surrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus.*

Instabis 4. Solus Deus est auctor gratiæ & gloriæ, & de Christo dicitur Joan. 1. v. 33. *Hic est qui baptisat.* Ergo Sacramenta non sunt veræ causæ efficientes gratiæ.

Resp. distinguo conseq. Sacramenta non sunt causæ efficientes primariæ sanctificationis, concedo: non sunt causæ instrumentales & secundariæ, nego. *Sic nos existimet homo,* ait Apostolus 1. Cor. 4. v. 1. *ut Ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei.* Dispensant igitur Ministri Sacramenta tanquam instrumenta & organa quibus Deus gratiæ auctor primarius uti voluit, ut suam nobis gratiam communicaret: unde Minister absolute pronuntiat, *Ego te baptiso, te signo, te absolvo;* quæ loquendi forma mendax prorsus & falsa foret, nisi revera Minister per Sacramenta id operaretur, quod his verbis significat: causa vero primaria & principalis omnis gratiæ, Deus est. *Omne datum optimum & omne donum perfectum,* ait sanctus Jacobus Epistolæ suæ c. 1. v. 17. *desursum est, descendens à Patre luminum.* Differt autem causa ministerialis & instrumentalis à primaria, quod istius virtus non sit externis signis alligata, sicut alligata est causa ministerialis; potest enim Deus gratiam per se ipsum sine Sacramento infundere; non potest vero Minister.

Objicies 2. sancti Patres non raro Sacramenta appellant sigilla, signacula & pignora gratiæ: sigillum autem, signaculum & pignus objective tantum, seu significando operantur, non effective.

Resp. Sacramenta sigilla, signacula & pignora appellari quidem, sed efficacia & practica, non vero mere speculativa; hoc quippe efficiunt, quod significant.

Instabis: S. Bernardus Sermone de Cœna Domini ait: *Qua ratione investitur Canonicus per librum, Abbas per baculum, Episcopus per annulum, sic divisiones gratiarum diversis traditas esse Sacramentis.* T. 10. f. 3 A. Ergo censet Sacramenta signa esse mere speculativa gratiæ, sicut est liber respectu Canonici, baculus respectu Abbatis, & annulus respectu Episcopi.

Resp.

Resp. S. Bernardum exempla non proponere, ut cum iis compararet modum agendi Sacramentorum, quasi v. g. Baptismus nihilo plus conferret ad salutem baptisati, quam baculus vel annulus ad salutem Abbatis vel Episcopi; sed ut ostendat varias esse in Sacramentis gratiarum divisiones, sicuti varii sunt in Ecclesia dignitatum gradus, quarum insignia quædam sunt baculus, annulus &c. S. Thomas 3. p. q. 62. art. 1. in corp. hanc ex S. Bernardo expendens auctoritatem, docet Sacramenta habere simul & rationem signi, & rationem causæ; atque S. Bernardum loco citato spectare dumtaxat ad rationem signi, non causæ, eamque in rem exempla proferre baculi, annuli &c. quæ signa dumtaxat sunt dignitatis qua quis induitur & insignitur. *Secundum hoc igitur*, ait sanctus Thomas, *Sacramenta novæ Legis nihil plus essent quam signa gratiæ: cum tamen ex multis Sanctorum auctoritatibus habeatur, quod Sacramenta novæ Legis non solum significant, sed causant gratiam.*

Objicies 3. auctoritatem sancti Augustini qui nonnullis in locis eam Sacramentis nostris vim agendi negare videtur, quæ ex opere operato dicitur.

Libro 19. contra Faustum c. 16. ait Sacramenta
To. 8. p. 321. B.C. esse mutabilia signa. *Quid enim sunt aliud quæque corporalia Sacramenta*, inquit, *nisi quædam quasi verba visibilia, sacrosancta quidem, verumtamen mutabilia & temporalia?* Ergo supponit sanctus Doctor, non aliter Sacramenta concurrere ad sanctificationem hominis, quam verba ipsa Concionis, quæ ad excitandam dumtaxat fidem proficere possunt.

Resp. nego consequens. Sanctus enim Augustinus loco citato Sacramenta potissimum considerat quatenus signa sunt quibus Christus significatur; ac proinde mutabilia, prout significant Christum aut venturum, qualia erant prisci populi Sacramenta, aut jam natum, mortuum & passum, qualia nostra sunt. Scilicet sanctus Doctor, ut occurrat Manichæis qui Legem solvere, sed adimplere; tametsi Sacramenta Legis veteris moraverit, quæ pro conditione temporis mutanda sunt, utpote quæ Christum nasciturum significant, aut jam natum. Porro quemadmodum recte in antiqua Lege dicebatur, Christus veniet, Christus morietur, quia reipsa nondum venerat, sed venturus erat; ita nunc non recte diceretur, Christus venturus est, moriturus est; quia reipsa jam venit ac mortuus est. Mutanda ergo fuere Sacramenta, seu sigilla illa quæ Christum in antiqua Lege venturum significabant, & alia in eorum locum substituenda quæ Christum jam natum, passum, & mortuum significent. Neque propter illam signorum mutationem damnanda venit Lex vetus, ut Manichæis videbatur; sed tantum spectanda & attendenda signorum natura, quæ mutantur, licet diversæ non sint res quas illa significant: quod illustrat sanctus Augustinus exemplo verborum, quæ pro tempore mutantur, licet eadem res sit, non diversa, quæ aliter enuntiatur facienda, aliter vero facta. *Si enim*, ait loco citato, *soni*
Ib. A.B. *verborum quibus loquimur, pro tempore commutantur, eamque res aliter enuntiatur facienda, aliter facta.... quid mirum si aliis mysteriorum signaculis Passio & Resurrectio Christi futura promissa est, aliis jam facta annuntiatur?... Porro quid aliud sunt quæque corporalia Sacramenta*, pergit S. Augustinus, *nisi quædam quasi verba visibilia, sacro-*
Ib. C.D. *sancta quidem, verumtamen mutabilia & temporalia?* Licet autem signa illa *mutabilia sint, virtus tamen quæ per ista operatur*, addit S. Doctor, *jugiter manet, & donum spiritale, quod per ista insinuatur, æternum est.* Quibus profecto verbis vim & efficaciam Sacramentorum sanctus Doctor extollit, ac commendat: atque inde concludit, propter istam signorum mutationem, Legem veterem culpandam non esse; quod unum adversus Faustum Manichæum demonstrandum habebat S. Augustinus.

Instabis 1. Idem sanctus Doctor Lib. 15. de Trinitate c. 26. negat Apostolos dedisse Spiritum sanctum.
Neque enim, ait, *aliquis Discipulorum ejus* [Christi] Ib. p. 999 A.
dedit Spiritum sanctum. Orabant quippe ut veniret in eos quibus manum imponebant, non ipsi eum dabant. Porro si Ministri non dant per Sacramentum Spiritum sanctum, consequenter nec ipsa etiam Sacramenta eum ex opere operato conferunt.

Resp. distinguo antecedens: S. Augustinus negat Apostolos dedisse Spiritum sanctum auctoritate primaria, principali & independente, concedo: auctoritate secundaria seu ministeriali, nego. Ait scilicet eo loci sanctus Doctor de processione Spiritus sancti, quem probat esse à Patre & Filio, quia ab utroque datur & mittitur, quod ostendit multis Scripturæ testimoniis. Occurrendum autem ipsi erat huic tacitæ objectioni: Apostoli manuum impositione dabant Spiritum sanctum: atqui tamen ab Apostolis non procedit Spiritus sanctus. Negat autem Augustinus ab Apostolis datum fuisse Spiritum sanctum; eo scilicet modo quo à Patre & Filio datur auctoritate nimirum & independentia: non negat vero ab illis dari tanquam à Ministris Christi; quod ipse satis manifestat afferendo statim testimonium ex c. 8. Act. Apostolorum, quo significatur per manuum impositionem Spiritum esse datum: quod etiam aperte satis declarant verba in Objectione relata; orabant enim tanquam Ministri ut super illos veniret, quibus manus imponebant.

Instabis 2. Ex eodem S. Doctore Tract. 26. in Joan. n. 12. Judæi eamdem nobiscum escam spiritalem manducaverunt, & eumdem potum spiritalem
biberunt, atque eorum *Sacramenta in signis à nostris* To. 3. p. 2.
diversa quidem sunt, at in re quæ significatur paria: p. 493. F.
atqui Sacramenta vetera non producebant gratiam ex opere operato; ergo nec nostra eam producunt.

Resp. dist. ant. Sacramenta vetera nostris paria sunt in re quam significant, concedo: in modo significandi, & operandi, nego.

Omnia Sacramenta hoc commune habent, ut significent gratiam, salutem, Christum; sed in hoc differunt nostra à veteribus, quod ista gratiam dumtaxat promittebant, nostra vero eam conferant; vetera venturum Christum adumbrabant, nostra præsentem exhibent: conveniunt ergo generatim in ratione signi; at differunt in modo significandi, & operandi. Sed de hoc argumento recurret postea proprius dicendi locus.

Objicies 4. Si quæ ratio demonstraret Sacramenta novæ Legis producere gratiam ex opere operato, maxime illa quæ ex Baptismo infantium colligitur: atqui ea ratio & probatio satis firma non videtur. Namque circumcisio non producebat gratiam ex opere operato, juxta communem Theologorum sententiam, quia existimant Judæorum infantes justificatos fuisse per fidem parentum cui accedebat Circumcisio tanquam conditio sine qua nihil signum exterius operabatur: quidni ergo dici etiam nunc potest, infantibus remitti peccatum originale in Baptismate per fidem seu parentum, seu societatis in qua Baptisma confertur; ita tamen ut illa fides requirat Baptisma tanquam conditionem sine qua infantem non mundat à labe originali? Ab ista opinione non longe recedere videtur Calvinus Lib. 4. Instit. c. 16. par. 4. & 5. & Vossius disputatione 13. de Baptismo, art. 11. & 14.

Resp. 1.

Resp. 1. Novatores multum distare à Theologorum sententia & Catholico dogmate. Namque non existimant illi Circumcisionem olim, & Baptisma nunc necessarium esse ad remittendum peccatum originale, sed putant Fidelium infantes sine Circumcisione sanctos fuisse, & etiamnunc sine Baptismate salvari. Ratio ipsis hæc est, quia fœdus idem inin Deus cum Fidelibus novi Testamenti, quod inierat olim cum Fidelibus veteris Legis: porrò fœdus initum in antiqua Lege non solos spectabat Fideles adultos, sed & eorum infantes, quod probant multis Scripturæ testimoniis; ergo Fidelium liberi & ante Circumcisionem fuerunt, & nunc ante Baptisma fœderis Dei sunt participes: si autem sunt fœderis participes, arcendi non sunt à Regno Cœlorum, si ante Baptisma moriuntur; quia ante Baptisma per solum fœdus res per Baptismum significata illis communicatur, nempe adoptio in filios Dei. Si autem à Calvino quis sciscitetur, ad quid ergo Fidelium infantibus prosit Baptismus, si ante Baptismum gratiæ baptismalis sunt participes? respondet, Baptismum actu susceptum prodesse multum Fidelium infantibus: quia nempe *aliis membris* Ecclesiæ per illud signum externum *sunt aliquanto commendatiores: deinde ubi adoleverint, eo ad serium Dei colendi studium non mediocriter stimulantur, à quo in filios solemni adoptionis symbolo accepti fuerint, antequam per ætatem eum agnoscere patrem possent.* Prodest & infantium parentibus, *siquidem Dei signum puero communicatum, velut impresso sigillo, promissionem pio parenti datam confirmat; ac ratum esse declarat, quòd Dominus non illi modo, sed semini ejus in Deum sit futurus: neque enim modo bonitate gratiaque sua prosequi velit, sed ejus posteros in millesimam usque generationem.* Ergo in sententia adversariorum, non tantum nec Circumcisio olim produxit, nec Baptisma nunc producit gratiam ex opere operato, sed nec sunt conditiones necessariæ, sine quibus fides nihil operari possit, cum sine Circumcisione actu data Judæorum infantes fuerint sancti, & etiam nunc Fidelium infantes mortui ante Baptisma salventur, quod quidem quantum distet à Catholicæ fidei nostræ dogmate, nemo est qui facilè non intelligat. Nam pueros non baptisatos Dei visione intuitiva non frui, docet ac semper docuit Ecclesia; & Circumcisionem fuisse in antiqua Lege conditionem necessariam, qua non posita masculi non justificabantur, eorum Theologorum sententia est, qui ad dimittendum peccatum eam credunt institutam: cum ergo neutrum admittant Calvinistæ, à Theologorum sententia & fidei dogmate æqualiter recedunt. Sed ut ad propositum redeamus,

Calv. L. 4. Inst. c. 6. pag. 26. Vossius dis. de Baptismo n. 17 & 19.

Ib. para. 9. p. 492.

Ibid. p. 491.

Resp. 2. Dici non posse Baptismum, qui Circumcisioni successit, esse tantum conditionem sine qua per parentum aut Ecclesiæ fidem infans non justificaretur. Namque

I. Fidei aut parentum aut societatis in qua confertur Baptisma, non esse tribuendum Baptismatis effectum, dogma certum ac constans est: certum quippe est Hæreticorum Baptisma validum esse, quorum tamen aut nulla, aut perversa fides est.

II. Circumcisionem per se ipsam non justificasse, multorum Theologorum sententia est, de qua quæstione paulò post disseremus; ergo per solam parentum fidem, aut potius propter Dei fœdus cum Judæis initum, infantes justificabantur.

Objicies 5. Ea Sacramenta non conferunt gratiam ex opere operato, quæ majorem vel minorem conferunt pro majori vel minori suscipientium dispositione: atqui sic esse docet Conc. Trid. sess. 6. cap. 7. *Justitiam*, ait Synodus, *in nobis recipientes unusquisque suam secundum mensuram, quam Spiritus sanctus partitur singulis prout vult, & secundum propriam cujusque dispositionem & cooperationem.*

To. 14. Conc. p. 719. D.

Neque est quod dicas, dispositiones illas esse tantum conditiones necessarias ad gratiam per Sacramentum percipiendam, non vero illius causas effectrices. Siquidem dispositiones illæ non sunt conditiones quædam mortuæ, steriles & otiosæ, qualis est v. g. approximatio ligni ad ignem; sed sunt activæ & efficaces. In quo enim consistunt dispositiones illæ? in actibus fidei, spei, charitatis &c. Sed actus hujusmodi causæ sunt majoris seu amplioris gratiæ, prout magis vel minus virium seu perfectionis habent.

Resp. dist. maj. Quæ majorem vel minorem conferunt gratiam pro majori vel minori dispositione suscipientis, tanquam vera causa effectrice gratiæ, concedo: tanquam conditione necessaria Sacramenta majorem vel minorem ex sese gratiam exerant, nego. Porrò dispositiones illæ seu præparationes præviæ ex actibus fidei, spei, charitatis, &c. sunt conditiones dumtaxat; Sacramenta vero sunt veræ causæ effectrices instrumentales gratiæ, quam ex se ipsis tantam efficiunt, quantam admittere potest subjecti capacitas. Agunt nempe Sacramenta ad modum agentium naturalium, intensiùs vel remissiùs pro varia illa capacitate subjecti, quomodo ignis intensiorem producit calorem in ligno arido, quàm in viridi. Sol abundantiorem lucem diffundit in cubiculum undequaque apertum, quàm in semiclausum: neque tamen aut siccitas ligni, aut apertura cubiculi est vera & physica causa caloris, aut lucis. Licet igitur major vel minor detur gratia in usu Sacramentorum, pro majori vel minori dispositione suscipientis, vera tamen illius causa non est dispositio suscipientis, tametsi in actibus vitalibus posita illa sit; sed est ipsummet Sacramentum, quod ex se ipso seu opere operato natum est tantam producere gratiam, quantam exigit subjecti benè præparati capacitas.

Objicies denique: Illa non producunt gratiam vi actionis suæ, quæ nec à natura sua, nec à Deo habent naturæ suæ superadditam virtutem qua gratiam producere possint; atqui Sacramenta nec à natura sua, nec à Deo insitam habent virtutem illam.

Primo, non habent à natura sua, alias aquæ cuilibet, cuivis pani vis inesset justificandi.

II. Non habent à Deo virtutem operandi aliquid quod non poterant priùs; nam ea virtus in Sacramentis aut esset corporalis, aut spiritualis. Non potest dici corporalis, quia tunc non ageret in animam; nihil enim potest agere ultra vires suas: nec etiam illa virtus dici potest spiritualis; concipi etenim non potest virtus spiritualis quæ inhæreat per modum accidentis, aut qualitatis in subjecto corporali & extenso.

Resp. Objectionem illam pugnare quidem adversùs eos Theologos qui existimant Sacramenta novæ Legis producere gratiam ex opere operato physicè, non contra nos, qui ea spectamus tantùm ut causas morales, ut mox patebit. Quamquam propositam Objectionem nullo negotio dissolvunt, qui stant pro causalitate physica Sacramentorum. Dicunt enim virtutem divinitus inditam Sacramentis, non esse aliquam qualitatem spiritualem vel corpoream Sacramento inhærentem, sed esse ipsum motum Dei qui ut causa principalis applicat actionem Sacramenti ad producendam gratiam, quomodo pictor applicat penicillum ad pingendum; ita ut Deus faciat ut Sacramentum attingat effectum supernaturalem, quem attingere non posset à quocunque alio moveretur.



ARTICULUS II.

De modo quo Sacramenta gratiam conferunt, an physicè, an moraliter.

Exponitur duplex causalitatis modus, physicus, & moralis; ac variæ recensentur Scholæ opinionis.

DUplicem hic Theologi post Philosophos generatim distinguunt causalitatis seu efficientiæ modum; physicum unum, moralem alterum.

Physicus agendi modus ille est, qui effectum immediatè producit per realem influxum, motum & contactum: hoc modo ignis calorem, Sol lumen producit.

Moralis vero ille dicitur, qui movendo dumtaxat & excitando alium ad operandum, sive imperio, sive consilio & suasione, sive merito, aut ex pacto quodam fœdere aliquid operatur; ita Dominus imperans servo ut aliquem occidat, causa est moralis homicidii; ita quoque merita Christi sunt causa moralis & meritoria nostræ redemptionis; & Sacramenta, in sententia multorum Theologorum, sunt causa moralis justificantis gratiæ; quia per suam præsentiam & ex pacto Christi, Deum certissime movent & inducunt ad conferendam gratiam. Causa autem moralis tam verè causa est & efficax, quàm causa physica; immò effectus aliquando magis imputatur causæ morali, quàm physicæ: sic Judex innocentem condemnans ad mortem, eum magis occidisse censetur, quàm carnifex.

Utraque vero causa, tum physica, tum moralis, vel est primaria seu principalis, vel secundaria seu instrumentalis. Primaria, quæ immediatè agit propria sua virtute seu motu proprio: sic faber lignum dividens & secans, est causa physica principalis sectionis ligni; & creditor exigens à debitore pecuniam, est causa moralis primaria movens ad solvendum.

Instrumentalis ea est, quæ agit motu & virtute causæ principalis vel physice, vel moraliter, physice, ut serra qua utitur faber ut lignum dividat; moraliter, ut syngrapha debitoris, quam creditor exhibet ut solutionem debiti exigat. In instrumento autem physico requiritur dispositio apta & proportionata ad effectum producendum; sic serra, ut lignum dividat, acutos dentes habere debet: non ita est in instrumento morali quod ex instituto movet, qualia sunt Sacramenta, quæ vim omnem suam ex una Dei voluntate & institutione mutuantur.

Quæstio igitur inter Theologos movetur, qua ratione Sacramenta gratiam conferant, an ut veræ causæ physicæ, an ut causæ dumtaxat morales, non quidem primariæ, sed instrumentales; quæ sanè quæstio, ut jam monuimus, perperam à multis è Novatoribus confunditur cum priori, quæ est de efficacia Sacramentorum ex opere operato: prior quippe ad substantiam dogmatis Catholici pertinet; posterior, ad modum dumtaxat explicandi dogma Catholicum: prior, fidei est; posterior, opinionis Scholæ. Quapropter à scopo penitus declinant, qui, ut dogma fidei faciliùs impugnent, vim omnem argumentorum suorum dirigunt adversùs physicam Sacramentorum causalitatem; falluntur illi, & operam perdunt. Quamquam enim hanc expugnarent, imò quamquam exponi nullatenus à nobis posset modus quo Sacramenta operantur, non minus tamen vera & certa foret virtus Sacramentorum, qualem declarant ac statuunt Scripturæ, Traditio, & Ecclesiæ auctoritas.

In duas autem generatim partes tota Schola hic dividitur. Thomistica physicam. Scotistica moralem dumtaxat admittit Sacramentorum efficientiam. Ad Thomistas hac in parte accedunt è recentioribus Bellarminus Lib. 2, de Sacramentis cap. 11. Suares in tertiam partem S. Thomæ qu. 62. disput. 9. sectione 1. Hambertus de Sacramentis in genere ad qu. 62. disp. 4. art. 3. Estius vero in 4. Librum Sententiarum dist. 1. paragr. 5. Maldonatus de Sacramentis c. 2. quæstionem versant in utramque partem. Affirmat Estius, sententiam Thomistarum Scripturæ ac Veterum dictis conformiorem videri, ac Sacramentorum dignitati magis consentaneam, quamquam intellectu & captu difficilem, quæ non potest ad plenum satisfacere contrariis argumentis; sententiam verò Scotistarum faciliorem esse, rationi & captui nostro magis accommodatam; dignitati & efficaciæ Sacramentorum aliunde nihil omninò derogantem, atque in Scholis magis vulgatam. Melchior Canus insignis è familia Dominicana Theologus, Relectione de Sacramentis in genere parte 4. Divi Thomæ sententiam deserit ac impugnat; & omnium primus, si Morino fides Lib. 8. de pœnit. c. 3, causalitatem Sacramentorum appositè moralem appellavit.

In explicanda vero causalitate illa, seu physica, seu morali, in tot subinde varias opiniones scinduntur Scholastici Magistri, ut idem Canus asserere non dubitaret, eos hac sua opinionum multitudine ac varietate, confundere magis, quàm explicare modum quo Sacramenta operantur. *Nulla enim res est*, inquit, *de qua tantopere non solum indocti, sed etiam docti dissentiant.*

Varii modi explicandi causalitatem physicam Sacramentorum.

Inter patronos causalitatis physicæ, veteres Scholastici cum S. Th. in 4. dist. 1. q. 1. art. 4. existimant per Sacramenta immediatè non produci gratiam sanctificantem, sed dispositionem aliquam qua mediante gratia producitur: dispositionem vero illam dicebant in tribus Sacramentis, Baptismo, Confirmatione, & Ordine, esse characterem, in aliis ornatum quemdam. Verum hæc opinio jam diu obsoleta jacet sine defensore.

Alii cum Dominico Soto in 4. dist. 1. qu. 3. art. 2. ajunt Sacramenta esse quidem physica instrumenta quibus homo gratus & acceptus Deo redditur, ea tamen non concurrere physicè ad productionem gratiæ sanctificantis, sed tantum ad unionem illius cum anima: eo ferè modo quo homo est quidem causa physica generationis alterius hominis, licet non concurrat physicè ad creationem, sed tantùm ad unionem animæ rationalis cum corpore. Fundamentum hujus opinionis est, quod gratia per creationem à Deo producatur; nulla vero creatura possit esse instrumentum creationis.

Alii vim illam efficacem Sacramentorum ajunt esse qualitatem quamdam physicam, affixam & inhærentem, quam aliqui formaliter spiritualem, aliqui formaliter corpoream, & virtualiter spiritualem esse contendunt.

Alii denique, quorum vulgata magis ac recepta videtur explicandi ratio, dicunt physicam illam Sacramentorum causalitatem esse ipsammet motionem seu usum Dei, qui pro suo supremo in res omnes dominio, signis exterioribus utitur tanquam physicis instrumentis ad productionem effectus spiritualis; qua ratione utitur igne materiali ad torquendos dæmones. Deus autem non supponit, sicut artifex creatus, in ejusmodi instrumentis prævIam quamdam dispositionem, sed eam facit. Ita S. Thomas parte qu. 62. articulo 1. 3. & 4.

Varii modi explicandi causalitatem moralem Sacramentorum.

Qui ex altera parte pugnant pro causalitate Sacramentorum dumtaxat morali, ii etiam in modo explicandi non consentiunt.

Sunt quibus placet Sacramenta esse tantum conditiones sine quibus Deus gratiam non largitur. Ita sentire

vidētur

videtur Durandus in 4. dist. 1. q. 4. n. 19. quod illustrat exemplo illius *qui reciperet denarium plumbeum, facta tali ordinatione, ut qui recipit unum de illis, recipiat eleemosynam Regis, non quòd*, inquit, *denarius sit causa eleemosynæ, sed solùm Rex: denarius autem est signum & causa sine qua non.*

Sunt qui Sacramenta non esse causas proprie efficientes, sed quasi materiales asserunt, hoc sensu quòd gratiam contineant, sicut vas continet medicinam quam ægrotus propinat. Ita Altissiodorensis Lib. 4. Summæ Tract. 3.

Sunt qui dicunt Sacramenta conferre gratiam per modum impetrationis, quia nempe impetrant à Deo gratiam. Ita Guillelmus Parisiensis Lib. de Sacramentis in genere cap. 1. Vasques in 3. par. S. Th. q. 132. cap. 5.

Sunt qui docent Sacramenta conferre gratiam instar chirographi moraliter continentis pretium meritorum Christi, vel instar manus porrigentis pretium pro redemptione captivorum; movendo scilicet efficaciter Deum, ex pacto quo se libere obstrinxit, ut ad præsentiam signorum Sacramentalium assistat, & gratiam conferat iis qui debitè præparati Sacramentorum fiunt participes. Ita Melchior Canus Relectione de Sacramentis in genere parte 4. conclusione 6. qui modus explicandi causalitatem seu efficientiam Sacramentorum planus & facilior, videtur dignitati ac virtuti eorundem etiam accommodatior. De illis variis Scholasticorum opinionibus fusè disputantes lege, si vacat, Suarem ad q. 62. 3. partis S. Thomæ disp. 9. integra Vasquesium in eandem quæstionem disp. 132. Isambertum de Sacramentis in gen. ad eandem qu. disp. 4. art. 2. & disp. 5. integra. His præmissis, quæ verisimilior nobis videatur sententia, Conclusione sequenti aperiemus.

CONCLUSIO.

Verisimilius non videtur, Sacramenta causas esse duntaxat morales, non physicas gratiæ sanctificantis.

Probatur 1. Quia non satis intelligimus qua ratione res materialis & corporea possit physice concurrere ad rem spiritualem efficiendam: nulla quippe inter eas est proportio, ne inchoata quidem ac remota.

At, inquies, efficacia Sacramentorum unum est ex fidei nostræ mysteriis, quorum hæc nativa conditio est, ut comprehendi & explicari satis non possit. Fatemur quidem; verum modus efficaciæ Sacramentorum physicus vel moralis ad mysterium & dogma fidei non pertinet, sed ad Theologicam mysterii expositionem. Si ergo Theologis licet, quod nemo certe ipsis denegat, industriam suam in exponendis & explicandis mysteriis collocare, ea profecto expositio videtur aliis præferenda, quæ, servata fidei ac mysterii dignitate & veritate, ejus obscuritatem utcunque imminuit, ac cum sana philosophandi ratione melius conciliatur; qualis certe non videtur esse modus explicandi vim Sacramentorum per physicam causalitatem: hæc enim sic obscura est & implicata, ut Catholicum dogma plus involvat, quàm explicet; atque ad tot subtilitates & argutias illud adducit, ut Hæreticis audaciam & vires in eo refellendo majores subministret. Nec juvat exempla proferre humanitatis Christi, quæ velut instrumentum divinitati conjunctum miracula physice operabatur; vel aquæ piscinæ, quæ post motum Angeli morbos pariter sanabat; vel ignis materialis, qui dæmones physice alligat & torquet: quasi unum obscurum per aliud æque obscurum exponi deberet; quamquam multi graves Theologi in exemplis mox adductis, non physicam, sed moralem tantum agnoscunt ad memoratos effectus causalitatem.

II. Causa physica non agit nisi cum physice & quoad entitatem suam existit: atqui Sacramenta etiam cum non existunt quoad suam entitatem, operantur, ea præsertim quæ in usu posita sunt, v. g. Baptismus, Confirmatio &c. Sunt quippe entia successiva quæ in fluxu consistunt: entia vero hujusmodi dum fiunt, non existunt, non tantum quoad integram entitatem, sed nequidem quoad partem illam ultimam quæ totam actionem claudit & determinat. Gratia etenim Sacramentalis non infunditur, nisi cum omnibus suis numeris perfectum est & absolutum Sacramentum; non est autem perfectum, nisi postquam ultima dictio, particula vel syllaba pronuntiata fuit; ubi vero pronuntiata fuit, statim evanescit nec existit amplius: quomodo igitur physice agere concipi potest?

Mire implicatum videtur quod hic reponunt: entia nempe successiva operari per ultimam sui partem qua complentur, eaque incipere ac desinere extrinsecè, seu incipere per ultimum sui non esse, & similiter desinere per primum sui non esse. Si ita est, ergo non sunt seu non existunt amplius integræ partes Sacramenti, ne ultima quidem, cum physice operari dicitur: quomodo igitur partes à se invicem longo interdum intervallo sejunctæ ac dissitæ physicum influxum habere possunt, ut fit v.g. Sacramento Pœnitentiæ, quando absolutio sacramentalis à confessione plurium dierum spatio distat? Nisi fortè dixerint, per partes singulas aliquam gratiæ sacramentalis partem produci, quod profecto per absurdum foret cum illa sit indivisibilis, ut pote spiritualis. Aut igitur invenienda est nova causalitatis physicæ, quā Philosophia suppeditat, aut Sacramentis non affingenda. En ambages & angustiæ quibus implicantur qui causalitatem illam physicam Sacramentorum tuentur.

III. Communis ac trita est Theologorum doctrina, Baptismum scilicet ficte susceptum, id est, cum conscientia peccati mortalis, recedente fictione reviviscere, & in homine pœnitente suum effectum sortiri: atqui non potest tunc physice effectum suum producere, cum non amplius existat Baptismus; quod enim non existit, physice agere non potest.

Ludunt profecto qui respondent, aut Deum in casu supplere existentiam Baptismi, aut Baptismum, per characterem quem impressit, tanquam per residuam sui partem physice agere. Namque primum non est ad rem nostram: loquimur enim de efficacia ipsius Sacramenti, non de actione Dei supplentis vices ipsius. Alterum vero plane absurdum est; character quippe non est pars, sed effectus Sacramenti, neque spiritualis regeneratio ad characterem, sed ad Baptismum tanquam ad causam refertur. Verius alii cum Suare fatentur, eo in casu Baptismum physice non agere. Recte quidem; at fateantur etiam necesse est, nullum eo in casu locum habere quotquot generatim ex Scripturis & SS. Patribus pro physica Sacramentorum efficientia probationes congessit Suares.

IV. Omnis causa physica debet attingere subjectum in quo agit per realem ac physicum contactum saltem virtutis alicujus profluentis, quomodo Sol in visceribus terræ per calorem à se diffusum operatur: atqui Sacramenta animam, in quam agunt, non attingunt physice, sed solum corpus; imò nec corpus semper physice tangunt, ut contingit cum Matrimonium inter se absentes per procuratores contrahitur; vel cum verba Sacramentalis absolutionis ad pœnitentem usque physico motu non perveniunt; quod quidem eo præsertim tempore verum erat, quo rata habebatur absolutio absentibus per litteras concessa.

V. Denique, causalitas illa physica Sacramentorum nullo satis firmo in Scripturis aut SS. Patribus argumento nititur, ut mox patebit ex solutione Objectionum.

Quæres quo tempore Sacramenta gratiam conferant; an successive, an & in quo instanti temporis?

Resp. 1. gratiam totam simul non successive ac quasi per partes produci; quia spiritualis est & indivisa.

2. Illam ab instanti temporis infundi à Deo, quo suis omnibus partibus constant & perfecta sunt Sacramenta, pro natura scilicet entium moralium, quæ in fluxu posita sunt, ac ultimum suum complementum habere censentur, cum accessit ultima pars totam veluo claudens, ac consummans essentialem actionem.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objicies 1. Testimonia Scripturæ quæ Conclusione Articuli superioris laudavimus, aliam quàm moralem videntur exprimere Sacramentorum efficaciam. Ajunt enim de Baptismo verbi gratia hominem *ex aqua & Spiritu renasci*. Joan. 3. v. 5. *Mundari lavacro aqua in verbo vitæ*, Ephes. 5. v. 26. *Salvum fieri per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus sancti*. Ad Titum 3. v. 5. quæ particulæ, *ex*, *in*, *per* veram & physicam denotant efficientiam.

Resp. nego ant. Particulæ enim illæ ostendunt quidem Sacramenta veras esse ac proprias causas efficaces nostræ sanctificationis, quod agnoscunt omnes Catholici; at causas esse potius physicas quàm morales, nullatenus inde concludes; nisi pariter concludere volueris, sanguinem Christi qui effusus est, causam esse physicam nostræ redemptionis ac salutis: de illo enim dicitur 1. Joan. 1. v. 7. *Sanguis Jesu Christi emundat nos ab omni peccato*. Et Hebr. 9 v. 12. *Christus per proprium sanguinem introivit semel in sancta, æterna redemptione inventa*. Et Ap. 1. v. 5. *Christus lavit nos à peccatis nostris in sanguine suo*. Etc. 5. v. 9. *Redemit nos in sanguine suo*. Porro sicut sanguinis Christi est causa duntaxat moralis ac meritoria nostræ salutis, sic & Sacramenta sunt causæ morales instrumentales, quibus pretium & meritum sanguinis Christi nobis applicatur.

Objicies 2. Videntur SS. Patres physicam agnoscere in Sacramentis virtutem. 1. Quia dicunt eam explicari non posse. 2. Quia ad omnipotentiam Dei recurrunt, ut eam explicent. 3. Quia eam comparant cum veris & physicis causis, v. g. cum virtute seminis, aquis mundi primordialibus, igne calefaciente, utero virginali &c.

Resp. negn ant. SS. quippe Patres hoc unum duntaxat voluere, Sacramenta scilicet veras esse ac reales causas sanctificationis nostræ; quomodo autem sint causæ, an physicè, an moraliter, (quæ Scholæ controversia est) non assignarunt. Causa verò moralis, ut diximus, tam vera est ac efficax causa, quam physica.

Ad primam & secundam probationem, non immerito asserunt sancti Doctores, vim Sacramentorum enarrari non posse, atque ad unam Dei omnipotentissimam voluntatem confugiendum esse; quis enim rectè explicet quomodo ad præsentiam aquæ Deus certissime moveatur ad infundendam sanctificantem gratiam?

Tract. 80. in Joan. Nonne merito exclamabat hic S. Augustinus, *Quæ est tanta virtus aquæ, ut corpus tangat & cor abluat?* Nonne ad unam Dei virtutem ac voluntatem recurrendum nobis est, quamquam moralis duntaxat sit illa Sacramentorum vis & efficacia? Quemadmodum etsi moralis duntaxat fuerit ea virtus qua ad vocem Josue Sol stetit, & ea qua ad prædicationem Apostolorum universus Orbis ad fidem Christi conversus est, nihilominus tamen stupenda & omni eloquio superiora sunt isthæc prodigia.

Ad tertiam, Similitudines illæ non plùs æquo urgeri debent; alias efficerent Sacramenta esse causas naturales gratiæ. Harum igitur & similium rerum exemplo probare duntaxat voluerunt sancti Patres, verè & propriè nobis per Sacramenta gratiam conferri: de modo autem quo illam conferunt, solliciti fuisse non videntur.

Objicies 3. Ecclesia in Concilio Trid. sess. 7. Can. 6 definit Sacramenta continere gratiam, eamque non ponentibus obicem conferre. Et Can. 8. eam conferre *ex opere operato*: at vix istud intelligi potest nisi physicè operentur Sacramenta.

Resp. neg. min. Sacramenta enim moraliter continent gratiam quam conferunt, movendo scilicet efficaciter Deum ut eam conferat: eo modo quo sanguis Christi continet redemptionem nostram, cujus est causa meritoria: agere autem ex opere operato, & agere physico modo, duo sunt valdè distincta, ut sæpius monuimus.

Instabis. Ecclesia in benedictione Fontis baptismalis à Deo postulat, *ut dignetur aquis impertiri vim regenerandi .... ut Spiritus sanctus arcana sui numinis admixtione eas fœcundet; ut sanctificatione concepta ab immaculato divini fontis utero, in novam renata creaturam, progenies cælestis emergat*. Et Tertullianus Lib. de Baptismo cap. 4. *Aquæ*, inquit, *sanctificatæ* (à Spiritu sancto) *vim sanctificandi combibunt*. At hæc omnia causalitatem physicam apprimè designant & exprimunt.

Resp. neg. min. In benedictione quippe aquæ lustralis quæ singulis fit diebus Dominicis, similiter Ecclesia postulat à Deo ut *huic elemento virtutem suæ benedictionis infundat; ut ad abigendos dæmones morbosque pellendos divinæ gratiæ sumat effectum*; an vero inde inferes, per aquam benedictam physica virtute dæmones expelli aut morbos sanari? minime profecto. His igitur suis precibus rem ipsam postulat Ecclesia; ad modum vero quo res illa conferetur, non attendit: sit physicus, sit moralis, perinde ipsi est, modò rem assequatur, quam postulat. Non alius est Tertulliani sensus.

Objicies 4. Ea Sacramentis efficacia concedenda est, quæ eorum dignitati atque præstantiæ magis consentanea videtur: atqui talis est causalitas physica, ergo &c.

Res. 1. neg. maj. Neque enim eam hic quærimus Sacramentorum efficaciam, quæ nostro sensu magis videatur eorum dignitati accommodata, sed eam quam ipsis reipsa Christus indidit, & nos intelligere facilius possumus: in factis enim hujusmodi una consuli debet divina institutio, non humanus sensus.

II. Nego min. Moralis enim efficacia non minus commendat Sacramentorum dignitatem, quàm physica, utpote quæ suum effectum tam certò assequatur quàm causa physica. An vero sanguis Christi minus perfecta idcirco est nostræ sanctificationis causa, quòd non physica sit, sed tantùm moralis? minimè profectò. Non est porro quod perfectius genus causalitatis tribuatur Sacramentis, quàm ipsimet Christi sanguini, est quo omnis eorum virtus derivatur ac profluit.

Objicies 5. Instrumentum causæ principalis physicè agentis debet etiam physicè concurrere ad effectum: atqui Sacramenta instrumenta sunt Dei, qui est causa principalis & physica gratiæ; ergo &c.

Resp. nego maj. Sanguis enim Christi medium seu instrumentum fuit quo voluit Deus humanam operari sanctificationem: Apostoli etiam instrumenta fuere, quibus Christus usus est ad fundandam & propagandam Ecclesiam; non tamen physicè, sed moraliter duntaxat ad hos effectus concurrerunt.

Objicies denique. Si Sacramenta non sunt causæ physicæ sanctificationis nostræ, sequitur, 1. ea meras esse duntaxat conditiones sine quibus non confertur à Deo gratia. 2. ea esse nuda signa quorum hoc unum officium est, ut Deum moveant ad concedendam gratiam: causa scilicet moralis non aliter, quam movendo causam physicam, operatur. Sequitur 3. Sacramenta nostra à Mosaicis virtute non differre; hæc enim movebant pariter Deum ut gratiam digna suscipientibus conferret.

Resp. nego tria hæc consectaria. Primum, quia conditio sine qua non ex se ipsa non est activa: Sacramenta autem vim habent efficacem & activam, saltem moraliter.

moraliter. Secundum, quia nudum signum ad significandum dumtaxat ordinatur: at Sacramenta non tantum ad significandum, sed etiam ad operandum sunt instituta; quia nempe certo & efficaciter movent Deum, ex pacto quo se liberè obstrinxit ad gratiam conferendam iis qui digne ut oportet iis utuntur, in quo uno eorum moralis causalitas & efficientia posita est. Tertium denique, quia Sacramenta vetera certo & infallibiliter ex se ipsis Deum non movebant ad gratiam conferendam, sicut nostra; sed ex fide dumtaxat à cujus signa erant ac publicæ quædam protestationes: uno verbo, nostra Sacramenta ex opere operato prosunt ad salutem; vetera ex opere dumtaxat operantis, sicut Articulo mox sequenti fusiùs demonstrabimus,

ARTICULUS III.

De discrimine efficientiæ Sacramentorum novæ ac veteris Legis, imprimis verò Circumcisionis.

VEl ipsa inscriptio Articuli statum præsentis controversiæ subindicat. Neque enim hic dumtaxat est quæstio, an Sacramenta Christi discrepent à Mosaicis, aut ritibus & cæremoniis externis, aut numero, aut facilitate utendi, aut claritate signi, aut amplitudine objecti, aut duratione temporis: his quippe omnibus titulis, imò & uberioris gratiæ diffusione Sacramenta Christi veteribus antecellere non negant Novatores. *Non negamus*, ait Calvinus in antidoto Conc. Trid. ad Sessionis septimæ Canonem 2. *quin uberior sub Christi regno percipiatur gratia.* Et Lib. 4. Instit. c. 14. n. 22. *Quin uberior*, inquit, *Spiritus sancti gratia hic se proferat, si tempus cum tempore compares, non dubium est.* Tota igitur præsens controversia in eo versatur, an vetera Sacramenta vim aliquam & efficaciam habuerint ad conferendam gratiam, sive ex opere operato, sive ex opere operantis; circa quam Novatorum & Catholicorum sententia paucis exponenda est.

Opusc. p. 734.
Instit. p. 479.

Sententia Novatorum.

I. Calvinus Lib. 4. Instit. cap. 14. n. 23: ait, *penitus explodendum esse Scholasticum illud dogma, quo tam longum discrimen inter veteris ac novæ Legis Sacramenta notatur, perinde ac si illa non aliud quàm Dei gratiam adumbrarent, hæc verò præsentem conferant.* Deinde probat Veteres in suis Sacramentis *parem nobiscum percepisse Christi gratiam.* Et cap. 16. n. 3. ostendit Circumcisionem perinde ac Baptismum annexam à Deo habuisse gratiæ promissionem ac peccatorum veniam.

Instit. p. 479.
p. 489.

Si hoc unum Calvinus voluit, vetera nempe Sacramenta novis in eo adæquare, quòd utraque parem habuerint ad fidem excitandam, per quam justitia obtinetur, virtutem, procul dubio in fidei dogma peccavit, non quidem vetera extollendo, sed nova deprimendo Sacramenta, quorum longe aliam esse quam mere externam & objectivam efficaciam demonstravimus. Hoc autem seposito errore, si Novatores non aliud hic contendant: quàm Sacramenta Mosaica perinde ac Evangelica, ex pacto & promissione Dei, virtutis aliquid habuisse ad justitiam conferendam, cum multis Scholasticis Doctoribus sentiunt, nec à fide hac in parte aberrare videntur; nullo enim Decreto, nullo Canone Ecclesia oppositum definivit. Canone quidem 2. Sessionis 7. Concilium Tridentinum damnat eos qui dixerint, *nova Legis Sacramenta à Sacramentis antiquæ Legis non differre, nisi quia cæremoniæ sunt aliæ, & alii ritus externi*: quibus verbis innuit quidem Synodus, inter vetera & nova Sacramenta aliud esse quàm rituum & cæremoniarum discrimen; quod porrò illud sit, non explicat, sicut advertit Estius in 4. dist. 1. paragr. 27. Neque eo Canone perstrictus censeri posset, qui discrimen illud reponeret non tantum in ritibus & cæremoniis, sed etiam in mensura gratiæ quæ parcior fuit in Mosaicis, uberior vero est in Evangelicis Sacramentis. Canonibus pariter 6 7. & 8. declarat eadem Synodus, Sacramenta Legis Evangelicæ *continere gratiam quam significant, eamque non ponentibus obicem conferre ex opere operato*: de Sacramentis autem Legis Mosaicæ id neque affirmat, neque negat. Qua propter Bellarminus L. 2. de Sacramentis in genere c. 13. cogitur fateri Concilium Trid. *obscurius & brevius istud definisse.* Rationem hanc objicit, *quia*, inquit, *necesse non erat, cum jam res esset definita sess. 7. Can. 2.* At ne illo quidem Canone definitam fuisse mox observavimus. Noluit scilicet pro sua sapientia Concilium, eam suis Canonibus notare sententiam quam noverat inter Scholæ Doctores libere agitari.

Quid in hac quæstione sit ab Ecclesia definitum.
T. 14. Conc. p. 776. D. E.
Ib. p. 777.
To. 3. p. 69 A.

Cum etiam Eugenius IV. Summus Pontifex in Decreto seu Institutione Armenorum affirmat, *Sacramenta Evangelica multum differre à Sacramentis antiquæ Legis; hæc non causasse gratiam, sed eam solum per passionem Christi dandam figurasse; illa vere & continere gratiam, & digne suscipientibus conferre*, cum, inquam, hæc dixit Summus Pontifex, communiorem Theologorum sententiam, non dogma fidei necessario credendum proposuit; alias nulli Catholico jam licitum foret (quod tamen licet) asserere in usu Circumcisionis & aliorum veterum Sacramentorum gratiam aliquam concessam olim fuisse. Aliunde vero certum est in aliis nonnullis capitibus, præsertim iis quæ materiam & formam aliquorum Sacramentorum spectant, Eugenium IV. usum & disciplinam Ecclesiæ Romanæ Armenis quos informabat exposuisse, non vero totidem fidei articulos ipsis ad credendum præscribere voluisse. Si quis ergo Novatorum hic error est, non in eo certe collocandus quod vetera extollant, sed quod nostra deprimant Sacramenta: neque etiam Catholica fides veteribus efficaciam omnem detrahit, sed nostris debitam solummodo vendicat & asserit.

Tom. 13. Conc. p. 534. D.

Opiniones Scholæ.

II. Scholastici Doctores valde discordes sunt inter se circa præsentem controversiam: multi existimant aliter statuendum de Circumcisione ac de cæteris Legis Mosaicæ Sacramentis.

Circa Mosaica Sacramenta, sunt qui omnem penitus ipsis virtutem etiam ex opere operantis detrahere videntur. Ita Magister Lib. 4. Sententiarum dist. 1. ubi ait *ex operibus Legis neminem justificatum fuisse, etiamsi in fide & charitate fierent*: quia imposuit ea Deus in *servitutem, non in justificationem, & ut figura futuri essent.* Magistrum nonnulli benigne sic exponunt, quasi dumtaxat voluerit Mosaica Sacramenta, etiam in fide & charitate suscepta, ex se & ex opere operato nihil ad salutem animæ profecisse.

Magister.

Alii ex opposito censent, in Sacramentis Legis Mosaicæ datam fuisse gratiam, non tantum ex merito operantis, sed etiam præter illud, seu ex opere operato. Ita Paludanus in 4. dist. 1. q. 5. Durandus in eamdem distinctionem q. 5. ubi docet inter Sacramenta veteris Legis distinguendum esse; atque alia proprie & vere Sacramenta fuisse, alia vero improprie & latiori quodam sensu, qualia fuere quædam Sacrificia & oblationes: hæc quidem posteriora vacua & prorsus sterilia ex se se fuisse affirmat, priora vero partim efficacia, partim non efficacia pro diversa eorum conditione. Quæ enim destinabantur ad effectum qui sine gratia poterat obtineri, gratiam non conferebant, cujusmodi erant legales expiationes & purificationes: quæ

Durandus

vero ordinabantur ad effectum qui sine gratia non poteſt haberi, ea gratiam moraliter conferebant ex pactione divina. *Non enim*, inquit Durandus, *Deus decrevit ea in necessariis, & talia videntur fuisse Circumcisio,*
N. 11. *qua ordinabatur ad deletionem peccati originalis qua fieri non poteſt ſine gratia, & unctio Sacerdotalis, qua ordinabatur ad Sacramentorum administrationem, qua non poterat bene fieri ſine gratia.* Ita Durandus, qui ibidem q. 8. aliter judicat de remedio Legis naturæ, quod cum dicat verum non fuiſſe Sacramentum, conſequenter gratiam in eo per modum meriti ac ſuffragii totius Eccleſiæ fidem ſuam parvulo applicantis, non autem per illud à Deo datam fuiſſe contendit.

S. Bonaventura. S. Bonaventura in 4. diſt. 1. parte 1. q. 5. refert ac probat Hugn Victorini ſententiam, nimirum Sacramenta vetera gratiam ex opere operato contuliſſe, non quidem per ſe ac primario, quia nullam habebant aonexam Dei promiſſionem, ſed per accidens ac ſecundario, propter fidem cujus erant ſigna proteſtativa; Sacramenta vero Chriſti per ſe ac primario gratiam hanc conferre, virtute ipſius inſtitutionis Chriſti. Hæc opinio
Estius. videtur Eſtio maximè commoda conciliandis in ſpeciem oppoſitis tum Scripturæ, tum SS. Patrum teſtimoniis circa præſens argumentum; eamque ipſe amplectitur in 4. diſt. 1. paragr. 28.

Inter illas vero duas extremas opiniones, quarum una negat etiam ex opere operantis, altera verò concedit etiam ex opera operato, ſaltem per accidens ac ſecundario, vetera Sacramenta vim ſanctificandi habuiſſe, media eſt ſancti Thomæ & aliorum vulgo Theologorum ſententia, vetera ſcilicet Sacramenta ex opere operantis, ſeu ex merito fidei miniſtrantis vel ſuſcipientis, vim habuiſſe; noſtra vero ex opere operato, ſeu ex ipſa Chriſti inſtitutione. Cujus diſcriminis cauſam hanc proferunt, quod cum Sacramenta ſint inſtrumente Chriſti, quæ vim omnem ſuam ex ipſius paſſione ac morte trahunt, vetera, Chriſto nondum nato ac mortuo, virtutem illam habere non potuerunt, quam nova, poſt illius adventum & mortem, in ſe continent. Quæ profecto ratio in eorum dumtaxat opinione aliquid momenti habere videtur, qui exiſtimant Sacramenta eſſe phyſica gratiæ conferendæ inſtrumenta: morale quippe inſtrumentum tam bene movere poteſt abſens, quàm præſens; qualis eſt v. g. mors Chriſti, quæ futura non minus profuit, quàm jam profit præterita.

Opiniones circa vim Circumcisionis.

Quantum vero ad Circumciſionem attinet, quam à Sacramentis Moſaicis nonnulli idcirco diſtinguendam exiſtimant, quod ejus inſtitutio ac præceptum Moyſen præceſſerit, ſanctus Thomas 3. parte Summæ q. 62. art. 6. ad 3. plures refert Auctorum ſui temporis opiniones. Prima erat, per Circumciſionem condonatum fuiſſe peccatum, non collatam gratiam. Secunda, collatam quidem gratiam quantum ad remiſſionem culpæ, ſed non quantum ad alios effectus, v. g. vitam æternam. Tertia, datam gratiam quantum ad remiſſionem peccati & obſervationem Legis, non vero quantum ad repreſſionem cupiditatum. Quarta, datam eſſe gratiam quantum ad remiſſionem peccati, ſed non quantum ad conſequendam divinam benevolentiam. Verùm abſurdæ ac falſæ videntur opiniones illæ. Quidquid enim cauſa eſt remiſſionis peccatorum, neceſſario cauſa eſt mediorum quæ conferunt ad vitam æternam: media autem ſunt divina benevolentia, obſervatio Mandatorum, repreſſio cupiditatum; ergo quidquid dat gratiam quantum ad remiſſionem peccatorum, dat & quantum ad benevolentiam Dei, & quantum ad obſervationem Legis, dat & repreſſionem cupiditatum.

His vero prætermiſſis, quæ jam abſolutæ ſunt, opinionibus, univerſa Theologorum Schola in duas generatim partes hic dividitur.

Prima exiſtimat Circumciſionem, æquè ac Baptiſmum, fuiſſe à Deo inſtitutam in remedium peccati originalis, atque ex ipſo, ut ajunt, opere operato gratiam contuliſſe. Ita Magiſter in 4. diſt. 1. *Fuit*, inquit, *Circumciſionis Sacramentum idem conferens remedium contra peccatum, quod nunc Baptiſmus præſtat*: quod probat adductis teſtimoniis ſancti Auguſtini & Venerabilis Bedæ. Ita pariter Alexander, Scotus, Durandus, Paludanus, ſanctus Bonaventure in 4. diſt. 1. ubi docet ex opere operato & quidem primario ac per ſe, non vero tantum ſecundario & per accidens, ſicut alia Moſaica Sacramenta, Circumciſionem vim habuiſſe delendi originale peccatum: cui ſententiæ ſubſcribit Eſtius in 4. diſt. 1. parag. 13. *Fatendum eſt*, To. x. p. 2. col. 2. E. inquit, *Circumciſionis ſignaculum gratiam contuliſſe etiam ex opere operato.*

Secunda opinio eorum eſt qui cum ſancto Thoma 3. parte q. 62. art. 6. & q. 70. art. 4. contendunt Circumciſionem non ex ſe ſeu opere operato, ſed ex opere dumtaxat operantis, ratione ſcilicet fidei, cujus ſignum erat proteſtativum, vim habuiſſe purgandi à labe originali. Quomodo autem fides illa efficax fuerit, an ut actus perſonæ credentis, an propter ipſius objectum, nempe Chriſtum Mediatorem venturum, expoſuimus antea ubi de Sacramentis Legis naturæ. Huic ſententiæ adhærent Melchior Canus Relectione de Sacramentis in genere 5. Bellarminus de Sacramentis Lib. 2. cap. 14. Vaſques in 3. a. S. Thomæ diſput. 184. cap. 4. & alii bene multi.

Ex hac opinionum varietate plane intelligitur, præſentem controverſiam ex earum eſſe numero, de quibus dicebat olim S. Auguſtinus, *inter ſe aliquando doctiſſimos & fidei Catholicæ defenſores ſalva fidei compage non conſentire.* Quapropter pondere rationum ac momentorum definienda eſt, non auctoritate vel numero defenſorum. Sit itaque

PRIMA CONCLUSIO.

Vetera Sacramenta nullam vim & efficaciam habuere ad gratiam ex opere operato conferendam.

Multiplex hujuſce rei argumentum ſuppeditant nobis divinæ Scripturæ.

Primum ducitur ex diſcrimine utriuſque Legis, Joan. 1. v. 17. *Lex per Moyſen data eſt, gratia & veritas per Jeſum Chriſtum.* Hebr. 10. v. 1. *Umbram habens Lex futurorum bonorum, non ipſam imaginem rerum.* Ergo Legis obſervatio non ex ſe, ſed ex fide dumtaxat juſtificabat. *In Lege nemo juſtificatur apud Deum*, ait Apoſtolus Galat. 3. v. 11. *quia juſtus ex fide vivit; Lex autem non fide, ſed qui fecerit ea, vivet in illis.* Id eſt, opera ex Lege facta non ſunt opera fidei, ſi tamen quis ea ex fide adimpleverit, vivet in illis; *factores enim Legis juſtificabuntur.* Rom. 2. v. 14.

Secundum, ex inſufficientia & inutilitate Legis. Hebr. 7. v. 18. "Reprobatio fit præcedentis mandati, "propter infirmitatem ejus & inutilitatem; nihil enim "ad perfectum adduxit Lex." Et Rom. 8. v. 3. "Quod "impoſſibile erat Legi, in quo infirmabatur per carnem Deus Filium ſuum mittens ..... ut juſtificatio Legis impleretur in nobis.

Tertium, ex defectu promiſſionis gratiæ quæ veteribus Sacramentis annexa non fuit, ſicut annexa eſt novis. Hebr. 8. v. 6. "Melius ſortitus eſt miniſterium, "quanto & melioris teſtamenti mediator eſt, quod in "melioribus repromiſſionibus ſancitum eſt." Quænam vero ſint illæ promiſſiones exponit ibid. v. 12. "Propitius ero, *inquit*, iniquitatibus eorum, & peccatorum "eorum jam non memorabor;" quæ verba ex cap. 31. v. 34. Jeremiæ deprompta ſunt.

Quartum

Quartum denique, ex infirmitate & insufficientia veterum Sacramentorum ad internam animæ sanctificationem efficiendam, Galat. 4. v. 9 *Quomodo*, ait Apostolus, *convertimini iterum ad infirma & egena elementa?* Et cap. 3. v. 11. *In Lege nemo justificatur apud Deum.* Hebr. 9. v. 9. de veteribus Sacrificiis ac Sacramentis generatim pronuntiat, *Munera & hostiæ offeruntur, quæ non possunt juxta conscientiam perfectum facere servientem solummodo in cibis & in potibus & variis Baptismatibus & justitiis carnis.* Et v. 13. *Sanguis hircorum & taurorum, & cinis vitulæ aspersus inquinatos sanctificat ad emundationem carnis.* Et cap. 10. v. 4. *Impossibile est sanguine taurorum & hircorum auferri peccata.*

Occupatur ad hæc Scripturæ testimonia responsio.

Frustra quis reponeret, ex his testimoniis hoc unum colligi posse, Sacramenta nempe vetera ex se ipsis, & à Christo sejuncta, infirma & egena fuisse elementa; quasi de Sacramentis nostris Evangelicis idem dici non deberet, ac sine Christo spectata, vim aliquam haberent? Vera igitur ratio discriminis est, quod vetera Sacramenta ex ipsa Legis, in qua erant, nativa conditione, à Christo ejusque gratia sejuncta forent; nostra vero cum Christo, quem habent auctorem, sint intimè conjuncta. *Lex enim non ex fide.* Galat. 3. ver. 12. *Lex per Moysen data est, gratia & veritas per Jesum Christum.* Joan. 1. v. 17. Si quid igitur cœlestis gratiæ Veteres percipiebant, non ex ipsis signis seu Sacramentis, neque ex Lege, sed ex fide ipsa in Messiam venturum profluebat, quæ fides & gratia propria erat novi Testamenti, adeoque per accidens cum Lege Mosaica ejusque Sacramentis conjungebatur: quapropter non ex se ipsis, seu ex opere operato, sed ex fide seu ex opere operantis valebant ad spiritualem animæ sanctificationem.

An dici possit vetera Sacramenta ex opere operato per accidens ac secundario gratiam contulisse.

Neque porrò satis intelligimus, quid sit apud Auctores antea citatos, gratiam per vetera Sacramenta conferri ex opere operato per accidens ac secundariò, non autem primariò ac per se. Namque vel illi efficaciam adscribunt soli fidei, cujus Sacramentum signum erat protestativum, vel fidei simul & Sacramento: si prius, ex opere duntaxat operantis valebat Sacramentum; si posterius, necesse est fateantur, ejusmodi Sacramentis annexam à Deo fuisse promissionem gratiæ, nempe ut quoties ex fide usurparentur, Deum certissimè inducerent ad conferendam gratiam: quod si fateantur, necesse est agnoscant Sacramenta hæc non tantùm per accidens ac secundariò, sed etiam primariò ac per se, propter annexam Dei promissionem, vim simul cum fide habuisse gratiam conferendi. Quod incommodum declinare volens sanctus Bonaventura, negavit ullam intercessisse Dei promissionem de gratia concedenda in legitimo Sacramentorum usu; verùm in aliud incommodum ipse sanctus Doctor lapsus est, nimirum vetera Sacramenta ex opere operato per accidens ac secundariò vim habuisse conferendi gratiam sine ullo Dei pacto seu promissione; quod quidem non videtur facilè conciliari posse.

Accedunt ad confirmationem nostræ sententiæ SS. Patres.

Ed. vet. To. 3. p. 174. B.C.

S. Basilius Lib. de Spiritu sancto cap. 14. "Quid confers, inquit, lavacra cum lavacris, quæ solam nominis appellationem habent communem, rerum verò tanta est differentia, quanta est inter somnia & veritatem inter umbras imaginesque, & inter ea quæ revera subsistunt?"

Ed. nova T. 2. p. 370. C.

S. Chrysostomus Oratione de Baptismo Christi. "Judaica, inquit, expiatio nequaquam à peccatis liberabat, sed à corporis sordibus tantùm: nostra verò talis non est sed multò major, ac multa gratia referta, nam & à peccatis liberat, & animam emundat, & Spiritus gratiam largitur."

To. 2. p. 351. A.

S. Ambrosius Lib. 1. de Sacramentis cap. 4. "Diviniora, inquit, & priora sunt Sacramenta Christianorum, quàm Judæorum." Et lib. de initiandis seu de Mysteriis cap. 8. "Probatum est, ait, antiquiora esse Ecclesiæ Sacramenta, nunc cognosce potiora. Revera mirabile est, quod Manna Deus pluerit Patribus, & quotidiano Cæli pascebantur alimento..... sed tamen panem illum qui manducaverunt, omnes mortui sunt in deserto; ista autem esca quam accipis, iste panis vivus qui de Cœlo descendit, vitæ æternæ substantiam subministrat.

Ib. pag. 337. E.

S. Augustinus in Psalm. 73. non longè ab initio. "Sacramenta, inquit, non eadem, (in utroque Testamento) quia alia sunt Sacramenta dantia salutem, alia promittentia Salvatorem. Sacramenta novi Testamenti dant salutem, Sacramenta veteris Testamenti promiserunt Salvatorem..... Mutata sunt Sacramenta, facta sunt faciliora, pauciora, salubriora, feliciora.

To. 4. p. 769 D.

Lib. 19. contra Faustum cap. 13. "Proinde, inquit, prima Sacramenta quæ observabantur & celebrabantur ex Lege, prænuntiativa erant Christi venturi, quæ cùm suo adventu Christus implevisset, ablata sunt,.... & alia sunt instituta virtute majora, utilitate meliora, actu faciliora, numero pauciora.

To. 8. p. 320. A.

Denique quæstione 25. in Librum Numerorum, *Si per se*, inquit, *attendantur* [Sacramenta vetera] *nullo pacto possunt mederi: si autem res ipsa, quarum hæc Sacramenta sunt inquirantur, in eis inveniri poterit purgatio peccatorum.* Non potuit sanctus Doctor significantiùs exprimere id, quod contendimus, vetera nempe Sacramenta ex sese seu ex opere operato non justificasse, sed ex fide dumtaxat seu ex opere operantis.

Tom 3. Part. 1. p. 588. C.

Eugenius IV. Summus Pontifex in Decreto seu instructione Armenorum, ubi ait: *Novæ Legis septem sunt Sacramenta..., quæ multùm à Sacramentis differunt antiquæ Legis. Illa enim non causabant gratiam, sed eam solùm per passionem Christi dandam esse figurabant; hæc verò nostra & continent gratiam, & ipsam dignè suscipientibus conferunt.*

To. 13. Conc. p. 534 D.

Nullis rationum momentis Conclusionem nostram confirmamus, quia in re, quæ ab una Dei voluntate pendet, non alia est facti quærenda ratio, quàm voluntas facientis.

Quod verò ait S. Th. 3. parte q. 62. art. 6. in usu veterum Sacramentorum idcirco gratiam datam non fuisse, quia passio Christi, unde omnis gratia defluit, nondum peracta erat; quod autem nondum est in rerum natura, non potest movere secundùm usum exteriorum rerum, probat ad summum, Sacramenta illa vetera non fuisse physica gratiæ instrumenta, non verò moralia. Potuisset quippe Deus intuitu futuræ passionis Christi obligare se, ut ad præsentiam & usum illorum Sacramentorum gratiam bene præparatis concederet.

SECUNDA CONCLUSIO.

In veteribus Sacrificiis ac Sacramentis gratia conferebatur ex opere operantis, hoc est, ex fide & pietate seu ministrantis, seu percipientis Sacramentum.

Testatur Scriptura Gen. 4. v. 4. *Deum respexisse ad Abel & ad munera ejus, ad Cain verò & ad munera ejus non respexisse.* Causam discriminis assignat Apostolus Hebr. 11. v. 4. Quia nempe *fide plurimam hostiam Abel, quàm Cain obtulit Deo.* Levitici 1. v. 17. ex eadem procul dubio fide *holocaustum & oblatio* dicitur *esse suavissimi odoris Domino.* E contra, Sacrificia sine fide, ac judaico seu carnali animo oblata, sibi plurimùm displicere declarat Deus Isaiæ 1. v. 13. *Ne offeratis*, inquit, *ultra sacrificium frustra: incensum abominatio est mihi..... manus enim vestræ sanguine plenæ sunt.* Ex Proverb. 15. v. 8. *Victimæ impiorum abominabiles Domino, vota justorum placabilia.*

De Sacramentis pariter v.g. de Circumcisione, Rom. 3. v. 30. Apostolus ait; *Unus est Deus qui justificat Circumcisionem ex fide, & præputium per fidem.* Et cap. 4. v. 3. de Abrahamo ait; *Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad justitiam.* Et v. 11. *signum accepit Circumcisionis, signaculum justitiæ fidei.* Justitia ergo ex fide erat; Circumcisio verò, signum fidei & justitiæ.

Ratio Conclusionis duplex est fundata in Scripturis. Prima; Quia Sacramentorum usus à Deo præscriptus & imperatus fuerat; mandatorum autem observatio, eo quo par est animo perfecta, justificat. *Factores Legis*, ait Apostolus Rom. 2. v. 13. *justificabuntur.* Et cap. 10. v. 5. *Justitiam quæ ex Lege est, qui fecerit homo, vivet in ea.* Et Jacobi 2. v. 21. *Abraham pater noster, nonne ex operibus Legis justificatus est, offerens Isaac filium suum super altare?*

Veteribus Patriarchis &c. promissa fœlicitas æterna.

Secunda; Quia veteribus Patriarchis, Prophetis, cæterisque priscæ gentis viris sanctis, non tantùm caduca & temporalis bonorum hujus vitæ fœlicitas, sed etiam æterna ac spiritalis in cœlo merces promissa fuit in præmium fidei, obedientiæ & observationis mandatorum Dei. *Ego*, ait Deus ad Abrahamum Gen. 15. v. 1. *protector tuus sum, & merces tua magna nimis.* Isaiæ 56. v. 4. "Qui custodierint Sabbata mea, & elegerint "quæ ego volui, & tenuerint fœdus meum .... nomen "sempiternum dabo eis." De quo præmio cap. 64 v. 4. Idem Isaias dicit, "oculus non vidit, Deus absque te, "quæ præparasti expectantibus te." Mercedem illam spiritualem ex fida expectabant, quotquot fuere apud Veteres ante Christum natum fideles ac justi, qui in terram Chanaan promissam ingressi non sunt. Ii enim, ait Apostolus Hebr. 11. v. 16. "Nunc meliorem appetunt, id est cœlestem, Ideo non confunditur Deus vocari Deus eorum; paravit enim illis civitatem." Inde est quod Christus Matth. 8. v. 11. non aliud regnum fidelibus novi Testamenti promittit, quàm illud in quo cum Abrahamo & reliquis Patriarchis accumbent, "Multi, *inquit*, ab Oriente & Occidente venient, & recumbent cum Abraham, Isaac & Jacob in Regno "Cœlorum." Regnum illud Christi oculis fidei videtur Abraham, Joan. 8. v. 56. "Abraham pater vester "exultavit ut videret diem meum: vidit & gavisus est. Illud viderunt pariter quotquot justi & sancti fuere & ante Christum verè Christiani, quorum fidem & opera refert & commendat Apostolus Hebr. 11. à versu 17. usque ad 33. Fides quippe in Christum Mediatorem, ad salutem semper necessaria fuit; "Non est enim aliud "sub cœlo nomen datum hominibus, in quo oporteat "nos salvos fieri." Act. 4. v. 12. "Quem proposuit Deus "propitiationem per fidem in sanguine ipsius, ad ostensionem justitiæ suæ, propter remissionem præcedentium delictorum." Rom 3. v. 25. Fides autem illa in venturum Messiam, & gratiam in hac vita, & gloriam in altera à Deo impetrabat & obtinebat.

Fides in Christum semper necessaria.

Ita docet S. Augustinus citata jam q. 25. in Librum Numerorum. Et in Libro 2. de nuptiis & concop. cap. 11. sic loquitur; "Eadem fides Mediatoris salvos justos "faciebat antiquos, pusillos cum magnis .... Quia sicut "credimus Christum in carne venisse, sic illi venturum; sicut nos mortuum, sic illi moriturum." Et Lib. 2. de peccato originali cap. 32. "Mutatis, *inquit*, Sacramentis, postea quam venit qui eis significabatur esse "venturus, non tamen mutato Mediatoris auxilio, qui "etiam prius quàm venisset in carne, antiqua sua membra liberabat suæ Incarnationis fide.

To. 10. p. 33 D.

Ibid. p. 269. C. D.

S. Tho.

Ita pariter S Th. 1. 2. q. 103. art. 2. in corp. "Poterat, *inquit*, mens fidelium tempore Legis per fidem conjungi cum Christo incarnato & passo; & "ita ex fide Christi justificabantur: cujus fidei protestatio erat hujusmodi cæremoniarum observatio, in "quantum erant figura Christi. Et ideo pro peccatis "offerebantur sacrificia quædam in veteri Lege: non "quia ipsa sacrificia à peccato emundarent, sed quia "erant quædam protestationes fidei, quæ à peccato "mundabant; & hoc etiam ipsa Lex innuit ex modo loquendi. Dicitur enim Levitici 4. & 5. quod in oblatione hostiarum pro peccato orabit pro eo Sacerdos, "& dimittetur ei: quasi peccatum dimittatur non vi "sacrificiorum, sed ex fide & devotione offerentium." Hæc S. Thomas, quæ cum ex se perspicua sint, expositione non indigent.

TERTIA CONCLUSIO.

Circumcisio Instituta non videtur in remedium peccati originalis, nec gratiam contulit ex opere operato.

Probatur 1. ex cap. 17. Gen. v. 10. & 11. ubi ad hoc unum instituta legitur Circumcisio, ut esset signum fœderis Deum inter & Abrahamum ejusque posteros, *Hoc est pactum meum*, ait Deus, *quod observabitis inter me & vos, & semen tuum post te. Circumcidetur ex vobis omne masculinum, & circumcidetis carnem præputii vestri, ut sit in signum fœderis inter me & vos.* Non ait, ut sit in remedium peccati & causam sanctificationis; sed in signum fœderis: nempe ut Circumcisio signum foret tum distinctionis populi Judaici à cæteris nationibus; tum singularis erga ipsum Dei amoris ac providentiæ; tum denique Religionis ac cultus quo populus ille Deum specialiter colere & honorare tenebatur. Quapropter Apostolus Rom. 4. v. 11. dicit Abrahamum "accepisse signum Circumcisionis, "signaculum justitiæ fidei, quæ est in præputio. Et v. 9. ac 10. dixerat, "fidem Abrahæ reputatam esse ad "justitiam, non in Circumcisione, sed in præputio. Deinde addit istud Abrahamo singulare non fuisse, ut justitiam ex fide consequeretur, sed iis omnibus etiam commune qui ipsius fidem imitantur, sive circumcisi sint, sive non, "Ut sit, *inquit*, pater omnium credentium per præputium, ut reputetur & illis ad justitiam; "& sit pater Circumcisionis, non iis tantum qui sunt ex "Circumcisione, sed & iis qui sectantur vestigia fidei, "quæ est in præputio patris nostri Abrahæ." Cujus quidem rationem reddit idem Apostolus v. 13. "Non per "Legem promissio Abrahæ aut semini ejus, ut hæres "esset mundi, sed per justitiam fidei." Denique cap. 3. v. 1. quærens quæ sit utilitas Circumcisionis, respondet: "Multum per omnem modum. Primùm quidem, "quia credita sunt illis eloquia Dei." Est ergo illud præcipuum Circumcisionis privilegium, ut eloquia Dei, id est, Lex & mandata Judæis concessa fuerint: justitia vero ex fide erat, sive in Circumcisione, sive in præputio. *Unus est Deus*, pergit ibid. sanctus Paulus v. 30. *qui justificat Circumcisionem ex fide, & præputium per fidem.*

Prima probatio ex Scriptura.

Probatur 2. ex S. Patribus tum Græcis tum Latinis.

Sanctus Justinus Dial. cum Tryphone [pagin. 234] "Circumcisio, *inquit*, quam ab Abrahamo "accepistis secundùm carnem, in signum notamque "data est, ut sitis ab aliis gentibus & à nobis discreti. Et postea: (pag. 241.) "Abraham .... Circumcisionem "accepit in signum non ad justitiam; quemadmodum "& Scripturæ, & res ipsæ nos fateri cogunt. .... Et "quod genus muliebre Circumcisionis carnalis capax "non est, satis id ostendit in signum datam Circumcisionem istam, non ut justitiæ opus.

Secunda probatio ex SS. Patribus. Ex Græcis.

Sanctus Irenæus Lib. 4. cap. 16. alias 30 sic loquitur; "Circumcisionem non quasi justitiæ consummatricem, sed in signo eam dedit Deus, ut cognoscibile perseveret genus Abrahæ .... *Et infra.* Et "quia non per hæc justificabatur homo, sed in signo "data sunt populo, ostendit, quòd ipse Abraham sine "Circumcisione .... credidit Deo, & reputatum est illi "ad justitiam.

P. 256. n. 1. 16. n. 2.

Sanctus

Edit. Paris. 1622. To. 1. p. 19 C. D. T. 4 p. 858 C. D.

Sanctus Epiphanius hæresi 8. quæ est Epicureorum: „Illic, *inquit*, corporia præscripta Circumcisio est, quæ „io usu tandiu fuit, quoad ingens est illa Circumcisio „subsecuta, Baptismus videlicet, quo nos à peccatis præ„cidimur, & in Dei nomine signamur.

Sanctus Chrysostomus hom. 27. in Genesim, „Attende, *inquit*, quomodo postea tempore proceden„te voluerit Circumcisionem pro lege statui, non quod „ad animæ salutem perficere hæc possit aliquid; sed ut „hoc grati animi indicium, quasi signum & sigillum cir„cumferrent Judæi & ne liceret eis commisceri gentium „congressibus. Hinc beatus Paulus signum hoc vocat, „dicens; Et signum dedit, Circumcisionis sigillum. „Nam quod ad justitiam nihil conducat, ecce & hic ju„stus, nondum statuta Circumcisione, ad eandem perve„nit virtutem.

Ex Latinis. P. 185. A. Ib. C. P. 248.

Tertullianus Lib. contra Judæos c. 2. *Si Circumcisio*, inquit, *purgat hominem, Deus Adam incircumcisum cum faceret, cur eum non circumcidit; vel postquam deliquit, si purgat Circumcisio?* Et postea c. 3. *Providens Deus quod hanc Circumcisionem in signum, non in salutem esset daturus &c.*

To. 2. p. 1081. E. F.

Sanctus Cyprianus Lib. 1. contra Judæos c. 8. opponit carnalem Judæorum Circumcisionem, spirituali Circumcisioni Christianorum, & addit, Adamum, Hanoc, Noe, & Melchisedech justos fuisse sine Circumcisione. *quia*, inquit, *signaculum feminis nihil profuit*,

Sanctus Ambrosius Ep 72, nunc 74. ad Irenæum: *Signum*, inquit, *Circumcisio corporalis, veritas autem Circumcisio spiritualis; illa membrum amputat, ista peccatum*. Idem docet Lib. 1. de Abraham c. 4. ubi ex professo tractat de Circumcisione. S. Hieronymus in c. 3. ad Galat. rationem reddens institutæ Circumcisionis, ne verbulo quidem indicat eam in remedium peccati fuisse; ergo in signum duntaxat fuit distinctionis Judæorum ab aliis nationibus.

Ab hac communi sententia omnium primus recessisse videtur sanctus Augustinus: quibus vero momentis ductus ille fuerit, patebit mox ex solutione Objectionum.

Probatur 3. variis rationibus.

I. Lex Circumcisionis fœminas non obligabat, neque etiam masculos infantes ante octavum à nativitate diem; ex quo sequitur, aut nullum fuisse pro illis contra originalem noxam remedium, aut illud à Circumcisione fuisse diversum: prius non patitur quæ summa Dei est pro salute omnium providentia & effusa voluntas; posterius longe meliorem reddidisset fœminarum conditionem, quæ nec octavum à nativitate diem expectare tenebantur, ut remedio Legis naturæ fruerentur, nec dolori Circumcisionis subjiciebantur.

II. Per annos quadraginta quibus Judæi in deserto manserunt, observata non fuit lex Circumcisionis, ut constat ex Lib. Josue c. 5. v. 6. sive quia tunc sine gentis alterius commixtione vivebant, nec ullo indigebant signo quo à cæteris nationibus separarentur; sive quia in illa quotidiana fere peregrinatione, Circumcisionis dolorem sustinere non potuissent: an vero nullum fuit pro toto illo intervallo temporis remedium peccati originalis?

III. Ut dici merito posset, quod dicunt nonnulli ex citatis antea Theologis, Circumcisionem saltem per accidens ac secundario vi sua simul cum fide, cujus erat publica quædam declaratio, delevisse peccatum originale, certo constare deberet 1. Deum secundario saltem in hunc finem destinasse Circumcisionem. 2. sic determinasse Circumcisionem in signum fidei ac remedium peccati originalis, ut nullo alio uti licitum fuerit: atqui hæc duo plane incerta & dubia sunt, quorum nullum extat in Scripturis aut Traditione veteris Ecclesiæ vestigium; atque verisimile prorsus est, infantes qui ante octavum à nativitate diem à fidelibus & piis parentibus oblati Deo fuissent, à labe originali purgatos fuisse, per applicationem remedii, quod in Lege naturæ valebat propter fidem, cujus erat signum protestativum.

IV. Denique, neque Philo Judæus in Libro de Circumcisione ubi varias ipsius causas enumerat, neque Josephus Lib. 1. Antiquitatum c. 12. nec Rabbini rerum Judaicarum periti, uspiam mentionem faciunt virtutis illius spiritualis, quam nonnulli Doctores Catholici Circumcisioni affingunt.

Non negamus tamen quin illa plurimum valuerit ex fide, cujus quædam erat publica professio: imo plane affirmamus, ac de Circumcisione dicta volumus, quæcunque hic Conclus. 2. & supra Qu. 2. Art. 3. Conclus. 1. exposuimus de virtute Sacramentorum Legis Naturæ & scriptæ.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Adversus conclusiones præcedentes.

Objectiones contra primam Conclusionem.

Objicies 1. contra primam Conclusionem, Scriptura testatur veteribus Sacrificiis ac Sacramentis annexam à Deo fuisse gratiæ & remissionis peccatorum permissionem.

1. Levit 4. v. 21. & seq. & c. 5. v. 10. & c 17. v. 11. his & similibus utitur loquendi formulis, „Orabit pro „eo Sacerdos, & dimittetur ei; & propitius erit Domi„nus, & sanguis pro animæ piaculo est„ Unde Apostolus Hebr. 5. v. 1. generatim pronuntiat; „Omnis Pon„tifex ex hominibus assumptus, pro hominibus consti„tuitur in iis quæ sunt ad Deum, ut offerat dona & sa„crificia pro peccatis.

II. Iisdem fere verbis sacer contextus exprimit veterum & novorum Sacramentorum efficaciam, V. g. de impositione manuum de qua dicitur Act. 4. v. 17. *Tunc imponebant* [Apostoli] *manus super eos, & accipiebant Spiritum sanctum*; Deut. ultimo v. 9. dicitur: *Repletus est Josue spiritu sapientiæ, quia Moyses posuit super eum manus suas*; quæ particula, *quia*, causalitatem & efficientiam significat. De Sacrificio pariter & unctione idem prorsus dicitur Lev. 4. quod Jacobi 5. Nam priori loco legitur: *Orabit Sacerdos, & dimittetur ei*; & in posteriori: *Orent Presbyteri super eum, ungentes cum oleo in nomine Domini, ... & alleviabit eum Dominus, & si in peccatis sit, remittentur ei*.

III. Certum est Veteres tempore Legis & scriptæ, Deo sacrificia obtulisse ut eum sibi placatum ac propitium redderent, ipsique gratias pro acceptis beneficiis referrent. Ita Abel, Noe, Melchisedech, Abraham &c. David quoque Lib. 2. Reg. c. ultimo, oblato sacrificio grassantis pestis relaxationem à Deo impetravit. Et Lib. 2. Machabæorum c. 3. oblatum pro Heliodoro sacrificium fructu non caruit. Et c. 12. Judas Machabæus jussit offerri sacrificium pro mortuis, ut nempe à peccatis solverentur. Erat ergo in hujusmodi ritibus & sacrificiis vis quædam efficax ad conciliandam divinam benevolentiam, & ad effectus quosdam spirituales, qualis est remissio peccatorum &c.

IV. Apostolus 1. Corinth. 10. v. 3. & 4. de veteribus Hebræis ait: *Omnes eandem escam spiritualem manducaverunt, & omnes eundem potum spiritualem biberunt: bibebant autem de spiritali consequente eos petra, petra autem erat Christus*. Esca illa & potus spiritualis, est gratia Christi, quam in symbolis seu sacramentis mannæ & aquæ è petra defluentis Veteres percepere. Favet consilium Apostoli: admonebat scilicet eo loci Christianos, ne plus æquo confiderent in perceptione Sacramentorum, neque existimarent sibi omnia esse salva, quod Baptismum & Eucharistiā percepissent, nisi etiam in bonis operibus perseverarent: id vero

probat

probat exemplo veterum Judæorum quibus parum profuere similia Sacramenta, cum á peccando vix desfluerint.

Resp. nego ant.

Ad primam probationem respondet S. Th. 1. 2. q. 103. art. 2. per vetera Sacrificia & Sacramenta peccata remissa quidem fuisse quoad pœnam & immunditiem legalem, non vero quoad culpam & reatum pœnæ æternæ, nisi solum ex opere operantis, hoc est, ex fide, pietate ac perfecta contritione, vel offerentis Sacrificium, vel Sacramentum percipientis: nullatenus autem ex opere operato, seu ex virtute ipsius externi ritus tum Sacrificii, tum Sacramenti. Fundatur hæc solutio in citatis Scripturis, quæ declarant illos omnes ritus *infirma & egena fuisse elementa, quæ non poterant juxta conscientiam perfectum facere servientem; sed inquinatos solummodo sanctificasse ad emundationem carnis.* Ratio est. quia sacrificia illa certis dumtaxat quibusdam peccatis expiandis erant destinata, ut patet ex citatis locis Levitici; porro si vim habuissent expiandi peccata quoad culpam & reatum pœnæ æternæ, omnia simul expiassent; certum quippe est unum sine alio dimitti non posse quoad culpam, cum non dimittatur nisi per infusionem gratiæ sanctificantis, quæ quidem nullam secum lethalem noxam compati potest. Ergo per illa Sacrificia & Sacramenta remittebatur tantum pœna temporalis, irregularitas & immunditia legalis major vel minor, pro conditione delicti.

Neque vero obstat, quod Levitici 6. dicitur, sacrificio arietis expiari omne id peccatum, *quo peccare solent homines*: hoc enim limitat ipse sacer contextus, ad omne peccatum pro proximus in bonis suis læditur, ut constat ex versibus 1. 2. & 3. alioqui frustra c. 4. & 5. varia destinarentur sacrificia variis expiandis peccatis.

Ad secundam: Ex comparatione locorum veteris & novi Testamenti quibus nova aut vetera commendantur Sacramenta, facile est colligere quam latum sit inter utraque discrimen. Manus impositio v. g. cujus tam frequens erat apud Judæos usus, mere externus ritus erat, omni gratia spirituali vacuus, quo dumtaxat significabatur rem, vel personam, cui manus imponebantur, esse sub dominio, protectione & cura Dei singulari, eamque ipsi devoveri ac consecrari &c. Ita Josue dicitur plenus spiritu sapientiæ ad regendum scilicet Dei populum, quia Moyses ad hoc ministerium, Deo jubente, per manuum impositionem illum designaverat & consecraverat. Per manus vero impositionem Apostolorum, de qua mentio fit Act. 8. dabatur Spiritus sanctus. Unctio pariter & Sacrificium de quibus Lev. 4. valebant, ut mox dictum est, ad remissionem pœnæ dumtaxat alicujus legalis & temporalis; non ita oratio & unctio, de qua S. Jacobus, quæ dicitur esse *oratio fidei, & unctio facta in nomine Domini, quæ peccata dimittit.*

Ad tertiam: Si quid juris habuere vetera sacrificia in reatum culpæ diluendum, totum illud referri debet ad fidem & pietatem offerentium, non ad rem ipsam oblatam: quamquam, ut plurimum, ad effectus pure temporales virtus illa extendebatur; qualis fuit durissimæ pestis cessatio ad sacrificium Davidis, vitæ Heliodori prorogatio propter sacrificium Oniæ Sacerdotis, de quo Lib. 2. Mach. c. 3. v. 33. dicitur: *Oniæ Sacerdoti gratias age, nam propter eum Dominus tibi vitam donavit*; remissio pœnæ temporalis altera in vita à mortuis luendæ, ob quam Judas Machabæus jussit pro defunctis sacrificia offerri ut à peccatis solverentur, hoc est, à pœna peccatis debita, non quidem æterna sed temporali.

Ad quartam, dicimus 1. testimonium illud appositum non videri ad rem nostram præsentem. Neque enim aut manna, aut aqua de petra scatutiens inter vera Legis antiquæ Sacramenta, de quibus hic loquimur, computari debent; Sacramentum quippe debet esse ritus stabilis ac diuturnus in Religione; isthæc vero ad aliquod dumtaxat tempus pro sustentandis Judæis posita fuere.

II. Apostolus non ait veteres Judæos eandem nobiscum, sed eandem inter se escam & eundem potum spiritualem habuisse, manna scilicet & aquam de petra fluentem: escam autem illam & potum spiritualem appellat Apostolus non propter internam sanctificationem, sed alias ob causas; nempe vel propter auctorem miraculi, Deum scilicet, qui spiritus est, quique manna de cœlo dedit, & ex petra aquam largissimam; qua ratione petra spiritualis dicitur, quia Deus ei aquam indiderat, non primum aquæ vi per occultos meatus in eam confluente, ut exponit Philo Judæus: vel propter varios gustus quos manna in corpore pro vario manducantium affectu operabatur; vel denique propter spiritualem significationem: manna quippe de cœlo datum figurabat Christum cœlitus nobis missum, & in Eucharistia realiter præsentem ad animæ alimentum; pariter rupes percussa significabat Christum ad mortem percussum, & aqua de rupe defluens, Baptismum, & ita de cæteris Veterum Sacramentis & ritibus; *Omnia enim illis in figura contingebant*, ait Apostolus eodem c. 10. 1. Cor. v. 11.

III. Denique: Etsi daremus Judæos veteres eandem nobiscum gratiam Christi communicasse, an sequitur eodem modo, ac pari Sacramentorum virtute datam illis & nobis fuisse? minime. Nobis enim datur virtute & efficacia sacramenti, illis virtute & efficacia fidei; nobis ex opere operato, illis ex opere operantis. Quod ex scopo Apostoli in citato textu apponitur, leve omnino & infirmum est; quocunque enim modo gratia obtineatur per Sacramenta, nisi homo in ea firmus ad finem usque vitæ perseveraverit, frustra de perceptis Sacramentis gloriatur ac confidentius sibi blanditur.

Objicies 2. nonnulla SS. Patrum testimonia.

Sancti Augustini in Ps. 77. "Cum essent, *inquit*, Te. 4. p. 816. C.
"(antiquis) omnia communia Sacramenta, non communis erat omnibus gratia, quæ Sacramentorum virtus est. Sicut & nunc jam revelata fide, quæ tunc velabatur, omnibus in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti baptisatus commune est lavacrum; sed ipsa gratia, cujus ipsa sunt Sacramenta, non communis est omnibus."

Et in quæst. 84. in Leviticum: "Moyses, *inquit*, T. 3. p. 1. p. 524. B.
"sanctificabat visibilibus Sacramentis per ministerium suum. Dominus autem in visibili gratia per Spiritum sanctum, ubi est totus fructus etiam visibilium Sacramentorum."

Tractatu denique 26. in Joan. ait veteres eandem T. 3. p. 2. p. 498. Ib. p. 499. A.
nobiscum "spiritualem escam manducasse, non eandem corporalem; illi manna; nos aliud..... specie visibili, quod tamen hoc idem significaret virtute spiritali." His in locis videtur sanctus Doctor parem agnoscere Sacramentorum utriusque Legis virtutem spiritualem.

Sancti Ambrosii Lib. 7. in Lucam n. 66. ubi ait, Dominum ad Veteres venisse, atque adventum ejus ex beneficiis recognosci, "Alibi, *inquit*, purificatio, alibi To. 1. p. 1450. D.
"sanctificatio, alibi justificatio est; Circumcisio purificavit, sanctificavit Lex, justificat gratia. Unus in omnibus, & in uno omnia."

S. Leonis Serm. 3. de Nativitate Domini, "Hoc, T. 1. p. 152.
"*inquit*, magnæ pietatis Sacramentum ..., tam potens in suis significationibus fuit, ut non minus adepti sint, qui in illud credidere promissum, quam qui suscepere donatum."

Et Ser. 2. in die Pentecostes. "Patriarchæ & Prophe- Ib. p. 321.
"tæ & Sacerdotes, omnesque Sancti qui prioribus fuere temporibus, ejusdem Spiritus sancti sanctificatione vegetati; & sine hac gratia nulla unquam instituta

Sacra-

„Sacramenta, nulla unquam celebrata mysteria, ut „eadem semper fuerit virtus charismatum, quamvis „non eadem fuerit mensura donorum.“ Igitur in mente S. Leonis, Sacramenta vetera non distant à novis, nisi mensura gratiæ; quia uberior jam est gratia, quæ Veteribus rarior & parcior fuit.

Resp. meritò dixisse sanctum Augustinum, gratiam virtutem esse Sacramentorum; nempe vel significatione tantùm, vel significatione simul & efficacia, pro diversa scilicet Sacramentorum natura & conditione. Vetera quippe Sacramenta dandam per Christum gratiam significarunt & adumbrarunt, nostra significant & conferunt. Seipsum exponit sanctus doctor: ait enim manna & aquam è petra defluentem, *eumdem in mysterio cibum & potum fuisse Judæorum, qui noster est, significatione, non specie, quia idem ipse Christus illis in petra figuratus, nobis in carne manifestatus.* Et quæst. 25. in Librum Numer. jam citata, peremptoriam ipse suppeditat responsionem, *Si per se*, inquit, *attendantur*; [Sacramenta vetera] *nullo pacto possunt mederi: Si autem res quarum hæc Sacramenta sunt* (Christi scilicet mysteria) *inquirantur, in eis inveniri poterit purgatio peccatorum.*

Tom. 3. part. 2. p. 499 A.

Tom. 3. part. 5. p. 518 C.

Sanctificatio verò illa, quam citata q. 84. in Leviticum, tribuit Mosaicis Sacramentis, externa dumtaxat fuit & legalis: hanc enim opponit gratiæ, quam Deus per Spiritum sanctum diffundit in cordibus.

Tractatu denique 26. in Joan affirmat, quod & nos ultro agnoscimus, inter Judæos qui pietate ac sanctitate illustres erant, eamdem nobiscum Christi gratiam participasse, at non per eamdem Sacramentorum virtutem & efficaciam, de quo uno capite hic disputamus.

Eadem est ad sanctum Ambrosium responsio. Omni scilicet tempore suis Beneficiis Deus ad homines accessit, ad Abrahamum per Circumcisionem, ad Moysen per Legem, ad Mariam per suam nativitatem &c. at nec beneficiorum eadem semper mensura fuit, nec par efficacia instrumentorum, quibus diversis temporibus Deus uti voluit, ut sua nobis communicaret beneficia. “Populus enim Judæorum; (ait ipsemet S. Am„brosius citato in loco) neque purificari potuit, quia „Circumcisionem non animi, sed corporis habuit; ne„que sanctificari, quia virtutem Legis ignoravit, qui „carnalia magis, quàm spiritualia sequebatur ... neque „justificari, quia delictorum suorum pœnitentiam non „gerebat, & ideo gratiam nesciebat.

To. 1. p. 405. E.

Sanctus Leo Serm. 3. de nativitate non agit de Sacramentis, sed de Christo dumtaxat, quem omnibus cujuscunque ætatis hominibus auctorem salutis propositum semper fuisse ostendit: „Non itaque, *inquit*, „novo consilio Deus rebus humanis, nec sera miseratio„ne consuluit; sed à constitutione mundi unam eam„demque omnibus causam salutis instituit. Gratia „enim Dei, qua semper est universitas justificata san„ctorum, aucta est Christo nascente, non cœpta.“ Quid vero hæc adversus Conclusionem nostram? nihil profecto. Non alia est S. Doctoris mens Serm. 2. in die Pentecostes, nisi quòd fides in Christum Mediatorem omni tempore ad salutem necessaria fuerit, quod ultro profitemur.

To. 1. p. 152.

Objicies 3. hæc rationum momenta.

I. Eadem fuit quoad substantiam Veterum fides, ac nostra; ergo eamdem illi per sua Sacramenta animo fideli percepta, gratiam consequebantur, quam nos per Sacramenta Christi.

II. Sacramenta vetera ita referebantur ad sanguinem Christi fundendum, sicut nova ad eumdem jam effusum; ergo parem ex illo sanguine contraxere virtutem.

III. Si quis tempore Legis Mosaicæ usus fuisset signis à se excogitatis ad profitendam suam in Messiam venturum fidem, non eum procul dubio effectum consecutus fuisset, quem per signa à Deo instituta; habebant ergo ista signa specialem aliquam efficaciam.

IV. Qui cum fide ac pietate utebatur Sacramento vel Sacrificio, plus emolumenti spiritualis consequebatur, quam si Sacramentum vel Sacrificium non adhibuisset.

V. Denique sequitur, minorem jam esse fidei virtutem quàm fuerit apud Veteres, adeoque meliorem eorum fuisse conditionem: quia per solam fidem gratiam illi obtinebant, nos vero præter fidem Sacramentis indigemus.

Resp. ad primum, distinguo conseq. Eamdem illi gratiam percipiebant virtute fidei, concedo: virtute Sacramenti nego.

Ad secundum, nego conseq. Ratio discriminis aliunde repeti non debet, quàm ex voluntate Dei, qui Sacramenta vetera infirma & egena esse voluit, nostra efficacia & plena.

Ad tertium: Qui signis à Deo institutis ex fide usus fuisset, præter meritum fidei, habuisset & meritum obedientiæ; qui vero signis à se excogitatis usus esset ad suam fidem declarandam, is habuisset quidem meritum fidei, non autem obedientiæ, quandoquidem illorum signorum usus ipsi præceptus non fuisset; ex signis vero ipsis præcise nullus sperandus erat spiritualis effectus.

Ad quartum eadem est solutio. Qui enim cum fide ac pietate utebatur Sacramento vel Sacrificio, is majorem fructum percipiebat, quàm si Sacrificium vel Sacramentum non adhibuisset; non quidem ratione Sacramenti aut Sacrificii, sed ratione obedientiæ simul ac fidei.

Ad quintum denique, vide responsionem suprà Qu. 2. Art. 3. Conclusione 1. ubi de Sacramentis Legis naturæ. Fidei enim virtuti nihil deperiit, sed accessit tantùm *ampliatio Sacramenti, velut fidei vestimentum*, ut loquitur Tertullianus Lib. de Baptismo cap. 13. P. 229. D.

Objectio contra secundam Conclusionem.

Objicies 3. contra secundam Conclusionem; Sacramenta vetera infirma, egena, inutilia dicuntur in Scripturis Conclusione 1. citatis; nullo igitur modo gratiam etiam ex opere operantis, seu ratione fidei conferebant: neque enim nostra sine fide suscepta quidquam pariter ad salutem animæ proficiunt, multùm tamen differunt à veteribus.

Resp. nego conseq. Nostra enim Sacramenta ex se ipsis operantur, atque fides non causa est, sed dispositio requisita ad gratiam justificationis vi Sacramentorum percipiendam: apud Veteres autem fides erat causa justificationis, & Sacramentum mera conditio. Quapropter si vetera Sacramenta in se ipsis spectentur, meritò infirma & egena dicuntur elementa, si vero spectetur fides, cujus erant signa, vim abluere sanctificandi, non quidem, ut dictum est, ex opere operato, sed ex opere operantis. Rationem suppeditat S. Aug. q. 25. in Lib. Numerorum: verba Conclusione 1. laudavimus.

Objectiones contra tertiam Conclusionem.

Objicies 4. contra tertiam Conclusionem hæc Scripturæ verba Genes. cap. 17. ubi Circumcisionis refertur institutio, vers. 14. *Masculus cujus præputii caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo, quia pactum meum irritum fecit.* Quo in loco tria sunt quæ innuere videntur Circumcisionem institutam fuisse saltem secundario ad delendum originale peccatū.

Primum est comminatio quæ generalis est, & ad omnes etiam infantes extenditur. Græci quippe codices septuaginta Interpretum sic habent: *Masculus cujus præputii caro circumcisa non fuerit octavo die, delebitur, &c.* Et Vulgata nostra citato cap. 17. Gen. v. 12. ait: *Infans octo dierum circumcidetur in vobis.* Tam gravis autem comminatio infantes spectare non posset, nisi quia defectu Circumcisionis privarentur remedio adversus labem originalem destinato.

Secundum est pœna quam comminatur Deus contra eum qui circumcisus non fuerit: *Delebitur*, inquit, *anima illius de populo suo*: hoc est æternum peribit, utpote qui ab illa primæva labe mundatus non fuerit.

Tertium est pactum Dei quod irritum redditur: *Quia pactum meum irritum fecit*, ait Deus. At pactum illud cujus infans enim ut præcepti est incapax, ita & violati præcepti reus esse non potest;

est; ergo est pactum cum Adamo initum de non comedendo fructu ligni prohibiti: quod quidem pactum cum violavit primus parens, peccavit; & in ipso omnes ejus posteri idem pactum violando peccarunt, quod idcirco naturæ seu originale peccatum appellatur, in omnes diffusum; adversus quod Deus remedium aliquod semper instituit. Circumcisionem in Lege Moysis, & Baptismum in Lege Christi. His adde spirituales esse, quas Deus huic pacto annexas voluit promissiones: *Statuam pactum meum inter me & te*, ait Deus ad Abrahamum Gen. 17. v. 7. *ut sim Deus tuus, & seminis tui post te.*

Resp. negando ex citatis Geneseos verbis quidquam extundi posse, quod innuat Circumcisionem ex se vires habuisse delendi peccatum originale.

Ad primum, resp. 1. hæc verba, *octavo die*, quæ versio Septuaginta continet, non legi nec in codicibus Hebraicis, nec in Paraphrasi Chaldaica, nec in vulgata nostra Edit. 2. Quamquam legerentur, non alius esset eorum sensus, quam versus 12. infantem scilicet nonnisi post octavum à nativitate diem circumcidendum esse; quia ob tenellam ætatem impar fuisset ante hoc tempus ferendo dolori Circumcisionis. Dicta igitur comminatio spectabat infantes quantum ad pœnam, non quidem spiritualem, sed temporalem, exclusionem scilicet à populo Dei, quia nullus poterat Dei populo accenseri, nisi qui prius circumcisus fuisset; spectabat vero adultos quantum ad præceptum, quia ipsis cura incumbebat circumcidendi infantes, ac nisi fecissent, rei erant violati mandati. Inde est quod Deus Exodi 4. Moysen occidere voluit, quod filium suum non circumcidisset.

Ad secundum: Pœna quam Deus interminatur adversus eos qui circumcisi non fuissent, non est damni seu gehennæ æternæ, sed temporalis ac legalis; nempe, vel mors temporalis, ut Exodi 12. v. 15. *Quicunque comederit fermentatum, peribit anima illa de Israel*; id est, occidetur. Pariter c. 31. v. 14. *Custodite sabbatum meum ..... qui fecerit in eo opus, peribit anima illius de medio populi sui.* Vel pœna hæc est tantum separatio quædam seu exclusio à populo Dei: quo sensu Levitici 7. v. 21. dicitur: *Anima quæ tetigerit immunditiam hominis, peribit de populis suis*, Et Num. 19. v. 20. *Si quis hoc ritu non fuerit expiatus, peribit anima illius de medio Ecclesiæ*; hoc est, excommunicabitur. Qui ergo circumcisus non fuisset, ille, ut mox dictum est, à populo Dei separatus fuisset, & tanquam non Judæus habitus.

Ad tertium: Pactum illud de quo mentio fit citato c. 17. Gen. pactum est Circumcisionis, quod quidem octies ibi nominatur, nullatenus vero pactum cum Adamo initum. *Hoc est pactum meum*, inquit Deus v. 10. *quod observabitis inter me & vos. Circumcidetur ex vobis omne masculinum.* Hoc vero pactum irritum faciebat quicunque non circumcidebatur: si adultus erat, peccabat violando pactum; si infans, non peccabat quidem, sed populo Dei aggregatus non censebatur.

Ad quartum: Quamquam ex dictis pateat promissiones veteribus Patriarchis ac Prophetis à Deo factas, mere temporales non fuisse, sed etiam interdum spirituales, non tamen consequens est Deum Circumcisioni promissionem gratiæ adjunxisse: neque hæc verba: *Statuam pactum meum inter me & te, ut sim Deus tuus, & seminis tui post te*, aliam quam temporalem continent promissionem, singularem scilicet Dei providentiam ac protectionem, bonorum hujus vitæ abundantiam, prolis multiplicationem, terræ Chanaan possessionem. Patent isthæc omnia ex ipsomet citato c. 17. Gen. v. 2. *Ponam fœdus meum inter me & te, multiplicabo te vehementer nimis.* Et v. 4. *Eris pater multarum gentium.* Et v. 6. *Faciam te crescere vehementissime, & ponam te in gentibus, Regesque ex te egredientur.* Et v. 8. *Dabo tibi & semini tuo terram peregrinationis tuæ, omnem terram Chanaan in possessionem æternam.*

Instat Calvinus Libro 4. Instit. cap. 16. n. 5. Meris præstigiis Deus *ludificatus esset populum suum, si fallacibus symbolis eos lactasset, quod solo auditu horrendum est.* Equidem solo auditu id horrendum est. At nunquam Circumcisioni vim producendi gratiam Deus alligavit; ergo ea ex parte non fuit symbolum fallax, nec illa falsa spe Judæos unquam lactavit Deus, qui Circumcisionem dumtaxat imperavit in signum fœderis, & distinctionis Judæorum ab aliis populis. P. 490.

Objicies 5. testimonia sanctorum Patrum.

S. Augustini, qui Lib. 16. de Civ. Dei cap. 27. contendit 1. pactum illud quod infans incircumcisus irritum facit, esse pactum illud primævum quod Deus cum Adamo iniit. 2. Defectu Circumcisionis non deleri originale peccatum, quia Circumcisio signum regenerationis fuit. 3. Pœnam his verbis expressam, *delebitur anima illius de populo*, esse pœnam æternam damni. To. 7. p. 440.

Et Lib. 2. De nuptiis & concupiscentia cap. 11. sic loquitur: *Ex quo instituta est Circumcisio in populo Dei, quod erat tunc signaculum fidei, ita ad significationem purgationis valebat, & in parvulis originalis veterisque peccati, sicut & Baptismus ex illo valere cœpit ad innovationem hominis, ex quo institutus est.* T. 10. p. 313. C.

Lib. denique 4. contra Donatistas c. 24. *Cur ergo*, inquit, *ei* (Abrahamo) *præceptum est, ut omnem deinceps infantem masculum octavo die circumcideret, qui nondum poterat corde credere, ut ei deputaretur ad justitiam; nisi quia & ipsum per seipsum Sacramentum multum valebat? Quod in filio Moysi per Angelum manifestatum est.* To. 9. p. 140. E.

Sancti Gregorii Magni Lib. 4. Moral. cap. 3. *Quod valet apud nos aqua Baptismatis*, inquit, *hoc egit apud Veteres vel pro parvulis sola fides, vel pro majoribus virtus Sacrificii, vel pro his qui ex Abrahæ stirpe prodierant, mysterium Circumcisionis.* Tom. 4. p. 102. C. D.

Idem fere docent Innocentius III. cap. *Majores.* S. Bernardus Epistola 77. ad Hugonem, Venerabilis Beda Lib. 1. in Lucam, c. 8. Magister Sententiarum Lib. 4. dist. 1. Hugo Victorinus Lib. 1. par. 2. cap. 3.

Resp. Fatemur nobis hic adversari S. Augustinum, à cujus sententia, salva quæ ipsi debetur reverentia, recedere nobis fas est. Ad hanc vero sententiam ductus videtur sanctus Doctor, 1. quia in citato loco Gen. 17. legebat cum septuaginta Interpretibus verba hæc, *octavo die*: ex quibus consequens esse putavit, & pactum quod infans incircumcisus irritum facit esse pactum cum Adamo initum, & pœnam quam Deus comminatur, esse privationem gratiæ, & æternam damnationem. 2. Quia disputans adversùs Pelagianos, undequaque colligebat argumenta quibus evincere posset unumquemque hominem nascendo peccatum originale contrahere, quod quidem ex remedio adversùs ipsum destinato commodè demonstrabat, Baptismo scilicet in Lege Christi, & Circumcisione in Lege Moysis.

QUÆSTIO IV.

De effectibus Sacramentorum.

DUplex distinguitur Sacramentorum effectus, gratia scilicet & character: hic à tribus dumtaxat Sacramentis imprimitur, nempe Baptismo, Confirmatione, & Ordinatione; illa ab omnibus confertur, aut saltem conferri potest. De utroque illo effectu sigillatim disserendum.

ARTICULUS I.

De gratia quæ primarius est Sacramentorum effectus.

GRatia quæ per Sacramenta confertur, vel communis est omnibus Sacramentis, vel propria uniuscujusque

que

que. Communis, est ipsa sanctificans gratia, prima, vel secunda; idest, quæ homini vel primum datur, vel jam data augetur. Sacramenta quæ primam conferunt gratiam, vulgo dicuntur Sacramenta mortuorum, ut Baptismus & Pœnitentia; quæ vero secundam conferunt, dicuntur Sacramenta vivorum, ut Confirmatio, Eucharistia &c.

Gratia vero quæ propria est uniuscujusque Sacramenti, & quæ idcirco Sacramentalis appellatur, ab unoquoque Sacramento confertur ad speciales quosdam effectus assequendos; sic gratia roborans, propria est Sacramenti Confirmationis ad fidem constanter profitendam; gratia nutriens, propria Eucharistiæ ad incrementum charitatis, & profectum in omni genere virtutum, & ita de cæteris.

Circa hanc utramque Sacramentorum gratiam, tum communem, tum propriam, hæc sunt expendenda capita.

Primum: An gratia sanctificans quæ per Sacramenta confertur, sit interna, formalis, permanens, habitualis, & vera qualitas.

Secundum: An prima sanctificans gratia per singula Sacramenta conferri possit.

Tertium: Quæ & qualis sit gratia Sacramentalis: an habitus distinctus à gratia sanctificante.

Quartum denique: quantam, & an semper æqualem Sacramenta conferant gratiam.

An gratia sanctificans quæ per Sacramenta confertur, sit interna, formalis, permanens, habitualis, & vera qualitas.

Observat Magister L. 4. Sentent. dist. 4. suo tempore in controversia fuisse positum, an parvulis, cum baptisantur, gratia conferretur, qua ad majorem venientes ætatem possent velle & operari bonum. De adultis enim, inquit, qui dignè percipiunt Sacramentum, non ambigitur quin gratiam operantem & cooperantem percipiant. Negabant aliqui infantibus conferri gratiam, quia hæc charitas est & fides quæ voluntatem præparat & adjuvat: at infantes, loquebantur illi, talem charitatem & fidem non habent, qua uti non possunt. Alii è contra dicebant, illis conferri gratiam operantem & cooperantem, non quidem in usu, sed in munere, hoc est in habitu. Non aperit Magister quam ex his duabus sequatur opinionem: cùm tamen Lib. 1. dist. 17. doceat charitatem, qua diligimus Deum & proximum, esse ipsummet Spiritum sanctum; (quæ sententia velut erronea in ipso notatur) consequenter multis visus est existimasse gratiam quæ per Sacramenta datur, internam non esse nec formalem: quamquam loco mox citato agnoscat *adultis dari gratiam operantem & cooperantem*, Et Lib. 2. dist. 17. *virtutem esse qualitatem quæ in anima est, tanquam forma; & gratiam esse virtutem nobis à Deo infusam*. Verum quæcunque sit Magistri sententia, certum est nonnullos existimasse hominem justum fieri, non per justitiam internam & formalem, sed per externum duntaxat Dei amorem; eo ipso modo quo homo homini gratus & acceptus est, per meram & externam benevolentiam, sine ulla transfusa interna & inhærente qualitate. Ita eorum mentem exponunt ac referunt Andreas Vega Lib. 7. in Conc. Trid. c. 24. Dominicus Soto in 4. dist. 6. qu. 1. art. 3. conclusione 2. Innocentius 3 Extra. *de Baptismo & ejus effectu*, Clemens V. in Conc. generali Viennensi Clementina de fide Catholica, sanctus Thomas in Summa 3. parte quæst. 69. art. 6. ubi observat causam erroris fuisse, quod Veteres illi non satis distinguerent inter habitum & actum; atque concluderent infantes virtutes infusas non habere, quod illis uti actu non possent.

Novatores Lutherani & Calvinistæ docere videntur, homines justos fieri per solam externam justitiæ Christi imputationem, qua nostra obteguntur peccata, sine ulla interiori ac formali gratia in cordibus per Spiritum sanctum diffusa. Ita sentire illos communis fere est nostrorum sententia.

Verum adversùs calumniam totis viribus reclamant nonnulli recentiores Calvini discipuli, in primis Ludovicus le Blanc in jam citatis Thesibus Sedanensibus ubi publicam exhibet Reformatorum in Polonia Confessionem sect. 2. n. 7. qua asserunt, *se falsò accusari, quasi omnem inhærentem justitiam fidelibus negarent, eosque sola externa justitia Christi imputatione, quæ sit sine ulla interna renovatione, justificari statuerent*. Idem affirmat Confessio Anglicana cap. 13 & Gallica art. 22. Addunt deceptos nos fuisse vulgata definitione justificationis, quam ex usu forensi Reformatores mutuati sunt, secundum quam justificari nihil aliud est, quam à peccato absolvi & insontem pronuntiari: verum in usu Theologico, aliud importat, gratiam scilicet internam, formalem & inhærentem. Si reipsa ita sentiunt Novatores, benè sit: utinam & in aliis fidei capitibus nobiscum pariter sentirent. Verum hac missa facti quæstione, sit.

CONCLUSIO.

Fide Catholica certum est, gratiam quæ per Sacramenta infunditur, esse aliquid internum, formale, inhærens, distinctum ab actu fluente ac transitorio; quod desinente sæculo duodecimo, per habitualem qualitatem explicari cœpit: an autem vera sit habitualis qualitas, Philosophorum sensu, definitum ab Ecclesia non fuit.

Probatur prima pars Conclusionis multiplici ex Scripturis argumento.

I. Ex modo quo Deus affirmat se in justis permanere & habitare, Joan. 14. v. 23. *Si quis diligit me, sermonem meum servabit; & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus*. Et Apostolus 1. Cor. 3. v. 1. *Nescitis*, inquit, *quia templum Dei estis, & Spiritus Dei habitat in vobis*. Isthæc loquendi ratio, *venire ad aliquem, mansionem apud eum facere, habitare tanquam in templo*, indicat præsentiam Spiritus sancti per gratiam intimam ac permanentem.

II. Ex modo quo Deus nos sanctificat, 1. Petri 1. v. 3. *Secundùm misericordiam suam magnam regeneravit nos*; Ad Titum 3. v. 5. *Secundum misericordiam suam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus sancti*, Ephes. 4. v. 24. *Induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia & sanctitate veritatis*. Porro sicut terminus generationis & creationis est aliquid fixum & permanens, ita & regenerationis ac renovationis spiritualis per inhabitantem Spiritus sancti gratiam.

III. Ex modo quo sanctificans gratia conceditur, nempe per infusionem, quæ quidem intimum aliquid ac formale importat. Rom. 5 v. 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis*.

IV. Idem evincunt ea Scripturæ loca, in quibus gratia dicitur esse *semen Dei*, 1. Joan. 3. v. 9. *pignus hæreditatis*. Ephes. 1. v. 14. *signaculum Spiritus sancti*, ibid. cap. 4. v. 30.

V. Denique probatur ex iis Scripturæ testimoniis quibus dicitur *impossibile esse sine fide placere Deo*. Hebr. 11. v. 6. & Rom. 3. v. 28. *Arbitramur justificari hominem per fidem*. Ex quibus sic arguitur: Impossibile est sine fide placere Deo, ac verè justum esse: atqui infantes baptisati Deo placent ac justi sunt; *Nihil* Rom 8.
enim damnationis est iis qui sunt in Christo Jesu. Ergo v. 1.
infantes habent fidem, non quidem actualem, sicut olim somniavit Lutherus, cujus figmentum à suis explosum subinde fuit; cujuscunque enim actus eliciendi planè incapaces

incapaces sunt infantes; habent igitur fidem habitualem, inhærentem, distinctam ab actu fluente ac transitorio, seu, ut loquebantur Veteres Scholæ Magistri, *habent fidem in munere, non in usu*.

Probatur 2. ex Concilio Trid. sess. 6. c. 7. cujus hæc doctrina est; *In hac impii justificatione per Spiritum sanctum charitas Dei diffunditur in cordibus eorum qui justificantur, atque ipsis inhæret. Unde in ipsa justificatione cum remissione peccatorum hæc omnia simul infusa accipit homo per Jesum Christum cui inseritur, fidem, spem, & charitatem.* Porro charitas, seu gratia quæ dicitur diffundi & inhærere, haud dubiè est aliquid internum formale, distinctum ab actu fluente ac transitorio.

To. 14. Conc. p. 759. E.

Et sess. 7. Can. 13. de infantibus baptisatis sic statuit; *Si quis dixerit parvulos, eo quòd actum credendi non habent, suscepto Baptismo inter fideles computandos non esse, ac propterea cùm ad annos discretionis pervenerint esse rebaptisandos, anathema sit.* Habent igitur infantes baptisati fidem, non certe actualem; ergo habitualem.

Ibid. p. 779. A.

Denique Can. 11. sess. 6. *Si quis dixerit, homines justificari vel sola imputatione justitiæ Christi, vel sola peccatorum remissione, exclusa gratia & charitate quæ in cordibus eorum diffunditur, atque illis inhæret, anathema sit.* Hæc porro gratia & charitas diffusa in cordibus atque inhærens, haud dubiè aliquid est internum, formale, fixum ac permanens.

Ibid. p. 765. D.

Ante Concilium Trid. jam an. 1311. Clemens V. in Concilio Generali Viennensi, Clementina *de fide Catholica*, declaraverat, probabiliorem esse sententiam eorum qui existimant infantibus per Baptismum infundi gratiam habitualem inhærentem. En verba: *Quantum ad effectum* (Baptismi) *cum Theologi varias opiniones habeant, videlicet dicentibus quibusdam, parvulis culpam remitti, sed gratiam non conferri, aliis è contra asserentibus quod & culpa eisdem in Baptismo remittitur, & virtutes ac informans gratia infunduntur quoad habitum, etsi non pro illo tempore quoad usum. Nos attendentes generalem efficaciam mortis Christi, quæ per Baptisma applicatur pariter omnibus baptisatis, opinionem secundam, quæ dicit tam parvulis quàm adultis conferri in Baptismo gratiam informantem & virtutes, tanquam probabiliorem, & dictis Sanctorum ac Doctorum modernorum Theologiæ magis consonam & concordē, sacro approbante Concilio, duximus eligendā.*

To. 11. Conc. p. 1567. C.

Opinio, quam Summus Pontifex probabiliorem hic appellat, ea ipsa erat de qua discordes tunc temporis erant Scholæ Theologi, an nempe infantibus baptisatis gratia informans ac virtutes quoad habitum infunderentur; adultis enim eas infundi, communis omnium ferè erat sententia, ut observat Magister, qui à cæteris idcirco notatus fuit, quod visus ipsis esset docere charitatem in nobis diffusam nihil esse creatum, sed esse ipsummet Spiritum sanctum. Ratio discriminis hæc ipsis erat, quod infantibus videretur plane inutilis habitualis gratia, quam reducere in usum non possunt, sicut possunt adulti. Opinionem vero illam, quæ ipsos spectabat infantes, probabiliorem duntaxat appellat S. Pontifex, non autem certam certitudine fidei, quia tunc, ob dissidentes Theologorum opiniones, eam apertè definire noluit Ecclesia, quam subinde definivit Synodus Tridentina, cum nempe intellexit omnes Theologos ad hanc sententiam rediisse. Ita testantur duo insignes Tridentinæ Synodi Theologi, Andreas Vega Franciscanus, & Dominicus Soto Dominicanus.

Vega scribens in sessionem 6. Concilii Tridentini de justificatione Lib. 7. cap. 24. *Hæc opinio*, inquit, *acceptata est ab Ecclesia in Concilio Viennensi, ut probabilior, & Sanctis & recentioribus Doctoribus magis consona; atque eam summa concordia post Magistri tempora defenderunt Scholastici Doctores.* Paulo post ait, Synodum Tridentinam sententiam hanc simpliciter & absque limitatione acceptasse, & anathema dixisse cuicunque oppositum asserenti.

Dominicus Soto in 4. dist. 6. q. 1. art. 3. Conc. 1. sic rem totam exponit. "Quod gratia Baptismate abluitis infundatur, duplicem habere potest sensum: unum, "quod fiant Deo grati; & hic semper fuit habitus tanquam fides Catholica: alter vero sensus est, quod illa "gratia sit qualitas ab homine distincta, divinitus consecrata, qua fiat homo gratus, sicuti est habitus scien"tiæ & virtutis acquisitæ; atque hic sensus non est tanquam de fide usque adeo antiquus, quoniam neque "tam planè ex sacra pagina colligitur. Nam, ut dist. "1. q. 3. explicuimus, nihil repugnat hominem esse "Deo gratum, absque ulla sibi inhærente qualitate, si"cuti ego sum gratus amico, eo solùm quod diligor ab "illo. Et pariter distinguendum est de virtutum infusio"ne. Quod enim fides, spes & charitas sint auxilia "quædam specialia Dei, quibus nos supra naturam ad "credendum movet, & sperandum, & amandum, con"fessio Evangelica est...... Quod autem sint habi"tus distincti potentiarum, sicuti acquisiti, nec tam "plane colligitur ex sacris Litteris, nec est tam antiqua "Ecclesiæ confessio. Imò gradatim veritas hæc ab "Ecclesia suscepta est: primùm enim Innocentius in "cap. Majores, De Baptismo, tanquam rem inter Theo"logos dubiam reliquit, utrum hoc secundo modo gra"tia & virtutes per Baptismum infundantur: postmo"dum vero in Concilio Viennensi pars hæc affirmativa "tanquam probabilior, dictisque Sanctorum & Docto"rum magis concors recepta est; quod scilicet tam par"vulis quam adultis infundantur, ut patet in Clemen"tina, Fidei Catholicæ, De summa Trinitate & fide "Catholica; & hoc potissimum propter parvulos, de "quibus majus erat dubium: nunc autem novissimè in "Concilio Tridentino tanquam certa veritas est sub "verborum tenore decreta. Refert deinde verba Canonis 11. sess. 1. quæ mox laudavimus. Clariora sunt hæc insignis Theologi verba, quàm ut explicatione indigeant.

Probatur 3. ex communi Sanctorum Patrū doctrina.

Docent enim 1. eos perfectos esse, qui Spiritum in se perseverantem habent. Ita S. Irenæus Lib. 5. c. 6. P. 299.

II. Operationem Spiritus sancti ita esse in homine justo, sicut ars est in artifice, sanitas in corpore, verbum in mente; quas comparationes profert & exponit sanctus Basilius Lib. de Spiritu sancto cap. 26.

Edit. vet. T. 2 pag. 206.

III. Impressionem gratiæ similem esse picturæ; gratiam esse animæ sanitatem, vigorem, veram libertatem, Dei filiationem, novam nativitatem ac regenerationem, quibus certe omnibus aliquid internum formale, fixum ac permanens significant.

IV. S. Augustinus gratiam illam permanentem parvulis, dum baptisantur, infundi, discertè affirmat Lib. 1. de peccatorum meritis & rem. cap. 4. ubi ait, *Christum dare Fidelibus occultissimam sui Spiritus gratiam, quam latenter infundit & parvulis.* Et cap. 19. ait, *infantes fideles esse ac dici per Sacramentum fidei.* Non quidem isto duntaxat sensu, quod exterius fidei signum percipiant, sed etiam quod internam & inhærentem habeant fidem, quam habitualem appellamus; jam enim dixerat, in illis infantibus per Baptismum fidem inesse, quomodo inerat per nativitatem Adami peccatum. Et Lib. de gratia & libero arbitrio cap. 22. ait, *infantibus, quando baptisantur, etiam reluctantibus gratiam hærere.*

T. 10. p. 7. B. Ibid. p. 14. E. F. Ibid. p. 741. C.

Atque hinc merito Andreas Vega loco mox citato observat, *Patres Tridentinos, cum rem nostram præsentem definere, rectè intellexisse hanc communem fuisse Ecclesiæ fidem, tametsi non sub nomine habituum; neque potuisse à Catholicis Doctoribus diversissimorum temporum summa concordia sententiam hanc tradi, nisi esset à Spiritu sancto, & digna quæ ab omnibus reciperetur.*

At,

At, inquies, ad quid inservire potest in parvulis gratia inhærens, informans & habitualis, quandoquidem in actum exire illa non potest, imo & actuali gratiæ auxilio indigeant, ut grandiores facti credere in Deum, sperare, ac ipsum diligere valeant?

Resp. Istud utilitatis ac commodi habere ejusmodi gratiam, ut parvulos interiùs sanctificet, immutet, regeneret, Deo gratos & acceptos reddat; ut accedente auxilio Dei actuali, fidei, spei, & charitatis habitus ad actus similes eliciendos moveat & impellat: atque in eo maximè discrepant habitus supernaturales infusi à naturalibus acquisitis, quod isti cum per frequentes actus sint comparati, ex sese ad actus similes disponunt, movent & inclinant, nec tam facile possunt à subjecto dimoveri; habitus vero infusi sunt qualitates veluti sopitæ acquiescentes, quæ, ut in actum erumpant, indigent tum externis tum internis auxiliis: unde etiam fit ut per unicum actum contrarium expellantur; puta fides per hæresim, spes per desperationem, charitas per peccatum mortale.

Secunda pars Conclusionis, scilicet definitum ab Ecclesia non esse, gratiam illam sanctificantem esse verum habitum & veram qualitatem, Philosophorum sensu, probatur testimonio Theologorum qui Concilio Tridentino interfuêre.

Andreas Vega loco jam indicato ait, rem quidem definitam fuisse, tametsi non sub nomine habituum.

Dominicus Soto Lib. 2. de gratia cap. 18. ait, *revera temerarium esse negare gratiam hanc inhærentem*, (nempe per modum qualitatis) *non tamen esse contra fidem*. Et cap. 8. ait, *Concilium consulto abstinuisse à vocabulo habitus, ut rem expressè non definiret.*

Et in Librum 4. Sent. dist. 1. q. 3. art. 1. *Qui sanè intelligere cupis*, ait, *quomodo Sacramenta gratiam conferant, id primum constituat oportet, fingendo nullam ejusmodi qualitatem esse necessariam: nam profectò Patres nunquam de illa disputare cogitarunt; imò res est non adeo antiqua. Enim vero in Concilio Viennensi, propter parvulos ante usum rationis sacro fonte intinctos sanxerunt, ut probabilius; & nuper in Tridentino, ut certius, qualitates illas quæ sunt gratia & virtutes baptisatis infundi; sed hoc tantum à tempore Apostolorum docti docereque postmodum posteros contendebant, quòd Sacramenta novæ Legis in hoc sensu gratiam conferrent, quod homines facerent Dei amicos, sive per qualitatem id fieret, sive sine illa, ut inter homines accidit.* Cum asserit Soto, tanquam rem certam à Concilio Tridentino definitam fuisse, gratiam scilicet & qualitates infundi, per qualitatem haud dubie intelligit tantum aliquid internum, formale, distinctum ab actu fluente & transitorio, quod quidem, recepto usu, qualitas & habitus nuncupatur; quamquam ab hac appellatione abstinere consulto voluerit Synodus, ne quæstionem de nomine dirimeret. Revera enim non alia hic videtur esse, quàm de nomine controversia, an nempe gratia quæ infantibus, dum baptisantur, infunditur, habitus & qualitas dicenda sit. Sic autem communi usu (à quo recedere non licet) appellatur; at fidei ille satisfacit, qui putat gratiam illam esse aliquid internum distinctum ab actu, quidquid tandem illud sit.

Melchior Canus ex Familia Prædicatorum insignis alter Theologus, qui Concilio Tridentino pariter interfuit, Lib. 7. de Locis cap. 2. inter quæstiones in Scholis, salva fide, controversas, hanc reponit, an gratia qua justificamur sit quædam qualitas animo impressa.

Ruardus Tapperus unus è Theologis ejusdem Concilii art. 7 qui est de libero arbitrio, idem quoque testatur. Idem & alii non ignobiles Scholæ Doctores, Bannes 2. 2. q. 23. art. 2. Medina in primam 2. qo. 100. artic. 2. conclusione Thomas Stapleton Lib 5. de Justificatione cap. 8. Albertus Pighius Lib. 5. de libero arbitrio.

An per singula Sacramenta prima sanctificans gratia conferri possit.

Quæstio est utrum Sacramenta vivorum, quæ ex primaria sua institutione destinata sunt ad incrementum gratiæ conferendum, possint per accidens primam; & Sacramenta mortuorum, secundam conferre gratiam.

CONCLUSIO.

Sacramenta vivorum possunt per accidens primam conferre gratiam; & Sacramenta mortuorum, secundam.

Ratio est: Quia Sacramenta ex sese gratiam semper conferunt non ponentibus obicem; si ergo contingat, quod fieri potest, adultum ex perfecta charitate prius justificatum esse quam accedat ad Baptismum vel Pœnitentiam, [quæ duo appellantur mortuorum Sacramenta] haud dubiè Baptismus & Pœnitentia primam non conferunt sanctificantem gratiam, sed incrementum duntaxat illios: quamquam eo casu prima illa gratia non datur sine voto seu desiderio percipiendi reipsa Sacramenta. Pariter, si quis eo quo par est pietatis ac religionis affectu ad sacram Mensam accederet, cum aliquo tamen mortali peccato, cujus post diligens examen se reum esse ignorat, Eucharistica Communio per accidens primam in eo produceret sanctificantem gratiam. Verum de hoc argumento uberius suo loco.

Quæ & qualis sit gratia sacramentalis. An sit habitus distinctus a gratia sanctificante.

Gratia Sacramentalis dicitur, quæ propria est uniuscujusque Sacramenti, de qua duo quæruntur.

Primum, an singula Sacramenta præter gratiam sanctificantem, quæ omnibus communis est, suam peculiarem conferant.

Secundum, quid sit illa specialis ac singularis gratia: an à gratia sanctificante distinguatur, & quid ei superaddat.

PRIMA CONCLUSIO.

Singula Sacramenta præter sanctificantem gratiam, peculiarem aliquam, quæ sacramentalis dicitur, conferunt.

Probatur: Quia unumquodque Sacramentum ad specialem finem destinatur. *Caro abluitur*, ait Tertullianus Lib. de resurrectione carnis cap. 8. *ut anima emaculetur. Caro ungitur, ut anima consecretur. Caro manus impositione adumbratur, ut anima Spiritu illuminetur. Caro corpore Christi vescitur, ut anima de Deo saginetur.* P. 350. B.

Et Eugenius IV. in Decreto: *Per Baptismum spiritualiter renascimur; per Confirmationem augemur in gratia, & roboramur in fide: renati autem & roborati nutrimur divina Eucharistiæ alimonia. Quod si per peccatum incurrimus ægritudinem animæ, per Pœnitentiam spiritualiter sanamur; spiritualiter etiam & corporaliter, prout animæ expedit, per Extremam unctionem; per Ordinem vero Ecclesia gubernatur & multiplicatur spiritualiter; per Matrimonium augetur corporaliter.* Porro ad fines illos varios & distinctos assequendos necessaria videtur propria & specialis gratia sacramentalis; effectus quippe Sacramenti induit rationem medii respectu finis ejusdem Sacramenti; ac nisi effectus ille varius foret ac distinctus, vix aliter differrent inter se Sacramenta, quàm externo ritu; neque unum alio majoris foret necessitatis. To. 13. Concil. 134 E.

SECUNDA CONCLUSIO.

Verisimilius est gratiam Sacramentalem non esse habitum distinctum à gratia sanctificante, eique jus aliquod duntaxat addere ad obtinenda, cum opus est, auxilia gratiæ necessaria ad proprios uniuscujusque Sacramenti effectus consequendos.

Probatur: Quia superfluus omnino videtur habitus ille distinctus à gratia sanctificante, siquidem hæc una id omne præstat, quod præstaret distinctus ille habitus: animam quippe ejusque facultates perficit & complet in ordine ad exercendos supernaturales actus proprios cujusque Sacramenti; ergo sacramentalis gratia supra habitualem sanctificantem adjicit solummodo jus aliquod certum ac fundatum in divina promissione, qua se gratuito obstrinxit ut dignæ Sacramentorum perceptioni & sanctificantem gratiam annecteret, & jus illud obtinendi actualia gratiæ auxilia, ad finem uniuscujusque Sacramenti proprium assequendum.

Neque porro est quod reformident nonnulli jus illud admittere, ne fortè gratia inde desinat esse gratuita, ad quam jus habetur. Quis enim non videat jus illud non in nostris meritis, sed in liberali ac plane gratuita Dei promissione ac benevolentia fundatum esse; nec alio titulo esse debitum, quam fidelitatis Dei, qui fidelis est in promissis, & in necessariis nunquam deest?

Quæres 1. an illa auxilia gratiæ statim à suscepto Sacramento conferantur.

Resp. Ea conferri suo tempore & loco, cum nempe postulat necessitas. Plerumque enim contingit, aut non esse necessaria hujusmodi auxilia cum Sacramentum percipitur; aut tunc esse necessaria, cum percipi amplius non potest. V. g. puer Sacramentum Confirmationis percipit cùm nullas patitur circa fidem tentationes; non indiget tunc speciali illo auxilio gratiæ, quod proprium est hujus Sacramenti: eo tamen subinde indigebit, cum Sacramentum percipere amplius non poterit. Illa ergo gratiæ auxilia, ad quæ per Sacramentum jus acquirit, suo tempore & loco conferuntur.

Quæres 2. An qui per mortale peccatum excidit à gratia sanctificante, jus amittat habendi suo tempore prædicta auxilia.

Resp. Ita esse: quia amisso juris fundamento, jus ipsum amittitur.

Quantam Sacramenta gratiam conferant; & an in omnibus semper æqualem.

Quæstio est de eodem Sacramento in se considerato, non comparate ad aliud. Censent aliqui idem Sacramentum habere posse inæqualem effectum gratiæ, etiamsi æqualis sit ex parte suscipientis dispositio. Ita Paludanus in 4. dist. 4. qu. 1. & Cajetanus qu. 64. art. 1. Fundamentum Paludani est, quòd parvuli, qui cum solo Baptismo moriuntur, inæqualem in Cœlo consequantur gloriam; quia destinati sunt supplendæ Angelorum ruinæ, eorumque sedibus occupandis; Angeli porro illi, si in gratia perseverassent, inæqualem obtinuissent gloriam. Cajetanus alia ratione utitur: Quia, inquit, in Baptismo parvulorum plurimum valent parentum ac Ministrorum merita; ergo sicut inæqualia sunt ista merita, sic etiam inæqualis est Baptismi effectus in parvulis. Censent alii, idem Sacramentum æqualem semper conferre gratiæ effectum, quomodocunque homo sit dispositus, modò non ponat obicem. Ratio ipsis est, quia Sacramentum ex sese cum non reperit obicem, tantam producit, quantam potest gratiam. Alii denique ajunt, Sacramenta etiam ex opere operato majorem conferre gratiam pro majori suscipientium dispositione, seu pietate.

PRIMA CONCLUSIO.

Idem specie Sacramentum æqualem semper gratiæ effectum confert iis qui æqualiter præparati ea percipiunt.

Probatur. Quia ubi causa est eadem & eodem modo applicata, dispositio ex parte suscipientis eadem, effectus idem plane debet esse. Neque Paludani aut Cajetani fundamentum quidquam habet ponderis: quia falsò supponitur infantes qui cum solo Baptismo moriuntur, inæqualem habere gloriam: falsò quoque supponitur nos supplendis Angelorum ruinis, & sedibus in Cœlo occupandis duntaxat esse destinatos: falsum non minus est, quod aliquis gratiæ sacramentalis gradus respondeat merito parentum vel Ministrorum, certum quippe est, virtutem omnem Sacramentorum ab uno Christo derivari: *Hic enim est qui baptisat.* Joan. 1. v. 33.
Numquid, ait Apostolus 1. Corinth. 1. v. 13. *Paulus crucifixus est pro vobis: aut in nomine Pauli baptisati estis?* Perinde valet Sacramentum, à quocunque Ministro conferatur: potest quidem Minister suis precibus impetrare à Deo gratiam aliquam pro eo cui Sacramentum administrat, ut docet S. Thomas 3. parte qu. 64. art. 1. ad 2. At non potest gratiam illam de condigno mereri sine proprio actu vel merito suscipientis. *Effectus Sacramentorum*, ait Angelicus Doctor, *non datur melior per meliorem Ministrum. Aliquid tamen annexum impetrari potest recipienti Sacramentum per devotionem Ministri; nec tamen Minister illud operatur, sed impetrat operandum à Deo.*

SECUNDA CONCLUSIO.

Sacramenta inæqualem conferunt ex opere operato gratiam iis qui sunt inæqualiter dispositi.

Probatur ex Concilio Trid. sess. 6. cap. 7. ubi asserit, *in baptisatis justitiam recipi secundum mensuram quam Spiritus sanctus partitur singulis prout vult, secundum propriam cujuscunque dispositionem & cooperationem.* To. 14. Conc. p. 759. D.

Ratio est, quia agentia naturalia quæ ex sese toto suo nisu ac impetu agunt, æqualem vel inæqualem effectum producunt, pro diversa dispositione seu capacitate subjecti in quod agunt; sic ignis intensiorem producit calorem in uno subjecto quam in alio; in ligno v. g. quam in stipula. Atqui Sacramenta agunt ut causæ necessariæ & naturales, quæ determinatum quidem habent effectum quoad speciem, non vero quoad intensionem: major enim vel minor illa vis & intensio pendet ex varia capacitate seu dispositione subjecti. Quamquam ergo Sacramenta ex seipsis apta sint & postulent gratiam conferre perfectissimam, quia tamen eorum actio pendet à dispositione subjecti, idcirco majorem vel minorem conferunt gratiam pro varia dispositione, hoc est pietate suscipientium Sacramenta.

Neque est quod dicas, inde consequens esse majorem illam gratiam non dari ex opere operato, seu vi ipsius Sacramenti, sed ex opere operantis, hoc est, virtute dispositionum quæ sunt in subjecto: namque dispositiones illæ, ut supra jam observavimus, non sunt causæ effectrices gratiæ, sed tantum conditiones necessariæ ex parte subjecti, ut Sacramentum vim suam exerat; eo modo quo v. gr. siccitas in ligno non est causa combustionis & caloris, sed conditio duntaxat; vera enim & physica causa caloris & combustionis, est ignis.

ARTI-

ARTICULUS II.

De charactere qui per aliqua Legis novæ Sacramenta imprimitur.

Quid character.

CHaracteris nomine intelligunt hic Theologi signum quoddam spirituale animæ impressum & indelebile, per quod Christiani distinguuntur & apti fiunt ad aliquid sacri suscipiendum vel peragendum: metaphora scilicet ducta vel à signo seu charactere per inustionem ferri in pecoribus expresso, tanquam nota indelebili possessoris, ait Thomas Waldensis de Sacramento Baptismi c. 109. vel à charactere militari quo notabantur exteriùs, qui militiæ nomen suum inscribebant; quo exemplo sæpius utitur S. Augustinus Epistola 185. alias 50. c. 7. & Lib. 1. contra Cresconium c. 30. & Lib. 2. contra Epistolam Parmeniani c. 13.

Duo circa characterem expendenda: existentia nimirum ipsius, & essentia seu natura. Primum ad fidem, alterum ad Scholæ opinionem pertinet.

Novatorum error circa characterem.

Circa existentiam characteris erravit Joannes Wiclefus Lib. 4. Trialogi cap. 15. referente Thoma Waldensi loco mox indicato. Lutherus & Calvinus eorumque discipuli summo consensu negant pariter ullum imprimi per aliquot Sacramenta characterem, atque Innocentium III. primum esse hujus dogmatis inventorem fabulantur; quin & multos ex nostris antiquioribus Scholasticis sibi hac in parte suffragari gloriantur.

Quid veteres Scholastici senserint de characteris existentia.

At immeritò prorsus: illi etenim de natura magis, quàm de existentia characteris; ac de genere & vi probationis qua existere ostenditur, videntur potissimum disputasse.

I. De natura characteris; an nempe esset qualitas absoluta vel non. *Characterem esse qualitatem absolutam animæ impressam, nec ratio necessaria demonstrat, nec evidens auctoritas probat*, ait Gabriel Biel in 4. dist. 6. qu. 2. artic. 1. Concl. 1. *Sic ergo patet*, pergit, *characterem ad hunc intellectum in quo accipitur à recentioribus, non esse ponendum.* Idem est sensus Alberti Magni in 4. dist. 6. artic. 4. *De charactere*, inquit, *in sensu quo Magistri disputant* (nempe an sit qualitas absoluta) *parùm invenitur in dictis Sanctorum.*

Gabriel Biel.

II. Disputabant de vi & pondere probationis qua characteris existentia demonstratur; an scilicet de fide sit, an tantum probabilius, propter auctoritatem veterum, illum existere. Idem Biel loco mox citato, *Patet*, inquit, *quod neque auctoritas Scripturæ, neque sanctorum Patrum originalia dicta cogunt ponere characterem.* Et Conclusione 2. *Per rationes*, inquit, *persuasivas & Ecclesiæ auctoritatem ostendi potest probabiliter ponendum esse characterem.* Auctoritatem autem illam Ecclesiæ unicè ille repetit ex Innocentio III. cap. *Majores*; quamquam & addit ibid. illum exponi posse quomodo ipsemet exponit SS. Dionysium, Damascenum, & Augustinum, nempe vel de exteriori Sacramento, vel de gratia interiori. Non laudat Biel Decretum Eugenii IV. anno 1439. cujus tamen notitiam habere potuit, cum floruerit sub Alexandro VI. Summo Pontifice anno 1494.

Durandus. N. 4.

Durandus pariter in 4. dist. 4. q. 1. fatetur admittendum esse characterem; *quia omnes moderni*, inquit, *profitentur illum imprimi in aliquibus Sacramentis.* Non laudat ille Constitutionem Innocentii III. quod nempe tunc publica & cognita non esset. Obiit enim Durandus an. 1333. & Decretalis Innocentii in Corpus Juris Canonici translata est à Gregorio IX. qui obiit anno 1241.

Scotus. To. 8. p. 344. n. 14.

Scotus etiam in 4. dist. 6. q. 9. affirmat, *propter solam Ecclesiæ auctoritatem admittendum esse characterem, cum nec Scriptura, nec SS. Patres aliquid satis expressum de illo tradiderint.*

Cajetanus.

Cajetanus in 3. p. S. Thomæ q. 63. art. 1. fatentur etiam neque ex Scripturis, neque ex sanctis Patribus, *sed ex sola Ecclesiæ auctoritate, & quidem non multum antiqua*, inquit, *colligi posse characterem per aliqua Sacramenta imprimi. Quod patet*, inquit, *ex sacris Canonibus, & priscis quæstionibus Patrum de reiteratione Baptismi, quæ locum non habuissent, si Ecclesia jam determinasset imprimi in anima characterem per Baptismum; quod Innocentius III. Extra. de Baptismo cap.* Majores, *determinavit.*

Quin in ipsomet Tridentino Concilio, teste Pallavicino Lib. 9. Historiæ Concilii Tridentini cap. 5. nonnulli contendebant articulum, qui characterem spectat, ut probabiliorem duntaxat, non ut omnino certum, ut dicebat Seripandus, declarandum esse.

Non est igitur quod Novatores illorum Theologorum patrocinio abutantur; non enim omnino negant illi per aliqua Sacramenta characterem imprimi, sed tantum dubitant an istud de fide sit, cum in Scripturis ac sanctis Patribus nulla, ut ipsis videtur, de charactere illo mentio occurrat: quare, si quid illi peccarunt quod reprehensione dignum sit, non illud profectò quod affirmant, de fide non esse characterem per aliqua Sacramenta imprimi; quo enim tempore illi scribebant, res illa nondum clarè & expresè ab Ecclesia definita fuerat, sicut in Concilio Tridentino definita subinde fuit.

Emendatur Cajetanus.

Quamquam in duobus maximè attentionem ac judicium Cajetani hic desideramus: primo: quod asserat doctrinam Ecclesiæ de charactere, neque ex Scripturis, neque ex sanctis Patribus erui posse. Si ita est, unde ergo Synodus Tridentina dogma illud hausit? An nova ipsi facta est revelatio? minimè profectò. Ergo ex traditione sanctorum Patrum ac communi Doctorum sententia illud accepit: neque enim alius est canalis per quem Christi & Apostolorum doctrina possit ad subsequentes ætates defluere; ac multa ex fide credimus, quæ in Scripturis expressa non sunt, sed ab una Traditione accepimus, qualis est Baptismus infantium; qualis necessitas pronuntiandi in forma Baptismatis ista verba, *In nomine Patris & Filii & Spiritus sancti*; qualis veritas Baptismi ab Hæreticis collati, & alia hujusmodi non pauca. Alterum quod in Cajetano, sicut & in Spalatensi arguimus, istud est, quod nempe ex veteri controversia circa iterationem Baptismatis ab Hæreticis dati, inferunt, tunc temporis incognitum fuisse characterem. Distorta planè & obliqua consecutio. Illi enim non negabant characterem imprimi per Baptismum, cum ille verus ac ratus est; sed negabant, in quo error erat, verum ac ratum esse Sacramentum Baptismatis datum ab Hæretico; unde consequens erat ut dicerent, nullum ab hujusmodi falso & ficto Baptismate imprimi characterem: verum enim Baptismum semel conferri posse, nec unquam iterari communis & certa fuit Veterum doctrina.

Lib. 5. de Rep. c. 4. n. 25.

III. Denique, etsi apud aliquos ex antiquis Scholæ Magistris, ante definitionem Ecclesiæ, incerta & dubia fuisset characteris veritas, quid inde Novatores adversùs Catholicum dogma? nihil certè. Neque enim fides nostra, ut jam observatum est, ex privata nonnullorum doctrina debet æstimari, sed ex publicis Confessionibus, ac Decretis Ecclesiæ.

Variæ Scholasticorum sententiæ circa essentiam characteris.

Circa essentiam seu naturam characteris magna est opinionum Scholæ varietas.

Durandus in 4. dist. 4. q. 1. existimat characterem non esse aliquid reale & absolutum distinctum ab anima,

ma, sed esse dumtaxat relationem rationis, seu denominationem externam per quam homo deputatur ad aliquas sacras functiones, active vel passive: qua ratione pretium nummi augetur vel imminuitur per solam externam Principis voluntatem, absque ulla entitate nummo super addita vel detracta: qua pariter ratione Magistratus ad aliqua Officia deputatur sola Principis destinatione. Durandi fundamentum est, quod vix explicari possit quid sit illud reale & absolutum in quo reponi
N. 11. dicitur characteris natura: "non sit autem conveniens "in explicandis fidei dogmatibus, adducere, ut ipse lo- "quitur, vias obscuras quæ plus habent obscuritatis & "difficultatis, quam principale propositum.

Bellarminus Lib. 2. de Sacramentis c. 19. & Suares in 3. partem S. Thomæ q. 63. art. 4. disp. 11. sect. 2. judicant hanc Durandi sententiam ab errore Novatorum non differre, cum ipsi talem externam relationem seu deputationem negare non possint: at Vasques in eandem qu. art. 6. disput. 134. c. 2. late ostendit, amplum discrimen esse inter errorem Novatorum & opinionem Durandi.

Scotus in 4. dist. 6. q. 10. fatetur quidem cum Durando, characterem non esse qualitatem absolutam; & contendit esse relationem realem extrinsecus animæ advenientem, velut effectum Sacramenti: quasi occasione late ibi digreditur, ut ostendat dari relationes reales per actionem agentis productas. Fundamentum Scoti videtur istud esse, nempe characterem esse in genere signi, signum autem ad relationem revocatur.

Dominicus Soto in 4. dist. 1. q. 4. art. 2. postquam Durandi opinionem recensuit, hæc adjungit: "Hæc "opinio, fateor, quantum ad id quod ponit, characterem "non esse rem distinctam à Subjecto, nunquam mihi "visa est à veritate multum aliena, cum quodam tamen "moderamine. Nam profecto istarum rerum multi- "plicatio, ubi excusari potest, nullibi mihi arrisit: mode- "ramen tamen est, quod quamvis quispiam non censeat "characterem rem esse ab intellectu distinctam, non "tamen subinde negandum est Sacramentum characte- "rem imprimere, esseque qualitatem secundæ speciei."

Igitur in mente hujus Theologi, defendi potest characterem non esse quid realiter distinctum ab anima, modo dicatur imprimi per Sacramentum; quod sane videtur difficile conciliari posse, judicio Suaris in 3. part. q. 63. art. 4. disp. 11. sect. 2. & Vasquesii in eandem qu. disp. 134. c. 2.

Non minor dissensio est inter alios Scholasticos, quibus placet characterem esse aliquid absolutum distinctum ab anima, seu veram qualitatem. Sunt enim qui non directe, sed indirecte tantum & reductive characterem ad qualitatem revocari arbitrantur cum S. Thoma q. 63. art. 2. & Richardo in 4. dist. 5. art. 2. q. 1. ad 3. diversa tamen ex causa. Richardus quidem, quia supernaturalis qualitas per se revocari non potest ad prædicamentum qualitatis naturalis: sanctus vero Thomas, quia character est per modum potentiæ seu virtutis instrumentalis, quæ per se non est sub genere, sed tantum reductive.

Alii post Philosophos, qualitatem dividunt in quatuor species bimembres, nempe habitum & dispositionem; potentiam naturalem vel impotentiam; patibilem qualitatem & passionem; formam & figuram: ad quam vero ex illis, speciem qualitatis sit revocandus character, non consentiunt.

Alii revocant cum Marsilio in 4. q. 4. Conclusione 7. ad speciem figuræ: quia per characterem quædam fit in anima spiritualis configuratio.

Alii cum Altissiodorensi Lib. 4. Tract. 3. c. 2. revocant ad patibilem qualitatem, eo quod sit quoddam lumen spirituale quo anima illuminatur.

Alii cum Alensi 4. parte q. 19. art. 2. revocant ad habitum seu dispositionem partim activam, partim passivam. Ita multi è recentioribus, Suares, Vasques, Isambertus &c. Ratio ipsis est, quia tria sunt characteris officia. 1. facere aptum ad cultum divinum. 2. consignare hominem Christo. 3. distinguere ab aliis. Character Baptismi est passiva potestas, qua homo fit aptus ad suscipienda alia Sacramenta; character vero Ordinis est activa potestas ad ministranda alia Sacramenta; character Confirmationis partim est passivus, quia facit hominem aptiorem ad alia Sacramenta suscipienda; partim activus, quia facit aptum ad profitendam fidem.

Alii denique, cum S. Thoma, characterem constituunt sub secunda specie qualitatis, nempe potentia, vel physica, vel morali.

De subjecto pariter cui character inhæreat, non minor discordia. Dicunt alii illum esse immediate in intellectu, tanquam dispositionem necessariam ad exercendos actus intellectus: alii è contra in voluntate, tanquam dispositionem ad actus charitatis: alii in utraque potentia; alii denique simpliciter in substantia animæ. Atque hæ sunt controversiæ in quibus permittit Ecclesia, ut, salva fidei veritate, sese exerceant Scholæ Doctores. Desinant igitur Novatores bene nostrorum discordiam nobis opponere, quasi incertum inde redderetur dogma Catholicum. Aberrant illi: ad fidem enim hoc unum hic pertinet, characterem per aliqua Sacramenta imprimi; cætera spectant opiniones Scholæ. Sequatur quisque quam verisimiliorem judicaverit.

PRIMA CONCLUSIO.

Certum est ex fide, in tribus Sacramentis, Baptismo scilicet, Confirmatione & Ordine, imprimi characterem in anima; hoc est, signum quoddam spirituale & indelebile, unde ea iterari non possunt.

Conclusio ipsis verbis Concilii Trid. sess. 7. Can 9. concepta est.

Bellarminus Lib. 2. de Sacramentis in gen. c. 20. & multi cum ipso Theologi, Conclusionem probant his Scripturæ testimoniis.

Secundæ Cor. 1. v. 21. *Qui unxit nos Deus, qui & signavit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus nostris.*

Ephes. 1. v. 13. *In quo* (Christo) *credentes signati estis Spiritu promissionis sancto, qui est pignus hereditatis nostræ.*

Et c. 4. v. 30. *Nolite contristare Spiritum Dei, in quo signati estis in diem redemptionis.* Signum porro illud, inquiunt, ac pignus Spiritus, est character impressus per Sacramentum Baptismi & Confirmationis. Ita sit, non repugnamus: attamen probationem hanc plane decretoriam non esse facile judicabit, quisquis attenderit sanctos Patres laudata testimonia sensu litterali interpretatos esse de interiori per gratiam unctione, in qua pignus est Spiritus Dei & hæreditatis æternæ. Estius in hæc loca docet, unctionem & consignationem Spiritus sancti non aliam esse ab illa gratiæ & charismatum abundantia qua repleti Apostoli, ac velut sigillo quodam probati & manifestati fuere, tanquam veri Christi ministri adversus Pseudo-apostolos judaisantes. Certum porro est efficacem ex Scripturis elici non posse probationem, nisi cum illis eandem explicationem conspirant SS. Ecclesiæ Patres, juxta regulam Concilii Trid. sess. 4. in Decreto Canonicis Scripturis.

Neque propterea minus certum haberi debet de charactere dogma Catholicum, eo quod in Scripturis aperte expressum non sit; cum, ut jam diximus, satis sit illud ex constanti Traditione, quæ altera est fidei nostræ regula, ab Ecclesia definitum fuisse, ut & bene multa alia de quibus dicebat Tertullianus Lib. de Corona militis cap. 4. *Si legem expostules Scripturarum nullam invenies: traditio tibi prætenditur auctrix, consuetudo confirmatrix, & fides observatrix.* Et sanctus P. 102. A. B.

ctus

To. 9. p. 156. F. ctus Augustinus Lib. 5. de baptismo c. 23. *Multa sunt quæ universa tenet Ecclesia, & ob hoc ab Apostolis præcepta bene creduntur, quamquam in Scriptura non inveniantur.* Conclusio itaque ex Traditione efficaciter demonstranda est, qua constat per aliqua Sacramenta imprimi signum distinctum tum ab externo Sacramenti ritu, tum ab interiori gratia; quod animæ inhæreat, perpetuum sit ac indelebile; quod denique Fideles distinguat à cæteris, & efficiat ut Sacramenta hæc iterari non possint.

Primo itaque, signum illud ab externo Sacramenti ritu distingui, patet ex eo maxime quod sit effectus Sacramenti; quod animæ inhæreat etiam postquam fluxit actio sacramentalis.

Sanctus Cyrillus præfatione in Catecheses. *Magnum sane est*, inquit, *propositum hoc Baptisma: captivitatis liberatio, peccatorum remissio, mors peccati, animæ regeneratio, vestimentum candidum, signaculum sanctum & indelebile.* Enumerat hic sanctus Doctor effectus Baptismi, inter quos appellat *signaculum, seu characterem indelebilem*: at de ipso externo Sacramento id dici merito non potest. Et Catechesi 4. *Spiritus sanctus*, P. 29. D. inquit, *tempore Baptismatis animam obsignat.* Nimirum non tantum per gratiam, sed etiam per characterem.

Sanctus Epiphanius hæresi 8. discrimen inter Circumcisionem & Baptismum assignat his verbis: *Illic* To. 1. p. 19. C. D. *præscripta corporis Circumcisio est, quæ in usu tandiu fuit, quoad ingens est illa Circumcisio subsecuta, Baptismus videlicet, quo nos à peccatis præcidimur, & in Dei nomine signamur.* Duplicem hic spiritualem effectum Baptismi distinguit, nempe circumcisionem à peccatis per gratiam, & obsignationem per characterem. Obsignatio porro illa spiritualis, est à Sacramento distincta, sicut effectus à causa.

Sanctus Joannes Damascenus Lib. 4. Orthod. fidei Edit. nova T. 1 p. 261. B. c. 9. *Nunc*, inquit, *Spiritus sancti primitias per Baptismum accipimus, & regeneratio, alterius nobis vitæ initium, & signaculum, & præsidium, & illuminatio efficitur.*

T. 2 p. 616. E. Ibid. p. 156. A. Sanctus Ambrosius Lib. 1. de Spiritu sancto cap. 6. *Etsi*, ait, *specie signemur in corpore, veritate tamen signamur in corde.* En duplex signum, externum in Sacramento, & internum in charactere. Et Lib. de iis qui initiantur seu de Mysteriis c. 7. *Repete*, inquit, *quia accepisti signaculum spiritale.*

Sanctus Augustinus sæpius affirmat characterem imprimi, hærere, portari etiam à desertoribus & apostatis; quæ loquendi ratio exteriori Sacramento adaptari non potest. Lib. 2. contra Epistolam Parmeniani c. 13. postquam comparavit characterem baptismalem cum nota seu charactere quo milites notabantur, *An forte*, inquit, *minus hærent Sacramenta Christiana, quam corporalis* To. 9. p. 45. C. *hæc nota?* Et Lib. 1. contra Cresconium grammaticum, eundem characterem infigi, imprimi, affirmat: censet igitur eum esse quid distinctum à signo externo Sacramentali.

Secundo, characterem, de quo Veteres, distinctum esse à gratia sanctificante constat; quia affirmant eum amitti non posse, quod gratiæ non convenit; in iis imprimi qui ficti accedunt ad Baptismum; in apostatis & desertoribus permanere: onde inferunt, corrigendum quidem esse errorem desertoris, sed non iterandum Baptismum.

S. Augustinus Tract. 6. in Joan. *Tene quod accepisti*, inquit, *non mutatur, sed agnoscitur character* T. 3. par. 2. p. 337. D. *sit Regis mei, non ero sacrilegus: corrigo desertorem, non muto characterem.* Et Lib. 2. contra Epistolam, T. 9 p. 45 C. Parmeniani c. 13. *An forte*, inquit, *minus hærent Sa-* Ib. p. 161. C. D. *cramenta Christiana, quam corporalis hæc nota, cum videamus nec apostatas carere Baptismate, quibus utique per pœnitentiam redeuntibus non restituitur, & ideo amitti non posse judicatur?* Lib. denique 6. contra Donatistas c. 1. *Satis elucet*, inquit, *Pastoribus Ecclesiæ Catholicæ toto Orbe diffusæ, per quos postea plenarii Concilii auctoritate originalis consuetudo firmata est; etiam ovem, quæ foris errabat, & Dominicum characterem à fallacibus deprædatoribus suis foris acceperat, venientem ad Christianæ unitatis salutem, ab errore corrigi, à captivitate liberari, à vulnere sanari, characterem tamen Dominicum in ea agnosci potius quam improbari.* Idem repetit Epistola 185. alias 50. n. 43. ubi Donatistam inducit sic loquentem: *Quare erga me non baptisas, ut abluas me a peccatis?* Respondet (Augustinus) *Quia non facio injuriam characteri* To. 2. c. 660. B. *Imperatoris, cum errorem corrigo desertoris.*

Tertio denique, Veteres affirmant characterem ita tenaciter animæ inhærere, ut nullatenus deleri possit, nec iterari debeant Sacramenta per quæ imprimitur, per illum nos consignari & à cæteris distingui.

Sancti Chrysostomus & Epiphanius, hic hæresi 8. ille Oratione 2. in Epistolam ad Ephesios docent, *nos* Chrysost. p. 1041. *in anima signari per Baptismum, quomodo Judæi in* Epiph. l. 1. p. 19. *corpore Circumcisionem signabantur*: Circumcisionis vero signum perpetuum erat. Hinc est quod sanctus Cyrillus præfatione in Catecheses jam citata, signaculum Baptismatis indelebile appellat. Alii illum comparant vel cum regio charactere qui moneris imprimitur; vel cum nota qua milites suo Imperatori, & oves suo possessori asseruntur; vel cum ea consecratione per quam res aliqua ab usu prophano ad sacrum & religiosum traducitur. Ita fere sanctus Augustinus Lib. 2. contra Epistolam Parmeniani c. 13. ubi ait Sacramentum Baptismi & Ordinis iterari idcirco non posse, quod consecratione quadam conferatur. *Utrumque*, inquit, *Sacramentum est, & quadam consecratione utrumque homini da-* To. 9. p. 44. E. *tur, illud cum baptisatur, istud cum ordinatur; ideoque in Catholica utrumque non licet iterari.* Quod paulo post illustrat exemplis mox dictis.

Sanctus Basilius hom. 13. in sanctum Baptisma: Edit. nova T. 2 p. 17. B. *Agnoscet te nemo*, inquit, *noster ne sis, an hostium, nisi mysticis signis necessitudinem affinitatemque ostenderis, nisi signatum sit super te lumen vultus Domini. Quomodo vindicabit te Angelus? Quomodo eripiet ex hostibus, nisi agnoverit signaculum* (characterem Baptismi?) *Quomodo dicturus es tu, Dei sum, si notas ac insignia non exhibeas? An ignoras Exterminatorem domos signatas præteriisse, in his vero quæ signata non erant, primogenita occidisse? Thesaurus non obsignatus diripi a furibus facile potest: oves signo carentes tuto struuntur insidiæ.*

Traditionem hanc certam & constantem præ ocu- To 14. Conc. p. 777. lis habebat Concilium Trid. cum sess. 7. Can. 9. sic statuit: *Si quis dixerit in tribus Sacramentis, Baptismo, Confirmatione, & Ordine non imprimi characterem in anima, hoc est, signum quoddam spirituale & indelebile, unde ea iterari non possunt, anathema sit.*

Ante Concilium Trid. jam an. 1439 Eugenius IV. To. 13. Conc. p. 535. B. in Decreto dixerat, *inter Sacramenta tria esse, Baptismum, Confirmationem & Ordinem, quæ characterem, id est, spirituale quoddam signum à cæteris distinctivum, imprimunt in anima indelebile, unde in eadem persona non reiterantur.*

Ante Eugenium Innocentius III. de charactere per Baptismum impresso loquitur, velut de certa & communi apud Theologos; quam, occasione erroris Donatistarum, omnium primus clarius & expressius exposuit sanctus Augustinus, & quam Synodus Tridentina aperte definivit. Id autem duntaxat definivit & ad fidem pertinet, nempe, in tribus Sacramentis, Baptismo, Confirmatione & Ordine imprimi in anima characterem, hoc est, signum quoddam spirituale & indelebile, unde fit ut ea iterari non possint: cætera vero quæ naturam hujus characteris spectant, Theologis discutienda reliquit.

Quapropter Durandi & Scoti opinio supra memorata

Durandi & Scoti opinio distat ab errore Novatorum, & conciliari potest cum dogmate fidei.

morata distat ab errore Novatorum in duobus: primò, quia Novatores Confirmationem & Ordinem expungunt è numero Sacramentorum, non ita Auctores laudati. 2. Quia Novatores characterem velut figmentum ab Innocentio III excogitatum, explodunt ac rejiciunt; non ita Durandus & Scotus. Eorum igitur sententia ab Ecclesia damnata non fuit, quæ, licet non ita commodè, absolutè tamen eum dogmate Catholico conciliari potest. Quamquam enim fingas characterem non esse aliquid absolutum, sed meram relationem, seu realem, seu rationis, dici nihilominus potest, quod imprimatur in anima; quod inhæreat & indelebilis sit: tum quia ex Sacramento resultat respectus ille, seu deputatio ad res sacras, quæ cum nusquam à Deo revocetur, perpetua dicitur & indelebilis: tum quia quod moraliter duntaxat est ac relativum, rectè nihilominus imprimi, & inhærere dicitur; sic macula peccati dicitur imprimi, & hærere in anima postquam fluxit actus peccati, cum tamen non videatur esse nisi peccatum moraliter perseverans non revocatum nec dimissum.

Inde est quod Dominicus Soto fateatur opinionem Durandi cum moderamine aliquo intellectam, sibi non displicere; & Alphonsus à Castro Lib. 4. adversùs hæ-

P.246. reses dicat, *characterem esse figuram; ac parum interesse sive illa dicatur esse qualitas, sive relatio.*

Sanctus Thomas cæterique post ipsum Theologi, necessitatem & existentiam characteris probant ex officiis illius, quæ sunt 1. aptum reddere hominem ad cultum divinum, sed ad res sacras percipiendas, vel perficiendas, 2. eum Christo configurare, per potestatem ab ipso tanquam ab æterno Sacerdote derivatam. 3. eum distinguere à cæteris. 4. efficere ut Sacramenta per quæ imprimitur, iterari non possint. Tria autem duntaxat sunt hujusmodi, nempe Baptismus, Confirmatio

To.2 p.17. col.2. B. & Ordo: *Quia*, inquit Estius in 4. dist. 1. paragr. 10. tres duntaxat sunt characteres: *in Baptismo datur character civitatis seu familiæ Christi, in Confirmatione character militiæ Christianæ; in Ordine verò character potestatis, seu ministerii Ecclesiastici.*

SECUNDA CONCLUSIO.

Character non est pura relatio rationis, non extrinseca duntaxat denominatio, nec relatio realis, sed est aliquid reale absolutum quod ad secundam speciem qualitatis revocatur, atque intellectu tanquam in suo immediato subjecto residet.

Prima pars probatur contra Durandum: Quia communi Ecclesiæ ac Theologorum usu loquendi, character imprimi dicitur, hærere in anima, atque signum esse spirituale & indelebile: at hæc omnia nonnisi valde impropriè & abusive dici possunt de relatione rationis ac mere extrinseca denominatione; eo porrò Ecclesiæ reverentia debetur, ut quæ in Scholis propugnantur opiniones, rectè cohæreant cum proprietate verborum, quibus Ecclesia utitur.

Licet igitur Durandi opinio fidei non adversetur, quia tamen non satis accommodata est recepto loquendi modo Ecclesiæ, idcirco rejicienda.

. Adde quod ex quolibet Sacramento resultat extrinseca illa denominatio, in qua Durandus characterem reponit, neque tamen singula Sacramenta characterem imprimunt.

Secunda pars contra Scotum ostenditur: Tum quia accurate ac philosophicè loquendo, relatio per veram actionem non producitur, sed resultat ex fundamento & termino: at character dicitur produci, imprimi per Sacramenta. Tum quia omnis relationis assignari debet aliquod fundamentum: at difficile est in opinione Scoti illud assignare. Quod enim differt? An gratia, dona, virtutes? at his etiam sepositis character imprimitur & perseverat. An sola animæ substantia, vel aliqua ejus facultas? at Veteres Judæi cum vera Sacramenta percipiebant, & animam, & facultates illas habebant, atque ad cultum Dei deputabantur; neque tamen aliquo interno charactere signabantur. An demque ipsa Sacramentalis actio; at jam diximus relationem vere non produci, sed resultare duntaxat ex fundamento & termino; præsupponi igitur debet hujus actionis sacramentalis terminus, priusquam intelligatur resultare illud relativum, quod character nuncupatur.

Tertia pars, nempe characterem esse aliquid reale positivum & absolutum, seu qualitatem aliquam fixam & permanentem, sequitur ex rejectis opinionibus Durandi & Scoti.

Triplex duntaxat superesse hic potest dubitatio. Prima, an ejusmodi ens absolutum directe vel indirecte & reductive sit in cathegoria qualitatis. Secunda, ad quam speciem qualitatis revocari debeat. Tertia, in quo subjecto immediate resideat, de quibus fusè disputant Suares, Vasquez & alii Scholastici. Nos, qui ad graviora properamus, levi ac suspensa duntaxat manu ea attingemus, respondendo.

Ad primam: characterem non reductivè tantum, sed directè esse in cathegoria qualitatis. Ratio est quia docent communiter Philosophi, aliquid in cathegoria qualitatis reponi directè, quando eodem modo recipitur in subjecto illudque afficit, quo solet qualitas creata & naturalis; atqui character eodem modo recipitur in anima eamque afficit, quo solent qualitates creatæ & naturales recipi & afficere subjectum in quo sunt; quia nempe educitur è potentia animæ, ipsi inhæret, & per ipsum homo denominatur talis, id est, aptus ad Sacramenta activè vel passivè.

Ad secundam: verisimilius esse characterem revocari ad secundam speciem qualitatis, nempe potentiam, 1. quia non videtur revocari ad dispositionem vel habitum. Ratio est quia dispositio est facilè mobilis à subjecto, character vero firmus est ac indelebilis; habitus autem intendi potest vel remitti, & movet ad facilius duntaxat agendum; at talis non est character. 2. revocari non potest ad tertiam vel quartam speciem qualitatis, id est patibilem qualitatem aut passionem, formam aut figuram: quia ad illas qualitatis species ea duntaxat accidentia revocari solent, quæ adhærent corpori; character autem signum est spiritale inhærens animæ; superest igitur ut revocetur ad potentiam. Et vero ea qualitas merito potentia dicitur, quæ dat simpliciter posse agere vel pati: atqui talis est character per quem homo ad sacra deputatur activè vel passivè, id est, suscipienda, vel perficienda.

Ad tertiam denique respondemus, probabilius nobis videri characterem immediatè residere in intellectu, non vero in substantia animæ, tanquam in subjecto proximo. Ratio est, quia character datur ad agendum vel recipiendum aliquid sacri: atqui anima non agit nec patitur, nisi per suas facultates. Character autem non videtur esse in voluntate; quia voluntas illarum qualitatum subjectum videtur esse, à quibus homo bonus vel malus denominatur; at talis non est character, qui in malis est sicuti in bonis. Præterea character ordinatur ad executionem cultus divini; cultus autem divinus quædam est fidei protestatio; igitur in eodem subjecto residet character in quo est fides; at illa est in intellectu.

Quæres 1. An de fide sit characterem esse indelebilem.

Resp. De fide esse, illum hac in vita deleri non posse; quia Concilium Trid. ait *esse signum indelebile.* An verò in altera vita sit delendus, planè incertum est, cum nihil ea de re pronuntiaverit Ecclesia: verbis tamen Concilii conformius videtur, illum delendum non fore, qui in beatis permansurus est ad gloriam, in damnatis ad pœnam.

Quæres

Quæres 2. utrum per Sacramenta vetera character imprimeretur.

Resp. negative : quia nulla auctoritate aut satis firma ratione id ostendi potest.

Quæres 3. utrum character fuerit in Christo Domino.

Resp. negative ; quia nullibi talis characteris in anima Christi impressi mentio fit ; nec tali nota Salvator noster indiguit, qui *est splendor gloriæ, & figura substantiæ Patris*. Hebr. 1. v. 3. *In quo inhabitat plenitudo divinitatis corporaliter*. Coloss. 2. v. 9. Et vero character qui per Sacramenta Christi in nobis imprimitur, est participatio quædam ac dimanatio Sacerdotii Christi ergo in Christo æterno Sacerdote nullus fuit ejusmodi character.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Adversus præcedentes Conclusiones.

Objicies 1. contra primam Conclusionem. De charactere per aliqua Sacramenta impresso, nulla in Scripturis fit mentio, ut nos ipsi cum multis antiquis Scholasticis non diffitemur ; apud veteres autem SS. Patres & Theologos ante Innocentium III. hoc est, sæculum decimum tertium, de quo illo pariter altum est

Magister obiit anno 1164. silentium : nihil de illo Magister Sententiarum, nihil

Hugo Victorinus, licet de Sacramentis ex professo tractaverint. Magister enim L. 4. dist. 4. agens de iis qui

Hugo anno 1140. ficte ad Sacramentum accedunt, ait *eos Sacramentum, non vero rem Sacramenti percipere* ; per rem vero Sacramenti, intelligit gratiam ; neque distinguit duplicem effectum Sacramenti, ut nos jam distinguimus, gratiam scilicet & characterem. Eodem Libro dist. 7. rationem reddit cur Confirmatio repeti non possit, nempe quia non debet Sacramento fieri injuria ; fieret autem si repeteretur ; quod enim per consecrationem aliquam confertur, judice sancto Augustino, iterari non potest ; si vero characterem agnovisset Magister, procul dubio eum laudasset tanquam veram causam cur repeti non possit Confirmatio.

Resp. 1. silentium Scripturæ opponi hic merito non posse, cum aliunde certa & constans est Ecclesiæ Traditio. 2. Falsum est veteres sanctos Patres nihil de charactere suis in Scriptis ad nos transmisisse ; fidem faciunt quæ hic laudata sunt eorum testimonia. 3. Veteres Scholastici, ut diximus, non tam de existentia characteris, quam de natura ipsius, disputant, ac de genere probationis unde certo possit demonstrari illum per aliqua Sacramenta imprimi. 4. Magister Sententiarum characteris quidem nomine non utitur, at rem nomine ipso significatam agnovit. Lib. enim 4. dist. 7. mox citata, docet Baptismum, Confirmationem & Ordinem iterari non posse, quia per quamdam consecrationem conferuntur, quæ ratio ex sancto Augustino deprompta est ac characterem nostrum subindicat.

Obiit anno 1205. Et vero Petrus Pictaviensis Lombardi discipulus, & in Cathedra Theologica Parisiensi, quam annis prope quadraginta magno cum plausu tenuit, successor, primusque Sententiarum Lombardi Commentator, in dist. 24. distincta de charactere impresso mentionem facit, sicut & Guillelmus Parisiensis Episcopus qui floruit an. 1240. c. 3. de Baptismo, quos summo consensu cæteri Scholæ Magistri sequuti sunt.

Objicies 2. Veteres Ecclesiæ Doctores, imprimis vero sanctus Augustinus, per characterem cujus aliquando meminerunt, intelligunt, vel externum Sacramentum, vel internam gratiæ unctionem, vel externam denominationem ; quemadmodum explicat Durandus antea memoratus. Hoc sensu S. Augustinus Sermo-

To. 6. p. 619 C. D. ne coram Emerito Donatista, ait fidem in nomine Trinitatis esse characterem quem Christus militibus suis imprimi jussit.

Resp. nego ant. Ad sanctum Augustinum, dist[in]guo : per characterem imprimentem, seu causam characteris instrumentalem, intelligit sanctus Augustinus Sacramentum exterius aut fidem Trinitatis, hoc est invocationem solemnem Trinitatis quæ fit in Baptismo concedo : per characterem impressum, nego. Porro citato loco loquitur Augustinus de charactere imprimente, nos autem hic agimus de charactere impresso.

Instabis 1. Eodem in loco sanctus Doctor asserit, quod si Donatus in nomine suo baptisasset, characterem impressisset ; at talis character haud dubie nihil internum fuisset ac spiritale.

Resp. sanctum Doctorem ex hypothesi loqui, ut sæpe fit inter disputandum. Scilicet eo consilium ipsi erat ostendere, Sacramentum vim suam unice à Christo trahere, atque validum & ratum illud esse, à quocunque Ministro suo legitimo & à Christo præscripto confectum ; quod ostendit ex hypothesi in qua supponeretur Donatus proprium suum Baptismum conferre, atque Donatum eo in casu characterem suum impressum in iis quos baptisaret. Hypothesim autem non probat nec admittit sanctus Doctor, sed ea facta recte concludit quod volebat, nempe Sacramentum Christi non pendere à privata Ministri conditione, sed à virtute Christi de quo dicitur, *Hic est qui baptisat*.

Instabis 3. Ibidem sanctus Doctor ait characterem exterius cognosci, quod de signo spiritali & interno dici non potest, bene vero de exteriori Sacramento.

Resp. dist. ant. ait characterem exterius cognosci in sua causa, nempe visibili Sacramento, concedo : in se ipso immediate, nego.

Objicies 3. Vitiosus occurrit in nostra sententia circulus : namque idcirco probamus characterem imprimi per aliqua Sacramenta, quia hæc iterari non possunt ; & probamus ea iterari non posse, quia characterem imprimunt.

Resp. vitiosum non esse circulum, cum probatio ex diverso causæ genere deducitur ; qua ratione effectus per causam, & causa per effectum aliquando probatur. Iterari non posse aliqua Sacramenta probamus ex charactere impresso, tanquam ex effectu Sacramenti ; & vicissim probamus characterem ab illis Sacramentis imprimi, tanquam ex causa.

Instabis. Ex eo quod Sacramentum aliquod non possit iterari, male infertur per illud characterem imprimi ; namque Matrimonium iterari sæpius cum eadem persona non potest, nec tamen imprimit characterem.

Resp. Matrimonium ex se iterari posse cum diversis personis, quod satis est ut characterem non imprimat. Cum eadem vero persona repeti non potest, non quidem propter characterem quem imprimat, sed propter vinculum quod dissolvi non potest nisi sola morte, si consummatum fuerit ; sunt enim duo in carne una.

Objicies 4. Necesse non videtur recurrere ad characterem, ut explicetur cur Baptismus v. g. repeti non possit, in promptu quippe sunt rationes aliæ. Prima, quia Baptismus est janua seu introitus ad Ecclesiam ; ubi autem semel aperta est janua, necesse non videtur ut sæpius aperiatur. Secunda, quia Baptismus destinatus est ad delendum originale peccatum, quod unicum est. Tertia, quia per Baptismum promittitur vita æterna, Dei autem promissio certa est.

Resp. 1. nego ant. Etsi enim rationes illæ & causæ, quas Novatores exaggerant, quidquam momenti ac ponderis haberent, an idcirco excludenda ea quam ex charactere impresso Ecclesia repetit ? minime profecto. 2. Leves admodum & parum firmæ videntur

adductæ

adductæ causæ & rationes. Prima quidem, quia janua Ecclesiæ quæ baptisatis aperitur, iisdem apostatis ac desertoribus, si redire velint, rursus aperienda est, non quidem per Baptismum, sed per pœnitentiam. Secunda, quia qui fictus accedit ad Baptismum, à labe peccati originalis non mundatur, & tamen non rebaptisatur cùm resipiscit. Tertia, quia per Eucharistiam promittitur quoque vita æterna, & tamen sæpius percipi potest ac debet Eucharistia Communio.

Objicies 5. Inutilis omnino videtur character, ut sit nota distinctionis. Cui enim inserviret? An Deo? at omnia per seipsum novit immediatè. An Beatis? at omnia vident in verbo. An hominibus? at videt tantum ea quæ patent exteriùs.

Resp. Ad hoc maximè utilem esse characterem, quod sit nota seu signum quoddam fixum ac permanens, per quod homo Deo consecratur, ac distinguitur à cæteris. Neque refert quod absque tali signo potuisset homo Deo consecrari, à Deo & Beatis cognosci, & secerni ab aliis; neque enim hic disputamus de eo quod fieri potuit, sed de eo quod reverà à Deo factum est; neque hujusce facti alia quærenda ratio, quam voluntas facientis. Similiargumento probaret quis, superflua esse Sacramenta ad sanctificationem nostram, quia potuit Deus alia via suam nobis communicare gratiam: voluit tamen eam per Sacramenta nobis communicare; ulterior autem ratio quærenda non est.

Objicies 6. Per omnia Sacramenta imprimi deberet character, non autem per tria dumtaxat, quia nempe per omnia Sacramenta homo deputatur ad cultum divinum.

Resp. S. Th. 3 parte q. 63, art. 6, per ea tantum Sacramenta characterem imprimi, per quæ homo deputatur *ad agendum aliquid vel recipiendum quod pertineat ad cultum Dei.* Atqui tria duntaxat sunt hujusmodi Sacramenta. *Pœnitentia enim directè ad divinum cultum non ordinatur,* ait ibid. Angelicus Doctor: *per illam enim homo liberatur à peccato, non autem exhibetur ipsi aliquid de novo pertinens ad divinum cultum, sed restituitur in statum pristinum. Pertinet autem,* pergit sanctus Thomas, *aliquod Sacramentum ad divinum cultum tripliciter: uno modo, per modum ipsius actionis; alio modo per modum agentis; tertio modo per modum recipientis. Per modum quidem ipsius actionis pertinet ad cultum divinum Eucharistia, in qua principaliter divinus cultus consistit, in quantum est Ecclesiæ sacrificium; & per hoc idem Sacramentum non imprimitur homini Character, quia per hoc Sacramentum non ordinatur homo ad aliquid aliud ulteriùs agendum vel recipiendum in Sacramentis, cum potius sit finis & consummatio omnium Sacramentorum.* Ita sanctus Thomas.

Objectiones contra secundam Conclusionem.

Objicies 7. contra secundam Conclusionem.

Inter varias circa naturam characteris opiniones, ea cæteris præferenda videtur, quæ, salva fide, facilior est, ac clarius exponit quæcunque ad characterem pertinent; atqui talis est opinio Durandi supra memorata, quæ per solam externam Dei voluntatem seu destinationem nitidè exponit qua ratione homo per Sacramenta deputetur ad res sacras percipiendas vel peragendas, absque ulla succrescente in anima entitate seu qualitate, quæ ita obscura est ut vix intelligi possit; quomodo Magistratus ad varia Officia deputatur, & pretium monetæ crescit vel minuitur per solam Principis voluntatem, sine ulla qualitate addita vel in Magistratu vel in moneta.

Resp. Prudenti & cauto Theologo sufficere non debere, quod opinio, quam amplectitur, sit facilior & fidei non adversetur, sed præterea necesse esse, ut cum modo loquendi, seu proprietate verborum, quæ usurpat Ecclesia, apertè consentiat. Quamvis autem opinio Durandi cum fide conciliari possit, ac utcunque sit intellectu facilior, vel eo tamen solo nomine rejici debet, quod videatur aliena à communi usu loquendi Ecclesiæ & Theologorum, ubi de charactere verba faciunt. Ajunt enim characterem esse signum spirituale animæ impressum, inhærens & indelebile: an vero propriè id dici potest de externa quadam denominatione & destinatione hominis ad res sacras sive perficiendas sive recipiendas? minimè profectò. Hic ergo loquendi modus denotat aliquid absolutum & internum, seu qualitatem animæ inhærentem: neque adducta exempla quidquam hic juvant Durandum. Princeps enim cùm Magistratum ad aliqua Officia delegat, nihil in eo ponit, nec aptum eum facit, sed supponit: Deus è contra qui in animam ipsam hominis illabitur quem amat suo amore dignum facit per infusionem gratiæ; & quem parat ad cultum suum certa ratione consecrat, per internam aliquam qualitatem ipsum disponit ac destinat. Neque vero refert quod difficile sit qualitatem illam explicare. Quasi istud à Theologis exigi merito posset, ut res Theologicas, omni prorsus detersa obscuritate, planas & faciles omnibus redderent.

Objicies ultimo. Character est signum: omne autem signum relativum est ad rem quam significat; ergo character est relatio quædam realis, ut contendit Scotus.

Resp. In omni signo, præter illam ad rem significatam relationem, esse aliquid reale & absolutum. V. gr. in charactere quo notatur ovis vel miles, præter illum respectum quem habet ad possessorem & ducem, est aliquid reale absolutum; pariter igitur in charactere per Sacramenta impresso, præter ordinem quem dicit ad cultum Dei, aliquid est absolutum & reale in anima inhærens, quod solet appellari qualitas; quemadmodum gratia sanctificans, præter respectum quem habet ad Dei amorem & benevolentiam, aliquid in se reale ac positivum importat.

QUÆSTIO V.

De auctore seu institutore Sacramentorum.

De duobus hic controversia movetur. Primò, an Christus Dominus omnia & singula Sacramenta instituerit, & quomodo; an immediatè & per seipsum, an mediatè per Apostolos. Secundò, an auctoritas instituendi Sacramenta possit hominibus communicari.

ARTICULUS I.

An Christus Dominus omnia & singula novæ Legis Sacramenta instituerit, & quomodo; an per seipsum immediatè, an mediatè per Apostolos?

Si quis hic Novatorum error est, non tam circa institutionem, quàm circa numerum Sacramentorum versatur. Agnoscunt enim illi, Sacramenta à solo Christo immediate institui potuisse; nec alio prætextu duo tantum admittunt, Baptismum nempe & Eucharistiam, quàm quod ea duo Christus per seipsum immediate instituisse legatur, cætera vero Apostolis vel Ecclesiæ suam debeant originem.

Orthodoxi Theologi consentiunt quidem omnes, Baptismum & Eucharistiam immediate à Christo fuisse instituta; consentiunt pariter Christum mediate saltem omnium & singulorum Sacramentorum auctorem esse ac parentem; de duobus tantum disputant, nempe an Christus omnia immediate instituerit, & an istud certa fide Catholica sit definitum.

Ex veteribus Scholasticis aliqui existimarunt, Apostolos,

Lib. 4 sent. dist. 24. Hugo Vict. L. 2. de Sacramentis cap. 3. Jo L. 4. Sent. ad dist. 17. art. 1. q. 3. To. 2. p. 85. col. 1. C. D.

stolos, pro concessa sibi à Christo potestate, nonnulla instituisse Sacramenta, præsertim vero Confirmationem & Unctionem extremam. Ita Magister Sentent. Hugo Victorinus & S. Bonaventura. Quin Alexander Alensis parte 4. Summæ qu. 24. membro 1. longe post Apostolorum tempora Sacramentum Confirmationis in Concilio Meldensi circa annum Christi 845. institutum fuisse fabulatur, cujus certe improbanda omnino est sententia. *Etsi enim ferenda sit*, ait Estius in 4. dist. 1. parag. 16. "eorum opinio qui alicujus Sacramenti „institutionem Apostolis adscribunt, minime tamen eis „attendendum, qui post Apostolorum tempora putant „aliquod eorum fuisse institutum; quandoquidem „commissio verbis facta non ultra Apostolos extendere „se potuerit: alioquin enim & hodie posset aliquid in „Sacramentis Ecclesia mutare, vel instituere.„ Hæc Estius.

Qui in ea versantur sententia, haud dubie persuasum non habent de fide esse, Christum Dominum per seipsum & immediate singula Sacramenta instituisse.

Alii è contra existimant istud ad fidem pertinere, atque à Concilio Trid. sess. 7. Can. 1. definitum fuisse; oppositamque sententiam velut erroneam traducere non dubitant. Ita Bellarminus Lib. 1. de Sacramentis c. 23. Vasques in 3. partem ad qu. 64. art. 4. disp. 135. c. 1. Becanus de Sacramentis in communi c. 5. & Hambertus in 3. partem ad q. 64. disp. 1. art. 1. Et art. 2. non alia ratione veteres Scholasticos aliter sentientes excusat, quam quod Scripta sua Judicio Ecclesiæ subjecerint.

Alii denique mediam quamdam tenentes sententiam, contendunt revera quidem Christum Dominum immediate per seipsum omnia & singula Sacramenta instituisse; at istud esse de fide, pronuntiare non audent. Ita Dominicus Soto in 4. dist. 1. qu. 5. art. 2. conclusione 3. Estius in 4. dist. 1. paragr. 16. Suares quoque scribens in 3. partem S. Thomæ ad qu. 64. art. 4. disp. 12. sectione 1. quamquam asserat dubitari vix posse quin hæc sit mens Concilii Trident. attamen aperte ad fidem eam pertinere non affirmat. His præmissis sit.

CONCLUSIO.

Christum Dominum omnia & singula Legis novæ Sacramenta immediate & per ipsum instituisse, certa quidem est ac vera sententia, non tamen de fide.

Prima Conclusionis pars.

Probatur 1. ex Scripturis triplici argumento. I. Quia nullum est ex septem Sacramentis cujus aperta non fiat in Scripturis mentio, ac proinde cujus immediata institutio ad Christum non videatur referri debere. De Baptismo mentio fit Matth. 28 v. 19. de Confirmatione, Act. 8. v. 15. de Eucharistia, Matth. 26. v. 26. de Pœnitentia, Joan. 20. v. 23. de Unctione extrema, Jacobi 5. v. 14. de Ordine, Act. 6. v. 6. de Matrimonio, Ephes. 5. v. 31. II. Apostoli declarant se duntaxat Ministros ac dispensatores esse, non auctores mysteriorum Dei. 1. Cor. 4. v. 1. "Sic nos existimet homo ut ministros „Christi, & dispensatores mysteriorum Dei.„ Et c. 3. v. 5. jam dixerat Apostolus: " Quid est Apollo? quid vero „Paulus? minister ejus cui credidistis.„ III. denique testatur S. Lucas, Christum postquam à mortuis suscitatus est, per dies quadraginta cum Discipulis conversatum, & de Regno Dei collocutum fuisse; quo certe temporis spatio Apostolos suos informabat, eaque omnia, quæ ad ritus Sacramentorum pertinent, ipsis exponebat. Ita sanctus Leo Serm. 1. de Ascensione Domini.

To. 1. p. 312.

Hi dies, inquit, *qui inter Resurrectionem Domini Ascensionemque fluxerunt, non otioso transiere decursu; sed magna in his confirmata Sacramenta, magna sunt revelata mysteria.* Quamquam vero concederemus Novatoribus, nonnullorum Sacramentorum institutionem clare ac distincte in sacris Litteris non exprimi, an non Apostolica Traditio sufficeret iis omnibus retinendis, quæ Ecclesia ab Apostolis edocta constanter retinuit?

To. 9. p. 140. C. D.

Quod enim, ait S. Augustinus Lib. 4. de Baptismo c. 24. *universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi auctoritate Apostolica traditum rectissime creditur.* Apostoli autem à Christo, Christus à Deo, quod nobis traditum est, accepere, ait Tertullianus.

Probatur 2. ex sanctis Patribus, Ambrosio præsertim & Augustino.

To. 2. p. 368. B. Tom. 3. part. 1. p. 49. B.

S. Ambrosius Lib. 4. de Sacramentis c. 4. *Auctor Sacramentorum*, inquit, *quis est, nisi Dominus Jesus?*

S. Augustinus Lib. 3. de Doctrina Christiana c. 9. agens de Sacramentis novæ Legis, *Quædam pauca*, inquit, *pro multis, eademque factu facillima, & intellectu augustissima, & observatione castissima, ipse Dominus, & Apostolica tradidit disciplina.*

To. 2. p. 124. A.

Et Epistola 54. alias 118. "Tenere te volo (alloquitur Januarium) Dominum nostrum Jesum Christum.... leni jugo suo nos subdidisse, & sarcinæ levi; „unde Sacramentis numero paucissimis, observatione „facillimis, significatione præstantissimis societatem novi populi colligavit. Sicuti est Baptismus Trinitatis „nomine consecratus; communicatio corporis & sanguinis ipsius, & si quid aliud in Scripturis Canonicis „commendatur... Illa autem quæ non scripta, sed tradita custodimus, quæ quidem toto terrarum Orbe servantur, datur intelligi vel ab ipsis Apostolis, vel plenariis Conciliis, quorum est in Ecclesia saluberrima auctoritas, commendata atque statuta retineri, sicuti „quod Domini Passio & Resurrectio &c. anniversaria „solemnitate celebrentur. Distinguit eo loci S. Doctor Sacramenta à cæteris ritibus in eo maxime, quod isti vel ab Apostolis, vel ab Ecclesia instituti fuerint; illa vero à Christo Domino, immediate scilicet; alias ab Ecclesia instituta fuisse dici possent quamquam precaria auctoritate, id est, à Christo Sponso suo accepta.

Tom. 14. Conc. p. 776 D.

Probatur 3. auctoritate Concilii Trid. sess. 7. Can. 1. *Si quis dixerit Sacramenta novæ Legis non fuisse omnia à Jesu Christo Domino nostro instituta... anathema sit.* Etsi autem Synodus non dicat, *immediate instituta*; atque propter hanc causam Conclusio nostra statuat id de fide non esse, nihilominus videtur hæc esse mens Concilii, fundata in communi usu loquendi: ea enim quis instituere dicitur, quæ per se ac immediate instituit.

Ibid. p. 816. A. Ibid. p. 854. A. Ibid. p. 862. B. Ibid. p. 822 B.

Sessione 14. c. 1. de Pœnitentia, eadem Synodus docet, tunc præcipue à Christo Domino institutam, cum *à mortuis excitatus insufflavit in Discipulos suos dicens: Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata remittuntur eis.* Et sess. 22. c. 1. docet pariter, *Christum Dominum in ultima Cœna Apostolos Sacerdotes instituisse.* Et sess. 23. c. 1. *Sacrificium & Sacerdotium Dei ordinatione conjunctum esse*, atque ut Sacrificium sic & Sacerdotium ex Domini institutione Ecclesiam accepisse. De Unctione extrema sess. 14 c. 1. ait, „institutam esse sacram hanc Unctionem infirmorum, „tanquam vere & proprie Sacramentum novi Testa„menti, à Christo Domino nostro apud Marcum quidem insinuatum, per Jacobum autem Apostolum ac „Domini fratrem, Fidelibus commendatum ac pro„mulgatum.„

Ibid. p. 816. D.

Denique sess. 21. c. 2. docet id esse discriminis inter Sacramenta, & sacramentalia seu ritus & cæremonias Sacramentorum, quod Ecclesia nihil possit in substantiam Sacramentorum, sicut potest in ritus & cæremonias. En verba: "Declarat sancta Sy„nodus, hanc potestatem perpetuo in Ecclesia fuisse, ut „in Sacramentorum dispensatione, salva illorum sub„stantia, ea statueret vel mutaret, quæ suscipientium „utilitati, seu ipsorum Sacramentorum venerationi „magis expedire judicaret.„ Porro si Ecclesia accepisset à Christo potestatem instituendi Sacramenta, posset

haud

haud dubie eorum materiam & formam pro data opportunitate mutare, addendo vel detrahendo: et qui tamen declarat Synodus, quacunque interveniente in ritu mutatione, salvam semper remanere Sacramenti substantiam. Quid ita? quia quæ sunt juris divini à Christo Domino præfixa & determinata, non possunt ab Ecclesia mutari; ergo omnia & singula Legis novæ Sacramenta sunt à Christo Domino immediate instituta.

Non est de fide Christū Dominū immediate per se ipsum omnia Sacramenta instituisse.

Secunda pars Conclusionis probatur: quia nullum satis firmum ex auctoritate momentum habemus, quo teneamur fide divina credere, Christum Dominum omnia & singula Legis novæ Sacramenta immediate per se ipsum instituisse. Non ex verbo Dei seu scripto seu tradito, ex quo inferimus quidem Christum Dominum Sacramentorum auctorem esse; at immediatum esse auctorem nullibi legimus. Non ex definitione Ecclesiæ: Canon enim Tridentinus mox citatus errorem dumtaxat Novatorum perstringit, qui è septenario Sacramentorum numero quinque hoc prætextu expungunt, quod non sint à Christo Domino instituta; adversus quos Synodus statuit, omnia Sacramenta quæ Catholica Ecclesia agnoscit, fuisse à Christo Domino instituta: an vero mediate vel immediate, non determinat Synodus; atque consulto pro sua sapientia ab hac particula, *immediate*, abstinuit, quod sciret rem esse inter Scholasticos hinc & inde agitatam. Quapropter non videtur nobis Bellarminus Lib. 1. de Sacramentis c. 23. scopum attigisse, cum scripsit inutilem futurum eum Canonem, nisi mens Concilii fuisset statuere, Christum immediate per se ipsum omnia Sacramenta instituisse;

To. 3. p. 41. F.

Cum nemo, inquit, *unquam dubitaverit quin saltem mediate Sacramenta à Deo sint instituta*. Nemo quidem Catholicus dubitavit; at ipsi negabant Novatores, & contendebant vera non esse Sacramenta, nisi quæ Christus immediate instituit.

Probatur 2. Quia salva fide, in Scholis libere disputatur hæc præsens nostra Conclusio. Multi præterea etiamnum docent, Christum Dominum in genere duntaxat aliquorum Sacramentorum materiam & formam designasse, atque specialem earum determinationem Ecclesiæ suæ arbitrio permisisse: quæ profecto sententia in istam fere incidit, nempe Christum non immediate omnia Sacramenta instituisse, sed aliqua mediate tantum; qui enim potestatem habet determinandi materiam & formam Sacramenti alicujus, ille censetur habere acceptam à Christo Domino auctoritatem instituendi Sacramenti. Quamquam non ignoramus consecutionem hanc ab aliquibus Theologis, Isamberto imprimis, negari; existimat enim ille, simul & Christum immediate omnia Sacramenta instituisse, ac Apostolis & Ecclesiæ dedisse potestatem in specie determinandi materiam & formam Sacramenti, quas ipse in genere dumtaxat assignavit.

Probatur denique testimonio duorum (ut cæteros omittamus) gravissimorum Theologorum, Dominici Soto, & Guillelmi Estii.

Dominicus Soto in 4. dist. 1. q. 5. art. 1. conclus. 3.

Dominicus Soto.

„Non usque adeo constat, *inquit*, hæreticum esse negare Sacramenta Confirmationis & Extremæ unctionis fuisse ore Christi proprio instituta.„ Et conclusione 4. “Esset tamen, *pergit*, temerarium negare omnia „Sacramenta à Christo instituta.

Estius. To. 2. p. 34. col. 1. D.

Estius in 4. dist. 1. paragr. 16. “Cum, *inquit*, non „sit à Synodo definitum Sacramenta novæ Legis omnia „immediate à Christo instituta esse, disputatur adhuc „inter Catholicos, utrum omnia septem Christus immediate & per se ipsum instituerit, an vero quorumdam instituendorum ministerium Apostolis vel Ecclesiæ commiserit. Dubitandi enim causa videtur, quod „in Scriptura nusquam legimus ubi Confirmationis & „extremæ Unctionis Sacramenta Christus instituerit, „sed utrumque Apostoli potestate sibi à Christo commissa videantur Ecclesiæ tradidisse Act. 8. & Jacobi 5. „Multo minus existimant Ordinem Diaconatus & „Subdiaconatus, & quatuor minores Ordines immediate à Christo fuisse institutos, præsertim quoad singulorum materiam & formam, quarum determinationem, „alterationem, atque mutationem voluit Apostolis, „imo & posteriori Ecclesiæ, prout Fidelium saluti expedire judicarent, fuisse concreditam.„ De hac vero „sententia sic ibidem judicat gravis Theologus: “Hæc „opinio, *inquit*, ut aliquid probabilitatis habeat, majori „tamen probabilitate diversæ sententiæ superatur.„ Probabilem dicit, non ex fide certam sententiam.

Ib. col. 1. B.

ARTICULUS II.

An auctoritas instituendi Sacramenta possit hominibus communicari.

Triplex auctoritas Primaria seu potestatis, excellentiæ, & puri ministerii.

TRiplex à Theologis distinguitur in Sacramentis auctoritas: una primaria & independens, quæ dicitur potestas auctoritatis; altera excellentiæ seu ministerii principalis, quæ Christo competit ratione humanitatis, quæ instrumentum est divinitatis hypostatice conjunctum; tertia denique infima, quæ dicitur potestas puri ministerii, qualis Sacerdotibus data est.

Auctoritas excellentiæ quæ Christo propria est, fundatur in unione hypostatica, atque hæc quatuor includit: 1. quod meritum Christi operetur in Sacramentis, ac primam de condigno gratiam mereatur. 2. quod ad invocationem ejus nominis Sacramenta celebrentur. 3. quod ipse ea instituere potuerit, ac revera instituerit. 4. quod effectum Sacramentorum etiam solo nutu & imperio voluntatis absque Sacramento conferre possit. Ita S. Thomas 3. parte q. 64. art. 3.

Duo porro necessaria sunt ut aliquod institui possit Sacramentum; primum, ut assignetur signum aliquod exterius conveniens; alterum, ut huic signo annexa sit virtus & efficacia conferendi gratiam sanctificantem.

Scotus in 4. dist. 1. q. 3. Gabriel in eandem dist. q. 2. art. 3. dubio 2. Vasquez in 3. partem qu. 64. art. 4. disput. 135. c. 2. docent posse quidem alicui creaturæ communicari facultatem assignandi & determinandi signum exterius sacramentale; at negant posse ipsi ab homine certo assignari vim conferendi gratiam. Alii cum Dominico Soto in 4. dist. 1. q. 5. art. 2. è contra sentiunt, auctoritatem excellentiæ quæ in Christo fuit, posse puris hominibus communicari, non quidem adæquate quantum ad omnes effectus, satisfactionem scilicet infiniti pretii, ac meritum de condigno primæ gratiæ sanctificantis; sed inadæquate, quantum ad institutionem signi cui certo annexa & alligata sit efficax gratiæ collatio.

CONCLUSIO.

Potestas auctoritatis primaria & independens instituendi Sacramenta, nulli puræ creaturæ communicari potest. Ea vero quæ dicitur excellentiæ, & humanitati Christi tanquam instrumento divinitati conjuncto concessa fuit, adæquate quantum ad omnes effectus communicari non potest, sed inadæquate duntaxat.

Probatur prima pars: Quia illa potestas primaria & independens solius Dei propria est, nec ulli creaturæ, quæ essentialiter est ens dependens, potest communicari.

Secunda pars ostenditur: Quia potestas excellentiæ in Christo adæquate sumpta, fundatur in unione hypostatica, præsupponit satisfactionem infiniti pretii, per quam etiam de condigno Christus primam sanctificantem gratiam nobis meruit; at hujusmodi potestas nulli puræ creaturæ potest communicari, ut per se manifestum est.

Tertia denique pars probatur auctoritate sancti Augustini Tract. 5. in Joann. 7. ubi sic loquitur: *Potuit Dominus noster Jesus Christus, si vellet, dare potestatem alicui servo, ut daret Baptismum suum tanquam vice sua, & transferre à se baptizandi potestatem, & constituere in aliquo servo, & tantam vim dare Baptismo translato in servum, quantam vim haberet Baptismus datus à Domino. Hoc noluit ideo, ut in illo spes esset baptizatorum, à quo se baptizatos agnoscerent. Noluit ergo servum ponere spem in servo.* Et paulo post: *Intendite: Potuit hanc potestatem servis dare, sed noluit. Si enim daret hanc potestatem servis, id est, ut & ipsorum esset, quod Domini erat, tot essent Baptismata, quot essent servi.* Hactenus S. Augustinus.

S. Aug. Tom. 3. part. 2. p. 325. A. — Ibid. B.

Ratio est, quia nulla videtur esse implicantia & contradictio aut ex parte hominis, aut ex parte Sacramenti, quod, Deo ita concedente, non tantum possit homo instituere signum exterius, sed etiam ipsi annectere vim producendi gratiam: semper enim ea in hypothesi salva esset dependentia illius hominis à Deo; neque de condigno, sed tantum de congruo ex libera & gratuita Dei acceptatione primam sanctificantem gratiam nobis mereretur. Verum in quæstionibus hujusmodi de re possibili, plus æquo immorandum nobis non est.

QUÆSTIO VI.

De Ministro Sacramentorum.

Duo hic expendemus. Primum, an Minister Sacramentorum activè concurrat tanquam causa instrumentalis ad gratiam sacramentalem. Secundum, an solus & quilibet homo sit Minister Sacramentorum.

ARTICULUS I.

An Minister Sacramentorum activè concurrat ad gratiam sanctificantem.

Quæstio non est, an Minister propria sua virtute interiorem attingat gratiam; certum enim est solum Deum primaria sua auctoritate in nobis interius operari; sed quæstio est, utrum Minister tanquam causa efficiens instrumentalis simul cum Sacramento non tantum remote, sed etiam proxime concurrat ad gratiam sacramentalem.

CONCLUSIO.

Minister Sacramentorum tanquam vera, instrumentalis & materialis causa simul cum Sacramento proximè & activè concurrit ad gratiam sacramentalem.

Probatur: Quia in Sacramento Pœnitentiæ v. gr. Minister verè absolvit à peccatis. *Accipite Spiritum sanctum*, ait Christus Joan. 20. v. 18. *quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Ita statuit Concilium Tridentinum sessione 14. cap. 6. & Can. 3. & 10. In Sacramento pariter Ordinationis, Episcopus per manus impositionem gratiam impertitur. 2. ad Timoth. 1. v. 6. *Admoneo te*, ait Apostolus, *ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum.*

Idem de cæteris Sacramentis quæ Minister dispensat, judicandum.

Ratio est, ait S. Thomas 3. parte q. 64. articulo 1. in corpore, quia *eadem est ratio Ministri & instrumenti*, seu Sacramenti; *utriusque enim actio exterius exhibetur: & sortitur effectum interiorem ex virtute principalis agentis nempe Dei*, Atqui Sacramenta sunt causæ efficaces seu effectrices gratiæ sanctificantis, ergo & eorum Ministri.

Dices 1. Sacramentum Eucharistiæ gratiam communicat cum jam penitus effluxit actio Ministri per quam consecratur: quomodo igitur potest Minister ad illam gratiam active & proxime concurrere?

Resp. Eo in Sacramento Ministrum nonnisi remote ad effectum spiritualem concurrere, quia nempe peculiare est Eucharistiæ, ut non in usu, sed in re permanenti consistat. Unde species consecratæ quæ corpus Christi vere ac realiter sub se continent, per usum & sumptionem gratiam conferunt diu post elapsam Ministri actionem: in aliis vero Sacramentis quæ in actione posita sunt, Minister & Sacramentum unam & eandem habent actionem instrumentalem.

Dices 2. SS. Patres vulgo asserunt Ministros Sacramentorum linguam & manus duntaxat præbere, Deum autem interius mundare, sanctificare &c.

Resp. Non aliud velle SS. Doctores, nisi quod Ministri non sint causæ primariæ sanctificationis, sed ministeriales duntaxat, ac certis adstrictæ legibus. *Quid igitur est Apollo? quid vero Paulus?* ait Apostolus 1. Corinth. 3. v. 4. *Ministri ejus cui credidistis, & unicuique sicut Dominus dedit. Ego plantavi, Apollo rigavit: sed Deus incrementum dedit. Itaque neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus.*

ARTICULUS II.

An solus & quilibet homo sit Minister Sacramentorum.

Communis est omnium sententia, solum hominem, eumque viatorem, idoneum esse posse Sacramentorum Ministrum; an vero Angeli ad hocce ministerium delegari possint, anxiè disputant ex nostris non pauci. Verum, ut jam diximus, in quæstionibus hujusmodi de re possibili, quæ rem nostram Catholicam multum non juvant, inhærendum non æstimamus.

Lutherus cum suis distinguit inter potestatem & usum ministerii. Usum quidem seu functiones sacri ministerii nullum arrogare sibi debere contendit, nisi qui legitime vocatus fuerit; potestatem vero ipsam ministrandi cuilibet homini Christiano per Baptismum inditam agnoscit. *Sacerdos*, ait in Libro ad Pragenses de instituendis Ministris Ecclesiæ, quem dedit anno 1523. *in novo præsertim Testamento non fit, sed nascitur; non ordinatur, sed creatur. Nascitur autem in Baptismo, suntque prorsus omnes Christiani Sacerdotes.* Et inter Propositiones quas Leo X. damnavit, hæc erat, *Ubi non est Sacerdos, æquè potest quilibet Christianus [Sacramenta administrare] etiamsi mulier aut puer esset.* Tom. 14. Conc. p. 392. E. Opusc. p. 736.

Calvinus in Antidoto Concilii Tridentini ad Canonem 10. sess. 7. ita rigide ac severe tuetur eos tantum qui legitime vocati sunt facultatem habere ministrandi Sacramenta, ut nequidem urgente necessitate concedat laicis, præsertim vero fœminis, ut conferant Baptismum.

Firmilianus Cæsareæ in Cappadocia Episcopus Epistola ad sanctum Cyprianum 75. dubitat de veritate Baptismi collati à muliere dæmonibus obsessa. Catholici omnes, excepto Baptismo in casu necessitatis, docent eum solum idoneum esse Ministrum Sacramentorum, qui per legitimam Ordinationem, non tantum usum, sed & potestatem ipsam accepit ea conficiendi.

PRIMA CONCLUSIO.

Solus homo viator idoneus esse potest Minister Sacramentorum.

Probatur ex Scripturis, quæ non aliis quàm hominibus, iisque viatoribus, datam esse à Christo facultatem administrandi Sacramenta, testantur. Solis hominibus

dixit Christus Matth. 28. v. 19. *Euntes docete omnes gentes, baptisantes eos in nomine Patris, & Filii & Spiritus sancti.* Solis hominibus Lucæ 22. v. 19. dixit; *Hoc facite in meam commemorationem.* Solis hominibus Joan. 20. v. 23. dixit: *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Apostolus non alios quàm homines designabat 1. Corinth. 4. v. 1. his verbis: *Sic nos existimet homo ut Ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei.* Et 2. Corinth. 3. v. 6. *Qui nos idoneos Ministros novi testamenti fecit.* Denique Hebr. 5. v. 1. *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in his quæ sunt ad Deum, ut offerat dona & Sacrificia pro peccatis: qui condolere possit iis qui ignorant & errant; quoniam & ipse circumdatus est infirmitate, & propterea debet, quemadmodum pro populo, ita etiam & pro se ipso offerre pro peccatis.* Hæc porto omnia nonnisi in hominem viatorem peccatis & infirmitatibus obnoxium cadere possunt.

Superfluum omnino videtur in re tam facili & obvia testes appellare SS. Patres. Unus sufficiat sanctus Chrysostomus Lib. 3. de Sacerdotio. *Qui terram incolunt*, inquit, *in eaque commorantur, ad ea qua in Cœlis sunt dispensanda commissi sunt, potestatemque acceperunt, quam neque Angelis, neque Archangelis dedit Deus. Neque enim illis dictum est, Quæcumque ligaveritis in terra &c.* To. 1. p. 383. B C.

Quid ergo, inquies, dicendum foret, si Angelus, assumpto corpore visibili, Sacramenta ministraret sicut aliquando contigisse nonnullis proditum legimus Historiis?

Resp. Si certo illud constaret, dicendum foret haud dubiè, voluisse Deum signo aliquo sensibili extra legem ordinariam, gratiam suam alicui concedere. Verum eo in casu non videretur signum illud hoc ipsum esse Sacramentum quod Christus in nova Lege instituit, sed alterius esset conditionis, defectu scilicet Ministri seu causæ conficientis Sacramentum. Quemadmodum si jam Deo placeret noxam originalem non per aquam alicui remittere, sed per aliud quoddam sensibile signum, non diceretur remissum peccatum per Sacramentum quod Christus in hunc finem instituit. Quæ porro referuntur historiæ, seu exempla Angelorum qui nonnullis Sanctis Eucharistiam administrasse narrantur, eo ad summum tendunt, nempe Angelos jam consecratam Eucharistiam detulisse ac dedisse, non vero consecrasse. Firmilianus autem idcirco judicavit nullum esse Baptismum, quem mulier dæmone obsessa dederat, quòd à dæmone ipso illum datum existimabat, qui baptisandi licentiam non accepit.

SECUNDA CONCLUSIO.

Homo quilibet Christianus (si Baptismum excipias in casu necessitatis) idoneus non est Minister Sacramentorum, sed ille tantum qui per legitimam Ordinationem ministerii potestatem accepit.

Probatur 1. ex diversis officiis ac functionibus quæ non omnibus promiscue, sed aliquibus duntaxat hominibus concessæ sunt. Ita testatur Apostolus Ephes. 4. v. 7. "Unicuique, *inquit*, data est gratia secundum "mensuram donationis Christi. *Et v.* 11. Ipse dedit "quosdam Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios "vero Evangelistas, alios autem Pastores & Doctores "ad consummationem Sanctorum in opus ministerii." Quod illustrat familiari comparatione membrorum corporis humani, quorum varius usus est, & actio distincta, servandæ totius humani corporis harmoniæ maximè necessaria. "Si totum corpus, *ait Cor.* 12. *v.* 17. "oculus, ubi auditus? si totum auditus, ubi odoratus? "Nunc autem posuit Deus membra, unumquodque "eorum in corpore sicut voluit. *Et Hebr.* 5. *v.* 4. Nec "quispiam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo "tanquam Aaron.

De potestate vero, non autem de solo usu potestatis, sicut placet Lutheranis, loqui Apostolum, certo constat. Tum quia de ea loquitur potestate quam Apostoli à Christo, & Aaron à Deo acceperant: atqui non usum duntaxat, sed ipsam potestatem, unde legitimus usus nascitur, illi acceperunt. Tum quia id v. 5. confirmat Apostolus exemplo Christi, qui *non semetipsum glorificavit ut Pontifex fieret, sed qui locutus est ad eum, Filius meus es tu, ego hodie genui te.* At Christus potestatem, & quidem plenam ac perfectam accepit.

Denique, si in veteri Lege cuilibet licitum non fuit se sacris immiscere, sed iis tantum qui erant de stirpe Aaron: si tam severe punitus est Ozias Rex, quod quod munia Sacerdotum usurpare ausus fuisset, ipsique constanter resistere fortissimi Sacerdotes: *Non est*, dicebant, *tui officii, Ozia, ut adoleas incensum Domino, sed Sacerdotum, hoc est, filiorum Aaron qui consecrati sunt ad ejusmodi ministerium. Egredere de Sanctuario.* Quanto magis in Lege Christi à sacro ministerio removendi sunt, qui ad illud speciali consecratione non vocantur? L. 2. Paralip. c. 26.

Fuit hæc semper constans ac perpetua Ecclesiæ fides ac praxis. *Ne immisceas rebus Ecclesiasticis*, scribebat Ozias Cordubensis Episcopus ad Imperatorem Constantium, *neu nobis his de rebus præcepta mandes; sed à nobis potius hæc odiscas. Tibi Deus Imperium tradidit, nobis Ecclesiastica concredidit. Ac quemadmodum qui tibi Imperium subripit, Dei ordinationi repugnat; ita metue, ne si ad te Ecclesiastica pertrahas, magni criminis reus fias.* Apud Athan. To. 1. p. 371. A.

Notum est quod in Concilio Alexandrino contigit. Accusatus scilicet in eo fuit Athanasius ab Arianis, quod fregisset calicem qui apud Presbyterum quemdam nomine Ischyram asservabatur; non alia autem meliori ratione accusatores calumniæ ac falsi testimonii convicti fuère, quam quod Ischyras ille, cujus custodiæ calix concreditus dicebatur, verus non esset Presbyter, utpote qui à Collutho Presbytero qui se Episcopum mentiebatur, ordinatus fuisset. Quapropter ipse Collnthus ab Osio cæterisque Episcopis ad priorem Presbyteri Ordinem redactus fuit, ac irritæ & nullæ declaratæ, quas ille attentaverat, Ordinationes, & Ischyras in ordinem laicorum rejectus. Ita narrat sanctus Athanasius Apologia 2. To. 1. p. 193. A.B

Plura ex veteribus monumentis referre hic facile foret; sed ea suis quibusque propriis locis reservamus, ubi nempe de Ministro cujuslibet Sacramenti disseremus.

Fidem Ecclesiæ his verbis declaravit & expressit Concilium Trid. sess. 7. Can. 10. *Si quis dixerit Christianos omnes in verbo & omnibus Sacramentis administrandis habere potestatem, anathema sit.* Tom. 14. Conc. p. 777. D.

Dices 1. Petri 2. v. 9. omnes Christiani appellantur *genus electum, regale Sacerdotium.* Et sanctus Joannes Apoc. 1. v. 6. *Fecit*, inquit, *nos regnum & Sacerdotes Deo Patri suo.*

Resp. distinguo: omnes Christiani sunt Sacerdotes impropriè & metaphoricè, ratione scilicet hostiæ spiritualis quam Deo per preces ac bona opera offerunt, concedo; verè & propriè, ratione Ordinationis seu potestatis consecrandi Eucharistiam, nego. Seipsum exponit sanctus Petrus citato cap. v. 5. *Ipsi*, inquit, *tanquam lapides vivi superædificamini domus spiritualis, Sacerdotium sanctum, offerre spirituales hostias, acceptabiles Deo per Jesum.* Illæ vero spirituales hostiæ opera sunt virtutis & pietatis quæ ad Deum tanquam ad fontem & parentem totius boni referuntur. Et verò Christiani eo ipso modo vocantur à sancto Petro *Sacerdotes*, quo *domus spiritualis*, & *Reges*; sed eos ita per figuram & metaphoram appellari nemo non videt: sunt illi domus spiritualis, quia ad unam familiam cujus caput est Christus, pertinent, mutuo-

que

quæ inter se charitatis vinculo debent colligari : tum Reges , quia suis affectibus dominati , seque à terum terrenarum servitute liberare & expedire tenentur. Pariter igitur sunt Sacerdotes , tum quia in mente sancti Augustini in Psal 94. *Anima nostra est ara Dei.*
To. 4. p. 1021. B. *Sacrificium Dei quid est ? Forte hoc facimus modo, imponimus in ara Sacrificium, quando Deum laudamus.*
To. 7. p. 188. E. Tum quia eodem docente Libr. 20. de Civit. Dei cap. 10. *Sicut omnes Christianos dicimus propter mysticum chrisma, sic omnes Sacerdotes*, quoniam membra sunt unius Sacerdotis, nempe Christi.

Instabis: Christus est *Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedec.* Psal. 109. v. 4. At omnes Christiani sunt fratres Christi ; ergo omnes Christiani sunt Sacerdotes.

Resp. distinguo min. Omnes Christiani sunt fratres Christi per gratiam adoptionis, concedo : per naturam, nego. Non eadem porrò est prærogativa fratrum ex adoptione, quæ fratrum ex natura. Quin & filius primogenitus speciale quoddam habet præ cæteris fratribus privilegium.

Opponi hic posset auctoritas Tertulliani Lib. de Exhortatione castitatis cap. 7. Verum cum hujusce testimonii examen propius spectet tractationem de Ministro Eucharistiæ, illud in eum locum rejicimus.

QUÆSTIO VII.

De conditionibus in Ministro requisitis ut Sacramenta perficiat.

De tribus hic potissimum instituitur controversia nempe de intentione , fide , ac probitate Ministri.

ARTICULUS I.

De intentione Ministri Sacramentorum.

An & quæ in eo necessaria sit ut Sacramenta validè perficiat.

Intentio Ministri est actus voluntatis quo Minister vult facere quod Christus instituit & usurpat Ecclesia.

Necessariam esse in Ministris, *dum Sacramenta conficiunt & conferunt, intentionem saltem faciendi quod facit Ecclesia* , expresse declaravit ac definivit Conc.
To. 14. Conc. p. 777. D. Trid. sess. 7 Can. 11.

Verum quæ qualis illa esse debeat, apertè non declaravit nec definivit ; atque hinc Theologi dubium excitarunt circa sensum istorum Concilii verborum , *faciendi quod facit Ecclesia.* Dubitandi ratio hæc ipsis fuit quod Ecclesia non tantum ritum externum, quem Christus instituit, facit & intendit facere, sed etiam verum Sacramentum , quod sanctificantem gratiam benè præparatis confert , & habet pro fine æternam felicitatem. An vero eorum omnium intentio, sive explicita, sive implicita & confusa , sit in Ministro Sacramentorum necessaria, ut ea validè perficiat aut conferat, controvertitur. Rursus quæritur quænam sit illa Ecclesia, cujus ritum Minister intendere debeat : an Catholica & Romana ; an quælibet Christiani nominis particularis societas, sive Catholica illa sit, sive non; v. g. Ecclesia Lutherana, aut Calviniana Genevensis.

Duo igitur hic sunt controversiæ capita ; unum circa intentionem consideratam ratione objecti ad quod illa fertur ; alterum ratione modi , quo ad illud fertur & tendit ; an scilicet necessaria sit intentio actualis ; vel vel virtualis , aut habitualis & interpretativa sufficiat.

De necessitate intentionis ratione objecti.

STATUS QUÆSTIONIS.

Objectum seu terminus intentionis, illud ipsum est quod Minister intendit seu spectat , cum Sacramenta perficit aut confert ; atque ex sententia Concilii Tridentini , id ipsum est *quod facit Ecclesia* , seu opus, & actio Ecclesiæ.

In actione vero illa distingui hæc ac spectari possunt.

I. Ritus exterior solus ac purè materialis , nulla prorsus attentione facta quod sit ritus Ecclesiæ, nec ulla præsupposita voluntate seu intentione faciendi quod facit Ecclesia.

II. Ritus ille quatenus est ritus Ecclesiæ, quæcumque tandem illa cogitetur, & cum directa voluntate sive explicita sive implicita & confusa generatim faciendi quod facit Ecclesia, abstrahendo ab eo quod sit verum Sacramentum, vel non.

III. Ritus ut est formaliter Sacramentalis , seu ut verum Sacramentum.

IV. Denique , ritus quatenus est causa efficax seu effectiva gratiæ sanctificantis, & tendit ad æternam felicitatem tanquam ad finem.

Circa quæ variæ fingi potest hypothesis Ministri ritum externum Ecclesiæ v. g. ablutionem in Baptismo usurpantis. Variæ hypotheses. Prima hypothesis.

Prima est , si Minister vel per jocum & irrisionem externam ac manifestam , ut solent mimi & histriones, ritum hunc non serio facere , sed fingere ac repræsentare vellet : vel si de ritu Ecclesiæ nihil plane cogitans , in balneo v. gr. positus , aquam supra puerum effunderet cum verbis consuetis , ad sordes corporis eluendas : vel si serio exterius ac in debitis circumstantiis materialem & externum Christi & Ecclesiæ ritum debite observaret , intus vero & animo intentionem suam suspenderet ac cohiberet , aut etiam contrariam gereret , diceretque tacitus apud se, Nolo ritum Ecclesiæ perficere imo contrarium intendo ; & volo tantum ritum illum exterius , quamquam apparenter serio , fingere , simulare , repræsentare. In priori casu homo non intendit facere ritum etiam externum Ecclesiæ , sed eum duntaxat fingere, simulare ac nude repræsentare ; atque irrisio , jocus ac fictio exterius aperta est ac manifesta , nec ratum ac validum est Sacramentum. In secundo casu homo nullatenus intendit facere ritum Ecclesiæ formaliter ut est ritus Ecclesiæ , sed pure materialiter & ad finem valde diversum ab eo quem sibi Ecclesia proponit ; nec etiam eo in casu valet Sacramentum. In tertio casu fictio ac irrisio est occulta , interna ac latens , quæ in primo aperta est , externa & manifesta ; neque aliud inter utramque hypothesim discrimen occurrit , nisi quod in prima est irrisor manifestus, in altera irrisor occultus. Cum enim in hac tertia hypothesi Minister exterius serio ritum Ecclesiæ peragit , intus tamen & apud se ait , Nolo facere ritum Ecclesiæ, seu id quod facit Ecclesia ; quid , rogo intelligi potest per illud , *Nolo facere ritum Ecclesiæ* ? An ritum externum Ecclesiæ ? non ita certe , siquidem illum serio peragit & exercet : quis autem sanæ mentis vigilans facit , quod facere non intendit ? ait apposite Catharinus mox laudandus. Ergo cum ille in adducta hypothesi ait se nolle facere quod facit Ecclesia , non alius sensus ac mens illius esse potest , quam quod vel nolit facere ritum Ecclesiæ quatenus formaliter Sacramentum , aut productivum gratiæ sanctificantis ; vel reipsa nolit illum ritum facere , sed simulare duntaxat , fingere ac repræsentare : quorum primum à Theologis non exigitur ; alterum vero falsum est , & errore Novatorum in hoc uno distat , quod irrisio , cum qua stare verita-

tem Sacramenti Novatores arbitrantur, sit exterior & manifesta, hic vero interna sit, occulta & latens.

Secunda hypothesis. Secunda hypothesis est, si Minister externum Christi & Ecclesiæ ritum non tantum seriò exteriùs, sed intùs & animo vellet observare, non tamen verum perficere Sacramentum, sive ex malitia, ut hominem Sacramento defraudet, sive ex errore, quia non credit ritum hunc verum esse Sacramentum.

Tertia hypothesis. Tertia hypothesis est; si Minister ritum hunc seriò tum internè, tum externè vellet observare, etiam ut verum Sacramentum, non intenderet tamen effectum vel finem Sacramenti.

Intentio externa & interna variè explicatur. Atque hinc nata celebris in præsenti argumento distinctio intentionis externæ & internæ, quæ cum non uno modo ad omnibus intelligatur & explicetur, paulò involuta & obscura evasit præsens inter Theologos disceptatio.

Sunt qui externam intentionem appellant eam qua Minister externum Christi & Ecclesiæ ritum serio ac simpliciter vult observare, non tamen verum perficere aut conferre Sacramentum; sive (ut dictum est) ex malitia, sive ex errore. Internam è contra eam dicunt, per quam Minister non tantùm ritum Ecclesiæ externum, sed etiam ipsum ut formaliter sacramentalem, seu ut verum Sacramentum serio intendit perficere: hoc sensu admittenda est intentio externa, interior vero rejicienda.

Sunt quibus intentio externa ea videtur esse quæ ad opus dumtaxat Ecclesiæ externum, unde nomen sumpsit, serio exterius usurpandum refertur, tametsi Minister intus & animo non intendat ritum Ecclesiæ facere, sed intentionem suam aut retineat, aut etiam contrariam gerat; unde eo in casu necesse est ut Minister, qui exterius serio ritum Ecclesiæ peragit, intus dicat, Nolo illum reipsa facere, sed tantum fingere, simulare, ac nudè repræsentare. Nisi res ita sit, modus ille exponendi externam intentionem vanus ac illusorius est, ac in meram recidit de nomine quæstionem, ut paulò ante ad primam hypothesim observavimus.

Rectiùs igitur, nostro quidem judicio, nomine intentionis externæ ea intelligitur, per quam minister exterius & quidem serio ac in debitis circumstantiis externum Ecclesiæ opus perficit, tametsi intus & animo statuat illud non perficere, sed tantum fingere ac simulare. Interna vero ea dicitur, per quam minister non tantum serio exterius, sed etiam intus & animo vult simpliciter ac generatim facere, quod facit Ecclesia, quidquid tandem ille sentiat de Sacramento, vel ejus effectu ac fine, & de Ecclesia ipsa; sive enim ea omnia rejiciat, sive admittat, perinde est ad substantiam Sacramenti, modo velit serio intus & apud se facere quod facit Ecclesia; error quippe privatus nocere non potest generali Ecclesiæ intentioni, nec consequenter obstare veritati ac valori Sacramenti. Inde est quod hujusmodi intentio appellari soleat intentio generalis & publica Ecclesiæ, seu ministerii, quam habere Minister præsumitur, quoties serio & ut Ministrum Ecclesiæ decet, in debitis circumstantiis ritum sacrum observat & facit, quem Christus instituit & usurpat Ecclesia.

Non est igitur hic quæstio, utrum ad valorem Sacramenti necesse sit Ministrum velle facere Sacramentum; aut ritum externum quatenus formaliter sacer est, religiosus ac sacramentalis; aut ejus effectum producere; aut etiam ut veram & Catholicam Ecclesiam agnoscat; certum etenim est, quod subinde demonstrabitur, valere v. g. Baptismum, à Pagano, vel Judæo, vel Hæretico collatum, quamvis hæc omnia rejiciat & irrideat.

Quæstio pariter non est, utrum qui serio ritum externum ac materialem Ecclesiæ observat, intentionem debeat habere illum saltem materialiter faciendi: nemo enim sanæ mentis vigilans facit, quod facere non intendit.

Tota igitur præsens controversia eo delabitur, utrum fictio ac simulatio Ministri Sacramentorum non tantum externa & apparens, ut volunt Novatores, sed etiam interna & occulta, ut nonnulli ex nostris sentire videntur, stare ac conciliari possit cum veritate substantiali Sacramentorum.

Sententia Novatorum de intentione Ministri Sacramentorum.

Existimant communiter nostri Theologi nec immerito, Novatores eam in Ministro Sacramentorum intentionem tanquam necessariam negasse, quam asseruit ac definivit Synodus Tridentina; adeoque valere apud ipsos Sacramentum quod Minister per jocum & irrisionem non tantum internam ac latentem, sed etiam externam ac manifestam, perficit aut confert. Errorem hunc præseferunt ista Lutheri verba in Libr. de Captivitate Babylonica: *Non dubitem*, inquit, *si quis in nomine Domini susceperit, etiamsi impius Minister non det in nomine Domini, vere baptisatum esse in nomine Domini: non enim in conferente tantum, quantum in suscipientis fide, vel usu sita est virtus Baptismi, sicut legitur exemplum de quodam Mimo per jocum baptisato.*

Et in art. 12. eorum quos Leo X. damnavit; *Si Sacerdos*, inquit, *non serio, sed joco absolverit, si tamen credat se esse absolutum, verissime absolutus est.* *To. 14. Conc. p. 392. E.* Ea his manifesta videtur Lutheri mens atque sententia; nimirum ratum ac validum esse Sacramentum etiam mimicè per jocum & irrisionem externam collatum.

Duram hanc Lutheri sententiam verbo tenus temperare ac emollire voluerunt Calvinus, & Chemnitius ipse Lutheranus; nec aliam, si eorum verbis stemus, in Ministro Sacramentorum intentionem plane necessariam rejicere videri volunt, præter eam quam ab omnibus nostris Theologis & à Concilio ipso Tridentino admissam illi falsò existimabant, eam nempe internam ac privatam qua Minister effectum & finem Sacramenti, ipsumque ritum externum Ecclesiæ formaliter ut Sacramentum est expressè velit & intendat. An vero excludant illi jocum & fictionem purè internam, de qua diximus, non ita certum & exploratum est apud omnes.

Calvinus in Antidoto Conc. Trid. sess. 7. Can. 11. *Opusc. p. 716.* sic loquitur: *Quod de intentione consecrandi garriunt, à Sophistis nulla probabili ratione fuit proditum... Ego vere sacrosanctæ Christi institutioni tantum defero, ut si Epicureus quispiam, intus totam actionem subsannans, mihi Cœnam ex Christi mandato & secundùm regulam ab eo datam rituque legitimo administret, non dubitem panem & calicem illius manu porrecta, vera mihi esse corporis & sanguinis Christi pignora.* Loquitur quidem ibi Calvinus de Epicureo qui intus irridens ac subsannans Sacramentum, illud tamen exterius ritu legitimo conferret: at incertum ac dubium nonnullis videtur, ad quid tendat & terminetur illa irrisio & fictio Epicurei; an ad substantiam ipsam Sacramenti, quam fingere tantùm velit, non facere; an tantum ad effectum & finem Sacramenti, quæ duo valde discrepant: postrema quippe intentio non requiritur; prima vero Sacramentum nullum & irritum facit.

Paulo clarius rem explicare videtur Chemnitius in examine Concilii Tridentini par. 2. ad Canonem 11. sess. 7. *Pa. 31. col. 1. Edit. Franc. an. 1578.* "Non hoc, *inquit*, vult institutio Baptismi, ut "fiat vulgaris aliqua lotio, vel quæ ex professo nihil "aliud sit, vel quàm ridiculus lusus vel mimica sub"sannatio, vel prophanatio institutionis cum recitatio"ne verborum: sed requirit, ut peculiaris instituatur

actio

"actio, & quidem illa actio, quam Christus instituit; "& hoc sufficit ad servandam institutionem. Quid vero "in corde de illa actione sentiat is, qui administrat Ba- "ptismum, hoc ad veritatem sive integritatem Baptis- "mi non pertinet." Patet ex his verbis, Chemnitium asperitatem sententiæ Lutheri emollire voluisse.

Reprobat ille quidem fictam & mimicam exteriùs ac apparenter Sacramenti administrationem, qualem Lutherus approbasse videtur; atque contendit necesse esse ut Minister inter baptisandum, non vulgarem seu propharam lotionem intendat facere, sed eam quam Christus instituit. Verum ambigitur an istiusmodi & fictionem internam ille rejiciat, vel non.

2. col. Ibidem nostrorum Theologorum sententiam mala fide refert & adulterat: "Docuerunt, ait, ad veritatem "Baptismi requiri non tantum formam institutionis, "verum etiam intentionem Ministri, eamque non tan- "tum respectu actus baptisandi, ut objecti, sed etiam "respectu effectus Baptismi, qui est ejus finis & termi- "nus. Ideo tria ponunt, baptisationem, verba, & inten- "tionem; & illa tria sentiunt simul requiri ad verita- "tem integritatem Baptismi, ita ut neutrum sine altero "sufficiat." Verum fallitur ac nobis imponit Chemni- tius. Intentionem quidem requirunt Orthodoxi, sed non respectu effectus Baptismi, ut ille dicit; sed tan- tum respectu actus baptisandi, ut objecti. Quod si hoc unum vellent Novatores; necessariam non esse inten- tionem effectus Sacramenti, sed tantum ritus sacramen- talis quem Minister intus & animo intendit facere, non vero tantum fingere ac simulare, non esset profe- cto quod hac in parte eos reprehenderemus.

Marcus Antonius de Dominis L. 5. de Republica Ecclesiastica cap. 12. ad sensum Chemnitii accedere vi- detur, cum docet n. 12. non ipsius Ministri (privatam scilicet) sed Ecclesiæ [publicam] requiri intentionem. "Hæc enim, inquit, actionem dirigit, non præsens in- "tentio ministrantis. Et nu. 13. addit, externam actio- "nem v.g. lotionem in Baptismo, à prophana ad sa- "cram determinari, non ex sola invocatione Trinita- "tis, neque ex intentione (privata) Ministri, quæ ne- "cessaria non est, sed ex intentione Ecclesiæ; ex peti- "tione eorum qui non lotionem simplicem postulant; "ex loco, quia in Ecclesia; ex tempore, ex tot circum- "stantiis personarum, susceptorum &c." Cum ait de Dominis non requiri privatam Ministri intentionem, non satis constat quid ipse intelligat. Si enim hoc unum vult, privatam Ministri intentionem, tametsi perver- sam, non officere veritati Sacramenti, ultro annuimus, si aliunde Minister generatim ac serio velit facere quod facit Ecclesia, non autem fingere ac simulare. Ergo de Dominis vel negat omnino cum aliis Novatoribus, re- quiri Ministri intentionem faciendi quod facit Ecclesia, vel eam sufficientem credit, qua Minister serio exterius ritum Sacramenti usurpat, licet intus & animo eum non facere sed tantum fingere ac simulare velit, quod in idem plane recidit, ac pariter doctrinæ Catholicæ adversatur.

Eodem prorsus modo cum Chemnitio & de Domi- nis Novatorum sententiam exponunt recentiores Cal- vini discipuli. Ludovicus le Blanc in Thesibus Seda- nensibus jam citatis, pag. 798. postquam multa ex suis & ex nostris Theologis testimonia tulit n. 31. ait, ma- nifestum esse sententiam Protestantium à Catharini sententia in hac quæstione nihil quoad rem ipsam dif- ferre; ac proinde defendi posse, eorum hac in parte do- ctrinam in ipso Concilio Tridentino non esse damna- tam.

Verum, quidquid tandem hic ad fucum faciendum obtendant Novatores, ex eorum placitis clarè infertur, nullam ab ipsis admitti debere necessitatem intentionis in Ministro Sacramentorum faciendi quod facit Eccle- sia. Cum enim doceant Sacramenta justificare, qua- tenus repræsentando promissiones Christi excitant fi- dem suscipientium, & independenter ab intentione illam vim ipsis inditam putent ex Christi institutione; quacunque intentione administrentur, serio, vel lu- dicre, nihil refert, quia ad excitandam fidem apta esse non desinunt. Rationem reddit Chemnitius loco mox citato, ex paritate verbi quod prædicatur. Quemad- modum enim verbum Evangelii prædicatum sine ulla intentione esse verbum Evangelii non desinit, & qui ei assentitur justificatur, quantumvis perversam tam in- teriorem quàm exteriorem, vel etiam nullam habeat intentionem Minister; ita neque desinit esse Sacramen- tum, modo applicetur forma materiæ, tametsi absque intentione recta applicetur, sed contra cum perversa tum interiori, tum exteriori, vel etiam nulla. Cum nullam dico, eam dumtaxat intelligo quæ refertur ad ritum ut Ecclesiæ ritus est; non eam, quæ ad opus ex- ternum ac pure materiale terminatur, quæ semper ad- est, quoties Minister sciens & volens operatur.

Talem revera esse Novatorum sententiam, demon- strat manifeste vel ipse Chemnitius loco jam cita- to: *Ministrum, inquit, qui animo prophano, irrisorie, negligenter & irreverenter, Sacramenta tractat, pecca- re non est dubium: sed hæc Ministri vitia, si tamen Sacramenta juxta Christi institutionem administrat, non possunt Dei veritatem irritam facere; non enim ad substantiam & veritatem Sacramenti pertinet vel qualitas, vel fides, vel devotio Ministri.* Audis in- tentionem Ministri, sive interna illa sit, sive externa, non obstare veritati Sacramenti. Porro vix intelligi- tur qui fieri possit, ut Minister serio velit ritum Christi & Ecclesiæ perficere, quem intus subsannat & irridet: profecto Minister ille eo in casu non vult ritum illum facere, sed dumtaxat repræsentare ac simulare; ergo non eam habet, quam Ecclesia. P. 33. 2. col.

De sententia Catharini & nonnullorum alio- rum Catholicorum.

Ambrosius Catharinus insignis ex Ordine Prædica- torum Theologus, qui Sessioni 7. Concilii Tridentini an. 1547. interfuit, Minorensis primum Episcopus, de- inde ad Archiepiscopatum Compsæ in Italia à Julio III. S. Pontifice promotus, Opusculum edidit ac promul- gavit de intentione Ministri, sedentibus adhuc Patri- bus Tridentinis, in quo sic loquitur. *Dicendum quod intentio Ministri dicitur esse in hoc, ut intendat face- re quod Christus & Ecclesia facit, etiamsi nihil ipse credat fieri.* Et paulo post: *Ponamus, inquit, Mini- strum omnia exteriùs facere quæ jubet Ecclesia, intus autem aliud servare in animo, ita ut intendat deriso- rie baptisare.* Hac facta hypothesi, quærit, an com- pletum dici possit Baptismi Sacramentum, tum con- cludit his verbis: "Non alia intentio Ministri requiritur, "nisi ut intendat exterius facere quod facit Ecclesia, "quamvis ipse neque credat esse Ecclesiam, neque ul- "lum Baptismi spiritualem effectum, sed satis est ut in- "tendat facere quod Ecclesia jubet per Ministros fieri; "namque quod illa per Ministros facit, ipsa facere in- "telligitur. Quid ergo facit Ecclesia per Ministros ba- "ptisando? nisi quod legitima utitur materia, adhibens "suam verborum formam: hoc igitur si facit Minister, "profecto illud facere intendit, si sit mente sanus. "Quis enim vigilans faciat aliquid quod facere non in- "tendat? &c. Verba Catharini.

Laudatur pro eadem sententia Robertus Pullus, Sen- tentiarum par. 5. cap. 15. Petrus Pictaviensis Sentent. parte 5. cap. 8. Petrus Lombardus Libr. 4 Sentent. dist. 27. Paludanus in 4. dist. 6. qu. 2. Angelus de Cla- vasio, seu Auctor Summæ Angelicæ, verbo, *Baptismus,* cap. 5. paragr. 7. Sylvester in Summa, verbo, *Baptis- mus,* titulo 3. Alphonsus Salmeron celebris inter pri- mos

mos Societatis Jesu Theologos, qui in Concilio Tridentino jussu Pauli III. Theologi partes agebat Commentarium in Epistolas sancti Pauli 3. parte disput. 2. Joannes Martius Scribonius Gallus, in Panalithia, seu Summa Theologiæ disput. 1. de Sacramentis in genere quæst. 6. & 7. ubi multis momentis ac rationibus sententiam illam confirmat, quas refert ac refellit Cardinalis de Lugo de Sacramentis disput. 7. sectione 3. inter recentiores Contensonius, Juenius &c.

Declarat antea citatus Ludovicus le Blanc Calvinianos, se ac suos non aliam quàm Catharini sententiam hic propugnare.

Bellarminus Lib. 1. de Sacramentis in genere capit. 27. asserit hanc Catharini & aliorum sententiam proximè accedere ad errorem Novatorum, *à quo non differt, nisi quia Catharinus in fine Opusculi subjecit se Apostolicæ Sedi, & Concilio; Novatores autem rident utrumque.* To. 3. p. 19. A.

Idem fere est de hac Catharini sententia Cardinalis de Lugo judicium, loco mox citato, sect. 2. Quamvis enim fateatur *sententiam illam non ita aperte comprehensam esse definitionibus Conciliorum, sicut comprehenditur Lutheri & aliorum Hæreticorum error ..... meritò tamen censetur ab errore damnato non multum distare, & ideo meritissimè*, inquit, *ab omnibus Theologis rejecta sit.* P. 215. & 216.

Attamen, pace illorum Eminentissimorum Theologorum dixerim, Catharini sententiam erroris suspectam videri non debere: tum quia Opusculum suum sub oculis Patrum Tridentinorum edidit ac evulgavit, nemine redarguente ac contradicente. Quod Opusculum illud de intentione Ministri, simul cum aliis ejusdem Auctoris Operibus Romæ anno 1552. Typis editum fuit ab Antonio Baldo Cameræ Apostolicæ Typographo. Tum quia testatur Cardinalis Palavicinus L. 9. cap. 6. Historiæ Concilii Tridentini, *Catharini sententiam Patribus suspectam non fuisse, nec illis fuisse in animo eam proscribendi.* Et Lib. 12. cap. 10. postquam retulit verba Concilii Tridentini sess. 14. cap. 6. addit, *censuisse haud esse expunctam sententiam Catharini, aliorumque Theologorum opinantium, Sacramento, quo ratum sit, sufficere in Ministro voluntatem serio agendi; & obesse tantum jocum quem Sacramentum suscipiens cognoscere possit.* To. 2. p. 28. Ibid. p. 328.

Et reipsa nusquam docuit Catharinus, ratum ac validum esse Sacramentum, quod Minister perficit vel per jocum & fictionem externam, vel etiam internam, quæ ad Sacramenti substantiam terminetur; ita ut Minister serio interius non intendat facere ritum Christi & Ecclesiæ, sed eum duntaxat fingere ac simulare. Non rejicit itaque Catharinus intentionem internam operis externi Ecclesiæ, sed tantum finis seu effectus Sacramenti, aut ritus externi sub formali ratione Sacramenti: unde jocus ille ac irrisio Ministri, de qua Catharinus, non ipsam spectat Sacramenti substantiam, sed ipsius vel effectum & finem, vel formalem rationem Sacramenti. *Non alia*, inquit, *intentio Ministri requiritur, nisi ut intendat exterius facere quod facit Ecclesia, quamvis ipse neque credat esse Ecclesiam, neque ullum Baptismi spiritualem effectum.* En intentio, quam Catharinus necessariam non putat, quæ nempe terminetur aut ad effectum spiritualem Baptismi, aut ad puram de Ecclesia & de Sacramentis fidem atque doctrinam; non eam interiorem quæ spectat Sacramenti substantiam. Quapropter vel ipsemet de Dominis (quamquam ipsius interesset Catharinum ad se trahere) candidè nihilominus agnoscit Lib. 5. de Republica Ecclesiastica cap. 11. n. 13. *Eum requirere intentionem faciendi actum externum, ut sacrum, & non ut simpliciter prophanum. Ego tamen*, pergit de Dominis, *ne in hoc quidem intentionem Ministri video necessariam.*

Quin & ipsemet Bellarminus loco citato hunc Catharini sensum non obscurè subindicat. Referens enim ejus opinionem, ait: *Duplicem distinguit intentionem, unam faciendi simpliciter actum externum quem facit Ecclesia; alteram faciendi actum externum non simpliciter, sed ut sacramentalem, sive animo celebrandi mysterium quod Christus instituit, & Ecclesia celebrat. Et quidem priorem intentionem ait requiri, posteriorem negat.* Ergo, vel ipsomet judice Bellarmino, intentio quam Catharinus negat esse necessariam, ea est quæ terminatur vel ad effectum & finem Sacramenti, vel ritum externum Ecclesiæ, quatenus formaliter est Sacramentum; non ea vero quæ terminatur simpliciter ad ritum externum Ecclesiæ, quem Minister serio vult celebrare, non autem fingere tantum ac simulare. Ita sententiam Catharini exponit Vasques in 3. par. S. Thomæ disp. 138. cap. 2. To. 3. p. 49. A.

Non alius videtur esse Salmeronis sensus. Ipse siquidem privatam duntaxat ac particularem excludit Ministri intentionem, *qui* (sunt ejus verba) *aut nihil credit eorum quæ facit, aut derisorie facit* (nempe exterius) *aut contrariam habet intentionem non conferendi Sacramenta, aut eorum effectus.* P. Ant. Colon. 1604. To. 3. p. 186. col. 2.

Inter decem quas exponit opinionis suæ rationes, octava hæc est: *Si*, inquit, *ad essentiam Sacramenti facit Ministri intentio, quomodo aut Hæreticus, aut Judæus, aut Paganus validum & verum Baptismi Sacramentum ministrare possunt? Nam illorum permulti aut Baptismum, aut ejus effectum pernegant.* Nonam rationem repetit ab exemplo illius, qui se liberè ritui externo Ecclesiæ subjicit, ac baptisatur, tametsi putet ritum illum omni fructu spirituali vacuum esse ac destitutum: quæ duo Salmeronis momenta clarè indicant, non aliam ab illo intentionem rejici, quàm eam, quæ aut ad effectum Sacramenti, aut ad Sacramentum ipsum formaliter sumptum refertur ac terminatur. Ibid. p. 188. col. 2.

Si qui sint inter nostros Theologos qui Catharini & Salmeronis mentem aliter interpretentur, ac existiment satis esse ad veritatem Sacramenti, quod Minister serio exterius ritum Ecclesiæ observet, tametsi intentus nolit illum reipsa facere, sed tantum simulare ac fingere, eos rejicimus, eorumque sententiam ab errore Novatorum damnato vix distare arbitramur. His præmissis sit.

PRIMA CONCLUSIO.

Ad veritatem & integritatem substantialem Sacramenti necessaria est interna Ministri intentio, qua velit non fingere ac simulare, sed verè ac serio facere simpliciter ac generatim saltem id quod facit Ecclesia.

Qui ergo serio exterius ritum Ecclesiæ perficeret, intus tamen & animo intentionem suam retineret, vel gereret contrariam, nec vellet apud se ritum illum Ecclesiæ reipsa facere, sed tantùm simulare, is verum non perficeret Sacramentum; tametsi quoad Ecclesiam, quæ de occultis non judicat, ratum ac validum præsumeretur.

Probatur 1. ex Scriptura in qua ita supponuntur Sacramenta instituta à Christo, ut voluerit ea fieri dependenter ab intentione Ministri. *Sic nos existimet homo*, ait sanctus Paulus 1. ad Corinth. 4. v. 1. *ut Ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei.* Dispensator autem ac Minister fidelis, debet id velle facere, quod vult ille cujus est Minister. Quid vult autem Christus Sacramentorum auctor, dum Ministris suis facultatem concedit dispensandi sua Sacramenta? ut baptisent, peccata remittant, orent ut remittantur; ut Eucharistiam in memoriam Christi perficiant: ut

vinculo

vinculo conjugali contrahentes in Domino conjungant; ut Ministris, qui ordinatur, potestatem conferant Ordini quem recipiunt consonam ac congruentem &c. An porro vere baptisare dicendos ille est, qui non vult baptisare, sed Baptismi ritum fingere? An peccata remittere, qui ea remittendi animum non habet? An vere orate qui ab oratione animum gerit longe alienum? An Eucharistiam in memoriam Passionis Christi celebrare, & in persona Christi verba ista pronuntiare, *Hoc est corpus meum*, qui verba hæc pure materialiter pronuntiet, nec id intendit facere quod Christus fecit? An potestatem Ministris qui ordinantur conferre, quibus eam conferre non vult? An denique contrahentes conjugali vinculo ligare, qui dissentit nec vult ligare, maxime si, ut multis placet, contrahentes ipsi sint Ministri Matrimonii? Certum quippe est, nullum & irritum esse coram Deo Matrimonium quod fit sine mutuo & interiori contrahentium consensu. Ita declarat Innocentius III. cap. *Tua nos*, de Sponsalibus &
P.1439. n.50. Matrimonio. *Quid juris*, inquit, *rescribentes dicimus, quod si res ita se habet, videlicet quod ille eam non proposuit ducere in uxorem, nec unquam consensit in talem sponsam, non debet ex illo facto conjugium judicari, cum in eo nec substantia conjugalis contractus, nec forma contrahendi conjugium valeat inveniri: quoniam ex altera parte dolus solummodo adfuit, & defuit omnino consensus sine quo cætera nequeunt fœdus*
P.1465. n. 20. *perficere conjugale.* Ex cap. *Tuas*, de sponsa duorum: *Si solus consensus defuerit, cætera etiam cum ipso coitu celebrata frustrantur.*

Probatur 1. Conclusio auctoritate Martini V. Leonis X. Eugenii IV. & Concilii Tridentini.

Martinus V. Constitutione quæ legitur ad calcem Concilii Constantiensis, inter articulos de quibus jubet suspectos in fide interrogari, hunc recenset;
To. 12. Conc. p. 269.E. „Utrum credant quod malus Sacerdos cum debita materia & forma, & cum intentione faciendi quod facit „Ecclesia, vere absolvat, vere baptiset, & vere conficiat alia Sacramenta?

Eugenius IV. in Decreto seu Instructione Armenis
To. 19. Conc. p. 535.A. data; "Omnia, *inquit*, Sacramenta tribus perficiuntur, „videlicet rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, & persona Ministri conferentis Sacramentum „cum intentione faciendi quod facit Ecclesia: quorum „si aliquod desit, non perficitur Sacramentum.

Leo X. in Bulla contra errores Lutheri, hunc duo-
To. 14. Conc. p. 391.E. decimum articulum damnat: "Si per impossibile confessus non esse contritus, aut Sacerdos non serio sed „joco absolveret, si tamen credat se absolutum, verissime est absolutus.

Ibid. p. 777.D. Concilium Tridentinum sess. 7. Can. 11. "Si quis „dixerit in Ministris dum Sacramenta conficiunt & „conferunt, non requiri intentionem saltem faciendi „quod facit Ecclesia, anathema sit.

Ibid. p. 819.E. Et sess. 14. c. 6. ait illum fore "salutis suæ negligentissimum, qui Sacerdotem jocose absolventem „cognosceret, & non alium serio agentem sedulo re„quireret.

Ibid. p. 825.A. Et Can. 9. ejusdem sess. sic statuit: "Si quis „dixerit, absolutionem sacramentalem Sacerdotis „non esse actum judicialem, sed nudum ministerium pronuntiandi & declarandi remissa esse peccata „confitenti, modo tamen credat se esse absolutum, aut „Sacerdos non serio, sed joco absolvat.... anathema sit.

Ex quibus sic arguimus.

I. Requiritur intentio faciendi quod facit Ecclesia: sed qui in animo statuit exterius duntaxat fingere ac simulare quod facit Ecclesia, ille profecto non habet intentionem faciendi, sed tantum simulandi id quod Ecclesia facit; ergo non habet intentionem necessariam quam Ecclesia exigit: Ecclesia quippe exigit intentionem faciendi, non simulandi tantum nec fingendi.

At, inquies, nonne supponitur ille serio exterius ritum Ecclesiæ perficere? ita fateor: et quomodo perficit? pure materialiter. Nonne mimus seu histrio in theatro ritum Ecclesiæ mere externe ac materialiter etiam repræsentat? An Sacramentum verum perficere dici potest? non puto; solus id assereret Hereticus. Nullum porro aliud inter utrumque discrimen hic occurrit, nisi quod histrio apertus sit ac manifestus irrisor, Minister vero, in hypothesi adducta, irrisor sit latens & occultus; & quamdiu irrisio ejus latuerit, pro rato haberi debet in tribunali Ecclesiastico Sacramentum quod contulit; Ecclesia enim de occultis non judicat. Quod si fictio & irrisio, reo ipsam declarante ac confitente, cognoscatur, judicabit pro sua prudentia Episcopus, qui facto sit opus.

II. Particula ista, *saltem*, qua utitur Concilium, tacite quidem innuit optimam esse optandam in Ministro intentionem faciendi verum Sacramentum; at ostendit etiam absolute sufficere intentionem simpliciter ac generatim faciendi quod facit Ecclesia, quæcunque tandem sit privata ipsius de Ecclesia, vel de Sacramento ejusque effectu & efficacia, opinio.

III. Præter materiam & formam Sacramenti à Ministro usurpatam, Ecclesia exigit ejus intentionem, ut nempe intendat ac velit facere quod ipsa facit. At frustra profecto id exigeret Ecclesia, si intentio hæc mere externa foret, non vero interna. Quid ita? quia in principiis adversæ sententiæ, intentio externa separari non potest ab actione quæ materiam Sacramenti cum forma serio exterius conjungit; ergo frustra & in vanum, præter materiam & formam Sacramenti, Ecclesia exigeret intentionem Ministri. Exigit tamen: quare? quia necessaria prorsus existimat illam specialem & interiorem intentionem distinctam ab illa externa quæ ab illa externa quæ ab applicatione materiæ & formæ sacramentalis separari nunquam potest.

Non ita est, inquies, abesse enim potest & reipsa debita intentio abest ac desideratur, quando ritus externus ac materialis Ecclesiæ per jocum & irrisionem externam ac manifestam exercetur. Recte quidem: at cum jocus & irrisio interna est, non minus abest illa intentio; sit externa, vel interna fictio & irrisio, semper verum dictu est, Ministrum non intendere interius facere ritum Ecclesiæ, sed tantum velle illum simulare ac fingere; declaratio enim seu manifestatio fictionis ac irrisionis, non addit actioni specialem defectum, sed tantum supponit ac exterius illum prodit; ergo tam interna, quam externa fictio ac fallacia reipsa veritatem Sacramenti destruit.

Ita esse vel ipsimet adversarii fateri coguntur. Concedunt enim Ministrum qui externos Ecclesiæ ritus peragit, non esse censendum, eam, quæ necessaria est, habere intentionem, si dum ritus illos peragit, aliquid faciat exterius quo significet se oppositam ritui gerere interius voluntatem. Id certe concedere tenentur adversarii, nisi velint incidere in errorem Lutheri, qui dicebat, Sacramentum ab ebrio per jocum & irrisione collatum ratum ac validum esse; contra quem Synodus Tridentina declarat, necessariam esse intentionem faciendi quod facit Ecclesia. At si istud admittant, non satis perspectum est, quo sensu affirment, Ministrum, qui serio exterius ritum Ecclesiæ peragit, habendo simul interius contrariam ritui qui peragitur intentionem, quam non detegit, esse præsumendum gerere intentionem faciendi quod facit Ecclesia.

IV. Synodus Tridentina monet eum salutis suæ negligentissimum fore, qui Sacerdotem joco se absolventem cognosceret, & alium serio agentem non requireret; ergo Synodus supponit velut certam, absolutionem jocose ac ficte datam, esse nullam & irritam: atqui jocosa est, ficta & irrisionis plena absolutio, quam Sacerdos exterius quidem pronuntiat, sed intus & animo intendit eam vere non conferre, sed tantum fingere.

Nec est quod reponas, Concilium loqui de joco externo & manifesto. Fateor; neque id mirum videri debet: namque adversùs jocum manifestum præmunire duntaxat voluit ac potuit pœnitantes, non adversus eum qui latet & ignoratur, de quo judicare Ecclesia non potest.

At vitium absolutionis per jocum etiam externum datæ, non ex ipsa præcisè fictionis seu joci declaratione nascitur, (ut enim mox diximus, declaratio illa vitium supponit ac prodit, non facit) sed ex defectu debitæ intentionis; atqui defectus ille occurrit quoties Minister ritum externum ac materialem Ecclesiæ etiam serio exterius observat, intus tamen non intendit observare, sed simulare.

Quemadmodum autem ubi actio externa in debitis circumstantiis fit, merito præsumi debet eam cum debita intentione factam esse, nec ullum circa veritatem Sacramenti dubium movendum est; ita quoque cum eadem actio externa in iis circumstantiis fit, in quibus à sapientibus Ministris fieri non solet, jure præsumitur nullam adesse seriam ac veram ministerii Ecclesiastici adimplendi voluntatem, adeoque nullum his in casibus judicatur esse Sacramentum. V. g. si quis Sacerdos inter confabulandum cum amicis eorum alicui diceret, Absolvo te à peccatis; aut si communi mensæ assidens, aut per officinam pictoris transiens verba consecrationis Eucharistiæ supra omnem qui in mensa vel in officina pictoris est, panem proferret, nec vera esset absolutio, nec vera consecratio, quia, quidquid ille tandem Sacerdos diceret, veram non habuit nec seriam absolvendi & consecrandi voluntatem, neque se ut verum Ecclesiæ Ministrum in debitis circumstantiis gessit. Propter eandem causam & rationem, si quis Sacerdos se in debitis circumstantiis ut Ministrum Ecclesiæ gerens; verba aut absolutionis, aut consecrationis serio proferret, declararet nihilominus se nullam intentionem habuisse aut absolvendi à peccatis, aut conficiendi corpus Christi, non ita facile credendum ipsi foret, nec illico turbanda Fidelium conscientia circa valorem Sacramentorum quæ ille serio perfecte visus est, sed gravi ac prudenti Episcoporum consilio res tunc pertractanda ac dijudicanda foret; forte longe consultius silentio premenda.

Ergo quantum ad praxim attinet, hinc & inde concessum habemus, ad pacem conscientiarum, nullum circa veritatem Sacramenti scrupulum ac dubium moveri debere, quoties Minister serio exterius ac in debitis circumstantiis exercet ritum Ecclesiæ, tametsi forsan contrariam in animo premeret intentionem, quam exterius non prodit nec manifestat.

Probatur 3. tum ex usu qui in Ecclesia valuit, baptisandi sub conditione eos quorum dubius ac incertus est Baptismus; tum ex Rubricis Missalis Romani.

Constans est ac probata praxis Ecclesiæ, sub conditione baptisandi eos quorum dubius ac incertus est Baptismus. *Si non es baptisatus*, ait Minister, *te baptiso; si es baptisatus, non te baptiso.* Porro si reipsa homo ille jam baptisatus est, nullus est Baptismus qui denuo ipsi sub conditione confertur. Unde porro nullus? non ex defectu materiæ & formæ, quæ debite applicatur exterius; ergo ex solo defectu intentionis internæ in eo qui materiam & formam Baptismatis exterius adhibet; ergo necessaria prorsus est interna Ministri intentio, ut Sacramentum ratum ac validum sit.

Idem patet ex Rubricis Missalis Romani, quod cura & auctoritate Clementis VIII. editum fuit, capite 7. de defectu intentionis. "Si quis non intendit conficere, „sed delusorie aliquid agere. Item, si aliquæ hostiæ ex „oblivione remaneant in Altari; vel aliqua pars vini, „vel aliqua hostia lateat, cum non intendat consecrare „nisi quas videt. Item, si quis habeat coram se „undecim hostias, & intendat consecrare solum decem, „non determinans quas decem intendit, in his casibus „non consecrat, quia requiritur intentio: secus si putans „esse decem, omnes tamen voluerit consecrare, „quas coram se habebat, nam tunc omnes erunt „consecratæ.

Easdem Rubricas adoptavit Missale Parisiense, quas & sequuntur aliæ quamplures Ecclesiæ. Porro in citatis casibus non deest intentio quæ dicitur exterior & inseparabilis est à materia & forma debite ac serio exterius applicatis; ergo ex solo defectu internæ intentionis nulla est in adductis casibus Eucharistiæ consecratio.

Respondet Scribonius, defectum his in casibus non tam provenire ex defectu intentionis, quam ex materia indeterminata & vaga: agens enim non potest introducere formam in materiam vagam & indeterminatam, & non debite applicatam, prout est in his casibus; atque ideo forma, *Hoc est* &c. est falsa: quia ibi nulla est materia determinata de qua possit dicere; *Hoc est*; ergo ex defectu materiæ deficit valor consecrationis.

Verum non alius hic defectus occurrit quam intentionis. Namque non deest applicatio externa materiæ certæ; quandoquidem omnes decem hostiæ sunt coram Sacerdote; deest ergo sola materiæ applicatio per intentionem internam. Quæro enim quid sit re ipsa tunc materiam non esse determinatam, sed vagam? sane nihil aliud assignari poterit, nisi eam non esse determinatam per intentionem Sacerdotis volentis applicare formam his hostiis, & non illis; ergo ad valorem Sacramenti necessaria est talis determinatio facta per intentionem internam Sacerdotis, quæ quidem adesse non potest; ubi adest animus internus contrarius nullam consecrandi, quantumvis velit proferre exterius verba in præsentia omnium illarum hostiarum.

Probatur 4. auctoritate Alexandri VIII, Summi Pontificis qui in Decreto anni 1690. die 7. Decembris inter multas propositiones istam n. 28. proscripsit. *Valet Baptismus collatus à Ministro qui omnem ritum externum formamque baptisandi observat, intus vero in corde suo apud se resolvit, Non intendo quod facit Ecclesia.* Supponit haud dubie propositio damnata, Ministrum qui serio exterius ritum Baptismi observat; alias gratis conficta & novo fulmine in vanum attrita dicenda foret, quia scilicet nullus est Orthodoxus qui doceat valere Baptisma exterius per jocum & irrisionem datum. Igitur propositionis damnatæ hic sensus est, Valet Baptismus datus à Ministro, qui omnem ritum externum formamque baptisandi serio observat, intus tamen statuit non facere quod facit Ecclesia, sed tantum illud simulare ac fingere; quæ ipsamet est hypothesis intentionis externæ, quam impugnamus.

Probatur 5. auctoritate S. Thomæ, & ratione qua ille utitur 3. p. q. 64. art. 8. "Quando, *inquit*, „aliquid se habet ad multa [*indifferenter*] oportet „quod per aliquid determinetur ad unum, si illud „effici debeat. Ea vero quæ in Sacramentis aguntur, „possunt diversimode agi; sicut ablutio aquæ quæ fit „in Baptismo, potest ordinari ad munditiam corporalem, & ad sanitatem corporalem, & ad ludum, & „ad multa alia hujusmodi: & ideo oportet, quod „determinetur ad unum, id est, ad sacramentalem „effectum, per intentionem abluentis; & hæc intentio exprimitur per verba quæ in Sacramentis dicuntur, puta cum dicit: Ego te baptiso in nomine „Patris &c.

Et art. 10. "Dicendum, *inquit*, quod intentio Ministri potest perverti dupliciter: uno modo respectu ipsius Sacramenti; puta cum aliquis non intendit Sacramentum conferre, sed derisorie aliquid agere; & talis „perversitas tollit veritatem Sacramenti, præcipue quando suam intentionem exterius manifestat. Non sine

causa

causa ultimam hanc clausulam, *præcipue*, addit S. Doctor, qua innuit per irrisionem ac jocum manifestum *præcipue*, id est omnium Catholicorum judicio, irritum reddi Sacramentum, quamquam quoad se irritum etiam reddatur per irrisionem internam & occultam; licet quoad nos, qui de occultis non judicamus, validum præsumatur.

In responsione ad 2. rursus Angelicus Doctor ait, *quod intentio ludrica vel jocosa excludat primam rectitudinem intentionis, per quam perficitur Sacramentum.* Porro ludrica, fallax, & jocosa est intentio in eo qui intus non proponit facere ritum Ecclesiæ, sed eum dumtaxat simulare ac repræsentare.

Quod si dicas, obviam ac facilem esse responsionem ad totum istud sancti Doctoris ratiocinium; nempe externam Ministris actionem ex ipsismet circumstantiis, sufficienter determinari ad Sacramentum conficiendum; reponemus, ex circumstantiis quidem aliquatenus quoad nos, & judicium quod de veritate Sacramenti ferri debet, actionem Ministri determinari; sed quantum ab substantiam ipsam Sacramenti in se spectatam, per solam interiorem Ministri intentionem illam determinari necesse est.

Ratio aperta est: Quia necesse est verba formæ, v. g. *Ego te baptiso*, ab aliquo determinari ad rationem Sacramenti. Sicut enim materia ad multa indifferens & indeterminata, per formam ad unum determinatur; ita pariter & forma, quæ plura ex se significare potest, v. g. in Baptismo ablutionem sordium, recuperationem sanitatis &c. determinanda est ad esse sacramentale: atqui non aliter quam per intentionem Ministri determinatur; ergo plane necessaria est intentio Ministri.

Nec dicas, verba formæ satis determinari, vel per intentionem illius qui Sacramentum suscipit, vel per intentionem Christi.

Namque I. cum infans baptisatur, forma non potest per illum determinari; ergo non à suscipiente, sed à ministrante forma Baptismi determinatur.

II. Si per institutionem Christi verba formæ ad esse sacramentale determinantur; ergo qui vel ebrius, vel somnians verba illa proferret, verum perficeret Sacramentum, quod quantum absurdum sit, omnes intelligunt.

Confirmatur divi Thomæ ratiocinium, ex discrimine quod intercedit inter verba speculativa & practica. Speculativa, quia totam efficaciam suam habent à significatione; à quocunque dicantur, vim suam obtinent; at verba practica, quæ vim suam totam non trahunt à significatione, non sunt efficacia nisi prolata ab eo qui potestatem & voluntatem habet faciendi ea quæ per verba significantur. Sic Regum imperia efficacia sunt, non privatorum, tametsi verbis iisdem, quibus Reges, utantur; quia nempe potestatem habent Reges, non privati. Si certa nisi Rex sine intentione, inter somniandum v. g. aliquem occidi juberet, imperium executioni non demandaretur; quia licet Rex istud imperandi potestatem habeat, non constat tamen an velit. Ex quibus patet potestatem & voluntatem requiri in eo qui verba practica pronuntiat, ut ea efficacia sint: atqui formæ Sacramentorum verba sunt practica, operantur enim quod significant; ergo ut efficacia debet esse in eo à quo proferuntur potestas & voluntas faciendi quod significant, & consequenter necessaria ejus intentio.

SECUNDA CONCLUSIO.

Ad veritatem & integritatem Sacramenti non requiritur ut Minister intendat facere vel effectum Sacramenti, vel ritum Ecclesiæ formaliter ut Sacramentum est, vel etiam facere quod facit Ecclesia Catholica & Romana; sed sufficit ut simpliciter ac generatim velit facere quod facit Ecclesia; quæcunque tandem illius sit, & de Ecclesia & de Sacramento ejusque effectu ac fine, sententia.

Ac primo quidem non requiri intentionem finis seu effectus Sacramenti.

Non requiritur intentio finis seu effectus Sacramenti.

Probatur 1. Quia Synodus Tridentina exigit tantum à Ministro Sacramentorum, ut intendat facere quod facit Ecclesia. Non ait, ut intendat facere quod Ecclesia intendit, sed quod facit.

II. Sic expresse docet sanctus Augustinus Epistola ad Bonifacium n. 98 alias 23. "Nec illud te moveat, *inquit*, quod quidam non ea fide ad Baptismum percipiendum parvulos ferunt, ut gratia spiritali ad vitam regenerentur æternam, sed quod eos putant hoc remedio temporalem retinere vel recipere sanitatem. Non enim propterea illi non regenerantur, quia non ab istis hac intentione offeruntur. Celebrantur enim per eos necessaria ministeria, & verba Sacramentorum sine quibus consecrari parvulus non potest.

To. 2 p. 265 F.

III. Idem demonstrat constans Ecclesiæ praxis: neque enim irritum usque habitum fuit Baptisma datum à Pelagianis licet negarent per Baptismum infantes regenerari, & labe originali purgari; imo à Judæo & Pagano in forma legitima collatum approbavit Nicolaus I. in Rescripto ad consulta Bulgarorum: porro illi omnes haud dubie non intendebant spiritualem conferre Baptismatis effectum. Neque etiam nos rebaptisamus baptisatos à Zuinglianis & Calvinistis, etsi non ignoremus illos baptisare sine intentione finis seu effectus Sacramenti: quin ne tale Baptisma isto prætextu iteraretur etiam sub forma conditionali, expresse prohibuit Concilium Rothomagense anno 1581. Præside Carolo Cardinale Borbonio. "Antea, *inquit*, in plerisque nostrarum Diœceseon locis baptisati ab Hæreticis, præsertim à Calvinistis, redeuntes ad Ecclesiam Catholicam, iterum tingebantur sub hac verborum forma, Si non es baptisatus, ego te baptiso; quia dubitabant nonnulli de valore Baptismi ab hujusmodi Hæreticis collati, eo quod non haberent intentionem baptisandi in remissionem peccatorum. Verum quoniam illa formula baptisandi sub conditione fuit introducta propter Baptismata occulta, & de quibus non apparebat..... Contra vero constabat Calvinistas in cœtu publico baptisare in forma verborum & materia à Christo instituta, vetamus ablutionem repeti." Idem quoque prohibitum fuit à Conciliis Remensi anno 1583. titulo de Bapt. n. 10. Turonensi eodem anno & eodem titulo cap. 6. Aquensi anno 1585. Tolosano 1590. parte 2. c. 2. n. 5.

To. 15. Conc. 826. D. E.

S. Thomas 3. parte qu. 64. art. 10. probat Ministrum qui perversam gerit intentionem circa finem seu effectum Sacramenti, non destruere veritatem Sacramenti; ut si quis corpus Christi conficeret ut eo ad veneficia uteretur: quia nempe istud ad privatam duntaxat pertinet Ministri malitiam, quæ veritatem Sacramenti non tollit. Atqui Minister, qui vel nullum, vel etiam plane contrarium intendit effectum Sacramenti, ille ex privata malitia perversam gerit intentionem circa finem seu effectum Sacramenti; ergo &c.

Ratio à priori est, quia virtus & efficacia Sacramentorum non ex privata Ministri voluntate dependet, sed à Christo ipso Sacramentorum auctore; quam proinde Minister impedire aut retardare ad arbitrium non potest, cum Sacramentum sit est omnibus numeris perfectum. Agunt quippe Sacramenta per modum agentium naturalium, hoc est, necessario: ignis v. g. segetibus admotus eas necessario comburit, tametsi qui ipsum admovit, contestaretur nolle se eas comburere.

Probatur 2. absolute necessariam non esse intentionem internam ac privatam, qua Minister velit ritum

Christi

Non requiritur intentio ritus Ecclesiæ, quatenus verum est Sacramentum. Christi perficere formaliter ut sacramentalem, sed ut verum Sacramentum.

I. Quia ratum ac validum est Sacramentum datum ab Infideli, à Judæo, ab Hæretico, qui profecto non videntur talem habere intentionem, qui tamen eo ipso verum Sacramentum perficiunt, quo serio exterius volunt ritum Christi & Ecclesiæ, impliciter ac generatim ut est ritus Christi & Ecclesiæ, perficere.

Antecedens patet ex Nicolao I. & Innocentio IV.

Nicolaus I. consultus à Bulgaris quid sentiendum foret de Baptismo de quo dubium erat, an à Judæo, Christiano, vel Pagano collatus fuisset, respondet Summus Pontifex c. 104. talem Baptismum, si in nomine Trinitatis, vel in nomine Christi datus est, ratum esse: quod quidem adductis in medium ex Augustino testimoniis ibidem comprobat, quorum hæc summa est, *veritatem Baptismi non pendere ex privata Ministri sententia, vel errore, sed ex virtute Christi: Hic enim est qui baptisat.* *Tom. 8. Conc. p. 348.*

Innocentius IV. scribens in Librum tertium Decretalium titulo *De Baptismo* qu. 9. sic loquitur: "Non „est necesse quod baptisans sciat quid sit Ecclesiæ quæ „baptisat, quid baptisatus; neque quod gerat in mente „facere quod facit Ecclesia: imo si contrarium gereret „in mente, scilicet non facere quod facit Ecclesia, & ta„men facit, quia formam servat; nihilominus baptisa„tus est, dummodo baptisare intendat.„ Et q. 8. dixerat, necesse esse ut Minister velit *non tantum balneare, sed baptisare.* Supponit hic Summus Pontifex Ministrum v. g. Saracenum aliquem qui tametsi nesciat quid sit Baptismus, quid Ecclesia, rogatus tamen ut faciat quod facit Ecclesia, illud reipsa facit, & quidem valide, *quia formam servat.* At Saracenus ille procul dubio privata sua intentione ac voluntate non intendit verum perficere Sacramentum, ejusque effectum conferre, qui hæc omnia aut ignorat, aut irridet: quia tamen generalem habet intentionem faciendi quod ab ipso postulatur, & quod audivit ab Ecclesia fieri, idcirco valet ac ratum est Baptismatis Sacramentum legitima forma ab ipso collatum; qua generali intentione voluit non tantum *balneare*, id est, vulgarem lotionem adhibere, sed *baptisare*, hoc est, ritum qui Christi est & Ecclesiæ exercere. Quia vero intentionis externæ patroni huncce Innocentii textum ad se trahunt, de eodem paulo post recurret dicendi occasio.

II. Constat ex usu & praxi Ecclesiæ, pendente dubio circa veritatem collati Baptismatis, hoc unum duntaxat exploratum fuisse, an debita materia & forma collatum fuisset. Ita Concilium Nicænum primum generale Can. 19. Baptisma Paulianistarum idcirco rejecit, quod in forma peccaret. Carthaginense V. c. 6. Pastores admonet ut diligentissime inquirant, num reipsa infantes baptisati sint, & si nulli adsunt testes collati Baptismatis, eos baptisent; nulla prorsus facta inquisitione intentionis aut privatæ sententiæ illius Ministri qui baptisat. *Tom. 2. Conc. p. 38. D. Ib. p. 1216. C.*

In famosa pariter Catholicorum cum Donatistis controversia, nulla excitata legitur quæstio de intentione privata Ministri, sed tantum de verbis ac ritu quo datus fuisset Baptismus; ita ut si verbis Evangelicis, *In nomine Patris &c.* Marcion Baptismum consecrasset, integrum, ait S. Augustinus, fuisset Sacramentum.

Non requiritur intentio faciendi quod facit Ecclesia Catholica vel Romana. Probatur 3. necesse non esse ut Minister velit facere quod facit Ecclesia Catholica & Romana, sed satis esse velit generatim facere quod Ecclesia facit, quamcumque ille in mente habeat Genevensem v. g. aut aliam. Ratio est, quia qui intendit facere quod facit Ecclesia Genevensis, ille generatim facere intendit, quod facit vera & universalis Christi Ecclesia, licet ex errore credat Genevensem Ecclesiam veram & Orthodoxam esse; qui error privatus non destruit veritatem generalis intentionis faciendi quod facit Ecclesia Christi, adeoque neque destruit integritatem Sacramenti: generalis autem voluntas illa seu intentio faciendi quod Ecclesia Christi facit, determinat ritum externum ac materialem adesse sacramentalem, seu ex ritu vulgari ac profano, peculiarem facit, sacrum & divinum.

Non requiritur ad valorem Sacramenti, ait Cardinalis de Lugo, de Sacramentis disput. 8. sect. 2. " quod „Minister velit explicite operari nomine Christi, aut ut *P. 129. e. col. 2. 36.* „Minister ipsius; sufficit enim id implicite velle, quod „quod multis modis contingere potest. V. g. si quis „velit facere, quod facit Ecclesia, seu uti illius verbis & „rebus eodem modo, quo Ecclesia iis utitur; vel etiam „non cogitando de Ecclesia universali, velit facere quod „facit talis Ecclesia particularis, vel quod facit talis Parochus, vel quod faciunt aliqui apud quos audivit illa „signa adhiberi tanquam cæremonias religosas: his „enim omnibus modis apprehendit, aliquid latere sub „illis signis, quod, quidquid illud sit, in confuso intendit. Hæc Cardinalis de Lugo.

Accedunt in confirmationem Conclusionis nostræ gravissima rationum momenta.

Ex parte Ministri, qui cum in Sacramentis administrandis, non privatam, sed publicam sustineat Christi & Ecclesiæ personam, nec suo, sed Ecclesiæ nomine ac auctoritate agat, privata sua intentione falsa & erronea opus Dei quod tractat, inficere non potest. Hac potissimum ratione Donatistas impugnabat S. Augustinus. *I. Ex parte Ministri.*

Ex parte ipsorum Sacramentorum, quæ sic à Christo Domino facta & instituta sunt, ut tanquam causæ necessariæ determinentur ad gratiam conferendam, quoties debite perficiuntur, nec ullus est obex ex parte suscipientis. *II. Ex parte Sacramentorum.* Sacramenta quippe publica sunt Religionis symbola, quibus homines in unum Religionis corpus coadunantur & colligantur, Deo consecrantur, ac Christianæ fidei defensioni se se obligant: res autem hujusmodi ex se vim habent eamque exerunt, tametsi Minister privata sua voluntate eam aut retardare, aut penitus auferre cogitaret. Sic v. g. Scriba seu Notarius publicus qui Contractum ad legem & formam à Principe præscriptam accurate describit, partes contrahentes ligat, licet eas intus & animo ligare nollet; & Judex sententiam pronuntians ut reum absolvat, vere eum absolvit, quamvis intus renuat ac repugnet. Simili ergo ratione Minister Sacramentum vere conficit ejusque producit effectum, cum omnia necessaria observat, licet intus nolit aut Sacramentum perficere, aut ejus effectum conferre; celebrantur enim per illa necessaria mysteria, quæ non ex privata ipsius, sed ex publica Ecclesiæ fide ac intentione operantur. Perinde esset ac si quis diceret: Volo ignem segetibus admovere, sed nolo eas comburere: absurdus profecto ille foret, qui causam ad comburendum necessario ac physice determinatam applicaret, & simul nollet ejus effectum, nempe combustionem. Duæ istæ voluntates, Volo serio facere quod facit Ecclesia, & Nolo facere Sacramentum, aut ejus effectum conferre, sese mutuo impugnant ac destruunt.

Ex parte Ecclesiæ, quæ ratum habet Baptismi Sacramentum verbis Evangelicis consecratum ab Infideli, à Judæo, ab Hæretico, à Sociniano, quibus haud dubie non inest animus seu intentio aut Sacramenti formaliter sumpti, aut effectus vel finis illius. *III. Ex parte Ecclesiæ.*

Quæres 1. an intentio debeat esse absoluta & an sufficiat conditionata. *De intentione absoluta & conditionata.*

Resp. absolutam esse debere, nec conditionatam sufficere, nisi statim transeat in absolutam.

Prima responsionis pars ostenditur, quia intentio debet esse efficax: at sola absoluta talis est; ergo est necessaria.

Secunda

Secunda pars explicatur: quia conditio apposita intentioni, vel est de præterito, vel de præsenti, vel de futuro.

Si est de præterito, vel præsenti, necesse est ut vel omnino destruat intentionem, vel ut illam supponat efficacem & absolutam. Nam si conditio illa nec fuit, nec est, eo ipso intentionem destruit, quia voluntas conditionata, non posita conditione, nulla est: si vero conditio illa fuit, vel est, intentio transit in absolutam; quia voluntas sub conditione, posita condione fit absoluta. Sic v. g. qui diceret, Ego te baptiso, si non es baptisatus, intentio illius fit absoluta & Baptismum perficit, si reipsa homo ille baptisatus non est: si autem baptisatus est, intentio destruitur, & nullum est Sacramentum.

Si autem conditio apposita sit de futuro, semper est contraria substantiæ Sacramenti; ut v. g. si quis diceret, Ego te absolvo à peccatis, si restitutionem feceris. Ratio est, quia conditio de futuro suspendit præsentem intentionem, & efficitur Minister in præsenti non habeat voluntatem faciendi Sacramentum. Quod si, inquies, postea impleatur conditio, an tunc saltem erit Sacramentum? Resp. negative; quia non potest fieri Sacramentum nisi adsit materia & forma Sacramenti: at postea cum impletur conditio, non adest materia & forma Sacramenti; & quæ prius posita supponitur, nec amplius superest, nec vere sacramentalis fuit, defectu præsentis intentionis.

Quærunt aliqui, an valeret hæc conditio, Ego te baptiso, si es prædestinatus. Nonnulli affirmant, si nempe conditio reipsa posita sit, quia parum refert quod ignoremus an posita sit nec ne; sicut, inquiunt, valet ista, Ego te baptiso si non es baptisatus, etsi ignoremus an ea conditio posita fuerit. E contra contendunt alii, non sufficere intentionem illam conditionatam, quia conditio quæ apponitur in actionibus vel contractibus humanis, talis esse debet, ut humano modo cognosci possit, alioquin semper dubii & incerti essemus de valore actionum & contractuum humanorum: atqui illa conditio, Ego te baptiso, si es prædestinatus, non potest humano modo cognosci; ergo &c.

Quæritur etiam, an isthæc intentio conata, Ego te baptiso, si es Catholicus, non autem si es Hæreticus, sufficiat: negant aliqui cum Scoto, Ratio ipsis est, quia qui sic baptisat, non intendit facere quod facit Ecclesia; quia Ecclesia intendit ut Sacramentum validum sit, etiamsi conferatur Hæretico. Aliis tamen contraria placet opinio, quia si talis conditio revera ponitur, jam intentio Ministri, ut dictum fuit, transit in absolutam.

An intentio ad certam & determinatam personam dirigi debeat.

Quæres 2. an, ut validum sit Sacramentum, necesse sit intentionem Ministri dirigi ad certam aliquam personam vel materiam, absque ullo substantiali errore.

Resp. affirmative. Prima pars manifesta est ex ipsis Sacramentorum formis, Ego te baptiso, Ego te absolvo, quibus certa & determinata persona designatur, ad quam dirigitur intentio Ministri. Similiter in forma Eucharistiæ pronomen, *hoc*, designat determinatam materiam consecrandam. Ratio communis est, quia intentio Ministri debet esse efficax & operativa; operationes autem sunt circa singularia. Secunda pars, videlicet intentionem debere esse sine ullo substantiali errore, probatur, quia si intentio caderet in hanc materiam vel personam, & actio sacramentalis versaretur circa aliam, talis actio non procederet ex tali intentione, ac proinde esset actio sine intentione: requiritur autem, ex dictis, in Ministro Sacramentorum intentio.

At, inquies, licet error substantialis adversetur veritati Sacramenti Matrimonii, non tamen videtur esse contrarius veritati absolutionis sacramentalis; namque valida foret absolutio, si absolverem Petrum legitime sua mihi confitentem peccata, licet existimarem Paulum esse qui confitetur peccata sua, & hoc modo errarem in persona.

Respondetur hoc totum pendere ex intentione. Nam si ego intendam absolvere illam personam quæ sua mihi peccata confitetur, etiamsi nesciam quæ sit illa persona, valida nihilominus est absolutio, quia intentio directe fertur in personam confitentem; unde error ille quo puto personam illam esse Paulum, cum tamen sit Petrus, substantialis non est, sed accidentalis. Si tamen præcise intenderem absolvere personam Pauli, excludendo omnes alias personas, tunc nulla foret absolutio, nisi persona Pauli confiteatur.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Adversus primam Conclusionem.

Ex triplici capite Objectiones illæ repetuntur. 1. Ex factis historicis, 2. Ex sanctis Augustino, Thoma, & Innocentio IV. 3. Ex rationibus ac momentis Theologicis.

Objectiones ex factis historicis.

Objicies itaque 1. Ratum ac validum est Baptisma per jocum & irrisionem etiam externam & manifestam collatum, quanto magis per internam ac latentem?

Antecedens exemplis ex Historia Ecclesiastica depromptis probatur.

S. Athanasii.

I. S. Athanasii, qui, cum puer esset, inter ludendum in littore maris socios suos pueros baptisavit; quem Baptismum approbavit Alexander Episcopus Alexandrinus. Factum referunt Rufinus Lib. 1. Hist. cap. 14. Socrates Libro 1. cap. 15. Sozomenus Libro 1. cap. 17.

S. Genesii.

II. S. Genesii, qui cum in theatro mysteria nostræ Religionis mimice repræsentaret, subito ad fidem conversus ab alio mimo baptisatus refertur; cujus Baptismus ratus habitus fuit, utpote non iteratus. Rem narrat Ado in suo Martyrologio ad diem 25. Augusti.

Judæi cujusdam.

III. Judæi illius qui à sociis in littore maris ludentibus baptisatus est, narrante Nicephoro Lib. 3. Hist. cap. ultimo.

Resp. 1. distinguo ant. Ratum ac validum est Baptisma per jocum & irrisionem etiam externam datum, ita ut jocus & irrisio sit externus dumtaxat finis collati Baptismatis, concedo: ita ut sit finis internus, id est, mere jocosa, ficta, & simulata sit Baptismatis repræsentatio, nego. Duobus itaque modis exterior Ecclesiæ ritus per jocum & ludum exerceri potest.

Ludus potest esse finis actionis externus, vel internus.

Primo, animo illum exercendi, quamvis extrinsecus finis sit ludus & animi oblectatio: quo jocosa intentio non adversatur substantiæ Sacramenti; quia non destruit objectum intrinsecum, sed addit dumtaxat finem extrinsecum, qui finis non tollit veritatem, sed honestatem tantum actionis: honestas porro illa ad substantiam Sacramenti non pertinet. Ita Sacerdos v. g. qui vult absolvere pœnitentem, quamquam lucri causa, vere absolvit, quia finis ille perversus non vitiat substantiam Sacramenti.

Secundo, ritus exterior Ecclesiæ per jocum ita potest observari, ut ficte dumtaxat, simulate, ac pure mimice repræsentetur, quæ profecto jocosa intentio veritatem Sacramenti prorsus destruit.

Porro dici verisimiliter potest, in exemplis adductis ludum & derisionem externum dumtaxat fuisse actionis finem, atque veram his in casibus adfuisse intentionem faciendi quod facit Ecclesia, quamquam ad ludum & oblectationem. Conjectura eo nititur, quod, si Historicis fides, iteratus non fuerit Baptis-

dixit Christus Math. 28. v. 19. *Euntes docete omnes gentes, baptisantes eos in nomine Patris, & Filii & Spiritus sancti.* Solis hominibus Lucæ 22. v. 19. dixit; *Hoc facite in meam commemorationem.* Solis hominibus Joan. 20. v. 23. dixit *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Apostolus non alios quàm homines designabat 1. Corinth. 4. v. 1. his verbis: *Sic nos existimet homo ut Ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei.* Et 2. Corinth. 3. v. 6. *Qui nos idoneos Ministros novi testamenti fecit.* Denique Hebr. 5. v. 1. *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in his quæ sunt ad Deum, ut offerat dona & Sacrificia pro peccatis: qui condolere possit iis qui ignorant & errant; quoniam & ipse circumdatus est infirmitate, & propterea debet, quemadmodum pro populo, ita etiam & pro se ipso offerre pro peccatis.* Hæc porro omnia nonnisi in hominem viatorem peccatis & infirmitatibus obnoxium cadere possunt.

Superfluum omnino videtur in re tam facili & obvia testes appellare SS. Patres. Unus sufficiat sanctus
To.1.p. 383.B C. Chrysostomus Lib. 3. de Sacerdotio. *Qui terram incolunt*, inquit, *in eaque commorantur, ad ea quæ in Cœlis sunt dispensanda commissi sunt, potestatemque acceperunt, quam neque Angelis, neque Archangelis dedit Deus. Neque enim illis dictum est, Quæcumque ligaveritis in terra &c.*

Quid ergo, inquies, dicendum foret, si Angelus, assumpto corpore visibili, Sacramenta ministraret sicut aliquando contigisse nonnullis proditum legimus Historiis?

Resp. Si certo illud constaret, dicendum foret haud dubiè, voluisse Deum signo aliquo sensibili extra legem ordinariam, gratiam suam alicui concedere. Verum eo in casu non videretur signum illud hoc ipsum esse Sacramentum quod Christus in nova Lege instituit, sed alterius esset conditionis, defectu scilicet Ministri seu causæ conficientis Sacramentum. Quemadmodum si jam Deo placeret noxam originalem non per aquam alicui remittere, sed per aliud quoddam sensibile signum, non diceretur remissum peccatum per Sacramentum quod Christus in hunc finem instituit. Quæ porro referuntur historiæ, seu exempla Angelorum qui nonnullis Sanctis Eucharistiam administrasse narrantur, eo ad summum tendunt, nempe Angelos jam consecratam Eucharistiam detulisse ac dedisse, non vero consecrasse. Firmilianus autem idcirco judicavit nullum esse Baptismum, quem mulier dæmone obsessa dederat, quòd à dæmone ipso illum datum existimabat, qui baptisandi licentiam non accepit.

SECUNDA CONCLUSIO.

Homo quilibet Christianus (si Baptismum excipias in casu necessitatis) idoneus non est Minister Sacramentorum, sed ille tantum qui per legitimam Ordinationem ministerii potestatem accepit.

Probatur 1. ex diversis officiis ac functionibus quæ non omnibus promiscue, sed aliquibus dumtaxat hominibus concessæ sunt. Ita testatur Apostolus Ephes. 4. v. 7. "Unicuique, *inquit*, data est gratia secundum "mensuram donationis Christi. *Et v.* 11. Ipse dedit "quosdam Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios "vero Evangelistas, alios autem Pastores & Doctores "ad consummationem Sanctorum in opus ministerii." Quod illustrat familiari comparatione membrorum corporis humani, quorum varius usus est, & actio distincta, servandæ totius humani corporis harmoniæ maximè necessaria. "Si totum corpus, *ait Cor.* 12. *v.* 17. "oculus, ubi auditus? si totum auditus, ubi odoratus? "Nunc autem posuit Deus membra, unumquodque "eorum in corpore sicut voluit. *Et Hebr.* 5. *v.* 4. Nec "quispiam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo "tanquam Aaron.

De potestate vero, non autem de solo usu potestatis, sicut placet Lutheranis, loqui Apostolum, certo constat. Tum quia de ea loquitur potestate quam Apostoli à Christo, & Aaron à Deo acceperant; atqui non usum duntaxat, sed ipsam potestatem, unde legitimus usus nascitur, illi acceperunt. Tum quia id v. 5. confirmat Apostolus exemplo Christi, qui *non semetipsum glorificavit ut Pontifex fieret, sed qui locutus est ad eum, Filius meus es tu, ego hodie genui te.* At Christus potestatem, & quidem plenam ac perfectam accepit.

Denique, si in veteri Lege cuilibet licitum non fuit se sacris immiscere, sed iis tantum qui erant de stirpe Aaron: si tam severe punitus est Ozias Rex, quod quod munia Sacerdotum usurpare ausus fuisset, ipsique constanter resistere fortissimi Sacerdotes: *Non est*, dice- L.2. Paralip.26.
bant, *tui officii, Ozia, ut adoleas incensum Domino, sed Sacerdotum, hoc est, filiorum Aaron qui consecrati sunt ad ejusmodi ministerium. Egredere de Sanctuario.* Quanto magis in Lege Christi à sacro ministerio removendi sunt, qui ad illud speciali consecratione non vocantur?

Fuit hæc semper constans ac perpetua Ecclesiæ fides ac praxis. *Ne immisceas rebus Ecclesiasticis*, scribebat Ozias Cordubensis Episcopus ad Imperatorem Con- Apud Athan.
stantium, *nec nobis his de rebus præcepta mandes; sed* To.1.p.
à nobis potius hæc edisces. Tibi Deus Imperium tradidit, nobis Ecclesiastica concredidit. Ac quemadmo- 371.A.
dum qui tibi Imperium subripit, Dei ordinationi repugnat; ita metue, ne si ad te Ecclesiastica pertrahas, magni criminis reus fias.

Notum est quod in Concilio Alexandrino contigit. Accusatus scilicet in eo fuit Athanasius ab Arianis, quod fregisset calicem qui apud Presbyterum quemdam nomine Ischyram asservabatur: non alia autem meliori ratione accusatores calumniæ ac falsi testimonii convicti fuêre, quam quod Ischyras ille, cujus custodiæ calix concreditus dicebatur, verus non esset Presbyter, utpote qui à Collutho Presbytero qui se Episcopum To.5.p.
mentiebatur, ordinatus fuisset. Quapropter ipse Col- 193.A.B
luthus ab Osio cæterisque Episcopis ad priorem Presbyteri Ordinem redactus fuit, ac irritæ & nullæ declaratæ, quas ille attentaverat, Ordinationes, & Ischyras in ordinem laicorum rejectus. Ita narrat sanctus Athanasius Apologia 2.

Plura ex veteribus monumentis referre hic facile foret; sed ea suis quibusque propriis locis reservamus, ubi nempe de Ministro cujuslibet Sacramenti disseremus.

Fidem Ecclesiæ his verbis declaravit & expressit Tom.14.
Concilium Trid. sess. 7. Can. 10. *Si quis dixerit Chri-* Conc.p.
stianos omnes in verbo & omnibus Sacramentis admi- 777.D.
nistrandis habere potestatem, anathema sit.

Dices 1. Petri 2. v. 9. omnes Christiani appellantur *genus electum, regale Sacerdotium.* Et sanctus Joannes Apoc. 1. v. 6. *Fecit*, inquit, *nos regnum & Sacerdotes Deo Patri suo.*

Resp. distinguo: omnes Christiani sunt Sacerdotes impropriè & metaphoricè, ratione scilicet hostiæ spiritualis quam Deo per preces ac bona opera offerunt, concedo: verè & propriè, ratione Ordinationis seu potestatis consecrandi Eucharistiam, nego. Seipsum exponit sanctus Petrus citato cap. v. 5. *Ipsi*, inquit, *tanquam lapides vivi superædificamini domus spiritualis, Sacerdotium sanctum, offerre spirituales hostias, acceptabiles Deo per Jesum.* Illæ vero spirituales hostiæ opera sunt virtutis & pietatis quæ ad Deum tanquam ad fontem & parentem totius boni referuntur. Et verò Christiani eo ipso modo vocantur à sancto Petro *Sacerdotes*, quo *domus spiritualis*, & *Reges*; sed eos ita per figuram & metaphoram appellari nemo non videt: sunt illi domus spiritualis, quia ad unam familiam cujus caput est Christus, pertinent, mutuoque

que

quæ inter se charitatis vinculo debent colligari : tum Reges, quia suis affectibus dominari, seque à rerum terrenarum servitute liberare & expedire tenentur. Pariter igitur sunt Sacerdotes, tum quia in mente sancti Augustini in Psal 94. *Anima nostra est ara Dei.*
To. 4. p. 1026. B. *Sacrificium Dei quid est? Forte hoc facimus modo, imponimus in ara Sacrificium, quando Deum laudamus.* To. 7. p.
88. E. Tum quia eodem docente Libr. 20. de Civit. Dei cap. 10. *Sicut omnes Christianos dicimus propter mysticum chrisma, sic omnes Sacerdotes,* quoniam membra sunt unius Sacerdotis, nempe Christi.

Instabis: Christus est *Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedec.* Psal. 109. v. 4. At omnes Christiani sunt fratres Christi; ergo omnes Christiani sunt Sacerdotes.

Resp. distinguo min. Omnes Christiani sunt fratres Christi per gratiam adoptionis, concedo; per naturam, nego. Non eadem porrò est prærogativa fratrum ex adoptione, quæ fratrum ex natura. Quin & filius primogenitus speciale quoddam habet præ cæteris fratribus privilegium.

Opponi hic posset auctoritas Tertulliani Lib. de Exhortatione castitatis cap. 7. Verum cum hujosce testimonii examen propius spectet tractationem de Ministro Eucharistiæ, illud in aum locum rejicimus.

QUÆSTIO VII.

De conditionibus in Ministro requisitis ut Sacramenta perficiat.

De tribus hic potissimum instituitur controversia nempe de intentione, fide, ac probitate Ministri.

ARTICULUS I.

De intentione Ministri Sacramentorum.

An & quæ in eo necessaria sit ut Sacramenta validè perficiat.

Intentio Ministri est actus voluntatis quo Minister vult facere quod Christus instituit & usurpat Ecclesia.

Necessariam esse in Ministris, *dum Sacramenta conficiunt & conferunt, intentionem saltem faciendi quod facit Ecclesia,* expressè declaravit ac definivit Conc.
To. 14. Conc. p. 777. D. Trid. sess. 7 Can. 11.

Verum quæ qualis illa esse debeat, apertè non declaravit nec definivit; atque hinc Theologi dubium excitarunt circa sensum istorum Concilii verborum, *faciendi quod facit Ecclesia.* Dubitandi ratio hæc ipsis fuit quod Ecclesia non tantum ritum externum, quem Christus instituit, facit & intendit facere, sed etiam verum Sacramentum, quod sanctificantem gratiam benè præparatis confert, & habet pro fine æternam felicitatem. An vero eorum omnium intentio, sive explicita, sive implicita & confusa, sit in Ministro Sacramentorum necessaria, ut ea validè perficiat aut conferat, controvertitur. Rursus quæritur quænam sit illa Ecclesia, cujus ritum Minister intendere debeat : an Catholica & Romana; an quælibet Christiani nominis particularis societas, sive Catholica illa sit, sive non; v. g. Ecclesia Lutherana, aut Calviniana Genevensis.

Duo igitur hic sunt controversiæ capita; unum circa intentionem consideratam ratione objecti ad quod illa fertur; alterum ratione modi, quo ad illud fertur & tendit : an scilicet necessaria sit intentio actualis; vel vel virtualis, aut habitualis & interpretativa sufficiat.

De necessitate intentionis ratione objecti.

STATUS QUÆSTIONIS.

Objectum seu terminus intentionis, illud ipsum est quod Minister intendit seu spectat, cum Sacramenta perficit aut confert; atque ex sententia Concilii Tridentini, id ipsum est *quod facit Ecclesia*, seu opus, & actio Ecclesiæ.

In actione vero illa distingui hæc ac spectari possunt.

I. Ritus exterior solus ac purè materialis, nulla prorsus attentione facta quod sit ritus Ecclesiæ, nec ulla præsupposita voluntate seu intentione faciendi quod facit Ecclesia.

II. Ritus ille quatenus est ritus Ecclesiæ, quæcumque ratione illa cogitetur, & cum directa voluntate sive explicita sive implicita & confusa generatim faciendi quod facit Ecclesia, abstrahendo ab eo quod sit verum Sacramentum, vel non.

III. Ritus ut est formaliter Sacramentalis, seu ut verum Sacramentum.

IV. Denique, ritus quatenus est causa efficax seu effectiva gratiæ sanctificantis, & tendit ad æternam felicitatem tanquam ad finem.

Circa quæ varia fingi potest hypothesis Ministri ritum externum Ecclesiæ v. g. ablutionem in Baptismo usurpantis. Variæ hypotheses. Prima hypothesis.

Prima est, si Minister vel per jocum & irrisionem externam ac manifestam, ut solent mimi & histriones, ritum hunc non serio facere, sed fingere ac repræsentare vellet : vel si de ritu Ecclesiæ nihil planè cogitans, in balneo v. gr. positus, aquam supra puerum effunderet cum verbis consuetis, ad sordes corporis eluendas; vel si serio exterius ac in debitis circumstantiis materialem & externum Christi & Ecclesiæ ritum debite observaret, intus vero & animo intentionem suam suspenderet ac cohiberet, aut etiam contrariam gereret, diceretque tacitus apud se, Nolo ritum Ecclesiæ perficere imo contrarium intendo; & volo tantum ritum illum exterius, quamquam appareret serio, fingere, simulare, repræsentare. In priori casu homo non intendit facere ritum etiam externum Ecclesiæ, sed eum dumtaxat fingere, simulare ac nuda repræsentare; atque irrisio, jocus ac fictio exterius aperta est ac manifesta, nec ratum ac validum est Sacramentum. In secundo casu homo nullatenus intendit facere ritum Ecclesiæ formaliter ut est ritus Ecclesiæ, sed purè materialiter & ad finem valde diversum ab eo quem sibi Ecclesia proponit; nec etiam eo in casu valet Sacramentum. In tertio casu fictio ac irrisio est occulta, interna ac latens, quæ in primo aperta est, externa & manifesta; neque aliud inter utramque hypothesim discrimen occurrit, nisi quod in prima est irrisor manifestus, in altera irrisor occultus. Cum enim in hac tertia hypothesi Minister exterius serio ritum Ecclesiæ peragit, intus tamen & apud se ait, Nolo facere ritum Ecclesiæ, seu id quod facit Ecclesia; quid, rogo intelligi potest per illud, *Nolo facere ritum Ecclesiæ*? An ritum externum Ecclesiæ? non ita certe, siquidem illum serio peragit & exercet : quis autem sanæ mentis vigilans facit, quod facere non intendit? ait apposita Catharinus mox laudandus. Ergo cum ille in adducta hypothesi ait se nolle facere quod facit Ecclesia, non alius sensus ac mens illius esse potest, quam quod vel nolit facere ritum Ecclesiæ quatenus formaliter Sacramentum, aut productivum gratiæ sanctificantis; vel reipsa nolit illum ritum facere, sed simulare dumtaxat, fingere ac repræsentare : quorum primum à Theologis non exigitur; alterum vero falsum est, & errore Novatorum in hoc uno distat, quod irrisio, cum qua stare verita-

rem Sacramenti Novatores arbitrantur, sit exterior, & manifesta, hæc vero interna sit, occulta & latens.

Secunda hypothesis. Secunda hypothesis est, si Minister externum Christi & Ecclesiæ ritum non tantum serio exteriùs, sed intùs & animo vellet observare, non tamen verum perficere Sacramentum, sive ex malitia, ut hominem Sacramento defraudet, sive ex errore, quia non credit ritum hunc verum esse Sacramentum.

Tertia hypothesis. Tertia hypothesis est; si Minister ritum hunc seriò tum internè, tum externè vellet observare, etiam ut verum Sacramentum, non intenderet tamen effectum vel finem Sacramenti.

Intentio externa & interna variè explicatur. Atque hinc nata celebris in præsenti argumento distinctio intentionis externæ & internæ, quæ cum non uno modo ab omnibus intelligatur & explicetur, paulò involuta & obscura evasit præsens inter Theologos disceptatio.

Sunt qui externam intentionem appellant eam qua Minister externum Christi & Ecclesiæ ritum serio ac simpliciter vult observare, non tamen verum perficere aut conferre Sacramentum; sive (ut dictum est) ex malitia, sive ex errore. Internam è contra eam dicunt, per quam Minister non tantùm ritum Ecclesiæ externum, sed etiam ipsum ut formaliter sacramentalem, seu ut verum Sacramentum serio intendit perficere: hoc sensu admittenda est intentio externa, interior vero rejicienda.

Sunt quibus intentio externa ea videtur esse quæ ad opus dumtaxat Ecclesiæ externum, unde nomen sumpsit, serio exterius usurpandum refertur, tametsi Minister intus & animo non intendat ritum Ecclesiæ facere, sed intentionem suam aut retineat, aut etiam contrariam gerat; unde eo in casu necesse est ut Minister, qui exterius serio ritum Ecclesiæ peragit, intus dicat, Nolo illum reipsa facere, sed tantum fingere, simulare, ac nude repræsentare. Nisi res ita sit, modus ille exponendi externam intentionem vanus ac illusorius est, ac in meram recidit de nomine quæstionem, ut paulò ante ad primam hypothesim observavimus.

Rectiùs igitur, nostro quidem judicio, nomine intentionis externæ ea intelligitur, per quam minister exterius & quidem serio ac in debitis circumstantiis externum Ecclesiæ opus perficit, tametsi intus & animo statuat illud non perficere, sed tantum fingere ac simulare. Interna vero ea dicitur, per quam minister non tantum serio exterius, sed etiam intus & animo vult simpliciter ac generatim facere, quod facit Ecclesia, quidquid tandem ille sentiat de Sacramento, vel ejus effectu ac fine, & de Ecclesia ipsa; sive enim ea omnia rejiciat, sive admittat, perinde est ad substantiam Sacramenti, modo velit serio intus & apud se facere quod facit Ecclesia; error quippe privatus nocere non potest generali Ecclesiæ intentioni, nec consequenter obstare veritati ac valori Sacramenti. Inde est quod hujusmodi intentio appellari soleat intentio generalis & publica Ecclesiæ, seu ministerii, quam habere Minister præsumitur, quoties serio & ut Ministrum Ecclesiæ decet, in debitis circumstantiis ritum sacrum observat & facit, quem Christus instituit & usurpat Ecclesia.

Non est igitur hic quæstio, utrum ad valorem Sacramenti necesse sit Ministrum velle facere Sacramentum; aut ritum externum quatenus formaliter sacer est, religiosus ac sacramentalis, aut ejus effectum producere; aut etiam ut veram & Catholicam Ecclesiam agnoscat: certum etenim est, quod subinde demonstrabitur, valere v. g. Baptismum, à Pagano, vel Judæo, vel Hæretico collatum, quamvis hæc omnia rejiciat & irrideat.

Quæstio pariter non est, utrum qui serio ritum externum ac materialem Ecclesiæ observat, intentionem debeat habere illum saltem materialiter faciendi: nemo enim sanæ mentis vigilans facit, quod facere non intendit.

Tota igitur præsens controversia eo delabitur, utrum fictio ac simulatio Ministri Sacramentorum non tantum externa & apparens, ut volunt Novatores, sed etiam interna & occulta, ut nonnulli ex nostris sentire videntur, stare ac conciliari possit cum veritate substantiali Sacramentorum.

Sententia Novatorum de intentione Ministri Sacramentorum.

Existimant communiter nostri Theologi nec immerito, Novatores eam in Ministro Sacramentorum intentionem tanquam necessariam negasse, quam asseruit ac definivit Synodus Tridentina; adeoque valere apud ipsos Sacramentum quod Minister per jocum & irrisionem non tantum internam ac latentem, sed etiam externam ac manifestam, perficit aut confert. Errorem hunc præseferunt ista Lutheri verba in Libr. de Captivitate Babylonica: *Non dubitem*, inquit, *si quis in nomine Domini suscipiat, etiam si impius Minister non det in nomine Domini, vere baptisatum esse in nomine Domini: non enim in conferentis tantum, quantum in suscipientis fide, vel usu sita est virtus Baptismi, sicut legitur exemplum de quodam Mimo per jocum baptisato.*

Et in art. 12. eorum quos Leo X. damnavit; *Si Sacerdos*, inquit, *non serio, sed joco absolveret, si tamen credat se esse absolutum, verissime absolutus est.* Tr. 14. Conc. p. 392. E.
Ex his manifesta videtur Lutheri mens atque sententia; nimirum ratum ac validum esse Sacramentum etiam mimicè per jocum & irrisionem externam collatum.

Duram hanc Lutheri sententiam verbo tenus temperata ac emolire voluerunt Calvinus, & Chemnitius ipse Lutheranus; nec aliam, si eorum verbis stemus, in Ministro Sacramentorum intentionem plane necessariam rejicere videri volunt, præter eam quam ab omnibus nostris Theologis & à Concilio ipso Tridentino admissam illi falsò existimabant, eam nempe internam ac privatam qua Minister effectum & finem Sacramenti, ipsumque ritum externum Ecclesiæ formaliter ut Sacramentum est expresse velit & intendat. An vero excludant illi jocum & fictionem purè internam, de qua diximus, non ita certum & exploratum est apud omnes.

Calvinus in Antidoto Conc. Trid. sess. 7. Can. 11. Opusc. p. 756.
sic loquitur: *Quod de intentione consecrandi garriunt, à Sophistis nulla probabili ratione fuit proditum... Ego vero sacrosancta Christi institutioni tantum defero, ut si Epicureus quispiam, intus totam actionem subsannans, mihi Cœnam ex Christi mandato & secundum regulam ab eo datam rituque legitimo administret, non dubitem panem & calicem illius manu porrecta, vera mihi esse corporis & sanguinis Christi pignora.* Loquitur equidem ibi Calvinus de Epicureo qui intus irridens ac subsannans Sacramentum, illud tamen exterius ritu legitimo conferret: at incertum ac dubium nonnullis videtur, ad quid tendat & terminetur illa irrisio & fictio Epicurei; an ad substantiam ipsam Sacramenti, quam fingere tantùm velit, non facere; an tantum ad effectum & finem Sacramenti, quæ duo valde discrepant: postrema quippe intentio non requiritur; prima vero Sacramentum nullum & irritum facit.

Paulo clarius rem explicare videtur Chemnitius in Pa. 31. col. 1. Edit. Franc. an. 1578.
examine Concilii Tridentini par. 2. ad Canonem 15. sess. 7. "Non hoc, *inquit*, vult institutio Baptismi, ut "fiat vulgaris aliqua lotio, vel quæ ex professo nihil "aliud sit, vel quàm ridiculus lusus vel mimica sub"sannatio, vel prophanatio institutionis cum recitatio"ne verborum: sed requirit, ut peculiaris instituatur

"actio

"actio, & quidem illa actio, quam Christus instituit; "& hoc sufficit ad servandam institutionem. Quid vero "in corde de illa actione sentiat is, qui administrat Ba- "ptismum, hoc ad veritatem sive integritatem Baptis- "mi non pertinet." Patet ex his verbis, Chemnitium asperitatem sententiæ Lutheri emollire voluisse.

Reprobat ille quidem fictam & mimicam exteriùs ac apparentem Sacramenti administrationem, qualem Lutherus approbasse videtur; atque contendit necesse esse ut Minister inter baptisandum, non vulgarem seu propharam lotionem intendat facere, sed eam quam Christus instituit. Verum ambigitur an irrisionem & fictionem internam ille rejiciat, vel non.

2. col. Ibidem nostrorum Theologorum sententiam mala fide refert & adulterat: "Docuerunt, *ait*, ad veritatem "Baptismi requiri non tantum formam institutionis, "verum etiam intentionem Ministri, eamque non tan- "tum respectu actus baptisandi, ut objecti, sed etiam "respectu effectus Baptismi, qui est ejus finis & termi- "nus. Ideo tria ponunt, baptisationem, verba, & inten- "tionem; & illa tria sentiunt simul requiri ad verita- "tem integritatem Baptismi, ita ut neutrum sine altero "sufficiat." Verum fallitur ac nobis imponit Chemni- tius. Intentionem quidem requirunt Orthodoxi, sed non *respectu effectus Baptismi*, ut ille dicit; sed tan- tum *respectu actus baptisandi, ut objecti*. Quod si hoc unum vellent Novatores; necessariam non esse inten- tionem effectus Sacramenti, sed tantum ritus sacramen- talis quem Minister intus & animo intendit facere, non vero tantum fingere ac simulare, non esset profe- cto quod hac in parte eos reprehenderemus.

Marcus Antonius de Dominis L. 5. de Republica Ecclesiastica cap. 12. ad sensum Chemnitii accedere vi- detur, cum docet n. 12. non ipsius Ministri (privatam scilicet) sed Ecclesiæ [publicam] requiri intentionem. "Hæc enim, *inquit*, actionem dirigit, non præsens in- "tentio ministrantis. *Et nu. 13. addit*, externam actio- "nem v. g. lotionem in Baptismo, à prophana ad sa- "cram determinari, non ex sola invocatione Trinita- "tis, neque ex intentione (*privata*) Ministri, quæ ne- "cessaria non est, sed ex intentione Ecclesiæ; ex peti- "tione eorum qui non lotionem simplicem postulant; "ex loco, quia in Ecclesia; ex tempore, ex tot circum- "stantiis personarum, susceptorum &c." Cum ait de Dominis non requiri privatam Ministri intentionem, non satis constat quid ipse intelligat. Si enim hoc unum vult, privatam Ministri intentionem, tametsi perver- sam, non officere veritati Sacramenti, ultro annuimus, si aliunde Minister generatim ac serio velit facere quod facit Ecclesia, non autem fingere ac simulare. Ergo de Dominis vel negat omnino cum aliis Novatoribus, re- quiri Ministri intentionem faciendi quod facit Ecclesia, vel eam sufficientem credit, qua Minister serio exterius ritum Sacramenti usurpat, licet intus & animo eum non facere sed tantum fingere ac simulare velit, quod in idem plane recidit, ac pariter doctrinæ Catholicæ adversatur.

Eodem prorsus modo cum Chemnitio & de Domi- nis Novatorum sententiam exponunt recentiores Cal- vini discipuli. Ludovicus le Blanc in Thesibus Seda- nensibus jam citatis, pag. 798. postquam multa ex suis & ex nostris Theologis testimonia tulit n. 31. ait, *ma- nifestum esse sententiam Protestantium à Catharini sententia in hac quæstione nihil quoad rem ipsam dif- ferre; ac proinde defendi posse, eorum hac in parte do- ctrinam in ipso Concilio Tridentino non esse damna- tam.*

Verum, quidquid tandem hic ad fucum faciendum obtendant Novatores, ex eorum placitis clarè infertur, nullam ab ipsis admitti debere necessitatem intentionis in Ministro Sacramentorum faciendi quod facit Eccle- sia. Cum enim doceant Sacramenta justificare, qua- tenus repræsentando promissiones Christi excitant fi- dem suscipientium, & independenter ab intentione illam vim ipsis inditam putent ex Christi institutione; quacunque intentione administrentur, serio, vel lu- dicre, nihil refert, quia ad excitandam fidem apta esse non desinunt. Rationem reddit Chemnitius loco mox citato, ex paritate verbi quod prædicatur. Quemad- modum enim verbum Evangelii prædicatum sine ulla intentione esse verbum Evangelii non desinit, & qui ei assentitur justificatur, quantumvis perversam tam in- teriorem quàm exteriorem, vel etiam nullam habeat intentionem Minister; ita neque desinit esse Sacramen- tum, modo applicetur forma materiæ, tametsi absque intentione recta applicetur, sed contra cum perversa tum interiori, tum exteriori, vel etiam nulla. Cum nullam dico, eam duntaxat intelligo quæ refertur ad ritum ut Ecclesiæ ritus est; non eam, quæ ad opus ex- ternum ac pure materiale terminatur, quæ semper ad- est, quoties Minister sciens & volens operatur.

Talem reipsa ille Novatorum sententiam, demon- strat manifeste vel ipse Chemnitius loco jam cita- to: *Ministrum*, inquit, *qui animo prophane, irrisorie,* P. 33. 2. col. *negligenti & irreverenti, Sacramenta tractat, pecca- re non est dubium: sed hæc Ministri vitia, si tamen Sacramenta juxta Christi institutionem administret, non possunt Dei veritatem irritam facere; non enim ad substantiam & veritatem Sacramenti pertinet vel qualitas, vel fides, vel devotio Ministri.* Audis in- tentionem Ministri, sive interna illa sit, sive externa, non obstare veritati Sacramenti. Porro vix intelligi- tur qui fieri possit, ut Minister serio velit ritum Christi & Ecclesiæ perficere, quem intus subsannat & irridet: profecto Minister ille eo in casu non vult ritum illum facere, sed duntaxat repræsentare ac simulare; ergo non eam habet, quam Ecclesia.

De sententia Catharini & nonnullorum alio- rum Catholicorum.

Ambrosius Catharinus insignis ex Ordine Prædica- torum Theologus, qui Sessioni 7. Concilii Tridentini an. 1547. interfuit, Minorensis primum Episcopus, de- inde ad Archiepiscopatum Compsæ in Italia à Julio III. S. Pontifice promotus, Opusculum edidit ac promul- gavit de intentione Ministri, sedentibus adhuc Patri- bus Tridentinis, in quo sic loquitur, *Dicendum quod* Verba Catharini. *intentio Ministri dicitur esse in hoc, ut intendat face- re quod Christus & Ecclesia facit, etiamsi nihil ipse credat fieri.* Et paulo post: *Ponamus*, inquit, *Mini- strum omnia exteriùs facere quæ jubet Ecclesia, intus autem aliud servare in animo, ita ut intendat deriso- rie baptisare.* Hac facta hypothesi, quærit, an com- pletum dici possit Baptismi Sacramentum; tum con- cludit his verbis: "Non alia intentio Ministri requiritur, "nisi ut intendat exterius facere quod facit Ecclesia, "quamvis ipse neque credat esse Ecclesiam, neque ul- "lum Baptismi spiritualem effectum, sed satis est ut in- "tendat facere quod Ecclesia jubet per Ministros fieri; "namque quod illa per Ministros facit, ipsa facere in- "telligitur. Quid ergo facit Ecclesia per Ministros ba- "ptisando? nisi quod legitima utitur materia, adhibens "suam verborum formam: hoc igitur si facit Minister, "profecto illud facere intendit, si sit mente sanus. "Quis enim vigilans faciat aliquid quod facere non in- "tendat? &c.

Laudatur pro eadem sententia Robertus Pullus, Sen- tentiarum par. 5. cap. 15. Petrus Pictaviensis Sentent. parte 5. cap. 8. Petrus Lombardus Libr. 4 Sentent. dist. 27. Paludanus in 4. dist. 6. qu. 2. Angelus de Cla- vasio, seu Auctor Summæ Angelicæ, verbo, *Baptismus*, cap. 5. paragr. 7. Sylvester in Summa, verbo, *Baptis- mus*, titulo 3. Alphonsus Salmeron celebris inter pri-

mos Societatis Jesu Theologos, qui in Concilio Tridentino jussu Pauli III. Theologi partes agebat Commantario in Epistolas sancti Pauli 3. parte disput. 2. Joannes Martius Scribonius Gallus, in Panselithia, seu Summa Theologiæ disput. 1. de Sacramentis in genere quæst. 6. & 7. ubi multis momentis ac rationibus sententiam illam confirmat, quas refert ac refellit Cardinalis de Lugo de Sacramentis disput. 7. sectione 3. inter recentiores Contensonius, Juenius &c.

Declarat etiam citatus Ludovicus le Blanc Calvinianus, se ac suos non aliam quàm Catharini sententiam hic propugnare.

Bellarminus Lib. 1. de Sacramentis in genere capit. 27. asserit hanc Catharini & aliorum sententiam proximè accedere ad errorem Novatorum, *à quo non differt, nisi quia Catharinus in fine Opusculi subjicit se Apostolicæ Sedi, & Concilio; Novatores autem rident utrumque.*

To. 3. p. 59. A.

Idem fere est de hac Catharini sententia Cardinalis de Lugo judicium, loco mox citato, sect. 2. Quamvis enim fateatur *sententiam illam non ita aperte comprehensam esse definitionibus Conciliorum, sicut comprehenditur Lutheri & aliorum Hæreticorum error ..... meritò tamen censetur ab errore damnato non multum distare, & ideo meritissimè*, inquit, *ab omnibus Theologis rejecta sit.*

P. 115. & 116.

Attamen, pace illorum Eminentissimorum Theologorum dixerim, Catharini sententiam erroris suspectam videri non debere: tum quia Opusculum suum sub oculis Patrum Tridentinorum edidit ac evulgavit, nemine redarguente ac contradicente. Quin Opusculum illud de intentione Ministri, simul cum aliis ejusdem Auctoris Operibus Romæ anno 1552. Typis editum fuit ab Antonio Baldo Cameræ Apostolicæ Typographo. Tum quia testatur Cardinalis Palavicinus L. 9. cap. 6. Historiæ Concilii Tridentini, *Catharini sententiam Patribus suspectam non fuisse, nec illis fuisse in animo eam proscribendi.* Et Lib. 12. cap. 10. postquam retulit verba Concilii Tridentini sess. 14. cap. 6 addit, *censuit posse haud esse expunctam sententiam Catharini, aliorumque Theologorum opinantium, Sacramento, quo ratum sit, sufficere in Ministro voluntatem serio agendi; & obesse tantum jocum quem Sacramentum suscipiens cognoscere possit.*

To. 2. p. 28.

Ibid. p. 328.

Et reipsa nusquam docuit Catharinus, ratum ac validum esse Sacramentum, quod Minister perficit vel per jocum & fictionem externam, vel etiam internam, quæ ad Sacramenti substantiam terminetur; ita ut Minister serio interius non intendat facere ritum Christi & Ecclesiæ, sed eum duntaxat fingere ac simulare. Non rejicit itaque Catharinus intentionem internam operis externi Ecclesiæ, sed tantum finis seu effectus Sacramenti, aut ritus externi sub formali ratione Sacramenti: unde jocus ille ac irrisio Ministri, de qua Catharinus, non ipsam spectat Sacramenti substantiam, sed ipsius vel effectum & finem, vel formalem rationem Sacramenti. *Non alia*, inquit, *intentio Ministri requiritur, nisi ut intendat exterius facere quod facit Ecclesia, quamvis ipse neque credat esse Ecclesiam, neque ullum Baptismi spiritualem effectum.* En intentio, quam Catharinus necessariam non putat, quæ nempe terminetur aut ad effectum spiritualem Baptismi, aut ad puram de Ecclesia & de Sacramentis fidem atque doctrinam; non eam interiorem quæ spectat Sacramenti substantiam. Quapropter vel ipsemet de Dominis (quamquam ipsius interesset Catharinum ad se trahere) candidè nihilominus agnoscit Lib. 5. de Republica Ecclesiastica cap. 12. n. 13. *Eum requirere intentionem faciendi actum externum, ut sacrum, & non ut simpliciter prophanum. Ego tamen*, pergit de Dominis, *ne in hoc quidem intentionem Ministri video necessariam.*

Quin & ipsemet Bellarminus loco citato hunc Catharini sensum non obscurè subindicat. Referens enim ejus opinionem, ait: *Duplicem distinguit intentionem, unam faciendi simpliciter actum externum quem facit Ecclesia; alteram faciendi actum externum non simpliciter, sed ut sacramentalem, sive animo celebrandi mysterium quod Christus instituit, & Ecclesia celebrat. Et quidem priorem intentionem ait requiri, posteriorem negat.* Ergo, vel ipsomet judice Bellarmino, intentio quam Catharinus negat esse necessariam, ea est quæ terminetur vel ad effectum & finem Sacramenti, vel ritum externum Ecclesiæ, quatenus formaliter est Sacramentum; non ea vero quæ terminatur simpliciter ad ritum externum Ecclesiæ, quem Minister serio vult celebrare, non autem fingere tantum ac simulare. Ita sententiam Catharini exponit Vasques in 3. par. S. Thomæ disp. 138. cap. 2.

To. 3. p. 49. A.

Non alius videtur esse Salmeronis sensus. Ipse siquidem privatam duntaxat ac particularem excludit Ministri intentionem, *qui* (sunt ejus verba) *aut nihil credit eorum quæ facit, aut derisoriè facit* (nempe exterius) *aut contrariam habet intentionem non conferendi Sacramenta, aut eorum effectus.*

Ed. in. Colon. 1604. To. 3. p. 186. col. 2.

Inter decem quas exponit opinionis suæ ratio[illegible], octava hæc est: *Si*, inquit, *ad essentiam Sac[illegible] facit Ministri intentio, quomodo aut Hæretic[illegible] aut Judæus, aut Paganus validum & verum Baptismi Sacramentum ministrare possunt? Nam illorum permulti aut Baptismum, aut ejus effectum pernegant.* Nonam rationem repetit ab exemplo illius, qui se liberè ritui externo Ecclesiæ subjicit, ac baptisatur, tametsi putet ritum illum omni fructu spirituali vacuum esse ac destitutum: quæ duo Salmeronis momenta clarè indicant, non aliam ab illo intentionem rejici, quàm eam, quæ aut ad effectum Sacramenti, aut ad Sacramentum ipsum formaliter sumptum refertur ac terminatur.

Ibid. p. 188 col. 1.

Si qui sint inter nostros Theologos qui Catharini & Salmeronis mentem aliter interpretentur, ac existiment satis esse ad veritatem Sacramenti, quod Minister serio exterius ritum Ecclesiæ observet, tametsi interius nolit illum reipsa facere, sed tantum simulare ac fingere, eos rejicimus, eorumque sententiam ab errore Novatorum damnato vix distare arbitramur. His præmissis sit.

PRIMA CONCLUSIO.

Ad veritatem & integritatem substantialem Sacramenti necessaria est interna Ministri intentio, qua velit non fingere ac simulare, sed verè ac serio facere simpliciter ac generatim saltem id quod facit Ecclesia.

Qui ergo serio exterius ritum Ecclesiæ perficeret, intus tamen & animo intentionem suam retineret, vel gereret contrariam, nec vellet apud se ritum illum Ecclesiæ reipsa facere, sed tantùm simulare, is verum non perficeret Sacramentum; tametsi quoad Ecclesiam, quæ de occultis non judicat, ratum ac validum præsumeretur.

Probatur 1. ex Scriptura in qua ita supponuntur Sacramenta instituta à Christo, ut voluerit ea fieri dependenter ab intentione Ministri. *Sic nos existimet homo*, ait sanctus Paulus 1. ad Corinth. 4. v. 1. *ut Ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei.* Dispensator autem ac Minister fidelis, debet id velle facere, quod vult ille cujus est Minister. Quid vult autem Christus Sacramentorum auctor, dum Ministris suis facultatem concedit dispensandi sua Sacramenta? ut baptisent, peccata remittant, orent ut remittantur; ut Eucharistiam in memoriam Christi perficiant: ut

vinculo

vinculo conjugali contrahentes in Domino conjungant; ut Ministris, qui ordinatur, potestatem conferant Ordini quem recipiunt consonam ac congruentem &c. An porro vere baptisare dicendus ille est, qui non vult baptisare, sed Baptismi ritum fingere? An peccata remittere, qui ea remittendi animum non habet? An vera orare qui ab oratione animum gerit longe alienum? An Eucharistiam in memoriam Passionis Christi celebrare, & in persona Christi verba ista pronuntiare, *Hoc est corpus meum*, qui verba hæc pure materialiter pronuntiat, nec id intendit facere quod Christus fecit? An potestatem Ministris qui ordinantur conferre, quibus eam confere non vult? An denique contrahentes conjugali vinculo ligare, qui dissentit nec vult ligare; maxime si, ut multis placet, contrahentes ipsi sint Ministri Matrimonii? Certum quippe est, nullum & irritum esse coram Deo Matrimonium quod fit sine mutuo & interiori contrahentium consensu. Ita declarat Innocentius III. cap. *Tua nos*, de Sponsalibus &
P.1439. n.50. Matrimonio. *Quid juris*, inquit, *rescribentes dicimus, quod si res ita se habet, videlicet quod ille eam non proposuit ducere in uxorem, nec unquam consensit in talem sponsam, non debet ex illo facto conjugium judicari, cum in eo nec substantia conjugalis contractus, nec forma contrahendi conjugium valeat inveniri: quoniam ex altera parte dolus solummodo adfuit, & defuit omnino consensus sine quo cætera nequeunt fœdus*
P.1465. n.20. *perficere conjugale.* Et cap. *Tuas*, de sponsa duorum: *Si solus consensus defuerit, cætera etiam cum ipso coitu celebrata frustrantur.*

Probatur 2. Conclusio auctoritate Martini V. Leonis X. Eugenii IV. & Concilii Tridentini.

Martinus V. Constitutione quæ legitur ad calcem Concilii Constantiensis, inter articulos de quibus jubet suspectos in fide interrogari, hunc recenset;
To. 12. Conc. p. 269.E. „Utrum credant quod malus Sacerdos cum debita materia & forma, & cum intentione faciendi quod facit „Ecclesia, vere absolvat, vere baptiset, & vere conficiat alia Sacramenta?

Eugenius IV. in Decreto seu Instructione Armenis
To. 19. Conc. p. 535.A. data: "Omnia, *inquit*, Sacramenta tribus perficiuntur, „videlicet rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, & persona Ministri conferentis Sacramentum „cum intentione faciendi quod facit Ecclesia: quorum „si aliquod desit, non perficitur Sacramentum.

Leo X. in Bulla contra errores Lutheri, hunc duo-
To.14. Conc. p. 392.E. decimum articulum damnat: "Si per impossibile confessus non esse contritus, aut Sacerdos non serio sed „joco absolveret, si tamen credat se absolutum, verissime est absolutus.

Ibid. p. 777.D. Concilium Tridentinum sess. 7. Can. 11. "Si quis „dixerit in Ministris dum Sacramenta conficiunt & „conferunt, non requiri intentionem saltem faciendi „quod facit Ecclesia, anathema sit.

Ibid. p. 819.E. Et sess. 14. c. 6. ait illum fore " salutis suæ negli„gentissimum, qui Sacerdotem jocose absolventem „cognosceret, & non alium serio agentem sedulo re„quireret.

Ibid. p. 825.A. Et Can. 9. ejusdem sess. sic statuit: " Si quis „dixerit, absolutionem sacramentalem Sacerdotis „non esse actum judicialem, sed nudum ministeri„um pronuntiandi & declarandi remissa esse peccata „confitenti, modo tamen credat se esse absolutum, aut „Sacerdos non serio, sed joco absolvat ... anathema sit.

Ex quibus sic arguimus.

I. Requiritur intentio faciendi quod facit Ecclesia: sed qui in animo statuit exterius dumtaxat fingere ac simulare quod facit Ecclesia, ille profecto non habet intentionem faciendi, sed tantum simulandi id quod Ecclesia facit; ergo non habet intentionem necessariam quam Ecclesia exigit: Ecclesia quippe exigit intentionem faciendi, non simulandi tantum nec fingendi.

At, inquies, nonne supponitur ille serio exterius ritum Ecclesiæ perficere? ita fateor: at quomodo perficit? pure materialiter. Nonne mimus seu histrio in theatro ritum Ecclesiæ mere externe ac materialiter etiam repræsentat? An Sacramentum verum perficere dici potest? non puto: solus id asseret Hæreticus. Nullum porro aliud inter utrumque discrimen hic occurrit, nisi quod histrio apertus sit ac manifestus irrisor, Minister vero, in hypothesi adducta, irrisor sit latens & occultus; & quamdiu irrisio ejus latuerit, pro rato haberi debet in tribunali Ecclesiastico Sacramentum quod contulit; Ecclesia enim de occultis non judicat. Quod si fictio & irrisio, reo ipsam declarante ac confitente, cognoscatur, judicabit pro sua prudentia Episcopus, quid facto sit opus.

II. Particula ista, *saltem*, qua utitur Concilium, tacite quidem innuit optimam esse optandam in Ministro intentionem faciendi verum Sacramentum; at ostendit etiam absolute sufficere intentionem simpliciter ac generatim faciendi quod facit Ecclesia, quæcunque tandem sit privata ipsius de Ecclesia, vel de Sacramento ejusque effectu & efficacia, opinio.

III. Præter materiam & formam Sacramenti à Ministro usurpatam, Ecclesia exigit ejus intentionem, ut nempe intendat ac velit facere quod ipsa facit. At frustra profecto id exigeret Ecclesia, si intentio hæc mere externa foret, non vero interna. Quid ita? quia in principiis adversæ sententiæ, intentio externa separari non potest ab actione quæ materiam Sacramenti cum forma serio exterius conjungit; ergo frustra & in vanum, præter materiam & formam Sacramenti, Ecclesia exigeret intentionem Ministri. Exigit tamen: quare? quia necessaria prorsus existimat illam specialem & interiorem intentionem distinctam ab illa externa quæ ab illa externa quæ ab applicatione materiæ & formæ sacramentalis separari nunquam potest.

Non ita est, inquies, abesse enim potest & reipsa debita intentio abest ac desideratur, quando ritus externus ac materialis Ecclesiæ per jocum & irrisionem externam ac manifestam exercetur. Recte quidem: at cum jocus & irrisio interna est, non minus abest illa intentio; sit externa, vel interna fictio & irrisio, semper verum dictu est, Ministrum non intendere interius facere ritum Ecclesiæ, sed tantum velle illum simulare ac fingere; declaratio enim seu manifestatio fictionis ac irrisionis, non addit actioni specialem defectum, sed tantum supponit ac exterius illum prodit; ergo tam interna, quam externa fictio ac fallacia reipsa veritatem Sacramenti destruit.

Ita esse vel ipsimet adversarii fateri coguntur. Concedunt enim Ministrum qui externos Ecclesiæ ritus peragit, non esse censendum, eam, quæ necessaria est, habere intentionem, si dum ritus illos peragit, aliquid faciat exterius quo significet se oppositam ritui gerere interius voluntatem. Id certe concedere tenentur adversarii, nisi velint incidere in errorem Lutheri, qui dicebat, Sacramentum ab ebrio per jocum & irrisorie collatum, ratum ac validum esse, contra quem Synodus Tridentina declarat, necessariam esse intentionem faciendi quod facit Ecclesia. At si istud admittant, non satis perspectum est, quo sensu affirment, Ministrum, qui serio exterius ritum Ecclesiæ peragit, habendo simul interius contrariam ritui qui peragitur intentionem, quam non detegit, esse præsumendum gerere intentionem faciendi quod facit Ecclesia.

IV. Synodus Tridentina monet eum salutis suæ negligentissimum fore, qui Sacerdotem joco se absolventem cognosceret, & alium serio agentem non requireret; ergo Synodus supponit velut certam, absolutionem jocose ac ficte datam, esse nullam & irritam: atqui jocosa est, ficta & irrisionis plena absolutio, quam Sacerdos exterius quidem pronuntiat, sed intus & animo intendit eam vere non conferre, sed tantum fingere.

Nec est quod reponas, Concilium loqui de joco externo & manifesto. Fateor; neque id mirum videri debet: namque adversùs jocum manifestum præmunire dumtaxat voluit ac potuit pœnitentes, non adversus eum qui latet & ignoratur, de quo judicare Ecclesia non potest.

At vitium absolutionis per jocum etiam externum datæ, non ex ipsa præcisè fictionis seu joci declaratione nascitur, (ut enim mox diximus, declaratio illa vitium supponit ac prodit, non facit) sed ex defectu debitæ intentionis; atqui defectus ille occurrit quoties Minister ritum externum ac materialem Ecclesiæ etiam serio exterius observat, intus tamen non intendit observare, sed simulare.

Quemadmodum autem ubi actio externa in debitis circumstantiis fit, merito præsumi debet eam cum debita intentione factam esse, nec ullum circa veritatem Sacramenti dubium movendum est; ita quoque cum eadem actio externa in iis circumstantiis fit, in quibus à sapientibus Ministris fieri non solet, jure præsumitur nullam adesse seriam ac veram ministerii Ecclesiastici adimplendi voluntatem, adeoque nullam his in casibus judicatur esse Sacramentum. V. g. si quis Sacerdos inter confabulandum cum amicis eorum alicui diceret, Absolvo te à peccatis; aut si communi mensæ assidens, aut per officinam pistoris transiens verba consecrationis Eucharistiæ supra omnem qui in mensa vel in officina pistoris est, panem proferret, nec vera esset absolutio, nec vera consecratio, quia, quidquid ille tandem Sacerdos diceret, veram non habuit nec seriam absolvendi & consecrandi voluntatem, neque se ut verum Ecclesiæ Ministrum in debitis circumstantiis gessit. Propter eandem causam & rationem, si quis Sacerdos in debitis circumstantiis ut Ministrum Ecclesiæ gerens; verba aut absolutionis, aut consecrationis serio proferret, declararet nihilominus se nullam intentionem habuisse aut absolvendi à peccatis, aut conficiendi corpus Christi, non ita facile credendum ipsi foret, nec illico turbanda Fidelium conscientia circa valorem Sacramentorum quæ ille serio perfecisse visus est, sed gravi ac prudenti Episcoporum consilio res tunc pertractanda ac dijudicanda foret; forte longè consultius silentio premenda.

Ergo quantum ad praxim attinet, hinc & indè concessum habemus, ad pacem conscientiarum, nullum circa veritatem Sacramenti scrupulum ac dubium moveri debere, quoties Minister serio exterius ac in debitis circumstantiis exercet ritum Ecclesiæ, tametsi forsan contrariam in animo premeret intentionem, quam exterius non prodit nec manifestat.

Probatur 3. tum ex usu qui in Ecclesia valuit, baptisandi sub conditione eos quorum dubius ac incertus est Baptismus; tum ex Rubricis Missalis Romani.

Constans est ac probata praxis Ecclesiæ, sub conditione baptisandi eos quorum dubius ac incertus est Baptismus. *Si non es baptisatus*, ait Minister, *te baptiso*; *si es baptisatus, non te baptiso.* Porro si reipsa homo ille jam baptisatus est, nullus est Baptismus qui denuo ipsi sub conditione confertur. Unde porro nullus? non ex defectu materiæ & formæ, quæ debite applicatur exterius; ergo ex solo defectu intentionis internæ in eo qui materiam & formam Baptismatis exterius adhibet; ergo necessaria prorsus est interna Ministri intentio, ut Sacramentum ratum ac validum sit.

Idem patet ex Rubricis Missalis Romani, quod cura & auctoritate Clementis VIII. editum fuit, capite 7. de defectu intentionis. "Si quis non intendit conficere, „sed delusorie aliquid agere. Item, si aliquæ hostiæ ex „oblivione remaneant in Altari; vel aliqua pars vini, „vel aliqua hostia lateat, cum non intendat consecrare „nisi quas videt. Item, si quis habeat coram se „undecim hostias, & intendat consecrare solum decem, „non determinans quas decem intendit, in his casibus „non consecrat, quia requiritur intentio; secus si putans esse decem, omnes tamen voluerit consecrare, „quas coram se habebat, nam tunc omnes erunt „consecratæ.

Easdem Rubricas adoptavit Missale Parisiense, quas & sequuntur aliæ quamplures Ecclesiæ. Porro in citatis casibus non deest intentio quæ dicitur exterior & inseparabilis est à materia & forma debite ac serio exterius applicatis; ergo ex solo defectu internæ intentionis nulla est in adductis casibus Eucharistiæ consecratio.

Respondet Scribonius, defectum his in casibus non tam provenire ex defectu intentionis, quam ex materia indeterminata & vaga: agens enim non potest introducere formam in materiam vagam & indeterminatam, & non debite applicatam, prout est in his casibus; atque ideo forma, *Hoc est* &c. est falsa: quia ibi nulla est materia determinata de qua possit dicere, *Hoc est*; ergo ex defectu materiæ deficit valor consecrationis.

Verum non alius hic defectus occurrit quam intentionis. Nemque non deest applicatio externa materiæ certæ; quandoquidem omnes decem hostiæ sunt coram Sacerdote; deest ergo sola materiæ applicatio per intentionem internam. Quæro enim quid sit reipsa tunc materiam non esse determinatam, sed vagam? sane nihil aliud assignari poterit, nisi eam non esse determinatam per intentionem Sacerdotis volentis applicare formam his hostiis, & non illis; ergo ad valorem Sacramenti necessaria est talis determinatio facta per intentionem internam Sacerdotis, quæ quidem adesse non potest; ubi adest animus internus contrarius nullam consecrandi, quamtumvis velit proferre exterius verba in præsentia omnium illarum hostiarum.

Probatur 4. auctoritate Alexandri VIII. Summi Pontificis qui in Decreto anni 1690. die 7. Decembris inter multas propositiones istam n. 28. proscripsit. *Valet Baptismus collatus à Ministro qui omnem ritum externum formamque baptisandi observat, intus vero in corde suo apud se resolvit, Non intendo quod facit Ecclesia.* Supponit haud dubie propositio damnata, Ministrum qui serio exterius ritum Baptismi observat; alias gratis conficta & novo fulmine in vanum attrita dicenda foret, quia scilicet nullus est. Orthodoxus qui doceat valere Baptisma exterius per jocum & irrisionem datum. Igitur propositionis damnatæ hic sensus est, Valet Baptismus datus à Ministro, qui omnem ritum externum formamque baptisandi serio observat, intus tamen statuit non facere quod facit Ecclesia, sed tantum illud simulare ac fingere; quæ ipsamet est hypothesis intentionis externæ, quam impugnamus.

Probatur 5. auctoritate S. Thomæ, & ratione qua ille utitur 3. p. q. 64. art. 8. "Quando, *inquit*, „aliquid se habet ad multa [*indifferenter*] oportet „quod per aliquid determinetur ad unum, si illud „effici debeat. Ea vero quæ in Sacramentis aguntur, „possunt diversimode agi; sicut ablutio aquæ quæ fit „in Baptismo, potest ordinari ad munditiam corporalem, & ad sanitatem corporalem, & ad ludum, & „ad multa alia hujusmodi: & ideo oportet, quod „determinetur ad unum, id est, ad sacramentalem „effectum, per intentionem abluentis; & hæc intentio exprimitur per verba quæ in Sacramentis dicuntur, puta cum dicit: Ego te baptiso in nomine „Patris &c.

Et art. 10. "Dicendum, *inquit*, quod intentio Ministri potest perverti dupliciter: uno modo respectu ipsius Sacramenti; puta cum aliquis non intendit Sacramentum conferre, sed derisorie aliquid agere; & talis „perversitas tollit veritatem Sacramenti, præcipue quando suam intentionem exterius manifestat. Non sine

causa

causa ultimam hanc clausulam, *præcipue*, addit S. Doctor, qua innuit per irrisionem ac jocum manifestum *præcipue*, id est omnium Catholicorum judicio, irritum reddi Sacramentum, quamquam quoad se irritum etiam reddatur per irrisionem internam & occultam; licet quoad nos, qui de occultis non judicamus, validum præsumatur.

In responsione ad 2. rursus Angelicus Doctor ait, *quod intentio ludrica vel jocosa excludat primam rectitudinem intentionis, per quam perficitur Sacramentum.* Porro ludrica, fallax, & jocosa est intentio in eo qui intus non proponit facere ritum Ecclesiæ, sed eum dumtaxat simulare ac repræsentare.

Quod si dicas, obviam ac facilem esse responsionem ad totum istud sancti Doctoris ratiocinium; nempe externam Ministris actionem ex ipsismet circumstantiis sufficienter determinari ad Sacramentum conficiendum; reponemus, ex circumstantiis quidem aliquatenus quoad nos, & judicium quod de veritate Sacramenti ferri debet, actionem Ministri determinari; sed quantum ab substantiam ipsam Sacramenti in se spectatam, per solam interiorem Ministri intentionem illam determinari necesse est.

Ratio aperta est: Quia necesse est verba formæ, v. g. *Ego te baptiso*, ab aliquo determinari ad rationem Sacramenti. Sicut enim materia ad multa indifferens & indeterminata, per formam ad unum determinatur; ita pariter & forma, quæ plura ex se significare potest, v. g. in Baptismo ablutionem sordium, recuperationem sanitatis &c. determinanda est ad esse sacramentale; atqui non aliter quam per intentionem Ministri determinatur; ergo plane necessaria est intentio Ministri.

Nec dicas, verba formæ satis determinari, vel per intentionem illius qui Sacramentum suscipit, vel per intentionem Christi.

Namque I. cum infans baptisatur, forma non potest per illum determinari; ergo non à suscipiente, sed à ministrante forma Baptismi determinatur.

II. Si per institutionem Christi verba formæ ad esse sacramentale determinantur; ergo qui vel ebrius, vel somnians verba illa proferret, verum perficeret Sacramentum, quod quantum absurdum sit, omnes intelligunt.

Confirmatur divi Thomæ ratiocinium, ex discrimine quod intercedit inter verba speculativa & practica. Speculativa, quia totam efficaciam suam habent à significatione; à quocunque dicantur, vim suam obtinent; at verba practica, quæ vim suam totam non trahunt à significatione, non sunt efficacia nisi prolata ab eo qui potestatem & voluntatem habet faciendi ea quæ per verba significantur. Sic Regum imperia efficacia sunt, non privatorum, tametsi verbis iisdem, quibus Reges, utantur; quia nempe potestatem habent Reges, non privati. Sed etiam si Rex sine intentione, inter somniandum v. g. aliquem occidi juberet, imperium executioni non demandaretur; quia licet Rex istud imperandi potestatem habeat, non constat tamen an velit. Ex quibus patet potestatem & voluntatem requiri in eo qui verba practica pronuntiat, ut ea efficacia sint; atqui formæ Sacramentorum verba sunt practica, operantur enim quod significant; ergo ut efficacia debet esse in eo à quo proferuntur potestas & voluntas faciendi quod significant, & consequenter necessaria ejus intentio.

SECUNDA CONCLUSIO.

Ad veritatem & integritatem Sacramenti non requiritur ut Minister intendat facere vel effectum Sacramenti, vel ritum Ecclesiæ formaliter ut Sacramentum est, vel etiam facere quod facit Ecclesia Catholica & Romana; sed sufficit ut simpliciter ac generatim velit facere quod facit Ecclesia; quæcunque tandem illius sit, & de Ecclesia & de Sacramento ejusque effectu ac fine, sententia.

Ac primo quidem non requiri intentionem finis seu effectus Sacramenti. *Non requiritur intentio finis seu effectus Sacramenti.*

Probatur I. Quia Synodus Tridentina exigit tantum à Ministro Sacramentorum, ut intendat facere quod facit Ecclesia. Non ait, ut intendat facere quod Ecclesia intendit, sed quod facit.

II. Sic expresse docet sanctus Augustinus Epistola ad Bonifacium 98 alias 23. « Nec illud te moveat, *inquit*, quod quidem non ea fide ad Baptismum percipiendum parvulos ferunt, ut gratia spiritali ad vitam regenerentur æternam, sed quod eos putant hoc remedio temporalem retinere vel recipere sanitatem. Non enim propterea illi non regenerantur, quia non ab istis hac intentione offeruntur. Celebrantur enim per eos necessaria ministeria, & verba Sacramentorum sine quibus consecrari parvulus non potest. *T. 2. p. 265. F.*

III. Idem demonstrat constans Ecclesiæ praxis: neque enim irritum usque habitum fuit Baptisma datum à Pelagianis licet negarent per Baptismum infantes regenerari, & labe originali purgari; imo à Judæo & Pagano in forma legitima collatum approbavit Nicolaus I. in Rescripto ad consulta Bulgarorum: porro illi omnes haud dubie non intendebant spiritualem conferre Baptismatis effectum. Neque etiam nos rebaptisamus baptisatos à Zuinglianis & Calvinistis, etsi non ignoremus illos baptisare sine intentione finis seu effectus Sacramenti: quin ne tale Baptisma isto prætextu iteraretur etiam sub forma conditionali, expresse prohibuit Concilium Rothomagense anno 1581. Præside Carolo Cardinale Borbonio. « Antea, *inquit*, in plerisque nostrarum Diœceseon locis baptisati ab Hæreticis, præsertim à Calvinistis, redeuntes ad Ecclesiam Catholicam, iterum tingebantur sub hac verborum forma, Si non es baptisatus, ego te baptiso; quia dubitabant nonnulli de valore Baptismi ab hujusmodi Hæreticis collati, eo quod non haberent intentionem baptisandi in remissionem peccatorum. Verum quoniam illa formula baptisandi sub conditione fuit introducta propter Baptismata occulta, & de quibus non apparebat..... Contra vero constabat Calvinistas in cœtu publico baptisare in forma verborum & materia à Christo instituta, vetamus ablutionem repeti. » *T. 15. Conc. 826. D. E.* Idem quoque prohibitum fuit à Conciliis Remensi an. 1583. titulo de *Bapt.* n. 10. Turonensi eodem anno & eodem titulo cap. 6. Aquensi anno 1585. Tolosano 1590. parte 2. c. 2. n. 5.

S. Thomas 3. parte qu. 64. art. 10. probat Ministrum qui perversam gerit intentionem circa finem seu effectum Sacramenti, non destruere veritatem Sacramenti; ut si quis corpus Christi conficeret ut eo ad veneficia uteretur: quia nempe istud ad privatam duntaxat pertinet Ministri malitiam, quæ veritatem Sacramenti non tollit. Atqui Minister, qui vel nullum, vel etiam plane contrarium intendit effectum Sacramenti, ille ex privata malitia perversam gerit intentionem circa finem seu effectum Sacramenti; ergo &c.

Ratio à priori est, quia virtus & efficacia Sacramentorum non ex privata Ministri voluntate dependet, sed à Christo ipso Sacramentorum auctore; quam proinde Minister impedire aut retardare ad arbitrium non potest, cum Sacramentum suis est omnibus numeris perfectum. Agunt quippe Sacramenta per modum agentium naturalium, hoc est, necessario: ignis v. g. segetibus admotus eas necessario comburit, tametsi qui ipsum admovit, contestaretur nolle se eas comburere.

Probatur 2. absolute necessariam non esse intentionem internam ac privatam, qua Minister velit ritum Christi

Secunda pars explicatur: quia conditio apposita intentioni, vel est de præterito, vel de præsenti, vel de futuro.

Si est de præterito, vel præsenti, necesse est ut vel omnino destruat intentionem, vel ut illam supponat efficacem & absolutam. Nam si conditio illa nec fuit, nec est, eo ipso intentionem destruit, quia voluntas conditionata, non posita conditione, nulla est: si vero conditio illa fuit, vel est, intentio transit in absolutam; quia voluntas sub conditione, posita conditione fit absoluta. Sic v. g. qui diceret, Ego te baptiso, si non es baptisatus, intentio illius fit absoluta & Baptismum perficit, si reipsa homo ille baptisatus non est; si autem baptisatus est, intentio destruitur, & nullum est Sacramentum.

Si autem conditio apposita sit de futuro, semper est contraria substantiæ Sacramenti; ut v. g. si quis diceret, Ego te absolvo à peccatis, si restitutionem feceris. Ratio est, quia conditio de futuro suspendit præsentem intentionem, & efficit ut Minister in præsenti non habeat voluntatem faciendi Sacramentum. Quod si, inquies, postea impleatur conditio, an tunc saltem erit Sacramentum? Resp. negative; quia non potest fieri Sacramentum nisi adsit materia & forma Sacramenti: at postea cum impletur conditio, non adest materia & forma Sacramenti; & quæ prius posita supponitur, nec amplius superest, nec vere sacramentalis fuit, defectu præsentis intentionis.

Quærunt aliqui, an valeret hæc conditio, Ego te baptiso, si es prædestinatus. Nonnulli affirmant, si nempe conditio reipsa posita sit, quia parum refert quod ignoremus an posita sit nec ne; sicut, inquiunt, valet ista, Ego te baptiso si non es baptisatus, etsi ignoremus an ea conditio posita fuerit. E contra contendunt alii, non sufficere intentionem illam conditionatam, quia conditio quæ apponitur in actionibus vel contractibus humanis, talis esse debet, ut humano modo cognosci possit, alioquin semper dubii & incerti essemus de valore actionum & contractuum humanorum: atqui illa conditio, Ego te baptiso, si es prædestinatus, non potest humano modo cognosci; ergo &c.

Quæritur etiam, an isthæc intentio conata, Ego te baptiso, si es Catholicus, non autem si es Hæreticus, sufficiat; negant aliqui cum Scoto. Ratio ipsis est, quia qui sic baptisat, non intendit facere quod facit Ecclesia; quia Ecclesia intendit ut Sacramentum validum sit, etiamsi conferatur Hæretico. Aliis tamen contraria placet opinio, quia si talis conditio revera ponitur, jam intentio Ministri, ut dictum fuit, transit in absolutam.

An intentio ad certam & determinatam personam dirigi debeat.

Quæres 2. an, ut validum sit Sacramentum, necesse sit intentionem Ministri dirigi ad certam aliquam personam vel materiam, absque ullo substantiali errore.

Resp. affirmative. Prima pars manifesta est ex ipsis Sacramentorum formis, Ego te baptiso, Ego te absolvo, quibus certa & determinata persona designatur, ad quam dirigitur intentio Ministri. Similiter in forma Eucharistiæ pronomen, *hoc*, designat determinatam materiam consecrandam. Ratio communis est, quia intentio Ministri debet esse efficax & operativa; operationes autem sunt circa singularia. Secunda pars, videlicet intentionem debere esse sine ullo substantiali errore, probatur, quia si intentio caderet in hanc materiam vel personam, & actio sacramentalis versaretur circa aliam, talis actio non procederet ex tali intentione, ac proinde esset actio sine intentione: requiritur autem, ex dictis, in Ministro Sacramentorum intentio.

At, inquies, licet error substantialis adversetur veritati Sacramenti Matrimonii, non tamen videtur esse contrarius veritati absolutionis sacramentalis; namque valida foret absolutio, si absolverem Petrum legitime sua mihi confitentem peccata, licet existimarem Paulum esse qui confitetur peccata sua, & hoc modo errarem in persona.

Respondetur hoc totum pendere ex intentione. Nam si ego intendam absolvere illam personam quæ sua mihi peccata confitetur, etiamsi nesciam quæ sit illa persona, valida nihilominus est absolutio, quia intentio directe fertur in personam confitentem; unde error ille quo puto personam illam esse Paulum, cum tamen sit Petrus, substantialis non est, sed accidentalis. Si tamen præcise intenderem absolvere personam Pauli, excludendo omnes alias personas, tunc nulla foret absolutio, nisi persona Pauli confiteatur.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Adversus primam Conclusionem.

Ex triplici capite Objectiones illæ repetuntur. 1. Ex factis historicis, 2. Ex sanctis Augustino, Thoma, & Innocentio IV. 3. Ex rationibus ac momentis Theologicis.

Objectiones ex factis historicis.

Objicies itaque 1. Ratum ac validum est Baptisma per jocum & irrisionem etiam externam & manifestam collatum, quanto magis per internam ac latentem?

Antecedens exemplis ex Historia Ecclesiastica depromptis probatur.

S. Athanasii.

I. S. Athanasii, qui, cum puer esset, inter ludendum in littore maris socios suos pueros baptisavit; quem Baptismum approbavit Alexander Episcopus Alexandrinus. Factum referunt Rufinus Lib. 1. Hist. cap. 14. Socrates Libro 1. cap. 15. Sozomenus Libro 1. cap. 17.

S. Genesii.

II. S. Genesii, qui cum in theatro mysteria nostræ Religionis mimice repræsentaret, subito ad fidem conversus ab alio omnino baptisatus refertur; cujus Baptismus ratus habitus fuit, utpote non iteratus. Rem narrat Ado in suo Martyrologio ad diem 25. Augusti.

Judæi cujusdam.

III. Judæi illius qui à sociis in littore maris ludentibus baptisatus est, narrante Nicephoro Lib. 3. Hist. cap. ultimo.

Resp. 1. distinguo ant. Ratum ac validum est Baptisma per jocum & irrisionem etiam externam datum, ita ut jocus & irrisio sit externus dumtaxat finis collati Baptismatis, concedo: ita ut sit finis internus, id est, mere jocosa, ficta, & simulata sit Baptismatis repræsentatio, nego. Duobus itaque modis exterior Ecclesiæ ritus per jocum & ludum exerceri potest.

Ludus potest esse finis actionis externus vel internus.

Primo, animo illum exercendi, quamvis extrinsecus finis sit ludus & animi oblectatio: quo jocosa intentio non adversatur substantiæ Sacramenti; quia non destruit objectum intrinsecum, sed addit dumtaxat finem extrinsecum, qui finis non tollit veritatem, sed honestatem tantum actionis: honestas porro illa ad substantiam Sacramenti non pertinet. Ita Sacerdos v. g. qui vult absolvere pœnitentem, quamquam lucri causa, vere absolvit, quia finis ille perversus non vitiat substantiam Sacramenti.

Secundo, ritus exterior Ecclesiæ per jocum ita potest observari, ut ficte dumtaxat, simulate, ac pure mimice repræsentetur, quæ profecto jocosa intentio veritatem Sacramenti prorsus destruit.

Porro dici verisimiliter potest, in exemplis adductis ludum & derisionem externum dumtaxat fuisse actionis finem, atque veram his in casibus adfuisse intentionem faciendi quod facit Ecclesia, quamquam ad ludum & oblectationem. Conjectura eo nititur, quod, si Historicis fides, iteratus non fuerit Baptismus

mus sic per ludum collatus; & q iod ipse puer Athanasiu non alios, quam Catechume im baptisaverit, iis omnibus rite observatis, quæ in Ecclesia solebant observari, interrogationibus & responsis.

Factum Athanasii incertum ac dubium.

Resp. 2. factum Athanesii dubiæ admodum & incertæ esse fidei, de quo Historici dubitanter loquuntur. Rufinus, qui ait se hanc historiam, ab iis qui cum Athanasio puero vitam duxerant, accepisse, eit: Ferunt sic statuisse Alexandrum; nempe approbatum ab en Baptismum quem puer Athanasius inter ludendum dederat. Socrates de illo Baptismo silet, ac refert dumtaxat pueros illos imitatos esse Sacerdotes & Collegium lacrorum vitorum, quorum alter Diaconi. Sozomenus ait: *Memorant*; Nicephorus, *Ferunt istud evenisse.*

Suspicio falsi inde maxime augetur, quod ex ea narratione sequatur Athanesium factum fuisse Episcopum cum annum vigesimum quintum attigisset. Namque referunt factum istud contigisse sub Alexandro, qui cum è vivis excessisset versus finem enni 311. non potest historia hæc ante finem anni 312. collocari? quo tempore, si Baronio fides, natus erat Athanasius annos duodecim. Jam vero Athanasius in Nicæno Concilio, quod celebratum est anno 325. Diaconus erat, & inter celeberrimos hujus ævi Theologos eximium locum obtinebat, factus est autem Episcopus aliquot post menses; ac proinde explicari vix potest quomodo aut puer luserit coram Alexandro, aut quomodo tam juvenis creatus fuerit Episcopus, ea præsertim ætate, qua multi conquesti fuerant Paulinianum S. Hieronymi fratrem, annos natum dumtaxat triginta, ad Ordinem Presbyteratus promotum fuisse. Et sane inter tot falsa & commentitia, quæ Ariani Athanasio crimina objecerunt, istud ætatis vitium, cum in Episcopum consecratus fuit, non omisissent, de quo tamen ne verbum quidem eos fecisse intelligimus.

Adde Historicos concordes non esse in iisdem referendis circumstantiis. Socrates ait Alexandrum, dum prætergrederetur, ejusmodi ludum vidisse: Sozomenus, cum solus convivas expectaret: Nicephorus, cum loco sublimiori sederet.

Patres Benedictini in Vita S. Athanasii, Tomo primo ipsius Operum præfixa, pag. 3. ubi verba Rufini retulerunt, addunt, " hanc Rufini historiam grandi „apud eruditos laborare suspicione: etsi enim per „Athanasii ætatem minime repugnaret hujusmodi lu„sus; quod haud facile tamen concedatur de edolescente, cui ex memoratis superius vix minus duo de „viginti annorum tum adscripserimus; non is erat „Alexander, qui tam seria in re ludum puerorum ratum „haberet. „ Vide Tilmontium in sanctum Athanasium nota 2. ubi de hac historia fuse pertractat.

Factum S. Genesii etiam incertum.

Ad factum S. Genesii, dicimus pariter incertum esse, an vero fluminis Baptismo fuit revera baptisatus. Martyrologium Romanum ad diem vigesimam quintam Augusti narrat eum, cum in Theatro, spectante Diocletiano, mysteriis nostris illuderet, Deo inspirante subito conversum ac baptisatum fuisse. Ado vero in Martyrologio ait, simulâsse Genesium se ægrotare, evocatos fuisse pseudopresbyterum & Exorcistam, statimque à Deo cœlitus inspiratum, credidisse, ac baptisatum fuisse: qui Baptismus, si ratus ac verus fuit, ab illo ficto Sacerdote detus est animo faciendi quod facit Ecclesia; quamquam ad jocum & irrisionem, tamquam ad finem extrinsecum, totam hanc actionem retulerit. Quod si nullum fuisse Baptismum illum contenderis, dicendum erit, Genesium proprio sanguine ac ardentissima charitate baptisatum fuisse. Scribit enim Usuardus ad diem vigesimam quintam Augusti, eum constanter pro Christo mortem sustinuisse, ac mediis in tormentis in hæc eximia verba proruptisse: *Non est Rex præter Christum, pro quo similities occidas, ipsum mihi de corde auferre non poteris.*

Ad tertium; Ex ipse Nicephori narratione constat pueros illos reipsa voluisse facere quod in Ecclesia fieri viderant, quamquam ludum sibi tanquam finem proponerent. Omnia siquidem rite observarunt; consensum illius quem baptisarunt prius rogaverunt: tum ad Ecclesiam duxerunt, ubi à Sacerdote Communionis signum acceperunt.

Objectiones ex sanctis Augustino, Thoma, & Innocentio IV.

Expenditur mens sancti Augustini.

Quæstione nostrem versare potissimum videtur S. Augustinus Lib. 7. de Baptismo contra Donatistas c. 53 ubi quærit an approbandum sit Baptisma datum vel acceptum in Ecclesia Catholice, aut extra Ecclesiam Catholicam, sive cum simulatione & fallacia, sive absque joco & irrisione. " Solet enim quæri, *ait*, utrum T. 9. p.
„approbandum sit Baptisme, quod ab eo qui non acce- 102. E.
„pit, accipitur, si forte hoc curiositate aliqua didicit F.
„quemadmodum dandum sit; & utrum nihil inter sit, „quo enimo accipiat ille cui datur, cum simulatione, „aut sine simulatione: si cum simulatione, utrum fallens, sicut in Ecclesia, vel in ea quæ putatur Ecclesia, an „jocans, sicut in mimo; & quid sit sceleratius, in Eccle„sia fallaciter accipere, en in hæresi vel schismate sine „fallacia, id est, animo non simulato; & utrum in hæresi „fallaciter, an in mimo cum fide, si quisquam inter „agendum repentina pietate moveatur. Quamquam „talem si etiam illi conferamus qui in ipsa Catholica „fallaciter accipit; mirum si dubitatur quis cui præfe„rendus sit: quid enim prosit animus veraciter dantis „fallaciter accipienti, non video: sed arbitremur ali„quem etiam fallaciter dantem, cum & tradens & reci„piens fallaciter agant in ipsa unitate Catholica, utrum „hoc magis Baptisma sic acceptandum, an illud quod „in mimo datur, (*mimus hic pro ludo usurpatur, ita ut* „*sensus sit, quod in ludo datur*,) si quis extitat qui fide„liter subito commotus accipiat: an quantum ad ipsos „quidem attinet homines, plurimum distet inter cre„dentem in mimo, & irridentem in Ecclesia; ad ipsius „autem Sacramenti integritatem nihil intersit. Si „enim nihil interest ad integritatem Sacramenti in ipsa „Catholica, utrum id aliqui fallaciter, an veraciter „agant, cum tamen hoc idem utrique agant: cur extra „intersit, non video; quando ille qui accipit, non simu„latione palliatus, sed Religione mutatus est. An plus „valent ad confirmandum Sacramentum illi veraces in„ter quos agitur, quam ad frustrandum illi fallaces à „quibus agitur, & in quibus agitur? Et tamen si postea „prodatur, nemo repetit, sed aut excommuni„cando punitur illa simulatio, aut pœnitendo sa„natur.

„ Sed nobis tutum est, in ea non progredi aliqua te„meritate sententiæ, quæ nullo in Catholico Regionali „Concilio cœpta, nullo plenario terminata sunt: id „autem fiducia securæ vocis asserere, quod in guberna„tione Domini Dei nostri & Salvatoris Jesu Christi, „universalis Ecclesiæ consensione roboratum est. Ve„rumtamen si quis forte me in eo Concilio constitutum, „ubi talium rerum quæstio versaretur, non præcedenti„bus talibus, quorum sententias sequi mallem, urgeret „ut dicerem quod ipse sentirem: si eo modo affectus „essem, quo eram cum ista dictarem, nequaquam dubi„tarem habere eos Baptismum, qui ubicumque, & à „quibuscunque illud verbis Evangelicis consecratum, „sine sua simulatione, & cum aliqua fide accepissent: „quamquam eis ad salutem spiritualem non prodesset, si „charitate caruissent, qua Catholicæ insererentur „Ecclesiæ ......, sicut jam præteritis Majorum „statutis, non dubito etiam illos habere Baptis„mum, qui quamvis fallaciter id accipiant, in Ecclesia „tamen

"tamen accipiunt, vel ubi putatur esse Ecclesia ab eis, "in quorum societate id accipitur . . . . . ubi autem ne- "que societas ulla esset ita credentium, neque ille qui "ibi acciperet, ita crederet, sed totum ludicrè, & mi- "micè, & joculariter ageretur, utrum approbandus "esset Baptismus qui sic daretur, divinum judicium "per alicujus revelationis oraculum, concordi oratio- "ne, & impensis supplici devotione gemitibus implo- "randum esse censerem; ita sanè ut post me dicturos "sententias, ne quid jam exploratum & cognitum af- "ferrent, humiliter expectarem; quantò magis ergo "nunc sine præjudicio diligentioris inquisitionis vel "majoris auctoritatis, illud dixisse accipiendus sum. Describendus fuit, quamquam prolixior, hic Augustini integer textus, ut ejus mens ac sententia introspici faciliùs possit.

Multa eò loci quærit S. Aug. sed non omnia dissolvit. Quærit enim

I. Utrum approbandum sit Baptisma quod ab eo, qui non accepit (hoc est à non baptisato) accipitur.

II. Utrum nihil intersit, quo animo accipiat ille cui datur, cum simulatione, vel sine simulatione.

III. Utrum validum sit Baptisma quod in Ecclesia vel schismate suscipitur ab homine simulante & fallente; & utrum validum sit quod animo irridente in Theatro accipitur.

IV. Quid sit sceleratius, in Ecclesia fallaciter accipere, an in hæresi vel schismate sine fallacia.

V. Utrum validum sit Baptisma in hæresi fallaciter, an in mimo, qui subitò convertitur, cum fide.

VI. Cùm & tradens & accipiens fallaciter agunt in ipsa unitate Catholica, utrum hoc Baptisma magis sit acceptandum, quàm illud in mimo seu ludo confertur; & an nihil intersit quoad Sacramenti validitatem.

Ut porro his quæstionibus respondeat S. Augustinus, hoc nititur principio: nempe in Catholica Ecclesia nihil interesse ad validitatem Sacramenti, utrum fallaciter, an veraciter detur, quia utrique idem agunt, qui veraciter & fallaciter dant.

Ex isto autem principio infert S. Doctor, se perspectum satis non habere, cur non valeat Baptisma extra Ecclesiam datum, quando ille, qui accipit, religione mutatus est.

Ut autem ostendat pari jure & æquali ratione validum esse Baptismum, quo abluitur mimus de repente conversus, quo jure validus est Baptismus in Ecclesia fallaciter datus & acceptus, subjungit, An plùs valent ad confirmandum Sacramentum illi veraces inter quos agitur, id est, Fideles in quorum societate datur Baptismus fallaciter, quàm ad frustrandum illi fallaces Ministri à quibus in illa eadem Ecclesia Sacramentum confertur? Deinde probat hujusmodi Baptismum validum esse, quia nemo eum repetit, cùm fallacia detegitur, sed aut excommunicando punitur, aut pœnitendo sanatur. Unde tota S. Doctoris ratiocinatio eò recidit: Tam validus censeri debet Baptismus datus in ludo alicui de repente ad fidem converso, quàm validus est Baptismus à fallacibus in Ecclesia Catholica, seu quæ putatur Catholica datus & acceptus: atqui validus censetur Baptismus datus & acceptus in Ecclesia à fallacibus; nam veraces qui componunt Ecclesiam plùs valent ad confirmandum Baptismum, quàm fallaces à quibus datur & accipitur ad illum frustrandum; & prætereà hujuscemodi Baptismus non repetitur, cùm detegitur fallacia; ergo validus est quoque Baptismus in ludo collatus alicui repente converso.

Nihilominus tamen subinde declarat sanctus Doctor, cùm in nullo Catholico Concilio terminata sit ista quæstio, utrum integrum sit validumque Baptisma quod inter ludendum aliquis de repente conversus acceptisset, se nolle ulteriùs in eam progredi opinionem. Veruntamen addit, interrogatum in Concilio se nequaquam dubitaturum habere eos Baptismum, qui ubicunque, id est, etiam in ludo sine sua simulatione & cum aliqua fide verbis Evangelicis consecratum illud accepissent. At verò quantùm spectat ad aliud Baptisma quod in ludo datur, ubi nulla est societas credentium, neque ille qui acciperet, ita crederet, sed totum ludicrè & joculariter ageretur, tum ea parte dantis, tum ea parte accipientis, utrum hujusmodi Baptisma approbandum foret, divinum auxilium implorandum esse censeret.

Ea analysis doctrinæ S. Augustini in loco qui objicitur, quæ breviter ad hæc tria capita revocari potest.

Primò: quærit utrum Baptisma fallaciter datum & acceptum in Ecclesia, vel ea societate quæ putatur Ecclesia, validum sit necne. *August. sententia ad tria capita revocatur.*

Secundò: utrum Baptisma ludo collatum alicui de repente converso, ratum ac validum sit.

Tertiò: utrum valeat Baptisma extra societatem credentium omnino ludicrè à mimo datum alteri mimo sine fide illud accipienti.

Circa tertium caput; declarat se nihil determinare velle; sed expectandum Spiritus sancti oraculum quo illa quæstio dilucidetur.

Circa secundum, ait melius esse non progredi aliqua temeritate sententiæ: attamen addit se in Concilio constitutum hujusmodi Baptisma validum habiturum. *Baptisma fallaciter datum validum esse probat S. August. tribus momentis.*

Circa primum autem, utrum scilicet Baptisma in Ecclesia à fallacibus datum & acceptum validum sit necne, non dubitat, quin imò affirmat expressè, hujusmodi Baptisma validum esse: hisque probat momentis loco citato.

I. Quia ea sententia, quæ asserit Baptisma fallaciter datum & acceptum in Ecclesia validum esse, nititur tanquam principio ad probandum Baptisma quoque illud validum esse, quod in ludo alicui repente converso datur. Tota enim ratiocinatio sancti Augustini, ut suprà ostendimus; in hoc coincidit: si primus Baptismus fallaciter in Ecclesia collatus, validus est, cur secundus in ludo alicui repente converso datus validus non erit?

II. S. Augustinus declarat se fretum prætextis Majorum statutis non dubitare quin habeant Baptismum, qui quamvis fallaciter accipiant, in Ecclesia tamen accipiunt, velubi putatur Ecclesia: atqui quod Majorum statutis ratum est, illud firmum habetur & certum; ergo certum videbatur S. Augustino, Baptisma fallaciter datum ratum esse & validum.

III. Declarat sanctus Augustinus Baptisma fallaciter datum in Ecclesia, non solere repeti etiam cùm fallacia detegitur; sed, inquit, *aut excommunicando punitur, aut pœnitendo sanatur*; atqui Baptisma, quod non repetitur, validum est ac firmum; ergo &c.

Ex his omnibus sic arguitur contra Conclusionem nostram: Illa Ministri intentio necessaria non est, sine qua docet S. Augustinus ratum ac validum esse Sacramentum: atqui S. Augustinus docet sine intern. Ministri intentione datum Baptismum ratum & validum esse. Probatur: Quia docet ratum & validum esse Baptisma fallaciter datum & acceptum in Ecclesia Catholica, seu quæ putatur Catholica: atqui nulla esse potest interna intentio in Ministro fallaciter agente, vel in subjecto fallaciter recipiente; ergo &c. *Argumentum.*

Totus difficultatis nodus in eo versatur, quid nempe per fallaciam sanctus Augustinus intelligat: an defectum seu absentiam fidei duntaxat, an debitæ intentionis.

Vasques in 3. par. disp. 138. num. 48. & sequentibus, ait S. Augustinum re ipsa dubitasse de Baptismo absque intentione Ministri collato, & propendisse in eam partem, ut simulatio Ministri non noceret, saltem quando ex parte recipientis fides aliqua & intentio adesset: quia nimirum Augustino perspecta non fuit ea veritas de necessitate intentionis in Ministro, quæ nondum fuerat apertè à Conciliis definita.

P. 110. col. 2. *Ego sanè fateor*, ait Cardinalis de Lugo de Sacramentis disp. 8. sect. 3. n. 45. *Augustinum in eo capite de multis dubitasse, de quibus modò propter clariorem Conciliorum lucem nobis exhibitam, amplius non dubitamus. Video etiam*, pergit de Lugo, (*id quod in aliis materiis ipsi Augustino & aliis Patribus accidit*) *pro zelo in hæresim, quam impugnabant, in partem adversam acriter inclinasse; quia nimirum Donatistæ negabant, validum esse Baptismum ab Hæreticis collatum, Augustinum adeo in Baptismi valorem inclinasse, ut de Baptismo etiam mimicè, & per jocum collato & suscepto dubitaverit, an validus reputandus esset, necne.* Ita Cardinalis de Lugo, qui tamen statim responsionem, quam mox afferemus, subjicit.

Solvitur argumentum. Resp. itaque distinguendo istam propositionem; S. Augustinus docet validum esse Baptisma datum cum fallacia & simulatione, & nomine fallaciæ intelligit S. Doctor defectum seu absentiam fidei, aut rectam de Sacramento ejusque effectu Ministri sententiam, concedo: & intelligit defectum seu absentiam debitæ in Ministro intentionis internæ, qua generatim valit facere quod facit Ecclesia, nego. Simulatio & fallacia, de S. Augustinus, importat tantùm defectum seu absentiam fidei in Ministro circa ritum quem usurpat, Confert aliquis Baptisma, sed non credit Baptisma remittere peccatum; non credit Baptisma esse Sacramentum; non credit illud à Christo esse institutum; ille certè fallax est ac meritò dicitur; ut quid enim confert quod putat inutile aut falsum? Hæc autem fallacia non tollit intentionem internam Ministri, qui ritum Ecclesiæ exercendo potest velle generatim facere, quod facit Ecclesia, licèt credat Ecclesiam nihil nisi profanum producere per ritum quem exercet. Hunc esse S. Augustini sensum his momentis suaderi potest.

I. Quia quæstionem proposuit de illo qui non erat Christianus, sed qui *vana curiositate* ritum Baptismi didicit, an reverà baptisarat. Huic autem quæstioni alia dubia subnectit, quæ à priori pendent, de iis nempe qui simulant fidem quam non habent, an validè baptisent, vel baptisentur; ergo per fallaciam intelligit defectum fidei.

II. S. Augustinus opponit Baptismum in Ecclesia vel hæresi fallaciter receptum, Baptismo recepto in ludo cum fide: *An*, inquit, *plurimùm distet inter credentem in mimo, & irridentem in Ecclesia*; ergo excludit duntaxat à Ministro fallaciter agente, fidem; seu per fallaciam intelligit tantùm defectum seu absentiam fidei.

III. Quærens, utrum validum sit illud Baptisma, quod in Ecclesia datur fallaciter, opponit fallaces à quibus Sacramentum in Ecclesia administratur, veracibus, in quorum societate confertur; & quærit utrum id quod est in veracibus sit validius ad confirmandum, quàm id quod est in fallacibus ad frustrandum: *An plus valent*, inquit, *ad confirmandum Sacramentum illi veraces inter quos agitur, quàm illi fallaces a quibus agitur?* Atqui per veraces S. Augustinus intelligit credentium societatem; postea enim rem sic explicat. *Ubi autem nulla societas est credentium, neque ille ibi qui acciperet ita crederet*: ubi per societatem credentium designat Ecclesiam, in qua supposuerat dari Baptisma fallaciter, id est, à ministris, qui se catholicos simulant, & sic opponuntur fidelibus in quorum societate Baptismum administrant; ergo per fallaciam, in qua Baptismus confertur, intelligit non defectum intentionis, sed fidei.

IV. Addit Baptismum fallaciter datum, detecta fallacia non iterari: *Si postea*, inquit, *prodatur, nemo repetit; sed aut excommunicando punitur illa simulatio, aut pœnitendo sanatur.* Porrò circa defectum intentionis tales in Ecclesia leges fuisse, nullibi legimus; ergo de illis loquitur fallacibus ministris qui fingunt se catholicos esse, nec sunt.

V. Addit etiam *præteritis Majorum statutis non dubitare se illos habere Baptismum, qui quamvis fallaciter id accipiant, in Ecclesia tamen accipiunt, vel ubi putatur esse Ecclesia ab iis in quorum societate id accipitur.* Erant ergo statuta de non rebaptisandis iis, qui fallaciter in Ecclesia baptisabantur, quibus certà statutis verisimile non videtur probatum fuisse Baptismum illius qui absque intentione aut baptisasset, aut Baptismum suscepisset, sed ejus dumtaxat, qui absque ulla fide, seu cum fallacia fidem mentiente ac simulante, Baptismum contulisset aut percepisset; hoc est, illius qui fingebat se Catholicum apud Catholicos, aut Hæreticum apud Hæreticos.

VI. Denique, vel ipse status controversiæ quam cum donatistis habebat S. Augustinus, sensum illum apertè demonstrat. Contendebant Donatistæ Baptisma sine fide collatum, irritum esse: è contrà ostendit Augustinus, illud validum esse; ergo de absentia seu defectu fidei loquitur sanctus Doctor, non de absentia intentionis, de qua nulla erat quæstio.

Instabis 1. Certum est in hypothesi S. Augustini, Baptisma collatum fallaciter in Ecclesia, non discrepare quoad integritatem à Baptismate quod in ludo confertur mimo repentè converso. *Si enim*, inquit, *nihil interest ad integritatem Sacramenti in ipsa Catholica, utrum id aliqui fallaciter, an veraciter agant, cùm tamen hoc idem utrique agant; cur tantum intersit non video, quando ille, qui accipit, religione mutatus est.* Atqui si intentio interna necessaria foret ad validitatem Sacramenti, illa duo Baptismata discreparent. Namque validum foret, quod in Ecclesia fallaciter datum fuisset, utpote cum legitima intentione datum; aliud verò mimo ludicrè ac joculariter collatum, nullum esset defectu intentionis. Quis enim dixerit, eum qui ludendo baptisat, intendere id quod intendit, aut saltem, quod facit Ecclesia?

Resp. argumentum istud premere potiùs intentionis externæ assertores, quàm eos qui stant pro interna. Duo enim certa sunt ex illo argumento, quæ illorum sententiam pariter convellunt. 1. Certum est, in mente S. Augustini, validum esse Baptisma quod in ludo confertur, aut saltem negari non potest, quin sanctus ille Doctor in eam sententiam multùm propenderit. Certum est 2. in ludo illo haberi non posse intentionem externam, quæ profectò non adest, quando Minister seriò ritum Ecclesiæ non perficit; ergo aut sine ulla prorsus intentione validum est illud Baptisma, quod certè asserere hæreticum est, aut adfuit interior: si adfuit interior in illo mimo qui Baptismum administrat, cadit præcedens argumentum, in utroque enim Baptismate, tum in eo, quod fallaciter datur & accipitur in Ecclesia, tum in eo quod in ludo datur, reperitur intentio interior, proindeque quoad integritatem non differrent propter defectum intentionis, quapropter adigerentur adversarii, agnoscere necessitatem intentionis interioris in Ministro ut ratum ac validum sit Sacramentum.

At verò in Ministro qui inter ludendum repræsentat in Theatro ritum Baptismatis, potest absolutè adesse intentio interior faciendi quod facit Ecclesia; hujusmodi enim repræsentatio foret occasio exercendi ritus externi, cujus Minister potest non solùm intendere nudam repræsentationem, sed etiam id, quod facit Ecclesia.

Si autem contenderet aliquis, cum tali repræsentatione stare non posse internam intentionem, attendat ille, quæso, S. Augustinum de validitate illius Baptismatis nihil absolutè & affirmatè determinasse, sed dubitanter tantùm suam proposuisse sententiam.

Instabis 2. At saltem inde colligitur, S. Augustinum dubitasse, num validus foret Baptismus mimo per jocum collatus, atque adeo, ut certum est, sine ulla etiam externa intentione; quantò magis dubitasse dicendus est de necessaria intentione interna?

Resp. Esto dubius fuerit de illo Baptismo prorsus mimi-

mimice ac ludrice collato, de quo nihil tunc temporis statutum ab Ecclesia fuerat; at forte supponitur fieri posse ut in mimo illo adsit intentio interna, ut mox dictum est. Verum, ut nihil dissimulemus, valde obscura videtur & implicata eam in rem S. Doctoris sententia.

Instabis 3. per fallaciam de qua loquitur sanct. Augustinus, intelligi non debet defectus fidei in Ministro, sed intentionis internæ; quia fallaciam illam, cum qua sanctus Doctor supponit Baptisma dari & accipi, in solum dantem & accipientem Baptisma cadere supponit: *An plus valent*, inquit, *ad confirmandum Sacramentum illi veraces inter quos agitur, quam ad frustrandum illi fallaces à quibus agitur?* Supponit ergo alios esse fallaces, & alios veraces in ea societate in qua datur Baptisma; proindeque non in omnes, qui componunt hanc societatem, cadere fallaciam de qua mentionem habet: atqui si per fallaciam intelligatur fidei absentia, non in solum accipientem & dantem Baptisma caderet ista fallacia, sed in totam societatem in qua Baptismus datur. Quando enim exponit quid per societatem de qua loquitur, intelligat, Catholicam quidem denotat Ecclesiam; sed & simul eam, quæ Putatur vera Ecclesia, societatem nempe Hæreticorum, in qua non tantum qui dant & accipiunt, sunt fallaces, sed & tota societas fallax est, cum omnes æqualiter fide carent. *Non dubito*, inquit, *etiam illos habere Baptismum, qui quamvis fallaciter illum accipiant, in Ecclesia tamen accipiunt, vel ubi putatur esse Ecclesia ab eis in quorum societate id accipitur, de quibus dictum est, ex nobis exierunt.*

Ex his sic arguitur.

S. Augustinus agit de illa fallacia, quæ cum datur Baptismus in Hæreticorum societate, non in societatem totam cadit, sed in aliquos dumtaxat societatis, dantem nempe & accipientem Baptismum: atqui hæc fallacia non est absentia fidei, quæ cadit in omnem societatem Hæreticorum; ergo est absentia intentionis internæ, quæ cadit in dantem & accipientem Sacramentum.

Resp. distinguo. Absentia fidei supernaturalis & habitualis cadit in omnem societatem Hæreticorum, concedo; absentia fidei humanæ sumptæ pro intentione conferendi talis effectus, v.g. regenerationis internæ per Sacramentum Baptismatis, cadit in omnem societatem Hæreticorum, nego.

Quando igitur dicimus per fallaciam de qua loquitur sanctus Augustinus, intelligendam esse absentiam fidei, non intelligimus, ubi agitur de Hæreticis, fidem supernaturalem, quam certum est in illis non esse; sed intelligimus tantum eos fide humana non credere, seu ritum, qui exercetur, esse verum Sacramentum, seu talem effectum ab hoc ritu produci. Sunt enim qui errant circa quædam capita, non circa alia, licet de iis fidei nostræ mysteriis quæ ab ipsis non impugnantur, fidem non habeant supernaturalem, sed humanam; quia deest ipsis motivum fidei divinæ, scilicet revelatio Dei, & Ecclesiæ declaratio. Ergo fallacia, de qua sanctus Augustinus, non cadit in solos dantem & accipientem Baptisma, sed in totam Hæreticorum societatem.

Instabis 4. ex eodem sancto Doctore, Lib. 3. contra Cresconium Donatistam cap. 8. de Ministro Sacramentorum ait, curandum non esse, *qua mente operetur, qua laboret intentione*. Et Tractatu 5. in Joan. versus finem, asserit se in administrandis Sacramentis, non timere adulterum, non ebriosum, qui omnes passione victi & rapti, ad ea quæ cœlestia spectant, vix attendunt.

To. 9. p. 429. F. Tom. 3. p. 2. pag. 39. C.

Resp. distinguo ant. & per intentionem, his in locis sanctus Doctor intelligit vel fidem, vel probitatem Ministri, quam docet necessariam non esse ad validam Sacramenti administrationem, concedo: & intelligit intentionem seu voluntatem in Ministro conficiendi Sacramenti, nego. De ista quippe nulla ipsi erat cum Donatistis controversia, sed tantum de fide ac probitate Ministri. *Proinde*, ait sanctus doctor cap. 9. Lib. 3. contra Cresconium, *Deus & per Pastores bonos, & per Pastores malos, cùm verbum suum Sacramentumque dispensat, ipse pascit &c.* Tractatu 5. in Joan. citato, non de ebrio loquitur, in quo non datur sufficiens intentio tempore ebrietatis; sed de ebrioso, qui nempe solet inebriari, quod vitium non tollit valorem & intentionem debitam, quo tempore ebrius non est. To. 9. p. 433. F.

Expenditur mens sancti Thomæ.

De necessitate intentionis in Ministro ad perfectionem Sacramenti tractat S. Thomas 3. parte qu. 64. art. 9. ubi versans istam difficultatem, quomodo, stante necessitate intentionis Ministri, haberi possit securitas, & scrupulus omnis ac sollicitudo ex suscipientis animo evelli, cum semper dubitare merito possit, num Minister veram habuerit perficiendi Sacramenti voluntatem: quam inquieti animi anxietatem ut sanare ac pacare possit sanctus Doctor, respondet his verbis: „Dicendum, quod circa hoc est duplex opinio. Qui„dam enim dicunt, quod requiritur mentalis intentio „in Ministro, quæ si desit, non perficitur Sacramen„tum: sed hunc defectum in pueris, qui non habent „intentionem accedendi ad Sacramentum, supplet „Christus, qui interius baptisat: in adultis autem, qui „intendunt Sacramentum suscipere, supplet illum de„fectum fides & devotio. Sed hoc satis posset dici quan„tum ad ultimum effectum, qui est justificatio à pecca„tis; sed quantum ad effectum, qui est res & Sacra„mentum, scilicet quantum ad characterem, non vi„detur quod per devotionem accedentis possit supple„ri, quia character nunquam imprimitur nisi per Sa„cramentum. Et ideo alii melius dicunt, quod Mini„ster Sacramenti agit in persona totius Ecclesiæ, cujus „est Minister; in verbis autem quæ profert, exprimitur „intentio Ecclesiæ, quæ sufficit ad perfectionem Sacra„menti, nisi contrarium exterius exprimatur ex parte „Ministri vel recipientis Sacramentum. Eandem difficultatem proposuerat sanctus Doctor scribens in 4. Librum sentent. dist 1, q. 1. art. 2 quæstiuncula 1.

Ex his vero sic arguitur: Intentio quæ verbis Ecclesiæ exprimitur, est intentio pure externa: atqui hanc sufficientem pronuntiat sanctus Thomas; ergo &c.

Resp. distinguo maj. Intentio quæ verbis Ecclesiæ exprimitur, nec ullatenus est in mente ministri, est intentio pure externa, concedo: quæ saltem virtualiter est in mente ministri, nego. Summa responsionis est, sufficere, juxta sanctum Thomam, in ministro intentionem virtualem, quæ non destruitur nisi per intentionem explicatam contrariam; non requiri vero intentionem actualem, quam mentalem appellat, expressam & explicitam; nec ullo modo eam sufficere, quæ pure externa est, aliamque internam supponeret, qua Minister nollet facere, sed tantum fingere ac simulare ritum Ecclesiæ.

Hanc porro esse Angelici Doctoris mentem facile est ostendere ex iis quæ ipse docet citata quæstione 64. articulo 10. in corpore. *Dicendum*, inquit, *quod intentio Ministri potest perverti dupliciter. Uno modo respectu ipsius Sacramenti: puta cum aliquis non intendit Sacramentum conferre, sed derisorie aliquid agere; & talis perversitas tollit veritatem Sacramenti, præcipue quando suam intentionem exterius manifestat.* Ubi particula, *præcipue*, aperte ostendit, etiamsi non manifestetur exterius, adhuc tolli veritatem Sacramenti, ut jam supra observavimus.

Præterea videtur Angelicus Doctor eam dumtaxat intentionem excludere, qua Minister velit verum perficere Sacramentum. Hanc porro intentionem non exigimus, sed eam tantum qua velit serio tum exterius, tum interius simpliciter ac generatim facere quod facit Ecclesia.

Idem q. 68. art. 7. ad 2. expressè docet, adultum, qui non haberet intentionem suscipiendi Sacramentum, rebaptisandum fore. At eadem est, juxta S. Thomam, ratio & necessitas intentionis in ministro, quæ in suscipiente.

Rursus ibidem q. 64 art. 9. quærens utrum fides ministri sit de necessitate Sacramenti, objicit sibi eam esse necessariam. *Videtur*, inquit, *quòd fides Ministri sit de necessitate Sacramenti. Sicut enim dictum est, intentio Ministri est necessaria ad Sacramenti perfectionem; sed fides intentionem dirigit; ergo si desit vera fides in Ministro, non perficitur Sacramentum.*

Objectionem sic dissolvit: „ Dicendum quòd potest "contingere quòd aliquis patiatur defectum fidei circa aliquid, non circa veritatem Sacramenti, quod "exhibet; puta si aliquis credat juramentum esse in "omni casu illicitum, & tamen credat Baptismum efficaciam habere ad salutem; & sic talis infidelitas non "impedit intentionem conferendi Sacramentum. Si "vero patiatur fidei defectum circa ipsum Sacramentum quod exhibet, licèt credat per id quod agitur exteriùs, nullum sequi interiorem effectum, non tamen "ignorat quòd Ecclesia Catholica intendit per hujusmodi quæ exteriùs aguntur, præbere Sacramentum: "unde non obstante infidelitate, potest intendere facere id quod facit Ecclesia, licèt existimet id nihil esse; "& talis intentio sufficit ad Sacramentum: quia, ut "suprà dictum est, Minister Sacramenti agit in persona totius Ecclesiæ, cujus fide suppletur id quod deest "fidei Ministri.

Certum est S. Doctorem eò loci agere de intentione necessaria ad substantiam Sacramenti, de qua jam ie dixisse articulo 8. declarat: *Sicut enim dictum est*, inquit, *intentio Ministri necessaria est ad Sacramenti perfectionem.* Atqui intentio illa de qua hìc agit sanctus Doctor, est verè interna.

I. De illa loquitur quam posset impedire infidelitas, sicut manifestè patet ex textu in responsione ad objectionem: *Non obstante*, inquit, *infidelitate, potest intendere facere quod facit Ecclesia.* Atqui intentio, de qua dubium est, utrum stare possit cum infidelitate, seu quæ propter infidelitatem deficere potest, interior est, non externa; hæc enim separari non potest ab opere externo quod seriò exercetur; ergo loquitur S. Doctor de intentione interna quam necessariam esse ostendit.

II. Ea intentio interna est, quam infidelis idcirco habere censetur, quia intendit, saltem implicitè, facere quod facit Ecclesia: atqui infidelis, juxta S. Thomam, idcirco sufficientem habere censetur intentionem, quia interiùs vult facere quod facit Ecclesia, quam novit intendere, ut perficiatur Sacramentum, licet ipse interiùs credat, per id quod agitur exteriùs, nullum sequi interiorem effectum; qua tamen non obstante infidelitate vult ille facere, quod novit per Ecclesiam fieri, quæ intentio, juxta sanctum Thomam, sufficiens est.

Instabis I. Intentio de qua sanctus Thomas loco in objectione citato, per sola verba exprimitur, nec supponit eam ullatenus in mente esse; aliàs non solveret argumentum quod sibi proponit, ex eo ductum quòd si necessaria sit intentio Ministri interior, semper dubium erit & anxietas circa veritatem Sacramenti.

Resp. S. Thomam argumentum, quod sibi proposuerat, rectè solvere, ex eo quòd non actualem, sed virtualem dumtaxat exigat intentionem; nec ullum sit fundamentum dubitandi, quin sit in Ministro, qui seriò agit, virtualis intentio, quod sufficit sedandis omnibus scrupulis qui excitari possent circa debitam Ministri intentionem & Sacramenti veritatem: dolus quippe ac fictio præsumi facilè non potest, nisi aliquo signo exteriori manifestetur, ut ipse ait sanctus Thomas in Supplemento tertiæ partis q. 45. art. 4. ad 2. loquens de Matrimonio, *Dicendum*, ait, *quod si desit consensus mentalis ex parte unius, ex neutra parte est Matrimonium, quia Matrimonium consistit in mutua conjunctione. Tamen probabiliter potest credi dolus non esse, nisi signa evidentia doli appareant: quia de quolibet præsumendum est bonum, nisi probetur contrarium.* Inde est, quòd Cajetanus & alii nonnulli Thomistæ, ad quos accedit Suares, ad locum sancti Thomæ ex articulo 8. qu. 64. respondeant, sanctum Doctorem non agere de veritate seu integritate Sacramenti quoad se, sed tantùm quoad nos, seu moralem certitudinem ac securitatem quæ de illo haberi potest; quæ certè plena habenda est, quoties Minister seriò exteriùs ritum Ecclesiæ observat. *Verùm hæc explicatio*, ait Cardinalis de Lugo, *non omninò satisfacit, quia sanctus Thomas hoc articulo 8. non solùm videtur loqui de Sacramento valido quoad nos, sed etiam de ejus valore intrinseco.*

Commentario in art. 8. q. 64.

De Sacramentis disp. 8. sect. 4. n. 65.

Vasques disput. 138. fatetur ingenuè sanctum Thomam nobis hìc adversari, ac difficile omninò esse verba ipsius in rectum sensum adducere. Verùm ægrè admodum patimur nobis hìc sanctum Doctorem eripi, cujus sententia ex ante dictis manifesta videtur.

Instabis 2. Sanctus Thomas expressè agnoscit eam sufficere intentionem Ministri, quæ per verba Ecclesiæ exprimitur; eam verò, quæ dicitur mentalis, quam nonnulli admittebant, non requiri.

Resp. per intentionem mentalem, sanctum Doctorem intelligere actualem & explicitam, non implicitam & virtualem. Ideo autem implicitam & virtualem intentionem non dicit mentalem, quia implicita magis est in opere, quàm in mente; virtualis verò potiùs fuit in mente; cùm de Sacramento administrando cogitavit Minister, quàm adest, dum ritus externos perficitur. Illi autem, ad quos alludit sanctus Thomas, ii videntur esse, qui temporibus Innocentii IV. de quo mox dicemus, existimabant ad validitatem Sacramenti necessariam esse intentionem actualem explicitam & expressam. Hæc videtur fuisse sententia Magistri seu Petri Lombardi, qui de Baptismo & Eucharistia disserens, ait neutrum dari sine intentione explicita; Petri Pictaviensis, Guillelmi Parisiensis, quam fusè refellit Durandus à sancto Porciano.

Expenditur mens Innocentii IV.

Innocentius IV. S. Pontifex, de quo antea jam diximus, scribens in Librum 3. Decretalium, titulo *de Baptismo & ejus effectu*, sic loquitur: „ Non est necesse, "quod baptisans sciat quid sit Ecclesia, quæ baptisat, "quis baptisatus, & unde sit, nec quòd gerat in mente "facere quod facit Ecclesia: imò si contrarium gereret "in mente, scilicet non facere quod facit Ecclesia, sed "tamen facit, quia formam servat, nihilominus baptisatus est, dummodo baptisare intendet. Unde si aliquis in casu necessitatis constitutus: vel etiam sine necessitate vadat ad Saracenum, & dicat, Baptisa me, & "doceat eum formam, & ille Saracenus baptisat, non "credens per immersionem aliquid aliud fieri nisi madefactionem, & non intendat eum baptisare, vel etiam "madefacere secundùm intentionem petentis Baptismum, ut Baptismus operetur quidquid operari potest, & ipse baptisans tanquam Minister conferat, "quod alii baptisantes conferunt, licèt non credat ipsum posse aliquid operari, verè baptisatus est; sed si "hoc non intenditur, non baptisaret: nec est necesse "quòd aliquis sciat quid in his Ecclesia intelligat, vel "etiam quòd sciat, vel credat Ecclesiam esse. „ Huc usque Innocentius, ex cujus verbis hæc inferunt, qui stant pro externa intentione.

I. Declarat Innocentius, necesse non esse, ut baptisatus sciat, quid sit Ecclesia, quæ baptisat; nec quòd gerat

gerat in mente facere quod facit Ecclesia; si porrò Theologi qui internam exigunt intentionem, exigunt ut Minister intendat facere quod facit Ecclesia.

II. Addit Innocentius, Ministrum validè baptisare, etiam si contrarium in mente gereret, scilicet non face e quod facit Ecclesia. Quare? quia formam servat: porrò hæc ipsamet est de intentione exteriori sententia.

III. Exemplum affert Saraceni, qui baptisat aliquem à quo rogatus est, nec credit per immersionem aliud aliquid fieri nisi madefactionem, neque etiam intendit eum baptisare: respondet tamen Pontifex, illum, qui sic baptisaretur, rectè baptisatum fore. Porrò Saracenus ille ideo dici potest baptisare, quia ritus externos Ecclesiæ peragit: non gerit enim in mente interiorem baptisandi intentionem, quin imò contrariam habet, cùm madefactionem corporis baptisando intendat.

Resp. Innocentium illam reipsa in Ministro exigere intentionem quæ ab externo ritu sejungitur. Namque ratio, cur dicat illum rectè baptisare, qui baptisando non gereret in mente facere, quod facit Ecclesia, hæc est, quia, inquit, formam servat; nihilominus non valet Baptismus, nisi ille baptisare intendat. Hæc igitur duo requirit Summus Pontifex ad validitatem Baptismi de quo agitur; ut Minister formam servet, & baptisare intendat: hæc autem intentio baptisandi sejuncta est à forma ritu externo applicata; ergo interior est.

Præterea ad exemplum Saraceni, qui baptisat eum, à quo rogatus est, respondet; quòd si non intenderet ille Saracenus baptisando, ut Baptismus operetur, quidquid operari potest, & ipse baptisans tanquam Minister conferat, quod alii baptisantes conferunt, nec non foret baptisatus. Nihil autem aliud est velle conferre id quod alii conferunt, quàm habere implicitam, sed interiorem voluntatem faciendi quod facit Ecclesia.

Ad primum igitur respondeo: posse etiam Innocentium, admittendo intentionem interiorem, dicere, necesse non esse ut baptisans sciat quid sit Ecclesia quæ baptisat, nec ut actu gerat in mente facere quod facit Ecclesia; licèt enim homo non cognoscat Ecclesiam, tamen quia vult facere id quod ab ipso postulatur, implicitè saltem vult facere quod facit Ecclesia; vult enim dare id quod ab ipso petitur; petitur autem id, quod dat Ecclesia.

Ad secundum: Quando Innocentius ait, etiam dari Baptisme ab eo qui contrarium gereret in mente, scilicet non facere quod facit Ecclesia, Respondeo, exponi istud debere de effectu quem intendit Ecclesia, & quem ut Minister intendat, ad valorem Sacramenti necesse non est: sufficit enim, ut sæpiùs dictum est, ut generatim velit facere quod facit Ecclesia, quidquid tandem ille & de Ecclesia, & de Sacramento ejusque effectu sentiat.

Ad tertium: exemplum affert Saraceni, qui madefactionem tantùm credat fieri; Respondeo, hominem, qui ab illo baptisaretur ritu legitimo, rectè baptisatum fore, quia aut intendit dare quod ab eo petitur, aut conferre quod conferunt alii baptisantes, quæ quidem interna intentio sufficit.

Objectiones ex momentis ac rationibus Theologicis.

Objicies 1. silentium Veterum circa necessitatem intentionis internæ in Ministro, ut validè Sacramenta perficiat. Nullus quippe ante Martinum V. Eugenium IV. & Patres Tridentinos, de illa mentionem fecisse legitur.

Resp. 1. argumentum negativum, in re facti, cujus positivæ sunt & affirmativæ probationes, nullius planè momenti esse.

Resp. 2. præsentem de intentione Ministri quæstionem veteribus incognitam non fuisse. An non eam agnovit S. Augustinus Lib. 3. de Baptismo cap. 53. ubi duas, ut suprà vidimus, sibi quæstiones dissolvendas proponit, quæ spectant intentionem, qua Baptismus conferri debeat? Nonne ibidem observat, præteritis Majorum suorum statutis, de fallacia per quam Baptismus dari potest, vel accipi, decretum fuisse?

Quòd si Ecclesia universa tunc temporis nullam ea de re definitionem emisit, mirum videri non debet; quia nempe in dubium & quæstionem vocata illa non fuerat; Ecclesia etenim nonnisi occasione subnascentium errorum, avitam fidei doctrinam verbo Dei seu scripto seu tradito contentam, declarat ac definit. Neque porrò Tridentina Synodus dogma fidei, de quo agimus, aliter definire & declarare potuisset, nisi ex constanti ac perpetua traditione illud à Christo Domino revelatum fuisse didicisset; neque enim novæ fiunt revelationes, sed quæ revelata sunt, Ecclesia declarat, & pro auctoritate sua, sub anathematis pœna credenda proponit.

Objicies 2. Ad veritatem Sacramenti satis est, si debitè observetur ritus à Christo institutus: atqui Minister qui serio exteriùs ritum Christi observat, tametsi intus & in animo intentionem suam vel cohibeat, vel etiam contrariam gerat, ritum Christi debitè observat; ergo &c.

Resp. neg. min. Ritus enim à Christo Domino institutus ipsam importat internam Ministri intentionem. hæc enim pars est institutionis Christi, ut probatum est.

Instabis 1. Ad illorum Sacramentorum valorem non requiritur intentio Ministri, quorum forma independenter ab intentione Ministri est operativa; atqui Sacramentorum forma operativa est independenter ab intentione Ministri, operatur enim virtute significationis à Christo Domino institutæ.

Resp. neg. min. Intentio enim Ministri, ut mox diximus, est ex institutione Christi; nec forma Sacramenti suam habet efficacem significationem, nisi ab intentione seu voluntate Ministri determinetur. Sicut enim forma determinat materiam, ita formam ad esse sacramentale determinat intentio Ministri.

Instabis 2. Quod est operativum ex sola Christi institutione, producit effectum suum ex opere operato: sed quod producit effectum suum ex opere operato, efficax est & operativum independenter ab intentione Ministri. Namque producere effectum suum ex opere operato, est illum producere vi ipsius actionis sacramentalis à Christo in hunc finem institutæ, proindeque independenter à Ministri intentione; alioqui non foret ex virtute actionis, sed ex virtute intentionis.

Confirmatur. Quia in rebus, quæ per modum naturæ operantur, sufficit res illas ad agendum applicare, ut effectum suum producant independenter ab intentione seu voluntate applicantis. Sic v. g. ignis comburit, medicamentum sanat, verbum Dei prædicatum movet & excitat fidem, absque privata & interiori intentione; imò etiam fortè contra intentionem illius qui vel ignem admovet, vel medicamentum porrigit, vel annuntiat Evangelium.

Resp. nego istam minorem argumenti propositionem, nempe, Quod producit effectum suum ex opere operato, illum producit independenter ab intentione Ministri. Ratio negati est, quòd intentio Ministri in ipsomet opere operato ex institutione Christi includatur, aut tanquam pars, aut saltem tanquam causa perficiens Sacramentum, per legitimam scilicet materiæ & formæ applicationem, non ex merito vel dantis, vel accipientis, sed virtute ipsius operis à Christo Domino debitè celebrati: et debita & ut oportet non celebratur, nisi interiùs ac seriò Minister velit & intendat illud celebrare.

Ad confirmationem; Quàm hæc disparata sunt ac

dissimilia: celebratio quippe Sacramenti essentialiter est actio humana, quæ perfici non potest nisi humano more, hoc est, ex intentione ministrantis. Revera quidem postquam Sacramentum debitè perfectum est, operatur independenter ab intentione Ministri: velit enim aut nolit effectum illius produci, reipsa producitur, si nihil obest ex parte subjecti recipientis; sed ut fiat seu perficiatur Sacramentum, necessaria est intentio Ministri.

Atque inde aperta est ratio discriminis inter Sacramenta & exempla rerum quæ adducta sunt; res enim illæ, neque ut fiant, neque ut operentur, pendent ab intentione agentis. Qui enim ignem ex silice excutit, quoquomodo excutiat, velit, nolit, ignem excutit, quem si segetibus v. g. admoveat, necesse est, velit, nolit, segetes comburi. Medicus pariter qui ægroto poculum porrigit, sive cogitet, sive non cogitet, poculum dat aut salutarem aut noxium. Concionator etiam Evangelicus aptus ad persuadendum & ad commovendos animos audientium, affectus illos excitabit, si divina aspiret gratia, quæcunque tandem sit illius Oratoris sacri voluntas & intentio.

Instabis 3. Intentio Ministri non continetur, sicut diximus, in opere operato, quia opus operatum in Sacramentis est id tantùm quod constituit signum sensibile: atqui intentio Ministri non est ex iis, quæ constituunt signum sensibile: quomodo enim quod non est sensibile, qualis est intentio, constituere posset id quod est sensibile?

Resp. distinguo: Quod non est sensibile non potest esse ex iis quæ constituunt signum sensibile speculativum, esto: signum sensibile practicum, nego. Ad min. Intentio Ministri non est sensibilis per se immediatè concedo: per actionem quæ ab ipsa emanat, nego. Quid porrò discriminis sit inter signum purè speculativum & practicum, antea exposuimus. Nempe diximus, verba illa esse speculativa, quorum totus effectus stat in significando; practica verò, quæ aliquid imperant, & supponunt voluntatem, proindeque intentionem in imperante. Cùm ergo Sacramentorum forma constituatur verbis practicis, sequitur inde ea supponere in illo à quo proferuntur, voluntatem faciendi quod significant; ac consequenter, ad signum practicum intentionem absolutè requiri.

Instabis 4. Forma Sacramentorum quatenus est signum practicum, est forma quatenus imperat & jubet; atqui non requiritur intentio Ministri ad constituendam formam quatenus aliquid imperet & jubet; Minister enim, quatenus formam pronuntiando aliquid imperat, se habet ut instrumentum Christi, non ut præcipuum agens: atqui in instrumento Christi & Dei nomine imperante non requiritur intentio; sed agentis præcipui, Christi scilicet, voluntas sufficit.

Resp. dist. min. In instrumento inanimato & rationis experte non requiritur intentio, concedo: tale quippe instrumentum eatenus confert in effectum, quatenus movetur ab agente principali. In instrumento animato & ratione prædito, qualis est Judex, aut præfectus à Rege seu Imperatore delegatus, ut aliquid, si expedire judicaverit, perficiat, nego. Duobus scilicet modis potest aliquis alterius esse Magister: 1. ut sit tantùm velut nuntius, qui alterius voluntatem deferat & declaret; in Ministro quidem hujusmodi non requiritur ad rei valorem, ut velit reipsa facere quod alter intendit. 2. ut ab alio potestatem & facultatem acceperit, rem, si placuerit, perficiendi: in tali verò Ministro necessaria est intentio rem perficiendi. Porrò Ministri Sacramentorum hoc posteriori modo instituti à Christo sunt Ministri ac dispensatores Mysteriorum.

Instabis 5. Nequidem in publico Ministro requiritur intentio interna ut valeat, quod auctoritate publica conficit Instrumentum. Sit v. g. Notarius qui publicum Instrumentum, quo partes contrahentes ligantur & obligantur, ad formam legibus præscriptam describat: sit Judex qui sententiam absolutionis in gratiam rei ex plurali suffragiorum numero contra propriam suam sententiam pronuntiat: sit Scriba, qui eidem sententiæ, ut publica sit & executioni demandetur, subscribit; nonne & partes contrahentes ligantur, tametsi intus resisteret, nec consentiret Notarius? Nonne sententia in gratiam rei pronuntiata staret, etiam contra privatam & internam aut Judicis pronuntiantis, aut Scribæ subscribentis sententiam?

Resp. disparem omnino causam & rationem esse Ministri Sacramentorum, ab iis quorum exempla hic proferuntur. Hoc unum à Notario publico exigitur, ut Instrumenta, quibus partes contrahentes ligantur aptè & ad juris regulam describat; non ut ipse interiùs velit ac consentiat: ille etenim non tam partes ligat, quàm declarat ex mutuo earum consensu ligatas. Judex pariter qui in causa capitis reum absolvit ex plurali aliorum Judicum assidentium suffragio, contra propriam suam sententiam, non tam absolvit, quàm declarat juridicè absolutum. Ita & de Scriba dicendum, qui sententiæ subscribit tanquam publicus testis ad hoc officium destinatus: at Minister Sacramentorum ex institutione Christi ex nomine Christi & Ecclesiæ perficit, nec tantùm declarat, aut testis est concessæ sanctificationis, sed eam ut Minister & instrumentum Dei confert ac producit. Quomodo autem Sacramenta perficeret, si ea nollet perficere? Voluit ergo Christus Sacramentorum suorum perfectionem pendere à voluntate, seu intentione Ministri; non ità porrò est in exemplis adductis.

Instabis 6. Nos ipsi hic & in probatione secundæ Conclusionis his exemplis personarum publicarum, Notarii, Judicis &c. usi sumus, ut ostenderemus in Ministris qui ex officio ac nomine Reipublicæ aliquid operantur, necessariam non esse privatam & internam eorum intentionem, ut quæ ab ipsis fiunt, vim & auctoritatem habeant: porrò Sacramenta sunt publica Instrumenta, quæ ex ipsa Christi institutione operari debent, etiam contra privatam Ministri voluntatem & intentionem.

Resp. argumentum istud in æquivoco laborare. Non indigent quidem Sacramenta, ubi ritè perfecta sunt, intentione Ministri, ut effectum suum producant, sicut Conclusione secunda ostendimus; at ut sint, seu, ut perficiantur, pendent, Deo ita volente, ab intentione Ministri. Objectio igitur confundit efficaciam Sacramenti, cum existentia seu veritate illius. Ut Sacramentum sit efficax & operativum, non indiget quidem intentione Ministri, sed ea indiget ut sit seu perficiatur.

Instabis 7. Votum aut juramentum exteriùs ac seriò expressum ligat, tametsi qui vovet ac jurat interiùs reclamet, nec animum habeat sese obligandi. Pariter firmum stat Matrimonium exteriùs ac seriò per verba consensum exprimentia contractum, licèt contrahentes interiùs & animo non consentiant. Ita Magister Sententiarum Lib. 4. dist. 27.

Resp. eum qui exteriùs vovet aut jurat, vel seriò velle facere exteriùs quod faciunt qui verè jurant aut vovent, licèt interiùs statuat se voto aut juramento non ligare, vel nolle etiam exteriùs ac seriò id facere, sed tantùm velle illud simulare ac fingere; si prius, votum & juramentum ratum est, ac privata intentio, qua ille vult se non ligare, revera non impedit quin ligetur, quia vinculum illud ex ipsa voti & juramenti natura sequitur; si posterius; votum & juramentum omni interiori animo vovendi ac jurandi destitutum, nullum quidem est coram Deo & in foro interiori conscientiæ; attamen coram Ecclesia, quæ de internis non judicat, pro rato habetur: neque audiendi, qui contra voti obligationem reclamare eo prætextu vellent, quòd interiùs non consensissent; quanta enim inde sequi posset in Republica Christiana rerum confusio ac perturbatio,

tio, nemo non intelligit: compellendi ergo illi sunt, ut intra obligationem voti exteriùs emissi sese contineant; atque ut seriò tandem & ex animo voveant, quod fictè ac mendaciter vovisse se declarant: quin & condignæ pœnitentiæ subjiciendi, propter delusam tam turpi mendacio ac fallacio Ecclesiam.

Idem prorsus de Matrimonio judicandum. Nullum quidem coram Deo est, si interior consensus defuerit: veruntamen coram Ecclesia, quæ de occultis non judicat, ratum habetur: quod unum haud dubiè voluit Magister. Qui ergo declararet se in Matrimonium intus & animo non consensisse, eo ipso tempore quo exteriùs ac seriò consensum verbis exprimebat, non esset ille audiendus, nec dimittendus tanquam liber à vinculo conjugali, absit; sed adigendus ille foret in foro conscientiæ, ad consensum verè & ex animo quantociùs præbendum.

Difficile profectò non est, quæ mox dicta sunt transferre ad præsens de Ministro Sacramentorum argumentum. Quippe si Minister seriò exteriùs ac in debitis circumstantiis ritum Ecclesiæ perfecit, intus tamen noluit eum revera perficere, sed tantùm fingere, reipsa quidem coram Deo nullum est Sacramentum, defectu debitæ intentionis, quamquam in tribunali Ecclesiastico ratum & validum habeatur. Neque, ut antea diximus, Ministro contestanti se intentionem non habuisse conficiendi Sacramentum, tam facilè habenda fides: tum quia difficile prorsus ac rarum est ab actione exteriori serta debitem abesse intentionem internam; tanta est inter hæc duo facilis, prompta & naturalis connexio: tum quia si propriùs & attentiùs res expendatur, ac pulsetur conscientia illius qui declarat se nullam habuisse intentionem conficiendi vel conferendi Sacramentum, apparebit, non aliam ipsi defuisse intentionem, quàm finis seu effectus Sacramenti, vel ritus exterioris quatenus formaliter Sacramentum est, qualem intentionem non putamus necessariam in Ministro ut validè Sacramentum perficiat: tum denique, quia innumeris scrupulis & incommodis sic occurritur.

Objicies 3. In Ministro qui seriò exteriùs vult ritum Christi perficere, quem tamen intus non perficere, sed fingere duntaxat intendit, in Ministro, inquam, illo duplex voluntas occurrit; una efficax, qua vult ritum externum Christi seriò exercere, & quem revera exercet; altera inefficax, quæ mera est velleitas, que intendit ritum illum simulare, non verò facere: que ratione mercator tempore tempestatis ex voluntate inefficaci seu mera velleitate vellet merces conservare, quas tamen vera & efficaci voluntate in mare projicit. Porrò nulla debet haberi ratio hujus inefficacis voluntatis, seu velleitatis, sed tantùm voluntatis efficacis.

Resp. nego ant. Est quippe in illo Ministro duplex vera voluntas, una serio exterius agendi ritum Christi, altera illum non agendi, sed tantum simulandi. Exemplum mercatoris hic aptum non videtur: mercator enim unum & idem sibi proponit objectum sub diverso motivo; considerat merces ut vitæ noxias, & sub illo respectu vult vere voluntate illas in mare projicere, quia pluris facit vitam quam merces: considerat deinde easdem merces ut pretiosas & utiles, & sub hoc respectu vellet eas servare dum projicit. At in præsenti quæstione, duplex est vera voluntas, quia duplex est ac diversum quod proponitur objectum: 1. Vult minister serio exterius ritum Christi perficere, & voluntas illa est efficax; re ipsa enim supponitur ritum illum serio ac in debitis circumstantiis exercere: imo & interius vult illum serio exterius exercere. 2. Vult Minister ille defraudare Sacramentum, seu illud reipsa non perficere, sed tantum simulare; & circa istud objectum vera etiam voluntate fertur, tanquam circa finem præcipuum, quem serio exterius agendo sibi proposuerat; ita ut voluntas serio agendi, sit voluntas medii, voluntas vero decipiendi sit voluntas finis.

Objicies denique. Si necessaria est ad valorem Sacramenti interior Ministri intentio, cum hæc intus lateat & incognita sit, necesse est nos perpetuis angi & cruciari scrupulis circa veritatem Sacramenti. Ea ipse de causa noluit Christus fidem ac probitatem Ministri necessario requiri, ne veritas Sacramenti ac salus hominis à privata Ministri malitia vel probitate penderet.

Resp. ad omnes illos anxii animi motus sedandos sufficere, si Minister serio ac in debitis circumstantiis ritum Christi observet. Neque vero hic metaphysica & omnimoda certitudo ac securitas expectanda, quæ in rebus ad salutem pertinentibus in hac mortali vita haberi non potest: atque qui scrupulosus animus ab intentione Ministri, ne forte defuerit, timere sibi potest, quidni continuo pertimescet, ne forte idem Minister aut materiam, aut formam Sacramenti clam vitiaverit, & ita continuis scrupulis ejus animum agitari ac divexari oportebit. Neque porro eadem hic est ratio probitatis, quæ & intentionis Ministri; istam requirit Christus ad Sacramentum perficiendum, non illam; probitas quippe honestatem actionis spectat, intentio vero substantiam.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Adversus secundam Conclusionem,

Objicies I. Requiritur, ex definitione Concilii Tridentini, intentio faciendi quod facit Ecclesia verum perficit Sacramentum; ergo requiritur intentio verum perficiendi Sacramentum.

Resp. distinguo maj. Requiritur intentio generalis faciendi quod facit Ecclesia, concedo: intentio particularis, nego. Sufficit igitur si quis intendat opus externum sub ratione generali ac confusa operis Ecclesiæ: hac enim intentione satis determinatur actio Ministri ad ritum quemdam non vulgarem & profanum, sed sacrum & divinum; quidquid tandem de illo ritu sentiat, qui illum exercet.

Instab. 1. Sacramenta ut fiant pendent ex libera Ministri voluntate; ergo qui non vult facere ritum ut sacramentalem, verum non perficit Sacramentum.

Resp. nego consequentiam. Quia qui serio vult opus externum exercere tanquam Christi & Ecclesiæ Minister, agendo nomine Christi ritum elevat ad dignitatem Sacramenti, quod à Ministro Sacramenti non amplius depender.

Instabis 2. Qui vellet ritum Christi simulare tantum ac fingere, ille Sacramentum non perficeret; ergo à pari qui non vult Sacrementum perficere, illud revera non perficit.

Resp. maximam esse disparitatem: qui enim vult tantum ritum Christi simulare, eum non determinat, qui ex se ad plura indifferens est: qui autem vult illum serio intus exercere nomine Christi, quidquid velit privata sua intentione, illum ad aliquid sacrum ac divinum figit ac determinat.

Instabis 3. Requiritur intentio actionis seu operis Christi & Ecclesiæ, quatenus generatim saltem est opus Christi: atqui hæc actio vere sacramentalis est; ergo requiritur intentio operis Christi quatenus verum est Sacramentum.

Resp. nego consequentiam. Argumentum quippe istud vitiosum est ac merum sophisma, in quo plures sunt, quam oporteat, termini. In majori etenim propositione, intentio operis Christi quatenus Christi est, supponit pro intentione generali ac confusa, quæ ad opus Christi simpliciter ac generatim referatur; in conclusione vero supponit pro intentione particulari clara & explicita, quæ referetur ad opus Christi formaliter, & quatenus verum est Sacramentum.

Instabis 4. Qui exteriùs preces Ecclesiæ recitat sine privata Deo placendi intentione, verè non orat, licèt intendat preces recitare nomine Ecclesiæ; ergo à pari, qui ritum Ecclesiæ observat sine privata voluntate seu intentione perficiendi Sacramentum, reipsa Sacramentum non perficeret.

Confirmatur 1. ex eo, quod in aliquibus Sacramentis oratio formæ rationem habeat, v. g. in Sacramentis Confirmationis, Ordinationis, Unctionis extremæ.

II. Quia actus exterior destitutus interna & debita intentione, rectus esse non potest, ut patet in actu virtutis; imò in voto, juramento, & ipsomet Matrimonio, nisi adsit interior voventis vel jurantis, vel Matrimonium contrahentis consensus, nihil omnino, quod obliget, perficitur.

Resp. orationes & preces in eo maximè differre à Sacramentis, quòd ista efficacia sint & operentur ex se ipsis, seu ex opere operato; preces verò [nisi fortè ad formam Sacramentorum pertineant] non operantur, nisi ex pietate operantis, seu ex opere operantis: unde necessariò exigunt in orante mentis attentionem ac pietatem.

Ad primam confirmationem, fatemur in iis orationibus quæ pertinent ad formam Sacramentorum, necessariam esse intentionem Ministri, non quidem privatam, sed publicam & generalem Ecclesiæ: neque enim eo in casu Minister orationes illas spectat ut suas privatas, sed ut publicas Ecclesiæ orationes, seu ut partem Sacramenti.

Ad secundam confirmationem distinguo: Actus exterior virtutis destitutus interna & privata intentione recta nullus est, concedo; quia bonum ex integra causa, atque recta intentio est veluti anima virtutis. Actus exterior sacramentalis, seu per quem Sacramentum perficitur, nego. Quod de voto, juramento & Matrimonio additur, jam suprà expositum fuit ac solutum.

Objicies 2. Concilium Tridentinum sess. 14. Can. 9. exigit in Ministro Pœnitentiæ animum seriò absolvendi; ergo exigit intentionem verum conferendi Sacramentum.

Resp. nego conseq. Pari ratione dici posset, Concilium exigere intentionem conferendi gratiam, per quam peccata remittuntur. Per animum igitur seriò absolvendi, Concilium intelligit animum non simulandi, sed verè & ex animo proferendi verba, quibus absolutio à peccatis exprimitur.

Instabis. Concilium eam exigit ac necessariam pronuntiat Ministri intentionem, quam negabant Novatores adversus quos Canon. 11. sess. 7. conditus fuit: atqui Novatores non negabant necessariam esse intentionem operis externi Ecclesiæ, sed tantùm intentionem finis seu effectus Sacramenti, ergo &c.

Resp. 1. Ut Canon Tridentinus meritò adversus Novatores conditus dicatur, satis est, quòd illi visi fuerint prorsus negare necessariam in Ministro Sacramentorum intentionem, ita ut Sacramentum etiam per jocum & irrisionem manifestam datum approbaverint, Ita porrò videtur Lutherus docuisse, quamquam istam facti quæstionem Concilium non attigerit, suppressis semper ac tacito suis in Canonibus Lutheri, vel Calvini nomine.

Resp. 2. nego min. Novatores etenim asserebant, aut asserere saltem videbantur, Ministrum, qui joco absolveret, id est qui intus fingere absolutionem, non autem eam dare vellet, verè tamen absolvere, quam sententiam anathemate percellit Synodus Tridentina Can. 9. sess. 14.

Objicies 3. Diximus suprà ad tertiam secundæ Conclusionis probationem, necesse non esse, ut Minister Sacramentorum intendat facere id, quod vera & Catholica facit Ecclesia, sed sufficere, ut velit facere, quod talis Ecclesia v. g. Genevensis, quam putat veram esse, facit: atqui falsum istud videtur; namque non magis satis est ad intentionem Ecclesiæ habendam, intendere quod facit Ecclesia v. g. Genevensis, quæ putatur vera, quàm ad habendam fidem veram sufficit dicere, Credo quod credit Ecclesia Genevensis, quam puto veram Ecclesiam.

Probatur paritas: Nam ideo, qui credit, quod credit Ecclesia Genevensis existimata vera Ecclesia, non habet veram fidem, quia per istam existimationem ita determinatur ad assensum præbendum iis quæ proponit Ecclesia Genevensis, ut non amplius credat oppositum, quod ab Ecclesia Catholica ut à Deo revelatum proponitur: atqui à pari, qui pronuntiando verba ista v. g. *Hoc est corpus meum*, intendendo facere quod facit Ecclesia Genevensis existimata vera Ecclesia, ita determinatur ad faciendum id unum, quod facit Ecclesia Genevensis, ut non velit amplius facere quod facit Catholica Ecclesia; ergo &c.

Resp. maximam disparitatem esse. Quando enim aliquis credit Ecclesiam Genevensem esse veram Ecclesiam, error est, qui cùm sit fidei oppositus, fidem destruit, ac impedit quominus homo iste credat, quod vera & Catholica Ecclesia credit. Porrò error, qui fidei opponitur, intentioni Ministri non nocet: qui enim intendit facere, quod facit Ecclesia Genevensis credita vera Ecclesia, errat quidem; attamen generatim intendit facere quod facit Ecclesia Christi, quod satis est, ut validè Sacramentum perficiat, si nihil aliunde defuerit.

Instabis. Error iste circa Ecclesiam Genevensem, quæ vera creditur, etiam debitæ intentioni opponitur: nam intentio particularis opponitur intentioni generali faciendi quod facit Ecclesia; quomodo assensus datus huic propositioni, Credo quod de Eucharistia credit Ecclesia Genevensis, destruit generalem assensum rebus à Deo revelatis antea datum: atqui intendere seu velle facere quod intendit & facit Ecclesia Genevensis, est intentio particularis.

Adde, ita Ministrum Genevensem intendere facere, quod facit Ecclesia Genevensis, ut excludat Ecclesiæ Romanæ intentionem; quomodo Sacerdos Catholicus ita intendit facere quod facit Ecclesia Romana, ut excludat intentionem Ecclesiæ Genevensis.

Resp. fidem esse virtutem intellectus, quæ proinde fertur circa res ut sunt in se ipsis directè ac immediatè; unde si aliquis credat, quod non est à Deo revelatum, licèt sibi persuadeat se habere fidem, non tamen habet, quia deest Dei revelantis auctoritas: at verò intentio pertinet ad voluntatem, quæ non fertur immediatè circa res ipsas, sed prout ab intellectu proponuntur. Cùm ergo Ecclesia Genevensis ab intellectu hominis hæretici proponitur voluntati ut vera Ecclesia, voluntas intendit facere quod facit Ecclesia Genevensis sub ratione veræ Ecclesiæ; & ita semper remanet debita intentio. Hoc modo non desinit actum misericordiæ exercere, qui alicui se pauperem simulanti eleemosynam erogat. Similiter Romam ire intendit, qui ex errore & ab itinere deflectens Venetias petit non Romam; ita quippe affectus ille est, ut Venetias non adiret, si sciret non esse Romam.

Objicies denique auctoritatem S. Thomæ 3. part. qu. 64. art. 8. in corpore, ubi sic loquitur: *Quæ in Sacramentis aguntur, possunt diversimodè agi ... & ideo oportet quòd determinentur ad unum, id est ad sacramentalem effectum per intentionem abluentis*. Ergo ex S. Tho. requiritur in Ministro intentio effectus Sacramenti. Eadem videtur esse Alexandri & Gabr. sententia.

Resp. S. Thomam per sacramentalem effectum hic intelligere integrum Sacramenti ritum externum, qui per intentionem Ministri determinari debet ad esse sacramentale, velut ad effectum, qui ex illo ritu sequitur. Non alium esse S. Doctoris sensum, & scopus & verba demonstrant. Idem quoque sensus est Alexandri & Gabrielis. Nam Alexander in 4. partem

Summæ

Summæ qu. 13. membro 1. art. 2. dicit quidem requiri in Ministro intentionem finis Sacramenti; sed per intentionem finis intelligit intentionem actionis integræ ac completæ. Id ita esse patet ex eodem loco, ubi duplicem finem distinguit; unum intrinsecum operi, qui nihil aliud est, quàm terminus & complementum actionis; alterum extrinsecum, nempe fructum & utilitatem rei, V. g. in Sacramento finis intrinsecus est completa & integra cæremonia per res & verba ritè perfecta; finis extrinsecus est remissio peccatorum. Affirmat autem Alexander, intentionem prioris finis necessariò requiri, non verò posterioris. Gabriel. in 4. dist. 6. qu. 1. Concl. 3. dicit reverà requiri Ministri intentionem, non solùm respectu actus baptisandi, ut objecti; sed etiam respectu effectus, ut finis; quod ipse à Scoto acceperit in 4. dist. 6. q. 5. Uterque autem, ut ipsi mentem suam explicant, per actum ut objectum intelligunt ipsummet actum externum, qualem etiam intendere posset, qui joco baptisare vellet; quam intentionem non sufficere, suprà probavimus; per effectum autem ut finem, intelligunt quemdam generalem ac remotum, non particularem & proximum. Neque enim volunt necesse esse ut Minister intendat effectum gratiæ vel salutis, sed tantùm ut intendat id facere in baptisato, quod faciunt Christiani in iis, quos baptisant: hoc verò nihil aliud est, quàm dicere requiri intentionem operis, non ut est opus quoddam naturale ac profanum, quod etiam jocando perfici potest, sed ut est opus Christi & Ecclesiæ.

De necessitate intentionis ratione modi consideratæ: hoc est, an necessaria sit intentio actualis; an virtualis, vel habitualis, aut interpretativa sufficiat.

Intentio actualis aut formalis, est præsens & actualis animi applicatio ad id quod agitur.

Intentio virtualis, est ipsamet actualis quæ præcessit, ac moraliter in Ministro perseverat, cùm actu contrario non revocatur; atque actionem ipsam, virtute actus præcedentis, dirigit.

Intentio habitualis est promptitudo seu facilitas quædam operandi ex habitu sive infuso sive acquisito contracta: vel est intentio, quam præcessit voluntas operis faciendi, sed postea nullo pacto influit in actionem; neque per se, neque per aliud causa est actionis.

Rursus intentio actualis alia est directa & indirecta. Directa est quæ intenditur talis effectus propter se, v. g. justificatio infantis in Baptismo; Indirecta verò, quæ & interpretativa dicitur, ea est, qua intenditur causa ea qua prævidetur explicitè vel implicitè talem effectum secuturum. Sic qui baptisat infantem, sciens Baptismum ad justificationem ab Ecclesiæ usurpari, licet hanc justificationem conferre non intendat, dum baptisat, ponit nihilominus causam, ex qua novit talem effectum expectari: ac consequenter eum indirectè ac interpretativè velle censetur. Qui autem non agnosceret vel Ecclesiam, vel Baptisma, sed ad preces cujusdam Cathechumeni aquam in caput ejus effunderet, haberet intentionem actualem indirectam, qua implicitè talem effectum intenderet.

CONCLUSIO.

Intentio conficiendi Sacramenti, habitualis non sufficit: intentio verò actualis & formalis sufficit quidem, at non requiritur: intentio verò virtualis & requiritur & sufficit.

Primò quidem intentionem habitualem non sufficere, res est per se manifesta: tum quia cùm nullo modo causa sit actionis, humanam non potest actionem dirigere: tum quia etiam in dormientibus adesse illa potest; isti verò modo libero ac deliberato non agunt: exigit autem Christus à suis Ministris, ut modo humano agant, id est cum deliberatione.

Secundò, optanda quidem & laudanda maximè in Ministris intentio formalis & actualis, at non requiritur: tanta nimirum est humanæ mentis ac voluntatis infirmitas, mobilitas & inconstantia tanta, ut circa idem objectum attenta diu ac defixa esse non possit.

Tertia igitur sufficit ac requiritur intentio virtualis, quæ est ipsamet actualis non revocata & moraliter perseverans in libera Ministri actione. Sic v. g. Minister ad baptisandum aliquem vocatus dum proficiscitur, & etiam dum infantem baptiset, de Baptismo expressè non cogitet, verè tamen baptisat virtute illius intentionis actualis sive directa sive indirecta, quam habuit cùm ad hunc finem profectus est: manet enim adhuc in virtute, quatenus movet Ministrum ad suscipiendum iter, & formam Sacramenti ritè cum materia conjungendam. Hæc autem omnium consensu requiritur ad minus, & ad validitatem Sacramenti sufficit.

Hæc est sancti Thomæ doctrina 3. par. q. 64. art. 8. ad 3. *Dicendum*, inquit, *quòd licèt ille qui aliud cogitat, non habeat actualem intentionem, habet tamen habitualem, quæ sufficit ad perfectionem Sacramenti: puta cùm Sacerdos accedens ad baptisandum, intendit facere circa baptisandum quod facit Ecclesia. Unde si postea in ipso exercitio actus, cogitatio ejus ad alia rapiatur, ex virtute primæ intentionis perficitur Sacramentum. Quamvis studiosè curare debeat Sacramenti Minister, ut etiam actualem intentionem adhibeat, sed hoc non est totaliter positum in hominis potestate, quia præter intentionem, cùm homo vult multum intendere, incipit alia cogitare.*

Nec te moveat, quod ait hìc S. Doctor, eum sufficere qui non habet actualem intentionem, habere habitualem: namque per habitualem ab illo virtualem intelligi, & textus ipse, & exemplum quo utitur, demonstrat.

Dices 1. Intentio habitualis sufficere videtur. Nam si quis v. g. hodie intendat cras offerre Sacrificium pro Petro, tametsi intentio illa maneat tantùm in habitu, verè tamen offert Sacrificium pro Petro; ergo si quis hodie intendet cras Sacramentum conferre eidem Petro, tametsi intentio illa maneat tantùm in habitu, verè tamen Petro Sacramentum conferet.

Respondent aliqui negando antecedens; quia eatenus quis Sacrificii valorem cuipiam applicare potest, quatenus Sacrificium ipsum pro illo offert; atqui præterita illa voluntas sufficiens non est ut Sacrificium, quod postea fiet, pro illo dicatur offerri; ergo neque ut valor Sacrificii ei applicetur. Minorem probant, quia idem est confici Sacramentum, & offerri Sacrificium. *Vasquez disp. 38. c. 6. n. 47.*

Verùm aliud est Sacrificium offerri Deo, & offerri pro aliquo, sive cuipiam applicari fructum Sacrificii: per intentionem præteritam offerri quidem Deo Sacrificium non potest; at potest applicari cuipiam fructus Sacrificii. Namque, ut rectè disputat Cardinalis de Lugo, applicatio illa est donatio fructus Sacrificii: donatio autem fieri potest rei futuræ, etiam meritorum futurorum; ergo & applicatio. *De Sacramentis disp. 8. sect. 6. nu. 99.*

Alii verò distinguunt antecedens: si illa intentio sit de præsenti, jam tum applicans fructum Sacrificii cras offerendi, concedunt; si illa intentio sit de futuro decernens tantùm cras applicare fructum Sacrificii, negant. Itaque 1. intentio illa de futuro non sufficit in Sacrificio; quia non est applicatio Sacrificii, sed propositum applicationis. 2. Intentio de præsenti sufficit in Sacrificio, quia intentio cras offerendi pro Petro, non debet esse operativa Sacrificii ipsius, sed tantum applicativa fructus Sacrificii. 3. Intentio de futuro pariter non sufficit in Sacramento; quia *Suarez disp. 13. sect. 3. Conc. 2.*

quia

quia non fuit collatio Sacramenti, sed propositum collationis.

Dices 2. Non sufficit intentio virtualis; quia intentio illa non sufficit, quæ potest reperiri in homine, qui post conceptam intentionem actualem incideret in phrenesim similemve morbum, unde rationis usum amitteret: atqui intentio illa virtualis est in tali homine, quoniam illa consistit tantùm in motu locali membrorum, aut in actibus quibusdam sensuum ac phantasiæ profectis ex intentione actuali præterita, quorum homo capax est, postquam incidens in phrenesim rationis usum amisit.

Resp. totam hanc difficultatem potius esse de modo loquendi, quàm de re ipsa, ac pertinere magis ad Philosophiam, quàm ad Theologiam. Scilicet fatentur omnes Theologi, Sacramentum ratum non fore, si à Ministro conferatur qui ex concepta intentione actuali cætera deinceps perficeret mentis impos, quoniam actio humana non foret. Item fatentur Sacramentum fore ratum, si à Ministro conferatur, qui ex concepta intentione actuali cætera deinceps sui compos perficeret, quia tunc actio verè foret humana. Disputant solùm, unde sacramentalis actio foret humana; an ex sola intentione actuali explicita, quæ semel adfuerit homini rationis compoti velut causa consequentium motuum; an ex intentione actuali implicita, quæ semper adsit homini rationis compoti velut causa consequentium motuum. Hoc verò ipsum est, quod dixi pertinere magis ad modum loquendi, quàm ad rem ipsam, & ad Philosophiam potiùs, quàm ad Theologiam.

Duplex dubium circa intentionem virtualem.

Dubium autem duplex hic solvendum occurrit circa intentionem virtualem.

Primum est, quid sit intentio virtualis; & quo sensu dicatur in actione libera Ministri moraliter perseverare.

Secundum est de modo quo differt illa intentio ab habituali, & cur una sufficiens, altera verò insufficiens sit ad validitatem Sacramenti.

Quantum ad primum: sunt qui affirmant ideo perseverare voluntatem Ministri, licèt de opere sibi antea proposito non amplius cogitet, quòd potentiæ externæ applicatæ fuerint prius ad operandum à voluntate; quæ quidem potentiæ, cùm non dependeant ad continuandum opus ab intentione actuali qua moveantur, quamdiu manent applicatæ vi prioris voluntatis, dicuntur actiones omnes quæ ab iis potentiis eliciuntur, manare à priori intentione quæ virtualiter in iis perseverat tanquam causa in effectu.

Verùm hæc non sufficiunt ad declarandum quomodo voluntas præterita influat in actionem præsentem. Nam cùm potentiæ externæ sint ex se ad talem vel talem actum indifferentes, debet assignari aliquid præsens internum determinativum, quo hic & nunc dirigatur potentia externa quæ hic & nunc operatur; alioquin cessaret ab actu, ut patet in homine qui deambulat; si enim dormiret inter deambulandum, ita ut omnis interna operatio cesset, statim cessat motus deambulationis, ad quam continuandam non sufficit præterita voluntas deambulandi licèt non retractata.

Dicendum ergo voluntatem præteritam perseverare quidem remotè in potentiis externis quæ continuant motus suos, sed etiam proximè in actu voluntatis præsenti, tenuissimo & confuso, quo volumus voluntate actuali inchoatum opus perficere.

De Sacramentis disp. 8. sect. 5. nu. 87. pa. 127.

Rem hoc modo explicat de Lugo: *Si aliquis*, ait, *contendat continuari actionem sacramentalem tum solis actibus imaginativa & appetitus materialis, non est quòd in hoc immoremur: hoc enim sufficiet ad declarandum, quomodo intentio & voluntas præterita maneat virtualiter, & influat in actionem præsentem. Nam vel manet in aliquo actu voluntatis præsenti, tenuissimo & confuso, quo volumus recitare vel operari; & hic actus, cum non possit tendere ad illud objectum, nisi sub ratione boni, necesse est, ut saltem in confuso velit hanc operationem præsentem ut bonam & utilem ad illum finem priùs volitum,... Et paulò post ibidem:* p. 128. *id sufficit*, ait, *ut homo dicatur continuare actionem illam ex intentione & voluntate præterita, quæ ideo dicitur virtualiter manere, quia adest præsens aliqua virtus ab ea relicta, vel actus voluntatis confusus, vel certè actus in appetitu imperans prosecutionem actionis, cum ordine & respectu ad priorem intentionem.*

Neque est, quòd dicas illos voluntatis actus tenues & confusos, re ipsa nullos esse, cùm à nemine deprehendantur. Namque qui v. g. initio solam deambulationem sibi proposuit, & de illa sola sibi videtur cogitare, manus tamen movet, deambulat aliquando tardiùs, aliquando celeriùs; licèt ad hos diversos motus explicitè non attendat, nemo est tamen qui neget illos procedere à quibusdam internis voluntatis actibus, qui cùm admodum exiles ac tenues sint, vix deprehenduntur, multò minùs exponi ac explicari liquidò possunt.

Quantùm verò ad secundum dubium, hæc est dubitandi ratio: quia nempe utraque voluntas, virtualis scilicet & habitualis, præterita videtur; & si dicatur virtualis perseverare modo mox exposito, quidni & de ipsa habituali idem poterit affirmari? Supponatur enim aliquis Sacerdos, qui sciat se inter dormiendum solitum pronuntiare verba consecratoria in panem, deinde voluntate actuali velit dare valorem verbis quæ in somno prolaturus est, & postea intendat hoc fine dormire, ut verba pronuntiet, quæ ex nunc vult esse valida ad consecrandum: en intentio habitualis, de qua tamen eadem dicuntur quæ suprà de virtuali dicta sunt.

Resp. discrimen esse inter utramque intentionem: scilicet actiones, quæ ab habituali procedunt, non esse humanas, id est cum deliberatione factas; quæ autem à virtuali emanant, humanas esse ac liberas. In utroque quidem casu voluntas præterita aliquo modo perseverat; at in intentione virtuali quando homo est sui compos, voluntas, à qua emanant tenuissimi actus quibus determinantur externæ potentiæ, est voluntas integra & soluta, quæ licèt confusè propter distractionem, vult tamen verè & liberè objectum: in casu verò habitualis intentionis, non est jam anima vigilans, sed anima somno vel vino obtenebrata; unde ex diverso principio diversa operatio nascitur. Actio elicita vi intentionis virtualis, est humana, quia tenuis attentio, quæ adhibetur, quæcunque sit, est animæ vigilantis & expeditæ: non est autem humana actio quæ est ab homine dormiente, quæcunque tandem voluntas præcesserit; quia scilicet ad hanc non attendit actu homo præsenti quadam, licet confusa, cogitatione, quæ sit hominis expediti & liberi; sed si quis sit voluntatis actus, voluntatis est ligatæ somno in homine dormiente, vel vino in ebrio prædominante, proindeque voluntatis animantium more raptæ ac determinatæ.

Dices: Ad humanam actionem sufficit libertas præterita; unde licèt qui dormit non sit actu exercito liber, ejus tamen actio libera est in causa, utpote ante somnum explicitè volita.

Resp. sufficere quidem ad actionem humanam libertatis actum præteritum, sed humano modo perseverantem, in actu scilicet aliquo qui sit hominis liberi ac vigilantis, non ligati & dormientis. Exemplum sit in Sacramentis: forma profertur ad exprimendum, quid sentiat hic & nunc Minister de actione externa, quam operatur, & quæ ob diversos fines posset usurpari, nisi à Ministro determinaretur; locutio enim humana nata est ad significandum, quid actu sentiat ille, qui loquitur. Si sit virtualis intentio, sufficit ad exprimendam mentem actualem Ministri; quia sive in potentia externa, quæ manet applicata ad actum, sive in actibus confusis, qui à mente eliciuntur, continuò perseveret voluntas explicita antea habita de actione, quæ nunc fit, Minister exprimit mentem, quam habet derivatam humano modo ex priori magis explicita, & id sufficit: at verò verba, quæ profert dormiens,

nullo

nullo modo apta sunt ad exprimendum quænam sit hic & nunc ejus propria & genuina voluntas; nullam enim habet actu deliberatam, nec humano modo perseverat antea habita, quia nullius est causa effectus liberi qui actu existat.

ARTICULUS II.

An fides necessaria sit in Ministro, ut Sacramentum validè perficiat.

Status controversiæ inter Stephanum & Cyprianum.

TErtio Ecclesiæ sæculo summa ingeniorum contentione agitata fuit præsens controversia inter Stephanum Summum Pontificem ex una parte, & Cyprianum, Firmilianum cæterosque Africanos & Orientales Episcopos ex altera, quam paucis his verbis describit S. Augustinus Lib. 6. de unico Baptismo contra Petilianum cap. 14. „Erant, *inquit*, duarum eminentissimarum Ecclesiarum, Romanæ scilicet & Carthaginensis Episcopi duo, Stephanus & Cyprianus, ambo in unitate Catholica constituti: quorum Stephanus Baptismum Christi in nullo iterandum esse censebat, & hoc facientibus graviter succensebat; Cyprianus autem in hæresi vel schismate baptisatos, tanquam non habentes Baptismum Christi baptisandos esse in Ecclesia Catholica existimabat.“ Irritum igitur & nullum judicabat Cyprianus Sacramentum quod sine fide ab Hæretico, vel extra Ecclesiæ unitatem à Schismatico datum fuisset.

To. 9. p. 528. F.

Cyprianus ratione vincebat, Stephanus Traditionis auctoritate.

Ea porrò in controversia videbatur Cyprianus Stephano superior pondere rationum, Stephanus verò auctoritate Traditionis, nec dissimulat sanctus Augustinus Lib. 3. de Baptismo cap. 4. tam firmas sibi aliquando visas fuisse rationes quibus Cyprianus causam suam defendebat, ut nisi obstitisset auctoritas Ecclesiæ, invictus ac superatus fuisset: *Quod ad Jubajanum*, inquit, *scripserit Cyprianus jam legi, & profectò issem in eandem sententiam, nisi me ad diligentiorem considerationem revocaret tanta auctoritas Ecclesiæ.* Et Lib. 2. cap. 8. dixerat, rationes quibus pugnabat Cyprianus, *veras quidem non fuisse, at non victas*, ab iis scilicet qui solam opponebant consuetudinem & Traditionem.

Ibid. p. 111. B. Ibid. p. 103. E. Biblioth. PP. To. 7. pag. 252. A.

Error Donatistarũ, Quàm diversa eorum & Cypriani conditio.

Vincentius Lirinensis in Commonitorio cap. 10. agnoscit pariter Cypriani causam multis usque gravissimis præsidiis munitam fuisse: *Tanta vis ingenii adfuit*, inquit, *tanta eloquentiæ flumina, tantus assertorum numerus, tanta veri similitudo, tanta divinæ Legis oracula &c.*

Ibid. p. 104. C. Ibid. p. 518. D.

Donatistæ quarto Ecclesiæ sæculo eundem cum Cypriano errorem propugnavere, at sorte longè dispari. Cyprianus erravit servata unitate Ecclesiæ, isti disrupta; Cyprianus erravit re nondum satis eliquata & perspecta, isti, *multis discussis ambagibus perspecta veritate ac plenario etiam totius Orbis Christiani Concilio confirmata*, inquit sanctus Augustinus Lib. 2. de Baptismo contra Donatistas c. 9. Cyprianus erravit, quod humanum est, sed animo ita comparato, ut universi Orbis auctoritati cessisset tam sancta anima, tam pacata, ait ibid. sanct. Augustinus, si tunc plenario Ecclesiæ Concilio patefacta veritas fuisset; Donatistæ verò animo rebelli ac contumaci apertæ ac definitæ veritati obluctati sunt; *Rebaptisare Hæreticos, quod illi fecisse dicuntur* (ait sanct. Augustinus Lib. de unico Baptismo cap. 13. conferens Donatistas cum Agrippino & Cypriano) *tunc fuit humani erroris; rebaptisare autem Catholicos, quod adhuc isti faciunt, semper est diabolicæ præsumptionis.*

Denique Cyprianum in errore detinebat antiqua, ut putabat, Ecclesiæ Carthaginensis Traditio, & multorum aliorum Africanorum Præsulum sententia; Donatistas verò revocare ab errore debuerat Orbis universi auctoritas, & consentiens omnium Catholicorum doctrina. Quapropter sanct. Augustinus eodem Lib. 2. contra Donatistas cap. 3. ostendit, quàm immeritò illi se tuerentur exemplo & auctoritate Cypriani. *Vos certè*, inquit, *nobis objicere soletis Cypriani Litteras, Cypriani sententiam, Cypriani Concilium: cur auctoritatem Cypriani pro vestro schismate assumitis, & ejus exemplum pro Ecclesiæ pace respuitis?*

Ibid. p. 98. A.

Agrippinus primus auctor erroris. P. 122.

Primus erroris auctor non fuit Cyprianus, sed eum ab Agrippino suo decessore jam indictum, & à Concilio aliquorum Episcoporum confirmatum invenit. Ita testatur ipsemet S. Cyprianus in Epistola ad Jubajanum n. 73. „Apud nos, *inquit*, non nova aut repentina res est, ut baptisandos censeamus eos qui ab Hæreticis ad Ecclesiam veniunt, quando multi jam anni sunt, & longa ætas ex quo sub Agrippino bonæ memoriæ viro convenientes in unum Episcopi plurimi hoc statuerint.

Quam hic S. Cyprianus longam ætatem appellat, S. Augustinus Lib. 4. contra Donatistas cap. 6. ad paucos annos contrahit: *Paucis ante se annis*, inquit, *in Africa repertis* Cyprianus, ut baptisarentur ab Hæreticis baptisati. Et verò Concilium illud Agrippini nonnisi anno 217. quo pax Ecclesiæ reddita fuit, ac celebrandi conventus facultas restituta, convocari potuit: ab illo autem anno 217. usque ad annum 256. quo S. Cyprianus ad Jubajanum scribebat, interjacent anni duntaxat 39. Non altiùs igitur Rebaptisantium in Africa origo repeti potest, quàm annis ante Cyprianum 39. ab Agrippino scilicet Episcopo Carthaginensi, *qui omnium mortalium primus*, ait Vincentius Lirinensis in Commonitorio cap. 9. *Contra divinum Canonem, contra universalis Ecclesiæ regulam, contra sensum omnium Consacerdotum, contra morem atque instituta Majorum rebaptisandum esse censebat.* Idem testatur S. Aug Lib. 2. de Baptismo contra Donatistas cap. 7. & 8.

To. 9. p. 126. C.

Bib. PP. To. 7. p. 251. G. To 9. p. 102. F. G. & 103. E. F.

Cùm igitur Eusebius Lib. 7. Hist. cap. 3. ait, Cyprianum omnium primum, *nonnisi per Baptismum ab errore prius emundatos, admittendos esse censuisse*, loquitur de tempore quo sedente Stephano S. Pontifice, controversia hæc celeberrima auctore Cypriano excitata fuit.

P. 251 B.

Tertullianus ad Decretum Agrippini respexisse videtur. P. 230. A. P. 571. B.

Tertullianus itidem Africanus Firmilianum sequutus est, cujus decretum videtur subindicare Lib. de Baptismo cap. 15. cùm ait: „Circa Hæreticos sanè quid custodiendum sit . . . . . ad nos etiam editum est. *Quid verò illud sit, exponit his verbis*: Hæretici nullum habent consortium nostræ disciplinæ.... non idem Deus est nobis & illis, nec unus Christus, id est, idem, ideoque nec Baptismus unus, quia non idem, quem cùm ritè non habeant, sine dubio non habent...., sed de isto plenius jam nobis in Græco digestum est. *Et Lib. de pudicitia cap.* 19. Apud nos, *inquit*, ut Ethnico par, imò & super Ethnicum Hæreticus etiam per Baptisma veritatis utroque homine (nempe Ethnico illo veteri, & superinducto Hæretico) purgatus admittitur.

Explicatur à nonnullis Tertullianus.

Placet aliquibus Tertullianum de iis duntaxat loqui Hæreticis qui Baptismatis formam adulterabant: verùm generatim ille de omnibus Hæreticis loquitur. Alii dubitant an Agrippinus à Tertulliano, vel iste ab illo (eodem quippe florebant tempore) errorem hauserit: at cùm S. Aug. & Vincentius Lirinensis primùm in Africa hujus erroris parentem appellent Agrippinum, & istius decretum videatur Tertullianus indigitare, probabilius est Tertulliano præivisse Agrippinum. Mirum porrò nemini videri debet, quòd S. Cyprianus in patrocinium suæ sententiæ nusquam Tertullianum, cujus Opera tam assiduè legebat, laudaverit: noverat scilicet hominem nullius apud Catholicos esse ponderis, cui sua ad Hæreticos defectio omnem apud Fideles fidem & auctoritatem detraxerat.

Gerardus Vossius disp. 19. de Baptis. Thesi 3. existimat Decreto Concilii quod ab Agripp. fuit celebratum

anno

Vossii interpretatio rejicitur.

anno 217. eorum solummodo Hæreticorum Baptismum rejici ac iterari, qui præscriptam baptizandi formam adulterabant: *Quia*, inquit, *sine dubio Hæreticos illos intellexit Agrippinus, adversus quos tunc temporis pugnabat Ecclesia, atque imprimis in Africa. Erant autem isti, Hermogeniani, Praxeani, Cataphryges, Quintilianistæ, & similes qui monstrosas planè opiniones de Deo & Christo spargebant.*

At manifestè fallitur Vossius: tum quia S. Cyprianus prædecessoris sui sensum rectè sine dubio assequutus, eo nitebatur ut omnium indistinctè Hæreticorum Baptisma rejiceret; tum quia Agrippini & Cypriani sententiam velut falsam universa subinde proscripsit Ecclesia; at immeritò prorsus, si stet Vossii conjectura: jure quippe repetitur Baptismus, cujus forma violata est. Tum denique quia licèt Hæretici, quos enumerat, opinionum portenta induxissent, incertum nihilominus num illi omnes Baptismatis formam adulterarent. Certè Concilium Nicænum generale I. anni 325. solos Paulianistas jubet rebaptizari, non Arianos, non Praxeanos, non Catharos, licèt errorum monstra confinxissent.

Origo & occasio hujus controversiæ juxta Baronium.

Baronius ad annum Christi 258. n. 11. quærens qua occasione in Africa præsens de Baptismo controversia excitata fuerit, existimat S. Cyprianum, exemplo Novatianorum Catholicos ad se venientes ut immundos denuò baptisantium, quasi ad æmulationem provocatum, idem erga Novatianos ipsos statuisse, nempe ut redeuntes ad Ecclesiam baptizarentur.

Verùm difficile videtur id de tam candido peccatore suspicari, & existimare tam sanctum Pontificem tali stimulo ad suam declarandam sententiam incitatum fuisse, præsertim cùm in Epistola ad Jubajanum, ad exemplum Novatianorum quod opponebatur, respondeat, ad se nihil pertinere quod hostes Ecclesiæ faciunt; & jam tribus annis priùs quàm quidquam de hoc argumento consultus responderet, in Libro de unitate Ecclesiæ versùs medium, quam jam diu animo imbiberat sententiam apertè declaret.

Dici igitur verisimiliùs debet, occasione Novatianorum Catholicos rebaptisantium, cœptam moveri in Africa quæstionem de Baptismo Hæreticorum.

Plures de hoc argumento Epistolæ & Synodi S. Cypri.

Plures de hoc argumento scripsit S. Cyprianus Epistolas, quarum seriem chronologicam accuratè satis texuisse videtur auctor Annalium Cyprianicorum qui præfixi sunt Editioni Anglicanæ Operum sancti Cypriani. Celebravit etiam tres Carthaginenses Synodos: primam anno 255. in qua sederunt Episcopi 32. Illius meminit Epistola 71. ad Quintum. Alteram anno 256. Episcoporum 71. sicut ipse testatur Epistola 73. ad Jubajanum, Synodicam inde ad Stephanum direxit Epistolam, qua quidquid eo in Concilio gestum ac statutum fuerat, narrat; qua Epistola accepta, Summus Pontifex celebrem fecit responsionem his verbis conceptam: *Nihil innovetur nisi quod traditum est &c.* adjectis etiam gravissimis comminationibus adversus eos qui suo decreto non acquiescerent; quibus paulò commotior factus Cyprianus, Kalendis Septembris ejusdem anni 256. tertium coegit Carthaginense Concilium, cui ex Provinciis Africæ, Numidiæ, atque Mauritaniæ interfuere Episcopi 87. Præfatus est eo in Conventu Cyprianus stylo in Stephanum paulò duriori; neque enim alium quàm Stephanum hæc verba perstringere videntur: *Superest*, inquit Cyprianus, *ut de hac ipsa re singuli quid sentiamus, proferamus, neminem judicantes, aut à jure communionis aliquem, si diversum senserit, amoventes. Neque enim quisquam nostrum Episcopum se esse Episcoporum constituit, aut tyrannico terrore ad obsequendi necessitatem collegas suos adigit.* Alludit haud dubiè ad Decretum Stephani, quo sub pœna excommunicationis jusserat non esse rebaptizandos, qui ab Hæreticis rebaptisati fuerant; quamquam non ignoremus S. Augustinum Lib. 3. de

Tom. 1. Conc. p. 786. E.

Baptismo cap. 3. postquam hæc Cypriani verba recitavit, exclamare: *Quid mansuetius? quid humilius?* Ex quibus nonnulli conjiciunt, sanctum Cyprianum non ad Stephanum, sed ad suos Coepiscopos respexisse, inter quos nullus erat, qui tyrannico terrore posset cæteros ad obsequendi necessitatem adigere.

To. 9. p. 110. D.

Ad Orientales pariter scripsit Stephanus.

Verùm quidquid sit, ad Orientales pariter scripserat Stephanus, comminatus excommunicationis pœnam; quod cum rescivit Cyprianus, ad Firmilianum Cæsareæ in Cappadocia Episcopum Literas dedit per Rogatianum Diaconum transferendas, quibus respondit Firmilianus per Epistolam inter Cyprianicas n. 75. in qua duriùs profectò, quàm moderatio Christiana ferat, Stephanum exagitat ac refellit; significat atque jam pridem in Concilio Iconiensi collectis in unum ex Galatia & Cilicia cæterisque proximis regionibus Episcopis, statutum fuisse, nullum esse Baptismum, qui ab Hæreticis datur; imò & addit, hanc esse veterem & omni memoria superiorem Ecclesiæ suæ ab Apostolis ipsis derivatam doctrinam: *Ab initio hoc tenentes*, inquit p. 148. *quod à Christo & ab Apostolis traditum est. Nec meminimus, hoc apud nos aliquando cœpisse, cùm semper istic observatum sit.* Hoc idem testatur Dionysius Alexandrinus in 3. ad Philomonem Epistola apud Eusebium Lib. 7. Hist. cap. 7. *Illud præterea dici*, inquit, *non ab Afris solis hunc morem nunc primùm invectum fuisse; sed & multis antea superiorum Episcoporum temporibus in Ecclesiis populosissimis, & in Conciliis fratrum apud Iconium & Synnada, & apud alios plurimos idem sancitum fuisse.*

Firmilianus asserit antiquam & omni memoria superiorem esse in sua Ecclesia rebaptisantium sententiam & praxim

Dionysius Alexandrin. p. 253. D.

Non satis igitur accuratè Baronius ad annum Christi 258. n. 13. scripsit primos hujus tempestatis fluctus [controversiæ scilicet de Baptismo Hæreticorum] in Oriente motos fuisse, & illic primùm inter Stephanum aliosque Orientis Episcopos quæstionem hanc excitatam fuisse: siquidem declarant Orientales ipsi, hanc suam vel ab initio fuisse sententiam; & Firmilianus Cyprianum alloquens, non dissimulat Rebaptisantium praxim recentem esse apud Africanos, qui ergo ita veritate, antiquam consuetudinem deseruerant, Orientales verò veritati perpetuam adjecisse consuetudinem. Prætermittere tamen non possumus, quod candidè agnoscunt tum Cyprianus, tum Firmilianus, multos scilicet inter suos fuisse, qui sententiam & praxim Ecclesiæ Romanæ sequebantur, nec ab Hæreticis tinctos iterum baptisabant.

Emendatur Baronius.

Cyprianus & Firmilianus non dissimulant multos inter suos diversæ fuisse sententiæ.

Atque hæc historicè referenda paucis nobis erant circa celebrem illam Rebaptisantium causam. Ad probationem Catholici dogmatis jam accedendum: itaque sit

CONCLUSIO.

Fides Ministri necessaria non est, ut Sacramentum verè ac validè perficiat.

Quanquam fatendum sit caput istud doctrinæ Catholicæ clarè & expressè in Scripturis non esse revelatum, sed ex constanti duntaxat ac perpetua Ecclesiæ Traditione ad nos defluxisse, nihilominus Veteres, S. Augustinus imprimis, adversus Donatistas demonstrabant veritatem Sacramenti non pendere ex privata Ministri conditione, fide vel probitate, argumento in Scripturis fundato, quod, ait Bellarminus Lib. 1. de Sacramentis cap. 26. potest illo syllogismo concludi.

Minister Sacramentorum operatur virtute & auctoritate divina: atqui Deus non aufert à Ministro datam et potestatem ob ejus peccatum aut infidelitatem; ergo &c.

Argumentum ex Scripturis.

Major propositio manifesta est ex Scripturis. Joan. 1. v. 33. *Supra quem videritis Spiritum sanctum descendentem, hic est qui baptisat.* 1. Corinth. 3. v. 7. *Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat, Deus.* Et v. 4. *Quid igitur est Apollo?*

Apollo; quid vero Paulus? Ministri ejus cui credidistis. Et cap. 1. v. 13. dixerat: *Numquid Paulus crucifixus est pro vobis; aut in nomine Pauli baptisati estis?*

Minor autem propositio probatur: Quia, inquit Bellarminus loco modo citato, auctoritas conferendi Sacramenta non est gratia gratum faciens, sed gratia gratis data, in utilitatem scilicet aliorum; non ergo ita pugnat cum improbitate vitæ, ut simul cum ea esse non possit; neque conveniens erat, ut talis gratia auferatur propter peccatum illius cui data est; sic enim unus puniretur ob culpam alterius. Constat autem ejusmodi gratias in peccatoribus esse posse, ut patet de Caipha, qui prophetavit, cum autem esset pessimus, Joan. 11. Item de illis qui Matth. 7. dicunt: *Nonne in nomine tuo dæmonia ejecimus.*

Firmius ex Traditione ducitur argumentum. P. 120. P. 131. Decretū Stephani. P. 129.

Ea constanti porro Ecclesiæ Traditione longe firmius deducitur argumentum: quod certe subodoratus Cyprianus, ac causæ suæ veluti diffidens si ad Traditionem provocaret, non consuetudine seu traditione pugnandum hic esse contendebat, sed ratione. *Non est*, inquiebat in Epistola 71. ad Quintum, *de consuetudine præscribendum, sed ratione vincendum. Consuetudo enim sine veritate* (ait alibi scribens ad Pompejum) *vetustas erroris est.* Nihilominus Stephanus Romanus Pontifex non alia quam Traditionis arma Rebaptisantibus opponebat solemni isto Decreto quod refert S. Cyprianus Epistola 74. ad Pompejum: *Si quis ergo à quacumque hæresi venerit ad vos, nihil innovetur nisi quod traditum est, ut manus illi imponatur in pœnitentiam.*

Traditionem agnoscunt S. Aug. & alii. To. 9. p. 104. B. Ibid. p. 102. E.

S. Aug. Lib. 2. de Baptismo contra Donat. cap. 9. ejusdem avitæ Traditionis auctoritatem sæpius commendat. "Consuetudinis robore, *inquit*, tenebatur „Orbis terrarum, & hæc sola opponebatur inducere „volentibus novitatem.... Postea tamen dum inter „multos ex utraque parte tractatur & quæritur, non „solum inventa est, sed etiam ad plenarii Concilii au„ctoritatem roburque perducta est. *Et cap.* 7. Non„dum erat, *ait*, diligenter illa Baptismi quæstio per„tractata, sed tamen saluberrimam consuetudinem te„nebat Ecclesia, in ipsis quoque schismaticis & hæreti„cis corrigere quod pravum est, non iterare quod da„tum est; sanare quod vulneratum est, non curare „quod sanum est. Quam consuetudinem credo ex A„postolica traditione venientem sicut multa quæ non „inveniuntur in Litteris eorum, neque in Conciliis „posteriorum, & tamen quia per universam custodi„untur Ecclesiam, nonnisi ab ipsis tradita & commen„data creduntur.

S. Hieronymus. Tom. 4. p. 2. p. 305.

S. Hieronymus Dial. adversus Luciferianos hanc pariter antiquam Traditionem agnoscit, imo & ab ipsomet Hilario Diacono Luciferiano agnosci declarat: *Si*, loquit, *negandum quispiam putaverit Hæreticos à majoribus nostris semper fuisse susceptos, legat B. Cypriani Epistolas, in quibus Stephanum Romanæ urbis Episcopum & inveterata consuetudinis lacerat errorem. Legat & ipsius Hilarii libellos, quos adversus nos de Hæreticis rebaptisandis edidit; & ibi reperiet ipsum Hilarium confiteri à Julio, Marco, Sylvestro, & cæteris veteribus Episcopis, similiter in pœnitentiam omnes Hæreticos susceptos.*

Ne in Africa quidem & in Oriente obliterata vera Traditio.

Ne in Africa quidem aut in Oriente, quo tempore contrarius Rebaptisantium error prævalebat, obliterata plane fuit antiqua & vera Traditio; eandem enim agnoscit S. Cyprianus, multosque suis Collegis à se dissentire, cum quibus pacem & concordiam servabat. Ita significat Epistola 71. ad Quintum, 72. ad Stephanum & 73. ad Jubajanum, à quo acceperat incerti auctoris Epistolam qua error Rebaptisantium refellebatur, & Catholica veritas strenue propugnabatur: ita etiam præfatione quam habuit in III. Concilio Carthaginensi. Firmilianus quoque in epistola ad Cyprianum inter Cyprianicas 75. non dissimulat multos ea de re dubitasse, eaque de causa celebratam Synodum Iconiensem. Obscurari igitur potuit aliquando his in Regionibus veritas fidei, at non penitus deleri.

Concilia distinguunt inter Hæreticos formam Baptismatis observantes, aut violantes.

Hanc ea Traditione receptam doctrinam constanter retinuere ac definiere Concilia, & facto discrimine Hæreticorum qui consuetam baptisandi formam retinebant, aut violabant, istos per Baptismum, alios per pœnitentiam vel onctionem recipiendos esse jusserunt.

Arelaten. I. Tom. 1. Conc. p. 1428. A.

Concilium Arelatense I. an. 314. Can. 8. "De A„fris, *inquit*, quod propria lege sua utuntur, ut rebap„tisent, placuit, ut si aliquis de hæresi venerit, interro„gent eum symbolum; & si perviderint eum in Patre „& Filio & Spiritu sancto esse baptisatum, manus ei tan„tum imponatur ut accipiat Spiritum sanctum. Quod „si interrogatus non responderit hanc Trinitatem, „baptisetur.

Nicænum I. Tom 2. Conc. p. 43. E.

Concilium generale I. Nicænum an. 325. Can. 19. jubet solos Paulianistas, id est, discipulos Pauli Samosateni rebaptisari: *De Paulianistis*, inquit, *ad Ecclesiam Catholicam confugientibus, definitio prolata est, ut iterum baptisentur omnimodis.* Ratio est; quia Paulianistæ non baptisabant ritu à Christo præscripto. *Credendum est*, ait S. Augustinus Lib. de hæresibus cap. 44 *eos regulam Baptismatis non tenere.* Idem testatur Innoc. I. Epistola 22. ad Episcopos Macedoniæ cap. 5. & S. Hieronymus Dial. adversus Luciferianos ait, *Synodum Nicænam omnes hæreticos suscepisse, exceptis Pauli Samosateni discipulis.* Et re quidem ipsa eadem Synodus Can. 8. Catharos seu Novatianos redeuntes ad Ecclesiam jubet admitti per manus impositionem, servatis iisdem gradibus honorum quibus antea fruebantur.

Laodicenum. Tom. 1. Conc. p. 1498. A B.

Concilium Laodicenum, anno, ut verisimile est 364. celebratum Can. 2. sic statuit: *Eos qui ex hæresibus, hoc est, Novatianis, sive Photinianis, sive Tesseradecatitis convertuntur, sive Catechumenos, sive qui apud illos Fideles dicuntur, non admitti priusquam omnem hæresim anathematisaverint, & præcipue eam in qua detinebantur.... fidei symbola discentes, & sancto Chrysmate inunctos, sic sancta mysteria communicare.* Non jubet Concilium rebaptisari Photinianos, quod mirum certe videri debet, cum ipsi à Paulianistis non discreparent, quos Nicæna Synodus vult rebaptisari. Ea de causa multi arbitrantur, aut Laodicenam illam Synodum ante Nicænam celebratam fuisse, aut nomen Photinianorum in textum irrepsisse, ac expungendum esse, quod, Binnio teste, in aliquibus editionibus non repetitur; aut saltem à Photinianis hujus ætatis adulteratam non fuisse Baptismatis formam: idem enim Concilium Can. 8. Montanistas seu Cataphryges jubet baptisari cum redeunt ad Ecclesiam, quod haud dubie ritu consueto non fuissent baptisati.

Constantinopolitanum. Tom. 2. Conc. p. 952.

Concilium Constantinopolitanum I. quod est generale II. an. 381. Can. 7. distincte enumerat Hæreticos qui per unctionem, & eos qui per Baptismum recipiendi sunt. Primi ordinis sunt Ariani, Macedoniani, Sabbatiani, Novatiani, Tesseradecatitæ sive Tetradıtæ & Apollinaristæ; posterioris vero ordinis sunt Eunomiani, Montanistæ, qui dicuntur Phryges & Sabelliani. Unde porro discrimen istud? nisi quod postremi isti Hæretici non servarent ritum baptisandi à Christo mandatum, quod de Eunomianis referunt Sozomenus Lib. 6. cap. 26. Theodoretus Lib. 4. Hæreticarum fabularum; de Montanistis testatur Gregorius Nazianzenus Oratione 14. de pace, & Gregorius Magnus Lib. 11. Epistolarum Epistola 67. alias Lib. 9. Epistola 61. ad Episcopos Hiberiæ. Atque hinc facile intelligitur quo sensu sanctus Hieronymus Dial. adversus Luciferianos asserat, Romæ non consuetos rebaptisari Ebionitas, Manichæos, Marcionitas quos fœdum & ridiculum Baptismum habuisse referunt SS. Irenæus & Epiphanius. Loquitur enim sanctus Doctor hypothetice, eo ipso modo quo S. Augustinus Lib. 3. contra Dona-

Sozom. p. 673. Theod. T. 4. pa. 236. Greger. Nazia. To. 1. p. 221. T. 2. pag. 1168. A. To. 9. p. 135. F. G.

tistas cap. 15. dicebat: *Si Evangelicis verbis, In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, Marcion Baptismum consecrabat, integrum erat Sacramentum, quamvis ejus fides sub eisdem verbis aliud opinantis quam Catholica veritas docet, non esset integra, sed fabulosis falsitatibus inquinata.*

Arelatense II. Tom. 4. Conc. p. 1013. B.

Concilium Arelatense II. an. 452. Can 16. & 17. *Photinianos, inquit, sive Paulianistas secundum Patrum Statuta baptisari oportere. Bonosiacos autem ex eodem errore venientes, quos sicut Arianos baptisari in Trinitate manifestum est, si interrogati fidem nostram ex toto corde confessi fuerint, cum chrysmate & manus impositione in Ecclesia recipi sufficit.*

Ad hæc omnia accedit auctoritas plenarii illius Concilii quo quæstionem nostram terminatam fuisse toties repetit S. Augustinus.

Tridentinum. To. 14. Conc. p. 778. B.

Denique Synodus sess. 7. Can. 4. sic statuit: *Si quis dixerit Baptismum qui etiam datur ab Hæreticis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, non esse verum Baptismum, anathema sit.*

Variis rationum momentis pugnavit S. August.

Multis itaque gravissimis momentis caput hoc doctrinæ Catholicæ adversus Donatist. vindicavit S. Aug.

Primum momentum. To. 9. p. 79. C. D.

Primum. Tam potest Hæreticus valide baptisare extra Ecclesiam, quàm potest apostata recedens ab Ecclesia Baptismum, quem perceperat, retinere: at istud postremum non negabant Donatistæ. *Dum autem*, ait S. Aug. Lib. 1. de Baptismo cap. 1. *apostatis redeuntibus & per pœnitentiam conversis non redditur, amitti non potuisse judicatur ..... Quod si haberi foris potest, cur etiam dari non potest, cur etiam dari non potest?*

Secundũ momentum. Ibid. p. 80. A.

Secundum: Sicut qui recedit ab Ecclesia non amittit Sacramentum Baptismi, ita nec Sacramentum Ordinationis quo valide confertur Baptismus. "Baptismi „Sacramentum, *ait ibid S. Doctor*, est quod habet qui „baptisatur; & Sacramentum dandi Baptismi est quod „habet qui ordinatur. Sicut autem baptisatus, si ab u„nitate recesserit, Sacramentum Baptismi non amittit; „.....sic etiam ordinatus; si ab unitate recesserit, Sa„cramentum dandi Baptismi non amittit.... Sicut er„go acceptatur Baptismus, quem non potuit amittere „qui ab unitate discesserat; sic acceptandus est Baptis„mus, quem dedit ille qui Sacratum dandi, cum dis„cederet, non amiserat.

Tertium momentum.

Tertium: Quemadmodum eædem sunt (si integræ sunt) Scripturæ apud Hæreticos & Catholicos, licet aliter ab Hæreticis intelligantur; ita eædem sunt utrobique Sacramenta, si verbis Evangelicis consecrata fuerint. "Sacramenta, *inquit S. Aug. Lib. 3. contra* „*Donatistas cap. 15.* si eadem sunt, ubique integra „sunt, etiamsi prave intelliguntur & discordiosè tra„ctantur: sicut Scriptura ipsius Evangelii, si eadem ipsa „est, ubique integra est, etiamsi innumerabili falsarum „opinionum varietate asseratur. *Paulo antea dixerat,* „quod si Marcion verbis Evangelicis, in nomine Pa„tris, & Filii & Spiritus sancti, Baptismum conse„crasset, integrum fuisset Sacramentum, quamvis ejus „fides sub eisdem verbis aliud opinantis quam Catholica „veritas doceat, non esset integra, sed fabulosis falsi„tatibus inquinata.

Ibid. p. 115. G.

Quartum momentum ad hominem.

Quartum momentum est ad hominem, ex principiis ipsis & praxi Donatistarum deductum. Illi scilicet post Hæreticos rebaptisabant, non vero post malos, homicidas, fures, adulteros &c. At, urgebat sanctus Augustinus, aut illorum omnium admittendus, aut rejiciendus est Baptismus; parem quippe & Hæreticorum & iniquorum rationem habere debent Donatistæ in præsenti causa. Idcirco enim dicebant Hæreticos baptisare non posse, quia Spiritum sanctum, quem non habent, cæteris dare non possunt; (erat enim istud erroris fundamentum, quod Sacramentum ab ejus effectu non satis distinguerent) atqui mali pariter Spiritum sanctum non habent; ergo illum dare aliis non possunt, nec consequenter Sacramentum. *Sicut*, inquiebat S. Doctor Lib. 4. contra Donatistas cap. 4. *urgeri videor, cum mihi dicitur, Ergo Hæreticus dimittit peccata; sic & ego urgeo cum dico, Ergo qui cælestia mandata non servat, avarus, raptor, fænerator, invidus &c. peccata dimittit? si per vim Sacramenti Dei, sicut ille, ita & ille; si per meritum suum, nec ille, nec ille.* Et Lib. 3. cap. 10. dixerat: *Non est aqua prophana & adultera super quam nomen Dei invocatur ..... quia nec ipsa creatura, nec ipsum nomen adulterum est. Baptismus vero Christi verbis Evangelicis consecratus, & per adulteros, & in adulteris sanctus est, quamvis illi sint impudici & immundi; quia ipsa ejus sanctitas pollui non potest, & Sacramento suo divina virtus assistit, sive ad salutem bene utentium, sive ad perniciem male utentium.*

Ibid. p. 124. A.

Ibid. p. 213. A.

Exemplis rem illustrat & confirmat S. Aug.

Confirmat hoc S. Doctor nonnullis exemplis & similitudinibus. "An vero, *ait ibid.* Solis vel etiam lu„cernæ lux, cum per cœnosa diffunditur, nihil inde sor„dium contrahit, & Baptismus Christi potest cujusdam „sceleribus inquinari? *Tractatu 5. in Jan.* Per lapide„um, *inquit*, canalem transit aqua ad areolas; in cana„li lapideo nihil generat, sed tamen hortis plurimum „fructum affert. Ita purum est quod per malum Mini„strum fluit Sacramentum, quod per illum transit li„quidum venit ad fertilem terram." Lib. 3. contra Cresconium cap. 8. adducit exemplum agricolæ, cujus malitia nihil obest quominus ager ab eo excultus fructum ferat; qua comparatione usus fuerat Apostolus 1. Corinth. 3. In eandem sententiam Nicolaus I. ad consulta Bulgarorum respondens, alia similitudine rem illustrat art. 71. *Cereafax, inquit, accensa sibi quidem detrimentum præstat, aliis vero lumen in tenebris administrat, & unde aliis commodum exhibet, unde sibi detrimentum præbet.* Sic etiam malus Minister bona Sacramenta administrando aliis utilis est, dum sibimet ipsi nocet.

Ibid. B. Tom. 3. pa. 2. p. 939. D. E.

Nicolaus I. Tom. 8. Conc. p. 541. B.

S. Thom.

Illam ex conditione Ministri & ministerii rationem profert S. Thomas hic q. 64. art. 5. *Ministri Ecclesiæ, inquit, instrumentaliter operantur in Sacramentis ... situs autem instrumentum non agit secundum propriam formam aut virtutem, sed secundam virtutem ejus à quo movetur ..... ita Ministri Ecclesiæ agunt virtute Christi, unde possunt Sacramenta conferre, etiamsi sint mali.*

Quintum momentum ex absurdis quæ sequuntur ex sententia Donatistarum.

Quintum momentum repetit S. Augustinus ex absurdis quæ sequuntur ex errore Donatistarum.

Tr. 9. p. 418. E.

Primum ex varietate ac multitudine Baptismatum, si virtus Sacramenti ex ministrorum meritis pendeat Lib. 3. contra Cresconium cap. 1. *Ad hominem baptisandum & sanctificandum, inquit, si tanto est melius quod accipitur, quanto melior est per quem traditur; tanta est in accipientibus, Baptismorum varietas, quanta in Ministris diversitas meritorum.*

Alterum incommodum est perpetua incertitudo & anxietas animi circa salutem, si virtus Sacramenti ex merito Ministri dependeat. "Quomodo, *inquit Lib. 1.* „*contra Litteras Petiliani cap. 3.* de illis securi erunt, „si conscientia dantis attenditur, quæ later oculos acce„ptuti? Ita secundum eorum sententiam fit salus illa „spiritalis incerta ....., & spem baptisandorum au„ferunt à Domino Deo, & in homine ponendam esse „persuadent.

Ibid. p. 207. C.

Tertium absurdum est, quod ex sententia Donatistarum sequatur eum justiorem esse debere, qui Sacramentum à meliori Ministro perceperit. "Si ex inno„centia baptisantis, *ait S. Doctor Lib. 2. contra* „*Litteras Petiliani cap. 6.* expectatur ut fiat innocen„tia baptisati, tanto erit quisque innocentior, quanto „innocentiorem à quo baptisetur, invenerit; & tanto „ipse minus erit innocens, quanto & ille à quo baptisa„tur. Et si forte contra aliquem tenet odium qui bap„tisat, hoc & illi qui baptisatur, imputabitur,

Ibid. p. 219. D. E.

Ab-

Absurdissimum denique erat quod fingebant Donatistæ, nempe cum Sacramentum à bono Ministro cognito datur, effectum seu gratiam Sacramenti ab illo dari; cùm vero Sacramentum à malo occulto datur, effectum Sacramenti esse ab ipso Deo: Unde S. Aug. Lib. 1. contra litteras Petiliani cap. 6. inferebat, (quod erat absonum) *optandum esse omnibus qui baptisantur, ut baptisatores perfidos habeant, & ignorent eos*: siquidem certi forent se à Deo ipso tunc gratiam consequi. Quamquam enim Minister foris bonus ac justus appareat, intus tamen malus esse potest; quo casu qui à tali Ministro baptisaretur, gratiam non acciperet: quæ totidem absurda S. Augustinus ex sententia Donatistarum consectaria esse ostendit ac explodit.

Ibid. 208. *F.*

Adversus doctrinam Catholicam Conclusione nostra expositam duplex generatim proponi potest objectionum genus: aliæ petuntur ex momentis rationum, quæ solita sua facundia urgebat & amplificabat suis in Epistolis S. Cyprianus, & quæ Donatistæ subinde adoptârunt: alia vero ex auctoritate nonnullorum Veterum qui errori Cypriani favisse multis videntur. Duplex vero illud Objectionum genus distincte ac separatim proponemus ac solvemus.

Objectiones repeti possunt vel ex ratione vel ex auctoritate.

SOLVUNTUR OBJECTIONES
ex momentis rationum

Ex triplici capite ea momenta repetuntur.

Ex triplici capite ea repetuntur.

I. Ex parte Hæreticorum, qui jus non habent conferendi Sacramenta.

II. Ex parte naturæ Sacramentorum, quæ cum soli Ecclesiæ Catholicæ concredita fuerint, extra ipsam valide dari non possunt.

III. Ex parte effectus Sacramenti, nempe gratiæ, quæ in hæresi, & ab Hæretico dari non potest, sine qua tamen inutile prorsus ac nullum est Sacramentum.

Objicies itaque ex parte Hæreticorum.

Prima objectio ex parte Hæreticorum.

I. Hæretici foris positi & extra Ecclesiam constituti, nullum jus habent in Sacramenta Christi; vindicant sibi rem nec sui juris, nec suæ potestatis; & sicut Chore & Dathan & Abiron usurpantes ministerium gravissimis Pœnis fiunt obnoxii. *Quæ enim participatio justitiæ cum iniquitate? Aut quæ societas lucis ad tenebras? Quæ autem conventio Christi ad Belial?* ait S. Paulus 2. Cor. 6. v. 14. & sequentibus.

II. Teste Apostolo, quotquot baptisantur, Christum induunt: an vero baptisatus in hæresi Christum induere potest?

III. Non aliud in hæresi percipitur, quam quod creditur: at quod creditur falsum est; ergo & quod percipitur; ac proinde nullus & iterandus Baptismus datus ab Hæreticis.

IV. Plus valere non potest Baptismus in hæresi datus, quam valeat Christi confessio, aut mors pro ipso tolerata: at hæc nihil ad salutem proficit; ergo &c.

V. Joan. 20. Christus Apostolis suis dixit; *Accipite Spiritum S. quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*; ergo debet Minister habere Spiritum S. ut peccata per Sacramenta dimittat: atqui hæreticus non habet Spiritum S. ergo &c.

Joan. 20. v. 22.

VI. S. Joannes in sua Epistola jubet *ut si quis venit ad nos, & doctrinam Christi non habet, eum non admittamus, nec ave ei dicamus*; ergo nec admitti debet datus ab ejusmodi Ministro Baptismus.

Respondeo ad primum: Hæreticos illegitime quidem ac illicite, sed tamen vere Sacramenta Christi possidere, quia non sua, sed Christi sunt Sacramenta. *Aliud quippe est*, ait S. Aug. Lib. 3. contra Donatistas cap. 20. *non habere aliquid, aliud non jure habere, vel illicite usurpare. Non itaque ideo non sunt sacramenta Christi & Ecclesiæ, quia eis illicite utuntur, non Hæretici solum, sed etiam omnes iniqui & impii; sed tamen illi corrigendi aut puniendi, illa vero agnoscenda & veneranda sunt.* Confirmat & illustrat S. Doctor exemplo Legis

To. 9. *p.* 112. *F.*

quæ semper vera est in se ac bona, licet ea mali abutantur. Ad exemplum verò Dathan & Abiron, respondet Lib 3. c. 18. Hæreticos & malos Ministros graviter peccare ac durissimis pœnis obnoxios fieri, nisi per veram pœnitentiam resipiscant. Ad textum ex c. 6. 2. ad Corinth. respondet Lib. 4. c. 12. & 13. eum qui bona fide & spe & charitate in unitate Ecclesiæ à perverso Ministro Sacramentum percipit, ejus perversitati non adhærens, remissionem peccatorum accipere virtute Sacramenti Christi; neque ullam ipsi, aut Christi Sacramento societatem esse cum Hæretico: quod si ejus errori & perversitati consentiret, non tantum gratiam non perciperet, sed etiam majori se peccato innodaret, quamquam integrum ac verum esset Sacramentum verbis Evangelicis consecratum.

Ibid. p. 118.

Ibid. p. 132. & 133.

Ad secundum respondet S. Aug. Lib. 5. de Baptismo c. 24. Christum indui posse *aliquando usque ad Sacramenti perceptionem, aliquando usque ad vitæ sanctificationem: atque ad illud primum & bonis & malis posse esse commune; hoc autem alterum proprium esse bonorum & piorum.* Qui itaque ab Hæretico vel malo Ministro baptisatur, consentiens illius errori vel malitiæ, ille Christum induit, non quidem ad vitæ sanctificationem, sed ad Sacramenti perceptionem; quia scilicet Christi Sacramentum percipit.

Ibid. p. 157. *E.*

Ad tertium, neganda major propositio. *Nihil interest*, ait S. Aug. Lib. 3. contra Donat. c. 14. *cum de Sacramenti integritate & sanctitate tractatur, quid credat & quali fide imbutus ille sit, qui accipit Sacramentum. Interest quidem plurimum ad salutis viam, sed ad Sacramenti quæstionem nihil interest. Fieri enim potest ut homo integrum habeat Sacramentum, & perversam fidem; sicut fieri potest integra teneat verba Symboli, & tamen non recte credat, sive de ipsa Trinitate, sive de resurrectione vel aliquid aliud.*

Ibid. p. 115. *E.*

Ad quartum: Neque Baptismus, neque mors pro Christo tolerata sine vera charitate quidquam ad salutem prodest, quamquam verum sit absque charitate Sacramentum. *Aliud est*, ait S. Aug. Lib. 4. contra Donat. c. 17. *non habere, aliud non utiliter habere. Qui non habet, est baptisandus ut habeat: qui autem non utiliter habet, ut utiliter habeat corrigendus. Nec adultera est aqua in Baptismo Hæreticorum; quia nec ipsa creatura, quam Deus condidit, mala est.*

Ibid. p. 136. *A. B.*

Ad quintum, neganda consequentia. Debent quidem Ministri accipere Spiritum S. per manus impositionem, tum ut legitimam habeant administrandorum Sacramentorum potestatem, tum ut ipsi sanctificentur, ac sua potestate licite utantur: at ut aliis Spiritum S. per Sacramenta conferant, necesse non est ut Spiritum S. habeant, sed tantum ut verum conferant Christi Sacramentum; alias non modo Hæretici & publici facinorosi, sed etiam occulti Ministri mali, Sacramenta valide non perficerent, quia ne ipsi quidem Spiritum S. interius per gratiam sanctificantem inhabitantem habent; quo argumento Donat. sæpius urgebat S. Aug.

Ad sextum respondet S. Aug. Lib. 7. contra Donat. cap. 45. illum S. Joannis textum ad rem præsentem non esse, cum loquatur de iis qui veniunt ad nos. *Hæretici autem*, ait S. Doctor, *relinquentes doctrinam erroris sui ad Christi doctrinam convertuntur, ut incorporentur Ecclesiæ & ad illam columbam incipiant pertinere, cujus Sacramentum habebant: & ideo quod ejus non habebant, eis datur, id est, pax & charitas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta. Quod autem ejus habebant, agnoscitur, & sine ulla contumelia suscipitur.* Deinde argumento ad hominem Donatistas premit in hunc fere modum: Sicut dixit Joannes, alienæ doctrinæ hominibus ave non esse dicendum, ita S. Paulus ait, Si quis frater nominatur inter vos aut avarus, aut ebriosus &c. cum ejusmodi nec cibum quidem esse sumendum: atqui tamen Donatistæ ab ejusmodi hominibus datum Baptisma non ite-

Ibid. p. 598. *C.*

tabant; ergo nec iterare debebant datum ab Hæreticis.

Objicies 2. ex parte Sacramentorum.

Secunda Objectio ex parte Sacramentorū

I. In ea dumtaxat societate valide administrari possunt Sacramenta, cui à Christo Domino concessa sunt Sacramenta; atqui soli Catholicorum societati Sacramenta concessa fuere, ergo à solis Catholicis valide administrari illa possunt.

II. Sicut unus est Deus, una fides, una Ecclesia, ita unus Baptismus; ergo extra Ecclesiam Catholicam verus non est Baptismus: Ecclesia quippe est hortus

Cant. 4. v. 11.

conclusus, fons signatus; quomodo autem Hæretici hortum illum ingredi, ac de fonte illo aquas bibere possent?

III. Datur in Baptismo regeneratio; sed apud Hæreticos regenerari nemo potest; ergo nec valide baptisari.

IV. S. Petrus monet nos per unicum unius Ecclesiæ Baptismum servari posse, quemadmodum per solam Arcam Noe pauci, id est, octo animæ salvæ factæ sunt; sicut igitur quotquot extra Arcam fuere, extincti sunt aquis diluvii; ita quotquot extra Ecclesiam ab Hæreticis baptisantur, pereunt.

Resp. ad primum cum S. Augustino 1. retorquendo argumentum. Ab iis dumtaxat valide dari possunt Sacramenta, quibus dictum fuit, *Accipite Spiritum S. quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*: atqui adulteris, homicidis, raptoribus &c. non dixit Christus, *Accipite Spiritum S. quorum remiseritis &c.* ergo illi Sacramenta valide non perficiunt, ergo iterum baptisandi qui ab iis baptisati fuerunt: atqui tamen nec Cyprianus, nec Firmilianus sic baptisatos rebaptisabant; ergo &c.

II. Neganda est major propositio. Sequitur enim dumtaxat ab ea Ecclesia licite & cum fructu dari posse Sacramenta, cui Christus ea concessit; porro fatentur omnes, in sola Ecclesia Catholica posse cum fructu ac licite Sacramenta percipi, (nisi extrema urgeret necessitas) *Salus*, inquiebat S. Cyprianus, *extra Ecclesiam non est. Quis negat?* reponebat S. Aug. Lib. 4. contra

To. 9. p. 136. 4.

Donat. c. 15. *Et ideo quæcunque ipsius Ecclesiæ habentur extra Ecclesiam, non valent ad salutem: sed aliud est non habere, aliud non utiliter habere.*

III. Respondebat idem S. Doctor, Sacramenta quæ ab Hæreticis extra unitatem conferuntur, vim suam à vera & Catholica Ecclesia habere, quæ legitima Christi sponsa Hæreticis & Schismaticis utitur, tanquam utero ancillarum, ut Sponso suo Christo filios generet: quemadmodum Sara, Lia, & Rachel filios per uterum ancillarum jure conjugali pepererunt. Ita S. Augustinus Lib. 1. contra Donat. c. 16.

Ib. p. 39. B. C.

Ad secundum respondet idem S. Doctor Lib. 5. contra Donat. c. 26. unum haberi posse Baptismum ab iis qui non habent unam & eandem Ecclesiam; quemadmodum unum est in iis qui unam spem non habent. *Sicut enim dicitur una Ecclesia, unus Baptismus; ita una spes; atqui tamen unum habuere Baptismum, qui unam non habuere spem. Quomodo enim*, ait S. Doctor, *unam spem habebant cum sanctis & justis illi qui dicebant, manducemus & bibamus, cras enim moriemur, dicentes quod non esset resurrectio mortuorum.*

Ibid. p. 158. E. F.

Ad textum ex Cantico Canticorum reponebat S. Aug. eodem Lib. c. 27 intelligendum illum esse de sanctis & justis, non de avaris & fraudatoribus, qui tamen in sententia Cypriani communem habent cum justis Baptismum; quomodo autem illi irrepserunt in hortum conclusum & fontem signatum? Quamvis igitur una sit Ecclesia, quamvis hæc sit hortus conclusus & fons signatus, Hæretici extra illam constituti verum habent baptismum, quia Baptismus est veræ & Catholicæ Ecclesiæ.

Ibid. G.

Ad tertium, neganda minor propositio. Tam enim potest esse apud Hæreticos regeneratio, quam apud malos; si nempe qui baptisatur, nec hæresi, nec errori adhæreat: quia scilicet regeneratio hæc non ex Ministro pendet, sed ex Sacramenti auctore; *Hic est enim qui baptisat*; & Ecclesia, ut jam dictum fuit, per Hæreticos & malos Sponso suo filios generat. Ita S. Augustinus eodem Lib. cap. 24.

Ad quartum respondebat idem S. Doctor ibid. c. 28. *Sicut non alia, sed eadem aqua in Arca positos salvos fecit, & extra Arcam positos interemit; sic non alio, sed eodem Baptismo & boni Catholici salvi fiunt, & mali Catholici, vel Hæretici pereunt.* Qui ergo extra unitatem baptisantur, & hæresi vel schismati consentiunt, ii nullum ex Baptismo fructum reportant: è contra, qui necessitate compulsi ab Hæreticis vel Schismaticis baptisantur, Baptismi fructum percipiunt & ad veram Ecclesiam pertinent, si nec hæresi nec Schismati adhæreant.

Ibid. p. 160. E.

Objicies 3. ex parte effectus Sacramentorum: Nullum est reipsa Sacramentum sine effectu spirituali: atqui nullus haberi potest spiritualis effectus ab Hæretico Ministro, nemo enim dat quod non habet, & *ab immundo nemo mundari potest*, Ecclesiastici 34. *Et qui baptisatur à mortuo, nihil proficit lavatio ejus*, ibid. est quippe talis Baptismatis *aqua mendax*, Jeremiæ 15.

Tertia Objectio ex parte effectus Sacramentorū

Respondebat S. August. 1. fundamentum erroris S. Cypriani & aliorum fuisse, quod non satis distinguerent inter Sacramentum ejusque effectum; atque nullum & irritum crederent Sacramentum, quod suo careret effectu. *Non distinguebatur*, ait S. Augustinus Lib. 6. contra Donatistas cap. 1. *Sacramentum ab effectu vel usu Sacramenti. Et quia ejus effectus atque usus in liberatione à peccatis & cordis rectitudine apud Hæreticos non inveniebatur, ipsum quoque Sacramentum non illic esse putabatur.* Quod quidem fundamentum quàm caducum & ruinosum sit demonstrabat S. Doctor, vel uno malorum Ministrorum exemplo, qui Spiritum S. non habent, & tamen verum habent & conferunt Baptismatis Sacramentum.

Ibid. p. 161. B.

Respondebat 2. falsò supponi ab Hæreticis & malis Spiritum S. non conferri iis, qui pura conscientia Sacramentis communicant. „Potest tradere separa„tus, *ait S. Augustinus ibidem capite 5.* sicut potest „habere separatus; sed quàm perniciosè habere, tam „perniciosè tradere. Ille autem cui tradit, potest salu„briter accipere, si ipse non separatus accipiat: sicut „plerisque accidit, ut Catholico animo & corde ab uni„tate pacis non alienato, aliqua necessitate mortis ur„gente, in aliquem Hæreticum irruerent, & ab eo „Christi Baptismum sine illius perversitate perciperent, & sive defuncti sive liberati, nequaquam apud „eos remanerent, ad quos nunquam corde transierant.

Ibid. p. 165. G.

Respondet denique, Hæreticum qui Spiritum sanctum non habet, posse nihilominus illum aliis per Sacramenta conferre, sicut potest malus Minister: quia nempe non sua, sed Christi virtute, non suo, sed Ecclesiæ nomine Sacramenta dispensat Minister. *Cum malus tradit bono, id est, in unitatis vinculo, veraci conversione mutato, inter bonum Sacramentum, quod traditur, & bonum Fidelem cui traditur, tradentis malitia non separat*, ait S. August. Lib. 6. de Baptismo cap. 4. & Lib. 3. cap. 10. dixerat; *Non est aqua prophana & adultera super quam Dei nomen invocatur, etiamsi à profanis & adulteris invocetur; quia nec ipsa creatura, nec ipsum nomen adulterum est. Baptismus verò Christi verbis Evangelicis consecratus, & per adulteros & in adulteris sanctus est, quamvis illi sint impudici & immundi: quia ipsa ejus sanctitas pollui non potest, & Sacramento suo divina virtus assistit sive ad salutem bene utentium, sive ad perniciem male utentium.*

Ibid. p. 163. E.

Ibid. p. 113. A.

Ad textus Scripturæ citatos dicendum 1. ab immundo, qui propria virtute ac privato nomine egit, mundari quidem neminem posse: at Minister non propria sua virtute, nec privato suo nomine, sed virtute Christi, & Ecclesiæ nomine agit in Sacramentorum dispensatione. 2. Baptisari à mortuo

in

in sensu litterali, quàm lavari post attrectatum hominis mortui cadaver: & sensus est, qui lavat se eo quòd tetigerit cadaver hominis, & iterum tangit illud, nihil ei prodest prior lavatio. 3. Ad verba Jeremiæ reponit S. Aug. Lib. 3. contra Donat. cap. 15. aquam ibi figuratè significare populum mendacem & perfidum, non verò aquam baptismalem, quæ ex sese nusquam mendax est, hoc est, inanis & vacua; sed tantùm per accidens, ob pravam baptisati dispositionem. *Ibid. p. 116. D.*

SOLVUNTUR OBJECTIONES *ex auctoritate.*

Objicies 1. 45. & 46. Canonem eorum, qui Apostolici dicuntur: pœna quippe depositionis ibi imponitur *Episcopo vel Presbytero, qui Hæreticorum Baptismum vel Sacrificium admiserit, & eum qui ab impiis pollutus est, non baptisaverit.* Canones Apostolici. *Tom. 1. Conc. p. 35. C.*

Resp. Canones illos falsò Apostolicos inscribi. Sunt quippe illi ex variis antiquis Conciliis particularibus indiscriminatim collecti; inter quos duo citati haud dubiè sunt Concilii Iconiensis vel Synadensis, ubi Rebaptisantium error assertus fuit.

Objicies 2. auctoritatem nonnullorum SS. Pontificum.

Innocentius I. Innocentii I, Epistola 18. ad Alexandrum, ubi asserit hoc esse discrimen inter Arianorum Baptismum & Ordinationem, quòd solum eorum Baptisma sit ratum, non Ordinatio.

Leo I. Leonis I. Epistola 79. ad Nicetam Aquilejensem cap. ultimo, ubi ait, nullum Hæreticorum per Sacramenta dare posse sanctificationem.

Gregorius Magnus. Gregorii Magni Lib. 11. Epistola 67. ubi jubet iterari Bonosianorum Baptisma.

Pelagius II. Pelagii II, apud Gratianum dicentis, non esse corpus Christi, quod Schismaticus conficit.

Urbanus II. Urbani denique II. Epistola ad Lucium n. 17. Consultus quippe an utendum foret Ordinationibus cæterisque Sacramentis datis à Ministris improbis, respondet: *Si Schismate vel hæresi ab Ecclesia non separantur, eorumdem Ordinationes, & reliqua Sacramenta sancta & veneranda non negamus ..., Cæterùm Schismaticorum & Hæreticorum Sacramenta, quoniam extra Ecclesiam sunt ... ..formam quidem Sacramentorum, non autem virtutis effectum habere profitemur.* *Tom. 10. Conc. p. 445. A. Ibid. D.*

Resp. Summos illos Pontifices ne vel minimum quidem nostram infirmare Conclusionem.

Innocentius I. nusquam dixit ratam non fuisse Ordinationem Episcoporum vel Presbyterorum factam apud Arianos, quantùm ad substantiam & characterem, sed hoc unum, eos scilicet, cùm ad Ecclesiam redeunt, cum suis honoribus & gradibus recipiendos non esse, *Non videtur*, inquit, *Clericos eorum cum Sacerdotii aut ministerii cujuspiam suscipi debere dignitate ...., Quomodo fieri potest, ut eorum prophanos Sacerdotes dignos Christi honoribus arbitremur, quorum laicos imperfectos, ut dixi, ad sancti Spiritus percipiendam gratiam, cum pœnitentiæ imagine recipiamus?* *Tom. 2. Conc. p. 1269. D.*

S. Leo vel in ipso loco citato docet, hanc omnibus Ecclesiis servandam esse regulam, *ut lavacrum semel initum, nulla iteratione violetur, dicente Apostolo, Unus Deus, una fides, unum Baptisma.* Cùm igitur ait Hæreticos per Sacramenta dare non posse sanctificationem, suppleri debet, cùm nempe Sacramenta iis administrant, qui hæresi consentiunt. *Tom. 2. p. 688.*

S. Gregorius meritò jubet rebaptisari baptisatos à Bonosianis; illi siquidem, teste ipso S. Gregorio, non baptisabant in nomine Trinitatis: antiquam verò esse Patrum traditionem, non esse rebaptisandos, qui ab Hæreticis ritu præscripto baptisati sunt, declarat ibidem S. Pontifex *Tom. 2. 1168.*

Pelagius II. alludit ad significationem nominis Eucharistiæ, gratiarum scilicet actionem, & ad corpus Christi mysticum seu Ecclesiam, atque apud Schismaticos veram non esse gratiarum actionem, neque verum corpus Christi mysticum, adeoque nullam cum ipsis ineundam esse societatem. *Unam enim*, inquit, *quæ Christi corpus est, constat esse Ecclesiam, quæ in duo vel plura dividi non potest; simul enim cùm ab ea quisque recesserit, esse desistit Ecclesia.* Nihil porrò in his verbis deprehendimus, quod nostram impugnet Conclusionem.

Urbanus denique eodem sensu dixit, apud Hæreticos non esse virtutem seu effectum Sacramenti, quo S. Leo mox citatus.

Quæ hic opponi possent exempla Ordinationum, quæ nullæ ac irritæ idcirco declaratæ fuerunt, quòd ab Hæreticis, vel Schismaticis, suspensis vel degradatis celebratæ fuissent, suo loco referemus, ac demonstrabimus, non de substantia Ordinationis sed de solo usu, exercitio, functione suscepti Ordinis, controversiam fuisse.

Sanctus Dionysius Alexandrinus.

Objicies 3. S. Dionysium Alexandrinum, qui plures de præsenti argumento scripsit Epistolas, teste Eusebio Lib. 7. hist. cap. 7. quæ ætate sancti Hieronymi integræ adhuc extabant, quibus lectis sanctus Doctor apertè & candidè fatetur sanctum illum Dionysium *in Cypriani & Africanarum Synodorum dogma de rebaptisandis Hæreticis consensisse.* Et verò in tertia quam de hoc argumento scripsit ad Philemonem, cujus fragmentum refert Eusebius, post indicatam Episcoporum Africæ, ac Synodorum Iconiensis & Synadensis sententiam, addit: *quorum sententias & statuta subvertere, eosque ad jurgia & contentiones excitare equidem nolim.* Quare? quia haud dubiè in eadem cum ipsis erat opinione. Opponitur S. Dionysius Alexandrinus. *Euseb. Hist. P. 254. A.*

Resp. salvo sancti Hieronymi judicio, qui integras Dionysii Alexandrini Epistolas legerat, nos ex fragmentis earum, quæ supersunt idonei, ut eum ab illo errore liberum existimemus.

I. Quia in tertia ad Philemonem Epistola, cujus meminit Eusebius Lib 7. cap. 7. testatur se ab Heracla suo in Alexandrina Sede Prædecessore accepisse, *eos, qui ab Hæreticis veniebant ..... post multas preces purgatos*, ac patefactis quæcunque ab adversariis audissent, ad communionem admittendos, *nequaquam existimans iterato Baptismate eis opus esse.* *Ibid. p. 253. C. D.*

II. Idem Eusebius ibid. cap. 9. refert consultum à Dionysio Sixtum Romanum Pontificem, de homine, qui cùm interfuisset Baptismo eorum, qui in Ecclesia Catholica baptisabantur, & interrogationes responsaque illorum audiisset, & vicem suam ingemiscens ad Dionysium accessit, declarans Baptismum, quo apud Hæreticos initiatus fuerat, non hujusmodi esse, nec cum Catholico quidquam commune habere, sed plenum esse blasphemiæ & impietatis; unde orabat, ut hoc purissimo lavacro verissimaque adoptione & gratia donaretur; quod quidem se tentare ausum non fuisse significat Dionysius, ratus diuturnam communionem, qua homo ille in Ecclesia Catholica usus fuerat, ei sufficere; atque suasit ut bono animo esset, & cum firma fide bonæ spei plenus ad participationem Dominici corporis accederet. Si porrò in errore rebaptisantium fuisset Dionysius, hominem illum rebaptisari haud dubiè jussisset. Nec refert, si dicas, S. Cyprianum, quamquam apertè declararet, nullum esse Baptisma datum ab Hæreticis, dubitasse nihilominus quid de illis esset sentiendum, qui præteritis temporibus ab Hæreticis baptisati, sine novo Baptismo in pace Ecclesiæ Catholicæ obierant: namque dispar est omnino casus. De præteritis enim statuere nihil poterat Cyprianus, idcirco divino judicio sapienter totum illud relinquit in Epistola ad Jubajanum: at Dionysius viventem adhuc hominem rebaptisari jubere facilè potuisset ac debuisset, si reipsa nullum judicasset fuisse Baptismum quem acceperat. *P. 254. D.*

III. Cùm audivisset Dionysius intentatam à Stephano Summo Pontifice excommunicationem adversus Rebaptisantes, rogans atque obtestans ad illum scripsit, ut à ferenda sententia abstineret. An verò suas ille preces interponere ausus fuisset pro ea Episcoporum causa, cui ipsemet suffragabatur?

IV. S. Basilius Can. 1. Epistolæ ad Amphilochium testatur, à Dionysio, haud dubiè Alexandrino, quem magnum appellat, ratum habitum fuisse Baptismum à
Ed. ven. To. 2. p. 757. B.
Pepuzenis seu Montanistis datum, *Pepuzenorum*, inquit, *Baptismus nullam mihi rationem habere videtur, & miratus sum quomodo hoc magnum Dionysium, qui fuit Canonum peritus, præterit.* Reipsa Montanistæ Baptismi formam à Christo præscriptam non retinebant, ac necesse est illud Dionysium planè latuisse, alias
Ibid. p. 758. D.
eorum Baptismum nunquam admisisset, *Quomodo*, pergit S. Basilius, *verum haberi potest eorum Baptisma, qui in Patrem, & Filium, & Montanum Priscillamque baptisant? non enim baptisati sunt, qui non in nobis tradita baptisati sunt. Quare etiam si hoc magnum Dionysium latuit, nobis tamen non est servanda erroris imitatio.*

Sanctus Basilius.

Objicies 4. S. Basilium Cæsareæ Cappadociæ Episcopum, in Epistola Canonica, quam scripsit ad Amphilochium Iconii Episcopum, in qua Can. 1. statim
Opponitur S. Basilius.
declarat circa Catharorum seu Novatianorum Baptisma sequendum quidem uniuscujusque regionis morem, cùm variæ ac discrepantes sint de hoc Baptismate sententiæ; sibi tamen nullum videri Pepuzenorum Baptismum, quia antiqui illum solum Baptismum suscipiendum putarunt, qui nihil à fide recedit. Tum distinguit triplicem ordinem eorum qui à communione Ca-
Ed. ven. To. 2. p. 758. A.
tholica separati sunt; *Hæreticorum scilicet qui omninò sunt abrupti; Schismaticorum, qui propter aliquas Ecclesiasticas causas, & medicabiles quæstiones inter se dissident, & eorum qui illegitimos conventus ac congregationes habent*, quales illi sunt rebelles Episcopi, vel Presbyteri qui criminis alicujus convicti Canonibus Ecclesiæ subjicere se recusant; qua facta distinctione,
Ib. B. C.
de Baptismo illorum sic loquitur: *Visum est ergo ab initio Hæreticos quidem omninò rejicere. Qui se autem absciderunt, qui Schismatici dicuntur, ut qui adhuc sint Ecclesiæ, admittere: eos autem qui sunt in parasynagogis & illegitimis conventibus, convenienti pœnitentia & conversione correctos rursus Ecclesiæ conjungere.* Deinde ait Pepuzenos esse Hæreticos, eosque baptisare in Patrem, & Filium, & Montanum Priscillamque, ac miratur istud magnum latuisse Dionysium
Ibid. p. 759. A.
Canonum peritissimum. Addit, *antiquis visum esse, Cypriano scilicet & Firmiliano, eos omnes Hæreticos uni calculo subjicere, Catharos, & Encratitas, & Hydroparastatas, & Apotactitas, quoniam separationis quidem principium per schisma, ...* quare eos, qui ab ipsis baptisati erant, tanquam à laicis baptisatos jusserunt ad Ecclesiam venientes, vero Ecclesiæ Baptis-
Ibid. B.
mo expurgari. Verùm, pergit S. Basilius, *quoniam nonnullis Asiaticis omninò visum est propter multorum œconomiam & dispensationem, eorum Baptisma suscipi, suscipiatur.* Permittit igitur sanctus Doctor suam unicuique Ecclesiæ praxim & consuetudinem, quamvis ipse propria sua sententia existimet rebaptisandos esse baptisatos ab Hæreticis.

Denique Epistolæ 2. ad Amphilochium Can. 47.
Ibid. p. 772. D.
sic rursus loquitur: „Encratitæ & Saccophori, & Apo-
"tactitæ subjiciuntur eidem rationi, cui & Novatiani, "quia de illis editus est Canon, etsi diversus: quæ au- "tem sunt adversus eos silentio prætermissa sunt; nos "autem una ratione eos rebaptisamus. Si autem pro- "hibita est apud vos hæc rebaptisatio, sicut & à Ro- "manis, alicujus œconomiæ gratia, nostra tamen ratio "vires obtineat, quandoquidem est veluti Marcionista- "rum germen eorum hæresis, nuptias abhorrentium, "& vinum aversantium, & Dei creaturam inquinatam "esse dicentium, eos in Ecclesiam non admittimus, nisi "in nostrum Baptismum baptisati fuerint. Ne dicant "enim, In Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum baptisati sumus, qui quidem Deum esse malorum effe- "ctorem existimant, instar Marcionis & reliquarum "hæresum. Quamobrem si hoc placuerit, oportet plu- "res convenire Episcopos, & sic Canonem exponere, "ut & is qui sic fecit, sit extra periculum, & qui respon- "det, in responsione de his fide dignus habeatur.

Ex his habes 1. S. Basilium in ea fuisse praxi, ut Hæreticos quos enumerat, rebaptisaret, perinde ac Novatianos.

II. Aliam fuisse Romanorum praxim S. Doctor non dissimulat.

III. Eos Hæreticos, Pepuzenis exceptis, solita forma baptisatos fuisse in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti; adeoque non ea de causa iteratum eorum Baptismum, quòd ritu legitimo datus non fuisset, sed quòd illi contra fidem peccarent. Et certè Romani, quos S. Basilius ait in contraria fuisse sententia, talem Baptismum haud dubiè non admisissent, si alia, quàm solemni & per Christum imperata forma collatus fuisset.

IV. Ad componendas varias opiniones & ad unitatem praxis inducendam optat S. Doctor numerosam convocari Synodum.

Atque inde facile est intelligere, quàm frustra nonnulli ex nostris tentent S. Basilium benignè interpretari, quasi eorum dumtaxat Hæreticorum Baptismum rejecerit, qui vel ipsius formam adulterabant, vel errabant in Trinitatem: neque enim Novatiani, Encratitæ, Apotactitæ &c. accusati usquam leguntur violatæ formæ Baptismatis, aut erroris contra Trinitatem: neque etiam à Concilio Constantinopolitano I. generali Can. 7. recensentur inter eos, qui redeuntes ad Ecclesiam per Baptismum recipiebantur, quales erant Eunomiani, Montanistæ seu Phryges, & Sabelliani. Imò & ipse S. Basilius Can. 47. mox citato responsionem hanc occupans, apertè significat illos Hæreticos baptisasse quidem in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti; verùm non meliorem propterea sibi videri eorum Baptismum, quòd nempe Deum malorum effectorem existimarent, instar Marcionis: & quamquam constaret, (quod non constat) aliquos ex illis malè censuisse de sanctissima Trinitate, non eo tantùm nomine rejiciendus foret datus ab illis Baptismus: siquidem Ariani apertè errabant in Trinitatem, neque tamen aut Nicæna, aut Constantinopolitana Synodus eorum Baptisma iteravit.

Resp. igitur deserendum hic esse S. Basilium, qui manifestè videtur consensisse in errorem Cypriani, Firmiliani & aliorum Rebaptisantium: neque est, quòd pertimescas inde vim Traditionis Ecclesiæ infirmari; non enim ex sententia paucorum fides Catholica æstimari debet. „Hac lege credendum est, *ait Vincentius "Lirinensis in Commonitorio cap. 39.* ut quidquid vel
Regula Vincentii Lirinensis *Bibliot. PP. T. 7 p. 261. E.*
"omnes, vel plures uno eodemque consensu, manife- "stè, frequenter, perseveranter, velut quodam sibi con- "sentiente Magistrorum concilio, accipiendo, tenendo, "tradendo firmaverunt, id pro indubitato, certo, rato- "que habeatur: quidquid verò, quamvis ille sanctus "& doctus, quamvis Episcopus, quamvis Confessor "& Martyr, præter omnes, aut etiam contra omnes "senserit, id inter proprias, & privatas, & occultas "opiniunculas à communis & publicæ generalis sen- "tentiæ auctoritate secretum sit.

At, inquies, quo tempore scribebat S. Basilius, controversia de Baptismo Hæreticorum solemniter definita fuerat à Concilio totius Orbis plenario: sit illud Nicænum, sit Arelatense, perinde est; cùm istud anno 314. illud verò 325. celebratum fuerit, sanctus autem Basilius anno dumtaxat 379. extremum diem obierit:

ignorare

ignorare igitur non potuit Ecclesiæ totius sententiam; quomodo autem ab illa recessisset?

Verùm facilè reponitur, Concilium Arelatense in Galliis celebratum Basilio in Oriente versanti tunc temporis non innotuisse: Canone verò Nicæno rem apertè non definiri, cum de solis statuat Paulianistis, ac nonnisi per quasdam consecutiones & ratiocinia circuitu inferri possit, Ecclesiam aliorum Hæreticorum Baptisma suscepisse; quapropter mirum videri non debet, si à priori sua sententia S. Basilius non recesserit.

Sanctus Athanasius.

Opponitur S. Athanasius, T. 1. p. 610. A. B. — Objicies 5. S. Athanasium Oratione 2. contra Arianos, cujus hæc verba sunt: "Ariani in periculum "veniunt amittendæ mysterii integritatis. Nam si in "Patris & Filii nomine initiamur, illi autem verum non "pronuntiant Patrem, utpote qui id, quod ex ipso est, "ejusque naturæ est simile, negent: cùm item verum "fidem negant Filium, aliumque nominant, quem ex "nihilo creatum esse comminiscuntur; qui fieri potest, "ut prorsus vacuus ac inutilis non sit Baptismus, qui "ab illis datur, in quo quidem insit Religionis simula- "tio, sed reverà nihil ad pietatem queat conferre? nec "enim Ariani in Patris & Filii nomine dant Baptismum "sed in nomine Creatoris & rei creatæ, effectoris & "rei factæ. Unde quemadmodum res creata alia est à "Filio, ita Baptismus, quem illi dare putantur à vero "Baptismo alius est, etiam si nomen Patris & Filii, ut "præcipit Scriptura, proferre assimulent. Non enim "qui dicit, Domine, ille etiam dat, sed is tantùm, qui "cum nomine rectam quoque habet fidem..., neque "multæ quoque aliæ hæreses nomina tantùm pronun- "tiant: verùm cùm rectè non sentiant, uti dictum est, "nec sanam habeant fidem, inutilis est aque quam do- "nant, quippe cui desit pietas; ita ut quemcunque illi "asperserint, impietate fœdatur potius, quàm redima- "tur. Sic & ipsi Gentiles, tametsi Deum in ore habent, "Deum tamen convincuntur non colere, quia illum, "qui verus & verè Deus est, Patrem scilicet Domini "nostri Jesu Christi non agnoscunt. Sic Manichæi, "Phryges, & Samosatenis discipuli, quamvis profe- "runt nomina, nihilominus sunt Hæretici.

Hæc sancti Doctoris verba nostri variè interpretantur.

Duplex apud nostros interpretatio sententiæ S. Athanas. Prima, quæ de effectu, non de substantia Baptismatis loqui. — Respondent quidam, sanctum Athanasium non de substantia, sed de effectu Sacramenti exponendum; ita ut hoc unum voluerit, nullum scilicet esse quoad effectum Baptisma datum ab Hæretico illis qui hæresi consentiunt. Sic autem probant.

I. Quia ait Arianos venire in periculum amittendæ integritatis Baptismi: si autem invalidum & irritum existimasset Baptisma collatum ab Arianis, absolutè pronuntiasset Arianos amisisse integritatem Baptismi. Idcirco autem asserit eos in periculum duntaxat venire, ne amittant integritatem Baptismi, quia cùm errarent illi contra sanctissimam Trinitatem, facillimum erat ut ipsi suum in forma Baptismatis errorem transfunderent.

II. Quia affirmat Baptismum illum *inutilem esse, vacuum, qui nihil ad pietatem conferre valet*; quæ certè verba solùm Baptismi effectum, non substantiam designant: qua ratione passim loquitur S. Augustinus in suis contra Donatistas Operibus, præsertim Lib. de unico Baptismo contra Petilianum.

III. Quia si nullum planè & irritum quoad substantiam existimasset Baptismum Arianorum, procul dubio ab illis baptisatos rursus baptisari jussisset, cùm ad Ecclesiam redibant, pro more nimirum Cypriani, & Firmiliani, & aliorum Rebaptisantium; at tantùm abest ut eos rebaptisari jusserit, quin jubet veniam ipsis concedi, Clericis verò honorem gradus duntaxat denegari. Ita Epistola ad Rufinianum. Et in Concilio Alexandrino an. 362. *vult nihil amplius ab illis exigi, quàm ut execrentur Arianam hæresim, confiteantur que SS. Patrum in Nicæa fidem.* Multos porrò ex illis in hæresi baptisatos ab Arianis fuisse, testatur Socrates Lib. 2. Hist. cap. 44. Ib. p. 456. Tom. 2. Conc. p. 812. D. & Soc. p. 158. B.

IV. Denique, quia noverat S. Doctor solos Paulianistas à Concilio Nicæno jussos rebaptisari, non verò Arianos, quos formam Baptismi consuetam observare non ignorabat. Cùm igitur ait eos baptisasse in nomine Creatoris & rei creatæ, effectoris & rei factæ, ad eorum alludit errorem, non autem ad vitiosam pronuntiationem formæ, quasi eam hoc modo interpolarent: si enim id notum fuisset, omnium procul dubio Catholicorum judicio, improbatus fuisset talis eorum Baptismus.

Nec refert, inquiunt, quòd Arianos comparet cum Paulianistis, à quibus Baptismatis formam adulteratam, ac consequenter collatum Baptisma nullum & irritum judicatum fuisse, apud omnes exploratum est. Namque eò loci non aliud in omnibus Hæreticis considerat S. Athanasius, quàm hæreseos vitium, quo solo fieri ait ut inutilem aquam possideant. Quin & ipsomet Paulianistas nomina pronuntiasse, Patris scilicet, Filii, & Spiritus sancti, non obscurè innuit; quod certè, ne quid dissimulemus, difficile est conciliare cum Nicæno Canone, qui jubet eos rebaptisari, non aliam certè ob causam, quàm quòd consuetum baptisandi ritum corrumperent. Ita testantur S. Augustinus Lib. de hæresibus cap. 44. Innocentius I. Epistola ad Episcopos Macedoniæ n. 22. & alii.

Addunt hujus primæ responsionis auctores, verisimile non videri, sanctum Athanasium Baptismum Hæreticorum in forma legitima collatum rejecisse; tum quia ignorare non potuit Concilii Arelatensis decretum de non rebaptisandis Hæreticis, præsertim cùm in Galliis pluribus annis fuisset commoratus, ubi cum Galliarum Episcopis maxima necessitudine fuit conjunctus; tum quia S. Dionysius Alexandrinus dogma Stephani de non rebaptisandis Hæreticis amplexus est. Non videtur autem verisimile S. Athanasium prædecessoris sui Dionysii, à quo paucis distabat annis, doctrina rejecta, contrarium suscepisse; tum denique quia Siricius Summus Pontifex, qui Athanasio coætaneus erat, Epistola ad Himerium Tarraconensem Canone 1. ut validum admittit Baptismum Arianorum, idque significat à Liberio antea definitum, & addit, quod etiam totus Oriens Occidensque custodit, cui consonat, quod refert S. Epiphanius, qui contra Luciferianos exclamat, *audent quippiam sibi præter Canones arrogare... & absque Synodi Oecumenicæ statuto rebaptisare qui veniunt ab Arianis:* res autem inaudita non fuisset, si S. Athanasius Arianos rebaptisasset. His tamen non obstantibus Tom. Conc. p. 1018.

Secunda, eorum qui de substantia Baptismatis. — Respondent alii, nullum etiam quoad substantiam visum Athanasio fuisse Baptismum datum ab Arianis cæterisque Hæreticis.

I. Quia talem Baptismum appellat inane Religionis simulacrum.

II. Ait eum à vero Baptismate tam diversum esse, quàm diversa est creatura à Creatore.

III. Idcirco nullum esse, quia licèt Hæretici nomen Patris & Filii ap. ellent, rectam nihilominus non habent fidem: *Non enim*, inquit, *qui dicit, Domine, ille etiam dat; sed is tantùm, qui cum nomine rectam habet fidem. Quemadmodum & ipsi Gentiles, qui Deum in ore habent, Deum tamen verum non colunt.* In mente igitur S. Athanasii, tam falsus ac mendax est Baptismus Hæreticorum, licèt verba consueta pronuntient, quàm falsus est cultus Gentilium, licèt Deum nominent.

IV. Quia parem vult esse conditionem Baptismi Arianorum ac Paulianistarum, Manichæorum, Montanistarum &c. at certum est Baptismum à Paulliani-

ftis datum, omnino nullum & irritum fuiffe, non tantùm ob particulare vitium formæ, fed ob vitium commune hæreseos.

V. Denique, pervulgatum erat tunc temporis iftud Rebaptifantium placitum, nempe Sacramentum nullum effe quoad fubftantiam, quod effectu gratiæ privabatur. *Non ob aliud,* ait S. Auguftinus Lib. 6. de Baptifmo cap. 1. *his temporibus vifum eft quibufdam..... non poffe effe apud Hæreticos vel Schifmaticos Baptifmum Chrifti, nifi quia non diftinguebatur Sacramentum ab ejus effectu, vel ufu Sacramenti. Et quia ejus effectus atque ufus in liberatione à peccatis & cordis rectitudine apud Hæreticos non inveniebatur, ipfum quoque Sacramentum non illic effe putabatur.* At nullum ex Baptifmo ab Hæreticis dato fructum percipi poffe agnofcebat fanctus Athanafius; ergo confequens erat, ut nullum quoque quoad fubftantiam illum effe fateretur.

Tr. 9 p. 161. A.B.

Idcirco verò, ajunt hujus fecundæ refponfionis auctores, S. Athanafius non juffit rebaptifari venientes ab hærefi Arianorum, in qua baptifati fuerant, quia res hæc nondum fatis eliquata fuerat, circa quam varia erat Ecclefiarum praxis ac difciplina; quapropter amore pacis & concordiæ ab illis rebaptifandis abftinuit.

Non refero eorum refponfionem qui contendunt idcirco reprobatum ab Athanafio fuiffe Arianorum Baptifma, quòd illius legitimam formam non retinerent. Namque 1. fi compertum illud S. Doctori fuiffet, haud dubiè fic baptifatos juffiffet rebaptifari; nemo enim Catholicus dubitavit unquam, quin nullus & irritus foret Baptifmus fic corruptus & adulteratus. 2. Quia teftatur apertè S. Athanafius, Arianos baptifantes nomine Patris & Filii, ficut Scriptura præcipit, appellaffe. 3. Quia non legimus tunc accufatos fuiffe Arianos violatæ formæ Baptifmatis quam Chriftus præfcripferat; aliàs ab ipfis, perinde ac Paulianiftis baptifatos, iterum baptifari mandaffet Nicæna Synodus. Porrò teftatur S. Hieronymus Dial. adverfus Luciferianos, *Nicænam Synodum omnes Hæreticos fufcepiffe exceptis Paulianiftis*; Arianos verò per manuum impofitionem in pœnitentiam receptos fuiffe à Summis Pontificibus Sylveftro, Marco, Julio &c. Idem teftatur fanctus Gregorius Magnus Lib. 11. Epiftola 67. idem & antiquum fidei adverfus Arianos Breviarium vulgatum à Jacobo Sirmundo. Unde in Conc. Conftantinopolitano I. generali Can. 7. Ariani recipiuntur, *dantes libellos, & omnem hærefim anathematifantes, per unctionem.* Et in Arelatenfi II. Can. 17. expreffè dicitur: *Bonofiacos autem quos ficut Arianos baptifare in Trinitate manifeftum eft, fi interrogati fidem noftram ex toto corde confeffi fuerint, cum chryfmate & manus impofitione in Ecclefia recipi fufficit.*

Rejicitur fenfus eorum, qui putant Arianos Baptifmi formam adulteraffe.

Tom. 4. part. 2. p. 305. Tom 2. Conc p. 952. B. Tom. 4. Conc. p. 1014. B.

Exempla [illegible] fora[illegible] Arianorum qui rebaptifati fuere, hic appofita non funt.

Fruftra referuntur aliquot fubfequentium temporum exempla, quibus patet Arianos aliquando rurfus baptifatos fuiffe, quod fexto fæculo in Hifpania factitatum à fancto Leandro narrant, tum vetus Gregorii Turonenfis fupplementum, tum alii nonnulli veteres Hiftoriæ Francorum Scriptores apud Duchefne, *quod nempe Gothi Hifpani non fecundùm regulam, quam Dominus tradidit, baptifarent.* Fruftra, inquam, hæc exempla proferrentur: loquitur enim hic de Arianis, quos noverat fanctus Athanafius, non de aliis.

Ex duabus porrò iftis expofitionibus ad textum S. Athanafii, fequatur quilibet quam voluerit: utraque autem, ne quid diffimulemus, videtur nobis aliquid implicatum & obfcurum continere, quod difficilè folvi & enodari poteft. Prima quidem, quòd fanctus Doctor Arianorum & Paulianiftarum Baptifmum fimul conferat, & eodem loco habeat. Porrò certum eft, Paulianiftas verum non habuiffe Baptifmum, non tantùm quoad effectum, fed etiam quoad fubftantiam & integritatem; fiquidem ab illis baptifatos juffit Nicæna Synodus iterum baptifari. Secunda, quòd afferat Paulianiftas verba formæ pronuntiaffe, quos tamen Nicæna Synodus non alia de caufa rebaptifandos judicavit, quàm quòd formam Baptifmi adulterarent; fi enim illam, ut oportet, obfervaffent, ratus habitus fuiffet eorum Baptifmus. En nodus non parùm implicatus, quem Vafquez in tertiam partem S. Thomæ ad q. 64. articulo 6. difput. 137. c. 3. hac conjectura folvit: "Dicendum, *inquit*, tempore Concilii Nicæni fine dubio hos Hæreticos (Paulianiftas) baptifare confuevisse non invocata Trinitate; poftea verò tempore Epifcopatus Athanafii fortaffe aliquos ex illis cœpiffe invocatione Trinitatis baptifare: cùmque variis admodum foleant effe Hæretici in fuis pravis opinionibus, mirandum non eft fi Patres diverfa de illis referant. Ita Vafquez, cujus conjecturam aliorum judicio definiendam relinquimus.

Utraque refponfio adducta nodum habet implicatum.

Nodum conjecturâ folvit Vafqu. Tom. 2. p. 322. n. 12.

Sanctus Optatus Milevitanus.

Objicies 6. Optatum Milevitanum L. 1. contra Parmenianum Donatiftam, ubi nullum quidem effe apud Hæreticos, non verò apud Schifmaticos Baptifmum contendit. „ Vides, *inquit*, frater Parmeniane, „ Hæreticos à domo veritatis fatis extorres, folos habe„re varia & falfa Baptifmata, quibus inquinatus non „poffit abluere, immundus emundare &c. Benè clau„fifti hortum Hæreticis: benè revocafti claves ad Pe„trum ..... vobis verò Schifmaticis, quamvis in Catho„lica non fitis, hæc negari non poffunt, quia nobifcum „vera & communia Sacramenta traxiftis. Quare cùm „hæc omnia Hæreticis benè negentur, quid tibi vifum „eft, hæc & vobis negare voluiffe, quos Schifmaticos „effe manifeftum eft?

Opponitur Optatus. P. 10. n. 12.

Resp. Si hæc verba comparentur cum iis, quæ L. 5. adverfus eumdem Parmenianum leguntur, neceffe eft dicere Optatum eorum dumtaxat Hæreticorum Baptifmum rejicere, qui verbis Evangelicis non baptifabant: "In quo baptifarentur Gentes, *ait Lib.* 5. à Sal„vatore mandatum eft, per quem baptifarentur, nulla „exceptione difcretum eft. Non dixit Apoftolis, Vos „facite, alii non faciant. Quifquis in nomine Patris, & „Filii, & Spiritus fancti baptifaverit, Apoftolorum „opus implevit. Unde concludit: *Ergo nomen eft, quod fanctificat, non opus.* Ibidem fæpius inculcat vim Baptifmatis à Chriftò derivari, non à Miniftro; atque falfum prorfus effe iftam Donatiftarum fententiam. *Nemo dat quod non habet*, quam *de vino, non de Libro collectam* effe afferit: Minifter quippe non quod fuum eft, fed quod Jefu Chrifti, adminiftret.

Pag. 87.

Pag. 46. num. 6.

Inftabis: In hoc ipfo Libro 5. Optatus non minùs fidem, quàm fanctiffimæ Trinitatis invocationem exigere videtur. "In hoc, *inquit*, Sacramento Baptifma„tis celebrando, tres effe fpecies conftat, quas & vos nec „augere, nec minuere, nec prætermittere poteftis. Pri„ma fpecies eft in Trinitate; fecunda in credente, ter„tia in operante: fed non pari libramine ponderandæ „funt fingulæ, duas enim video neceffarias, & unam „quafi neceffariam. Principalem locum Trinitas pos„fidet, fine qua res ipfa non poteft geri: hanc fequi„tur fides credentis; jam perfona operantis vicina eft, „quæ fimili auctoritate effe non poteft.

pag. 83. n. 4.

Resp. nego ant. Non enim de fide operantis, feu Miniftri loquitur Optatus, fed de fide fufcipientis Baptifmum, quam planè in ipfo neceffariam exiftimat, non tantùm ut licitè & cum fructu, fed etiam ut validè Sacramentum percipiat; expreffè fiquidem fatetur ibidem, perfonam operantis *fimili auctoritate effe non poffe* cum invocatione Trinitatis, & fide credentis; id eft, illius qui baptifatur.

Inftabis 2. Optatus Lib. 1. n. 10. adverfus Parmenianum, nullum planè videtur habere Sacramentum, quod ab Hæreticis confertur. "Nunc alia quæftio eft,

„ait,

Ib. p. 8. "*ait*, ut quid à te [Parmeniane] memorata sunt illi [de "Hæreticis loquitur] apud quos non sunt Sacramen"ta, quæ nobis & vobis videntur esse communia..... "Dixisti apud hæreticos dotes Ecclesiæ esse non posse, "& rectè dixisti, scimus enim Hæreticorum Ecclesias "singulorum prostitutas, nullis legalibus Sacramentis, "& sine jure honesti Matrimonii esse..... sed mihi , "quod tibi visum est, etiam vos ipsos eis adjungere ,
Ib. p. 9. "quos esse Schismaticos constat, dum Ecclesiæ dotes "& Hæreticis ipsis, & vobis Schismaticis denegasti..... "Cumula illa quæ à te paulò antè sunt dicta. Dixisti "enim fieri non posse, ut falso Baptismate inquinatus "abluat, immundus emundet, supplantator erigat, "perditus liberet, reus veniam tribuat, damnatus ab"solvat. Benè hæc omnia potuere ad solos Hæreticos "pertinere, qui falsaverunt symbolum; dum alter di"xerit duos Deos, cùm Deus unus sit; alter Patrem "vult in persona Filii cognosci; alter carnem subdu"cens Filio Dei, per quam Deo reconciliatus est mun"dus; & cæteri hujusmodi, qui à Sacramentis Catho"licis alieni esse cognoscuntur. Quare pœniteat te ta"libus hominibus etiam Schismaticos adjunxisse: in "te enim convertisti sententiæ gladium ...., & non at"tendisti inter Schismaticos & Hæreticos quàm sit
Ib. p. 10. n. 11. P. 11. "magna distantia. *Et quibusdam interjectis*, Vides "ergo, frater Parmeniane, Hæreticos à domo veritatis "tatis extorres, solos habere varia & falsa Baptismata, "quibus inquinatus non possit abluere, immundus "emundare &c.... vobis verò Schismaticis, quamvis "in Catholica non sitis, hæc negari non possunt, quia "nobiscum communia & vera Sacramenta traxistis. "Quare cùm hæc omnia Hæreticis bene negentur, "quid tibi visum est hæc & vobis negare voluisse, "quos Schismaticos esse manifestum est?

Totum istud Optati ratiocinium eò recidit; Juxta Parmenianum, immundus, supplantator, perditus Baptismate abluere non potest; atqui non tantùm Hæreticus, sed etiam Schismaticus immundus est, supplantator, perditus; ergo Schismaticus perinde ac Hæreticus baptisare non potest. In quo quidem ratiocinio supponere Optatum apud Hæreticos vera seu valida non esse Sacramenta, his momentis potest suaderi.

I. Dixerat Parmenianus, nulla esse apud Hæreticos Sacramenta; Optatus verò id rectè dictum agnoscit & fatetur.

II. Postquam rationes attulit quibus utebatur Parmenianus ad rebaptisandos eos, qui ad se veniebant, ait *hæc bene ad Hæreticos pertinere*.

III. Ubi dixit Hæreticos à domo veritatis extorres, eddit eos *varia & falsa habere baptismata*; & bene de iis intelligi rationes quibus utebatur Parmenianus ad probandum rebaptisandos esse illos, qui ad se veniebant.

IV. Tandem ait se voluisse damnari Hæreticos, id est, eorum Baptisma.

Respondent nonnulli, Optatum citato loco hoc unum velle, nempe Sacramenta apud Hæreticos non valere quoad effectum gratiæ, non verò quoad characterem & substantiam.

Verùm infirma & insufficiens aliis videtur hæc responsio.

I. Quia Optatus apertè declarat, Sacramenta esse apud Schismaticos, quæ non sunt apud Hæreticos; sed apud Schismaticos gratiam non conferunt propter obicem in recipiente, sed solum characterem; ergo cùm ait Sacramenta apud Hæreticos non esse, quæ agnoscit apud Schismaticos, intelligendus est eo sensu ut non detur character apud Hæreticos, qui apud Schismaticos per Sacramenta imprimitur.

II. Intelligit Optatus non esse Sacramenta apud Hæreticos, quomodo intelligebat Parmenianus non esse Sacramenta apud eos, qui immundi, supplantatores, & perditi erant; patet istud ex præcedentibus; atqui Parmenianus intelligebat apud hujusmodi homines nulla esse Sacramenta, non tantùm quoad gratiam, sed etiam quoad characterem; siquidem rebaptisabat eos, quod profectò non fecisset, si Baptisma quod acceperant, characterem impressisset; ergo Optatus intelligit non esse Sacramenta apud Hæreticos, etiam quoad characterem.

Respondent alii, Optatum omnium Hæreticorum non improbare Baptisma, sed eorum duntaxat, qui verbis Evangelicis illud non consecrabant; unde dicit Schismaticorum Baptisma legitimum, quia ipsi formam servant, quam in Ecclesia didicerunt.

Verùm hæc quoque responsio aliis non videtur planè satisfacere.

I. Quia cùm ait Hæreticorum Baptisma esse irritum, illud de singulis Hæreticis intelligit, sic enim loquitur; *Dixisti apud Hæreticos dotes Ecclesiæ esse non posse, & rectè dixisti; scimus enim Hæreticorum Ecclesias, singulorum prostitutas esse.* Id verò omnes planè Hæreticos spectat. Quando enim Optatus ait, Parmenianum rectè dixisse, apud Hæreticos veras non esse Ecclesiæ dotes, nomen Hæreticorum extendit ad illos omnes, ad quos illud extenderat Parmenianus; fatetur enim verum esse, quod Parmenianus dixerat: atqui Parmenianus non solos intelligebat Hæreticos, qui formam Baptismi vitiabant, rebaptisabat enim eos omnes, qui ad se accedebant; ergo Optatus intelligendus est quoque de omnibus Hæreticis. Neque dicas Parmenianum intellexisse quoque Schismaticos esse rebaptisandos, & tamen id negasse Optatum: namque de his ultimis Optatus monet eos in regula non contineri; sed de Hæreticis nullum excipit, & fatetur verum esse, quod generaliter de iis dixerat Parmenianus.

II. Optatus exponens quos Hæreticos intelligit, cùm ait eos irritum dare Baptisma, nominat eos, qui duos admittebant Deos, qui carnem Christi negabant; additque cæteros hujusmodi à Sacramentis Catholicis alienos esse; verisimile autem non videtur, tot Hæreticos in forma Baptismatis errasse.

III. Conqueritur Optatus eò quòd Schismaticos inter & Hæreticos Parmenianus nullum posuisset discrimen. *Schisma*, inquit, *sparso coagulo pacis* Pag. 10. n. 11. *dissipatis sensibus generatur, livore nutritur, æmulatione & litibus roboratur .... Hæretici verò veri-* N. 12. *tatis exules, sani & verissimi symboli desertores, de sinu sanctæ Ecclesiæ impiis sensibus depravati, contempto quod bene fuerant geniti .... de se nasci voluerunt ..... Vides ergo Hæreticos à domo veritatis extorres solos habere varia & falsa Baptismata.* Hæretici igitur, qui habent varia & falsa Baptismata, ii sunt, quos definit in præcedentibus verbis: sed in præcedentibus verbis definit, quid essent Hæretici generatim, non iidumtaxat qui formam Baptismatis violaverant.

Attamen hæc secunda responsio, nempe Optatum de iis Hæreticis loqui qui Baptismatis formam adulterabant, his momentis suaderi potest.

I. Quia loquitur de Hæreticis, qui à Sacramentis Catholicis alieni esse noscuntur, & communia nobiscum Sacramenta non traxerunt, qui varia habent Baptismata: si varia; ergo formæ diversæ.

II. De Hæreticis loquitur, qui symbolum vitiant; nomine autem symboli non infrequenter designatur apud hujus temporis auctores, sanctissimæ Trinitatis invocatio in forma Baptismatis adhibita. Sic S. Augustinus Lib. 6. contra Donatistas cap. 25. *Cæterùm*, Te. 9. p. inquit, *quis nesciat non esse Christi Baptismum, si* 176. D. *verba Evangelica quibus symbolum constat, illic defuerint?* Sic Firmilianus Epistola ad sanctum Cy- Oper. 8. prianum loquens de Baptismate à quadam muliere Cyprian. præstigiatrici usitata forma collato, *Nunquid*, p. 147. ait, *& hoc Stephanus, & qui illi consentiunt,*

compre-

comprobant, maximè cui nec symbolum Trinitatis, nec interrogatio legitima & Ecclesiastica des. et. Sic & in Concilio primo Arelatensi Can. 8. symboli nomine forma Baptismi videtur intelligi: *Si*, ajunt Patres, *ad Ecclesiam aliquis de hæresi venerit, interrogent eum symbolum; & si perviderint eum in Patre & Filio, & Spiritu sancto esse baptisatum &c.*

Tom. 1. Conc. p. 1428. A.

III. Tandem illud suadetur testimoniis extraneis, quæ paulo antè prolata sunt, ubi de S. Athanasio sermonem habuimus.

Ex his patet solutio ad prima Objectionis capita; quantùm verò ad ea, quæ in confirmationem adjiciuntur.

Ad primum: cùm Optatus ait apud Hæreticos veras Ecclesiæ dotes esse non posse, necesse non est, ut de omnibus generatim Hæreticis intelligatur; id quippe de Hæreticis fatetur, quod ad suum institutum faciebat. Eo enim loci refellit Parmenianum, qui dixerat Ecclesias Hæreticorum esse prostitutas, esse sine Sacramentis & jure honesti Matrimonii, ut inde concluderet rebaptisandos esse illos, qui ab hæresi veniebant. Quod de Hæreticis dixerat, idem & de Schismaticis confirmaverat Parmenianus; eos enim repræsentabat, teste Optato eodem loco, veluti sarmenta à vite præcisa, & tanquam ligna arida flammis reservata, ut inde inferret Donatistas meritò rebaptisare eos, qui ab Ecclesia Catholica deficiebant, quam spectabant ut schismaticam societatem.

Quod de Hæreticis dixerat Parmenianus, admittit ut verum Optatus, attamen cum restrictione: *Benè hæc omnia*, inquit n. 10. sub finem, *potuerunt ad solos Hæreticos pertinere, qui falsaverunt symbolum.* Et eo concesso, quod ad propositum non spectabat, ad secundam pergit: *Non attendisti*, ait, *inter Schismaticos & Hæreticos quàm sit magna distantia.* Quasi diceret: Benè dixisti, Parmeniane, non esse Sacramenta apud Hæreticos, qui formam violant; quantùm autem ad Schismaticos, qui, ut ait capite sequenti, *nec possunt novum aliquid aut aliud agere, nisi quod jam dudum apud suam didicerunt matrem*, quique proinde formam non violant, apud eos negari non potest esse vera Sacramenta; & id ulteriùs urget contra Parmenianum, eò quòd si res ita esset, apud Donatistas nulla forent Sacramenta, quia ipsi Schismatici sunt, quod probat cap. 10. & addit, *Cum hæc ita gesta esse manifestissimè constat .... satis te miror, frater Parmeniane, cùm Schismaticus sis, Schismaticos Hæreticis jungere voluisse.* Hinc patet solutio ad id quod objicitur, nempe Optatum id concedere de Hæreticis, quod dixerat Parmenianus: respondendum est, id admisisse cum restrictione, quam tamen fusè non explicat, quia ad rem non spectabat, concedo: id admisisse sine restrictione, nego.

P. 10.

Pag. 9.

Ad secundum, dicendum est illos omnes Hæreticos, de quibus hic mentio fit, tempore Optati in forma Baptismatis errasse; Manichæos scilicet, de quibus S. Augustinus hæresi 46. Sabellianos, Valentinianos de quibus S. Irenæus Lib. 1. cap. 18.

Ad tertium eadem est, quæ ad secundum responsio.

Sanctus Cyrillus Hierosolymitanus.

Opponitur S. Cyrill. Hierosolymitanus. Defenditur.

Objicies denique S. Cyrillum Hierosolymitanum præfatione in Catecheses: *Non licet*, inquit, *bis aut ter hoc lavacro uti, ut si fortè semel fueris eo frustratus, deinceps corrigas: si enim semel illo frustraberis, amplius id correctionem non patitur: Unus enim Dominus, & una fides, & unum Baptisma. Nam soli Hæretici rebaptisantur, siquidem prius illud non erat Baptisma.*

Resp. difficile esse verba hæc ad Catholicum sensum adducere. Opponit scilicet S. Doctor Baptismum Hæreticorum illi, quo quis frustratus semel est, id est, cujus fructum non percepit, qui certè Baptismus iterari non potest: è contra verò, qui ab Hæreticis baptisatus est, ille, in mente S. Cyrilli, baptisari rursus debet, quia prius Baptisma nullum erat, non modò quoad effectum, sed etiam quoad substantiam. Neque hic de aliquibus dumtaxat Hæreticis loquitur, sed de omnibus indistinctè; unde verisimiliter conjicere possumus, errorem Rebaptisantium ætate S. Cyrilli nondum Hierosolymis extinctum penitus fuisse. Sunt tamen ex nostris qui volunt S. Doctorem eorum dumtaxat Baptisma rejicere, qui formam non retinebant. Ratio ipsis est, quòd S. Doctor interfuerit Synodo Constantinopolitanæ secundæ generali cui subscripsit. Hæc verò Synodus Can. 7. eorum tantùm Hæreticorum Baptisma rejicit, qui formam à Christo præscriptam adulterabant. 4. seculo

Antequam à præsenti controversia discedamus, exponendæ sunt nonnullæ quæstiones facti, quæ ad Historiam Rebaptisantium pertinent.

Expenduntur nonnullæ quæstiones facti, quæ ad Historiam Rebaptisantium pertinent.

I. An S. Cyprianus, Firmilianus aliique tum Africæ, tum Orientis Episcopi, excitatam de Baptismo Hæreticorum controversiam, ad fidem vel ad disciplinam pertinere crediderint.

II. An S. Pontifex Stephanus reipsa Cyprianum, Firmilianum aliosque rebaptisantes à sua communione suspenderit.

III. An ipse Stephanus in errorem oppositum errori S. Cypriani lapsus fuerit, approbato omnium indistinctè Hæreticorum Baptismo.

IV. An S. Cyprianus, Firmilianus cæterique Africani & Orientales Episcopi errorem suum ante mortem revocaverint.

V. Quodnam sit plenarium illud Orbis totius Concilium, in quo controversiam de Baptismo Hæreticorum terminatam ac finitam fuisse toties affirmat S. Augustinus.

An S. Cyprianus, Firmilianus, aliique tum Africæ, tum Orientis Episcopi, excitatam de Baptismo Hæreticorum controversiam ad fidem vel ad disciplinam pertinere crediderint.

Rebaptisantium causam reipsa causam esse fidei ab Ecclesia solemniter definitam; nemo est qui jam ambigat: ante definitionem Ecclesiæ, materialiter; post definitionem verò, formaliter quæstio hæc ad fidem pertinet. An verò primi hujusce controversiæ auctores sibi visi fuerint de fidei vel disciplinæ dumtaxat capite disputare, incertum multis videtur. Quæstio autem movetur tum de Africanis & Orientalibus, tum de ipso Stephano, an scilicet voluerit Summus Pontifex in solemni suo Decreto, rem fidei declarare ac definire.

In eo verò potissimùm differt fides à disciplina, quòd hæc varia & multiplex esse possit pro varietate temporum & locorum; illa simplex, una & eadem semper habeatur. In rebus ad disciplinam pertinentibus suus unicuique Ecclesiæ usus permittitur, à quo nemini privatim in ea, in qua vivit, Ecclesia, fas est recedere. *Quod neque contra fidem, neque contra bonos mores esse convincitur*, ait S. Augustinus Epistola 54. ad Januarium, aliàs 118. *indifferenter est habendum; & propter eorum, inter quos vivitur, societatem, servandum est.* Jam dixerat: *Nec disciplina ulla est in his melior gravi prudentique Christiano, quàm ut eo modo agat, quo agere viderit Ecclesiam, ad quam fortè devenerit.* To. 2. p. 124. D.

PRI-

PRIMA CONCLUSIO.

Videtur Cyprianus, Firmilianus cæterique ipsis adhærentes Episcopi, existimasse excitatam de Baptismo Hæreticorum controversiam non ad fidei dogma, sed ad disciplinam dumtaxat pertinere.

Characteres controversiæ ad disciplinam pertinentis.

Probatur: Quia isti sunt characteres controversiæ ad disciplinam pertinentis, varietas in praxi, libertas sentiendi, societas & communio inter dissidentes. Atqui, judicio Cypriani, Firmiliani, & aliorum, controversia de Baptismo Hæreticorum hos habet characteres.

Primus, varietas in praxi.

Primò, varietatem in praxi fuisse non dissimulet S. Cyprianus Epistolis 71. ad Quintum, 72. ad Steph. 73. ad Jubajanum, & in Præfatione Concilii III. Carthaginensis. De suis pariter Orientalibus idem testatur Firmilianus in sua ad sanctum Cyprianum Epistola inter Cyprianicas 75. Idem & Dionysius Alexandrinus in tertia ad Philemonem Epistola apud Eusebium Lib. 7. cap. 7. Idem denique sanctus Basilius, de quo paulò antea, Can. 1. Epistolæ ad Amphilochium, ubi propter œconomiam & dispensationem, Catharorum & Encratitarum Baptismum, quem nonnulli Asiatici recipiebant, recipi quoque non abnuit, quamvis ipse in aliena foret sententia.

Secundus, libertas sententiæ. *P.* 122. *Tom.* 1. *Conc. p.* 786. E.

Secundò, in ea controversia relictam unicuique sentiendi quod vellet, libertatem, significat ipsemet sanctus Cyprianus Epistola 72. ad Stephanum. "Nos „*inquit*, vim cuiquam non facimus, aut legem da„mus, cùm habeat in Ecclesiæ administratione vo„luntatis suæ arbitrium liberum unusquisque Præposi„tus, rationem actus sui Domino redditurus." Et in Præfatione quam habuit in III. Concilio Carthaginensi ubi aderant Episcopi 87. *Superest*, inquit, *ut de hac ipsa re singuli quid sentiamus, proferamus, neminem judicantes, aut à jure communionis aliquem, si diversum senserit, removentes.*

Tertius, pax & communio servata cum diversa sentientibus. P. 129.

Tertiò, servatam à Cypriano & Firmiliano pacem & communionem cum iis, qui in diversa opinione & praxi versabantur, patet ex Epistola ejusdem S. Cypriani ad Jubajanum n. 73. versùs finem; "Nos, *inquit*, „quantùm in nobis est, propter Hæreticos cum Colle„gis & Coëpiscopis nostris non contendimus, cum qui„bus divinam concordiam & Dominicam pacem tene„mus.... servatur à nobis patienter & firmiter charitas „animi, collegii honor, vinculum fidei, & concordia „Sacerdotii.

Atque inde profectò fuit, quòd Dionysius Alexandrinus contestatus fuerit se eusum non fuisse improbare sententiam Africanorum, & Synodorum Iconiensis ec Synnadensis; ac Synodus ipsa Nicæna, quamquam jussent rebaptisari Paulianistas, anathema nihilominus non pronuntiavit adversus eos, qui cæterorum Hæreticorum Baptismum rejiciebant; & S. Hieronymus Luciferianis, S. verò Augustinus Donatistis opponebant exemplum S. Cypriani, qui pacem & communionem servabat cum suis, tametsi non ignoraret contrariam eorum sententiam & praxim.

Veteres de Baptismo Hæreticorum controversiam comparant cum quæstionibus disciplinæ. *Oper. Cypr. pag.* 141.

Præterea veteres illi Africani & Orientales controversiam de Baptismo Hæreticorum comparabant cum aliis quæstionibus, quæ omnium judicio ad disciplinam pertinent; atque inde paulò duriùs Stephanum Summum Pontificem exagitabant, quòd nempe propter hujuscemodi dissidia, tot Ecclesias à sua communione se suspensurum comminatus fuisset. Audiatur Firmilianus scribens ad Cyprianum: "Scire, *inquit*, quis „potest, quod circa celebrandos dies Paschæ, & circa „multa alia divinæ rei sacramenta, videat [*Stephanus*] „esse apud illos [*Romanos*] aliquas diversitates, nec „observari illic æqualiter omnia, quæ Hierosolymis „observantur. Secundùm quod in cæteris quoque plu„rimis Provinciis multa pro locorum & nominum di„versitate variantur; nec tamen propter hoc ab Eccle„siæ Catholicæ pace atque unitate aliquando discessum „fuit.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objicies 1. auctoritatem sancti Cypriani, qui Stephanum impugnans, quæstionis, quam agitabat, statum & naturam iis coloribus depingit, qui non aliam, quam fidei quæstionem referre possint.

I. Ex controversia de Baptismo fidei origo & spes salutis æternæ pendet. P. 125.

I. Id ex quo fidei origo ac spes salutis æternæ pendet, procul dubio ad fidem, non ad meram pertinet disciplinam: at talis Cypriano visa est controversia de Baptismo Hæreticorum. *Neque enim*, inquit Epistola ad Jubajanum, *parva res hæreticis & modica conceditur, quando à nobis Baptisma eorum in acceptum refertur; cùm inde incipiat omnis fidei origo, & ad spem vitæ æternæ salutaris ingressio.*

II. Eadem fide certum est nullum esse Baptismum apud Hæreticos, qua certum est eos nec verum fidem, nec veram habere Ecclesiam. P. 1278.

II. Ea ipsa certitudine credebat Cyprianus commune non esse Catholicis & Hæreticis Baptisma, qua credebat communem non esse Deum, Christum, Fidem, Ecclesiam; *Quare*, inquit ibidem, *Baptisma vobis & Hæreticis commune esse non potest, cum quibus nec Pater Deus, nec Filius Christus, nec Spiritus sanctus, nec fides, nec Ecclesia ipsa communis est: & idèo baptisari eos oportet, qui de hæresi ad Ecclesiam veniunt.* Idem momentum urget rursus in Epistola ad Pompejum n. 74. versus finem.

III. De fide est eum non posse baptisare, qui non habet à Christo baptisandi potestatem. P. 123.

III. De fide est eum baptisare non posse, qui non habet à Christo baptisandi potestatem: at Hæreticis talem à Christo datam esse potestatem negat Cyprianus in citata ad Jubajanum Epistola: "Manifestum „est, *inquit*, ubi & per quos remissa peccatorum dari „possit, quæ in Baptismo scilicet datur. Nam Petro „primùm Dominus, super quem ædificavit Eccle„siam, unde & unitatis originem instituit & ostendit, „potestatem istam dedit, ut id solveretur in cœlis, „quod ille solvisset in terris..... Unde intelligimus „nonnisi in Ecclesia Præpositis, & in Evangelica lege „ac Dominica ordinatione fundatis licere baptisare, & „remissam peccatorum dare; foris autem nec ligari „aliquid posse nec solvi, ubi non sit qui aut ligare pos„sit aliquid, aut solvere.

IV. Asserit Cyprianus sententiam suam esse revelatam ac Traditionem quâ nitebatur Stephanus, humanam esse, erroneam; suam verò divinam & veram. P. 125. P. 127. P. 130. P. 132. Ibid.

IV. Ibidem expressè affirmat, sententiam, quam adversus Stephanum tuetur, revelatam à Deo esse. „Proinde, *inquit*, frustra quidem, qui ratione vincun„tur, consuetudinem nobis opponunt, quasi consue„tudo major sit veritate, aut non id sit in spiritualibus „sequendum, quod in melius fuerit à Spiritu S. reve„latum. Ignosci enim potest simpliciter erranti,..post „inspirationem verò & revelationem factam, qui in eo „quod erraverat, perseverat prudens & sciens, sine ve„nia ignorantiæ peccat" Unde concludit postea, fidem Ecclesiæ sequendam esse, *Quare*, inquit, *Ecclesiæ Catholicæ fidem ac veritatem, frater charissime, & tenere debemus firmiter & docere.* Hinc est, quòd scribens ad Pompejum, Traditionem, qua Stephanus nitebatur, humanam appellet: *Quæ ista obstinatio est*, inquit, *quæve præsumptio, humanam traditionem divinæ dispositioni anteponere?* Et in fine ejusdem Epistolæ, quam ipse sequebatur Traditionem, divinam esse affirmat: *Si in aliquo nutaverit & vacillaverit veritas*, ait, *ad originem Dominicam & Evangelicam, & Apostolicam traditionem revertamur, & inde surgat actûs nostri ratio, unde & ordo & origo surrexit. Traditum est enim nobis quòd sit unus Deus, Christus unus, una fides, una Ecclesia, unum Baptisma.*

Denique ibidem asserit, relicto Stephani errore, sequendam esse veritatem. *Nec consuetudo*, inquit, *quæ apud quosdam obrepserat, impedire debet, quominus veritas prævaleat & vincat. Nam consuetudo sine veritate, vetustas erroris est: propter quod relicto errore sequamur veritatem.*

Resp.

Resp. I. solemne istud esse omnibus de re quapiam gravi & Theologica disceptantibus, ut suam quisque sententiam ex fide ac revelatione deductis momentis confirmare nitatur: quapropter ad dignoscendum verum eorum de re controversa judicium, non tam ad speculativa, quæ proferunt, momenta & ratiocinia, quàm ad eorum praxim & agendi rationem attendi debet. Quamquam igitur rationes & momenta S. Cypriani videri possent efficere causam, quam tuebatur, ad dogma fidei pertinare, ejus tamen praxis & ratio agendi contrarium demonstrabat.

Resp. 2. ex momentis adductis per illationem ac consecutiones intulisse quidem S. Cyprianum, sententiam suam in fide ac revelatione fundamentum habere; at eam expressè revelatam, & pro fidei articulo ab omnibus habendam esse, nusquam ille asseruit.

Ad primam itaque probationem, neganda minor propositio. Equidem Baptismus talis visus est Cypriano, ut ex eo fidei origo & spes salutis pendeat; at non ipsa de Baptismo controversia, nisi saltem ex consequenti. Imò ne ipse quidem sanctus Doctor; in Epistola ad Jubajanum, desperat de salute illorum, qui præteritis temporibus ab Hæreticis baptisati, sine novo Baptismo in communione Catholica diem extremum obierant, tametsi privata sua opinione nullum & irritum judicaret talem Baptismum.

Ad secundam, nego antecedens. Licèt enim arguendo & ratiocinando sic inferrat sanctus Cyprianus, consequens tamen non erat ipsum in ea mente ac persuasione fuisse, tam ex fide certum esse nullum & irritum ab Hæreticis dari Baptismum, quàm certum est nec veram apud ipsos esse fidem, nec veram Ecclesiam: de hoc quippe posteriori capite nulla lis erat, sicut de priori.

Ad tertiam, negat quidem Cyprianus datum esse à Christo Hæreticis baptisandi potestatem; at non ait id certa fide Catholica sic esse exploratum, ut ab omnibus credi debeat.

Ad quartam, distinguo hanc propositionem, S. Cyprianus sententiam suam ait veram esse, revelatam, & ex divina traditione dimanantem, per illationem, &, ut dicitur, argutivè, concedo: formaliter & expressè, nego. Pariter distinguo: Stephani traditionem humanam, falsam, erroneam judicat, absolutè & simpliciter errore contra veritatem, concedo: errore contra veritatem apertè revelatam, seu contra fidem, nego. Neque enim consequens est, ut quoties aliquid verum esse existimamus, toties ejus oppositum velut hæreticum & contra fidem traducamus.

Objicies 2. Si controversia de Baptismo Hæreticorum antiquis illis ad meram disciplinam pertinere visa fuisset, ut quid Stephanus pro re libera, tam graviter Cypriano, Firmiliano & aliis succensuisset? Ut quid fulmen excommunicationis intentasset?

Resp. 1. Stephano quidem, qui antiqua & vera Traditione Ecclesiæ Romanæ nitebatur, hanc de Baptismo Hæreticorum causam ad dogma fidei pertinere visam fuisse, ut mox ostendemus, non verò Cypriano, Firmiliano & aliis, de quibus dumtaxat nostra loquitur Conclusio. Et re ipsa eventus comprobavit meritò pronuntiasse Stephanum nihil innovandum esse in re tanti momenti, sed Traditioni standum; atque venientes ab hæresi, in qua baptisati fuerant, per manus impositionem in pœnitentiam esse recipiendos.

Pro violata communi disciplina damnari quis potest, quasi hæresim induceret.

Resp. 2. etiam in rebus ad communem disciplinam pertinentibus, qui contumaces sunt ac rebelles anathemate damnari posse, quasi hæresim inducerent. Sic cùm nonnulli ætate Concilii Elibertani diem Pentecostes celebrarent quadragesimo post festum Resurrectionis Christi die, hoc prætextu, quòd Christus post quadraginta dies jejunii esuriisse referatur, Concilium cap. 43. abusum emendat, ac veluti novam hæresim inducentes eos proscribit, qui abusum illum sequuntur. *Placuit*, inquit, *pravam institutionem emendari, juxta auctoritatem Scripturarum, ut cuncti diem Pentecostes, post Pascha celebremus, non quadragesimam, sed quinquagesimam. Qui non non fecerit, non hæresim induxisse notetur.* Tom. 1. Conc. p. 971. C. Concilium pariter Nicænum Quartodecimanos, qui Luna 14. in quamcumque diem incidisset, cum Judæis Pascha celebrabant, damnavit. Ita etiam meritò condemnaretur tanquam hæreseos reus, aut saltem graviter suspectus, qui Communionem sub utraque specie laicis dispensaret, quamquam hæc & hujuscemodi alia benè multa ad disciplinam propriè revocentur.

Existimant ex nostris nonnulli, Stephanum S. Pontificem nihil in præsenti causa definiisse, quod ad fidem pertineat; sed hoc unum solemni suo Decreto præcavisse, ut in praxi nihil innovaretur, atque redeuntes ab hæresi, in qua baptisati fuerant, per solam manus impositionem in pœnitentiam reciperentur, intacta, nec definita quæstione, utrum validus sit necne Baptismus extra Ecclesiam datus vel susceptus. Ratio præcipua hæc ipsis est, quòd, judice sancto Augustino, Cyprianus vel Concilii plenarii, vel saltem Concilii transmarini, hoc est, Sedis Apostolicæ sententiæ atque Judicio acquievisset, si aliquod latum fuisse cognovisset.

SECUNDA CONCLUSIO.

Stephanus S. Pontifex quæstionem de Baptismo ab Hæreticis dato ad fidem pertinere censuit, ac implicitè saltem definivit.

Probatur 1. ex solemni Decreto, quod Stephanus ad Cyprianum direxit; quod refert sanctus Martyr in sua ad Pompejum Epistola num. 74. *Si quis*, inquiebat S. Pontifex, *à quacunque hæresi venerit ad vos, nihil innovetur nisi quod traditum est, ut manus illi imponatur in pœnitentiam.* P. 129. Existimasse porrò Stephanum Traditionem illam non spectare rem unius disciplinæ, sed etiam fidei, seu dogmatis, demonstrata certò videtur, tum rei eventus, tum Stephani agendi ratio in Cyprianum aliosque Rebaptisantes. 1. Ecclesia in Concilio universali seu plenario, de quo toties sanctus Augustinus, reipsa judicavit causam Baptismatis ab Hæreticis dati pertinere ad fidem, atque ratum & validum esse Baptismum à quocunque verbis Evangelicis collatum; ergo Ecclesia suo Judicio consecravit ac confirmavit Stephani sententiam: neque ullo satis firmo argumento probari potest, aliam fuisse Stephani mentem. 2. Stephanus Cypriano aliisque Rebaptisantibus plurimùm succensuit, gravissimam excommunicationis pœnam etiam comminatus, nisi resipiscerent: at si de una disciplina tunc actum fuisset, nonne pro sua prudentia & æquitate rem illam Ecclesiarum libertati permisisset, pro natura nimirum disciplinæ, quæ salva fide varia & multiplex esse potest; præsertim si de illa disciplina sermo sit, quæ nulli publico Ecclesiæ Decreto adversetur, qualem fuisse necesse est supponere eam, quæ spectat Hæreticorum Baptisma, si reipsa nihil hic Stephanus definivit? Hoc ipso argumento Cyprianus, Firmilianus & alii Orientales Stephanum urgebant, in rebus scilicet disciplinæ, quæ universalis non est nec ab omni Ecclesia recepta, Stephanum jus non habere cogendi cæteras Ecclesias ad usum & disciplinam suam observandam; ergo cùm Stephanus legem non rebaptisandi post Hæreticos Africanis imposuit, haud dubiè persuasum habebat, rem illam fidei esse, non meræ disciplinæ, aut saltem non disciplinæ universalis, & ab omni Ecclesia receptæ.

Probatur 2. ex Vincentio Lirinensi Commonitorii primo cap. ubi de præsenti quæstione hæc habet: *Quon-*

Biblioth. PP. T. 7. p. 255. C. „Quondam venerabilis memoriæ Agrippinus Carthaginensis Episcopus, primus omnium mortalium contra divinum Canonem, contra universalis Ecclesiæ regulam, contra sensum omnium Consacerdotum, contra morem atque instituta majorum, rebaptisandum censebat. .. Cùm ergo undique ad novitatem rei cuncti reclamarent, atque omnes quaquaversùm Sacerdotes pro suo quisque studio reniterentur, tunc beatæ memoriæ Papa Stephanus Apostolicæ Sedis Antistes, cum ceteris quidem collegis suis, sed tamen præ ceteris restitit; dignum, ut opinor, existimans, si reliquos omnes tantùm fidei devotione vinceret, quantùm loci auctoritate superabat. Denique in Epistola quæ tunc ad Africam missa est, his verbis sanxit, Nihil novandum, nisi quod traditum est. Intelligebat enim vir sanctus & prudens, nihil aliud rationem pietatis admittere, nisi ut omnia, qua fide à Patribus suscepta forent, eadem fide filiis consignarentur.... Quis ergo tunc universi negotii exitus? Quis utique, nisi usitatus & solitus? Retenta est scilicet antiquitas, explosa novitas." Exponit deinde Vincentius, quanta ingenii vi, quanta eloquentiæ ubertate Cyprianus partem oppositam cum suo Africano Concilio propugnaverit. *Sed universa*, pergit Vincentius, *tanquam somnia, tanquam fabula, tanquam superflua, abolita, antiquata, calcata sunt.* De dogmate fidei Vincentium hic loqui, non de aliquo dumtaxat disciplinæ capite, contextus ipse clarè demonstrat; Stephanum autem Pontificia auctoritate sententiam pronuntiasse, declarat Vincentius hoc verbo, *sanxit.*

Ibid. p. 152. A.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objicies 1. S. Augustinus Lib. 2. de Baptismo cap. 4 num. 5. affirmat nullam ætate S. Cypriani de Baptismo Hæreticorum factam fuisse definitionem, cui procul dubio, si facta fuisset, cessisset Cyprianus.

To. 9. p. 98. D. Ibid. F. „Satis ostendit, (*Cyprianus*) *inquit*, facillimè se correcturum fuisse sententiam suam, si quis ei demonstraret Baptismum Christi sic dari posse eis, qui foras exierunt, quemadmodum amitti non potuit cùm foras exirent. Nec nos ipsi tale aliquid auderemus asserere, nisi universæ Ecclesiæ concordissima auctoritate firmati; cui & ipse (*Cyprianus*) sine dubio cederet, si jam illo tempore quæstionis hujus veritas eliquata & declarata per plenarium Concilium solidaretur.... Quomodo enim potuit ista res tantis altercationum nebulis involuta, ad plenarii Concilii luculentam illustrationem confirmationemque perduci, nisi primò diutiùs per Orbis terrarum regiones, multis hinc atque hinc disputationibus & collationibus Episcoporum pertractata constaret?

Ibid. p. 104. B. Et cap. 9. ejusdem Libri n. 14. addit S. Doctor, de eodem S. Cypriano verba faciens; "Hac attestatione satis ostenditur, multò magis se fuisse commemoraturum, si quod de hac re transmarinum vel universale Concilium factum esset. Nondum autem factum erat, quia consuetudinis robore tenebatur Orbis terrarum, & hæc sola opponebatur inducere volentibus novitatem, quia non poterant apprehendere veritatē.

Tria hìc constant ex sancto Augustino.

I. Quæstionem de Baptismo Hæreticorum ætate S. Cypriani à nullo Concilio seu plenario, seu transmarino discussam ac definitam fuisse: per transmarinum autem Concilium intelligunt auctoritatem Apostolicæ Sedis, qua res controversæ definiri solebant. Supponit igitur S. Augustinus, quæstionem istam à Stephano Summo Pontifice auctoritate suæ Sedis decisam non fuisse.

II. S. Cyprianum paratissimum fuisse sententiam suam emendare, ac definitioni, si quæ fuisset, cedere: atqui nec sententiam emendavit, nec Stephano obsecutus fuit; ergo rem à Stephano definitam non putavit.

III. Solam consuetudinem oppositam fuisse *inducere volentibus novitatem, quia non poterant apprehendere veritatem*; porrò si sola opposita fuit consuetudo, si veritatem apprehendere nondum illi poterant; ergo Stephanus rem fidei non attigeret, sed antiquum dumtaxat Ecclesiæ usum de non rebaptisandis in hæresi baptisatis, immutari severè prohibuit.

Resp. ad primum: fatemur quæstionem de Baptismo Hæreticorum ætate sancti Cypriani à nullo plenario Concilio discussam ac definitam fuisse: an verò ita sit de Concilio transmarino dubium est.

Sunt qui existimant in textu Augustini citato plenarium Concilium & transmarinum idem planè esse, ita ut particula, *vel*, disjunctivæ vim non habeat, sed conjunctivæ; quo supposito, ruit omnino difficultas; certum quippe est in nullo Concilio plenario rem istam ætate Cypriani terminatam fuisse.

Sunt è contra qui volunt Augustinum apertè distinguere Concilium plenarium è transmarino, quia de utroque sub disjunctione loquitur, ac supponit, nullum hujusmodi Concilium ætate Cypriani celebratum fuisse.

Attamen certissimum est, nec diffitebatur sanctus Cyprianus, emissum à Stephano Decretum, quo prohibebat, ne rebaptisarentur, qui in hæresi baptisati fuerant; ergo necesse est, Augustinum Decretum illud Stephani pro Decreto Concilii transmarini non habuisse: aliàs, ut ipse præsumit, ei cessisset Cyprianus. Erat nihilominus Decretum Sedis Apostolicæ, quam nomine Concilii transmarini ab Africanis designari, & ad quam in causis fidei terminandis solitos illos fuisse confugere, multi contendunt. Vide eam in rem Dissertationem Theologicam typis excusam apud Viduam Mazieres anno 1725. cap. 2. pag. 6. Quid ergo huic Sedis Apostolicæ Decreto defuit, quominùs & nomen & auctoritatem Concilii transmarini obtineret? Hoc unum dumtaxat, quòd à Stephano non vocatis cum solemnitate ordinaria, neque in unum coactis Italiæ Episcopis latum fuisset. Neque enim verisimile videtur, Stephanum solum nullo adhibito suorum Concilio rem judicasse: siquidem testatur Vincentius Lirinensis loco citato, eum *cum cæteris Collegis suis* novitati firmo animo restitisse; ergo huic Decreto, non auctoritas, sed sola solemnitas defuit, quæ fortè una causa & ratio fuit, cur & Augustinus dixerit, nullum tunc temporis celebratum fuisse Concilium transmarinum; & Cyprianus tam durè ac pertinaciter Stephano fuerit reluctatus.

Ad secundum: nulla prorsus est ista consecutio, Cyprianus Stephano non obtemperavit; ergo Stephanus nihil definivit. Imò potiùs ex resistentia Cypriani concludi debet, latam à Stephano definitionem. Et verò nonne Stephanus sancivit solemni suo Decreto, nihil in praxi esse innovandum, nec venientes ab hæresi rebaptisari debere? Ita certè. Attamen non obtemperavit Cyprianus, & Hæreticos rursus baptisare non destitit; ergo pariter licèt Cyprianus Stephano circa fidem pronuntianti pertinaciter restiterit, an concludi jure potest, Stephanum nihil definisse? nihil sanè distortum magis & obliquum concludi posset.

Stephano igitur reluctatus est Cyprianus. Quare? quia Africanæ libertatis plus æquo amans ac studiosus, aliunde verò propter intentatam à Stephano excommunicationis pœnam subirasensus, negabat Romanum Pontificem jus habere, in rebus disciplinæ [qualem putabat esse quæstionem de Baptismo ab Hæreticis collato] cæteras Ecclesias ad suam sententiam & praxim adigendi. Quapropter in Præfatione Concilii Carthaginensis, cui aderant Episcopi 87. declarat, liberum unicuique esse, quam vellet, sententiam amplecti. "Superest, *inquiebat*, ut de hac ipsa re,

Tom. 1. Conc. p. 786. E. "quid singuli sentiamus, proferemus; neminem judicantes, aut à jure communionis aliquem, si diversum senserit, amoventes. Neque enim quisquam nostrum Episcopum se esse Episcoporum constituit, aut tyrannico terrore ad obsequendi necessitatem collegas suos adigit, quando habeat omnis Episcopus pro licentia libertatis & potestatis suæ arbitrium proprium, tanquam judicari ab alio non possit, cùm nec ipse possit alterum judicare. Sed expectemus universi Judicium Domini nostri Jesu Christi, qui unus & solus habet potestatem & præponendi nos in Ecclesiæ suæ gubernatione, & de actu nostro judicandi.

Verisimile prorsus est Cyprianum paulò commotiorem his verbis Stephanum vellicare, ejusque carpere rationem agendi: at longiùs profectò quàm par sit progressus S. Martyr, omnes subordinationis ac jurisdictionis Ecclesiasticæ leges subvertere videtur; neque aliter excusari potest, quàm si verba ipsius ad unam de disciplina quæstionem restringentur.

Aliam resistentiæ S. Cypriani rationem addit sanctus Augustinus, nempe obscuram nec satis eliquatam tunc temporis fuisse quæstionem de Baptismo Hæreticorum. *Tom. 9. p. 101. E.* *Nondum*, inquit Lib. 2. de Baptismo cap. 7. n. 12, *erat diligenter illa Baptismi quæstio pertractata; sed tamen*, pergit, *saluberrimam consuetudinem tenebat Ecclesia, in ipsis quoque Schismaticis & Hæreticis corrigere quod pravum est, non iterare quod datum est ..... quam consuetudinem credo ex Apostolica Traditione venientem.*

Et Lib. 1. cap. 18. innuere videtur, antequam hæc quæstio auctoritate plenarii Concilii fuisset terminata, liberum fuisse Cypriano aliisque sive Africanis, sive Orientalibus sentire quod vellent. „Illis temporibus, *Ibid. p. 93. G.* "*inquit*, antequam plenarii Concilii sententia quid in hac re sequendum esset, totius Ecclesiæ consensio confirmasset, visum est ei (*Cypriano*) cum ferme *Ibid. E. F.* "octoginta Coepiscopis suis Africanis &c. *Paulò antè dixerat*: In qua quæstione, si aliud alii, & aliud alii adhuc de ista quæstione salva pace sentirent, donec universali Concilio unum aliquid eliquatum sincerumque placuisset, humanæ infirmitatis errorem cooperiret caritas unitatis." Infirmitatem hanc expertus est Cyprianus; nec à culpa excusari omnino potest, qui Stephano Superiori suo tam obstinatè ac irreverenter reluctatus est: *To. 2. p. 247.* Verùm culpam hanc abundantia caritatis ac face passionis purgavit sanctissimus Martyr, ut testatur sanctus Augustinus Epistola 93. aliàs 48.

Ad tertium, solam consuetudinem Cypriano fuisse oppositam dicit sanctus Augustinus, per exclusionem dumtaxat definitionis Concilii alicujus plenarii vel transmarini; consuetudo etenim illa, in mente ac Decreto Stephani, imò in rei veritate, fundamentum habebat in revelatione ac Traditione Apostolica, quamquam non ita clarè in Scripturis exprimeretur.

Objicies 2. Sanctus Dionysius Alexandrinus, referente Eusebio L. 7. Hist. c. 5. scripsit Epistolam ad Sixtum Stephani successorem, in qua dicit se ad Stephanum antea scripsisse. Sixtum ibidem rogat, ut ad gravitatem negotii attenderet: „Revera enim, ait, *P. 152. B.* "in maximis, ut audio, Episcoporum Conciliis decretum est, ut qui ab Hæreticis Catholicam Ecclesiam accedunt, primùm Catechumeni fierent; ac deinde veteris & impuri fermenti sordibus per Baptismum purgarentur." Porrò, inquiunt, qua ratione sic Sixtum alloquutus fuisset Dionysius, si à S. Stephano quæstio fuisset jure Pontificio definita?

Resp. Dionysium factum narrare; scilicet in multis Episcoporum Conciliis aliter statutum quàm Stephano visum fuerat, quod certè verum est; sed quid inde? Dionysium approbasse illorum Episcoporum sententiam? nullo id argumento probari potest. Stephanum rem jure Pontificio non judicasse? imò contrarium affirmat vel ipse Dionysius in mox citata apud Eusebium Epistola. *Ad hunc* [Sixtum] ait Eusebius, *secundam de Baptismo scripsit Epistolam, in qua Stephani simul ac reliquorum Episcoporum sententiam ac judicium exponit.* *Ibid. A.* Ergo, vel ipso fatente Dionysio, Stephanus Judicium pronuntiaverat.

An Summus Pontifex Stephanus reipsa sanctum Cyprianum, Firmilianum aliosque Rebaptisantes à sua communione suspenderit.

Falliter Baronius. Baronius ad annum Christi 258. contendit disparem hìc fuisse Cypriani & Firmiliani sortem; in Firmilianum reipsa latam à Stephano excommunicationis sententiam ac executioni demendatam, non verò in Cyprianum. Ratio discriminis ipsi est, quòd Firmilianus cum suis Orientalibus primus ab avita Ecclesiæ suæ fide ac traditione recessisset, rebaptisando eos qui fuerant ab Hæreticis baptisati. Verùm ex iis quæ hujus disputationis initio dicta sunt facile est intelligere, non à Firmiliano primùm in Oriente, sed à Cypriano in Africa excitatam fuisse de Baptismo Hæreticorum controversiam, atque Firmilianum praxim rebaptisandi in hæresi baptisatos pervetustam & omni memoria superiorem in sua Ecclesia invenisse; Cyprianum è contra non altiùs illius originem repetiisse quàm ab Agrippino prædecessore suo, hoc est annis ante Episcopatum suum ferè triginta novem. Bellarminus Lib 1. de Conciliis cap. 10. Henricus Valesius in annotationibus ad cap. 5. Lib. 7. Eusebii, Emmanuel à Schelestrate in antiquitate illustrata par. 2. dissert. 1, cap. 5. art. 2, Natalis Alexander & alii contendunt Stephanum nec cum Afris, nec cum Orientalibus pacem rupisse. E contra sentiunt Rigaltius, Tillemontius & alii.

CONCLUSIO.

Stephanus S. Pontifex comminatus quidem est sua communione privandos Cyprianum, Firmilianum cæterosque Rebaptisantes; reipsa tamen eos non privavit, sed hæsit intra minas.

Ita testes videntur

I. S. Cyprianus Epistola ad Pompejum num. 74. ubi de Decreto Stephani sic ironicè loquitur: *Dat honorem Deo, qui hæreticorum amicus, & inimicus Christianorum, Sacerdotes Dei veritatem Christi & Ecclesiæ unitatem tenentes abstinendos putat?* *P. 131.* Non ait abstinet, vel abstinuit, *sed abstinendos putat*, quæ loquendi ratio intentatam quidem ac ferendam, non latam denotare videtur excommunicationis sententiam.

Hac Stephani comminatione paulò commotior factus Cyprianus, in præfatione tertii Concilii Carthaginensis durioribus verbis, quæ paulò antè retulimus, Stephanum perstrinxit.

Verùm S. Augustinus Lib. 3. de Baptismo contra Donatistas existimat Cyprianum durioribus illis verbis non ad Stephanum, sed ad suos Collegas respexisse. Namque cap. 3. post recitata verba Cypriani in tertio Carthaginensi concilio, exclamat: *Quid mansuetius? quid humilius? Nulla nos certè deterret auctoritas à quærendo quid verum sit.* *To. 9. p. 110. D.* Quibus innuit S. Doctor, Cyprianum non ad Stephanum respexisse, sed ad suos dumtaxat Collegas, inter quos cùm nullus esset qui se Episcopum Episcoporum diceret, nullus jure poterat cæteros ad obsequendi necessitatem tyrannico terrore adigere. At esto ita sit, occasione saltem terroris quem suis minis injecerat Romanus Pontifex, qui verè est Episcopus Episcoporum, ita præfatum fuisse Cyprianum verisimile planè videtur.

II. Dio-

Dionysius Alexandrinus. P. 252. B.

II. Dionysius Alexandrinus scribens ad Sixtum Stephani successorem, apud Eusebium L. 7. Hist. cap. 5. de Stephano hæc memorat, "Antea quidem Litteras „scripserat de Heleno & de Firmiliano, de omnibus de„nique Sacerdotibus per Ciliciam, Cappadociam, „cunctasque finitimas Provincias constitutis, sese ob „eam causam ab illorum communione discessurum, „quod Hæreticos rebaptisarent. *Addit Dionysius*: Vi„de, quæso, gravitatem negotii. Revera enim, ut au„dio, in maximis Episcoporum Conciliis decretum est, „ut qui ab Hæreticis ad Catholicam Ecclesiam acce„dunt, primum Catechumeni fierent &c. De his om„nibus ego ad illum Epistolam misi, rogans atque ob„testans", ne scilicet Stephanus tot ac tam florentes Ecclesias à sua communione separaret; quod quidem suis precibus effecisse Dionysium, eo verisimilius est, quod de toto illo Stephanum inter ac Cyprianum aliosque Rebaptisantes dissidio altum subinde fit apud veteres silentium. Quis vero in animum facile induxerit, adeo gravem ac splendidam controversiam tam subito sopitam & compositam fuisse, nisi Stephanus mitiori consilio ac precibus Dionysii victus, aut à ferenda sententia excommunicationis, aut ab ea executioni demandanda sapienter abstinuisset?

S. Aug. To. 9. p. 158. A.

III. S. Augustinus Lib. 5. de Baptismo c. 25. "Stephanus, *inquit*, abstinendos putaverat, qui de susci„piendis Hæreticis, priscam consuetudinem convelle„re conarentur: iste autem quæstionis ipsius difficulta„te permotus, & sanctis charitatis visceribus præditus, „in unitate cum eis manendum, qui diversa sentirent, „Ita quamvis commotius, sed tamen fraterne indigna„rentur, vicit tamen pax Christi in cordibus eorum, ut „nullum inter eos schismatis malum oriretur.

Ibid. p. 158. E.

Et Lib. de unico baptismo c. 14. "Cum ergo, *in„quit*, Stephanus non solum non rebaptisarat Hæreti„cos, verum etiam hoc facientes, vel ut fieret decernen„tes, excommunicandos esse censeret, sicut aliorum „Episcoporum & ipsius Cypriani Litteræ ostendunt; „tamen cum eo Cyprianus in unitatis pace permansit „...... Nec ulla facta est à Cypriano & iis qui pariter de „Baptismo sentiebant, ab illorum communione divisio.

Ibid. p. 593. B. Ibid. p. 161. A. B.

Et Lib. 6. cap. 1. *Ista quæstio*, inquit, *contra veterem consuetudinem disputationibus salva charitate atque unitate altercantibus disentiebatur.*

Veteres silent de illa excommunicatione. Eusebius. P. 251. B.

Porro si pax vicit in cordibus eorum, Stephani scilicet, Cypriani & aliorum Rebaptisantium; si nullum schismatis malum subortum fuit, si nulla communionis divisio facta est, ut testatur S. Augustinus, haud dubie Stephanus vel non tulit sententiam excommunicationis, vel eam cito revocavit, nec executioni demandari permisit.

S. Hieronymus. To. 4. p. 2. p. 305.

IV. Veteres, Eusebius, S. Hieronymus, Vincentius Lirinensis, cum de hocce dissidio loquuntur, non referunt à communione Stephani suspensos re ipsa fuisse Cyprianum, Firmilianum & alios Rebaptisantes.

Eusebius Lib. 7. Hist. cap. 5. *Primus omnium*, inquit, *Cyprianus, qui tunc temporis Carthaginensem regebat Ecclesiam, nonnisi per Baptismum ab errore prius emundatos, admittendos esse censuit. Verum Stephanus nihil adversus Traditionem quæ jam inde ab ultimis temporibus obtinuerat, innovandum ratus, gravissime id tulit.*

Sanctus Hieronymus Dial. adversus Luciferianos: *Conatus est*, ait, *B. Cyprianus contritos lacus fugere, nec bibere de aqua aliena; & idcirco Hæreticorum Baptisma reprobans, ad Stephanum tunc Romanæ urbis Episcopum, qui à B. Petro vigesimus sextus fuit, super hac re Africanam Synodum direxit, sed conatus ejus frustra fuit.*

Vincentius Lirinensis. Bibl. P. P. T.

Vincentius Lirinensis in Commonitorio cap. 9. „Cum ergo, *inquit*, undique ad novitatem rei cuncti „reclamarent, atque omnes quaqua versum Sacerdotes

7. pag. 251. G.

„pro suo quisque studio reniterentur, tunc beatæ „memoriæ Papa Stephanus Apostolicæ Sedis Antistes, „cum cæteris quidem Collegis suis, sed tamen præ „cæteris restitit, dignum (ut opinor) existimans, si „reliquos omnes tantum fidei devotione vinceret, „quantum loci auctoritate superabat.

Cæteri per Orbem Episcopi cum Cypriano & Firmiliano communicarunt. To. 9. p. 161. D.

Cæteri per Orbem Christianum Episcopi cum Cypriano & Firmiliano communione conjuncti semper fuere. Sixtus Stephani Successor pacifice omnino cum Cypriano egit, teste Pontio in vita Cypriani. Quin Ecclesia universa illum *inter raros aut paucos excellentissima gratia viros numerat*, ait S. Augustinus Lib. 6. de Baptismo cap. 2. cum Firmiliano pariter communicarunt tum Patres utriusque Synodi Antiochenæ adversus Paulum Samosatenum congregatæ, à quibus in Epistola Synodica vir dicitur sanctæ recordationis; tum Dionysius Alexandrinus, tum Basilius Firmiliani successor, qui in sua ad Amphilogium Epistola Can. 29. ejus opera velut orthodoxa honorifice commendat; tum ipsa denique tota Ecclesia Græca quæ in Menologio illum ut sanctum colit ac veneratur. Ad si Stephanus à sua communione eos separasset, ab aliis recepti haud dubie non fuissent Episcopis; obstabat enim Canon & consuetudo Ecclesiæ, ne qui ab uno Episcopo fuisset excommunicatus, ab alio admitteretur. Cum aliunde plane incertum sit, an Cyprianus & Firmilianus ante mortem ab errore suo recesserint, dicendum foret eos extra communionem Romanæ Ecclesiæ in errore suo pertinaces obiisse, quod certe incommodum grave est, nec declinari potest ab iis qui nobis hic adversantur.

Consuetudo Ecclesiæ prohibet ne qui ab uno Episcopo est excommunicatus, ab alio recipiatur. Can. 53. Conc. Eliber. Canon. 17. Conc. Nicæn. I. cap. 16. Conc. I. Arelat.

VI. Verisimile non videtur Stephanum virum cautum ac prudentem absque ulla prævia monitione voluisse tot illustres Episcopos præcipiti sententia percellere; nullibi autem extat hujus præmissæ monitionis vestigium; sed in adversa sententia necesse est ut Stephanus statim à recepta Cypriani Epistola, qua ipsum de gestis in Concilio Carthaginensi certiorem faciebat, excommunicationis fulmen vibraverit.

Denique Donatistæ perpetuo Catholicis opponebant exemplum Cypriani qui baptisatos ab Hæreticis rursus baptisabat. Porro si eam ob causam Cyprianus à Stephano excommunicatus fuisset, splendidum ex hoc anathemate adversus Donatistas argumentum Catholici deduxissent. Attamen de illa excommunicatione lata apud auctores coætaneos & sequentis ætatis qui scripsere contra Donatistas, altum est silentium: imo semper opponunt ruptam ab ipsis unitatem, quam Cyprianus integram semper & illibatam servavit.

SOLVUNTUR OBJECTIONES

Objicies 1. testimonia Firmiliani & Cypriani, qui in præsenti causa, cujus non modo testes, sed & auctores ipsi fuere, inter alios audiendi sunt.

Firmilianus. Op. Cyp. P. 145.

Firmilianus in Epistola ad Cyprianum inter Cyprianicas n. 75. sic loquitur: "Secundum quod in cæteris „plurimis Provinciis, multa pro locorum, & homi„num diversitate variantur; nec tamen propter hoc „ab Ecclesiæ Catholicæ pace atque unitate aliquando „discessum est: quod nunc Stephanus ausus est facere, „rumpens adversum vos pacem quam semper antecessores ejus vobiscum amore & honore mutuo custo„dierunt. *Et postea alloquens Stephanum*: Lites, *in„quit*, & dissensiones quantas parasti per Ecclesias to„tius mundi? Peccatum vero quam magnum tibi ex„aggerasti, quando te à tot gregibus scidisti? Excidisti „enim te ipsum: noli te fallere? siquidem ille vere est „Schismaticus, qui se à communione Ecclesiasticæ uni„tatis apostatam fecerit: dum enim putas omnes à te „abstinere posse, solum te ab omnibus abstinuisti. *Et „paulo post*: Hæc Apostoli mandata & monita salutaria „quam diligenter Stephanus implevit, humilitatem

P. 149.

Ibidem.

„sensua & lenitatem primo in loco servans: Quid enim „humilius aut lenius quàm cum tot Episcopis per totum mundum dissensisse, pacem cum singulis vario „discordiæ genere rumpentem, modo cum Orientalibus, (quod nec vos latere confidimus) modo vobiscum qui in Meridie estis? A quibus Legatos Episcopos patienter satis & leniter suscepit, ut eos nec ad „sermonem saltem colloquii communis admitteret; adhuc insuper dilectionis & charitatis memor, præciperet fraternitati universæ, ne quis eos in domum suam „reciperet, ut venientibus non solum pax & communio sed & tectum & hospitium negaretur. Hoc est „servasse unitatem spiritus in communione pacis, abscindere se à charitatis unitate &c.

Hæc Firmilianus, quæ certe non redolent solummodo minis intentatam à Stephano excommunicationem, sed reipsa executioni demandatam; quandoquidem Legatos Episcopos ab Africanis missos, non tantum ad pacem noluit admittere, sed nec etiam ad colloquium; lata etiam lege ne quis erga ipsos jura hospitalitatis consueta exerceret.

S. Cyprianus. P. 139.

S. Cyprianus citata inter probationes ad Pompejum Epistola, referens ac refellens Decretum Stephani, „Præcepit, *inquit*, nihil aliud innovari nisi quod traditum est. Quasi is innovet qui unitatem tenens, unum „Baptisma uni Ecclesiæ vindicat; & non ille utique qui „unitatis oblitus, mendacia & contagia prophanæ tinctionis usurpat. *Et postea per ironiam sic pergit*: Dat „honorem Deo, qui unitatem & veritatem de divina „lege veniente non tenens, hæreses contra Ecclesiam vindicat? Dat honorem Deo, qui Hæreticorum „amicus, & inimicus Christianorum, Sacerdotes Dei „veritatem Christi & Ecclesiæ unitatem tuentes abstinendos putat? si sic honor Deo datur, si sic à cultoribus & Sacerdotibus ejus timor Dei & disciplina servatus, abjiciamus arma, manus demus in captivitatem, „tradamus diabolo ordinationem Evangelii.

P. 131.

Audis ex Cypriano, Stephanum unitatis oblitum Sacerdotes unitatem tenentes abstinendos putasse; quo modo loquitur etiam ipse S. Augustinus Lib. 5. de Baptismo cap. 25. quæ certè loquendi ratio apud eos qui latine sciunt, significant, non tantum intentatam sed etiam pronuntiatam & latam excommunicationis sententiam, maxime cum executioni eam damandari effectus ipsi comprobant.

Ad illam haud dubie latam sententiam intentus erat idem S. Cyprianus, cum in tertio Carthaginensi Concilio dicebat, posse unumquemque quid sentiret libere proferre, quia nullus est qui se Episcopum Episcoporum dicat & cæteros tyrannico terrore ad obsequendi necessitatem adigere possit.

Quo sensu Stephanus dicatur unitatis oblitus á Cypriano.

Resp. S. Cyprianum hoc sensu dicere Stephanum unitatis oblitum fuisse, quod unitatem Baptismatis violaret. Existimabat enim Cyprianus, ita unicum esse Baptisma, ut in sola Catholica Ecclesia verum & ratum valere posset: unde Stephanum unitatis illius oblitum esse dicebat, quod extra Ecclesiam legitimum ac verum agnosceret; non ergo unitatis oblitum asserit Stephanum, ob ruptam pacem & latam excommunicationem: verba Cypriani citata sensum hunc indicant.

Ad præfationem vero quam habuit in tertio Carthaginensi Concilio, duo reponi possunt: primum, ea verba, si Stephanum indigitant, ad comminationes ejus, quibus terrorem injicere voluerat, referri, non ad latam excommunicationem: alterum, ea verba, interprete S. Augustino antea laudato, non ad Stephanum, sed ad Episcopos Concilii illius Carthaginensis directa fuisse, sicut jam observavimus.

Ad auctoritatem vero Firmiliani; cum ille, ut solent Orientales, fervidioris esset indolis, rem totam paulo acerbius exaggeravit; & quæcunque in Stephanum dura, aspera, injuriosa & falsa congessit, omnem ipsi fidem detrahunt. Quis enim patienter audiat, Stephanum Romanum Pontificem Judæ proditori comparari; eum audaciæ, insolentiæ, stultitiæ, improbitatis, violatæ fidei ac traditionis accusari? Verum hæc omnia, ait sapienter S. Augustinus Lib. 5. de Baptismo cap. 25. retractanda non sunt, sed potius emutenda. Firmilianus igitur umbram pro veritate consectatus, minas excommunicationis pro ipsamet excommunicatione interpretatus, dura illa in Stephanum protulit.

Quare Stephanus tectũ & hospitium denegavit Legatis Cyprianí.

Neque porro si verum esset quod ille narrat, à Stephano in colloquium admissos non fuisse Legatos Cypriani, denegatum ipsis tectum & hospitium, certum adhuc & indubitatum foret latæ excommunicationis argumentum: quia scilicet ex œconomia id prudenter fecisset Stephanus, ut nempe hac severitate Africanos ab errore nascente revocaret; neve Legatos illos benignius excipiendo, visus fuisset illorum errorem approbare; aut etiam ipsis occasionem dedisset alios suo commercio & colloquio in errorem inducendi. Non absimili de causa S. Epiphanius Constantinopolim veniens noluit aut in ædibus Chrysostomi quamquam humanissime invitatus, commorari, aut in Ecclesia simul cum ipso orare, ne forte videretur erroribus Origenis, quibus Chrysostomum errore facti addictum putabat, favere, & ut ipsum à patrocinio Origenistis dando facilius hac agendi ratione revocaret.

Objicies 2. Infirma prorsus & caduca est probatio nostra inde ducta, tum quod cæteri per Orbem Episcopi Cypriano communicaverint; tum quod absurdum sit asserere virum quem Ecclesia ut eximium Doctorem ac sanctissimum Martyrem colit ac veneratur, in errore pertinacem extra communionem Romanæ Ecclesiæ obiisse.

Excommunicatio lata á Bonifacio tempore Philippi Pulchri, & á Julio tempore Ludovici XII.

Namque 1. cæteri per Orbem Episcopi cum Cypriano communicaverunt; non quod ignorarent eum à communione Stephani extorrem factum esse, sed quod optime intelligerent talem excommunicationem invalidam esse, utpote injustam: quia nempe cum potestas excommunicandi Episcopis in ædificationem, non in destructionem data fuerit, toties abusiva censeri debet excommunicatio, quoties adjunctum habet grave periculum schismatis ac dissensionis, quale profecto semper imminet, cum vel plures sanctitate ac doctrina illustres Episcopi, vel integræ florentes Ecclesiæ, vel Regna interdicto & excommunicationi subjiciuntur: quo casu nulla interdicti vel excommunicationis ratio habetur, ut multis domesticis ex Gallia nostra exemplis demonstrare promptum foret. Optima est ac plane retinenda regula S. Augustini, cum agitur de vibrando anathematis fulmine: audiatur, S. Lib. 3. contra Parmenianum cap. 2.

Regula S. Aug. cum agitur de vibrando anathematis fulmine. *To. 9. p. 64. A.*

„Cum quisque fratrum, *inquit*, id est Christianorum intus in Ecclesiæ societate constitutorum, in „aliquo tali peccato fuerit deprehensus, ut anathemate dignus habeatur, fiat hoc ubi periculum schismatis nullum est, atque id cum ea dilectione, de „qua ipse alibi præcipit dicens, ut inimicum non „eum existimetis, sed corripite ut fratrem, non enim „ad eradicandum sed ad corrigendum...... Nam & „ipse Dominus cum servis volentibus zizania colligere „dixit, sinite utraque crescere usque ad messem; „præmisit causam dicens: Ne forte cum vultis colligere zizania, eradicetis simul & triticum; ubi satis „ostendit, cum metus iste non subest..... id est, „quando ita cujusque crimen notum est, & omnibus „execrabile apparet, ut vel nullos prorsus, vel non „tales habeat defensores, per quos possit schisma contingere, non dormiat severitas disciplinæ, in qua „tanto est efficacior emendatio pravitatis, quanto „diligentior conservatio charitatis. *Rursus Epist. 22.* „*alias* 64. Non aspere, *inquit*, non duriter, non „modo imperioso ista tolluntur, magis docendo quam jubendo; magis movendo quam minando.

To. 2. p. 28. F.

„Sic

Sic enim agendum est cum multitudine: severitas autem exercenda est in peccata paucorum.

Excommunicatio exterior facta sine culpa excommunicati, ejus sanctitati non nocet. *To. 9. p. 95. D. To. 1. p. 752. A. Ibid. C.* Cyprianus bona fide erravit, & pacem cum aliis diversæ sententiæ Episcopis servavit. *To. 9. p. 99. C.*

II. Quòd Cyprianus extra communionem Stephani obiisse dicatur, nihil profectò est quod ejus deroget sanctitati; quis enim nesciat communem hanc esse SS. Patrum doctrinam, exteriorem scilicet ab Ecclesia præcisionem factam absque ulla ex parte illius qui excommunicatur, culpa, coram Deo non ligare? Ita Origenes in caput 16. Matthæi editionis Illustrissimi Huetii Tom. 1. pag. 279. S. Hieronymus in eundem locum, & S. Augustinus Lib. 1. de Baptismo cap. 17. ubi sic loquitur: *Spiritales autem sive ad hoc ipsum pia studio proficientes, non eunt foras; quia & cum aliqua vel perversitate, vel necessitate hominum videntur expelli, ibi magis probantur, quàm si intus permaneant, cum adversus Ecclesiam nullatenus eriguntur, sed in solida unitatis petra fortissima charitatis robore radicantur.* Et Libro de vera Religione cap. 6. ait, quod cùm hanc *contumeliam* [nempe excommunicationem] *vel injuriam patientissimè pro Ecclesiæ pace viri boni tulerint, neque ullas novitates, vel schismatis vel hæresis moliti fuerint, docebunt homines, quàm vero affectu & quanta sinceritate charitatis Deo serviendum sit.* Et infrà ..... *Hos coronat in occulto Pater in occulto videns.* Tales porrò erant Cyprianus, Firmilianus & alii, qui cùm bona fide crederent se veritatem tueri, pacem & concordiam cum suis Coepiscopis, imò & cum Stephano aliter sentientibus servabant, nec ullas novitates aut hæresis, aut schismatis moliebantur. „Non parvum documentum est, *ait S. Augustinus* „*Lib. 2. de Baptismo cap. 5.* pacatissimæ animæ; in „ea unitate martyrium meruisse, unde se diversum sen„tiens noluit separare. Homines enim sumus, unde „aliquid aliter sapere quàm res se habet, humana ten„tatio est. Nimis autem amando sententiam suam, vel „invidendo melioribus, usque ad præcidendæ commu„nionis & condendi schismatis vel hæresis sacrilegium „pervenire, diabolica præsumptio est. In nullo autem „aliter sapere quàm res se habet, Angelica perfectio est.

Resp. nego antecedens.

Ad primum: seposita jam alia quæstione, quæ non est hujus loci, de injusta vel justa excommunicatione, quæ ligat vel non ligat coram Deo, contendimus alios per Orbem Christianum Episcopos cum Cypriano communicasse, non quòd injustam, ut supponit Objectio, sed quòd nullatenus latam scirent à Stephano in ipsum excommunicationis sententiam. Istud suadet vel hæc ipsa regula prudentiæ & œconomiæ, quæ ex S. Augustino observanda est in ferenda excommunicatione: verisimile quippe non videtur, Stephanum regulam hanc ignorasse vel neglexisse.

Ad secundum: Etsi fateamur excommunicationem, quam quis sine sua culpa patitur, coram Deo non ligare, attamen Pastoris sententia etiam injusta semper timenda est, ajunt S. Leo Epistola 93. & S. Gregorius Magnus Hom. 26. in Evangelia; eique planè obtemperandum. Quapropter à culpa excusari non posset Cyprianus, si obnitente, & excommunicationis fulmen vibrante Romano Pontifice, cujus primatum & prærogativam in Ecclesia supra singulos Episcopos non ignorabat, in sententia sua pertinax ad mortem usque separatos à communione Romanæ Ecclesiæ perstitisset. Hinc est quòd sanct. Augustinus Epistola 93. aliàs 48.
To. 2. p. 246. E. cap. 10. dicat, *non incongruenter de tali viro existimandum, quòd correxerit sententiam suam.*

An Stephanus Romanus Pontifex in errorem oppositum errori Cypriani lapsus fuerit; approbato omnium indistinctè Hæreticorum Baptismo.

Nonnulli, non modò ex Novatoribus, sed etiam ex nostris Theologis, imprimis verò Launojus Tom. 8. Epistola ad Jacobum Bevilaquam pag. 607. existimant Romanum Pontificem Stephanum, cùm Cyprianum impugnaret, in alium extremum errorem lapsum fuisse, approbato omnium planè Hæreticorum Baptismo, etiam eo qui solita & præscripta forma: *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus S.* collatus non fuisset.

CONCLUSIO.

Stephanus Romanus Pontifex Cyprianum impugnans in extremum errorem lapsus non fuit, nec alium Hæreticorum Baptismum ratum unquam habuit, quàm qui verbis Evangelicis, *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*, consecratus fuisset.

Probatur 1. ex ipsomet Stephani Decreto, quod refert sanctus Cyprianus Epistola 74. ad Pompejum. *P. 129.* *Si quis ergo*, inquiebat, *à quacunque hæresi venerit ad nos, nihil innovetur, nisi quod traditum est, ut manus illi imponatur in pœnitentiam.* Atqui traditum est ab initio nascentis Ecclesiæ, ut nullus & irritus habeatur Baptismus, qui consueta forma, *In nomine Patris &c.* collatus non fuit, neque alia de causa Concilium Nicænum Paulianistas jussit rebaptisari; Stephanus igitur, qui nihil innovandum duxit, non approbavit Baptismum datum ab illis Hæreticis, qui formam illius à Christo præscriptam non observabant.

II. In famosa illa, quam Stephanus cum Cypriano, Firmiliano & aliis habuit, controversia, de fide dumtaxat Ministri, nullatenus verò de forma Baptismi agebatur. Cyprianus ex solo vitio hæreseos, quod omnibus Hæreticis commune est, omnium Hæreticorum Baptismum rejiciebat, ratus hominem extra Ecclesiam positum non posse Sacramenta Ecclesiæ & Spiritum sanctum conferre: Stephanus è contra, ad unum hæreseos commune vitium oculos convertens, omnium Hæreticorum Baptismum, quorum hæresis in formam ipsam Baptismi non effluebat, admisit, ratus virtutem Baptismi à Christo esse, non à privata Ministri fide vel pietate.

Quòd verò in hac tota disceptatione Stephanus velut traditum ac immotum istud principium supposuerit, Baptismum datum ab Hæreticis vim suam habere ab invocatione Trinitatis per quam consecratur, apertè significat Firmilianus in Epistola quam ad sanctum Cyprianum scripsit: *Illud quoque absurdum*, inquit, *quòd non putant quærendum esse quis sit ille qui baptisaverit, eò quòd qui baptisatus sit, gratiam consequi potuerit invocata Trinitate nominum Patris, & Filii, & Spiritus sancti.... At quis est in Ecclesia perfectus & sapiens, qui hoc aut defendat, aut credat, quòd invocatio hæc nominum nuda sufficiat ad remissionem peccatorum?* *Oper. Cypr. p. 146.* Et postea cùm narravit historiam mulieris alicujus incantatricis, quæ multos baptisaverat usitata & legitima verba usurpans, ut nihil discrepare ab Ecclesiastica regula videretur, sic pergit: *Nunquid & hoc Stephanus, & qui illi consentiunt, comprobant; maximè cui nec symbolum Trinitatis nec interrogatio legitima & Ecclesiastica defuit?* *Ib. p. 147*

S. Cyprianus pariter Epistola 74. dicit Stephanum *majestati nominis tribuere ut qui nomine Christi* (hoc est auctoritate Christi) *ab Hæreticis baptisantur, innovati & sanctificati judicentur.* *P. 130.*

Est in illis Firmiliani & Cypriani verbis aliquid veri, est & aliquid falsi. Hoc quidem verum, Stephanum ea de causa ratum habuisse Baptismum Hæreticorum, quòd invocato nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti consecratus esset: istud verò falsum, existimasse Stephanum solam & nudam hanc invocationem Trinitatis sufficere, ut in hæresi datus ac receptus Baptismus Spiritum sanctum conferat. Istud de suo

fingunt Cyprianus & Firmilianus, tum æstu disputationis ebrepti, tum suo præoccupati errore, Sacramentum nempe, quod effectu suo caret, nullum & irritum esse, quoad substantiam, à quo errore longe alienus erat Stephanus.

III. Qui ex Veteribus de ista Stephanum & Cyprianum controversia mentionem fecere, observarunt à Stephano antiquam Ecclesiæ traditionem vindicatam fuisse. Ita Eusebius Lib. 7. Hist. cap. 20. S. Hieronymus Dial. adversus Luciferianos, Fecundus Hermianensis Lib. contra Mocianum, ubi affirmat *Ecclesiam Stephani potius quam Cypriani sententiam tenere, non solum de non rebaptisandis Hæreticis, verum etiam de rebaptisantibus non ferendis.* P. 204. C.

Vincentius Lirinensis in Commonitorio de eodem dissidio loquens cap. 9. *Quis tunc*, inquit, *universi negotii exitus, nisi usitatus & solitus? retenta est scilicet antiquitas, explosa novitas.* Bibliot. P P. T. 7. p. 251. H.

S. denique Augustinus passim asserit Decreto Stephani vindicatam & assertam fuisse consuetudinem et traditionem, quæ plenario totius Orbis Concilio subinde confirmata est, quam ipsemet Augustinus ex Apostolis promanatam affirmat L. 5. contra Donatistas c. 24. "Non propterea, *inquit*, communicavit Hæreti- Te. 9. p. 316. E.
„cis, quia Baptisma Christi quod in eorum perversitate
„integrum mansisse cognovit, improbare non ausus
„est . . . . Apostoli autem nihil quidem exinde præcepe-
„runt; sed consuetudo illa quæ apponebatur Cypriano,
„ab eorum traditione exordium sumpsisse credenda est:
„sicut sunt multa quæ universa tenet Ecclesia & ob
„hoc ab Apostolis præcepta bene creduntur, quam-
„quam scripta non reperiantur. An vero erroneam Stephani sententiam Ecclesia confirmasset? An falsi arguenda traditio quæ ab Apostolis ipsis originem ducit? An ferendus Launojus, cum citata Epistola nu. 8. scribit, *Nicænam Synodum Canone suo 19. non Stephani, sed Cypriani sententiam amplexam fuisse?* Ergo cum Cypriano errente erravit pariter Oecumenica Synodus? quis patienter audiat?

IV. Denique, si Stephanus & Cyprianus in duos extremos oppositos errores lapsi sunt, necesse est fateri universam tunc temporis Ecclesiam errasse in fide: quotquot enim erent Episcopi, quotquot Fideles, vel Cypriano adhærebant, vel Stephano; ergo his pariter errantibus, quemquam errore diverso, cæteri omnes etiam errarunt. Ubi ergo tunc temporis vera fides? Ubi vera traditio circa Baptismum Hæreticorum? Numquid tunc portæ inferi adversus Ecclesiam prævaluissent, contra espressam Christi fidem & promissionem?

Solvuntur Objectiones.

Objicies 1. Decretum Stephani indefinitum est ec plane universale, nempe ut venientes à quacumque hæresi non baptisentur; ergo eos etiam spectabat Hæreticos qui Baptismi formam adulterabant. Hunc esse Stephani sensum non obscure significat S. Cyprianus Epist. 74. his verbis *Effectum Baptismi majestati nominis tribuunt, ut qui in nomine Christi ubicunque & quomodocunque baptisantur, innovati & sanctificati judicantur.* Particula hæc, *quomodocunque*, designat haud dubie Baptismum quacunque forma, seu quocunque modo datum. P. 130.

Resp. 1. Decretum Stephani, etsi verbis indefinitis conceptum, nihilominus restringi ac limitari ad eum Hæreticorum Baptismum, quem Traditio Ecclesiæ ratum habet: *Nihil innovetur* ait Summus Pontifex, *nisi quod traditum est.* Atqui Traditio Ecclesiæ non alium usquam approbavit Baptismum, quam verbis Evangelicis consecretum; ergo non alium admisit Stephanus, Idcirco autem in Decreto suo non distinxit Summus Pontifex inter Hæreticos Baptismi formam violantes aut retinentes, quod, ut jam diximus, non de forma baptismi, sed de fide baptizantis controversia unice moveretur; atque cùm Cyprianus generatim omnium Hæreticorum Baptismum præcise ob vitium hæreseos reprobaret, Stephanus è contra generatim propter solum hæreseos vitium illum non rejiciebat, sed ratum & firmum habebat.

Neque isthæc verba, *à quacumque hæresi*, &, *quomodocunque* &c. in Stephano suspecta magis esse debent, quam in Augustino qui Lib. 5. contra Donatist. cap. 5. ait, *homines occulta quadam inspiratione Dei detestari, si quis iterum Baptismum accipiat, quem ubicunque jam acceperat.* Per istam particulam, *ubicunque*, voluit haud dubie significare sanctus Doctor, ratum esse Baptismum quocumque ritu seu forma collatum; sed hoc tantum voluit, nempe à quocumque Hæretico, etiam Marcione, verbis Evangelicis consecratum Baptisma, ratum esse, cum sit Baptisma Christi. Non alius profecto fuit Stephani sensus. Te. 9. p. 145. B.

Resp. 2. S. Cyprianum vel non satis assecutum fuisse mentem Stephani, vel eam, ut sæpe fit in æstu disputationis, plus æquo exaggerasse, si per istam particulam, *quomodocunque*, existimavit admissum à Stephano Baptismum quacunque forma collatum. At longè verisimilius videtur, per dictam particulam hoc unum dumtaxat innuere voluisse Cyprianum, nempe Stephanum venientes à quacunque hæresi non rebaptisare, eo quòd majestati nominum Patris, & Filii, & Spiritus sancti vim omnem Baptismatis tribueret, non verò privatæ Ministri fidei & pietati; quæ profectò Decreti Stephani interpretatio vera est.

Objicies 2. Quotquot Hæretici à Christo ad Stephanum exorti sunt, præscriptam baptisandi formam haud dubiè violarunt, qui tam horrenda errorum portenta in Deum Unum & Trinum confinxere. Tales fuere Simoniani, Basilidiani, Ebionitæ, Cerdoniani, Hermogeniani, Praxeani, Cataphryges, Quintilianistæ, Marcitæ &c. qui postremi, referente S. Irenæo Lib. 1. cap. 21. aliàs 18. baptisabant *in nomine incogniti Patris omnium, in veritatem matrem omnium, in descendentem in Jesum, ad unitionem, & redemptionem, & communionem virtutum.* Cùm igitur Stephanus eorum omnium Hæreticorum Baptismum admiserit, haud dubiè alia, quàm præscripta, forma datum approbavit. Et reipsa sanctus Cyprianus Epistola ad Pompejum, & Firmilianos Epistola ad sanctum Cyprianum Stephano istud potissimùm objiciunt, quòd admitteret Baptismum Valentini, Appelletis, Basilidis, Marcionis, Montani, &c. P. 95

Resp. 1. Si res ita esset ac Objectio supponit, incassum tanta contentione disputassent inter se Stephanus, Cyprianus, Firmilianus & alii: nullus etenim usquam dubitavit, irritum esse Baptisma, quod in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, datum non fuisset. Non ergo de illo tantùm, sed de omni ab Hæreticis collato Baptismo concertatio fuit primis illis Ecclesiæ temporibus.

Resp. 2. nego ant. Observet enim S. Augustinus Lib. 6. de Baptismo cap. 25. *Facilius inveniri Hæretices, qui omnino non baptisent, quam qui verbis Evangelicis non baptisent.* Et certè senctus Cyprianus citata Epistola 74. dicit, idcirco Baptismum Marcionis, Valentini &c. validum Stephano fuisse, quia in nomine Christi, hoc est, virtute, auctoritate & ritu à Christo præscripto collatus fuisset, & S. ipse Irenæus loco citato, à solis Colorbaseanis & Marcitis refert vitiatam fuisse consuetam baptisandi formam, non verò à Menandro, Basilide, Carpocrate, Cerintho, Ebione, Cerdone, quamquam isti impiè admodum de Deo sentirent. Nec bene sequitur eos Baptismatis formam vitiasse, quòd errerent contra fidem Trinitatis: nonne Arriani etiam contra idem mysterium errabant? Eorum Te. 9. p. 176. E.

rum tamen Baptismus rejectus non fuit à Concilio Nicæno, Quantùm verò ad Praxeanos pertinet, S. Hieronymus Dial. adversus Luciferianos testatur ab ipsis baptisatos receptos in Ecclesia fuisse sine novo Baptismo. Optatus quidem L. 5. contra Parmenianum ait, apud illos *aquam mendacem esse:* at vel inutile, & omni effectu spirituali vacuum, vel si nullum quoad substantiam intelligit Sacramentum, dicendum, inter eos Praxeanos aliquos formam baptisandi consoetam non retinuisse, de quibus Optatus; aliquos verò retinuisse, de quibus S. Hieronymus. S. igitur Cyprianus & Firmilianus quasi per consequentiam ex generali propositione Stephani deduxerunt admissum ab ipso Baptisma eorum omnium Hæreticorum quos nominaret: quamquam Stephani propositio seu decretum exceptionem patitur; eorum scilicet Hæreticorum Baptisma pro rato habendum, quod traditio admittit: atqui non aliud admittit, quàm quod in forma consueta invocationis sanctissimæ Trinitatis consecratum est; ergo &c.

Objicies 3. Benedictum XII. in responsione ad objectiones Fraticellorum contra Joannis XXII. Constitutiones, quam suo Inquisitorum Directorio parte 2. qu. 17. Eymerius inseruit, affirmare in extremos & oppositos errores lapsum esse tum Cyprianum, tum Stephanum; atque Concilium Nicænum utriusque opinionem correxisse.

Resp. in ista facti quæstione plus momenti ad probandum habere Veterum testimonia, quàm Benedictum XII. qui cùm Scriptum illud edidit anno 1330. Cardinalis duntaxat erat, nec ad sensum Decreti Stephani mature satis attendisse videtur.

Non hic commemoramus, quod more suo multùm amplificat Launojus, Ecclesiam scilicet longè pluris fecisse semper Cyprianum, quàm Stephanum: quasi hic quæstio foret de comparandis utriusque virtutibus. Esto, quod ultro fatemur, singolari in pretio fuerit semper memoria Cypriani, ob eximiam ejus sanctitatem, doctrinæ præstantiam & formam, disciplinæ amorem &c. an idcirco non errasse dicendus est, aut erroris incusandus Stephanus? Apage tam distorta & obliqua ratiocinia.

An S. Cyprianus, Firmilianus, cæterique Africani & Orientales Episcopi errorem suum ante mortem revocaverint.

Baronius ad an. Christi 258. n. 51. & ad an. 259. n. 1. & seq. affirmat tum Cyprianum, tum Firmilianum ab errore Rebaptisantium ante mortem recessisse.

CONCLUSIO.

Certum non est, Cyprianum & Firmilianum ab errore Rebaptisantium ante mortem recessisse, quamquam id conjici meritò possit.

I. De Cypriano id testatur S. Augustin. Lib. 2. de
To. 9. p. 99. E. F. Baptismo contra Donat. c. 4. " Si Petrum, *inquit*, laudat & prædicat ab uno posteriore collega patienter „concorditerque correctum, quantò citiùs ipse cum „Concilio Provinciæ suæ, universi Orbis auctoritati „patefacta veritate cessisset; „quia profectò & uni verum dicenti & demonstranti posset facillimè consentire tam sancta anima, tam pacata; & fortasse factum „est, sed nescimus. Neque enim omnia, quæ illo tempore inter Episcopos gesta sunt, memoriæ litterisque „mandari potuerunt, aut omnia, quæ mandata sunt, „novimus.

Et Epistola 93. aliàs 48. c. 10. " Cyprianus autem,
To. 2. p. 246. E. „*inquit*, sensisse aliter de Baptismo quàm forma & consuetudo habeat Ecclesiæ, non in Canonicis, sed in suis „& in Concilii Litteris invenitur; correxisse autem „istam sententiam non invenitur. Non incongruenter „tamen de tali viro existimandum est, quòd correxerit, & fortasse suppressum sit ab eis, qui hoc errore nimium delectati sunt, & tanto velut patrocinio carere „noluerunt.

II. Firmilianum ætate Dionysii Alexandrini suum errorem deposuisse, sicut Baronio videtur, non minùs dubium ac incertum est: quia nullum hujusce retractationis vestigium occurrit apud Veteres Scriptores Ecclesiasticos. Imò potiùs, cùm S. Basilius hunc ipsum Firmiliani errorem postea sequutus fuerit, non levis conjectura esse potest, Firmiliani ætate nondum in Cappadocia extinctam fuisse Rebaptisantium praxim atque sententiam.

Solvuntur Objectiones.

Objicies 1. S. Hieronymus Dial. adversus Luciferianos, ubi affirmat *illos Episcopos, qui cum Cypriano* Tom. 4.
rebaptisandos statuerant Hæreticos, ad antiquam con- part. 2.
suetudinem revolutos, novum emisisse decretum. p. 303.

Resp. Esto ita sit de aliquibus Africanis Episcopis, iis præsertim qui Concilio Arelatensi primo interfuerunt; at de Cypriano id non asserit S. Hieronymus, tanti viri retractationem profectò non omissurus, si eam compertam habuisset. Quamquam S. Augustinus Africanus, qui controversiam in Africa excitatam accuratiùs haud dubiè novit, quàm Hieronymus Romæ aut Hierosolymis scribens, nusquam certò affirmavit aut Cyprianum, aut ejus Coepiscopos tunc temporis à priori sua sententia discessisse.

Objicies 2. S. Dionysium Alexandrinum in Epistola quam ad Stephanum Romanum Pontificem scripsit, apud Eusebium Lib. 7. Hist. cap. 5. in qua testatur omnes Ecclesias antea dissidentes ad concordiam tandem rediisse. " Scias autem, *inquit*, frater, cunctas per P. 251.
„Orientem & ulteriùs positas Ecclesias quæ prius erant C. D.
„discissæ, nunc tandem ad unitatem reversas esse, & „omnes Ecclesiarum ubicunque Antistites, unum „idemque sentire, & ob redditam insperatò pacem incredibili gaudio exultare.

Resp. pacem illam & unitatem Ecclesiarum, de qua Dionysius, spectare duntaxat causam & errorem Novati, propter quem diversæ fuerant Ecclesiæ, non verò causam & errorem Rebaptisantium, qui etiam tunc temporis in Oriente invaluerat, & aliquando post etiam invaluit, ut constat ex testimoniis suprà memoratis SS. Basilii, Athanasii, Cyrilli Hierosolymitani. Id ita esse colligitur ex Eusebio Lib. 7. Hist. cap. 4. ubi sic loquitur: *Ad hunc igitur* [Stephanum] *Dionysius per* Ibid. C.
Litteras scripsit, in quibus id tandem illi indicat, omnes ubique Ecclesias mollito jam persecutionis furore, Novati turbulentam Novitatem detestantes inter se pacem iniisse.

At, inquies, si tunc temporis viguissent adhuc contentiones ac dissidia circa Baptismum Hæreticorum, quomodo Dionysius pacem ac concordiam Episcoporum Stephano gratulari potuisset?

Resp. causam & rationem fuisse, quia nullum propter Rebaptisantium controversiam schismatis ac dissensionis erat periculum, cùm pax Christi in cordibus eorum omnium vinceret, ac unusquisque suam defenderet praxim & sententiam, servata unitate pacis ac concordiæ unione.

Objicies 3. S. Augustinum Lib. 3. contra Cresconium cap. 2 ubi tanquam rem certam supponit, quam asserebat Cresconius Donatista, Orientales scilicet suam de rebaptisandis Hæreticis sententiam aliquando deposuisse.

Resp. 1. S. Augustinum ex concessis & argumento, ut dicitur, ad hominem adversarium suum urgere: nempe, si Orientales, ut asserebat Cresconius, suam priorem sententiam deposuerunt, quare vos, Donatistæ, inquiebat, eorum exemplo vestram non deponitis? An

autem verum sit quod asserebat Cresconius, non expendit S. Doctor.

Resp. 2. hoc unum inde colligi posse, nempe Orientales tempore Donatistarum suum rescidisse judicium non verò tempore Stephani, Sixti, & Dionysii Alexandrini; imò potiùs contrarium planè ex S. Augostino erui videtur, ait enim, *Donatistarum, quos impugnat, Majores propterea se ab Orientalium communione disjunxisse, quòd hac de re diversa senserint, & judicium suum correxerint.* Primi igitur Donatistæ idcirco se ab Orientalium communione sejunxerunt, quòd tunc temporis Orientales à priori sua sententia recessissent; ergo tempore dumtaxat illorum Donatistarum, non prius Orientales suam sententiam & praxim mutaverant.

To. 9. p. 437. A.

Quodnam sit plenarium illud totius Orbis Concilium, in quo controversiam de Baptismo Hæreticorum terminatam ac finitam fuisse testatur toties S. Augustinus.

Affirmat passim S. Augustinus in suis contra Donatistas Operibus, controversiam de Baptismo Hæreticorum omnibus remotis dubitationibus finitam ac terminatam fuisse universi Orbis auctoritate, seu à Concilio plenario universæ Ecclesiæ, quod quidem Lib. 2. de Baptismo cap. 9. *transmarinum* appellat, atque ante suam nativitatem, post mortem verò Cypriani celebratum illud fuisse, atque ea imprimis ratione Cypriani errorem excusat & elevat, quòd ejus ætate nondum tale celebratum fuisset Concilium, cui procul dubio ille cessisset; è contra Donatistarum contumaciam redarguit, quòd tantæ auctoritati acquiescere recusarent, "Quapropter, *inquit S. Augustinus Lib. 2. de Baptismo cap.* 4. S. Cyprianus tantò excellentior, quantò "humilior ... satis ostendit facillimè se correcturum "fuisse sententiam suam, si quis ei demonstraret Bapti-"smum Christi sic dari posse ab eis qui foras exierunt, "quemadmodum amitti non potuit cùm foras exirent. "Nec nos ipsi tale aliquid auderemus asserere, nisi uni-"versæ Ecclesiæ concordissima auctoritate firmati, cui "& ipse sine dubio cederet, si jam illo tempore quæstio-"nis hujus veritas eliquata & declarata per plenarium "Concilium solidaretur. *Si* enim Petrum laudat & præ-"dicat ab uno posteriore collega patienter concorditer-"que correctum, quantò citiùs ipse cum Concilio Pro-"vinciæ suæ universi Orbis auctoritati patefacta veri-"tate cessisset? *Ibidem ait*, rem hanc tantis altercatio-"num nebulis involutam ad plenarii Concilii luculen-"tam illustrationem confirmationemque perductam "fuisse. *Et Lib. 1. de Baptismo cap.* 7. Quæstionis hu-"jus, *inquit*, obscuritas prioribus Ecclesiæ temporibus "magnos viros, & magna charitate præditos Patres E-"piscopos ita inter se compulit salva pace disceptare at-"que fluctuare, ut diu Conciliorum in suis quibusque "Regionibus diversa statuta mutaverint, donec plena-"rio totius Orbis Concilio, quod saluberrimè sentie-"batur, etiam remotis dubitationibus firmaretur.

To. 9. p. 104. B.C. — Ib. p. 98. D. — Ibid. F. — Ib. p. 84. F.

Disputant Eruditi de illo Concilio, quod S. Augustinus designavit quidem, at nominatim non expressit: de duobus autem potissimùm quæstio vertitur, nempe de Arelatensi I. anno 314. & de Nicæno I. generali an. 325. utrumque ante Augustini nativitatem, quæ contigit anno 354. & post mortem Cypriani, qui martyr occubuit an. 258. fuit celebratum.

Quæstionis nodus non parum implicatus in eo versatur, quòd ex una parte Concilium Arelatense apertè quidem Can. 8. Rebaptisantium causam definierit; at non videtur fuisse Concilium plenarium, totius Orbis & universæ Ecclesiæ. Ex altera verò parte, Concilium Nicænum reipsa plenarium fuit, ex universo Orbe Christiano convocatum: at rem, de qua loquimur, apertè non definivit; quamquam Canone 8. & 19. fundamentum erroris Rebaptisantium everterit.

Non hìc commemoramus sententiam eorum, qui Concilium illud plenarium in mente S. Augustini ajunt fuisse vel primum Constantinopolitanum an. 381. vel Alexandrinum an. 362. vel Capuanum an. 389. Namque manifestum est, ea post natum Augustinum celebrata fuisse, Concilium vero quod quærimus, nativitatem Augustini antecessit. Neque verisimilior videtur aliquorum conjectura, qui Concilium illud suspicantur fuisse Sardicense an. 347. namque in eo Concilio nulla fidei regula condita fuit, atque inter Canones ipsius nullus est qui Rebaptisantium causam attingat. Adde quòd legitimum Sardicense Concilium videatur Augustinus ignorasse, cui notum dumtaxat fuit falsum ejusdem nominis Conciliabulum Arianorum, sicut colligitur ex Libro 3. contra Cresconium cap. 34.

Tota igitur controversia spectat vel Arelatense, vel Nicænum primum Oecumenicum. Pro Arelatensi pugnant Sirmundus, Illustrissimus de Marca, Albaspinæus, Launojus &c. & pro Nicæno, Bellarminus, Binnius, Pater Nicolai Dominicanus. Nobis verò res hæc tam obscura & implicata videtur, ut à ferendo judicio abstinendum arbitremur, propositis ex utraque parte momentis.

CONCLUSIO.

An Concilium totius Orbis plenarium, quo S. Augustinus asserit controversiam de Baptismo Hæreticorum eliquatam & omnibus remotis dubitationibus finitam fuisse, sit Arelatense primum, vel Nicænum generale primum, definire certò non possumus.

Primò, Concilium illud non esse Arelatense, probatur: Quia nec in rei veritate, nec in mente S. Augustini fuit plenarium Orbis totius Concilium. Non in rei veritate; quia inter Oecumenica Concilia nusquam legimus illud annumeratum fuisse; neque ex universa, sed ex Occidentali dumtaxat Ecclesia fuit congregatum, nec quisquam S. Pontificis nomine in eo præfuisse legitur. Plenarium quoque non fuit in mente ac sensu S. Augustini, quia Concilium illud Arelatense, cujus tamen sæpius meminit, nusquam appellavit plenarium totius Orbis Concilium, imò ne Concilium quidem, sed simpliciter ac nudè & constanter Episcopale Judicium nominat.

Momenta contra Concilium Arelatense.

Præterea, si reipsa existimasset S. Augustinus concilium illud Arelatense fuisse plenarium illud totius Orbis Concilium in quo damnati sunt Donatistæ, cur quæso nusquam asseruit Donatistas à Concilio totius Orbis plenario damnatos fuisse? Cur tanti ponderis auctoritatem, quæ toti Orbi notissima esse debuit, nusquam opposuit Donatistarum pervicaciæ, unde majorem profectò in ipsos invidiam concitasset; sed hoc ipsis tantùm exprobret, quòd à Judicio Arelatensi ad Constantinum Imperatorem provocassent? Cur Lib. 4. contra Cresconium cap. 25. dixit, causam Cæciliani tot & tantis gentibus christianis ignotam fuisse, si ea plenario totius Orbis concilio terminata fuit?

Tr. 9. p. 499.

Nec juvat si reponas

I. in phrasi Augustiniana concilium ex integra Provincia, Regione vel Regno convocatum plenarium appellari, quomodo concilium Bagajense, quod à Donatistis celebratum est, ut ortum inter eos schisma componerent, & cui treceni decem Episcopi interfuerunt, plenarium appellat Lib. 2. contra Epistolam Parmeniani cap. 5. Lib. 2. de Baptismo contra Donat. cap. 7. quod nomen etiam ipsi tribuitur in Codice Canonum Ecclesiæ Africanæ num. 69. Quin eodem in Codice, Concilia Nationalia totius Africæ, plenaria dicuntur, numeris 19. 28. 117. & 138.

Proponuntur, quæ pro Concilio Arelatensi proferri solent.

II. Tum ex Litteris Constantini ad Chrestum, tum ex Concilio Arelatensi II. patet ex omni Orbe Christiano fuisse convocatum primum Arelatense Concilium

in

Tom. 1. Conc. p. 1423. C. in causa Donatistarum. Constantinus enim asserit, *se jussisse ut plurimi ex diversis compluribus locis Episcopi in Urbem Arelatensem convenirent.* Et Patres

Tom. 4. Conc. p. 1013. B. II. Concilii Arelatensis Can. 18. ajunt, *ad hanc Urbem ex omnibus mundi partibus præcipue Gallicanis, sub sancti Martini tempore celebratum fuisse Concilium, atque Conventum.*

III. Etsi nec convocatione, nec celebratione Concilium Arelatense plenarium fuisset, saltem accedente Orbis totius consensu & approbatione, dici merito potuit ab Augustino Orbis totius seu universæ Ecclesiæ Concilium plenarium. Porro universam Ecclesiam Judicio Arelatensi in causa Donatistarum acquievisse, testatur idem sanctus Doctor Concione 2. in Psalm. 36. n. 22. ubi opponens Concilium Bajaitanum judicio

To. 4. p. 282. B C. Arelatensi, *Tu*, inquit, *purgasti te apud Bagai: purgavit se ille in transmarino Judicio. Consensu huic Judicio universus Orbis terrarum.*

IV. Mirum videri non debet, quod Augustinus Judicium potius quam Concilium Arelatense dixerit, quia nempe ad quæstionem facti dirimendam, criminis scilicet traditoris Cæciliano à Donatistis impacti, convocatum fuerat, non ad quæstionem juris seu dogmatis definiendam: quamquam occasione facti, & jus

Tom. 1. Conc. p. 1428. A. ipsum seu dogma definivit Can. 8. his verbis: "De „Afris qui propria lege sua utuntur ut rebaptisent pla„cuit, ut si ad Ecclesiam aliquis de hæresi venerit, in„terrogent eum Symbolum; & si perviderint eum in „Patre, & Filio, & spiritu sancto esse baptisatum, ma„nus ei tantum imponatur, ut accipiat Spiritum sanctum. „Quod si interrogatus non responderit hanc Trinita„tem, baptisetur.

Solvuntur adducta pro Arelatensi Concilio momenta.

Verum hæc momenta nostro quidem judicio nodum difficultatis stringunt magis, quam solvunt.

Primum, quia usu Ecclesiastico Concilia quæ ex aliqua duntaxat Provincia, Regione vel Regno convocata fuere, nusquam simpliciter & absque addito, plenaria & totius Orbis Concilia dicuntur, sed cum aliqua restrictione vel limitatione, nempe vel Africæ, vel Galliæ, vel cujuscunque alterius Provinciæ aut Nationis. Sic in codice Canonum Ecclesiæ Africanæ Can.

Tom. 2. Conc. p. 1060. B. 19. dicitur, *Si ad Concilium universale anniversarium occurrere noluerit*, (Episcopus) *ut vel ibi causa ejus terminetur, ipse sibi damnationis sententiam dixisse judicetur.* Ubi Concilium universale limitatur per anniversarium; neque enim singulis annis Concilium absolute & simpliciter universale seu Oecumenicum celebrari debebat, sed universale Provinciæ vel Regionis. Concilium pariter Bajaitanum S. Augustinus plenarium appellat, non simpliciter, sed plenarium Donatistarum: neque serio & ex propria sententia, sed ironice, atque Donatistarum sensu, illud Concilium plenarium appellat, ob multitudinem scilicet Episcoporum, qui ex parte Donatistarum numero trecenti & decem huic interfuerunt, quibus S. Augustinus citata Concione 2. in Psalm. 36. opponit *millia*

Tom. 4. p. 282. F. *Episcoporum per Orbem terrarum, qui damnaverunt à parte Cæciliani Donatum.* Porro cum S. Augustinus loquitur de illo Concilio in quo controversia de Baptismo Hæreticorum eliquata fuit, simpliciter & absolute illud appellat Concilium totius orbis plenarium, Concilium cunctarum Ecclesiarum, quale profecto non fuit Arelatense I.

Secundum etiam momentum plus ponderis non habet. Namque Constantinus in laudata Epistola ait duntaxat se plurimos ex diversis compluribus locis Episcopos convocasse: ita Græcum textum reddit doctissimus Sirmondus. Quamquam etsi cum Valesio redderemus, *ex infinitis locis*, quis nesciat stylum esse scribendi consuetum, ut cum maximo numero convocantur Episcopi, ex infinitis fere locis convocari dicantur? Eundem stylum secuti Patres Concilii Arelatensis II. per exaggerationem & amplificationem dixere, ad primum Arelatense Concilium convenisse Episcopos ex omnibus mundi partibus. Quin hæc quæ adjungunt

verba, *præcipue Gallicanis*, non obscure significant *In notis ad Eus. in schismate Donat. p. 297.*

istud Concilium ex Occidente duntaxat coactum fuisse, judice Valesio, Episcopi tantum 44. interfuere.

Tertium momentum nullum plane est. Hac enim ratione efficeres, quamcunque particularem Synodum, cui accedit Ecclesiæ universæ consensus, dici posse Oecumenicam; at id non patitur communis ac receptus Ecclesiæ usus. Reipsa definitio ab aliqua particulari Synodo facta, cui accedit approbatio & consensus totius Ecclesiæ, fit definitio totius Ecclesiæ, ac supremam eo ipso induit auctoritatem: at non propterea Synodus convocatione aut celebratione Oecumenica dicenda est, sed particularis; ex alio enim capite repetuntur Concilii Oecumenicitas & Oecumenicitas definitionis: hæc est consensu totius Ecclesiæ, illa ex convocatione omnium Episcoporum, aliisque conditionibus ad Oecumenicum Concilium requisitis.

Adde quod cum S. Augustinus citata Concione 2. in Psalm. 36. ait, judicio transmarino universum Orbem consensisse, non loquitur de jure seu dogmate, sed tantum de facto, seu crimine traditoris quo Donatistæ Cæcilianum infamaverant, & à quo purgatus innocens declaratus fuit tum in Judicio Romano sub Melchiade, tum in Arelatensi: nos autem hic disputamus de illo Concilio totius Orbis plenario, in quo dogma fidei contra errorem Rebaptisantium declaratum ac definitum fuit.

Hinc patet solutio quarti momenti: si Concilium Arelatense ad quæstionem facti dirimendam convocatum duntaxat fuit, ergo non est illud quod quærimus Concilium, quod in mente S. Augustini dogmaticam de Baptismo Hæreticorum controversiam diremit.

Quamquam vero quæ hactenus dicta sunt minus ponderis haberent, grave ac decretorium videtur S. Augustinus nobis subministrare momentum Epistola 43. aliàs 162. Scilicet dubitat eo loci sanctus Doctor, an post Melchiadis Judicium quo absolutus est Cæcilianus, fuerit aliquod plenarium totius orbis Concilium, in quo causam suam iterum agitari postulaverint Donatistæ, ac prior sententia rescissa fuerit: non ignoravit autem S. Doctor, in Judicio Arelatensi, quod sæpius nominat, causam illam denuo cognitam ac dijudicatam fuisse; Judicium ergo illud Arelatense, in mente S. Augustini, non est plenarium Ecclesiæ universæ Concilium. Et verba S. Doctoris: "Ecce pu- *To. 2. p. 97. A.*
„temus illos Episcopos qui Romæ judicarunt non bo„nos Judices fuisse: restabat adhuc plenarium Ecclesiæ „universæ Concilium, ubi etiam cum ipsis Judicibus „causa posset agitari, ut si male judicasse convicti essent, „eorum sententiæ solverentur. Quod utrum fecerint, „probent; nos enim non factum esse facile probamus, „ex eo quod totus Orbis non eis communicat; aut si „factum est, etiam ibi sunt victi, quod ipsa eorum se„paratio manifestat. Sed tamen quid postea fecerint, „Imperatoris Litteris sufficientissime ostenditur. Ju„dices enim Ecclesiasticos tantæ auctoritatis Episcopos, „quorum judicio & Cæciliani innocentia, & eorum „improbitas declarata est, non apud alios Collegas, „sed apud Imperatorem accusare ausi sunt, quod male „judicarint. Dedit ille aliud Arelatense Judicium, alio„rum scilicet Episcoporum; non quia jam necesse erat, „sed eorum perversitatibus cedens, & omnimodo cu„piens tantam impudentiam cohibere.

His verbis sanctus Augustinus 1. dubitat an post judicium Romanum aliquod fuerit plenarium Ecclesiæ universæ Concilium, in quo Donatistarum causa judicata fuerit. 2. asserit loco illius plenarii Concilii datum à Constantino judicium Arelatense; distinguit ergo judicium illud à plenario Concilio, 3. sententiam Ro-

manam

manam qua Cæcilianus innocens est declaratus, rescissam non fuisse in eo Concilio plenario inde probat S. Doctor, quod totus orbis cum Donatistis non communicet: si vero supposuisset reipsa celebratum tale plenarium universæ Ecclesiæ Concilium, an non magis damnatos ex ipsa Concilii sententia dixisset Donatistas, quàm ex denegata ipsis Ecclesiastica communione?

Repones forsan, Donatistas ad Concilium Arelatense, tanquam ad plenarium provocasse, ac dubium, quod movet S. Augustinus, non spectare convocationem hujus Concilii, sed rescissionem duntaxat prioris sententiæ in judicio Romano pronuntiatæ, quam revera ostendit rescissam non fuisse.

Verum hæc responsio pugnat cum veritate historiæ, ac serie contextus S. Augustini. Neque enim Donatistæ ad Concilium Arelatense provocarunt, sed ad Constantinum, qui dedit illis aliud Arelatense Judicium; neque S. Augustinus de una sententiæ rescissione, sed de ipsa quoque Concilii celebratione loquitur, sicut ex serie ipsius contextus manifestum est: sed, quod amplius est, adducta responsio absonum & absurdum S. Doctori affingit ratiocinium, istud scilicet, "Priorem sententiam Romanam rescissam non fuisse probamus, quia totus Orbis Donatistis non communicat; quod si factum est, id est, si rescissa fuit, etiam ibi Concilio plenario sunt victi." Quæ ista est, quæso, ratiocinii absurditas? si enim rescissa est illa sententia in Concilio plenario, quomodo ibi sunt victi Donatistæ? si autem rescissa non fuit, ut revera non fuit, quare subdubitanter loquitur S. Doctor?

At, inquies, sequitur ex hoc nostro ratiocinio, dubitasse Augustinum an re ipsa plenario totius Orbis Concilio causa Donatistarum finita fuerit, de quo tamen eum dubium non fuisse, certissimum est.

Resp. id duntaxat ex nostro sequi argumento, nempe S Augustinum dubitasse utrum post Judicium Romanum sub Melchiade, celebratum fuerit plenarium universæ Ecclesiæ Concilium, in quo quæstio facti inter Cæcilianum & Donatistas agitata & definita fuerit; & utrum Judicium Arelatense, quod re ipsa celebratum fuisse noverat, possit in ejus mente dici Concilium plenarium universæ Ecclesiæ. De utroque dubium revera fuisse Augustinum contendimus: at in aliquo universali seu plenario totius Orbis Concilio dogmatis controversiam adversus errorem Donatistarum eliquatam & terminatam fuisse, sive ante sive post Melchiadis Judicium, tam sæpe ac diserte asseruit S. Augustinus, ut absurdus ille foret, qui eum hic dubium & ancipitem induceret.

Si vero quæsieris quodnam ergo sit Concilium illud in mente S. Augustini? Respondemus rem tam obscuram & implicatam videri, ut eam definire non audeamus.

II. Concilium illud non potest esse Nicænũ I. Secundo, Concilium Nicænum generale I. an. 325. licet re ipsa œcumenicum fuerit, non videtur tamen illud ipsum fuisse quod sæpius designat S. Augustinus.

Namque in mente S. Augustini, in eo Concilio plenario de quo loquitur, "cunctis remotis dubitationibus ac discussis ambagibus, diligentissima consideratione roborata est, atque ad luculentam illustrationem confirmationemque perducta Catholica de Baptismo Hæreticorum sententia." At nihil tale in Concilio Nicæno sancitum legimus, à quo, vel ipsis non renuentibus adversariis, non clare & aperte, sed dumtaxat per consequutionem causa hæc definita dicitur, Canone scilicet 8. quo Novatiani per solam manus impositionem recipiuntur; & Can. 19. quo Paulianistæ redeuntes ad Ecclesiam jubentur baptisari. In primo quippe Canone de solis agitur Novatianis, non de aliis Hæreticis; in posteriori de solis Paulianistis, qui formam Baptismi violabant. Tantum vero abest ut ex illo utroque Canone clare sequatur doctrinam & praxim rebaptisationis proscriptam fuisse, ut ne oculatissimi quidem inter Græcos consecutionem hanc introspexerint, qui nempe vel contrariam opinionem & praxim sequuti sunt, vel saltem permiserunt. Ita S. Athanasius Decretorum Concilii Nicæni testis oculatus, S. Basilius, S. Cyrillus Hierosolymitanus, quorum verba superius exposuimus. Sanctus vero Epiphanius in exposi-tione fidei Catholicæ diserte affirmat, "aliquos esse qui præter Ecclesiæ consuetudinem ac citra Concilii generalis decretum, eos, qui ab Arianis ad suas partes transeunt, iterum baptisare, nihil verentur; cum nondum ea res universalis Synodi judicio decisa sit." An vero id tam secure assereret sanctus ille Doctor, si contrarium statuisset Nicæna Synodus Oecumenica? Tr. 1 p. 1095. A.

Frustra reponeres citatos SS. Patres aut nullum duntaxat dicere quantum ad effectum, baptisma collatum ab Hæreticis, non vero quantum ad substantiam; aut eos Concilii Nicæni definitionem ad œconomiam dumtaxat, non vero ad dogma fidei retulisse.

Namque ex dictis antea, conciliari non potest hæc prima responsio cum verbis SS. Patrum, altera vero difficultatem nostram auget potius, quam minuit. Si enim existimarunt illi, Nicænam Synodum œconomice dumtaxat controversiam hanc considerasse, ergo eam ut dogma fidei non definivit: atqui tamen, judice S. Augustino, in Concilio totius orbis plenario Catholicæ fidei doctrina circa Baptismum ab Hæreticis datum eliquata & finita fuit. Adde quod ex nullo veterum Monumentorum vestigio habeamus, aliquam de causa Donatistarum mentionem in Concilio Nicæno factam fuisse.

Frustra pariter reponeres ex S. Hieronymo Dial. adversus Luciferianos, *Synodum Nicænam omnes Hæreticos suscepisse exceptis Pauli Samosateni discipulis*, & ex sancto Athanasio Epistola de Synodis Ariminensi & Seleuciensi, *Synodum Nicænam cunctas hæreses interemisse*; denique ex Innocentio I. Epistola 22. cap. 5. & Siricio Epistola ad Himerium Tarraconensem Episcopum cap. 1. non alios, juxta Nicænum Canonem, esse rebaptisandos, præter eos, qui cum Paulianistis Baptismatis integram formam non servabant. Tom. 4. pars 2. p. 305.

Frustra, inquam, hæc reponeres, quæ hoc unum ad summum efficiunt, SS. illos Patres ac Pontifices, si unum excipias S. Athanasium, ex canonibus Nicænis intulisse quidem iterandum non esse Baptismum præscripta forma, ut oportet, collatum; at non probant aut rem ipsis visam expresse ac dilucide definitam à Concilio, aut, quod caput est, Concilium Nicænum illud ipsum esse de quo toties in præsenti causa loquitur S. Augustinus: de hac enim facti quæstione hic dumtaxat disputamus, circa quam nostrum suspendimus judicium.

ARTICULUS III.

An Ministri probitas necessaria sit, ut valide, vel licite Sacramenta perficiat.

DOnatistæ an. 310, ut sub aliqua pietatis specie rejicerent consecrationem Cæciliani in Episcopum Carthaginensem, factam à Felice Aptungitano sacrorum Canonum [ut ipsi causabantur] traditore, docuerunt, nulla & irrita plane esse Sacramenta, quæ vel Hæretici extra Ecclesiam, vel improbi in sinu Ecclesiæ contulissent. Ac primo quidem generatim de quolibet improbo Ministro sive publico sive occulto, eos ita censuisse refert S. Augustinus Lib. 2. contra Cresconium c. 28. tum facta distinctione publici & occulti peccatoris, ab occulto dumtaxat, non à publico data To. 9. p. 427.

Sacra

Sacramenta probavere, teste eodem S. Doctore Lib. 2. contra Epistolam Parmeniani cap. 13.

Ibid. p. 43. & seq. Eundem errorem duodecimo Ecclesiæ sæculo amplexi sunt Apostolici, Valdenses, Albigenses, & sub finem 14. Hussitæ & Wiclefitæ, & decimo sexto Anabaptistæ.

Tria verò sunt hic à nobis exponenda.

Primum, an improbus Minister validè Sacramenta perficiat, cùm omnia necessaria ritè observat.

Secundum, an peccet graviter Minister, qui sibi conscius alicujus mortalis peccati, Sacramenta vel ex officio, vel ex necessitate dispensat.

Tertium, an licitum sit Sacramenta petere & recipere ab improbo Ministro.

PRIMA CONCLUSIO.

Improbi Ministri, seu publici seu occulti, qui omnia necessaria ritè observant, Sacramenta validè perficiunt.

Tam affinis est præsens quæstio cum ea quam Articulo secundo expendimus, circa fidem Ministri Sacramentorum necessariam, ut iisdem planè momentis sit definienda. Iisdem enim argumentis demonstramus, nec fidem, nec pietatem in Ministro Sacramentorum absolutè requiri, ut rata sint, quæ perficit Sacramenta; quia nempe Sacramentum vim omnem suam ab ipso Christo mutuatur, non à Ministro: de ipso enim Christo dictum est Joan. 1. v. 33. *Hic est qui baptisat.*

To. 12. Conc. p. 264 B. His momentis antea fusiùs expositis adde definitionem Concilii Constantiensis sess. 45. ubi damnatus est iste Wiclefi articulus n. 4. *Si Episcopus vel Sacerdos existat in peccato mortali, non ordinat, non conficit, non consecrat, non baptisat.*

To. 14. Conc. p. 777. D. Concilium pariter Tridentinum sess. 7. Can. 12. sic statuit: *Si quis dixerit Ministrum in peccato mortali existentem, modo omnia essentialia, quæ ad sacramentum conficiendum aut conferendum pertinent, servaverit, non conficere sacramentum, anathema sit.*

S. Aug. Tom. 3. par. 2. p. 322 G. Ibid. p. 325. A. Eadem fuit S. Augustini mens ac doctrina, quam expressè exposuit Tract. 5. in Joan. ubi principium istud fundamentale statuit n. 6. " aliud nempe esse „baptisare per ministerium, aliud verò per potestatem. „Baptisma enim tale est, qualis est ille in cujus potestate datur: non qualis est ille per cujus ministerium datur. *Et n.* 11. Non exhorreat columba ministerium „malorum, respiciat Domini potestatem. Quid tibi „facit malus Minister, ubi bonus est Dominus? Quid „te impedit malitiosus præco, si est benevolus Judex? „*Et n.* 18. Quod dabatur à Paulo, & quod dabatur à „Petro, Christi est; & si datum est à Juda, Christi erat. „Dedit Judas, & non est baptisatum post Judam; de„dit Joannes, & baptisatum est post Joannem: quia si „datus est à Juda Baptismus, Christi erat; qui autem à „Joanne datus est, Joannis erat.... Non timeo adulte„rum, non ebriosum, non homicidam; quia colum„bam attendo, per quam mihi dicitur, Hic est, qui ba„ptisat.

Ibid. p. 328. F. G. Ibid. p. 329. B. C.

Nicolaus I. Tom. 8. Conc. p. 541. A. Idem docuit Nicolaus I. Summus Pontifex in responsione ad consulta Bulgarorum cap. 71. " Sciscitantibus vobis, *inquit*, si à Sacerdote, qui sive com„prehensus est in adulterio, sive de hoc fama sola re„spersus est, debeatis communionem suscipere, necne; „respondemus, Non potest aliquis quantumcunque „pollutus sit, Sacramenta divina polluere, quæ purga„toria cunctarum remedia contagionum existunt. Non „potest Solis radius per cloacas & latrinas transiens ali„quid exinde contaminationis attrahere; proinde qua„liscunque Sacerdos sit, quæ sancta sunt, coinquinare „non potest: idcirco ab eo, usquequò Episcoporum ju„dicio reprobetur, communio percipienda est; quoniam „mali bona ministrando se tantummodo lædunt; & „cerea fax accensa sibi quidem detrimentum præstat, „aliis verò lumen in tenebris administrat, & unde aliis „commodum exhibet, inde sibi dispendium præbet.

SECUNDA CONCLUSIO.

Peccat graviter Minister, qui cùm sibi conscius est peccati alicujus mortalis, Sacramenta ex officio conficit, aut dispensat.

Probatur: Quia si in Ministris veterum Sacramentorum, quæ nostrorum umbræ ac figuræ dumtaxat erant, tantam Deus exigebat munditiem ac puritatem, quantò major in nostris requiritur? Sanctitas requisita in veteribus sacerdotibus.

Exodi 19. v. 22. *Sacerdotes quoque qui accedunt ad Dominum sanctificentur, ne percutiat eos.*

Levitici 21. v. 6. *Sancti erunt Deo suo, & non polluent nomen ejus; incensum enim Domini & panes Dei sui offerunt, & ideo sancti erunt.*

Et cap. 22. v. 3. *Omnis homo qui accesserit de stirpe vestra* [Aaronis] *ad ea quæ consecrata sunt, & quæ obtulerunt filii Israel Domino, in quo est immunditia, peribit coram Domino.* Magnitudo pœnæ, gravitatem culpæ haud dubiè indicat.

Isaiæ 52. v. 11. *Mundamini qui fertis vasa Domini.*

Ex triplici porro capite requiritur in Ministro sanctitas: scilicet ex sanctitate Christi cujus est Minister; ex sanctitate Sacramenti quod administrat; & ex sanctitate gratiæ quam confert.

Constans hæc est sanctorum Patrum doctrina.

S. Augustinus Concione 1. in Psal. 103. n. 9. de malis Ministris ait: *Videant qualem rationem habituri sunt cum Deo, qui sanctis non sanctè utuntur.* To. 4. p. 1146. D.

Et Tract. 5. in Joan. *Ego dico, & omnes dicimus, quia justos esse oportet tanti Judicis Ministros.* Tom. 3. par. 2. p. 327 D.

Et Lib. 2. contra Epistolam Parmeniani cap. 10. *Omnia*, inquit, *sacramenta, cum obsint indignè tractantibus, prosunt tamen per eos dignè sumentibus.* To. 9. p. 39. C.

S. Gregorius Magnus Lib. 1. Epistola 25. aliàs 24. *Necesse est*, inquit, *ut esse munda studeat manus, quæ diluere sordes curat, ne tacta quæque deterius inquinet.... scriptum namque est, Mundamini qui fertis vasa Domini.* To. 2. p. 508. B.

S. Bernardus Lib. de Conversione ad Clericos cap. 19. *Væ*, inquit, *Ministris infidelibus, qui necdum reconciliati, reconciliationis aliena negotia apprehendunt.*

S. Thomas 3. par. q. 64. art. 6. in corp. " Non est „dubium, *inquit*, quin mali exhibentes se Ministros „Dei & Ecclesiæ in dispensatione sacramentorum pec„cent. Et quia hoc peccatum pertinet ad irreveren„tiam Dei, & contaminationem sacramentorum, „quantum est ex parte ipsius peccatoris, (licèt sacra„menta secundùm seipsa incontaminabilia sint) con„sequens est, quòd tale peccatum ex genere suo sit mor„tale.

Rationem hanc ex sancto Augustino deprompsit Angelicus Doctor: Libro enim 2. contra Epistolam Parmeniani c. 13. sic loquitur: " Unde consequenter „intelligitur perversitatem hominum esse corrigendam, „sanctitatem autem sacramentorum in nullo perverso „esse violandam. Constat enim eam in perversis & sce„leratis hominibus, sive in eis qui intus sunt, sive in eis „qui foris sunt, impollutam atque inviolabilem perma„nere: & quia dicuntur ea mali polluere, quantùm in „ipsis est dicuntur, cùm illa impolluta permaneant, sed „in bonis permanent ad præmium, in malis permanent „ad judicium. Nam & de spiritu qui nullo modo extin„gui potest, dictum est tamen, Spiritum nolite extin„guere; id est, quantùm in vobis est, nolite sic agere „tanquam conemini spiritum extinguere. To. 9. p. 46. A. B.

Catechismus Romanus par. 2. n. 23. " Meminisse „semper debent Pastores, *ait*, Sacramenta divinam „quidem virtutem, quæ illis inest, nunquam amittere;

„at

manam qua Cæcilianus innocens est declaratus, rescissam non fuisse in eo Concilio plenario inde probat S. Doctor, quod totus orbis cum Donatistis non communicet: si vero supposuisset reipsa celebratum tale plenarium universæ Ecclesiæ Concilium, an non magis damnatos ex ipsa Concilii sententia dixisset Donatistas, quàm ex denegata ipsis Ecclesiastica communione?

Repones forsan, Donatistas ad Concilium Arelatense, tanquam ad plenarium provocasse, ac dubium, quod movet S. Augustinus, non spectare convocationem hujus Concilii, sed rescissionem duntaxat prioris sententiæ in judicio Romano pronuntiatæ, quam revera ostendit rescissam non fuisse.

Verum hæc responsio pugnat cum veritate historiæ, ac feria contextus S. Augustini. Neque enim Donatistæ ad Concilium Arelatense provocarunt, sed ad Constantinum, qui dedit illis aliud Arelatense Judicium; neque S. Augustinus de una sententiæ rescissione, sed de ipsa quoque Concilii celebratione loquitur, sicut ex serie ipsius contextus manifestum est: sed, quod amplius est, adducta responsio absonum & absurdum S. Doctori affingit ratiocinium, istud scilicet, "Priorem sententiam Romanam rescissam non fuisse probamus, quia totus Orbis Donatistis non communicat; quod si factum est, id est, si rescissa fuit, etiam ibi Concilio plenario sunt victi." Quæ ista est, quæso, ratiocinii absurditas? si enim rescissa est illa sententia in Concilio plenario, quomodo ibi sunt victi Donatistæ? si autem rescissa non fuit, ut revera non fuit, quare subdubitanter loquitur S. Doctor?

At, inquies, sequitur ex hoc nostro ratiocinio, dubitasse Augustinum an re ipsa plenario totius Orbis Concilio causa Donatistarum finita fuerit, de quo tamen eum dubium non fuisse, certissimum est.

Resp. id duntaxat ex nostro sequi argumento, nempe S. Augustinum dubitasse utrum post Judicium Romanum sub Melchiade, celebratum fuerit plenarium universæ Ecclesiæ Concilium, in quo quæstio facti inter Cæcilianum & Donatistas agitata & definita fuerit; & utrum Judicium Arelatense, quod re ipsa celebratum fuisse noverat, possit in ejus mente dici Concilium plenarium universæ Ecclesiæ. De utroque dubium revera fuisse Augustinum contendimus: at in aliquo universali seu plenario totius Orbis Concilio dogmatis controversiam adversus errorem Donatistarum eliquatam & terminatam fuisse, sive ante sive post Melchiadis Judicium, tam sæpe ac diserte asseruit S. Augustinus, ut absurdus ille foret, qui eum hic dubium & ancipitem induceret.

Si vero quæsieris quodnam ergo sit Concilium illud in mente S. Augustini? Respondemus rem tam obscuram & implicatam videri, ut eam definire non audeamus.

II. Concilium illud non potest esse Nicænū I. Secundo, Concilium Nicænum generale I. an. 325. licet re ipsa œcumenicum fuerit, non videtur tamen illud ipsum fuisse quod sæpius designat S. Augustinus.

Namque in mente S. Augustini, in eo Concilio plenario de quo loquitur, "cunctis remotis dubitationibus ac discussis ambagibus, diligentissima consideratione roborata est, atque ad luculentam illustrationem confirmationemque perducta Catholica de Baptismo Hæreticorum sententia." At nihil tale in Concilio Nicæno factitatum legimus, à quo, vel ipsis non renuentibus adversariis, non clare & aperte, sed duntaxat per consequutionem causa hæc definita dicitur, Canone scilicet 8. quo Novatiani per solam manus impositionem recipiuntur; & Can. 19. quo Paulianistæ redeuntes ad Ecclesiam jubentur baptisari. In primo quippe Canone de solis agitur Novatianis, non de aliis Hæreticis; in posteriori de solis Paulianistis, qui formam Baptismi violabant. Tantum vero abest ut ex illo utroque Canone clare sequatur doctrinam & praxim rebaptisationis proscriptam fuisse, ut ne oculatissimi quidem inter Græcos consecutionem hanc introspexerint, qui nempe vel contrariam opinionem & praxim sequuti sunt, vel saltem permiserunt. Ita S. Athanasius Decretorum Concilii Nicæni testis oculatus, S. Basilius, S. Cyrillus Hierosolymitanus, quorum verba superius exposuimus. Sanctus vero Epiphanius in expositione fidei Catholicæ diserte affirmat, "aliquos esse qui præter Ecclesiæ consuetudinem ac citra Concilii generalis decretum, eos, qui ab Arianis ad suas partes transeunt, iterum baptisare, nihil verentur; cum nondum ea res universalis Synodi judicio decisa sit." An vero id tam secura assereret sanctus ille Doctor, si contrarium statuisset Nicæna Synodus Oecumenica? Tr. 1 p. 1095. A.

Frustra reponeres citatos SS. Patres aut nullum duntaxat dicere quantum ad effectum, baptisma collatum ab Hæreticis, non vero quantum ad substantiam; aut eos Concilii Nicæni definitionem ad œconomiam duntaxat, non vero ad dogma fidei retulisse.

Namque ex dictis antea, conciliari non potest hæc prima responsio cum verbis SS. Patrum, altera vero difficultatem nostram auget potius, quam minuit. Si enim existimarunt illi, Nicænam Synodum œconomica duntaxat controversiam hanc considerasse, ergo eam ut dogma fidei non definivit: atqui tamen, judice S. Augustino, in Concilio totius orbis plenario Catholicæ fidei doctrina circa Baptismum ab Hæreticis datum eliquata & finita fuit. Adde quod ex nullo veterum Monumentorum vestigio habeamus, aliquam de causa Donatistarum mentionem in Concilio Nicæno factam fuisse.

Frustra pariter reponeres ex S. Hieronymo Dial. adversus Luciferianos, *Synodum Nicænam omnes Hæreticos suscepisse exceptis Pauli Samosateni discipulis*; Tom. 4. part 2. p. 305. & ex sancto Athanasio Epistola de Synodis Ariminensi & Seleuciensi, *Synodum Nicænam cunctas hæreses interemisse*; denique ex Innocentio I. Epistola 22. cap. 5. & Siricio Epistola ad Himerium Tarraconensem Episcopum cap. 1. non alios, juxta Nicænum Canonem, esse rebaptisandos, præter eos, qui cum Paulianistis Baptismatis integram formam non servabant.

Frustra, inquam, hæc reponeres, quæ hoc unum ad summum efficiunt, SS. illos Patres ac Pontifices, si unum excipias S. Athanasium, ex canonibus Nicænis intulisse quidem iterandum non esse Baptismum præscripta forma, ut oportet, collatum; at non probant aut rem ipsis visam expresse ac dilucide definitam à Concilio; aut, quod caput est, Concilium Nicænum illud ipsum esse de quo toties in præsenti causa loquitur S. Augustinus: de hac enim facti quæstione hic duntaxat disputamus, circa quam nostrum suspendimus judicium.

ARTICULUS III.

An Ministri probitas necessaria sit, ut valide, vel licite Sacramenta perficiat.

Donatistæ an. 310. ut sub aliqua pietatis specie rejicerent consecrationem Cæciliani in Episcopum Carthaginensem, factam à Felice Aptungitano sacrorum Canonum [ut ipsi causabantur] traditore, docuerunt, nulla & irrita plane esse Sacramenta, quæ vel Hæretici extra Ecclesiam, vel improbi in sinu Ecclesiæ contulissent. Ac primo quidem generatim de quolibet improbo Ministro sive publico sive occulto, eos ita censuisse refert S. Augustinus Lib. 2. contra Cresconium c. 28. tum facta distinctione publici & occulti To. 9. p. peccatoris, ab occulto duntaxat, non à publico data 427.

Sacra

Sacramenta probavere, teste eodem S. Doctore Lib. 2. contra Epistolam Parmeniani cap. 13.

Ibid. p. 43. & seq.

Eundem errorem duodecimo Ecclesiæ sæculo amplexi sunt Apostolici, Valdenses, Albigenses, & sub finem 14. Hussitæ &, Wiclefitæ, & decimo sexto Anabaptistæ.

Tria verò sunt hic à nobis exponenda.

Primum, an improbus Minister validè Sacramenta perficiat, cùm omnia necessaria ritè observat.

Secundum, an peccet graviter Minister, qui sibi conscios alicujus mortalis peccati, Sacramenta vel ex officio, vel ex necessitate dispensat.

Tertium, an licitum sit Sacramenta petere & recipere ab improbo Ministro.

PRIMA CONCLUSIO.

Improbi Ministri, seu publici seu occulti, quia omnia necessaria ritè observant, Sacramenta validè perficiunt.

Tam affinis est præsens quæstio cum ea quam Articulo secundo expendimus, circa fidem Ministri Sacramentorum necessariam, ut iisdem planè momentis sit definienda. Iisdem enim argumentis demonstramus, nec fidem, nec pietatem in Ministro Sacramentorum absolutè requiri, ut rata sint, quæ perficit Sacramenta; quia nempe Sacramentum vim omnem suam ab ipso Christo mutuatur, non à Ministro: de ipso enim Christo dictum est Joan. 1. v. 33. *Hic est qui baptisat.*

To. 12. Conc. p. 164 B

His momentis antea fusiùs expositis adde definitionem Concilii Constantiensis sess. 45. ubi damnatus est iste Wiclefi articulus n. 4. *Si Episcopus vel Sacerdos existat in peccato mortali, non ordinat, non conficit, non consecrat, non baptisat.*

To. 14. Conc. p. 777. D.

Concilium pariter Tridentinum sess. 7. Can. 12. sic statuit: *Si quis dixerit Ministrum in peccato mortali existentem, modò omnia essentialia, quæ ad sacramentum conficiendum aut conferendum pertinent, servaverit, non conficere sacramentum, anathema sit.*

S. Aug. Tom. 3. par. 2. p. 322 G. Ibid. p. 325. A.

Eadem fuit S. Augustini mens ac doctrina, quam expressè exposuit Tract. 5. in Joan. ubi principium istud fundamentale statuit n. 6. "aliud nempe esse „baptisare per ministerium, aliud verò per potestatem. „Baptisma enim tale est, qualis est ille in cujus potesta„te datur: non qualis est ille per cujus ministerium da„tur. *Et n.* 11. Non exhorreat columba ministerium „malorum, respiciat Domini potestatem, Quid tibi „facit malus Minister, ubi bonus est Dominus? Quid „te impedit malitiosus præco, si est benevolus Judex? „*Et n.* 18. Quod dabatur à Paulo, & quod dabatur à „Petro, Christi est; & si datum est à Juda, Christi erat, „Dedit Judas, & non est baptisatum post Judam; de„dit Joannes, & baptisatum est post Joannem: quia si „datus est à Juda Baptismus, Christi erat; qui autem à „Joanne datus est, Joannis erat.... Non timeo adulte„rum, non ebriosum, non homicidam; quia colum„bam attendo, per quam mihi dicitur, Hic est, qui ba„ptisat.

Ibid. p. 328. F. G. Ibid. p. 329. B. C.

Nicolaus I. Tom. 8. Conc. p. 141. A.

Idem docuit Nicolaus I. Summus Pontifex in responsione ad consulta Bulgarorum cap. 71. "Sciscitantibus vobis, *inquit*, si à Sacerdote, qui sive com„prehensus est in adulterio, sive de hoc fama sola re„spersus est, debeatis communionem suscipere, necne; „respondemus, Non potest aliquis quantumcunque „pollutus sit, Sacramenta divina polluere, quæ purga„toria cunctarum remedia contagionum existunt. Non „potest Solis radius per cloacas & latrinas transiens ali„quid exinde contaminationis attrahere; proinde qua„liscunque Sacerdos sit, quæ sancta sunt, coinquinare „non potest: idcirco ab eo, usquequò Episcoporum ju„dicio reprobetur, communio percipienda est; quoniam „mali bona ministrando se tantummodo lædunt: & „cerea fax accensa sibi quidem detrimentum præstat, „aliis verò lumen in tenebris administrat, & unde aliis „commodum exhibet, inde sibi dispendium præbet.

SECUNDA CONCLUSIO.

Peccat graviter Minister, qui cùm sibi conscius est peccati alicujus mortalis, Sacramenta ex officio conficit, aut dispensat.

Sanctitas requisita in veteribus sacerdotibus.

Probatur: Quia si in Ministris veterum Sacramentorum, quæ nostrorum umbræ ac figuræ duntaxat erant, tantam Deus exigebat munditiem ac puritatem, quantò major in nostris requiritur?

Exodi 19. v. 22. *Sacerdotes quoque qui accedunt ad Dominum sanctificentur, ne percutiat eos.*

Levitici 21. v. 6. *Sancti erunt Deo suo, & non polluent nomen ejus: incensum enim Domini & panes Dei sui offerunt, & ideo sancti erunt.*

Et cap. 22. v. 3. *Omnis homo qui accesserit de stirpe vestra* [Aaronis] *ad ea quæ consecrata sunt, & quæ obtulerunt filii Israel Domino, in quo est immunditia, peribit coram Domino.* Magnitudo pœnæ, gravitatem culpæ haud dubiè indicat.

Isaiæ 53. v. 11. *Mundamini qui fertis vasa Domini.*

Ex triplici porro capite requiritur in Ministro sanctitas: scilicet ex sanctitate Christi cujus est Minister; ex sanctitate Sacramenti quod administrat; & ex sanctitate gratiæ quam confert.

Constans hæc est sanctorum Patrum doctrina.

S. Augustinus Concione 1. in Psal. 103. n. 9. de malis Ministris ait: *Videant qualem rationem habituri sunt cum Deo, qui sanctis non sanctè utuntur.* To. 4. p. 1146. D.

Et Tract. 5. in Joan. *Ego dico, & omnes dicimus, quia justos esse oportet tanti Judicis Ministros.* Tom. 3. par. 2. p. 317 D.

Et Lib. 2. contra Epistolam Parmeniani cap. 10. *Omnia, inquit, sacramenta, cum obsint indignè tractantibus, prosunt tamen per eos dignè sumentibus.* To. 9. p. 39. C.

S. Gregorius Magnus Lib. 1. Epistola 25. aliàs 24. *Necesse est*, inquit, *ut esse munda studeat manus, quæ diluere sordes curat, ne tacta quæque deterius inquinet..... scriptum namque est, Mundamini qui fertis vasa Domini.* To. 2. p. 508. B.

S. Bernardus Lib. de Conversione ad Clericos cap. 10. *Væ*, inquit, *Ministris infidelibus, qui necdum reconciliati, reconciliationis aliena negotia apprehendunt.*

S. Thomas 3. par. q. 64. art. 6. in corp. "Non est „dubium, *inquit*, quin mali exhibentes se Ministros „Dei & Ecclesiæ in dispensatione sacramentorum pec„cent. Et quia hoc peccatum pertinet ad irreveren„tiam Dei, & contaminationem sacramentorum, „quantum est ex parte ipsius peccatoris, (licèt sacra„menta secundùm se ipsa incontaminabilia sint) con„sequens est, quòd tale peccatum ex genere suo sit mor„tale.

Rationem hanc ex sancto Augustino deprompsit Angelicus Doctor: Libro enim 2. contra Epistolam Parmeniani c. 13. sic loquitur: "Unde consequenter „intelligitur perversitatem hominum esse corrigendam, „sanctitatem autem sacramentorum in nullo perverso „esse violandam, Constat enim eam in perversis & sce„leratis hominibus, sive in eis qui intus sunt, sive in eis „qui foris sunt, impollutam atque inviolabilem perma„nere: & quia dicuntur ea mali polluere, quantùm in „ipsis est dicuntur, cùm illa impolluta permaneant, sed „in bonis permanent ad præmium, in malis permanent „ad judicium. Nam & de spiritu qui nullo modo extin„gui potest, dictum est tamen, spiritum nolite extin„guere; id est, quantùm in vobis est, nolite sic agere „tanquam conemini spiritum extinguere. To. 9. p. 46. A. B.

Catechismus Romanus par. 2 n. 23. "Meminisse „semper debent Pastores, *ait*, Sacramenta divinam „quidem virtutem, quæ illis inest, nunquam amittere;

„at

"at verò impurè ea ministrantibus æternam perniciem "& mortem afferre. Sancta enim .... sanctè & religiosè "tractanda sunt; Peccatori, ut apud Prophetam, dixit "Deus: Quare tu enarras justitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum? Tu verò odisti disciplinam. Quòd si homini peccatis contaminato minùs "licet de rebus divinis agere, quantum ab eo scelus "concipi existimandum erit, qui sibi multorum scelerum conscius, nec tamen sacra mysteria polluto ore "conficere, vel in fœdas manus sumere, contrectare, at"que aliis porrigere & ministrare vereatur? .... Sancti"tate igitur sacrarum rerum Ministri imprimis se"ctentur, purè ad Sacramenta ministranda accedant, ut "ex eorum frequenti tractatione & usu uberiorem in "dies gratiam, adjuvante Deo, consequantur.

Quapropter Patres Tridentini sess. 13. cap. 7. postquam dixere, non decere ad sacras ullas functiones quemquam accedere, nisi sanctè, mandant, ut nullus Sacerdos sibi conscius alicujus peccati mortalis, quique ex officio celebrare tenetur, ad celebrandum accedat, nisi præmissa sacramentali Confessione. " Ecclesiasti„ca, *inquiunt*, consuetudo declarat, eam probationem „necessariam esse, ut nullus sibi conscius mortalis pec„cati, quantumvis sibi contritus videatur, absque præ„missa sacramentali Confessione ad sacram Eucharis„tiam accedere debeat: quod à Christianis omnibus, „etiam ab iis Sacerdotibus, quibus ex officio incubue„rit celebrare, hæc sancta Synodus perpetuò servan„dum esse decrevit, modò non desit illis copia Confes„soris: quòd si necessitate urgente Sacerdos absque „prævia Confessione celebraverit, quamprimum con„fiteatur.

Tom. 14. Conc. pag. 807. G.

Hoc loco Patres Tridentini non simplex consilium, sed verum dant præceptum; atque istorum verborum, *quamprimum confiteatur*, sensus non est, ut aliqui voluerunt, *cum Sacerdos suo tempore confitebitur*, sed, ut data prima opportunitate confiteatur. Ita declaravit Alexander VII. anno 1666. die 18. Martii Decreto quo inter 45. propositiones, istas 38 & 39. proscripsit. *Mandatum Tridentini factum Sacerdoti sacrificanti ex necessitate cum peccato mortali, confitendi quamprimum, est consilium, non præceptum. Illa particula, quamprimum, intelligitur, cùm Sacerdos suo tempore confitebitur.*

Propositio damnata ab Alexandro VII. Recueil des Bull. p. 463.

Diximus in Conclusione, graviter peccare Ministrum qui ex officio Sacramenta conficit cum alicujus peccati mortalis conscientia: Quid ergo inquies, sentiendum de Ministro qui non ex officio, sed ex necessitate ministrat?

An peccet Minister, cum non ex officio dispensat Sacramenta.

Resp. cum S. Thoma 3. parte q. 64. art. 6. ad 3. eum non peccare: *In articulo necessitatis*, inquit, *non peccaret baptisando, in casu in quo etiam posset laicus baptisare: sic enim patet, quòd non exhiberet se Ministrum Ecclesiæ, sed subveniret necessitatem patienti. Secus autem est in aliis sacramentis, quæ non sunt tantæ necessitatis.* Et in 4. dist. 24. qu. 1. art. 3. in solutione quæstiunculæ quintæ. *Quicunque*, ait, *sanctum ministerium ad quod specialiter deputatus & consecratus est, indignè tractat, reus est gravis peccati.* Ergo qui non ex officio, sed ex necessitate ministerium sacrum exercet, non peccat.

Tom. 10. p. 428. col. 1. D.

Disputant aliqui subtiliùs cum Cajetano, an malus Minister peccet conficiendo dumtaxar, an etiam ministrando Sacramentum. Dubitandi ratio videtur esse, quòd irreverentia spectet maximè actionem per quam v. g. conficitur Eucharistia, non verò eam per quam dispensatur; siquidem olim laicis concedebatur propriis manibus attrectare, & ad alios deferre sacram Eucharistiam.

An peccet Minister conficiendo tantùm non dispensando Sacramenta.

Verùm cùm dispensatio Eucharistiæ ex officio pertineat ad Sacerdotem, atque citata testimonia non de actione tantùm per quam conficitur, sed etiam de ea, per quam ministratur Sacramentum, loquatur, neglecta illa subtiliori quæstione, dicendum gravi culpa non carere qui impuris manibus sacrum Christi Corpus distribuunt.

Ex his facile est inferre, Diaconum qui ex officio Sacerdoti celebranti ministrat, nisi putam habuerit à lethali peccato conscientiam, graviter peccare; quapropter Apostoli Act. 6. non alios viros voluerunt in Diaconos ordinandos, quàm plenos Spiritu S. & sapientia. Unde S. Augustinus Epistola 21. aliàs 148. ait, *nihil esse in hac vita difficilius, laboriosius, periculosius Episcopi, aut Presbyteri, aut Diaconi officio, sed apud Deum nihil beatius*, si rectè obeatur; *si verò perfunctoriè atque adulatoriè, nihil miserius, & tristius, & damnabilius.*

De Diaconis.

To. 2. p. 25. C. D.

Idem de Subdiaconis, alisque inferioribus Ministris ita securè ac certò pronuntiare non possumus, quia certum & exploratum non est apud omnes, illos Ordinum gradus sacros esse, seu vera Sacramenta, quorum officia exercere laici possunt. Verùm summa etiam cura ipsis inferioribus Ministris hoc commendandum, ut quantum fieri potest, nonnisi pura conscientia ad suas exercendas functiones accedant, aliàs indignos se ostenderent qui ad superiores gradus promoverentur.

De Subdiaconis alisque inferioribus Ministris.

Quæres an etiam peccent Sacerdotes, qui cum sint alicujus mortalis peccati rei, ex officio verbum Dei annuntiant.

S Thomas in 4. dist. 19. qu. 2. art. 2. ad 2. quæstionem in responsione ad 4. affirmativè respondet. *Docere*, inquit, *sacram Scripturam dupliciter contingit: uno modo ex officio prælationis....* Alio modo ex officio magisterii, sicut Magistri Theologiæ docent. „Dicunt ergo quidam, quòd ille qui primo modo do„cet, peccat mortaliter si sit in peccato mortali notorio; „non autem ille qui secundo modo docet. Sed hoc est „falsum, quia eorum qui docent sacram Scripturam, est „idem finis, & eorum, qui sacram Scripturam edide„runt: unde cum ad hoc ordinetur Scripturæ editio, ut „ad vitam æternam homo perveniat.... quicumque „impedit finem doctrinæ docendo, peccat; impedit au„tem qui sacram Scripturam in peccato docet, quia „ore profitetur se nosse Deum, factis autem negat. Et „dicendum quod ille qui est in peccato notorio, peccat „sive sic, sive sic doceat; sed ille qui est in peccato occul„to, peccat si primo modo doceat, non autē si secundo.

Qui ex officio verbum Dei docet vel alios corripit, peccat si sit peccati mortalis reus.

Tom. 10. p. 362. col. 1. C. D.

Superiùs in eandem secundam quæstionem docet, eum qui ex officio alium corripit, peccare, si reus sit peccati quod in alio corripit: " Dupliciter, *inquit*, ali„quis corripere potest, uno modo ex officio, sicut Præ„lati corripiunt: & sic videtur prima opinio habere ve„ritatem; quia quandocunque aliquis indignè utitur „officio suo, peccat. Ille autem qui est in mortali pecca„to etiam occulto, indignè utitur officio prælationis, „unde peccat corripiendo, vel quidquid aliud proprii „officii exequatur. Alio modo, *pergit S Doctor*, aliquis „corripit ex zelo charitatis, non ut Ecclesiæ Minister, & „tunc in correptione non potest esse peccatum, nisi ra„tione scandali, quod non consurgit nisi de peccato no„torio.

Ibid. A.

TERTIA CONCLUSIO.

Urgente mortis periculo licitum est à malis Ministris, sive publicis sive occultis, sive toleratis sive non, imò & communiter à Parocho, cui ex officio ministrare incumbit, aut ab alio Sacerdote ad ministrandum parato, quamquam perverso tolerato, Sacramenta petere & accipere, cùm adest justa ea petendi ratio; seclusa autem ea necessitate & causa legitima, non licet.

Primò, licitum esse urgentis mortis necessitate Sacramenta à quocunque Ministro petere & accipere docet S. Augustinus Lib. 6. de Baptismo c. 5. " Potest trade„re separatus, *inquit*, sicut potest habere separatus, sed „quàm perniciosè habere, tam perniciosè tradere. Ille „autem cui tradit, potest salubriter accipere, si ipse non sepa-

Urgente necessitate licet Sacramenta à quolibet Ministro percipere.

To. 9. p. 163. G. Ibid. p. 81. B.

„separatus accipiat: sicut plerisque accidit ut Catholico animo & corde ab unitate pacis non alienato, aliqua necessitate mortis urgentis, in aliquem Hæreticum irruerent, & ab eo Christi baptismum sine illius „perversitate perciperent; & sive defuncti, sive liberati, nequaquam apud eos remanerent, ad quos nunquam corde transierant.

Et Lib. I. cap. 2. dixerat: "Si quem forte coegerit „extrema necessitas, ubi Catholicum, per quem accipiat, non invenerit, & in animo pace Catholica custodita per aliquem extra unitatem Catholicam positum acceperit, quod erat in ipsa Catholica unitate recepturus, si statim etiam de hac vita migraverit, non „eum nisi Catholicum deputamus. Si autem fuerit à „corporali malo morte liberatus, cum se Catholicæ „congregationi etiam corporali præsentia reddiderit, „unde nunquam corde discesserat, non solum non improbamus quod fecit, sed etiam securissime verissimeque laudamus.

Nulla reservatio in articulo mortis. To. 14. Conc. p. 810. C.

Hac de causa Concilium Tridentinum sess. 14. c. 7. ait: *Ne hac ipsa occasione aliquis pereat, in eadem Ecclesia Dei custoditum semper fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis: atque ideo omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes à quibusvis peccatis & censuris absolvere possunt.*

Ordinarie licet percipere Sacramenta ab improbo Ministro tolerato.

Secundo, à quolibet Ministro, quantumvis malo, quamdiu ab Ecclesia tolerattur, licitum esse, si justa adfuerit ratio, accipere Sacramenta, affirmamus.

Nicolaus I. ad consulta Bulgarorum cap. 71. hic Conclusione 1. laudatus: ait enim communionem recipi posse à facinoroso Sacerdote, *usqueque Episcoporum judicio reprobetur.*

Tom. 8. Conc. p. 341. A. Anno 1181. Decret. p. 1005. 40

Lucius III. relatus Lib. 3. Decretal. tit. 2. de *Cohabitatione Clericorum*, cap. Vestra. *Sine dubitatione teneatis*, inquit, *quod a Clericis & Presbyteris, quamquam fornicariis, quamdiu ab Ecclesia tolerantur, nec habent operis evidentiam, licite divina mysteria audiantur, & alia recipiantur Sacramenta Ecclesiastica.*

To. 22. Conc. p. 551. A.

Concilium Basileense an. 1435. sess. 20. innovat Constitutionem Martini datam anno 1418. quæ incipit his verbis, "Ad evitanda scandala, *in qua Martinus „V. sic statuit*: Nemo deinceps à communione alicujus in Sacramentorum participatione vel receptione „aut aliis quibuscunque divinis, prætextu cujuscunque „sententiæ aut censuræ Ecclesiasticæ à jure vel ab homine generaliter promulgatæ, teneatur abstinere, vel „aliquem vitare, aut interdictum Ecclesiasticum observare, nisi censura ...... vel sententia hujusmodi fuerit „facta in vel contra personam, Collegium, Universitatem Ecclesiam, Communitatem vel locum certum à „Judice publicata vel denuntiata specialiter aut expresse, aut si aliquem ita notorie in excommunicationis „sententiam constiterit incidisse, quod nulla possit tergiversatione celari, aut aliquo modo Juris suffragio „excusari.

Crimen notorium esse potest vel jure vel facto.

Concilium Lateranense V. sub Leone X. an. 1512. eandem Constitutionem innovavit, quæ inserta est in Concordatis factis inter Leonem X. S. Pontificem & Franciscum primum Galliarum Regem.

Ex his colliges, crimen aliquod duplici modo publicum ac notorium esse posse, jure scilicet vel facto: jure notorium est, quod probatur vel confessione rei, vel depositione testium & sententia Judicis; facto autem notorium dicitur, quod ita cognitum est ac publicum, ut nulla possit tergiversatione celari. Adducta vero testimonia probant alterutram notorietatem sufficere, ut quis à participatione vel administratione Sacramentorum excludatur, aut excommunicatus vel suspensus habeatur; unde Conc. Trident. sess. 22. in Decreto *de observandis & evitandis in celebratione Missæ*, ait: *Neminem, qui publice & notorie criminosus sit, aut sanctæ altari ministrare, aut sacris interesse permittant* (Episcopi.)

To. 14. Conc. p. 856. E.

Apud Gallos notorietas facti non sufficit.

Nihilominus tamen apud nos sola facti notorietas [in foro saltem externo] non sufficit, ut quis vel excommunicatus, vel suspensus habeatur; sed necessaria est Judicis sententia, qua ille declaretur talem pœnam incurrisse.

Ratio autem hujus secundæ partis nostræ conclusionis est, inquit Sylvius in 3. p. S. Thomæ q. 64. art. 6. q. 3. coclusione 1. & 2. quia qui petit Sacramenta à Parocho cui ex officio ministrare incumbit, utitur jure suo & petit rem bonam quam Parochus potest & tenetur bene facere; qua ratione à culpa excusatur qui mutuum petit ab usurario, necessitate rei suæ domesticæ compulsus. Si tamen Sacramentum ab alio percipi possit, lex charitatis postulatur non detur malo Sacerdoti occasio peccandi per indignam Sacramenti administrationem.

To 9 p. 85 C. D.

Seclusa causa legitima non licet Sacramenta ab improbis Ministris percipere.

Tertio, seclusa causa legitima, non licere Sacramenta percipere à malis Ministris ostendit mox adducta ratio, sicut & auctoritas S. Aug. Lib. I. de Baptismo c. 2. „Si quis, *inquit*, cum possit in ipsa Catholica accipere „per aliquam mentis perversitatem eligit in schismate „baptisari; etiamsi postea venire ad Catholicam cogitat, „quia certus est ibi prodesse Sacramentum, quod alibi „accipi quidem potest, prodesse autem non potest, procul dubio perversus est, iniquus est & tanto perniciosius, quanto scientius. Ita enim non dubitat recte illic „accipi, sicut non dubitat illic prodesse etiam quod alibi acceperit.

Probatur exemplis Sanctorũ

Hoc ipsum persuadent exempla Sanctorum, qui adduci nunquam potuerunt, ut à publicis Hæreticis vel peccatoribus Sacramenta perciperent.

Insigne est exemplum Hermenegildi, qui, referente S. Gregorio Lib. 3. Dialogorum cap. 31. jubente patre occisus est, quod noluisset manu Episcopi Ariani communionem accipere sacrilegæ consecrationis; sic ille Eucharistiam ab Hæretico consectam & porrectam appellabat.

P. 169. A.

Insigne & illud quod narrat Theodoretus Lib. 4. Hist. Eccl. c. 15. de quodam Antiocho magni Eusebii Samosateni nepote, quem in patrui locum cum universi Episcopi Provinciæ elegissent, cumque inter illos forte occurreret Jovinianus Episcopus Bergæ, qui Arianorum communioni aliquo tempore adhæserat, ubi Jovinianum advertit Antiochus capiti suo manus imponentem, dexteram ejus repulit, eumque ex numero consecrantium removeri jussit, contestans se dexteram ejus ferre non posse, quæ Sacramenta per blasphemiam confecta suscepisset.

P. 185. B.

Insigne pariter & illud quod refert eodem Libro c. 23. idem Historicus de Moysa quem Mabia Saracenorum Regina ad fidem conversa Episcopum sibi & suæ genti præfici postulaverat. Cum ille Alexandriam deductus ut Episcopus consecraretur, vidisset Lucium ab Arianis in locum S. Athanasii subintroductum, pesatum ut sibi manus imponeret, exclamavit: *Absit ut ego manu tua ordiner, te enim invocante non supervenit gratia Spiritus S.*

Solvuntur Objectiones.

Ex triplici fonte deducuntur Objectiones contra primam conclusionem.

I. ex Scripturis.

II. ex SS. Patribus, Augustino imprimis.

III. ex rationum momentis.

Objectiones ex Scripturis

Objicies itaque 1. hæc Scripturæ loca.

Ecclesiastici 34. v. 4. *Ab immundo quis mundabitur*: Et v. 30. *Qui baptisatur à mortuo, quid proficit lavatio ejus?*

Psalmo 140. v. 5. *Oleum peccatoris non impinguet caput meum.*

Joan. 9. v. 31. *Scimus autem quia peccatores Deus non audit.*

Matt. 7. v. 17. *Arbor bona fructus bonos facit, arbor mala malos fructus facit.*

Resp. ad primum, sensum litteralem hujus loci esse, ab immundis spiritibus mundari neminem posse, sicut ab iisdem mendacibus nihil veri haberi. Agitur ibi de iis qui somniis, divinationibus, auguriis & visionibus à dæmone immissis fidem incauti & imprudentes adhibent. Vel sensus est, ab immundo idolorum & dæmonum cultu nemo mundari potest; qui profectò sensus à præsenti instituto longè alienus est.

Quòd si ad rem nostram præsentem transferre quis vellet citatam Ecclesiastici sententiam, facile esset distinguere, ut jam superiùs fecimus: nempe, ab immundo qui proprio suo nomine ac propria virtute agit, nemo mundari potest, esto: ab immundo qui agit nomine Christi & Ecclesiæ, ejus ritum debitè, ut oportet, observando, qualis est Sacramentorum Minister, nego.

Ad secundum, jam articulo superiori observavimus, litteralem horum verborum sensum esse, eum qui post attrectatum hominis mortui cadaver, unde legalem immunditiem contraxerat, lavatur, nihil ex ea lotione lucrari, si iterum cadaver illud attrectaverit. Ita fert ipse sacer contextus: *Qui baptisatur à mortuo, & iterum tangit eum, quid proficit lavatio ejus? Sic homo, qui jejunat in peccatis suis, & iterum eadem faciens, quid proficit humiliando se*

To. 9. p. 220. Ad eundem textum quem Donatistæ opponebant, respondebat S. August. Lib. 2. contra Litteras Petiliani cap. 7. eum qui ab impio Ministro baptisatur, à mortuo propterea non baptisari, quia baptisatur Baptismo Christi viventis, non Baptismo hominis mortui. Et Lib. 2. contra Cresconium cap. 24. retorquebat adversus Donatistas exemplum peccatoris occulti, qui etsi spiritualiter mortuus sit, validè tamen baptisat, fatentibus ipsismet Donatistis. Ibid. p. 424.

Ibid. p. 292. Ad tertium reponit idem S. August. Lib. 2. contra Litteras Petiliani cap. 103. laudata verba Psal. 140. de Ministris Sacramentorum nullo pacto intelligi posse, alioquin nullus homo viator ea posset administrare, cùm nullus sit à peccato prorsus immunis; sed ea intelligi debere de adulatoribus, ait enim Psalmista: *corripiet me justus in misericordia, & increpabit me; oleum autem peccatoris non impinguet caput meum*. Hoc est, interprete S. Augustino, malim me sanari misericordi objurgatione, quàm blanda adulatione, tanquam mihi caput urgatur, decipi atque perverti.

Ibid. p. 35. Ad quartum ex cap. 9. S. Joan. respondet S. August. Lib. 2. contra Epistolam Parmeniani cap. 8. hæc verba non esse Christi, sed cæci illius quem Christus curavit, cui quidem oculi corporis restituti erant, sed oculi cordis nondum patebant, cùm inscitè vel incautè dixit: *Scimus autem, quia Deus peccatores non audit.*

Ibid. p. 219. Ad quintum respondet idem S. Doctor Lib. 2. contra Litteras Petiliani capite 6. Ministrum, quamquam improbum, non esse arborem malam, quia arbor mala est homo de suo faciens, non verò ex virtute Christi: at Minister Sacramentorum non ex sua, sed ex virtute Christi in Sacramentis operatur.

Objectiones ex SS. PP. Objicies 2. auctoritatem S. Augustini, qui multis in locis videtur docere per malos Ministros Spiritum S. conferri, ac veniam peccatorum concedi non posse; unde consequens est S. Doctorem existimasse non posse malos validè Sacramenta perficere. Cùm enim ex dictis qu. 5. art. 1. non alia sit Ministri, quàm & Sacramenti ipsius actio, si ratum ac validum est Sacramentum quod malus Minister conficit, effectum gratiæ spiritualis consequenter producit, cùm nihil obstat ex parte suscipientis; si verò eum non producit, nullum ac irritum dici debet Sacramentum.

S. Aug. Antecedens ostenditur verbis ipsius S. Augustini.

Tom. 9. 156. B. Lib. 5. de Baptismo contra Donatistas c. 22. "Proinde, *inquit*, consentimus Cypriano, Hæreticos re„missionem dare non posse; Baptismum autem dare „posse, quod quidem illis & dantibus & accipientibus „valeat ad perniciem, tanquam tanto munere Dei malè „utentibus; sicut etiam maligni & invidi, quos & in„tus esse ipsa testatur, remissionem peccatorum dare „non possunt, cùm eos Baptismum dare posse omnes „fateantur.

Et Lib. 3. cap. 18. loquens de malis Ministris, "Ta„les, *ait*, ipsis Cypriani temporibus baptisabant, quos „Coepiscopos suos cum magno fuisse gemitu confite„tur..., remissam tamen peccatorum non dabant, quæ „per orationes Sanctorum, id est, per columbæ gemi„tus datur,... Non enim raptoribus ac fœneratoribus „diceret Dominus, Si cui dimiseritis peccata, dimitten„tur illi; si cui tenueritis, tenebuntur. Foris quidem nec „ligari aliquid potest nec solvi, ubi non sit qui aut ligare „possit aut solvere; sed solvitur qui cum columba fe„cerit pacem; & ligatur, qui cum columba non habet „pacem, sive apertè foris sit, sive intus esse videatur. Ibid. p. 118. C.D.

Lib. 6. cap. 4. "Per hoc, *inquit*, nihil idoneum di„ci, cur non possit malus etiam tradere Baptismum, qui „potest habere; & sicut perniciosè habet, ita etiam per„niciosè tradere; non quia tale aliquid tradit, nec quia „talis tradit, sed quia tali tradit. Nam cùm malus tra„dit bono, id est, in unitatis vinculo veraci conversione „mutato, inter bonum Sacramentum quod traditur, & „bonum Fidelem cui traditur, tradentis malitia non se„parat. Et cùm illi veraciter ad Deum converso pecca„ta dimittuntur, ab eis dimittuntur, quibus ipsa veraci „conversione conjungitur." Audis peccata ab illis dimitti, quibus ille, cui dimittuntur, veraci confessione conjungitur: non ait S. Aug. ea dimitti à malis Ministris. Ibid. p. 163. E.

S. Ambrosius, To. 2. p. 330. D. Accedit S. Ambr. Lib. de initiandis seu de Mysteriis c. 14. ubi ait, *in aliquibus aquam esse mendacem, ac Baptismum perfidorum non mundare, sed polluere.*

S. Hieronymus, To. 3. p. 1671. Accedit & S. Hieronymus in c. 3. Sophoniæ; ait enim, *Sacerdotes qui Eucharistiæ serviunt, impiè agere in legem Christi, putantes Eucharistiam imprecantis verba facere, non vitam; ac necessariam esse tantùm solemnem orationem & non merita Sacerdotum.*

Resp. nego antecedens.

Ad S. Augustinum varia est responsio.

Alii dicunt S. Augustinum negare, eam dumtaxat gratiam ab improbis Ministris conferri, quæ per orationes Sanctorum ac columbæ gemitus à Deo impetratur, non verò eam quæ virtute ipsius Sacramenti producitur.

Alii dicunt hunc esse S. Doctoris sensum, per malos scilicet Ministros gratiam non conferri iis, qui eorum malitiæ participant, non quidem ex defectu virtutis in Ministro, sed dispositionis legitimæ in subjecto percipiente Sacramentum; si enim malus bono Sacramentum administraret, gratiam ipsi haud dubiè communicaret. Explicationem hanc confirmant ex c. 4. L. 6. de Baptismo citato, ubi cum Lovaniensibus legi non debet, *non quia tale aliquid tradit, nec quia talis tradit, sed quia talis tradit*, sed legi debet, *non quia tale aliquid tradit, nec quia talis tradit, sed quia tali tradit*, id est, malo. To. 9. p. 163. E.

Alii reponunt idcirco asseruisse S. Augustinum improbos Ministros gratiam non conferre, quia cùm Minister gratiam hanc non conferat proprio suo nomine ac virtute, sed nomine ac virtute Christi & Ecclesiæ, Ecclesia autem in bonis potissimùm consistat, gratia hæc per columbæ gemitus seu per bonos dari dicitur, non verò per malos; non quòd eam mali suo ministerio non conferant, sed quòd eam non suo, sed alieno nomine, non tanquam proprium, sed alienum bonum conferant; ipsi enim Ecclesiæ concessa est potestas conferendi Spiritum sanctum; Ecclesia autem in nobiliori sui parte, bonis scilicet ac justis, posita est. Hoc sensu dicebat S. Doctor Lib. 3. de Baptismo cap. 18. *Pax Ecclesiæ dimittit peccata, & ab Ecclesiæ pace alienatio tenet peccata, non secundùm arbitrium hominum, sed secundùm arbitrium Dei & orationes Sanctorum spiritalium.*" Ibid. p. 117. F.G.

Ibid. p. 118. A. Ibid. p. 155. F. G. *ritatum.... Pax autem hujus unitatis in solis bonis est.... in malis autem non est, sive foris tumultuentur, sive intus tolerentur.* Et Lib. 5. cap. 21. *Quapropter,* inquit, *Sacramentum gratiæ dat Deus etiam per malos; ipsam verè gratiam nonnisi per seipsum vel per sanctos suos. Et ideo remissionem peccatorum vel per se ipsum facit, vel per illius columbæ membra, quibus ait, Si cui dimiseritis &c.*

Alii denique respondent, S. Augustinum citatis in locis arguere Donatistas argumento, ut ajunt, ad hominem, ex eorum nempe praxi atque sententia. Scilicet rejiciebant Donatistæ Sacramenta ab Hæreticis & publicè peccatoribus data, hoc prætextu, quòd cùm Spiritum S. illi non haberent, eum aliis conferre non possent; porrò nullum esse putabant Sacramentum quoad substantiam, quod Spiritu S. careret: atqui, reponebat S. Doctor, peccatores occulti, raptores, homicidæ &c. Spiritum S. pariter non habent; ergo eum conferre aliis non possunt, ergo nec verum habent & conferunt Sacramentum. Attamen datum ab ipsis Sacramentum non rejiciebant Donatistæ; ergo, concludebat S. Aug. nec rejicere debent datum ab Hæreticis & publicis peccatoribus: par enim est eorum omnium ratio, siquidem omnes illi gratia pariter privati sunt. Ita ferè urgebat

Ibid. p. 124. A. Donatistas Lib. 4. adversus eos cap. 4. *Non itaque,* inquiebat, *Hæreticorum Baptisma acceptamus, quando post eos non baptisamus; sed quod Christi esse cognoscimus, etiam in malis hominibus, sive apertè foris, sive intus occultè separatis, illis in ea re, in qua deviabant, correctis debita veneratione suscipimus. Sicut autem urgeri videor cùm mihi dicitur, Ergo Hæreticus dimittit peccata? sic & ego urgeo cùm dico, Ergo qui cœlestia mandata non servat, avarus, raptor, fœnerator, invidus..... peccata dimittit? Si per vim Sacramenti Dei, sicut ille, ita & ille; si per meritum suum, nec ille, nec ille.*

Ad S. Ambrosium aperta est solutio. Loquitur enim non de ministrante, sed de recipiente Baptismum, qui, si perfidus fuerit, id est, integram fidem non habuerit, mendacem possidet aquam, nec ullum ex ea fructum

T. 2. p. 350. C. spiritualem reportat. *Baptisatus es, ait, in nomine Trinitatis, confessus es Patrem, confessus es Filium & Spiritum sanctum; tene ordinem rerum in hac fide.*

Ad S. Hieronymum, alludit ibi S. Doctor ad litteralem significationem nominis Eucharistiæ, quod gratiarum actionem significat; & docet ad illam ex parte sacerdotis legitimam gratiarum actionem, præter solemnia verba, quibus corpus Christi consecratur, requiri morum innocentiam ac vitæ probitatem.

Objicies 3. nonnulla rationum momenta.

Objectiones ex ratione. I. Nemo dat quod non habet: improbi Ministri non habent Spiritum sanctum; ergo &c.

II. Ad Sacramentum ritè conficiendum requiritur intentio Christi & Ecclesiæ; atqui hanc intentionem non habent improbi Ministri, intentio quippe Christi & Ecclesiæ est, ut pura conscientia accedant ad res sacras tractandas & perficiendas.

III. Improbi jus non habent administrandi Sacramenta.

IV. Si improbi validè Sacramenta conficiunt, sequitur (quod absurdum est) Sacramenta ipsa male esse; quia nempe Sacramentum est actio Ministri illud conficientis: sed actio illa in homine improbo mala est; ergo sacramentum ipsum malum est.

V. Melius est percipere sacramentum à bono, quàm à malo Ministro: ergo sacramentum pendet à privata Ministri probitate.

VI. denique, eodem modo valet & efficax est sacramentum, quo verbum prædicatum: atqui istud vim suam trahit ex peritia & vehementia Oratoris; ergo sacramentum vim suam mutuatur à probitate ministrantis.

Resp. hæc omnia vanas esse ac inanes fallacias.

Ad primum, distinguo: Nemo dat, quod non habet, si agat nomine proprio & ut causa principalis, esto; si agat nomine alieno & ut causa instrumentalis, qualis est Minister Sacramentorum, nego.

Ad secundum, distinguo maj. Ad Sacramentum conficiendum requiritur intentio Ecclesiæ quæ terminetur ad substantiam actionis, id est, requiritur intentio faciendi quod facit Ecclesia, concedo; quæ terminetur ad modum actionis, nego. Distinguo min. Improbi non habent intentionem Christi & Ecclesiæ quæ terminatur ad modum actionis, quia quod ex se bonum est, impiè faciunt, concedo: quæ terminatur ad substantiam actionis, nego. Supponimus enim Ministrum, quamquam improbum, velle facere quod facit Ecclesia.

Ad tertium sic respondebat S. Aug. Lib. 5. contra Donatistas cap. 15. *Multa,* inquit, *contra jus dantur, nec tamen ideo vel nulla vel non data dicuntur. Neque enim & ille qui seculo solis verbis & non factis renuntiat, jure accipit Baptismum, & tamen accipit.* Tr. 9. p. 151. A.

Ad quartum, neganda consecutio; Sacramentum enim semper in se bonum est, quia est Sacramentum Christi. Ad probationem, esto sit major, quæ universim sumpta falsa est: Sacramentum enim quod habet esse permanens, qualis est Eucharistia, propriè non dicitur actio Ministri, quamquam hæc necessaria sit, ut perficiatur Sacramentum. Distinguenda minor propositio: actio illa improbo Ministro mala est, in genere moris, concedo. in genere entis seu Sacramenti, quod Christus per suum Ministrum conficit, nego.

Ad quintum, distinguo: Melius est accipere Sacramentum à bono quàm à malo Ministro, quantùm ad aliquid accessorium & extrinsecum Sacramento, concedo: quantùm ad aliquid substantiale ac intrinsecum, nego. Non diffitemur quidem, melius esse percipere Sacramentum à bono quàm à malo Ministro, duabus potissimùm de causis, I. propter exemplum imitationis, ait S. Aug. L. 3. contra Cresconium cap. 6. 2. propter Ibid. p. bonum impetrationis, quia pius boni Ministri affectus 415. atque orantis devotio potest aliquid spiritualis gratiæ impetrare ei qui Sacramentum percipit: at gratia sacramentalis confertur pro mensura dispositionis subjecti recipientis Sacramentum.

Ad sextum, neganda major & minor propositio. Major quidem, quia sic Christo placuit Sacramenta instituere, ut ex seipsis seu ex opere operato virtutem suam exerant, cùm nihil obest ex parte suscipientis. At non ita est de prædicatione verbi, quæ aliqua ex parte pendet ex facundia Oratoris idonei ad excitandos & movendos audientium affectus. Minor quoque propositio absolutè falsa est; vis enim & efficacia verbi, quod annuntiatur, omnino pendet ab interna Spiritus S. moventis actione: quantumcunque enim Concionator Evangelicus forinsecus intonet, nisi Deus arcano gratiæ illapsu oculos mentis aperiat & cor incliner, nihil in audiente proficiet verbi prædicatio.

Objicies 4. adversus secundam conclusionem: Malus qui Deo ministrat per opera charitatis, ille non peccat: ergo nec ille qui Sacramenta ex officio perficit vel dispensat.

Resp. nego conseq. & paritatem. Disparitas est, quia, inquit S. Thomas 3. parte qu. 64. art. 6. ad 1. *Opera charitatis non sunt aliqua consecratione sanctificata, sed ipsa pertinent ad justitiæ sanctitatem, sicut quædam justitiæ partes, & ideo homo, qui se exhibet Deo Ministrum in operibus charitatis, si sit justus, amplius sanctificatur; si vero sit peccator, per hoc ad sanctitatem disponitur. Sed Sacramenta in se ipsis sanctificationem quamdam habent per mysticam consecrationem, & ideo præexigitur in Ministro sanctitas justitiæ ut congruat suo ministerio.* Et certè si ad exercenda charitatis opera sanctitas præexigeretur, ac peccaret, qui ea opera in statu peccati mortalis exerceret, nusquam ille posset amissam semel gratiam recuperare, &

ad justificationem, ex qua excidit, sese rursum disponere; quia nemo potest se ad justitiam per peccatum præparare. At quantùm istud à dogmate Catholico alienum sit, solus ignorat Lutheranus, qui omnia opera extra charitatem seu gratiam sanctificantem facta veris peccatis annumerat.

Instabis. Si peccant mali Ministri Sacramenta ministrando, peccant & ii, qui ab ipsis Sacramenta percipiunt; eorum quippe peccato sic communicant. *Digni enim sunt morte*, ait Apost. Rom. 1. v. 32. *non solum qui peccata faciunt, sed qui consentiunt facientibus.*

Respondet idem S. Thomas loco mox citato ad 2. *Quòd ille, qui ad Sacramenta accedit, suscipit Sacramenta à Ministro Ecclesiæ, non in quantum est talis persona, sed in quantum est Minister Ecclesiæ. Et ideo quamdiu ab Ecclesia toleratur in ministerio, ille qui ab eo suscipit Sacramentum, non communicat peccato ejus, sed communicat Ecclesiæ quæ eum tanquam Ministrum exhibet. Si verò ab Ecclesia non toleratur, puta cum degradatur, vel excommunicatur, vel suspenditur, peccat qui ab eo accipit Sacramentum, quia communicat peccato ipsius.* Addenda hic exceptio supra memorata, quòd nempe lex charitatis exigit, ut Sacramentum ab alio, quàm ab improbo Ministro percipiatur, cùm id fieri potest absque ullo suscipientis detrimento.

QUÆSTIO OCTAVA.

De subjecto Sacramentorum.

SUbjectum Sacramentorum homo est Sacramentorum capax, de quo tria discutienda nobis sunt.

Primum, an solus homo viator sit Sacramentorum capax.

Secundum, an & quæ intentio requiratur in homine, ut Sacramenta validè percipiat.

Tertium, an & quæ requirantur conditiones, ut licitè & cum fructu homo Sacramenta percipiat.

ARTICULUS I.

An solus homo viator sit Sacramentorum capax.

NOn hìc quæstio est de capacitate tantùm physica & materiali, in eo posita quòd possit homo eos sensibiles ritus in se pati quibus Sacramenta constant, sed de capacitate morali, quæ ex institutione Christi certas exigit adjunctas circumstantias & conditiones.

Nec etiam quæstio est, an solus & quilibet homo sit immediatè & proximè capax cujuslibet Sacramenti: certum quippe est, Baptismum Sacramentorum omnium, ut dicitur, januam esse, nec ad cætera Sacramenta cuiquam absque prævio Baptismate aditum patere posse.

Quæstio itaque est, an solus homo viator moraliter sit capax Sacramentorum novæ Legis, seu immediatè, seu mediatè recipiendorum.

CONCLUSIO,

Solus homo viator subjectum est Sacramentorum capax.

Probatur ex Apostolo Hebr. 5. v. 1. *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis, quæ sunt ad Deum, ut offerat dona & Sacrificia pro peccatis.* Et verò si singula novæ Legis Sacramenta percurramus, manifestum erit ea pro solis hominibus viatoribus instituta fuisse; sunt etenim salutis remedia; sunt canales, per quos cælestis gratia ad nos defluit; sunt media, per quæ ad fidem supernaturalem pervenimus. *Per hæc*, ait Concilium Tridentinum sess. 7. in proœmio, *omnis vera justitia vel incipit, vel cœpta augetur, vel amissa reparatur.* Hæc porro omnia solos spectare possunt homines viatores. Convenienter autem instituta fuisse hæc sensibilia salutis nostræ remedia, superiùs ad secundam hujus Tractatus Quæstionem probavimus. Tom. 14. Conc. p. 776. B.

Quòd verò nonnulli Scholastici hìc solicitè quærunt, an nempe de potentia Dei absoluta possint institui sensibilia quædam Sacramenta, quorum Angeli sint capaces, superfluum & otiosum arbitramur: ab hujusmodi enim quæstionibus, quæ supremam Dei potentiam spectant, & quæ aut nihil, aut parum utilitatis habent ad dogma fidei illustrandum, abstinendum ducimus.

ARTICULUS II.

An & quæ requiratur intentio seu voluntatis consensus, ut quis verè Sacramentum percipiat.

NOn hìc de parvulis, sed de adultis quæstio est: norunt quippe omnes, in parvulis dum baptisantur, sufficere intentionem publicam & generalem Ecclesiæ.

Revocanda porro hìc sunt quæ Articulo 1. superioris Quæstionis observavimus circa objectum & variam intentionis divisionem, cum de Ministro Sacramentorum sermonem habebamus. Ex quibus facilè intelliges, præsens argumentum in eo totum versari, an scilicet in eo qui Sacramentum percipit, sufficiat consensus in extremum ac purè materialem Ecclesiæ ritum, tametsi interiùs reclamet, ac fictè & delusoriè ritum hunc percipere velit, an verò necessarius sit interior ipsius consensus, qui feratur vel simpliciter ad actionem Ecclesiæ, quatenus est Ecclesiæ, & sub ea reflexa voluntate; vel ad eam quatenus est verum Sacramentum; vel deinque quatenus est efficax & productiva gratiæ sanctificantis.

Qua in controversia omnes de his tribus capitibus consentiunt.

I. Ad percipiendum Sacramenti fructum, nempe sanctificantem gratiam, necessarium plenè esse recipientis consensum: quia docent Patres Tridentini sess. 6. c. 7. *Justificationem esse renovationem interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiæ & donorum.* Tom. 14. Conc. p. 759. C.

II. Consentiunt ad veritatem Sacramenti Eucharistiæ, necessariam non esse suscipientis intentionem, quia Sacramentum hoc in re permanenti consistit, & potest vel casu ab inscio, vel ab invito verum percipi corpus Christi, quamquam sine fructu, cùm hujusmodi perceptio Eucharistiæ verè non sit sacramentalis ad effectum gratiæ producendum ordinata.

III. Fatentur omnes habitualem seu interpretativam voluntatem certis in casibus sufficere ad validam Sacramentorum Baptismi, Pœnitentiæ, & Unctionis extremæ perceptionem.

Disputant igitur 1. an necessarius sit consensus in ritum Ecclesiæ qui percipitur; an sufficiat, ut aliqui loquuntur cum Cajetano, *capacitas sine contrarietate*; hoc est, quod quis merè passivè se habeat, licèt neque velit, neque nolit positivè talem ritum percipere. 2. ad quid ferri seu terminari debeat ille consensus, sicut expositum fuit.

Cajetan. Glossa in Canonem Solet de consecratione dist. 4. & alia Glossa in caput Majores de Baptismo & ejus effectu.

PRIMA CONCLUSIO.

In adulto, ut Sacramenta verè percipiat, requiritur vera & integra intentio, seu consensus voluntatis in ritum Ecclesiæ quem percipit.

Probatur 1. ex Conciliis.

Ex Carthaginensi III. an. 397. cap. 34. ubi jubet, *ægrotantes, si per se respondere non possunt, cum voluntatis eorum testimonium, hi qui sui sunt, periculo proprio dixerint, baptisentur.*

Ex Carthaginensi IV. an. 398. cap. 76. Is, inquit, qui

Tom. 2. Conc. p. 1172. A. Ibid. p. 1101. E. *qui pœnitentiam in infirmitate petit, si casu, dum ad eum Sacerdos invitatus venit, oppressus infirmitate obmutuerit, vel in phrenesim versus fuerit, dent testimonium qui eum audierunt, & accipiat pœnitentiam.*

Tom. 3. Conc. p. 1449. E. Ex Arausicano I. an. 442. Can. 12. quo sic statuit: *Subito obmutescens prout status ejus est, baptisari aut pœnitentiam accipere potest, si voluntatis aut praeteritae testimonium aliorum verbis habet, aut praesentis in suo nutu.*

Tom. 5. Conc. p. 297. D. E. Ex Aurelianensi III. an. 538. Can. 7. *Si invitus*, inquit, *vel reclamans fuerit ordinatus, ab officio quidem deponatur, sed non à communione pellatur. Episcopus autem qui invitum aut reclamantem praesumpserit ordinare, annuali pœnitentia subditus Missas facere non praesumat.*

Probatur 2. ex SS. Augustino & Thoma.

S. Aug. To. 9. p. 141. A. S. Augustinus Lib. 4. contra Donatist. cap. 24. inter infantes & adultos, dum baptisantur, istud discriminis esse statuit, quod adulti interrogati pro se respondere teneantur; sufficiat autem susceptores respondere pro infantibus. *Ideo*, ait, *cum alii pro eis* (parvulis) *respondeant, ut impleatur erga eos celebratio Sacramenti, valet utique ad eorum consecrationem, quia ipsi respondere non possunt. At si pro eo qui respondere potest alius respondeat, non itidem valet. Ex qua regula illud in Evangelio dictum est, quod omnes, cum legitur, naturaliter movet, aetatem habet, ipse pro se loquatur.*

Ibid. p. 202. C. Et Lib. 7. cap. 53. *Nequaquam*, inquit, *dubitarem habere eos Baptismum, qui ubicunque, & à quibuscunque illud verbis Evangelicis consecratum, sine sua simulatione & cum aliqua fide accepissent.* Quo in loco per fidem intelligit sanctus Doctor, intentionem seu voluntatem percipiendi Sacramentum. Quo sensu Epistola 98. ad Bonifacium alias 23. ait: *Nec te moveat,* To. 2. p. 265. F. *quòd quidam non ea fide ad Baptismum percipiendum parvulos ferunt, ut gratia spiritali ad vitam regenerentur aeternam.*

S. Tho. T. 10. p. 91. col. 2. D. E. S. Thomas in 4. dist. 6. qu. 1. art. 2. quaestiunc. 3. „In adultis, *inquit*, & in habentibus usum rationis, in „quibus potest esse contraria voluntas actu vel habitu, „requiritur & contritio sive devotio ad percipiendam „rem Sacramenti, & intentio vel voluntas ad recipien„dum Sacramentum. In pueris autem absque utroque „percipitur & Sacramentum, & res Sacramenti; & si„militer est in carentibus usu rationis, nisi contraria vo„luntas habitu insit, etsi non actu. Tamen sciendum, „quòd non requiritur in adulto voluntas absoluta susci„piendi quod Ecclesia confert, sed sufficit voluntas con„ditionata, sicut est in voluntariis mixtis ... Et ideo si sit „coactio sufficiens, ita quòd principium sit ex toto ex„tra nihil conferente vim passo, (ut cùm aliquis recla„mans immergitur violenter) tunc talis nec Sacra„mentum suscipit, nec rem Sacramenti: Si autem sit „coactio inducens sicut minis vel flagellis, ita quòd ba„ptisatus potius eligat Baptismum suscipere, quàm talia „pati, tunc suscipit Sacramentum, sed non rem Sacra„menti.

Et in Summa q. 68. art. 7. ad 2. *Dicendum*, inquit, *quod si in adulto deesset intentio suscipiendi Sacramentum, esset rebaptisandus: si tamen hoc non constaret, esset dicendum, Si non es baptisatus, ego te baptiso.*

Et in Supplemento q. 45. art. 4. in corp. *Sicut se habet ablutio exterior ad Baptismum, ita se habet expressio verborum ad hoc Sacramentum* (Matrimonii) *unde sicut si aliquis ablutionem exteriorem reciperet, non intendens recipere Sacramentum, sed ludum & dolum facere, non esset baptisatus, ita expressio verborum sine interiori consensu Matrimonium non facit.*

Probatur 3. ex SS. Pontificibus Innocentio III, IV. & Paulo V.

Innocentius III. cap. *Majores*, de Baptismo & ejus effectu Lib. 3. Decretalium titulo 42 consultus ab Arelatensi Archiepiscopo circa Baptismum amentibus, dormientibus, invitis ac reluctantibus datum sic respondet: " Sunt autem nonnulli, qui dicunt, quòd Sa- Decret. p. 1356. n. 40. „cramenta quae per se sortiuntur effectum ut Baptismus „& Ordo caetera que similia, non solùm dormientibus, „& amentibus, sed invitis & contradicentibus, etsi non „quantùm ad rem, quantùm tamen ad characterem „conferuntur, cùm non solùm parvuli, qui non consen„tiunt, sed & ficti, qui quamvis ore, corde tamen dis„sentiunt, recipiant Sacramentum. Sed opponitur ta„libus, quòd qui fuissent inviti & reluctantes immersi, „saltem ratione Sacramenti ad jurisdictionem Ecclesia„sticam pertinerent; unde ad servandam regulam fidei „Christianae forent rationabiliter compellendi. Verùm „id est Religioni Christianae contrarium, ut semper „invitus & penitus contradicens ad recipiendam & ser„vandam Christianitatem aliquis compellatur. Propter „quod inter invitum & invitum, coactum & coactum, „alii non absurdè distinguunt; quòd is, qui terroribus, „atque suppliciis violenter attrahitur, & ne detrimen„tum incurrat, Baptismi suscipit Sacramentum, talis „(sicut & is qui fictè ad Baptismum accedit) characte„rem suscipit Christianitatis impressum, & ipse tan„quam conditionaliter volens, licèt absolutè non ve„lit, cogendus est ad observantiam fidei Christianae; in „quo casu debet intelligi decretum Concilii Toletani, „ubi dicitur, quòd qui jam pridem ad Christianitatem „coacti sunt, sicut factum est temporibus religiosissimi „Principis Sisibuti, quia jam constat eos Sacramentis „divinis associatos, & Baptismi gratiam suscepisse, & „chrismate unctos esse, & corporis Domini extitisse „participes, oportet, ut fidem, quam necessitate susce„perint, tenere cogantur ... Ille verò qui nunquam con„sentit, sed penitus contradicit, nec rem, nec characte„rem suscipit Sacramenti; quia plus est expressè con„tradicere, quàm minimè consentire: sicut nec ille „notam alicujus reatus incurrit, qui contradicens peni„tus & reclamans thurificare idolis cogitur violenter. „Dormientes autem & amentes, si priusquam amen„tiam incurrerent, aut dormirent, in contradictione „persisterent, quia in eis intelligitur contradictionis „propositum perdurare, etsi fuerint sic immersi, cha„racterem non suscipiunt Sacramenti; secus autem si „priùs Catechumeni extitissent, & habuissent proposi„tum baptisandi: unde tales in necessitatis articulo con„suevit Ecclesia baptisare. Tunc ergo characterem sa„cramentalis imprimit operatio, cùm obicem volunta„tis contrariae non invenit obsistentem.

En integra circa propositam quaestionem Romani Pontificis responsio, ex qua haec habes.

I. Eos qui simpliciter & omnino inviti ac reluctantes baptisantur, verè non baptisari, nec proinde cogi posse ad Legem Christianam observandam, quemadmodum rei non sunt idololatriae, qui planè inviti ac reclamantes coguntur exteriùs thus idolis adolere.

II. Eos qui tantùm inviti sunt secundùm quid, seu qui minis aut tormentis adducuntur, ut magis eligant baptisari, quàm cruciari, eos, inquam, tanquam conditionaliter volentes validè baptisari; ac si postea reluctentur, sibique illatam violentiam obtendant, nihilominus ad Christianam Legem observandam cogendos esse, quia sufficienter in Baptismum consenserunt.

III. Dormientes & amentes, qui nusquam Baptismum petierunt, imò qui reluctati sunt, si hac durante resistentia baptisentur, verè non baptisari; secus verò si postquam Baptismum petierunt, in amentiam & phraenesim versi sunt; quo casu tanquam infantes baptisari validè possunt ac debent.

IV. Cùm Innocentius III. ait *characterem imprimi per sacramentalem operationem, quando hac obicem voluntatis contraria non invenit obsistentem*, sensus ejus non est, sufficere ad veritatem recepti baptismatis, quòd caeteriùs homo non contradicat, quasi vellet interiorem consensum non esse necessarium, utrumque enim

exigit Summus Pontifex, & non resistentiam externam, & internum consensum: *Qui nunquam consentit*, inquit, *sed penitus contradicit, nec rem, nec characterem suscipit Sacramenti.* In ea igitur non resistentia seu contradictione externa includit ac supponit Innocentius positivum voluntatis consensum.

Innocentius IV. in tertium Librum Decretalium titulo, *De Baptismo & ejus effectu* q. 10. expressè docet, eum qui sine consensu baptisatur, aut Matrimonium contrahit, nec baptisari, nec Matrimonium contrahere.

Paulus V. in Rituali Romano cavet, ne adultus, qui in amentiam aut subitum morbum incidit, baptisetur, nisi prius, cùm sui compos erat, Baptismum petierit.

Probatur 4. ratione & inductione per singula Sacramenta. Sicut enim ad suavem Dei providentiam pertinet, non justificare adultum, nec ipsi ampliorem gratiam conferre, nisi ipse ex animo consentiat; ita pariter nullus adultus Sacramentis initiari, ac per ea certas quasdam obligationes potest contrahere, nisi ipse voluerit seu consenserit: quòd si singula percurrantur Sacramenta, facilè patebit, hanc esse eorum naturam, ut consensum exigant illius cui ministrantur. Ac primò quidem consensum hunc postulant Sacramenta, quæ characterem imprimunt; aliàs cùm hæc iterari non possint, invitis ac animo reluctantibus data characterem necessariò imprimerent, & consequenter cogendi illi forent ad ea implenda officia, quibus obstricti tenentur quotquot ea perceperunt Sacramenta: at nemo planè invitus nec consentiens ad ea cogi potest, ut docet Innocentius III. Secundò, de Matrimonio & Pœnitentia, res quoque manifesta videtur. Namque Matrimonium essentialiter consistit in unione animorum, quam sine vero & interiori consensu vix concipias. Pœnitentia autem necessariò includit actus pœnitentis tanquam materiam, nempe Contritionem, Confessionem, & Satisfactionem: an verò sine interno animi motu ac consensu hæc fieri possunt? Tertiò, Eucharistia equidem in suo esse non pendet ab intentione suscipientis, quia habet esse permanens, & ab invito seu ignaro sumi realiter potest; verùm hujusmodi sumptio materialis est, non sacramentalis ad effectum Sacramenti percipiendum ordinata. Denique in extrema Unctione percipienda, etsi Ecclesia non exigat actualem voluntatem, nihilominus interpretativam supponit, igitur ut quis Sacramenta validè percipiat, debet ex animo consentire in eum Ecclesiæ ritum quem percipit.

SECUNDA CONCLUSIO.

Non sufficit in adulto intentio percipiendi merè externum ac materialem Ecclesiæ ritum, nec etiam requiritur, ut eum expressè tanquam verum Sacramentum intendat, sed sufficit ut ex animo ac generatim velit percipere id quod facit Ecclesia.

Conclusio hæc tam affinis est ac connexa cum iis, quæ suprà de intentione Ministri necessaria dicta sunt, ut non tam probanda, quàm paucis exponenda videatur.

Si quis itaque externo Ecclesiæ Sacramento exteriùs dumtaxat se subjiceret, interiùs tamen fictè ac illusoriè vellet agere, ille verum non perciperet coram Deo Sacramentum: quia tamen exteriùs eodem modo se gerit, ac si vellet reipsa Sacramentum percipere, coram Ecclesia, quæ de internis non judicat, præsumitur verum percepisse Sacramentum, ac consequenter censuris ac pœnis Ecclesiasticis cogendus foret ad ea omnia observanda, quibus tenentur, qui Sacramentorum fiunt participes. Neque, ut aliàs observavimus, ei, qui contestaretur se in Sacramenti perceptionem verè & ex animo non consensisse, fides tam facilè habenda foret, aut ab obligatione, quam exteriùs contraxit, tanquam liber dimittendus, [quantis enim abusibus & incommodis sic aditus aperiretur!] sed cogendus potiùs ut suo consensu ratum tandem faciat, quod ejus defectu irritum fuerat, Matrimonium v.g. Votum solemne &c. Quod si de Baptismo ageretur, (quod certè rarum est) conferendus iterum foret sub conditione, sicut docet sanctus Thomas q. 68. articulo 7. ad 1.

Necesse tamen absolutè non est, ut qui ritum externum Ecclesiæ percipit, eum intendat vel quatenus Sacramentum est, vel quatenus sanctificantem gratiam impertitur; sed satis est quod verè & ex animo velit ritum hunc generatim suscipere, quatenus est ritus Ecclesiæ; seu velit percipere id quod facit Ecclesia. Revoca, quæ superiùs dicta sunt, ubi de intentione Ministri.

TERTIA CONCLUSIO.

In aliquibus Sacramentis percipiendis v.g. Baptismo, Confirmatione, Pœnitentia, Unctione extrema, actualis aut virtualis non requiritur, sed interpretativa sufficit intentio recipientis.

Probatur ex Canonibus Conciliorum Conclusione 1. laudatis. In illis etenim qui subita vi morbi oppressi obmutescunt, aut sui compotes amplius non sunt, haud dubiè nec actualis nec virtualis adest intentio, seu voluntas percipiendi Sacramentum Baptismatis, vel Absolutionis, vel Unctionis extremæ: constanti nihilominus piæ matris Ecclesiæ usu ea Sacramenta ipsis conceduntur, cùm aliquo testimonio constat, quod ea sani postulaverint; ergo Ecclesia existimat his in casibus interpretativam sufficere intentionem ad Sacramentum non tantùm validè, sed etiam cum fructu percipiendum.

Ex quo inferes diversa planè ratione præteritam voluntatem sufficere ad veritatem Sacramenti ex parte Ministri, & ex parte recipientis. Nam ex parte Ministri, debet illa voluntas manere virtute, hoc est, ex illa proximè vel remotè derivari debet administratio Sacramenti; ex parte verò recipientis, satis est, si voluntas illa præcesserit, nec usquam contraria fuerit: necesse verò non est, ut ex illa homo moveatur ad perceptionem Sacramenti

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objicies 1. contra primam Conclusionem, multa exempla sacrarum Ordinationum, quæ invitis ac planè reluctantibus datæ, approbatæ ac ratæ fuerunt.

Inter hæc duo sufficiant exempla.

Primum est Macedonii Ascetæ, de quo Theodoretus in Religiosa Historia cap. 13. „ Postquam magnus "Flavianus magno Dei gregi (*Antiochenæ Ecclesiæ*) "Pastor est ordinatus, & viri (*Macedonii*) virtutem "cognovit, ... de montis illum vertice per speciem ob"jectæ accusationis abduxit, & sub mysticum Sacrifici"um Altari admovit, cooptavitque in numerum Sacer"dotum. Cumque peracta liturgia hoc illi quidam indi"cassent (ignorabat enim prorsus quid egissent) pri"mùm quidem conviciis verbisque asperis proscidit "universos; deinde arrepto baculo, quo innixus pro"pter senium incedebat, Pontificem ipsum, & alios qui "aderant insecutus est, Ordinationem hanc ratus mon"tis verticem sibi optatamq; habitationem erepturam. "Sed tum quidem sic indignantem ægrè tandem ami"ci quidam sedaverunt. Expleto autem hebdomadæ "curriculo, cùm rediisset dies Dominicus, iterum evo"cat illum magnus Flavianus, rogatque ut celebrationi "cum ipsis interesit. Tum ille ad eos, qui venerant, An "vobis, ait, non sufficiunt quæ jam acta sunt, sed iterum "me Presbyterum creare vultis? Et respondentibus il"lis fieri non posse, ut bis eadem fiat manuum imposi"tio, non acquievit. „ Hæc Theodoretus.

Secun-

Secundum exemplum est Paulinianus frater sancti Hieronymi, " quem, *ait sanctus Epiphanius in Epi-„stola ad Joannem Herosolimitanum inter Hierony-„mianas* 110 *alias* 60, ignorantem & nullam peni-„tus habentem suspicionem, per multos Diaconos ap-„prehendi jussimus, & teneri os ejus, ne forte liberare „se cupiens, adjuraret nos per nomen Christi: & pri-„mum Diaconum ordinavimus, proponentes ei timo-„rem Dei, & compellentes ut ministraret, valde quip-„pe obnitebatur, indignum se esse contestans. Vix „ergo compulimus eum, & persuadere potuimus testi-„moniis Scripturarum, & propositione mandatorum „Dei; & cum ministraret in sanctis Sacrificiis, rursus „eum ingenti difficultate, tento ore ejus, ordinavi-„mus Presbyterum, & iisdem verbis quibus ante sua-„seramus, impulimus ut sederet in ordine Presbyterii. Hæc S. Epiphanius.

Tom. 4 part. 2. p. 823.

Resp. duplex esse posse genus hominum qui inviti ac reluctantes ordinantur.

Duobus modis potest quis invitus Sacramentum percipere.

Primum eorum, qui nec precibus, nec minis, nec adhortationibus possunt unquam adduci ut impositionem manus percipiant aut qui plane ignari ac inscii eam percipiunt. Hi omnino ac simpliciter inviti dicendi sunt, nec rata & valida haberetur hujusmodi hominibus data Ordinatio. Talis fuisse videtur Ordinatio Macedonii in Presbyterum: quapropter Theodoretus postquam hanc Historiam narravit, addit, *Scimus sane non laudandam multis visam iri narrationem.*

T. 3. p. 816. B.

Episcopatum invitiae refugientes ordinabantur.

Alterum eorum est qui ex humilitate, propriæ infirmitatis conscientia, metu ac reverentia sacros Ordines refugiebant, ad quos interdum populi suffragio, votis imperio, precibus, clamoribus vocabantur & impellebantur. Ii primo inviti quidem ac reluctantes erant; ac subinde, ut votis Ecclesiæ & Superiorum voluntati se faciles præberent, consentiebant se ordinari. Ita testetur S. Augustinus Epistola ad Donatum 173. aliàs 104. *Multi* inquit, *ut Episcopatum suscipiant, tenentur inviti, perducuntur, includuntur, custodiuntur, patiuntur quæ nolunt, donec adsit eis voluntas suscipiendi operis boni.* Scilicet, ait S. Gregorius Magnus parte 1. Pastoralis cap. 8 *tunc laudabile fuit Episcopatum quærere, quando per hunc quemque dubium non erat ad supplicia graviora pervenire.* Itaque illo tempore quo quisque plebi melius præerat, primus ad Martyrii tormenta ducebatur: at postquam à persecutoribus respiravit Ecclesia, reddita ipsi pace, viri pietate, sanctitate & scientia illustres, Ecclesiasticas dignitates refugiebant, nedum exambibant. Audiatur S. Cyprianus Epistola 52. ad Antonianum de electione & ordinatione Cornelii in Episcopum Romanum. "E-„piscopatum, *ait*, nec ipse postulavit, nec voluit, nec „ut cæteri, quos arrogantiæ & superbiæ suæ tumor „inflat, invasit; sed quietus & modestus, & quales esse „consueverunt, qui ad hunc locum divinitus eliguntur, „pro pudore virginalis conscientiæ suæ, & pro humi-„litate ingenitæ sibi & custoditæ verecundiæ, non ut „quidem vim fecit, ut Episcopus fieret; sed ipse vim „passus est, ut Episcopatum coactus exciperet.

T. 2. p. 615. B. T. 2. p. 9. A.

Episcopatus primus erat ad martyrium gradus.

S. Cyprianus de electione Cornelii. P. 67.

In usu scilicet erant tunc temporis ista Gregorii Magni, Leonis atque Anthemii Imperatorum effata, nempe, *Tantum ab ambitu debet Antistes esse sepositus, ut quæratur cogendus, rogatus recedat, invitatus refugiat; sola illi suffragetur necessitas excusandi.*

Lege, Quemquam cap. de Episcopis & Clericis.

Qui isto posteriori modo inviti ordinabantur, ii plane ac simpliciter inviti & nolentes dici non debent, sed tantum secundum quid: qui nempe de nolentibus & non consentientibus, volentes & consentientes tandem fiunt, ut Ecclesiæ obsequantur. Pariter qui ad Baptismum adducitur suppliciorum metu, ac magis eligit baptisari, quam ea tormenta subire, ille non simpliciter invitus baptisatur, sed, ut ajunt, secundum quid, eo fere modo quo mercator ingruente tempestate ac mortis periculo, merces suas in mare projicit; quæ projectio non simpliciter & absolute, sed tantum secundum quid involuntaria dicitur.

Objicies 2. auctoritatem S. Augustini duobus in locis. Tract. 26. in Joan, ait: *Intrare quisquam Ecclesiam potest nolens, accedere ad Altare potest nolens, accipere Sacramentum potest nolens; credere non potest nisi volens.* Et Lib. 4. confess. c. 4. narrat amicum suum, cum diu sine sensu jacuisset, nescientem baptizatum fuisse. Quod autem Baptismum antea non desiderasset, videtur innuere S. August. *Nam*, inquit, *a fide vera, quam non germanitus & penitus adolescens tenebat, deflexeram eum in superstitiosas fabellas & perniciosas, propter quas plangebat me mater.*

Tom. 3. pars 2. p. 494 F. T. 1. p. 99. E. F.

Resp. ad primum, Sacramentum illud quod in mente S. Augustini aliquis nolens accipere potest, esse Eucharistiam, quæ cum habeat esse permanens, potest à nesciente vel invito (quamquam sine fructu) percipi. Quod si S. Doctorem de Baptismo etiam locutum fuisse contenderis, dicendum erit eum aut ad infantes alludere, qui sine proprio consensu baptisantur, aut ad adultos, non quidem plene ac simpliciter, sed tantum secundum quid invitos.

Ad secundum: Amicus ille Augustini, quemquem animo erraret, Baptismum nihilominus sanus petierat, quem infirmus ac nesciens percepit, & quem à morbo recreatus ita probavit & confirmavit, ut Augustinum, à quo tunc irridebatur, sustinere non potuerit, sicut ipsemet narrat sanctus Doctor.

Objicies 3. Glossa in caput, *Solet*, de Consecratione dist. 4. & in caput, *Majores*, de Baptismo, docet esse validum *Baptismi Sacramentum ab eo susceptum qui corde dissentit, modo dicat ore se consentire.*

Resp. nullius ponderis ac momenti esse glossam hanc quam Gregorius XIII. expungi jussit.

Objicies 4. Concilium Florentinum tribus dumtaxet dixit Sacramenta perfici, nempe materia, forma & Ministro habente debitam intentionem: si porro suscipientis intentio seu consensus requireretur, non tribus, sed quatuor rebus Sacramenta perfici dixisset.

Resp. Concilium agere tantum de iis quæ necessaria sunt ex parte Ministri, non vero ex parte suscipientis; quare mirum videri non debet, si de intentione suscipiente necessaria nihil dixerit; hæc enim nec in omnibus Sacramentis, puta Eucharistia; nec semper puta in parvulis dum baptisantur, necessaria est. Adde quod in Sacramentis quæ in usu consistunt, suscipiens quodammodo includitur in materia Sacramenti, quatenus scilicet hæc consistit in passione aliqua quæ circa suscipientem exercetur; neque enim concipi potest v. g. Baptismus sine aliquo qui baptizetur.

Instabis 1. Perfectio Sacramenti unicè pendet à Ministro: atqui si necessaria foret ad illius integritatem suscipientis intentio, Sacramenti perfectio penderet non tantùm à Ministro, sed etiam à suscipiente; ergo &c.

Resp. distinguo maj. Perfectio Sacramenti unicè pendet à Ministro, tanquam à causa efficiente ministeriali, concedo; tanquam à conditione necessaria, nego. Distinguo min. ad sensum majoris. Intentio quippe seu consensus illius qui Sacramentum percipit, non est causa perficiens, sed conditio dumtaxat necessaria, ut verum ac ratum sit Sacramentum.

Instababis 2. Quod in uno essentialiter non pertinet ad substantiam Sacramenti, non potest pertinere in alio: atqui intentio suscipientis in infante non pertinet ad substantiam Baptismi; ergo nec in adulto.

Resp. nego maj. neque alia hic quærenda ratio, quàm Christi voluntas, qui sic Baptismum instituit, ut valeat in parvulo sine ipsius proprio consensu, non valeat autem in adulto.

Objicies denique contra 2. Conclusionem: S. Thomas Conclusione 1. laudatus qu. 45. Supplementi articulo 4. docet eum, qui exteriorem ablutionem perciperet, nec intenderet recipere Sacramentum,

baptisatum non fore; ergo exigit S. Doctor in suscipiente intentionem quæ feratur circa ritum Ecclesiæ, quatenus Sacramentum est.

Resp. per Sacramentum S. Doctorem hìc intelligere actionem exteriorem Ecclesiæ, quatenus est Ecclesiæ; atque hoc unum exigere ad veritatem Sacramenti, ut qui illud percipit, non ludum aut dolum velit facere, sed generatim velit percipere ritum Ecclesiæ.

ARTICULUS III.

De dispositionibus necessariis ad Sacramenta validè, aut licitè & cum fructu percipienda.

De valida & licita perceptione Sacramenti movetur hìc quæstio; utrum nempe fides & pietas necessariæ omnino sint, ut Sacramentum & validè, & licitè, seu cum fructu percipiatur.

PRIMA CONCLUSIO.

Fides non est dispositio necessaria ad Sacramenta validè percipienda, una excepta Pœnitentia.

Prima pars probatur 1. ex usu & praxi Ecclesiæ, quæ ratum habuit Baptismum, quem Hæretici legitimo ritu perceperunt.

To. 9. p. 114. F. II. Ex S. Augustino Lib. 3. de Baptismo cap. 14. *Nec interest*, inquit, *cùm de Sacramenti integritate & sanctitate tractatur, quid credat, & quali fide imbutus sit ille, qui accipit Sacramentum. Interest quidem plurimùm ad salutis viam, sed ad Sacramenti quæstionem nihil interest; fieri enim potest, ut homo integrum habeat Sacramentum, & perversam fidem.*

Altera pars, nempe excipiendum hìc esse Sacramentum Pœnitentiæ, probatur: Quia huic Sacramento peculiare istud est, ut idem actus contritionis, quo homo disponitur ad effectum Sacramenti, sit quoque pars materialis, vel quasi materialis ipsius Sacramenti: non potest autem integra esse Sacramenti substantia sine valida materia; at contritio, nisi fidem ac pietatem aliquam includat & præsupponat, nulla planè est.

SECUNDA CONCLUSIO.

Ut Sacramentum licitè ac cum fructu percipiatur, necessariæ sunt præviæ ex fide ac pietate dispositiones.

Probatur ex sancto Augustino mox citato *Interest plurimùm*, inquit, *ad salutis viam, quali* nempe *fide imbutus sit qui Sacramentum percipit.*

To. 14. Conc. p. 777. A. Concilium Tridentinum sess. 7. Can. 6. definit, *Sacramenta novæ Legis continere gratiam quam significant, eamque non ponentibus obicem conferre.* Et Can. Ibid. B. 7. ait, *eam quantum est ex parte Dei omnibus dari.* Supponit igitur Concilium, esse in potestate hominibus oblatam in Sacramentis gratiam non recipere; adeoque nonnullas in ipso prævias requiri ex fide ac pietate dispositiones, ut aliquem ex Sacramentis spiritualem fructum reportare possit.

Dispositiones illas exponit idem Concilium sess. 6. Ibid. p. 718. E. cap. 6. "Disponuntur autem, *inquit*, ad ipsam justi„tiam, dum excitati divina gratia & adjuti, fidem ex „auditu concipientes, liberè moventur in Deum, cre„dentes vera esse quæ divinitus revelata & promissa „sunt; atque illud imprimis, à Deo justificari impium „per gratiam ejus, per redemptionem quæ est in Chri„sto Jesu: & dum peccatores se esse intelligentes, à di„vinæ justitiæ timore, quo utiliter concutiuntur, ad „considerandam Dei misericordiam se convertendo, „in spem eriguntur, fidentes Deum sibi propter Chri„stum propitium fore, illumque tanquam omnis justi„tiæ fontem diligere incipiunt; ac propterea moventur „adversus peccata per odium aliquod & detestationem, „hoc est, per eam pœnitentiam, quam ante Baptismum „agi oportet; denique dum proponunt suscipere Baptis„mum, inchoare novam vitam & servare divina man„data. De hac dispositione scriptum est: Accedentem „ad Deum oportet credere, quia est, & quod inqui„rentibus se remunerator sit. Et, confide, fili, remit„tuntur tibi peccata tua. Et, Timor Domini expellit „peccatum. Et, Pœnitentiam agite, & baptisetur unus„quisque vestrum in nomine Jesu Christi, in remissi„onem peccatorum vestrorum, & accipietis donum „Spiritus sancti. Et, Euntes ergo docete omnes gentes „baptisantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. „docentes eos servare quæcunque mandavi vobis. De„nique, Præparate corda vestra Domino.

SOLVUNTUR OBJECTIONES

Objicies 1. contra primam Conclusionem, Canonem 8. primi Concilii Arelatensis quo statuitur, *ut* Tom. 1. Conc. p. 1428. A. *Afri in Ecclesiam redeuntes denuo baptisentur, si interrogati non responderint Trinitatem.*

Tom. 4. Conc. p. 1013. B. Et in altero Concilio Arelatensi Can. 27. statuitur, *Bonosiacos baptisates in Trinitate, si interrogati fidem nostram ex toto corde confessi fuerint, ... cum chrismate & manus impositione in Ecclesia recipiendos esse.* Supponit igitur utraque hæc Arelatensis Synodus, fidem in suscipiente Baptismum plane necessariam esse, ut ratum & firmum habeatur Sacramentum.

Resp. ad primum, sermonem ibi esse non de fide baptisati, sed de forma Baptismi: *Interrogent eum Symbo-* Tom. 1. Conc. p. 1428. A. *lum*, ajunt Patres Arelatenses, *& si perviderint eum in Patre & Filio & Spiritu S. esse baptisatum, manus ei tantùm imponatur, ut accipiat Spiritum sanctum.*

Ad secundum, non statuit Synodus, ut Bonosiaci iterum baptisentur, si dum à suis baptisati sunt, fidem SS. Trinitatis non sunt professi; sed hoc unum, ut per manuum impositionem in Ecclesiæ sinum non admittantur, nisi priùs se omnes fidei articulos ex animo credere palam profiteantur.

Quamquam & dici meritò potest, Veteres solicitos fuisse de fide illius qui Baptismum percepisset, ut nempe ex ea velut signo & argumento à posteriori cognoscerent, qua forma sive ritu baptisati fuissent; si enim interrogati, fidem Trinitatis non respondissent, gravis fuisset ratio suspicandi, eos in nomine Trinitatis, ut oportet, baptisandos non fuisse. Qua ratione Nicolaus I. respondens ad consulta Bulgarorum cap. 104. vult explorari conditionem baptisantis, an Christianus sit, vel Judæus, vel Paganus, ut inde conjiciatur, quo ritu, legitimo vel non legitimo, collatus fuisset Baptismus.

Objicies 2. S. Augustinum Lib. 7. de Baptismo contra Donatistas cap. 53. ubi asserit, valere Baptisma *receptum sine simulatione & cum aliqua fide*; ergo re- To. 9. p. 202. D. quirit fidem ut valeat Baptismatis Sacramentum.

Resp. nomine fidei S. Doctorem hìc intelligere intentionem seu voluntatem recipiendi baptismum, sicut jam antea observavimus ex Epistola S. Doctoris 98. aliàs 23. ad Bonifacium.

Objicies 3. Optatum Milevitanum Lib. 5. adversus Parmenianum, ubi docet eandem esse necessitatem fidei ex parte suscipientis, quæ invocationis SS. Trinitatis ex parte Ministri: atqui hæc posterior ita necessaria est, ut sine ipsa nullum sit Baptismatis Sacramentum; ergo & prior. *In hoc Sacramento Baptismatis* P. 83. n. 4. *celebrando*, ait Optatus, *tres esse species constat... prima species est in Trinitate, secunda in credente, tertia in operante .... duas video necessarias .... principalem locum Trinitas possidet, sine qua res ipsa non potest geri:*

hanc

hanc sequitur fides credentis. Jam persona operantis vicina est, quæ similis auctoritate esse non potest.... Trinitas enim semper ipsa est, fides in singulis una est; vim suam semper retinent ambæ &c.

Resp. in mente Optati fidem suscipientis esse quidem necessariam, sicut invocationem Trinitatis, sed diverso necessitatis gradu. Invocatio enim Trinitatis absolutè necessaria est, *sine qua*, inquit ille, *res ipsa non potest geri*, quæ proinde *principalem locum obtinet*; at verò fides in suscipiente necessaria est non ad substantiam Sacramenti, sed ad fructum dumtaxat seu effectum ipsius percipiendum. Loqui verò Optatum de fructu

P. 80. num. 1. seu gratia Sacramenti, ostendant hæc ipsius verba; *Quis fidelium nesciat, singulare Baptisma, virtutum esse vitam, criminum mortem, nativitatem immortalem, cœlestis regni comparationem, innocentiæ portum, peccatorum, ut tu dixisti, naufragium. Has res unicuique, non ejusdem rei operarius* (id est Minister) *sed credentis fides & Trinitas præstat.*

Objicies 4. S. Ambrosium Lib. 1. de Spiritu S. cap. 3.

To. 2. p. 608. D. ubi sic loquitur: *Plenum est Baptismatis Sacramentum, si Patrem & Filium, Spiritumque fatearis. Si unum neges, totum subruis. Et quemadmodum si unum in sermone comprehendas, aut Patrem, aut Filium, aut Spiritum S.; fide autem nec Patrem, nec Filium, nec Spiritum S. abneges, plenum est fidei sacramentum. Ita etiam quamvis & Patrem & Filium & Spiritum dicas, & aut Patris, aut Filii, aut Spiritus S. minuas potestatem, vacuum est omne mysterium.* Ergo, judice S. Ambrosio, fides suscipientis necessaria est ad veritatem Sacramenti.

Resp. nego cons. Hæc est S. Doct. mens atque sententia, nempe Sacramentum quoad effectum, seu gratiam, nullum esse, quando sine fide aliisque prævii dispositionibus necessariis percipitur: neque verò alium sensum exprimunt verba ista, *vacuum est omne mysterium.* Quippe cùm res aliqua effectum, ad quem destinata est, non assequitur, nulla & vacua solet appellari; Sacramentum autem institutum à Deo est, ut spiritalem nobis conferat gratiam: cùm igitur hoc suo fine vitio suscipientis defraudatur, vacuum dicitur & inane Sacramentum.

QUÆSTIO ULTIMA.

De Cæremoniis Sacramentorum.

DE cæremoniis seu ritibus Sacramentorum in genere dumtaxat hìc agemus, de singulis pro re nata, ubi de unoquoque Sacramento, dicturi.

Nomen, definitio, ac partitio cæremoniarum.

Nomen.

Cæremoniæ, aut *carimoniæ*, inquit Isidorus Lib. 6.

Edit. Paris. 1605. p. 82. col. 1. A. Etymologiarum c. 19. *apud Latinos dicuntur sacra omnia quæ apud Græcos Orgia vocantur. Propriè autem visum est doctoribus appellari cæremonias, quasi carimonias*; eo quòd quædam cæremoniæ in abstinendo & carendo positæ sunt, qualis erat apud Judæos carere usu carnis suillæ, & omnia ferè vota Nazaræorum, & aliorum qui vini & aliarum multarum rerum usu, ex voto carebant.

Definitio.

Cæremonia rectè definitur vel describitur, Actus externus Religionis, qui ad honorem Dei, ornatum & pompam cultus divini, Sacramentorum dignitatem ac reverentiam, & ad hominum utilitatem refertur.

Cæremonia, inquit Bellarminus Lib. 2. de Sacramen-

To. 3. p. 89. F. tis in genere, Controversia 6, c. 29. "non aliunde habet laudem, nisi quia fit ad Dei honorem. Religio enim, *pergit*, quæ nobilissima est moralium virtutum, tres habet actus, ut quævis alia virtus. Primo, actum internum elicitum, qui est velle Deo debitum honorē, & cultum dare. Secundo, actum externum interno respondentem, qui est quælibet externa actio, quæ non aliunde est bona & laudabilis, nisi quia fit ad Deum colendum, ut Sacrificium, genuflexio, & similia. Tertio, actum imperatum, id est actum cujusvis virtutis, qui à Religione ordinetur ad Dei honorem. Hoc modo jejunia, eleemosynæ, & alia id genus dici possunt actus Religionis quando fiunt ad colendum Deum, licet aliquando sint etiam actus aliarum virtutum. De hoc tertio actu dixit S. Jacobus c. 1. Religionem esse visitare pupillos, & immaculatum se custodire ab hoc sæculo; & S. Aug. Enchirid. c. 3. dixit, Deum coli fide, spe & charitate. Ex his tribus actibus, primus ullo modo est cæremonia; tertius non est etiam cæremonia, nisi quatenus imperatur à Religione: secundus est propriè & simpliciter cæremonia, & de eo tractamus hoc loco." Hactenus Bellarm.

Partitio Cæremoniarum.

Omnes generatim Sacramentorum cæremoniæ vel præcedunt, vel comitantur, vel subsequuntur administrationem Sacramentorum; unaquæque vero suam laudem habet & utilitatem. Quæ præcedunt, ad gratiam præparant; quæ comitantur, eam clarius exprimunt ac quasi oculis subjiciunt, quæ subsequuntur, in ea jam percepta hominem firmius confirmant. Communi ac trito vocabulo cæremoniæ Sacramentorum appellantur Sacramentalia, quia pertinent ad ritum seu modum administrandi Sacramenta.

Bellarminus loco mox citato paulo explicatius varias cæremoniarum partitiones evolvit. Quinque refert.

"Prima partitio sumitur à fine seu effectu. Quædam Ibid. p. 90. A.
enim instituuntur ad justificandum, ut Sacramenta ..... Quædam ad alios quosdam effectus spirituales, ut ad dæmones coercendos, ut exorcismi, aqua benedicta &c. quædam ad solum ornatum & significationem, ut vestis alba Neophytorum, lumina cereorum &c.

"Secunda partitio sumitur à causa efficiente, id est, ab institutore. Quædam enim sunt ab ipsa natura quodammodo institutæ, quæ dici possunt naturales: quale est respicere in cœlum, tollere manus, flectere genua, tundere pectus; cum Deum oramus: ista enim natura ipsa docet, unde communes etiam Gentilibus & quibuscunque Sectis. Quædam sunt à Deo institutæ, ut multæ in Testamento veteri, & Sacramenta quædam in novo; atque hæ divinæ cæremoniæ appellantur. Quædam denique sunt ab Apostolis, vel eorum successoribus institutæ, quæ dicuntur Ecclesiasticæ....

"Tertia partitio sumitur à causa formali. Quædam enim cæremoniæ sunt immediate cultus Dei, ut sacrificium, oratio, adoratio. Quædam disponunt ad colendum Deum, ut jejunia, cœlibatus, vitæ asperitas &c. Quædam sunt instrumenta divini cultus, ut templa, aræ, calices.

"Quarta partitio à causa materiali, seu ab objecto materiali. Quædam enim cæremoniæ versantur circa personas; ut exorcismi, insufflatio, aspersio cineris &c. Quædam circa tempus, ut dies festi, Vigiliæ, Quadragesima .... Quædam circa modum, ut quod latine Sacramenta ministrentur. Quædam denique circa res ipsas, ut benedictiones aquæ, olei, vestium, palmarum &c.

"Quinta denique partitio sumitur ab accidentibus, ut quod aliæ sint universales, aliæ particulares, ut jejunium Sabbati temporibus S. Aug. servabatur Romæ, non Mediolani; & contra lotio pedum baptismi, servabatur Mediolani, non Romæ. Item aliæ temporales, ut abstinentia à sanguine & suffocato Act. 15. Aliæ perpetuæ, ut ritus Sacramentorum; denique aliæ in præcepto, aliæ liberæ, de quibus vide S. August. Epist. 118." Ita Bellarminus.

Cære-

Cæremoniarum rectitudo & æquitas.

Novatores Lutherani & Calvinistæ multis calumniis ac mendaciis Catholicæ Ecclesiæ cæremonias proscindunt ac deformant, quibus sepositis, vix ulla inter nos superest controversia. Ut igitur ea mendacia & calumnias statim diluamus & occupemus, fatemur.

I. Cæremonias Ecclesiasticas præcipuum non esse cultum, qui Deo impendi debet.

II. Ab iis non pendere essentiam & efficaciam Sacramentorum.

III. Eas vim non habere justificandi, sicut habent Sacramenta.

IV. Minime probari à nobis ritus, si qui forent, qui cum verbo Dei pugnarent.

V. Eos plus æquo multiplicari non debere, ne forte sua multitudine obruant quodammodo Religionem cui servire debent. *Ut enim agricola*, belle ait Bellarminus loco citato cap. 30. *cupiunt in vitibus præter* Ibid. G. *uvas etiam pampinos, quibus ornentur & adjuventur uvæ: sed si nimirum pampini crescant, & impediant potius quam juvent, eos resecant; ita faciendum esse in hujusmodi ritibus docet S. Aug.* Epistula 119. nunc 55.

Neque dicas illum cæremoniarum apparatum contrarium videri simplicitati & veritati divini cultus. *Venit tempus & nunc est*, ait Christus Joan. 4. v. 23. *quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu & veritate.* Ab illa autem adoratione *in spiritu & veritate* avocant tot externæ ac corporales cæremoniæ, quibus gravatur & quasi suffocatur cultus interior ac spiritalis.

Non est, inquam, quod id cum Novatoribus opponas; mox enim patebit, valere plurimum illam cæremoniarum pompam & apparatum, ut mens ad cœlestia erigatur. Adoratio igitur Dei in spiritu & veritate, de qua Joan. 4. non cæremoniis nostris opponitur, sed cultui tum Judaico, qui totus corporalis erat & externus, ac in umbris & figuris positus; tum Samaritano, qui falsitati & errori admixtus erat. Unde paulo ante Dominus dixerat: *Neque in monte hoc*, id est, Garizim, ubi Samaritani adorabant, *neque in Hierosolymis adorabitis Patrem*, ac si diceret: Non coletis Deum deinceps cultu Samaritanorum falso, neque cultu Judaico, præcipue corporali, sed cultu Christiano, qui erit in spiritu & veritate, id est, purus ab omni errore, ac spiritualis in solo exteriori cæremoniarum cortice non inhærens.

Rectas esse ac laudabiles cæremonias quibus utitur Ecclesia, earum necessitas & utilitas demonstrant.

Cæremoniarum necessitas & utilitas

Quæ sint commoda & utilitates cæremoniarum exponit Conc. Tridentinum Sess. 22. de Sacrificio Missæ c. 5. his verbis, "Cum natura hominum ea sit, ut non „facile queat sine adminiculis exterioribus ad rerum di- Tr. 14.
„vinarum meditationem sustolli, propterea pia mater Conc. p.
„Ecclesia ritus quosdam, ut scilicet quædam submissa 854. B.
„voce, clariore in Missa pronuntiarentur, instituit. „Cæremonias item adhibuit, ut mysticas benedictiones, „lumina, thymiamata, vestes, aliaque id genus multa „ex Apostolica disciplina & traditione, quo & majestas „tanti Sacrificii commendaretur, & mentes fidelium „per hæc visibilia Religionis & pietatis signa ad rerum „altissimarum, quæ in hoc sacrificio latent, contem„plationem excitarentur.

Tridentino Concilio succinit Catechismus Romanus jussu ejusdem Concilii adornatus parte 2. num. 16. „His, *inquit*, accedunt cæremoniæ, quæ tametsi præ„termitti sine peccato non possunt, nisi aliud facere ip„sa necessitas cogat; tamen, si quando omittantur, „quoniam rei naturam non attingunt, nihil de vera „Sacramenti ratione imminui credendum est. Ac me„rito quidem à primis usque Ecclesiæ temporibus illud „semper servatum est, ut Sacramenta solemnibus qui„busdam cæremoniis ministrarentur. Primum enim „maxime decuit, sacris mysteriis eum Religionis cul„tum tribuere, ut sancta sancte tractare videremur. „Præterea, quæ Sacramento efficiuntur, cæremoniæ „ipsæ magis declarant, ac veluti ante oculos ponunt, & „earum rerum sanctitatem in animos fidelium altius „imprimunt. Deinde vero mentes illorum, qui eas intu„entur, & diligenter observant, ad sublimium rerum „cogitationem erigunt, fidemque in eis, & charita„tem excitant: quo major cura & diligentia adhiben„da erit, ut fideles vim cæremoniarum quibus singula „Sacramenta conficiuntur, cognitam & perspectam „habeant.

Ex istis tum Concilii, tum Catechismi verbis manifestum est, multum esse cæremoniarum fructum, easque potissimum valere.

I. ad majestatem & reverentiam mysteriis nostræ Religionis conciliandam. Externo enim illo apparatu, ornatu & pompa Ecclesiasticorum rituum, ad cultum, venerationem & obsequium exhibendum homines longe proniores fiunt, quod divina majestas inde magis eorum oculis splendescat.

II. ad pietatem Fidelium promovendam, ac excitandam, nutriendam eorum fidem, notitiam mysteriorum oculis veluti subjiciendam; denique ad excitandum in corde tenerum quemdam Religionis & amoris Dei affectum. Ita quippe homo factus est, ut per externa & sensibilia signa ad spiritualia erigatur. Tam enim à captu nostro remota sunt fidei mysteria, ut nisi indumentis quibusdam veluti circumvestita ob oculos ponantur, mentis attentionem facilè fugiant. "Ad ipsum ig- To. 2. p.
„nem amoris nutriendum & flandum quodammodo, 136 A.
„*ait S. Aug. Epist. 55. alias 119. c. 11.* quo tanquam „pondere sursum vel introrsum referamur ad requiem, „ista omnia pertinent, quæ nobis figuratè insinuantur: „plus enim movent & accendunt amorem, quàm si „nuda sine ullis Sacramentorum similitudinibus pone„rentur. Cujus rei causam difficile est dicere. Sed ta„men ita se habet, ut aliquid per allegoricam significa„tionem intimatum plus moveat, plus delectet, plus „honoretur, quam si verbis propriis diceretur apertissi„me. Credo quod animæ motus quamdiu rebus adhuc „terrenis implicatur, pigrius inflammatur: si vero fera„tur ad similitudines corporales, & inde referatur ad „spiritualia, quæ illis similitudinibus figurantur, ipso „quasi transitu vegetatur, & tanquam in facula ignis „agitatos accenditur, & ardentiore dilectione rapitur „ad quietem." Hæc S. Augustinus.

Describit idem S. Doctor L. 9. Confessionum c. 6. & 7. quos pietatis sensus in se excitari expertus fuerit ex hymnis & canticis Ecclesiæ. „Quantum flevi, *ait*, To. 1. p.
"in hymnis & canticis tuis (*apostrophe est ad Deum*) 162. E.
"suave sonantis Ecclesiæ tuæ vocibus commotus acri"ter! Voces illæ influebant auribus meis, & eliquaba"tur veritas in cor meum, & exæstuabat inde affectus "pietatis, & currebant lachrymæ, & bene mihi erat cum "eis. Non longè cœperat Mediolanensis Ecclesiæ ge"nus hoc consolationis & exhortationis celebrare, ma"gno studio fratrum concinentium vocibus & cordibus. "Nimirum annus erat, aut non multò amplius, cùm "Justina Valentiniani Regis pueri mater, hominem
"tuum Ambrosium persequeretur hæresis suæ causa, Origo
"qua fuerat seducta ab Arianis. Excubabat pia plebs cantus in
"in Ecclesia, mori parata cum Episcopo suo, servo tuo. Ecclesia
"Ibi mater, ancilla tua, sollicitudinis & vigiliarum pri- Mediolanensi.
"mas partes tenens, orationibus vivebat. Nos adhuc "frigidi à calore spiritus tui, excitabamur tamen civita"te attonita atque turbata. Tunc hymni & psalmi, ut "canerentur secundùm morem Orientalium partium, "ne populus mæroris tædio contabesceret, institutum "est, & ex illo in hodiernum retentum, multis jam ac "penè omnibus gregibus tuis, & per cætera Orbis imi"tantibus.

Quin

Externi etiam orantium gestus &c. aliquid utilitatis habent. To. 6. p. 520. A.B.

Quin & externos orantium gestus, ac corporis conformationem aliquid ad pietatem prodesse docet idem S. Aug. L. de cura pro mortuis gerenda cap. 5. num. 7. "Nam, *inquit*, & orantes de membris sui corporis faciunt quod supplicantibus congruit, cùm genua figunt, cùm extendunt manus, vel etiam prosternuntur solo, & si quid aliud visibiliter faciunt, quamvis eorum invisibilis voluntas & cordis intentio Deo nota sit, nec ille indigeat his indiciis, ut humanus ei pandatur animus; sed hinc magis se ipsum excitat homo ad orandum gemendumque humiliùs atque ferventiùs. Et nescio quomodo, cùm hi motus corporis fieri nisi motu animi præcedente non possint, eisdem rursus exteriùs visibiliter factis, ille interior invisibilis, qui eos fecit, augetur; ac per hoc cordis affectus, qui ut fierent ista præcessit, quia facta sunt crescit." Ante S. Aug. jam observaverat Tertullianus, etiam in gestibus ac conformatione corporis Christianos mysteria fidei suæ ab initio expressisse. *Nos*, inquit, *manus non tantùm attollimus, sed etiam expandimus divina passione modulantes*.

III. Utiles sunt ceremoniæ tum ad exponenda, tum ad defendenda fidei nostræ mysteria; quæ enim obscuriùs in Sacramentis, apertiùs per ritus ac cæremonias adjunctas manifestantur. Unde S. Aug. L. 1. de peccat. mer. & rem. cap. 34. & L. 10. in Julianum c. 2. ex exorcismis, qui Baptismum antecedunt, invictè demonstrabat esse in parvulis originale peccatum.

IV. ad conservationem Religionis, divini cultus majestatem, & ad distinctionem Catholicorum ab Hæreticis. Namque 1. Religio per actus externos conservatur: id verò maximè præstant cæremoniæ, ne illa vilescat & contemnetur, sicque paulatim pereat; sed potius efficiunt ut continuo usu trita vigeat & magnis indies efflorescat. 2 Cæremoniæ non immeritò dici possunt ad partem cultus divini pertinere: Homo scilicet qui anima & corpore constat, Deum colere & honorare tenetur tam internis animi, tum externis corporis actionibus. 3. denique, per cæremonias distinguimur ab Hæreticis: illi etenim nonnulla quidem nobiscum communia retinent Sacramenta, sed in ritu ac modo ea solemniter administrandi multùm à nobis dissident. Quòd si nonnulli ex nostris nostrarum cæremoniarum apparatu abutuntur, quasi Religionis summam in illis collocando, eos improbamus; at vitium illud hominis est abutentis, non rei qua abutitur.

Nec vim ullam habet, quod opponunt Novatores, ritus nostros ferè omnes à Judæis acceptos esse, quos etiam Pagani suos sacrilega imitatione fecerunt. Quid tum? An non recti & laudabiles erant ritus Judæorum, quos Deus ipse instituerat? An non licuit Ecclesiæ, ut faciliùs ad unitatem fidei Judæos & Gentiles adduceret, nonnullos eorum ritus retinere, omni sublata specie superstitionis, eos consecrando ac sanctificando? Hac certè prudenti œconomia usi fuere Apostoli in Concilio Hierosolymitano, cùm primis Christianis legem ad tempus imposuerunt abstinendi à sanguine & suffocato, à quibus abhorrebant Judæi, qui tam citò ad oppositam disciplinam transferri non potuissent.

Nec te moveat quòd tam simplici cultu Ecclesia primis sæculis divina mysteria celebraret. Metu enim persecutionum in cryptis ac locis subterraneis absconditi Fideles, sine ullo ferè apparatu Sacra peragere cogebantur: at reddita pace, cùm favente Constantino paulò respiravit, mirum quo magnifico sumptu & erecta templa, & qua pompa ac superbo rituum apparatu divina Officia fuerint celebrata. Lege Eusebium in vita Constantini.

Est-ne aliquarum cæremoniarum quidam spiritualis effectus?

Ita certè; maximè verò signi Crucis, quod in omnibus Sacramentis perficiendis adhiberi docet S. Aug. Tract. 118. in Joan. Cujus vim & efficaciam plurimum extollunt SS. Patres.

Observandum autem cum Bellarmino de Sacramentis in genere L. 2. c. 31. "tribus modis operari signum Crucis in dæmonibus terrendis. Primo, ex apprehensione ipsorum dæmonum; secundo, ex devotione hominis; tertio, idque potissimum, ex instituto Dei, atque adeo, *ut nonnullis placet*, ex opere operato. Ac primum, dubium esse non potest, quin dæmon cum signum Crucis fieri videt, recordetur se Christi cruce devictum, ac proinde horreat illud signum suæ calamitatis, & fugiat ..... Deinde vim habet hoc signum ex pietate & devotione hominis se signantis, eo modo quo vim habet oratio vocalis. Est enim signum Crucis quædam invocatio meritorum Christi crucifixi signo expressa: loquimur enim corde, ore, & nutibus." Tertio ex instituto Dei valet aliquando signum crucis ad dæmones fugandos. Dico, aliquando: neque enim hunc effectum semper, necessario ac infallibiliter annexum habet, sed cum vult Deus, ac providentiæ suæ decretis consentaneum est. Quapropter non eodem modo, quo Sacramenta, efficax est ex opere operato. To. 2. p. 91. D.

Habet ne Ecclesia potestatem instituendi cæremonias?

Observandum cum Bellarmino L. 2. de Sacramentis c. 31. cæremonias quæ ab Ecclesia instituuntur, tribus modis utiles esse posse. 1. *Ad orandum, & repræsentandum aliquod mysterium Religionis, & eo modo juvando rudiores*. 2. *ad morbos curandos & dæmones pellendos, & peccata venialia purganda, & alia id genus, idque per modum impetrationis, ut cum Ecclesia benedicit candelas, aquam, palmas, agros &c. Ista enim valent ad effectus illos ad quos instituuntur ex vi orationum Ecclesiæ*. 3. ad effectus aliquos producendos per applicationem meritorum Christi, atque ita quasi ex opere operato: qui certe modus cæremoniis convenire non videtur; siquidem effectus illos, ut jam dictum est, semper, necessario, ac infallibiliter non operantur. Ibid. F.

Atque his præsuppositis, certum est Ecclesiam habere potestatem instituendi cæremonias.

I. Quia potestatem à Deo accepit promovendi exteriorem Dei cultum, ornandi Sacramenta, instruendi Fideles, & ad pietatem eos informandi: atqui ad hæc omnia conferunt plurimum cæremoniæ, ut patet ex ante dictis.

II. Minorem potestatem haud dubie non habet Ecclesia Christi, quam vetus Judæorum Synagoga: at ista poterat novos ritus, cæremonias, festivitates instituere. Esther 9. Synagoga, auctore Mardochæo, addidit novum festum diem solemnem omnibus celebrandum, quem Deus in Lege non instituerat. Idem factum est tempore Judith; sic enim legimus cap. ultimo, *Dies autem victoriæ hujus festivitatis ab Hebreis in numero sanctorum dierum accipitur, & colitur à Judæis ex illo tempore usque in præsentem diem*. Gen. 28. Jacob novam cæremoniam excogitavit; erexit enim lapidem in titulum fundens oleum desuper, & vocavit nomen loci illius *Bethel*, in memoriam visionis quam in eo loco habuerat.

III. Ipsimet Apostoli Act. 15. in Concilio congregati novam induxerunt disciplinam, nempe ut Gentiles ad fidem conversi abstinerent à sanguine & suffocato, quod certe nusquam Deus jusserat, nisi Judæis. Quin & S. Paulus, interprete S. Aug. Epist. 54. alias 118 potestatem hanc determinandi ea quæ ad decentem Sacramentorum administrationem pertinent, assignavit 1. Cor 11. v. 34. his verbis, *cætera cum venero disponam*: quæ S. Doctor de Eucharistia ante omnem cibum percipienda interpretatur. *Salvator*, inquit, *ideo non præcepit quod deinceps ordine sumeretur, ut Apostolis, per quos Ecclesias dispositurus erat, servaret hunc locum*. To. 2. p. 127 A. B.

IV.

To. 14. Conc. p. 846. D. IV. denique, Ecclesia hanc sibi inesse potestatem & declaravit, & factis demonstravit. Concilium Trid. sess. 21. cap. 2. *declarat, hanc potestatem perpetuo in Ecclesia fuisse, ut in Sacramentorum dispensatione, salva illorum substantia, ea statueret vel mutaret, quæ suscipientium utilitati, seu ipsorum Sacramentorum venerationi, pro rerum, temporum, & locorum varietate, magis expedire judicaret.*

Quam potestatem verbo declaravit Ecclesia sibi competere, eandem quolibet tempore exercuit, ut videre est in antiquis Scriptorum Ecclesiasticorum monumentis, Justino, Tertulliano, Cyrillo Hierosolymitano, Augustino & aliis. Unum hic sufficiat Tertulliani testimonium ex Lib. de Corona c. 3. ubi necessitatem traditionis vindicat, exemplo rerum multarum quas Ecclesia sui temporis observabat, etsi scriptæ non essent. "Ut à Baptismate ingrediar, *inquit*, aquam
P. 102. A. „adituri, ibidem, sed & aliquanto prius in Ecclesia sub „Antistitis manu contestamur nos renuntiare diabolo, „& pompæ, & angelis ejus. Dehinc ter mergitamur, „amplius aliquid respondentes, quam Dominus in E„vangelio determinavit: Inde suscepti, lactis & mellis „concordiam prægustamus, eaque ex die, lavacro quo„tidiano per totam hebdomadam abstinemus. Eucha„ristiæ Sacramentum, & in tempore victus, & omni„bus mandatum à Domino, etiam antelucanis cœtibus, „nec de aliorum manu quam præsidentium sumimus. „Oblationes pro defunctis, pro natalitiis annua die fa„cimus. Die dominica jejunium nefas ducimus, vel „de geniculis adorare. Eadem immunitate à die Paschæ „in Pentecosten usque gaudemus. Calicis aut panis eti„am nostri aliquid decuti in terram anxie patimur. Ad „omnem progressum atque promotum, ad omnem „aditum & exitum, ad calciatum, ad lavacra, ad men„sas, ad lumina, ad cubilia, ad sedilia, quacunque nos „conversatio exercet, frontem crucis signaculo terimus. „Harum & aliarum ejusmodi disciplinarum si legem „expostules Scripturarum, nullam invenies: Traditio „tibi prætendetur auctrix, consuetudo confirmatrix, „& fides observatrix.

Tertullianus varios ibi recenset ritus quos sui temporis Ecclesia usurpabat, inter quos jam nonnulli sunt obsoleti, alii vero etiamnum vigent & observantur. Quis porro nisi hæretico afflatus spiritu dixerit, Ecclesiam, aut non accepisse à Christo potestatem ritus hujusmodi usurpandi; aut eos posse aliquando usurpare, qui mundi & satanæ vanam ac superstitiosam pompam sapiant, sicque vergant in ruinam & perniciem Fidelium? Annon sic impetitur Ecclesiæ sanctitas & inerrantia, quæ vel ignorasset, vel prætergressa fuisset potestatis sibi à Christo concessæ limites, vel ea potestate in ruinam & perniciem Fidelium abusa fuisset?

Necessitas observandi cæremonias ab Ecclesia præscriptas.

Decretum est Concilii Tridentini sess. 7. Can. 13.
Tom 14. Conc. p. 777. E. *Si quis dixerit receptos & approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus in solemni Sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut contemni, aut sine peccato à Ministris pro libito omitti, aut in novos alios per quemcumque Ecclesiarum Pastorem mutari posse, anathema sit.*

Et sess. 22. Can. 7. *Si quis dixerit cæremonias, vestes, & externa signa quibus in Missarum celebratio-*
Ibid. p. 856. *ne Ecclesia Catholica utitur, irritabula impietatis esse magis, quam officia pietatis, anathema sit.*

Ratio est 1. Quia Ecclesiæ in omnibus semper obsequendum est, cui Christus potestatem fecit ritus ac cæremonias instituendi. *Non est enim potestas nisi à Deo*, ait Apostolus Rom. 13. v. 1. & seq. *Quæ autem à Deo sunt, ordinata sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit: qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt.* Et v. 5. *Ideo necessitate subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam.* Et ad Hebr. 13. v. 17. *Obedite præpositis vestris, & subjacete eis: ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri.*

Necesse porrò est eas Sacramentorum cæremonias ritè observare, non tantùm cùm ex earum omissione scandalum sequi posset, sed etiam eo seposito scandalo: quia nempe sic jubet Ecclesia, cujus leges conscientiam ligant, etiam cùm sine scandalo & offensione proximi violari possunt. Siquidem judice S. Aug. Epist. 54. aliàs
Tom. 2. 126. C. 118. *insolentissimæ insaniæ est, disputare an faciendum sit, quod tota per orbem frequentat Ecclesia.*

II. Quia ordo & uniformitas servari debet in Ecclesiastico ministerio; ac necesse foret suis nervis totam dissolvi, deformari ac dissipari Ecclesiæ disciplinam, si privato cuilibet Pastori liberum foret aut antiquatos ritus renovare, aut novos invehere. Quanta foret Reipublicæ Christianæ confusio, si quis v. g. omnes antiquos Pœnitentiæ publicæ vel Catechumenatus gradus in usum revocare jam vellet; aut infantibus Eucharistiam porrigere, aut eam adultis sub duplici specie, vel etiam ipsis in manus domum asportandam præbere? Quisque igitur sedulò eos ritus servare debet, quos
Ibid. p. 124. D. observat Ecclesia in qua vivit. *Neque enim*, ait S. Aug. loco mox citato, *disciplina ulla est in his melior gravi prudentique Christiano, quàm ut eo modo agat, quo agere viderit Ecclesiam ad quam fortè devenerit.....*
Ibid. p. 126. D. *Ipsa quippe mutatio consuetudinis*, ait ibidem, *etiam quæ adjuvat utilitate, novitate perturbat. Quapropter quæ utilis non est, perturbatione infructuosa consequenter noxia est.*

An Ecclesiasticæ cæremoniæ in sua prima institutione, symbolicam seu mysticam & spiritualem significationem contineant.

Duo hic extrema sunt æqualiter declinanda.

Primum eorum, qui non aliam, quàm simplicem, purè litteralem ac historicam assignant cæremoniarum nostrarum originem, nempe aut à decentia cultus divini, aut ab utilitate & commodo earum, aut à locorum & Regionum in quibus Sacra perficiebantur vario usu, aut ea fortuito quodam eventu, aut denique ex relatione ac correspondentia quæ debet esse inter gestum & situm corporis, & verba quæ ore proferuntur; ita certè ut illi nihil omnino in prima earum institutione mysterii deprehendant, v. g. si ab illis sciscitatus fueris unde cereorum ac luminarium usus? Respondebunt ad expellendas tenebras; quia primi Christiani metu persecutionum in locis subterraneis & obscuris latitantes Sacra facere cogebantur: Pariter quis thuris & incensi finis? Ad purgandum, inquiunt, tetrum ac fœtidum odorem qui ex locis illis subterraneis exhalabat, & sanitati nocere poterat. Quòd si urgeas, Ecclesiam usum illum luminarium & incensi etiam retinuisse, quando illi reddita pace, aperto cœlo ac depulsis tenebris, iisque in locis Sacra peragere licebat, in quibus, à fœtido exhalitu nihil erat timendum; ajunt hanc causam esse, tum quòd Ecclesia suorum usuum in Officiis publicis retinentissima sit, ac cujuscunque innovationis inimica; tum quod populi Regionum in quibus publica Officia Ecclesiastica celebrata primùm fuere, aromatibus & incenso plurimùm delectarentur.

Hæc profectò ratio exponendi cæremoniarum originem, jejuna nimis videtur, arida, exsucca, quæ nihil aut fere nihil juvat Fidelium animos in Deum erigendos. Fatendum tamen est simplicem illam, litteralem & historicam cæremoniarum expositionem placere plurimùm ac summo oblectamento esse eruditis ac curiosis antiquitatis exploratoribus; neque morosiùs nos ei repugnabimus; modò suus etiam ipsis servetur mysticus ac symbolicus explicandi modus, unde crescit ac nutritur Fidelium pietas ac Religio. Eo in argumento sese felici-

feliciter exercuit eruditorum, qui de rebus Liturgicis scripsere, industria; imprimis verò D. Claudii de Vert Ordinis Cluniacensis Religiosi, in Opere Gallico cui titulum fecit, *Explication simple, litterale & historique des Ceremonies de l'Eglise*. Parisiis 4. Tomis in 8. apud Florentinum Delaulne.

Alterum extremum illorum est, qui neglecta, ne dicam improbata, illa litterali & historica origine cæremoniarum, unicè ad mysticam & symbolicam earum significationem attendunt, ac in minutissimis quibusque rebus nonnihil altioris ac reconditi mysterii latere arbitrantur.

Media, nostro quidem judicio, quædam via tenenda est, qua utraque extrema sententia concilietur; si nempe nec litteralis & historica, quæ ad eruditionem, nec mystica & symbolica, quæ ad pietatem valet plurimùm, cæremoniarum explicatio contemnatur, sed utraque simul, quantùm fieri potest, consocietur. Prima, fateor, aptior videtur ac commodior revincendis Novatoribus, qui superstitionis vitium in ritibus sacrificii, perpetuò nobis obtrudunt; altera verò ad pietatem Fidelium & Mysteriorum intelligentiam magis comparata. Prior posterioris basis est ac fundamentum; neque certè D. de Vert animus ac consilium unquam fuisse videtur, mysticas illas ac spirituales explicandi cæremoniae rationes excludendi, sicut ipsemet apertè profitetur pag. 45. præfationis primo tomo præfixæ.

Dicendum igitur, non improbata litterali & historica cæremoniarum expositione, etiam à primis Ecclesiæ exordiis, mysticum ac symbolicum sensum annexum illis fuisse.

Tædiosum certè foret singulas seu veteris seu Legis novæ cæremonias hic enumerare, ac uniuscujusque symbolicam designare significationem: ex multis pauca perstringemus.

Ac I. quidem Lex vetus tota certè symbolica erat, ad præfigurandam novam, & Christum ipsum, qui finis est Legis, prænuntiandum destinata. *Omnia in figura contingebant illis*, ait S. Paulus 1. Cor. 10. v. 11. Sacrificia, quæ Abel, Abraham, Jacob, & alii Deo obtulerunt, non nuda profectò fuerunt, omnique spirituali sensu destituta signa, sed mentis obsequium, ac cordis oblationem designabant, nec in vanum Deus celebris illius Sacrificii quod Abraham Gen. 15. obtulit, & eliorum omnium apparatum ac cæremonias præscripsit.
To. 2. p. 171. D. *Significativa sunt omnia talia sacrificia*, ait S. Aug. Epist. 102. aliàs 49. ad Deo gratias in respons. ad 3. quæstionem, *& quarundam rerum similitudines*; & quidem ad nostram utilitatem ordinatæ. Namque, ut
To. 8. p. 206. A. B. ait idem S. Doctor L. 6. contra Faustum cap. 5. *Deus non frustra ea, quibus non indiget, sibi juberet offerri, nisi aliquid in eis ostenderet, quod nobis & nosse prodesset, & talibus signis præfigurari oporteret.*

Jacob, Gen. 28. *erexit lapidem in titulum, fundens oleum desuper.* Quod etiam c. 35. v. 14. ejusdem Libri iterum fecisse legitur, consecrando ibi lapidem, ubi cum Deo luctatus fuerat, ac repromissiones acceperat, nomenque sibi permutatum cognoverat; quam consecrationem olei tantùm libaminumque effusione factam fuisse denotant verba hæc, *Erexit titulum lapideum, in quo locutus fuerat ei Deus libans super eum libamina & effundens oleum.*

Ista porro libaminum & olei effusio, divinum quid ac sacrum denotabat. Nemo quippe ignorat, quanto in usu ac pretio apud Judæos fuerit olei unctio, qua Sacerdotes consecrabantur, inaugurabantur Reges, ac omnia Tabernaculi utensilia sanctificabantur; unde sacrum & sanctum oleum dicebatur, cujus conficiendi singularem ritum ac formam Deus ipse præscripsit Exodi 30.

Hincque David Psalm. 44. prophetico spiritu de Christo propter plenitudinem gratiæ, quæ in ipso erat, dixit: *Dilexisti justitiam & odisti iniquitatem, propterea unxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ.* Metaphora ducta ab oleo quo Israelitæ festivis diebus utebantur, & quod ipsis in deliciis erat; quo perfuso homines ac mulieres animi hilaritatem, festum diem, cordis lætitiam indicabant, & à quo luctus ac doloris causa abstinebant.

Quin & superstitiosi Gentiles eò etiam progressi sunt, ut non tantum lapides atque ligna in hominum aut brutorum similitudinem affabrè effigiata, oleo perungerent; sed etiam rudes atque impolitos lapides, quorum usus in agris terminandis erat, oleo perungere ac consecrare solerent, unde religioni ducebant illos manu contrectare aut loco movere, ut constat ex Platone Lib. 8. de Leg. Istos porro lapides non inunxissent superstitiosi illi Pagani, nec coluissent; nisi in ea cæremonie divini aliquid inesse ac latere arbitrati fuissent, atque etiam aliquid divinitatis in terminis, ut notum est, admisissent. Unde Arnobius de se ipso loquens, cùm Paganorum adhuc teneretur erroribus, Lib. 1. adversus Gent. ait: „ Venerabar, ô cæcitas! nuper simulachra Ad cal. Oper. S. Cypriani p. 11.
"modò ex fornacibus prompta, in incudibus deos & "malleis fabricatos, elephantorum osse, picturas, ve-"ternosis in arboribus tænias. Si quando conspexeram "lubricatum lapidem, & ex olivæ unguine sordidatum, "tanquam inesset vis præsens, adulabar, affabar, & be-"neficia poscebam nihil sentiente de trunco. „ Quam Pagani ex superstitione, hanc veri Dei cultores ex Religionis sensu unctionis cæremoniam observabant.

II. Quantò clarior est & expressior cæremoniarum in nova Lege spiritualis ac mystica significatio! Quid aliud, quæso, referunt Baptismi & Eucharistiæ ritus, nisi sublime quid ac divinum? Non aliò profectò tendunt in administratione Baptismi, exorcismi, insufflatio, renuntiatio diabolo ejusque pompis, degustatio salis, unctio, tactus aurium, cæreus accensus &c. Totus Baptismi ritus symbolicus est, figura & imago mortis ac sepulturæ Christi, ac novæ, quæ in ipso habenda est, vitæ. „ An ignoratis, *ait S. Paulus Rom. 6. v. 3.* quia "quicunque baptisati sumus in Christo Jesu, in morte "ipsius baptisati sumus? Consepulti enim sumus cum "illo per Baptismum in mortem, ut quomodo Christus "surrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in "novitate vitæ ambulemus. Aque in Baptismo, *ait S.* Ed. vet.
"*Basilius Lib. de Spiritu S. cap. 15.* mortis exhibet si- To. 2. p.
"militudinem, corpus velut in sepulchro recipiens, Spi- 177. C.
"ritus verò vim vivificam immittit, à morte peccati "renovans animas nostras in novam vitam.

Olim Catechumenis post solitas renuntiationes dabatur pallium loco togæ, quod certè mysterio non carebat: toga scilicet dignitatis insigne erat, pallium vero abjectionis & humilitatis, qualem decet Christianos. Tertullianus Lib. de pallio c. 5. „ Enim vero, *ait*, cùm p. 118.
"hanc primùm sapientiam vestit quæ vanissimis super- A.
"stitionibus renuit, tunc certissimè pallium super om-"nes exuvias & peplos augusta vestis; superque omnes "apices & titulos Sacerdos suggestus. *Et postea* Gran- p. 119.
"de pallii beneficium est, sub cujus recogitatu improbi C.
"mores vel erubescunt. „ Hinc illud procax Gentilium in Christianos dicterium, *à toga ad pallium.*

In Eucharistia autem quot mysteria! panem & vinum, cibum & potum usualem pro materia hujus Sacramenti assumit Christus, ut significet Eucharistiam ac quotidianam esse debere animorum nostrorum cælestem alimoniam: in azymo pane consecrat, ut quæ debeat esse animæ munditiés ac puritas, oculis veluti subjiciat. „ Expurgate vetus fermentum, *ait Apostolus 1.* "*Cor. 5. v. 7.* ut sitis nova conspersio &c. Itaque epu-"lemur non in fermento veteri, neque in fermento ma-"litiæ & nequitiæ, sed in azymis sinceritatis & verita-"tis. „ Panis vero qui ex multis granis confectus est, unionem populi cum Christo significat: *Unus panis, unum corpus multi sumus, qui de uno pane participamus,*

ad justificationem, ex qua excidit, sese rursum disponere; quia nemo potest se ad justitiam per peccatum præparare. At quantùm istud à dogmate Catholico alienum sit, solus ignorat Lutheranus, qui omnia opera extra charitatem seu gratiam sanctificantem facta veris peccatis annumerat.

Instabis. Si peccant mali Ministri Sacramenta ministrando, peccant & ii, qui ab ipsis Sacramenta percipiunt; eorum quippe peccato sic communicent. *Digni enim sunt morte*, ait Apost. Rom. 1. v. 32. *non solùm qui peccata faciunt, sed qui consentiunt facientibus.*

Respondet idem S. Thomas loco mox citato ad 2. *Quòd ille, qui ad Sacramenta accedit, suscipit Sacramenta à Ministro Ecclesiæ, non in quantum est talis persona, sed in quantum est Minister Ecclesiæ. Et ideo quamdiu ab Ecclesia toleratur in ministerio, ille qui ab eo suscipit Sacramentum, non communicat peccato ejus, sed communicat Ecclesiæ quæ eum tanquam Ministrum exhibet. Si verò ab Ecclesia non toleratur, puta cum degradatur, vel excommunicatur, vel suspenditur, peccat qui ab eo accipit Sacramentum, quia communicat peccato ipsius.* Addenda hìc exceptio supra memorata, quòd nempe lex charitatis exigit, ut Sacramentum ab alio, quàm ab improbo Ministro percipiatur, cùm id fieri potest absque ullo suscipientis detrimento.

QUÆSTIO OCTAVA.

De subjecto Sacramentorum.

SUbjectum Sacramentorum homo est Sacramentorum capax, de quo tria discutienda nobis sunt.

Primum, an solus homo viator sit Sacramentorum capax.

Secundum, an & quæ intentio requiratur in homine, ut Sacramenta validè percipiet.

Tertium, an & quæ requirantur conditiones, ut licitè & cum fructu homo Sacramenta percipiat.

ARTICULUS I.

An solus homo viator sit Sacramentorum capax.

NOn hìc quæstio est de capacitate tantùm physica & materiali, in eo posita quòd possit homo eos sensibiles ritus in se pati quibus Sacramenta constent, sed de capacitate morali, quæ ex institutione Christi certas exigit adjunctas circumstantias & conditiones.

Nec etiam quæstio est, an solus & quilibet homo sit immediatè & proximè capax cujuslibet Sacramenti: certum quippe est, Baptismum Sacramentorum omnium, ut dicitur, januam esse, nec ad cætera Sacramenta cuiquam absque prævio Baptismate aditum patere posse.

Quæstio itaque est, an solus homo viator moraliter sit capax Sacramentorum novæ Legis, seu immediatè, seu mediatè recipiendorum.

CONCLUSIO.

Solus homo viator subjectum est Sacramentorum capax.

Probatur ex Apostolo Hebr. 5. v. 1. *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis, quæ sunt ad Deum, ut offerat dona & Sacrificia pro peccatis.* Et verò si singula novæ Legis Sacramenta percurramus, manifestum erit ea pro solis hominibus viatoribus instituta fuisse; sunt etenim salutis remedia; sunt canales, per quos cælestis gratia ad nos defluit; sunt media, per quæ ad fidem supernaturalem pervenimus. *Per hæc*, ait Concilium Tridentinum sess. 7. in proœmio, *omnis vera justitia vel incipit, vel* Tom. 14.
cœpta augetur, vel amissa reparatur. Hæc porro om- Conc. p.
nia solos spectare possunt homines viatores. Conve- 776. B.
nienter autem instituta fuisse hæc sensibilia salutis nostræ remedia, superiùs ad secundam hujus Tractatus Quæstionem probavimus.

Quòd verò nonnulli Scholastici hìc solicitè quærunt, an nempe de potentia Dei absolute possint institui sensibilia quædam Sacramenta, quorum Angeli sint capaces, superfluum & otiosum arbitramur: ab hujusmodi enim quæstionibus, quæ supremam Dei potentiam spectant, & quæ aut nihil, aut parum utilitatis habent ad dogma fidei illustrandum, abstinendum ducimus.

ARTICULUS II.

An & quæ requiratur intentio seu voluntatis consensus, ut quis verè Sacramentum percipiat.

NOn hìc de parvulis, sed de adultis quæstio est: norunt quippe omnes, in parvulis dum baptisantur, sufficere intentionem publicam & generalem Ecclesiæ.

Revocanda porro hìc sunt quæ Articulo 1. superioris Quæstionis observavimus circa objectum & variam intentionis divisionem, cum de Ministro Sacramentorum sermonem habebamus. Ex quibus facilè intelliges, præsens argumentum in eo totum versari, an scilicet in eo qui Sacramentum percipit, sufficiat consensus in externum ac purè materialem Ecclesiæ ritum, tametsi interiùs reclamet, ac fictè & delusoriè ritum hunc percipere velit, an verò necessarius sit interior ipsius consensus, qui feratur vel simpliciter ad actionem Ecclesiæ, quatenus est Ecclesiæ, & sub ea reflexa voluntate; vel ad eam quatenus est verum Sacramentum, vel denique quatenus est efficax & productiva gratiæ sanctificantis.

Quæ in controversia omnes de his tribus capitibus consentiunt.

I. Ad percipiendum Sacramenti fructum, nempe sanctificantem gratiam, necessarium plenè esse recipientis consensum: quia docent Patres Tridentini sess. 6. c. 7. *Justificationem esse renovationem interioris homi-* Tom. 13.
nis per voluntariam susceptionem gratiæ & donorum. Conc. p.
II. Consentiunt ad veritatem Sacramenti Eucharis- 759. C.
tiæ, necessariam non esse suscipientis intentionem, quia Sacramentum hoc in re permanenti consistit, & potest vel casu ab inscio, vel ab invito verum percipi corpus Christi, quamquam sine fructu, cùm hujusmodi perceptio Eucharistiæ verè non sit sacramentalis ad effectum gratiæ producendum ordinata.

III. Fatentur omnes habitualem seu interpretativam voluntatem certis in casibus sufficere ad validam Sacramentorum Baptismi, Pœnitentiæ, & Unctionis extremæ perceptionem.

Disputant igitur 1. an necessarius sit consensus in Cajetan.
ritum Ecclesiæ qui percipitur; an sufficiat, ut aliqui lo- *Glossa in*
quuntur cum Cajetano, *capacitas sine contrarietate*; *Canonem*
hoc est, quod quis merè passivè se habeat, licèt neque Solet de
velit, neque nolit positivè talem ritum percipere. 2. ad *consecratione dist.*
quid seu ad quem terminari debeat ille consensus, sicut 4. *& alia*
expositum fuit. *Glossa in*
caput Majores de Baptismo & ejus effectu.

PRIMA CONCLUSIO.

In adulto, ut Sacramenta verè percipiat, requiritur vera & integra intentio, seu consensus voluntatis in ritum Ecclesiæ quem percipit.

Probatur 1. ex Conciliis.

Ex Carthaginensi III. an. 397. cap. 34. ubi jubet, *ægrotantes, si per se respondere non possunt, cum voluntatis eorum testimonium, hi qui sui sunt, periculo proprio dixerint, baptisentur.*

Ex Carthaginensi IV. an. 398. cap. 76. Is, inquit, qui

Tom. 2. Conc. p. 1172. A. Ibid. p. 1102. E. *qui pœnitentiam in infirmitate petit, si casu, dum ad eum Sacerdos invitatus venit, oppressus infirmitate obmutuerit, vel in phrenesim versus fuerit, dent testimonium qui eum audierunt, & accipiat pœnitentiam.*

Tom. 3. Conc. p. 1449. E. Ex Arausicano I. an. 442. Can. 12. quo sic statuit: *Subito obmutescens prout status ejus est, baptisari aut pœnitentiam accipere potest, si voluntatis aut præteritæ testimonium aliorum verbis habet, aut præsentis in suo nutu.*

Tom. 5. Conc. p. 297. D. E. Ex Aurelianensi III. an. 538. Can. 7. *Si invitus*, inquit, *vel reclamans fuerit ordinatus, ab officio quidem deponatur, sed non à communione pellatur. Episcopus autem qui invitum aut reclamantem præsumpserit ordinare, annali pœnitentiæ subditus Missas facere non præsumat.*

Probatur 2. ex SS. Augustino & Thoma.

S. Aug. To. 9. p. 141. A. S. Augustinus Lib. 4. contra Donatist. cap. 24. inter infantes & adultos, dum baptisantur, istud discriminis esse statuit, quod adulti interrogati pro se respondere teneantur; sufficiat autem susceptores respondere pro infantibus. *Ideo*, ait, *cum alii pro eis* (parvulis) *respondeant, ut impleatur erga eos celebratio Sacramenti, valet utique ad eorum consecrationem, quia ipsi respondere non possunt. At si pro eo qui respondere potest alius respondeat, non itidem valet. Ex qua regula illud in Evangelio dictum est, quod omnes, cum legitur, naturaliter movet, ætatem habet, ipse pro se loquatur.*

Ibid. p. 202. C. Et Lib. 7. cap. 53. *Nequaquam*, inquit, *dubitarem habere eos Baptismum, qui ubicunque, & à quibuscunque illud verbis Evangelicis consecratum, sine sua simulatione & cum aliqua fide accepissent.* Quo in loco per fidem intelligit sanctus Doctor, intentionem seu voluntatem percipiendi Sacramentum. Quo sensu Epi-

Tr. 2. p. 265. F. stola 98. ad Bonifacium aliàs 23. ait: *Nec te moveat, quòd quidam non ea fide ad Baptismum percipiendum parvulos ferunt, ut gratia spirituali ad vitam regenerentur æternam.*

S. Tho. T. 10. p. 91. col. 2. D. E. S. Thomas in 4. dist. 6. qu. 1. art. 2. quæstiunc. 3. „In adultis, *inquit*, & in habentibus usum rationis, in „quibus potest esse contraria voluntas actu vel habitu, „requiritur & contritio sive devotio ad percipiendam „rem Sacramenti, & intentio vel voluntas ad recipien„dum Sacramentum. In pueris autem absque utroque „percipitur & Sacramentum, & res Sacramenti; & si„militer est in carentibus usu rationis, nisi contraria vo„luntas habitu insit, etsi non actu. Tamen sciendum, „quòd non requiritur in adulto voluntas absoluta susci„piendi quod Ecclesia confert, sed sufficit voluntas con„ditionata, sicut est in voluntariis mixtis ... Et ideo si sit „coactio sufficiens, ita quòd principium sit ex toto ex„tra nihil conferente vim passo, (ut cùm aliquis recla„mans immergitur violenter) tunc talis nec Sacra„mentum suscipit, nec rem Sacramenti: Si autem sit „coactio inducens sicut minis vel flagellis, ita quòd ba„ptisatus potius eligat Baptismum suscipere, quàm talia „pati, tunc suscipit Sacramentum, sed non rem Sacra„menti.

Et in Summa q. 68. art. 7. ad 2. *Dicendum*, inquit, *quòd si in adulto deesset intentio suscipiendi Sacramentum, esset rebaptisandus: si tamen hoc non constaret, esset dicendum, Si non es baptisatus, ego te baptiso.*

Et in Supplemento q. 45. art. 4. in corp. *Sicut se habet ablutio exterior ad Baptismum, ita se habet expressio verborum ad hoc Sacramentum* (Matrimonii) *unde sicut si aliquis ablutionem exteriorem reciperet, non intendens recipere Sacramentum, sed ludum & dolum facere, non esset baptisatus, ita expressio verborum sine interiori consensu Matrimonium non facit.*

Probatur 3. ex SS. Pontificibus Innocentio III. IV. & Paulo V.

Innocentius III. cap. *Majores*, de Baptismo & ejus effectu Lib. 3. Decretalium titulo 42 consultus ab Arelatensi Archiepiscopo circa Baptismum amentibus, dormientibus, invitis ac reluctantibus datum sic respondet: " Sunt autem nonnulli, qui dicunt, quòd Sa- Decret. p. 1386. n. 40.
„cramenta quæ per se sortiuntur effectum ut Baptismus „& Ordo cætera que similia, non solùm dormientibus, „& amentibus, sed invitis & contradicentibus, etsi non „quantùm ad rem, quantùm tamen ad characterem „conferuntur, cùm non solùm parvuli, qui non consen„tiunt, sed & ficti, qui quamvis ore, corde tamen dis„sentiunt, recipiant Sacramentum. Sed opponitur ta„libus, quòd qui fuissent inviti & reluctantes immersi, „saltem ratione Sacramenti ad jurisdictionem Ecclesia„sticam pertinerent; unde ad servandam regulam fidei „Christianæ forent rationabiliter compellendi. Verùm „id est Religioni Christianæ contrarium, ut semper „invitus & penitus contradicens ad recipiendam & ser„vandam Christianitatem aliquis compellatur. Propter „quod inter invitum & invitum, coactum & coactum, „alii non absurdè distinguunt; quòd is, qui terroribus, „atque suppliciis violenter attrahitur, & ne detrimen„tum incurrat, Baptismi suscipit Sacramentum, talis „(sicut & is qui fictè ad Baptismum accedit) characte„rem suscipit Christianitatis impressum, & ipse tan„quam conditionaliter volens, licèt absolutè non ve„lit, cogendus est ad observantiam fidei Christianæ; in „quo casu debet intelligi decretum Concilii Toletani, „ubi dicitur, quòd qui jam pridem ad Christianitatem „coacti sunt, sicut factum est temporibus religiosissimi „Principis Sisibuti, quia jam constat eos Sacramentis „divinis associatos, & Baptismi gratiam suscepisse, & „chrismate unctos esse, & corporis Domini extitisse „participes, oportet, ut fidem, quam necessitate susce„perint, tenere cogantur ... Ille verò qui nunquam con„sentit, sed penitus contradicit, nec rem, nec characte„rem suscipit Sacramenti; quia plus est expressè con„tradicere, quàm minimè consentire: sicut nec ille „notam alicujus reatus incurrit, qui contradicens peni„tus & reclamans thurificare idolis cogitur violenter. „Dormientes autem & amentes, si priusquam amen„tiam incurrerent, aut dormirent, in contradictione „persisterent, quia in eis intelligitur contradictionis „propositum perdurare, etsi fuerint sic immersi, cha„racterem non suscipiunt Sacramenti; secus autem si „priùs Catechumeni extitissent, & habuissent proposi„tum baptisandi; unde tales in necessitatis articulo con„suevit Ecclesia baptisare. Tunc ergo characterem Sa„cramentalis imprimit operatio, cùm obicem volunta„tis contrariæ non invenit obsistentem.

En integra circa propositam quæstionem Romani Pontificis responsio, ex qua hæc habes.

I. Eos qui simpliciter & omnino inviti ac reluctantes baptisantur, verè non baptisari, nec proinde cogi posse ad Legem Christianam observandam, quemadmodum rei non sunt idololatriæ, qui planè inviti ac reclamantes coguntur exteriùs thus idolis adolere.

II. Eos qui tantùm inviti sunt secundùm quid, seu qui minis aut tormentis adducuntur, ut magis eligant baptisari, quàm cruciari, eos, inquam, tanquam conditionaliter volentes validè baptisari; ac si postea reluctentur, sibique illatam violentiam obtendant, nihilominus ad Christianam Legem observandam cogendos esse, quia sufficienter in Baptismum consenserunt.

III. Dormientes & amentes, qui nulquam Baptismum petierunt, imò qui reluctati sunt, si hac durante resistentia baptisentur, verè non baptisari; secus verò si postquam Baptismum petierunt, in amentiam & phrænesim versi sunt; quo casu tanquam infantes baptisari validè possunt ac debent.

IV. Cùm Innocentius III. ait *characterem imprimi per sacramentalem operationem, quando hæc obicem voluntatis contrariæ non invenit obsistentem*, sensus ejus non est, sufficere ad veritatem recepti Baptismatis, quòd exteriùs homo non contradicat, quasi vellet interiorem consensum non esse necessarium; utrumque enim

exigit Summus Pontifex, & non resistentiam externam, & internum consensum: *Qui nunquam consentit*, inquit, *sed penitùs contradicit, nec rem, nec characterem suscipit Sacramenti.* In ea igitur non resistentia seu contradictione externa includit ac supponit Innocentius positivum voluntatis consensum.

Innocentius IV. in tertium Librum Decretalium titulo, *De Baptismo & ejus effectu* q. 10. expressè docet, eum qui sine consensu baptisatur, aut Matrimonium contrahit, nec baptisari, nec Matrimonium contrahere.

Paulus V. in Rituali Romana cavet, ne adultus, qui in amentiam aut subitum morbum incidit, baptisetur, nisi prius, cùm sui compos erat, Baptismum petierit.

Probatur 4. ratione, & inductione per singula Sacramenta. Sicut enim ad suavem Dei providentiam pertinet, non justificare adultum, nec ipsi ampliorem gratiam conferre, nisi ipse ex animo consentiat; ita pariter nullus adultus Sacramentis initiari, ac per ea certas quasdam obligationes potest contrahere, nisi ipse voluerit seu consenserit: quòd si singula percurrantur Sacramenta, facilè patebit, hanc esse eorum naturam, ut consensum exigant illius cui ministrantur. Ac primò quidem consensum hunc postulant Sacramenta, quæ characterem imprimunt; aliàs cùm hæc iterari non possint, invitis ac animo reluctantibus data characterem necessariò imprimerent, & consequenter cogendi illi forent ad ea implenda officia, quibus obstricti tenentur quotquot ea percepere Sacramenta: at nemo planè invitus nec consentiens ad ea cogi potest, ut docet Innocentius III. Secundò, de Matrimonio & Pœnitentia, res quoque manifesta videtur. Namque Matrimonium essentialiter consistit in unione animorum, quam sine vero & interiori consensu vix concipias. Pœnitentia autem necessariò includit actus pœnitentis tanquam materiam, nempe Contritionem, Confessionem, & Satisfactionem: an verò sine interno animi motu ac consensu hæc fieri possunt? Tertiò, Eucharistia equidem in suo esse non pendet ab intentione suscipientis, quia habet esse permanens, & ab invito seu ignaro sumi realiter potest; verùm hujusmodi sumptio materialis est, non sacramentalis ad effectum Sacramenti percipiendum ordinata. Denique in extrema Unctione percipienda, etsi Ecclesia non exigat actualem voluntatem, nihilominus interpretativam supponit; igitur ut quis Sacramenta validè percipiat, debet ex animo consentire in eum Ecclesiæ ritum quem percipit.

SECUNDA CONCLUSIO.

Non sufficit in adulto intentio percipiendi merè externum ac materialem Ecclesiæ ritum, nec etiam sequiritur, ut eum expressè tanquam verum Sacramentum intendat, sed sufficit ut ex animo ac generatim velit percipere id quod facit Ecclesia.

Conclusio hæc tam affinis est ac connexa cum iis, quæ suprà de intentione Ministri necessaria dicta sunt, ut non tam probanda, quàm paucis exponenda videatur.

Si quis itaque externo Ecclesiæ Sacramento exteriùs dumtaxat se subjiceret, internè tamen fictè ac illusoriè vellet agere, ille verum non perciperet coram Deo Sacramentum: quia tamen exteriùs eodem modo se gerit, ac si vellet reipsa Sacramentum percipere, coram Ecclesia, quæ de internis non judicat, præsumitur verum percepisse Sacramentum, ac consequenter censuris ac pœnis Ecclesiasticis cogendus foret ad ea omnia observanda, quibus tenentur, qui Sacramentorum fiunt participes. Neque, ut aliàs observavimus, ei, qui contestaretur se in Sacramenti perceptionem verè & ex animo non consensisse, fides tam facilè habenda foret, aut ab obligatione, quam exteriùs contraxit, tanquam liber dimittendus, [quantus enim abusibus & incommodis sic aditus aperiretur?] sed cogendus potius ut suo consensu ratum tandem faciat, quod ejus defectu irritum fuerat, Matrimonium v.g. Votum solemne &c. Quod si de Baptismo ageretur, (quod certè rarum est) conferendus iterum foret sub conditione, sicut docet sanctus Thomas q. 68. articulo 7. ad 1.

Necesse tamen absolutè non est, ut qui ritum externum Ecclesiæ percipit, eum intendat vel quatenus Sacramentum est, vel quatenus sanctificantem gratiam impertitur; sed satis est quod verè & ex animo velit ritum hunc generatim suscipere, quatenus est ritus Ecclesiæ; seu velit percipere id quod facit Ecclesia. Revoca, quæ superius dicta sunt, ubi de intentione Ministri.

TERTIA CONCLUSIO.

In aliquibus Sacramentis percipiendis v. g. Baptismo, Confirmatione, Pœnitentia, Unctione extrema, actualis aut virtualis non requiritur, sed interpretativa sufficit intentio recipientis.

Probatur ex Canonibus Conciliorum Conclusione 1. laudatis. In illis etenim qui subita vi morbi oppressi obmutescunt, aut sui compotes amplius non sunt, haud dubiè nec actualis nec virtualis adest intentio, seu voluntas percipiendi Sacramentum Baptismatis, vel Absolutionis, vel Unctionis extremæ: constanti nihilominus piæ matris Ecclesiæ usu ea Sacramenta ipsis conceduntur, cùm aliquo testimonio constat, quòd ea sani postulaverint; ergo Ecclesia existimat his in casibus interpretativam sufficere intentionem ad Sacramentum non tantùm validè, sed etiam cum fructu percipiendum.

Ex quo inferes diversa planè ratione præteritam voluntatem sufficere ad veritatem Sacramenti ex parte Ministri, & ex parte recipientis. Nam ex parte Ministri, debet illa voluntas manere virtute, hoc est, ex illa proximè vel remotè derivari debet administratio Sacramenti; ex parte verò recipientis, satis est, si voluntas illa præcesserit, nec usquam contraria fuerit: necesse verò non est, ut ex illa homo moveatur ad perceptionem Sacramenti.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objicies 1. contra primam Conclusionem, multa exempla sacrarum Ordinationum, quæ invitis ac planè reluctantibus datæ, approbatæ ac ratæ fuerunt.

Inter hæc duo sufficiant exempla.

Primum est Macedonii Ascetæ, de quo Theodoretus in Religiosa Historia cap. 13. „ Postquam magnus "Flavianus magno Dei gregi (*Antiochenæ Ecclesiæ*) "Pastor est ordinatus, & viri (*Macedonii*) virtutem "cognovit ,... de montis illum vertice per speciem ob"jectæ accusationis abduxit, & sub mysticum Sacrifici"um Altari admovit, cooptavitque in numerum Sacer"dotum. Cumque peracta liturgia hoc illi quidam indi"cassent (ignorabat enim prorsus quid egissent) pri"mùm quidem conviciis verbisque asperis proscidit "universos; deinde arrepto baculo, quo innixus pro"pter senium incedebat, Pontificem ipsum, & alios qui "aderant insecutus est, Ordinationem hanc ratus mon"tis verticem sibi optatamq; habitationem erepturam. "Sed tum quidem sic indignantem ægrè tandem ami"ci quidam sedaverunt. Expleto autem hebdomadæ "curriculo, cùm redisset dies Dominicus, iterum evo"cat illum magnus Flavianus, rogatque ut celebritati "cum ipsis intersit. Tum ille ad eos, qui venerant, An "vobis, ait, non sufficiunt quæ jam acta sunt, sed iterum "me Presbyterum creare vultis? Et respondentibus il"lis fieri non posse, ut bis eadem fiat manuum imposi"tio, non acquievit. „ Hæc Theodoretus.

Secun-

Secundum exemplum est Pauliniani fratris sancti Hieronymi, " quem, *ait sanctus Epiphanius in Epi-„stola ad Joannem Hierosolymitanum inter Hierony-„mianas 110 alias 60,* ignorantem & nullam peni-„tus habentem suspicionem. per multos Diaconos ap-„prehendi jussimus, & teneri os ejus, ne forte liberare „se cupiens, adjuraret nos per nomen Christi: & pri-„mum Diaconum ordinavimus proponentes ei timo-„rem Dei, & compellentes ut ministraret; valde quip-„pe obnitebatur, indignum se esse contestans. Vix „ergo compulimus eum, & persuadere potuimus testi-„moniis Scripturarum, & propositione mandatorum „Dei; & cum ministraret in sanctis Sacrificiis, rursus „eum ingenti difficultate, tento ore ejus, ordinavi-„mus Presbyterum, & iisdem verbis quibus ante sua-„seramus, impulimus ut sederet in ordine Presbyterii. Hæc S. Epiphanius.

Tom. 4. part. 2. p. 823.

Resp. duplex esse posse genus hominum qui inviti ac reluctantes ordinantur.

Duobus modis potest quis invitus Sacramentum percipere. T. 3. p. 816. B.

Primum eorum, qui nec precibus, nec minis, nec adhortationibus possunt unquam adduci ut impositionem manus percipiant aut qui plane ignari ac inscii eam percipiunt. Hi omnino ac simpliciter inviti dicendi sunt, nec rata & valida haberetur hujusmodi hominibus data Ordinatio. Talis fuisse videtur Ordinatio Macedonii in Presbyterum: quapropter Theodoretus postquam hanc Historiam narravit, addit, *Scimus sane non laudandam multis visum iri narrationem.*

Episcopi olim inviti ac refugientes ordinabantur. T. 2. p. 613. B. T. 2. p. 9. A.

Alterum eorum est qui ex humilitate, propriæ infirmitatis conscientia, metu ac reverentia sacros Ordines refugiebant, ad quos interdum populi suffragio, votis imperio, precibus, clamoribus vocabantur & impellebantur. Ii primo inviti quidem ac reluctantes erant; ac subinde, ut votis Ecclesiæ & Superiorum voluntati se faciles præberent, consentiebant se ordinari. Ita testatur S. Augustinus Epistola ad Donatum 173. aliàs 204. *Multi* inquit, *ut Episcopatum suscipiant, tenentur inviti, perducuntur, includuntur, custodiuntur, patiuntur quæ nolunt, donec adsit eis voluntas suscipiendi operis boni. Scilicet*, ait S. Gregorius Magnus parte 1. Pastoralis cap. 8 *tunc laudabile fuit Episcopatum quærere, quando per hunc quemque dubium non erat ad supplicia graviora pervenire.* Itaque illo tempore quo quisque plebi melius præerat, primus ad Martyrii tormenta ducebatur: at postquam à persecutoribus respiravit Ecclesia, reddita ipsi pace, viri pietate, sanctitate & scientia illustres, Ecclesiasticas dignitates refugiebant, nedum exambibant. Audiatur S. Cyprianus Epistola 52. ad Antonianum de electione & ordinatione Cornelii in Episcopum Romanum. "E-„piscopatum, *ait*, nec ipse postulavit, nec voluit, nec „ut cæteri, quos arrogantiæ & superbiæ suæ tumor „inflat, invasit; sed quietus & modestus, & quales esse „consueverunt, qui ad hunc locum divinitus eliguntur, „pro pudore virginalis conscientiæ suæ, & pro humi-„litate ingenitæ sibi & custoditæ verecundiæ, non ut „quidam vim fecit, ut Episcopus fieret; sed ipse vim „passus est, ut Episcopatum coactus exciperet.

Episcopatus primus erat ad martyrium gradus. S. Cyprianus de electione Cornelii, P. 67.

In usu scilicet erant tunc temporis ista Gregorii Magni, Leonis atque Anthemii Imperatorum effata, nempe, *Tantum ab ambitu debet Antistes esse sepositus, ut quæratur cogendus, rogatus recedat, invitatus refugiat; sola illi suffragetur necessitas excusandi.*

Lege, Quemquam cap. de Episcopis & Clericis.

Qui isto posteriori modo inviti ordinabantur, ii plane ac simpliciter inviti & nolentes dici non debent, sed tantum secundum quid: qui nempe de nolentibus & non consentientibus, volentes & consentientes tandem fiunt, ut Ecclesiæ obsequantur. Pariter qui ad Baptismum adducitur suppliciorum metu, ac magis eligit baptisari, quam ea tormenta subire, ille non simpliciter invitus baptisatur, sed, ut ajunt, secundum quid, eo fere modo quo mercator ingruente tempestate ac mortis periculo, merces suas in mare projicit; quæ projectio non simpliciter & absolute, sed tantum secundum quid involuntaria dicitur.

Objicies 2 auctoritatem S. Augustini duobus in locis. Tract. 26. in Joan, ait: *Intrare quisquam Ecclesiam potest nolens, accedere ad Altare potest nolens, accipere Sacramentum potest nolens; credere non potest nisi volens.* Et Lib. 4. confess. c. 4. narrat amicum suum, cum diu sine sensu jacuisset, nescientem baptisatum fuisse. Quod autem Baptismum antea non desideraret, videtur innuere S. August. *Nam*, inquit, *à fide vera, quam non germanitus & penitus adolescens tenebat, deflexeram eum in superstitiosas fabellas & perniciosas. propter quas plangebat me mater.*

Tom. 3. part. 2. p. 494 F. T. 1. p. 99. E. F.

Resp. ad primum, Sacramentum illud quod in mente S. Augustini aliquis nolens accipere potest, esse Eucharistiam, quæ cum habeat esse permanens, potest à nesciente vel invito (quamquam sine fructu) percipi. Quod si S. Doctorem de Baptismo etiam locutum fuisse contenderis, dicendum erit eum aut ad infantes allu-dere, qui sine proprio consensu baptisantur, aut ad adultos, non quidem plene ac simpliciter, sed tantum secundum quid invitos.

Ad secundum: Amicus ille Augustini, quamquam animo erraret, Baptismum nihilominus sanus petierat, quem infirmus ac nesciens percepit, & quem à morbo recreatus ita probavit & confirmavit, ut Augustinum, à quo tunc irridebatur, sustinere non potuerit, sicut ipsemet narrat sanctus Doctor.

Objicies 3, Glossa in caput, *Solet*, de Consecratione dist. 4. & in caput, *Majores*, de Baptismo, docet esse validum *Baptismi Sacramentum ab eo susceptum qui corde dissentit, modo dicat ore se consentire.*

Resp. nullius ponderis ac momenti esse glossam hanc quam Gregorius XIII. expungi jussit.

Objicies 4. Concilium Florentinum tribus dumtaxat dixit Sacramenta perfici, nempe materia, forma & Ministro habente debitam intentionem; si porro suscipientis intentio seu consensus requireretur, non tribus, sed quatuor rebus Sacramenta perfici dixisset.

Resp. Concilium agere tantum de iis quæ necessaria sunt ex parte Ministri, non vero ex parte suscipientis; quare mirum videri non debet, si de intentione in suscipiente necessaria nihil dixerit; hæc enim nec in omnibus Sacramentis, puta Eucharistia; nec semper puta in parvulis dum baptisantur, necessaria est. Adde quod in Sacramentis quæ in usu consistunt, suscipiens quodammodo includitur in materia Sacramenti, quatenus scilicet hæc consistit in passione aliqua quæ circa suscipientem exerceretur; neque enim concipi potest v. g. Baptismus sine aliquo qui baptisetur.

Instabis 1. Perfectio Sacramenti unicè pendet à Ministro: atqui si necessaria foret ad illius integritatem suscipientis intentio, Sacramenti perfectio penderet non tantùm à Ministro, sed etiam à suscipiente; ergo &c.

Resp. distinguo maj. Perfectio Sacramenti unicè pendet à Ministro, tanquam à causa efficiente ministeriali, concedo; tanquam à conditione necessaria, nego. Distinguo min. ad sensum majoris. Intentio quippe seu consensus illius qui Sacramentum percipit, non est causa perficiens, sed conditio dumtaxat necessaria, ut verum ac ratum sit Sacramentum.

Instababis 2. Quod in uno essentialiter non pertinet ad substantiam Sacramenti, non potest pertinere in aliis: atqui intentio suscipientis in infante non pertinet ad substantiam Baptismi; ergo nec in adulto.

Resp. nego maj. neque alia hic quærenda ratio, quàm Christi voluntas, qui sic Baptismum instituit, ut valeat in parvulo sine ipsius proprio consensu, non valeat autem in adulto.

Objicies denique contra 2. Conclusionem: S. Thomas Conclusione 1. laudatus qu. 45. Supplementi articulo 4. docet eum, qui exteriorem ablutionem perciperet, nec intenderet recipere Sacramentum,

baptisatum non fore; ergo exigit S. Doctor in suscipiente intentionem quæ feratur circa ritum Ecclesiæ, quatenus Sacramentum est.

Resp. per Sacramentum S. Doctorem hic intelligere actionem exteriorem Ecclesiæ, quatenus est Ecclesiæ; atque hoc unum exigere ad veritatem Sacramenti, ut qui illud percipit, non ludum aut dolum velit facere, sed generatim velit percipere ritum Ecclesiæ.

ARTICULUS III.

De dispositionibus necessariis ad Sacramenta validè, aut licitè & cum fructu percipienda.

De valida & licita perceptione Sacramenti movetur hic quæstio; utrum nempe fides & pietas necessariæ omnino sint, ut Sacramentum & validè, & licitè, seu cum fructu percipiatur.

PRIMA CONCLUSIO.

Fides non est dispositio necessaria ad Sacramenta validè percipienda, una excepta Pœnitentia.

Prima pars probatur 1. ex usu & praxi Ecclesiæ, quæ ratum habuit Baptismum, quem Hæretici legitimo ritu perceperunt.

To. 9. p. 114. F. II. Ex S. Augustino Lib. 3. de Baptismo cap. 14. *Nec interest*, inquit, *cùm de Sacramenti integritate & sanctitate tractatur, quid credat, & quali fide imbutus sit ille, qui accipit Sacramentum. Interest quidem plurimum ad salutis viam, sed ad Sacramenti quæstionem nihil interest; fieri enim potest, ut homo integrum habeat Sacramentum, & perversam fidem.*

Altera pars, nempe excipiendum hic esse Sacramentum Pœnitentiæ, probatur: Quia huic Sacramento peculiare istud est, ut idem actus contritionis, quo homo disponitur ad effectum Sacramenti, sit quoque pars materialis, vel quasi materialis ipsius Sacramenti: non potest autem integra esse Sacramenti substantia sine valida materia; at contritio, nisi fidem et pietatem aliquam includat & præsupponat, nulla planè est.

SECUNDA CONCLUSIO.

Ut Sacramentum licitè ac cum fructu percipiatur, necessariæ sunt præviæ ex fide et pietate dispositiones.

Probatur ex sancto Augustino mox citato *Interest plurimum*, inquit, *ad salutis viam*, *quali* nempe *fide imbutus sit qui Sacramentum percipit.*

To. 14. Conc. p. 777. A. Ibid. B. Concilium Tridentinum sess. 7. Can. 6. definit, *Sacramenta novæ Legis continere gratiam quam significant, eamque non ponentibus obicem conferre.* Et Can. 7. eis, *eam quantum est ex parte Dei omnibus dari.* Supponit igitur Concilium, esse in potestate hominibus oblatam in Sacramentis gratiam non recipere; adeoque nonnullas in ipso prævias requiri ex fide et pietate dispositiones, ut aliquem ex Sacramentis spiritualem fructum reportare possit.

Ibid. p. 718. E. Dispositiones illas exponit idem Concilium sess. 6. cap. 6. "Disponuntur autem, *inquit*, ad ipsam justitiam, dum excitati divina gratia & adjuti, fidem ex „auditu concipientes, liberè moventur in Deum, cre„dentes vera esse quæ divinitus revelata & promissa „sunt; atque illud imprimis, à Deo justificari impium „per gratiam ejus, per redemptionem quæ est in Chri„sto Jesu: & dum peccatores se esse intelligentes, à di„vinæ justitiæ timore, quo utiliter concutiuntur, ad „considerandam Dei misericordiam se convertendo, „in spem eriguntur, fidentes Deum sibi propter Chri„stum propitium fore, illumque tanquam omnis justi„tiæ fontem diligere incipiunt; ac propterea moventur „adversus peccata per odium aliquod & detestationem, „hoc est, per eam pœnitentiam, quam ante Baptismum „agi oportet; denique dum proponunt suscipere Baptis„mum, inchoare novam vitam, & servare divina man„data. De hac dispositione scriptum est: Accedentem „ad Deum oportet credere, quia est, & quod inqui„rentibus se remunerator sit. Et, confide, fili, remit„tuntur tibi peccata tua. Et, Timor Domini expellit „peccatum. Et, Pœnitentiam agite, & baptisetur unus„quisque vestrum in nomine Jesu Christi, in remissi„onem peccatorum vestrorum, & accipietis donum „Spiritus sancti. Et, Euntes ergo docete omnes gentes „baptisantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. „docentes eos servare quæcunque mandavi vobis. De„nique, Præparate corda vestra Domino.

SOLVUNTUR OBJECTIONES

Objicies 1. contra primam Conclusionem, Canonem 8. primi Concilii Arelatensis quo statuitur, *ut Afri in Ecclesiam redeuntes denuo baptisentur, si interrogati non responderint Trinitatem.* Tom. 5. Conc. p. 1428. A.

Et in altero Concilio Arelatensi Can. 27. statuitur, *Bonosiacos baptisatos in Trinitate, si interrogati fidem nostram ex toto corde confessi fuerint, cum chrismate & manus impositione in Ecclesia recipiendos esse.* Supponit igitur utraque hæc Arelatensis Synodus, fidem in suscipiente Baptismum planè necessariam esse, ut ratum & firmum habeatur Sacramentum. Tom. 4. Conc. p. 1013. B.

Resp. ad primum, sermonem ibi esse non de fide baptisati, sed de forma Baptismi: *Interrogent eum Symbolum*, ajunt Patres Arelatenses, *& si perviderint eum in Patre & Filio & Spiritu S. esse baptisatum, manus ei tantùm imponatur, ut accipiat Spiritum sanctum.* Tom. 5. Conc. p. 1428. A.

Ad secundum, non statuit Synodus, ut Bonosiaci iterum baptisentur, si dum à suis baptisati sunt, fidem SS. Trinitatis non sunt professi; sed hoc unum, ut per manuum impositionem in Ecclesiæ sinum non admittantur, nisi priùs se omnes fidei articulos ex animo credere palam profiteantur.

Quamquam & dici meritò potest, Veteres solicitos fuisse de fide illius qui Baptismum percepisset, ut nempe ex ea velut signo & argumento à posteriori cognoscerent, qua forma sive ritu baptisati fuissent; si enim interrogati, fidem Trinitatis non respondissent, gravis fuisset ratio suspicandi, eos in nomine Trinitatis, ut oportet, baptisandos non fuisse. Qua ratione Nicolaus I. respondens ad consulta Bulgarorum cap. 104. vult explorari conditionem baptisantis, an Christianus sit, vel Judæus, vel Paganus, ut inde conjiciatur, quo ritu, legitimo vel non legitimo, collatus fuisset Baptismus.

Objicies 2. S. Augustinum Lib. 7. de Baptismo contra Donatistas cap. 53. ubi asserit, valere Baptisma *receptum sine simulatione & cum aliqua fide*; ergo requirit fidem ut valeat Baptismatis Sacramentum. To. 9. p. 201. D.

Resp. nomine fidei S. Doctorem hic intelligere intentionem seu voluntatem recipiendi Baptismum, sicut jam antea observavimus ex Epistola S. Doctoris 98. aliàs 23. ad Bonifacium.

Objicies 3. Optatum Milevitanum Lib. 5. adversus Parmenianum, ubi docet eandem esse necessitatem fidei ex parte suscipientis, quæ invocationis SS. Trinitatis ex parte Ministri: atqui hæc posterior ita necessaria est, ut sine ipsa nullum sit Baptismatis Sacramentum; ergo & prior. *In hoc Sacramento Baptismatis celebrando*, ait Optatus, *tres esse species constat..., prima species est in Trinitate, secunda in credente, tertia in operante .... duas video necessarias .... principalem locum Trinitas possidet, sine qua res ipsa non potest geri:* P. 83. nu. 4.

hanc

hanc sequitur fides credentis. Jam persona operantis vicina est, qua simili auctoritate esse non potest.... Trinitas enim semper ipsa est, fides in singulis una est; vim suam semper retinent ambæ &c.

Resp. in mente Optati fidem suscipientis esse quidam necessariam, sicut invocationem Trinitatis, sed diverso necessitatis gradu. Invocatio enim Trinitatis absolutè necessaria est, *sine qua*, inquit ille, *res ipsa non potest geri*, quæ proinde *principalem locum obtinet*: at verò fides in suscipiente necessaria est non ad substantiam Sacramenti, sed ad fructum dumtaxat seu effectum ipsius percipiendum. Loqui verò Optatum de fructu
P. 80. num. 1. seu gratia Sacramenti, ostendunt hæc ipsius verba: *Quis fidelium nesciat singulare Baptisma, virtutum esse vitam, criminum mortem, nativitatem immortalem, cœlestis regni comparationem, innocentiæ portum, peccatorum, ut tu dixisti, naufragium. Has res unicuique, non ejusdem rei operarius* (id est Minister) *sed credentis fides & Trinitas præstat.*

Objicies 4. S. Abrosium Lib. 1. de Spiritu S. cap. 3.
To. 2. p. 608. D. ubi sic loquitur: *Plenum est Baptismatis Sacramentum, si Patrem & Filium, Spiritumque fatearis. Si unum neges, totum subruis. Et quemadmodum si unum in sermone comprehendas, aut Patrem, aut Filium, aut Spiritum S.; fide autem nec Patrem, nec Filium, nec Spiritum S. abneges, plenum est fidei sacramentum. Ita etiam quamvis & Patrem & Filium & Spiritum dicas, & aut Patris, aut Filii, aut Spiritus S. minuas potestatem, vacuum est omne mysterium.* Ergo, judice S. Ambrosio, fides suscipientis necessaria est ad veritatem Sacramenti.

Resp. nego cons. Hæc est S. Doct. mens atque sententia, nempe Sacramentum quoad effectum, seu gratiam, nullum esse, quando sine fide aliisque prævus dispositionibus necessariis percipitur: neque verò alium sensum exprimunt verba ista, *vacuum est omne mysterium*. Quippe cùm res aliqua effectum, ad quem destinata est, non assequitur, nulla & vacua solet appellari; Sacramentum autem institutum à Deo est, ut spiritalem nobis conferat gratiam: cùm igitur hoc suo fine vitio suscipientis defraudatur, vacuum dicitur & inane Sacramentum.

QUÆSTIO ULTIMA.

De Cæremoniis Sacramentorum.

De cæremoniis seu ritibus Sacramentorum in genere dumtaxat hîc agemus, de singulis pro re nata, ubi de unoquoque Sacramento, dicturi.

Nomen, definitio, ac partitio cæremoniarum.

Nomen.

Cæremoniæ, aut *cærimonia*, inquit Isidorus Lib. 6.
Edit. Paris. 1605. p. 82. col. 1. A. Etymologiarum c. 19. *apud Latinos dicuntur sacra omnia quæ apud Græcos Orgia vocantur. Propriè autem visum est doctoribus appellari cæremonias, quasi carimonias*; eo quòd quædam cæremoniæ in abstinendo & carendo positæ sunt, qualis erat apud Judæos carere usu carnis suillæ, & omnia ferè vota Nazaræorum, & aliorum qui vini & aliarum multarum rerum usu, ex voto carebant.

Definitio.

Cæremonia rectè definitur vel describitur, Actus externus Religionis, qui ad honorem Dei, ornatum & pompam cultus divini, Sacramentorum dignitatem ac reverentiam, & ad hominum utilitatem refertur.

Cæremonia, inquit Bellarminus Lib. 2. de Sacramen-
To. 3. p. 89. F. tis in genere, Controversia 6. c. 29. " non aliunde habet laudem, nisi quia fit ad Dei honorem. Religio enim, *pergit*, quæ nobilissima est moralium virtutum, tres habet actus, ut quævis alia virtus. Primo, actum internum elicitum, qui est velle Deo debitum honorē, & cultum dare. Secundo, actum externum interno respondentem, qui est quælibet externa actio, quæ non aliunde est bona & laudabilis, nisi quia fit ad Deum colendum, ut Sacrificium, genuflexio, & similia. Tertio, actum imperatum, id est actum cujusvis virtutis, qui à Religione ordinetur ad Dei honorem. Hoc modo jejunia, eleemosynæ, & alia id genus dici possunt actus Religionis quando fiunt ad colendum Deum, licet aliquando sint etiam actus aliarum virtutum. De hoc tertio actu dixit S. Jacobus c. 1. Religionem esse visitare pupillos, & immaculatum se custodire ab hoc sæculo; & S. Aug. Enchirid. c. 3. dixit, Deum coli fide, spe & charitate. Ex his tribus actibus, primus ullo modo est cæremonia; tertius non est etiam cæremonia, nisi quatenus imperatur à Religione: secundus est propriè & simpliciter cæremonia, & de eo tractamus hoc loco." Hactenus Bellarm.

Partitio Cæremoniarum.

Omnes generatim Sacramentorum cæremoniæ vel præcedunt, vel comitantur, vel subsequuntur administrationem Sacramentorum; unaquæque vero suam laudem habet & utilitatem. Quæ præcedunt, ad gratiam præparant; quæ comitantur, eam clarius exprimunt ac quasi oculis subjiciunt, quæ subsequuntur, in ea jam percepta hominem firmius confirmant. Communi ac trito vocabulo cæremoniæ Sacramentorum appellantur Sacramentalia, quia pertinent ad ritum seu modum administrandi Sacramenta.

Bellarminus loco mox citato paulo explicatius varias cæremoniarum partitiones evolvit. Quinque refert.

"Prima partitio sumitur à fine seu effectu. Quædam ibid. p.
enim instituuntur ad justificandum, ut Sacramenta 90. A.
.... Quædam ad alios quosdam effectus spirituales, ut ad dæmones coercendos, ut exorcismi, aqua benedicta &c. quædam ad solum ornatum & significationem, ut vestis alba Neophytorum, lumina cereorum &c.

"Secunda partitio sumitur à causa efficiente, id est, ab institutore. Quædam enim sunt ab ipsa natura quodammodo institutæ, quæ dici possunt naturales; quale est respicere in cœlum, tollere manus, flectere genua, tundere pectus; cum Deum oramus: ista enim natura ipsa docet, unde communes etiam Gentilibus & quibuscunque Sectis. Quædam sunt à Deo institutæ, ut multæ in Testamento veteri, & Sacramenta quædam in novo; atque hæ divinæ cæremoniæ appellantur. Quædam denique sunt ab Apostolis, vel eorum successoribus institutæ, quæ dicuntur Ecclesiasticæ....

"Tertia partitio sumitur à causa formali. Quædam enim cæremoniæ sunt immediate cultus Dei, ut sacrificium, oratio, adoratio. Quædam disponunt ad colendum Deum, ut jejunia, cœlibatus, vitæ asperitas &c. Quædam sunt instrumenta divini cultus, ut templa, aræ, calices.

"Quarta partitio à causa materiali, seu ab objecto materiali. Quædam enim cæremoniæ versantur circa personas; ut exorcismi, insufflatio, aspersio cineris &c. Quædam circa tempus, ut dies festi, Vigiliæ, Quadragesima .... Quædam circa modum, ut quod latine Sacramenta ministrentur. Quædam denique circa res ipsas, ut benedictiones aquæ, olei, vestium, palmarum &c.

"Quinta denique partitio sumitur ab accidentibus. ut quod aliæ sint universales, aliæ particulares, ut jejunium Sabbati temporibus S. Aug. servabatur Romæ, non Mediolani; & contra lotio pedum baptisma, servabatur Mediolani, non Romæ. Item aliæ temporales, ut abstinentia à sanguine & suffocato Act. 15. Aliæ perpetuæ, ut ritus Sacramentorum; denique aliæ in præcepto, aliæ liberæ, de quibus vide S. August. Epist. 118." Ita Bellarminus.

Cære-

Cæremoniarum rectitudo & æquitas.

Novatores Lutherani & Calvinistæ multis calumniis ac mendaciis Catholicæ Ecclesiæ cæremonias proscindunt ac deformant, quibus sepositis, vix ulla inter nos superest controversia. Ut igitur ea mendacia & calumnias statim diluamus & occupemus, fatemur.

I. Cæremonias Ecclesiasticas præcipuum non esse cultum, qui Deo impendi debet.

II. Ab iis non pendere essentiam & efficaciam Sacramentorum.

III. Eas vim non habere justificandi, sicut habent Sacramenta.

IV. Minime probari à nobis ritus, si qui forent, qui cum verbo Dei pugnarent.

V. Eos plus æquo multiplicari non debere, ne forte sua multitudine obruant quodammodo Religionem cui servire debent. *Ut enim agricolæ*, belle ait Bellarminus loco citato cap. 30. *cupiunt in vitibus præter*
Ibid. G. *uvas etiam pampinos, quibus ornentur & adjuventur uvæ: sed si nimirum pampini crescant, & impediant potius quam juvent, eos resecant; ita faciendum esse in hujusmodi ritibus docet S. Aug.* Epistola 119. nunc 55.

Neque dicas illum cæremoniarum apparatum contrarium videri simplicitati & veritati divini cultus. *Venit tempus & nunc est*, ait Christus Joan. 4. v. 23. *quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu & veritate.* Ab illa autem adoratione *in spiritu & veritate* avocant tot externæ ac corporales cæremoniæ, quibus gravatur & quasi suffocatur cultus interior ac spiritualis.

Non est, inquam, quod id cum Novatoribus opponas; mox enim patebit, valere plurimum illam cæremoniarum pompam & apparatum, ut mens ad cœlestia erigatur. Adoratio igitur Dei in spiritu & veritate, de qua Joan. 4, non cæremoniis nostris opponitur, sed cultui tum Judaico, qui totus corporalis erat & externus, ac in umbris & figuris positus; tum Samaritano, qui falsitati & errori admistus erat, Unde paulo ante Dominus dixerat: *Neque in monte hoc*, id est, Garizim, ubi Samaritani adorabant, *neque in Hierosolymis adorabitis Patrem*, ac si diceret: Non coletis Deum deinceps cultu Samaritanorum falso, neque cultu Judaico, præcipue corporali, sed cultu Christiano, qui erit in spiritu & veritate, id est, purus ab omni errore, ac spiritualis in solo exteriori cæremoniarum cortice non inhærens.

Rectas esse ac laudabiles cæremonias quibus utitur Ecclesia, earum necessitas & utilitas demonstrant.

Cæremoniarum necessitas & utilitas

Quæ sint commoda & utilitates cæremoniarum exponit Conc. Tridentinum Sess. 22. de Sacrificio Missæ c. 5. his verbis. "Cum natura hominum ea sit, ut non „facile queat sine adminiculis exterioribus ad rerum di-
To. 14. „vinarum meditationem sustolli, propterea pia mater
Conc. p. „Ecclesia ritus quosdam, ut scilicet quædam submissa
854. B. „voce, clariore in Missa pronuntiarentur, instituit.
„Cæremonias item adhibuit, ut mysticas benedictiones, „lumina, thymiamata, vestes, aliaque id genus multa „ex Apostolica disciplina & traditione, quo & majestas „tanti Sacrificii commendaretur, & mentes fidelium „per hæc visibilia Religionis & pietatis signa ad rerum „altissimarum, quæ in hoc sacrificio latent, contem„plationem excitarentur.

Tridentino Concilio succinit Catechismus Romanus jussu ejusdem Concilii adornatus parte 2. num. 16. „His, *inquit*, accedunt cæremoniæ, quæ tametsi præ„termitti sine peccato non possunt, nisi aliud faceræ ip„sa necessitas cogat: tamen, si quando omittantur, „quoniam rei naturam non attingunt, nihil de vera „Sacramenti ratione imminui credendum est. Ac me„rito quidem à primis usque Ecclesiæ temporibus illud „semper servatum est, ut Sacramenta solemnibus qui„busdam cæremoniis ministrarentur. Primum enim „maxime decuit, sacris mysteriis eum Religionis cul„tum tribuere, ut sancta sancte tractare videremur. „Præterea, quæ Sacramento efficiuntur, cæremoniæ „ipsæ magis declarant, ac veluti ante oculos ponunt, & „earum rerum sanctitatem in animis fidelium altius „imprimunt. Deinde vero mentes illorum, qui eas intu„entur, & diligenter observant, ad sublimium rerum „cogitationem erigunt, fidemque in eis, & charita„tem excitant: quo major cura & diligentia adhiben„da erit, ut fideles vim cæremoniarum quibus singula „Sacramenta conficiuntur, cognitam & perspectam „habeant.

Ex istis tum Concilii, tum Catechismi verbis manifestum est, multum esse cæremoniarum fructum, easque potissimum valere.

I. ad majestatem & reverentiam mysteriis nostræ Religionis conciliandam. Externo enim illo apparatu, ornatu & pompa Ecclesiasticorum rituum, ad cultum, venerationem & obsequium exhibendum homines longe proniores fiunt, quod divina majestas inde magis eorum oculis splendescat.

II. ad pietatem Fidelium promovendam, ac excitandam, nutriendam eorum fidem, notitiam mysteriorum oculis veluti subjiciendam; denique ad excitandum in corde tenerum quemdam Religionis & amoris Dei affectum. Ita quippe homo factus est, ut per externa & sensibilia signa ad spiritualia erigatur. Tam enim à captu nostro remota sunt fidei mysteria, ut nisi indumentis quibusdam velut circumvestita ob oculos ponantur, mentis attentionem facilè fugiant. "Ad ipsum ig- To. 2. p.
„nem amoris nutriendum & flandum quodammodo, 536 A.
„*ait S. Aug. Epist. 55. alias 119. c. 11.* quæ tanquam „pondere sursum vel introrsum referamur ad requiem, „ista omnia pertinent, quæ nobis figuratè insinuantur: „plus enim movent & accendunt amorem, quàm si „nuda sine ullis Sacramentorum similitudinibus pone„rentur. Cujus rei causam difficile est dicere. Sed ta„men ita se habet, ut aliquid per allegoricam significa„tionem intimatum plus moveat, plus delectet, plus „honoretur, quam si verbis propriis diceretur apertissi„me. Credo quod animæ motus quandiu rebus adhuc „terrenis implicatur, pigrius inflammatur: si vero fera„tur ad similitudines corporales, & inde referatur ad „spiritualia, quæ illis similitudinibus figurantur, ipso „quasi transitu vegetatur, & tanquam in facula ignis „agitatus accenditur, & ardentiore dilectione rapitur „ad quietem." Hæc S. Augustinus.

Describit idem S. Doctor L. 9. Confessionum c. 6. & 7. quos pietatis sensus in se excitari expertus fuerit ex hymnis & canticis Ecclesiæ. "Quantùm flevi, *ait*, To. 1. p.
"in hymnis & canticis tuis (*apostrophe est ad Deum*) 162. E.
"suave sonantis Ecclesiæ tuæ vocibus commotus acri"ter! Voces illæ influebant auribus meis, & eliquaba"tur veritas in cor meum, & exæstuabat inde affectus "pietatis, & currebant lachrymæ, & bene mihi erat cum "eis. Non longè cœperat Mediolanensis Ecclesia ge"nus hoc consolationis & exhortationis celebrare, ma"gno studio fratrum concinentium vocibus & cordibus. "Nimirum annus erat, aut non multò amplius, cùm "Justina Valentiniani Regis pueri mater, hominem
"tuum Ambrosium persequeretur hæresis suæ causa, Origo
"qua fuerat seducta ab Arianis. Excubabat pia plebs cantus in
"in Ecclesia, mori parata cum Episcopo suo, servo tuo. Ecclesia
"Ibi mater, ancilla tua, sollicitudinis & vigiliarum pri- Mediola-
"mas partes tenens, orationibus vivebat. Nos adhuc nensi.
"frigidi à calore spiritus tui, excitabamur tamen civita"te attonita atque turbata. Tunc hymni & psalmi, ut "canerentur secundùm morem Orientalium partium, "ne populus mœroris tædio contabesceret, institutum "est; & ex illo in hodiernum retentum multis jam ac "penè omnibus gregibus tuis, & per cætera Orbis imi"tantibus.

Externi etiam orantium gestus &c. aliquid utilitatis habent. To. 6. p. 520. A.B.

Quin & externos orantium gestus, ac corporis conformationem aliquid ad pietatem prodesse docet idem S. Aug. L. de cura pro mortuis gerenda cap. 5. num. 7. "Nam, *inquit*, & orantes de membris sui corporis faciunt quod supplicantibus congruit, cùm genua figunt, cùm extendunt manus, vel etiam prosternuntur solo, & si quid aliud visibiliter faciunt, quamvis eorum invisibilis voluntas & cordis intentio Deo nota sit, nec ille indigeat his indiciis, ut humanus ei pandatur animus; sed hinc magis se ipsum excitat homo ad orandum gemendumque humiliùs atque ferventiùs. Et nescio quomodo, cùm hi motus corporis fieri nisi motu animi præcedente non possint, eisdem rursus exteriùs visibiliter factis, ille interior invisibilis, qui eos fecit, augetur; ac per hoc cordis affectus, qui ut fierent ista præcessit, quia facta sunt crescit." Ante S. Aug. jam observaverat Tertullianus, etiam in gestibus ac conformatione corporis Christianos mysteria fidei suæ ab initio expressisse. *Nos*, inquit, *manus non tantùm attollimus, sed etiam expandimus divina passione modulantes*.

III. Utiles sunt ceremoniæ tum ad exponenda, tum ad defendenda fidei nostræ mysteria; quæ enim obscuriùs in Sacramentis, apertiùs per ritus ac cæremonias adjunctas manifestantur. Unde S. Aug. L. 1. de peccat. mer. & rem. cap. 34. & L. 10. in Julianum c. 2. ex exorcismis, qui Baptismum antecedunt, invictè demonstrabat esse in parvulis originale peccatum.

IV. ad conservationem Religionis, divini cultus majestatem, & ad distinctionem Catholicorum ab Hæreticis. Namque 1. Religio per actus externos conservatur: id verò maximè præstant cæremoniæ, ne illa vilescat & contemnetur, sicque paulatim pereat; sed potius efficiunt ut continuo usu tuta vigeat & magnis indies efflorescat. 2 Cæremoniæ non immeritò dici possunt ad partem cultus divini pertinere: Homo scilicet qui anima & corpore constat, Deum colere & honorare tenetur tum internis animi, tum externis corporis actionibus. 3. denique, per cæremonias distinguimur ab Hæreticis: illi etenim nonnulla quidem nobiscum communia retinent Sacramenta, sed in ritu ac modo ea solemniter admininistrandi multùm à nobis dissident. Quòd si nonnulli ex nostris nostrarum cæremoniarum apparatu abutuntur, quasi Religionis summam in illis collocando, eos improbamus; ac vitium illud hominis est abutentis, non rei qua abutitur.

Nec vim ullam habet, quod opponunt Novatores, ritus nostros ferè omnes à Judæis acceptos esse, quos etiam Pagani suos sacrilega imitatione fecerunt. Quid tum? An non recti & laudabiles erant ritus Judæorum, quos Deus ipse instituerat? An non licuit Ecclesiæ, ut faciliùs ad unitatem fidei Judæos & Gentiles adduceret, nonnullos eorum ritus retinere, omni sublata specie superstitionis, eos consecrando ac sanctificando? Hac certè prudenti œconomia usi fuere Apostoli in Concilio Hierosolymitano, cùm primis Christianis legem ad tempus imposuerunt abstinendi à sanguine & suffocato, à quibus abhorrebant Judæi, qui tam citò ad oppositam disciplinam transferri non potuissent.

Nec te moveat quòd tam simplici cultu Ecclesia primis sæculis divina mysteria celebraret. Metu enim persecutionum in cryptis ac locis subterraneis absconditi Fideles, sine ullo ferè apparatu Sacra peragere cogebantur: at reddita pace, cùm favente Constantino paulò respiravit, mirum quo magnifico sumptu & erecta templa, & qua pompa ac superbo rituum apparatu divina Officia fuerint celebrata. Lege Eusebium in vita Constantini.

Estne aliquarum cæremoniarum quidam spiritualis effectus?

Ita certè; maximè verò signi Crucis, quod in omnibus Sacramentis perficiendis adhiberi docet S. Aug. Tract. 118. in Joan. Cujus vim & efficaciam plurimum extollunt SS. Patres.

Observandum autem cum Bellarmino de Sacramentis in genere L. 2. c. 31. "tribus modis operari signum Crucis in dæmonibus terrendis. Primo, ex apprehensione ipsorum dæmonum; secundo, ex devotione hominis; tertio, idque potissimum, ex instituto Dei, atque adeo, *ut nonnullis placet*, ex opere operato. Ac primum, dubium esse non potest, quin dæmon cum signum Crucis fieri videt, recordetur se Christi cruce devictum, ac proinde horreat illud signum suæ calamitatis, & fugiat .... Deinde vim habet hoc signum ex pietate & devotione hominis se signantis, eo modo quo vim habet oratio vocalis Est enim signum Crucis quædam invocatio meritorum Christi crucifixi signo expressa: loquimur enim corde, ore, & nutibus." Tertio ex instituto Dei valet aliquando signum crucis ad dæmones fugandos. Dico, aliquando: neque enim hunc effectum semper, necessario ac infallibiliter annexum habet, sed cum vult Deus, ac providentiæ suæ decretis consentaneum est. Quapropter non eodem modo, quo Sacramenta, efficax est ex opere operato. Tr. 2. p. 91. D.

Habet ne Ecclesia potestatem instituendi cæremonias?

Observandum cum Bellarmino L. 2. de Sacramentis c. 31. cæremonias quæ ab Ecclesia instituuntur, tribus modis utiles esse posse. 1. *Ad orandum, & repræsentandum aliquod mysterium Religionis, & eo modo juvando rudiores*. 2. *ad morbos curandos & dæmones pellendos, & peccata venialia purganda, & alia id genus, idque per modum impetrationis, ut cum Ecclesia benedicit candelas, aquam, palmas, agros &c. Ista enim valent ad effectus illos ad quos instituuntur ex vi orationum Ecclesiæ*. 3. ad effectus aliquos producendos per applicationem meritorum Christi, atque ita quasi ex opere operato: qui certe modus cæremoniis convenire non videtur; siquidem effectus illos, ut jam dictum est, semper, necessario, ac infallibiliter non operantur. Ibid. F.

Atque his præsuppositis, certum est Ecclesiam habere potestatem instituendi cæremonias.

I. Quia potestatem à Deo accepit promovendi exteriorem Dei cultum, ornandi Sacramenta, instituendi Fideles, & ad pietatem eos informandi: atqui ad hæc omnia conferunt plurimum cæremoniæ, ut patet ex ante dictis.

II. Minorem potestatem haud dubie non habet Ecclesia Christi, quam vetus Judæorum Synagoga: ac ista poterat novos ritus, cæremonias, festivitates instituere. Ester 9. Synagoga, auctore Mardochæo, addidit novum festum diem solemnem omnibus celebrandum, quem Deus in Lege non instituerat. Idem factum est tempore Judith; sic enim legimus cap. ultimo, *Dies autem victoriæ hujus festivitatis ab Hebræis in numero sanctorum dierum accipitur, & colitur a Judæis ex illo tempore usque in præsentem diem*. Gen. 28. Jacob novam cæremoniam excogitavit; erexit enim lapidem in titulum fundens oleum desuper, & vocavit nomen loci illius *Bethel*, in memoriam visionis quam in eo loco habuerat.

III. Ipsimet Apostoli Act. 15. in Concilio congregati novam induxerunt disciplinam, nempe ut Gentiles ad fidem conversi abstinerent à sanguine & suffocato, quod certe nusquam Deus jusserat, nisi Judæis. Quin & S. Paulus, interprete S. Aug. Epist. 54. alias 118 potestatem hanc determinandi ea quæ ad decentem Sacramentorum administrationem pertinent, assignavit 1. Cor. 11. v. 34. his verbis, *cætera cum venero disponam*; quæ S. Doctor de Eucharistia ante omnem cibum percipienda interpretatur. *Salvator*, inquit, *ideo non præcepit quod deinceps ordine sumeretur, ut Apostolis, per quos Ecclesias dispositurus erat, servaret hunc locum*. To. 2. p. 127 A. B.

IV.

feliciter exercuit eruditorum, qui de rebus Liturgicis scripsere, industria; imprimis verò D. Claudii de Vert Ordinis Cluniacensis Religiosi, in Opera Gallico cui titulum fecit, *Explication simple, literale & historique des Ceremonies de l'Eglise*. Parisiis 4. Tomis in 8. apud Florentinum Delaulne.

Alterum extremum illorum est, qui neglecta, ne dicam improbata, illa literali & historica origine cæremoniarum, unicè ad mysticam & symbolicam earum significationem attendunt, ac in minutissimis quibusque rebus nonnihil altioris ac reconditi mysterii latere arbitrantur.

Media, nostro quidem judicio, quædam via tenenda est, qua utraque extrema sententia concilietur; si nempe nec litteralis & historica, quæ ad eruditionem, nec mystica & symbolica, quæ ad pietatem valet plurimùm, cæremoniarum explicatio contemnatur, sed utraque simul, quantùm fieri potest, consocietur. Prima, fateor, aptior videtur ac commodior revincendis Novatoribus, qui superstitionis vitium in ritibus sacrificii perpetuò nobis obtrudunt; altera verò ad pietatem Fidelium & Mysteriorum intelligentiam magis comparata. Prior posterioris basis est ac fundamentum; neque certè D. de Vert animus ac consilium unquam fuisse videtur, mysticas illas ac spirituales explicandi cæremonias rationes excludendi, sicut ipsemet apertè profitetur pag. 45. præfationis primo tomo præfixæ.

Dicendum igitur, non improbata literali & historica cæremoniarum expositione, etiam à primis Ecclesiæ exordiis, mysticum ac symbolicum sensum annexum illis fuisse.

Tædiosum certè foret singulas seu veteris seu Legis novæ cæremonias hìc enumerare, ac uniuscujusque symbolicam designata significationem: ex multis pauca perstringemus.

Ac 1. quidem Lex vetus tota certè symbolica erat, ad præfigurandam novam, & Christum ipsum, qui finis est Legis, prænuntiandum destinata. *Omnia in figura contingebant illis*, ait S. Paulus 1. Cor. 10. v. 11. Sacrificia, quæ Abel, Abraham, Jacob, & alii Deo obtulerunt, non nuda profectò fuerunt, omnique spirituali sensu destituta signa, sed mentis obsequium, ac cordis oblationem designabant, nec in vanum Deus celebris illius Sacrificii quod Abraham Gen. 15. obtulit, & aliorum omnium apparatum ac cæremonias præscripsit.
To. 2. p. 271. D. *Significativa sunt omnia talia sacrificia*, ait S. Aug. Epist. 102. aliàs 49. ad Deogratias in respons. ad 3. quæstionem, *& quarundam rerum similitudines*; & quidem ad nostram utilitatem ordinatæ. Namque, ut
To. 8. p. 206. A. B. ait idem S. Doctor L. 6. contra Faustum cap. 5. *Deus non frustra ea, quibus non indiget, sibi juberet offerri, nisi aliquid in eis ostenderet, quod nobis & nosse prodesset, & talibus signis præfigurari oporteret*.

Jacob, Gen. 28. *erexit lapidem in titulum, fundens oleum desuper*. Quod etiam c. 35. v. 14. ejusdem Libri iterum fecisse legitur, consecrando ibi lapidem, ubi cum Deo luctatus fuerat, ac repromissiones acceperat, nomenque sibi permutatum cognoverat; quam consecrationem olei tantùm libaminumque effusione factam fuisse denotant verba hæc, *Erexit titulum lapideum, in quo locutus fuerat ei Deus libans super eum libamina & effundens oleum*.

Ista porro libaminum & olei effusio, divinum quid ac sacrum denotabat. Nemo quippe ignorat, quanto in usu ac pretio apud Judæos fuerit olei unctio, qua Sacerdotes consecrabantur, inaugurabantur Reges, ac omnia Tabernaculi utensilia sanctificabantur; unde sacrum & sanctum oleum dicebatur, cujus conficiendi singularem ritum ac formam Deus ipse præscripsit Exodi 30.

Hincque David Psalm. 44. prophetico spiritu de Christo propter plenitudinem gratiæ, quæ in ipso erat, dixit: *Dilexisti justitiam & odisti iniquitatem, propterea unxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ*. Metaphora ducta eb oleo quo Israelitæ festivis diebus utebantur, & quod ipsis in deliciis erat; quo perfuso homines ac mulieres animi hilaritatem, festum diem, cordis lætitiam indicabant, & à quo luctus ac doloris causa abstinebant.

Quin & superstitiosi Gentiles eò etiam progressi sunt, ut non tantum lapides atque ligna in hominum aut brutorum similitudinem affabrè effigiata, oleo perungerent; sed etiam rudes atque impolitos lapides, quorum usus in agris terminandis erat, oleo perungere ac consecrare solerent, ondareligioni ducebant illos manu contrectare aut loco movere, ut constat ex Platone Lib. 8. de Leg. Istos porro lapides non inunxissent superstitiosi illi Pagani, nec coluissent; nisi in ea cæremonia divini aliquid inesse ac latere arbitrati fuissent atque etiam aliquid divinitatis in terminis, ut notum est, admisissent. Unde Arnobius de se ipso loquens, cùm Paganorum adhuc teneretur erroribus, Lib. 1. adversus Gent. ait: „ Venerabar, ô cæcitas! nuper simulachra Ad cal. Oper. S. Cypriani p. 11.
"modò ex fornacibus prompta, in incudibus deos &
"malleis fabricatos, elephantorum ossa, picturas, ve-
"ternosis in arboribus tænias. Si quando conspexeram
"lubricatum lapidem, & ex olivæ unguine sordidatum,
"tanquam inesset vis præsens, adulabar, affabar, & be-
"neficia poscebam nihil sentiente de trunco. „ Quam Pagani ex superstitione, hanc veri Dei cultores ex Religionis sensu unctionis cæremoniam observabant.

II. Quantò clarior est & expressior cæremoniarum in nova Lege spiritualis ac mystica significatio! Quid aliud, quæso, referunt Baptismi & Eucharistiæ ritus, nisi sublime quid ac divinum? Non aliò profectò tendunt in administratione Baptismi, exorcismi, insufflatio, renuntiatio diabolo ejusque pompis, degustatio salis, unctio, tactus aurium, cæreus accensus &c. Totus Baptismi ritus symbolicus est, figura & imago mortis ac sepulturæ Christi, ac novæ, quæ in ipso habenda est, vitæ. „ An ignoratis, *ait S. Paulus Rom. 6. v. 3.* quia
"quicunque baptisati sumus in Christo Jesu, in morte
"ipsius baptisati sumus? Consepulti enim sumus cum
"illo per Baptismum in mortem, ut quomodo Christus
"surrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in
"novitate vitæ ambulemus. Aqua in Baptismo, *ait S.* Ed. vet.
"*Basilius Lib. de Spiritu S. cap. 15.* mortis exhibet si- To. 2. p.
"militudinem, corpus velut in sepulchro recipiens. Spi- 177. C.
"ritus verò vim vivificam immittit, à morte peccati
"renovans animas nostras in novam vitam.

Olim Catechumenis post solitas renuntiationes dabatur pallium loco togæ, quod certè mysterio non carebat: toga scilicet dignitatis insigne erat, pallium vero abjectionis & humilitatis, qualem decet Christianos. Tertullianus Lib. de pallio c. 5. „ Enim vero, *ait*, cùm P. 118.
"hanc primùm sapientiam vestit quæ vanissimis super- A.
"stitionibus renuit, tunc certissimé pallium super om-
"nes exuvias & peplos augusta vestis; superque omnes
"apices & tutulos Sacerdos suggestus. *Et postea*: Gran- P. 119.
"de pallii beneficium est, sub cujus recogitatu improbi C.
"mores vel erubescunt. „ Hinc illud procax Gentilium in Christianos dicterium, *à toga ad pallium*.

In Eucharistia autem quot mysteria! panem & vinum, cibum & potum usualem pro materia hujus Sacramenti assumit Christus, ut significet Eucharistiam ac quotidianam esse debere animorum nostrorum cælestem alimoniam: in azymo pane consecrat, ut quæ debeat esse animæ mundities ac puritas, oculis veluti subjiciat. „ Expurgate vetus fermentum, *ait Apostolus 1.*
"*Cor. 5. v. 7.* ut sitis nova conspersio &c. Itaque epu-
"lemur non in fermento veteri, neque in fermento ma-
"litiæ & nequitiæ, sed in azymis sinceritatis & verita-
"tis. „ Panis vero qui ex multis granis confectus est, unionem populi cum Christo significat: *Unus panis, unum corpus multi sumus, qui de uno pane participa-*

mus, ait idem Apostolus 1. Corinth. 10. v. 16. Pedes Discipulorum lavat, quare? Explicat ipse Christus Joan. 13. *Qui lotus est*, id est baptisatus, *non indiget nisi ut pedes lavet*, hoc est, quotidiana exporget peccata.

Spiritualem ac symbolicum esse nostrarum cæremoniarum finem, jam paulo antè ex Concilio Tridentino & Catechismo Romano demonstravimus; neque porrò desideratur finis ille in iis etiam cæremoniis v. g. luminarium, thuris &c. quarum originem & institutionem totam litteralem esse ac historicam nonnulli referunt.

Utrumque illum cereorum seu luminarium finem agnoscit S. Hieronymus confutans Jovinianum, nempe tum ad solatium & necessitatem, cùm Sacra de nocte peragebantur, tum in signum lætitiæ ac fidei. Audiatur S. Doctor Lib. adversus Vigilantium. „Cereos,
Tom. 4. part 2. p. 284. "*inquit*, non clara luce accendimus, sicut frustra calumniaris; sed ut noctis tenebras hoc solatio temperemus, & vigilemus ad lumen, ne cæci tecum dormiamus in tenebris. Quòd si aliqui per imperitiam & simplicitatem sæcularium hominum, vel certe religiosarum feminarum,..... hoc pro honore Martyrum faciunt, quid inde perdis? causabantur quondam & Apostoli, quod periret unguentum; sed Domini voce correpti sunt. Neque enim Christus indigebat unguento, nec Martyres lumine cereorum; & tamen illa mulier in honore Christi hoc fecit, devotioque mentis ejus recipitur. Et quicumque accendunt cereos, secundùm fidem suam habent mercedem, dicente Apostolo: Unusquisque in sensu suo abundet. Idololatras appellas hujusmodi homines? Non diffiteor, omnes nos qui in Christo credimus, de idololatriæ errore venisse: non enim nascimur, sed renascimur Christiani. Et quia quondam colebamus idola, nunc Deum colere non debemus, ne simili eum videamur cum idolis honore venerari? Illud fiebat idolis, & idcirco detestandum est; hoc fit Martyribus, & idcirco recipiendum est. Nam & absque Martyrum reliquiis per totas Orientis Ecclesias, quando legendum est Evangelium, accenduntur luminaria, jam Sole rutilante; non utique ad fugandas tenebras, sed ad signum lætitiæ demonstrandum. Unde & Virgines il-
Matt. 25. Luc. 12. "læ Evangelicæ semper habent accensas lampades suas. Et ad Apostolos dicitur: Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris. Et de
Joan. 5. "Joanne Baptista: Ille erat lucerna ardens & lucens, ut sub typo luminis corporalis illa lux ostendatur, de
Ps. 118. "qua in Psalterio legimus: Lucerna pedibus meis verbum tuum, Domine, & lumen semitis meis.„ Hæc S. Hieronymus.

Multi è veteribus cereorum usum in sacris Officiis commemorant: Prudentius Hymno 2. in honorem passionis S. Laurentii, S. Paulinus Poem. 14. aliàs 18. de S. Felic. Natal. 3. vers. 98. S. Gregorius Turonensis Lib. de glor. Confess. cap. 21. 69. 70. 71. 79. In exequiis defunctorum solitos Christianos cereos accendere, testantur S. Gregorius Nazianzenus Oratione 4. adversus Julianum, S. Hieronymus Epistola 86. aliàs 27. ad Eustochium, S. Greg. Nyssenus de Vita S. Macrinæ.

Quod de usu cereorum, idem & de usu thuris dicendum; nempe adhibitum fuisse ad depellendum noxium odorem, qui ex locis subterraneis & ex magna Fidelium in illis inclusorum copia exhalabat. Ita fert antiquum Missale S. Dionysii in Gallia ad benedictionem incensi: *Hoc incensum ad omnem fœtorem nocivum extinguendum Dominus benedicat, & in odorem suavitatis accendat*. Et S. Thomas 3. p. q. 83. art. 5. ad 2. „Thurificatione, *inquit*, non utimur quasi cæremoniali præcepto legis, sed sicut Ecclesiæ statuto..... primò quidem ad reverentiam hujus Sacramenti; ut scilicet per bonum odorem depellatur, si quid corporaliter pravi odoris in loco fuerit, quod posset provocare horrorem: secundò ad repræsentandum effectum gratiæ.

Primis Ecclesiæ sæculis in usu fuisse thus adolere, significat Canon tertius eorum qui Apostolici dicuntur, *Ne liceat*, inquit, *aliquid aliud ad Altare offerre*, Tom. 1. Conc. p. 26. B. C.
quàm oleum ad luminare, & incensum tempore sanctæ oblationis. Non est quòd in re tam certa & explorata comprobanda immoremur diutiùs: Deus ipse Exodi 30. thuris compositionem præscribit, prohibetque ne in alium quàm Tabernaculi cultum usurpetur, v. 37. *Talem compositionem non facietis in usus vestros, quia sanctum est Domino. Homo quicumque fecerit simile, ut odore illius perfruatur, peribit de populis suis*. Continet igitur usus thuris & incensi sacrum aliquid ac divinum quod ad Dei cultum suo modo refertur, Deo adoletur, tanquam supremo rerum omnium Domino, cui latriæ cultus debetur: thure fumante & odoribus altaria, in honorem Sacrificii quod ibi offertur; thuris honores exhibentur Crucis & Sanctorum imaginibus, qui honos præcipuè ad archetypa tendit ac refertur. Exhibetur quoque sacro Evangeliorum Libro, in signum venerationis qua verbum Dei prosequimur, & boni odoris quem respergere ubique ac diffundere Christiani omnes tenentur. Oblationes etiam suffitu perfunduntur, ut consecrentur, & Deo gratæ fiant & acceptæ. Ipsis denique Fidelibus, dum Sacris intersunt, incensum offertur, ut moneantur orationes suas ad Deum dirigere, & bonorum operum odorem, quasi thus acceptissimum, circumquaque diffundere. Hæc pauca de cæremoniis, quantùm ad institutum nostrum spectat, sufficiant, de quibus data opera fusiùs tractant, qui de rebus liturgicis scripserunt.

Qua lingua Officia divina celebrari in Ecclesia debeant.

Rem statuit Concilium Tridentinum sess. 22. de Sacrificio Missæ c. 8. & Can. 9. Priori loco sic loquitur: „Etsi Missa magnam contineat populi fidelis eruditio- Tom. 14. Conc. p. 854. E.
„nem, non tamen expedire visum est Patribus, ut vulgari passim lingua celebraretur. Quamobrem, retento ubique cujusque Ecclesiæ antiquo, & à sancta Romana Ecclesia, omnium Ecclesiarum matre & magistra, probato ritu, ne oves Christi esuriant, neve parvuli panem petant & non sit qui frangat eis, mandat sancta Synodus Pastoribus, & singulis curam animarum gerentibus, ut frequenter inter Missarum celebrationem, vel per se, vel per alios, ex iis, quæ in Missis leguntur, aliquid exponant; atque inter cætera sanctissimi hujus Sacrificii mysterium aliquod declarent diebus præsertim Dominicis & Festis.

Canone verò 9. sic definivit: *Si quis dixerit Ecclesiæ* Ibid. p. 856. B.
Romanæ ritum, quo submissa voce pars Canonis & verba Consecrationis proferuntur, damnandum esse, aut lingua tantum vulgari Missam celebrari debere..... anathema sit.

Ista porro ad disciplinam pertinent, non ad fidem: perinde quippe valet Sacramentum Baptismi vel Eucharistiæ quocumque idiomate administretur; verba etenim ad elementum, non ad personas circumstantes referuntur. *Accedit verbum ad elementum*, ait S. Augustinus Tract. 80. in Joan. *& fit Sacramentum*. Disciplina porro illa qua cautum est, ne vulgari passim lingua Sacrificium Missæ, cæteraque publica Ecclesiæ officia celebrentur, universalis est, omnemque obligat Ecclesiam, sive Græcam, ut græcè; sive Latinam, ut latinè loquatur, cùm sacra peraguntur Mysteria; jam enim à multo tempore & Græca in Oriente, & Latina lingua in Occidente desiit esse vulgaris & omnibus domestica: unde S. Pius V. Constitutione, *Providentia*, an. 1566. prohibuit, ne Latini græcè, & vicissim Græci latinè celebrarent; voluitque ut suum unaquæque Ecclesia morem ac ritum antiquum probatum retineret. Domestica quidem ac vulgaris aliquando fuit in Oriente græca, sicut latina in Occidente, aut saltem in magna Occidentis parte, quam S. Augustinus Lib. 1. Confess.

cap.

To. 1. p. 78. C. cap. 14. fatetur se *inter blandimenta nutricum, & joca arridentium didicisse*. At ex quo græca Orientalibus, & occidentalibus latina desiit esse vulgaris, Ecclesia optimis rationibus ducta primævum suum idioma in celebrandis suis Mysteriis constanter ab omnibus jussit retineri: soli Novatores usum illum improbant.

Æquissimæ porro rationes illæ quibus Ecclesia nixa fuit, istæ sunt.

Æquissimæ rationes usus Ecclesiæ.

I. Praxis ipsorum Judæorum.

I. Usus & praxis Judæorum, qui in persolvendis Religionis Mosaicæ Officiis Hebræa lingua utebantur, tametsi post captivitatem Babylonicam vulgaris apud ipsos amplius non foret, sed solis Sacerdotibus & Levitis perspecta. Ex frequenti scilicet commercio & cohabitatione cum Chaldæis & Assyriis, linguam Chaldaicam & Syriacam familiarem sibi reddiderunt, suæ patriæ ac vernaculæ linguæ prorsus obliti: unde nonnisi Levitarum interpretatione verba Legis intelligere poterant, sicut legimus Lib. 2. Esdræ cap. 8. v. 13. *In die secundo congregati sunt Principes familiarum universi populi, Sacerdotes & Levitæ ad Esdram Scribam, ut interpretaretur eis verba Legis*. Ergo sine interprete verba Legis, seu Textum Hebræum, Judæi tunc non intelligebant. Idem usus tempore Christi & Apostolorum in Templo adhuc observabatur; atque Legis Doctores textum Legis Hebraicum populo exponebant & interpretabantur.

II. Praxis veteris Ecclesiæ.

II. Usus & praxis Ecclesiæ utriusque tum Græcæ, tum Latinæ, Græci nempe non populari ac domestico vulgi sermone sacra perficiebant, sed græco, ut aperte demonstratur ex Liturgiis SS. Basilii ac Chrysostomi, Ecclesia pariter Latina semper latine Sacramenta ministravit, licet jamdudum lingua latina desierit esse vulgaris. Id vero manifestum est ex Isiodoro, Alcuino, Amalario, Rabano, Strabone Micrologo, Ruperto, Thoma Waldensi, qui scribebant de divinis Officiis in Hispania, Gallia, Germania, Italia, Anglia, quo tempore lingua latina in usu communi ac vulgari non erat.

III. Latinæ linguæ diffusio. *T. 1. p. 664.*

III. Vix ulla lingua sub Sole est, quæ latius diffundatur, quam latina, cum plus etiam quam quartam Europæ partem complecti videatur, ait Stanislaus Cardinalis Hosius Dial. de Sacro vernacule legendo. Hac enim utuntur & Boemi & Moravi, & Cassubi, & Russi, & Moschi, Sclavi, Suetii, Dalmatæ, Croatæ, Bulgari, Rasciani &c. Cæterum, pergit Stanislaus, sic inter se nationes illæ dialectis variant, ut minus etiam Sclavum atque Dalmatam Polonus intelligat, quam Hollandum aut Burgundum, Suevus aut Helvetius.

IV. Commercium Ecclesiarū.

IV. Cum Ecclesia una sit, & membra ejusdem corporis communi quodam societatis vinculo colligati debeant, sapienter omnino institutum fuit, ut ea lingua Sacra celebrentur, quæ commercium Ecclesiarum non impediat. Si vero liceret unicuique linguæ sua familiari ac domestica divina persolvere, commercium illud intercluderetur: non enim possent convenire in Ecclesiis Germanorum, Anglorum, Polonorum, Itali, Galli, Hispani, & vice versa.

V. Ritus Sacramentorum constans.

L. 2. de Sacr. in gen. c. 31. To. 3. p. 94. E.

V. Ritus administrandi Sacramenta constans esse debet, uniformis, decens, nulli mutationi obnoxius, pro constantia, dignitate, ac reverentiæ Religionis cujus Sacramenta sunt: et si lingua vernacula promiscue liceret ea administrari, mirum quanta inde confusio, ei non absimilis, quam in construenda Turri Babel olim contigisse legimus: vulgaris etenim & vernacula lingua continuis mutationibus obnoxia est, ac sæpe sæpius immutandus foret ritus publicus administrandi Sacramenta; multa quippe sunt vocabula jam obsoleta, quæ à paucis jam intelliguntur, & quæ infimorum irrisioni ac contemptui subjacerent; unde procul dubio læderetur, quæ tanta esse debet Sacramentorum majestas, dignitas & reverentia. Qua vero ratione, ait hic Bellarminus, æquum est, ut in Sacramentis administrandis utamur alia domo, aliis vestibus, aliis instrumentis, quam ordinariis & quotidianis, ita par esse videtur, ut utamur alia lingua; nempe ut verba Sacramentorum conceptis verbis, & eodem modo ab omnibus proferantur, ne forte periculum sit mutationis, vel depravationis, aut etiam erroris alicujus. Nullibi autem cum majori salutis æternæ dispendio ac periculo erratur, quam in conficiendis & administrandis Sacramentis: id autem facillime præcavebitur, si eadem lingua omnes utantur; difficillime, si diversis.

Addit Bellarminus loco mox indicato, quod si lingua vulgari Sacramenta ministrentur, aperietur porta latissima ignorantiæ; contenti enim erunt Ministri si sciant legere; atque ita paulatim oblivliscentur linguam latinam, nec Opera sanctorum Patrum legent, & proinde non intelligent Scripturas; verum, quod amplius est, vix congregari unquam poterunt: quæ tamen aliquando necessaria sunt, Concilia generalia: nisi enim quædam sit communis & quasi Ecclesiastica linguæ, quomodo Episcopi sensa sua sibi invicem communicare, ac Religionis negotia communi consilio pertractata ac definire poterunt? *Ibid. F.*

Inde facile est intelligere, quam immerito Novatores nostri inter cæteras suæ ab Ecclesia Catholica secessionis causas, istam obtendant, tum varias quas induxit in cultum divinum cæremonias, tum latinum idioma quo divina Officia persolvenda esse mandavit. Quam levis est, ne dicam injusta hæc querimonia! Namque, ut probatum fuit, & cæremoniæ illæ suum & quidem spiritalem fructum efferunt, & ipsimet Calvinistæ societatem Religionis habent cum Lutheranis Germaniæ & protestantibus Angliæ, qui tamen omnes fere ritus nostros seu cæremonias retinuerunt. Imò nec ipsi quidem Galli Calvinistæ, dum ad exteras regiones perveniunt, conventus fratrum suorum Anglorum v. g. & Germanorum refugiunt, quamquam linguam non intelligent, qua suam illi liturgiam celebrant. Quare igitur in nobis culpant ac reprehendunt, quod in suis tolerare, imo & approbare tenentur?

VI. Versiones Scripturæ in linguam vulgarem improbantur.

VI. Usus linguæ vulgaris in persolvendis Ecclesiasticis Officiis, necessario involvit ac supponit versionem alicujus saltem partis Scripturarum in linguam vernaculam: atqui quantum & Clero Gallicano, & sacræ Facultati Parisiensi displicuerint semper hujusmodi versiones, patet ex multis censuris quibus illæ perstrictæ fuerunt. Ex multis tria dumtaxat exempla hic seligimus.

Primum exempli à censura Missalis Romani Gallice versi.

Primum, quod ordine temporis postremum est, cum anno 1660. prodiisset in lucem Missale Romanum à D. Voisin è latino in vulgarem linguam conversum, ac per columnas divisum, habens ex una parte textum latinum, ex altera vero gallicum, ad rei novitatem attoniti Gallicani Præsules Parisiis congregati, dictam versionem unanimi consensu eodem anno die Martis 7. Decembris improbarunt ac suppressam voluerunt, data etiam die 7. Januarii anni 1661. ad Summum Pontificem Alexandrum VII. Epistola, enixe rogantes ut publica & solemni Constitutione huic novitati statim obsisteret, ne serperet longius. *Inducti fuimus, Beatissime Pater*, ajunt Episcopi Gallicani, *multis iisque gravissimis rationibus, quæ Beatitudinem tuam .... non latent: ac potissimum quod præter antiquitatis reverentiam, postulet ipsa Christianorum rituum ac Mysteriorum dignitas atque majestas, ut ea vulgo & quibusvis obviis non exponantur, ne ipsa sua frequentia & assiduitate vilescant, sintque eo magis mira & veneranda, quo rariora: neve apicum, syllabarum, aut verborum immutatio, quæ ex singulorum idiomatum dialecto & proprietate oritur, scandalum aliquod vel offendiculum in rebus fidei ac doctrinæ ponat*. Laudant ibidem Præsules Gallicani celebre illud sancti Hieronymi testimonium ex Epistola ipsius ad Paulinum, *cum tractent fabrilia fabri, solam Scripturarum artem esse, quam sibi passim omnes* *To. 4. p. 2. pa. 571.*

vendicant, quam garrula anus, quam delirus senex, quam Sophista verbosus, pro libro interpretantur, *lacerant, docent antequam discant: alios adducto supercilio grandia verba trutinantes inter mulierculas de sacris Literis philosophari.*

Rec. des Bulles. p. 452. Alexander VII. die 12. Januarii an. 1661. Constitutionem in forma Brevis emisit, in qua sic loquitur: "Ad futuram rei memoriam. Ad aures nostras ingenti "cum animi nostri mœrore pervenit, quòd in Regno "Galliæ quidam perditionis filii in perniciem animarum "novitatibus studentes, & Ecclesiasticas sanctiones, ac "praxim contemnentes, ad eam nuper vesaniam pervenerint, ut Missale Romanum latino idiomate lon"go tot sæculorum usu in Ecclesia probato, conscri"ptum, ad gallicam vulgarem linguam convertere..... "ausi fuerint, & ita sacrosancti ritus majestatem latinis "vocibus comprehensam dejicere & proterere; ac sa"crorum Mysteriorum dignitatem vulgo exponere te"merario conatu tentaverint. Nos.... quemadmodum Ibid. p. 453. "novitatem istam perpetuæ Ecclesiæ decoris deforma"tricem, inobedientiæ, temeritatis, audaciæ, seditio"nis, schismatis, aliorumque plurium malorum facile "productricem abhorremus & detestamur, ita Missale "præfatum gallico idiomate à quocunque conscri"ptum, vel in posterum aliàs quomodolibet conscri"bendum & evulgandum, motu proprio & ex certa "scientia, ac matura deliberatione nostris, perpetuò da"mnamus & interdicimus, ac pro damnato, reprobato "& interdicto haberi volumus &c." Scripsit & idem Pontifex ad Episcopos Gallicanos Breve die 7. Februarii ejusdem anni 1661. in quo post præmissam gratulationem ob eorum zelum ac vigilantiam, ait se etiam ante acceptas eorum Litteras, statim huic malo occurrisse, *expressa Brevis animadversione.*

Accessit & Censura sacræ Facultatis Parisiensis die 1. Aprilis an. 1661. confirmata die secunda Mensis Maji ejusdem anni, cujus hæc verba sunt: "Sacra "Theologiæ Facultas post editam à se & publicatam "mense Januario recèns elapso, ad approbationes ver"sionum tam Missalis nuper editi, quàm sacræ Scri"pturæ & Officii Ecclesiastici, sub nomine quorundam "ejusdem Facultatis Magistrorum vulgatas, declaratio"nem, admonita prima Februarii sequentis plurima "esse in eodem Missali animadvertenda, illius examen "aliquot Magistris demandavit, qui post accuratam ejus "per menses Februarium & Martium lectionem, re"tulerunt prima Aprilis, Librum illum non solùm ad "Fidelium institutionem prorsus ineptum, sed & per"niciosum esse, utpote cujus explicationes aliunde ad"scitæ, ambiguæ, rudes & indigestæ, vel ad textus sen"sum appositæ non sint, vel passim textu ipso longè "difficiliores & obscuriores, quæque alia explicatione "indigeant, in quibus variæ sunt propositiones ani"madversione dignæ, velut subjectæ. *Relatis deinde "nonnullis propositionibus, sic pergit sacra Facultas*: "Quibus auditis, & re maturiùs discussa, censuit sacra "Facultas, in eo Missali, ut verba sonant, contineri er"rores contra sanam doctrinam de Christo, de Spiritu "sancto, de Gratia & libero arbitrio, de Sacramentis, "præsertim Baptismi & Pœnitentiæ, aliisque capiti"bus; & multas versiones ineptas ac falsas, aliquam e"tiam quæ textu latino tum addendo, tum detrahendo "inducunt in opiniones olim & recenter condemnatas.

Secundū exemplū à Censura Erasmi. Secundum exemplum petitur à Censura, qua sacra Facultas nonnullas Erasmi Propositiones notavit die 17. Decembris anno 1527. excerptas ex Præfatione ipsius in Matthæum; quales istæ sunt.

Propositiones Erasmi. Prima, *Sacras Litteras cuperem in omnes verti linguas.*

1. Censura. In re ad salutem non necessaria, ajunt Theologi Parisienses, potiùs consulendum est multorum profectui, ipsam (lectionem Scripturæ) interdicendo, quàm paucorum utilitati, eam permittendo cum gravi multitudinis incommodo; unde & jure damnata est hujusmodi translatio.

2. propositio, Censura. Secunda, *Exclamant, indignum facinus si mulier vel coriarius loquatur de sacris Litteris.*

Rectè, ait Censura, perpensa multorum hujus temporis impudenti temeritate, indignum facinus existimandum est, quod idiotæ & simplices suo judicio sacras Litteras legant in suam linguam conversas, & de illis disserant aut discrepantes de earum difficultatibus tractent.

Tertia, *Me auctore sacros Libros leget agricola, leget faber, leget latomus.* 3. Propositio. Censura.

Testantur sacra eloquia, inquit Censura, simplices esse tanquam parvulos, quibus, Auctore Paulo lacte opus sit; non enim solidam adhuc escam ferre ac digerere possunt; perfectorum siquidem solidus est cibus, eorum qui pro ipsa consuetudine exercitatos habent sensus ad discretionem boni & mali. Quapropter non est medium aptum hujusmodi simplicibus, quod indiscriminatim quosvis sacros Libros legant in linguam vernaculam translatos; sed convenientissimum eis medium Ecclesia constituit, auditionem verbi Dei, & frequentationem Prædicationum ejus: neque eis obiter interdicit usum quorumdam sacrorum Librorum, qui cum explicatione convenienti, ædificationi morum sunt accomodi &c.

Quarta, *Neque Ezechielis Prophetæ, neque Cantici Canticorum, aut cujusquam Librorum veteris Testamenti lectionem ulli homini interdico.* 4. Propositio, Censura.

Cùm Sedis Apostolicæ Decreto, ait Censura, multorum talium Librorum lectio laicis jam pridem interdicta sit, & eruditis in Lege Domini apud Hebræos, graviorum Auctorum sententia, prohibita fuerit lectio dictorum Librorum, atque primi capitis Geneseos ante annum ætatis trigesimum, prædicta propositio temerariè & impudenter asseritur; quandoquidem eadem subest causa inhibendi talium Librorum lectionem, quæ suberat quando Decretum Innocentii III. super his constitutum est.

Quinta, *Indecorum vel ridiculum potius videtur, quod idiotæ & mulierculæ psittaci exemplo Psalmos suos & precationem Dominicam immurmurent; cum ipsi quod sonant, non intelligant.* 5. Propositio. Censura.

Hæc propositio, ait Censura, simplices, idiotas & mulierculas ab oratione vocali, juxta ritum & consuetudinem Ecclesiæ, perperam retrahens, ac si inutilis sit, nisi ab eis intelligatur, impia est erronea, viam præbens errori Bohemorum, qui Officium Ecclesiasticum in idiomate vulgari celebrare conati sunt: alioqui in Lege veteri indecorum fuisset & ridiculum, simplicem populum ex Dei instituto cæremonias Legis observare, quas non intelligebat; quod asserere, est in Legem & ejus latorem Deum blasphemum, & hæreticum. Neque enim per verba orationis solum prætendit Ecclesia, ut serie verborum illorum erudiamur, sed ut ejus fini nos conformando, veluti ipsius membra, divinas laudes pronuntiemus, debitas gratiarum actiones persolvamus, & nobis necessaria imploremus, unde propter talem orantium intentionem, Dei munere affectus inflammetur, intellectus illuminetur, humana inopia sublevetur, atque gratiæ & gloriæ fructus comparetur; quæ certum est orantes per tales orationes vocales, quamvis verba non intelligant, prætendere, quemadmodum Legatus, etsi verba Domini sui non capit, illa tamen juxta mandatum domini sui referens, gratum impendit obsequium & domino, & ei ad quem mittitur. Multæ similiter Prophetiæ in Ecclesia cantantur, quæ quamvis à multis cantantibus non intelligantur, plurimum tamen utilis est & meritoria earum pronuntiatio & cantus; divinæ siquidem veritati quæ illas docuit ac revelavit, eas cantando gratum obsequium exhibetur. Per quæ sane constat, non in sola verborum intellectione fructum orationis consistere; permi-

perniciosum quoque esse errorem existimantium, „solùm ad erudiendum intellectum fieri orationem vocalem, cùm præcipuè fiat talis oratio ad inflammandum intellectum, ut pio & devoto animo in Deum modis prædictis se erigendo, mens reficiatur, & obtinendo quæ petit, sua intentione non frustretur; mereatur etiam intellectus illuminationem; quemadmodum & alia utilia aut necessaria; qui nimirum fructus longè uberiores sunt, quàm sola verborum intellectio, quæ absque excitatione affectus in Deum, parum affert utilitatis. Quòd si contingeret Psalmos in linguam vulgarem traduci, non propterea eorum sensum simplices & idiotæ plenè perciperent. Hactenus sacra Facultas Parisiensis.

Tertium exemplum à Censura versionis Bibliorum per Renatum Benedictum. Tertium exemplum ex Censura versionis Bibliorum in linguam vernaculam à Renato Benedicto editæ. Anno Domini 1567. die 15. Julii Facultas censura notavit versionem Bibliorum à M. Renato Benedicto editam, suamque censuram solemniter confirmavit 3. Septembris anni 1569. quam approbavit & laudavit Gregorius XIII. Summus Pontifex Diplomate scripto 3. die Octobris anni 1575. & ad Facultatem transmisso.

Et anno 1565. die 1. Aprilis, Facultas conclusit, ne liceret Magistris Facultatis componere Libros Gallicos, nec transferre in linguam gallicam, aut illis subscribere, nisi priùs sint probati ab ipsa Facultate, ut moris est.

Anno 1661. die 4. Januarii, eadem Facultas in sua Declaratione circa approbationes versionum Gallicarum, occasione Libri cujusdam precum gallicè impressi apud Joan. le Mire via Jacobæa, mentem ac sententiam suam sic aperit.

Quoniam verò eadem Facultas occasione precum hujus Libri in linguam vulgarem traductarum, rescivit multas alias hujuscemodi versiones editas fuisse cum approbatione quorumdam ejusdem Facultatis Magistrorum, censuit etiam omnibus declarandum, declaratque se nunquam intendisse cuiquam suorum dare licentiam approbandi ullam versionem Librorum quorumcumque de Officio Ecclesiastico, aut precibus arbitrariis, sine Episcopi auctoritate in lucem emissis, quorum omnium approbationem annis potissimùm 1548. 1567. 1607. 1620. 1641. aliisque respectivè prohibuit.

Quod autem spectat ad Missale gallicè nuper Typis excusum, præseferens ejus approbandi licentiam à Facultate, tantum abest, ut ea nunquam alicui concesserit, cùm petita tantùm fuerit licentia approbandi *explicationem Missarum totius anni, non verò ullam Missalis gallicam versionem*; quin potius eam petendi licentiam haud dubiè denegasset, & datam à quocumque suorum traductionis illius approbationem non potest non improbare, uti & præsenti declaratione improbat, sicut Magistris Breviarii Romani versionem approbandi licentiam postulantibus denegavit anno 1655, & datam ab illis pro novi Testamenti versione approbationem improbavit anno 1649.

Ad hæc omnia accedit auctoritas SS. Pontificum Gregorii VII. Innocentii III. & Pii IV.

Gregorius VII. rogatus à Duce Bohemiæ, totius gentis suæ nomine, ante annos quingentos & amplius, ut permitteret Sacra lingua Sclavonica apud suos celebrari, Pontifex denegavit. *Tom. 10. Conc. p. 234. D.* *Quia verò*, inquit in Epistola ad Ducem Bohemorum, *nobilitas tua postulavit, quò secundum Sclavonicam linguam, apud vos divinum celebrari annueremus Officium, scias nos huic petitioni tuæ nequaquam posse favere. Ex hoc nempe sæpe volventibus liquet, non immeritò sacram Scripturam omnipotenti Deo placuisse quibusdam locis esse occultam, ne, si ad liquidum cunctis pateret, forte vilesceret, & subjaceret despectui; aut pravè intellecta à mediocribus, in errorem induceret.*

Innocentius III. scribens ad Abbatem Cisterciensem & Collegas ejus, incommoda gravissima, quæ ex usu linguæ vulgaris in Officiis divinis peragendis emergere possent enumerans, acriter eos reprehendit, qui Canonicos sanctarum Scripturarum Libros gallicè redditos passim laicis & mulieribus permittunt. "Significavit nobis, *ait*, Venerabilis frater noster Metensis E- *Edit. Baluz. To. 1. p. 494.*
„piscopus per suas Litteras, quòd tam in Diœcesi quàm „in Urbe Metensi, laicorum & mulierum non modica „multitudo gallicæ cuidam traductioni divinorum Li„brorum intendens, secretis conventiculis etiam inter „se invicem eructare præsumerent, aliorum aspernantes „consortium, & in faciem redarguentibus presbyteris „resistentes, quorum simplicitatem fastidiunt in suæ „translationis peritia confidentes. Non primus ad vin„dictam nos res accendit incognita, sed universis tam „in Urbe, quàm in Metensi Diœcesi constitutis, sub eo „tenore Litteras curavimus Apostolicas destinari, qui „vobis ex transcripti earum poterit inspectione patere. „*Et paulo post præscribens, ut inquiratur circa fidem* „*Catholicam ipsorum, subjungit*: Nuper autem idem „Episcopus per suas nobis Litteras intimavit, quòd qui„dam eorum, quos notabiles prioribus Litteris denota„rat, mandatis recusant Apostolicis obedire, quibusdam „eorum clanculò, quibusdam verò jam publicè obedi„endum esse dicentibus soli Deo: ab occultis etiam „conventiculis non cessantes, officium prædicationis „occulte, licèt à nullo mittantur, prohibiti etiam sibi „non meruunt usurpare: aspernantes sibi dissimiles & „translationi eidem usque adeo insistentes, ut se nec „Episcopo, nec Metropolitano suo, nec nobis ipsis asse„rant parituros, si eam decrevimus abolendam." Mandat ibidem Pontifex, ut isti corrigantur, & ad obedientiam Decretis Apostolicis præstandam adigantur. *Cùm enim*, addit Innocentius, *in hoc universalis Ecclesiæ vertatur negotium, & agatur causa fidei Christianæ, ad exequendum Apostolicæ Sedis mandatum, cum summa diligentia & cautela, vos studiosos & promptos esse volumus & mandamus.* Hactenus Innocentius. Istæ igitur sunt utilitates, quas lingua vulgaris omnibus nota in Libris sacris & divinis Officiis, afferre potest in Ecclesia Dei: Sacerdotum videlicet simplicium despectus, inobedientia, clancularia conventicula, seditiones, schismata, & alia hujuscemodi, quæ Innocentius contigisse ea de causa commemorat.

Denique Pius IV. Decretum Indicis Librorum prohibitorum, quod à Patribus à Synodo Tridentina selectis conditum est, auctoritate Apostolica comprobavit ac suum fecit. Hæc autem est quarta hujus Indicis regula æquitatis ac sapientiæ plena. *Cum experimento manifestum sit, si sacra Biblia vulgari lingua passim sine discrimine permittantur, plùs inde, ob hominum temeritatem, detrimenti, quàm utilitatis oriri, hac in parte Judicio Episcopi, aut Inquisitoris stetur; ut cum consilio Parochi, vel Confessarii Bibliorum à Catholicis auctoribus versorum lectionem in vulgari lingua eis concedere possint, quos intellexerint ex hujusmodi lectione, non damnum, sed fidei atque pietatis augmentum capere posse.* *Tom. 14. Conc. p. 593 D.*

Dices 1. Ex usu linguæ incognitæ in divinis & Ecclesiasticis Officiis persolvendis grave omnino incommodum sequitur: nempe infinitam propemodum hominum multitudinem, qui linguam latinam non intelligunt, nullum spiritualem fructum ex publicis Ecclesiæ precibus percipere posse; utpote qui ea loquantur, quæ non intelligunt.

Hanc esse Apostoli mentem probant ex cap. 14. prioris ad Corinthios v. 13. & seq. *Qui loquitur lingua*, ait Apostolus, *oret ut interpretetur. Nam si orem lingua, spiritus meus orat, mens autem mea sine fructu est. Quid ergo est? Orabo spiritu, orabo & mente: psallam spiritu, psallam & mente. Cæterum si benedixeris spiritu qui supplet locum idiotæ, quomodo dicet, Amen, super tuam benedictionem? Quoniam quid dicas, nescit.* Ipso igitur Apostolo judice, qui orat lingua, & mente seu intelligentia orare debet: mente autem orare non potest, nisi verborum, quæ profert, sensum intelligat. Id

verò non potest idiota, seu quilibet de vulgo fidelis, nisi lingua vulgari ac domestica Preces & officia Ecclesiæ publica celebrantur.

Resp. objectionem istam quæ apud Novatores nostros hic palmaris est, plenè & abunde dissolvi à Theologis Parisiensibus in Censura quintæ propositionis Erasmi paulò antè relata. Et certè ad fructum ex oratione vocali percipiendum necesse non est, ut qui orat, sensum orationis & mysterii, quod in ea includitur, privatim intelligat: quàm multi enim sunt rudes & simplices qui sensum illum nequidem capiunt, etiam cum
To. 8. p. 153. B. gallicè orant? *Illos*, ait Tertullianus, *fides salvos facit, non exercitatio Scripturarum*; & ut loquitur S. Augustinus Lib. contra Epist. fund, cap. 4. *turbam non intelligendi vivacitas, sed credendi simplicitas tutissimam facit*. Sensum verborum Scripturæ absque interprete non intelligebant veteres Judæi à captivitate Babylonica reduces, an minùs propterea utiles erant eorum orationes? Summum Sacerdotem, cùm inter Sancta Sanctorum secretè orabat, non audiebant, qui stabant procul, an idcirco frustra & in vanum orabant? Sufficit igitur si populus fidelis mente & animo cum Ecclesia unіatur, eumdemque sibi finem proponat, ac effectum confidenter speret, quem postulat ac sperat Ecclesia; crescit enim verò ex obscuritate & ignorantia meritum fidei, modestiæ & humilitatis Christianæ. Adde Concilium Tridentinum sess. 22. cap. 8. incommodo, quod
Tom 14. Conc. p. 815. A. Novatores hic opponunt, providè occurrisse, cùm *Pastoribus & singulis curam animarum gerentibus mandat, ut frequenter inter Missarum celebrationem, vel per se, vel per alios, ex iis quæ in Missis leguntur, aliud exponant &c.*

Ad textum S. Pauli ex cap. 14 prioris ad Corinthios, manifestum est Apostolum eo loci non agere de oratione solemni Ecclesiæ, nec de divinis Officiis, aut sacrificio Missæ, sed de dono linguarum, quod multis Corinthiis concessum fuerat; jubetque Apostolus ut quo decet ordine, eo dono utantur ad ædificationem Ecclesiæ, non confusè ac perturbatè simul omnes loquantur, ne fortè insanire videantur; sed pauci (duo vel tres) modestè, & cùm adest interpres, qui idiotas, seu simplices docere potest. Non aliam esse S. Pauli mentem demonstrat totius capitis contextus. "Quid ergo est „fratres? *ait Apostolus v. 26.* Cum convenitis, unus„quisque vestrum psalmum habet, apocalypsim habet, „linguam habet, interpretationem habet, omnia ad æ„dificationem fiant. Sive lingua quis loquitur, secun„dùm duos, aut ut multùm tres, & per partes, & unus „interpretetur; si autem non fuerit interpres, taceat in „Ecclesia, sibi autem loquatur & Deo. Prophetæ autem „duo aut tres dicant, & cæteri dijudicent. Quòd si alii „revelatum fuerit sedenti, prior taceat.... Potestis om„nes per singulos prophetare; ut omnes discant, & om„nes exhortentur, & spiritus prophetarum prophetis „subjecti sunt. Non enim est dissensionis Deus, sed pa„cis; sicut & in omnibus Ecclesiis sanctorum doceo. „Mulieres in Ecclesiis taceant, non enim permittitur eis „loqui, sed subditas esse, sicut Lex dicit &c." Et tandem concludit in fine capitis v. 39. his verbis: *Itaque, fratres, æmulamini prophetare, & loqui linguis nolite prohibere. Omnia autem honestè, & secundùm ordinem fiant*. Ex quibus manifestè constat, Apostolum agere de donis linguarum eorumque debito usu; præscribens scilicet ne omnes simul confusè ac perturbatè loquerentur, *sed honestè & secundum ordinem* ad ædificationem Ecclesiæ. *Si enim*, ait eodem cap. 14. v. 23. *conveniat universa Ecclesia in unum, & omnes simul linguis loquantur, intrent autem idiotæ, aut infideles, nonne dicent, quòd insanitis?*

Dices 2. Concilium Lateranense IV. sub Innocentio III. an. 1215. cap. 9. approbat, ut quælibet Natio lingua sua vulgari ac domestica divina celebret officia.
Tom. 14. Conc. p. 161. A. Et verba; "Quoniam in plerique partibus intra eam„dem Civitatem atque Diœcesim permixti sunt populi „diversarum linguarum, habentes sub una fide varios „ritus & mores, districtè præcipimus, ut Pontifices hu„jusmodi Civitatum sive Diœcesum provideant viros „idoneos, qui secundùm diversitates rituum & lingua„rum divina Officia illis celebrent, & Ecclesiastica Sa„cramenta ministrent, instruendo eos verbo pariter & „exemplo. Prohibemus autem omnino, ne una eadem„que Civitas sive Diœcesis diversos Pontifices habeat, „tanquam unum corpus diversa capita, quasi mon„strum. Sed, si propter prædictas causas urgens neces„sitas postulaverit, Pontifex loci Catholicum Præsu„lem nationibus illis conformem provida deliberatione „constituat sibi Vicarium in prædictis, qui ei per omnia „sit obediens & subjectus. Unde si quis aliter se inge„serit, excommunicationis se noverit mucrone percus„sum; &, si nec resipuerit, ab omni Ecclesiastico mini„sterio deponatur, adhibito, si necesse fuerit, brachio „sæculari ad tantam insolentiam compescendam.

Resp. Concilium dumtaxat agere de Græcis & Latinis qui in iisdem civitatibus simul habitabant, quibus permittit, imò & mandat, ut quælibet Natio suis ritibus suoq; lingua divina celebret Officia. Concilii mens non est, ut duo sint in eadem civitate Episcopi, sed ut loci seu civitatis Antistes sibi Catholicum aliquem Episcopum tanquam Vicarium assumat, qui Sacramenta secundùm ritum unicuique Nationi proprium administret. Ratio temporis quo Decretum illud conditum fuit, apertè interpretationem illam demonstrat. Concilium scilicet Lateranense IV. habitum fuit sub Innocentio III. quo tempore & Constantinopolitana, quæ dudum Imperio Græcorum patebat, & Hierosolymitana Civitas in Latinorum potestatem devenerant. Iteque præsentes in eo Concilio tum Constantinopolitanus, tum Hierosolymitanus Patriarchæ adfuerunt, quòd Græci tunc ad obedientiam Sedis Apostolicæ reversi fuerant, quorum mores ac ritus sustinendos esse Patres decreverunt, relicta unicuique Nationi libertate suo solito ritu divina Officia persolvendi. Non igitur ea fuit Patrum Lateranensium mens, ut cuilibet promiscuè Nationi permitterent linguæ sua vulgari in Officiis Ecclesiasticis uti; namque si hoc illi sensissent, ut Novatoribus placet supponere, jam inde à trecentis quinquaginta & amplius annis ex quo celebratum est istud Concilium, & in Germania, & in Anglia, Hungaria, Polonia, Boemia, Dania, Scotia, Suetia, Novegia, & in reliquis omnibus Orbis Christiani plagis, usus linguæ Latinæ in divinis Officiis intermissus, vel potiùs omnino extinctus & abolitus fuisset, quem tamen constanter ad hunc usque diem in toto Occidente retentum fuisse, est, & apud omnes exploratum.

Hactenus de genere linguæ qua Officia divina celebrari debeant egimus; nunc de modo linguæ, hoc est, de pronuntiatione ipsa verborum, an nempe necesse sit in sacrificio Missæ omnia alta voce pronuntiare, an è contra nonnulla sint submissa voce pronuntianda.

De usu nonnulla in sacrificio Missæ submissa voce pronuntiandi.

Ad ritum seu disciplinam, non ad substantiam Sacramenti pertinet, alta vel submissa voce verborum pronuntiatio.

Necesse porrò est ut privati quicumque ritus & mores Ecclesiæ in qua vivunt religiosè observent. *In his* To. 2. p. 68. E.
enim rebus, ait S. Aug. Ep. 63. al. 86. *de quibus nihil certi statuit Scriptura divina, mos populi Dei, vel instituta majorum pro lege tenenda sunt.... Ipsa quippe mutatio consuetudinis*, ait Ep. 54. al. 118. *etiam quæ* Ibid. p. 126. D.
adjuvat utilitate, novitate perturbat. Quapropter quæ utilis non est, perturbatione infructuosa, consequenter noxia est.

Concilium Trid. sess. 22. de sacrificio missæ cap. 5. cui titulus, "de solemnibus Missæ sacrificii cæremo„niis, *hæc habet*, Cum natura hominis ea sit, ut non „facile queat sine adminiculis exterioribus ad rerum

„divi-

To. 14. „divinarum meditationem sustolli, propterea pia ma-
Conc. p. „ter Ecclesia ritus quosdam, ut scilicet quædam sub-
854. B. „missa voce, alia vero elatiore in Missa pronuntiaren-
„tur, instituit. *Et Can. 9. ejusdem sess.* Si quis dixerit,
„Ecclesiæ Romanæ ritum, quo submissa voce pars
Ibid. p. „Canonis & verba consecrationis proferuntur, dam-
856. B. „nandum esse ... eo quod sit contra Christi institutio-
„nem, anathema sit.

Hunc Ecclesiæ usum Novatores improbant, Kemnitius imprimis. Nonnulli etiam inter nostros, nescio quo zelo, melius, quo novitatis ac singularitatis pruritu, verba Canonis in Missa voce altiori contra expressam Ecclesiæ legem pronuntiare affectant.

Excitata est apud nos paucis abhinc annis hæc controversia, occasione novi Missalis Ecclesiæ Meldensis, quod novis typis excudi & adornari jusserat una cum Capitulo Illustriss. bonæ memoriæ Bossuetius Meldensis Episcopus. Qui vero folia recenter excusa corrigendi provinciam susceperat, de suo, inconsultis Episcopo & Capitulo, litteram R. rubrici coloris ante vocem *Amen* frequenter apposuerat, tum ut Sacerdotes celebrantes hac nota induceret ad Canonem, Secretam, & verba Consecrationis alta voce pronuntianda, tum ut moneret circumstantes, ut etiam post verba consecrationis responderent, Amen. Quin & post istas rubricæ voces, *submissa voce*, per modum explicationis adjecerat, *id est*, *sine cantu*. Temerariam innovationem non tulere Episcopus & Canonici. Quapropter Capitulum actu publico die 29. Jan. an. 1710. declaravit additiones illas se inscio & inconsulto factas esse, eas à se improbari, ac ut delerentur, mandavit. Idem publico Mandato die 22. ejusdem mensis & anni jam ediderat Eminentissimus Cardin. de Bissy, in Sede Meldensi sicut & in zelo ac studio Religionis Bossuetii successor.

Ista porro interpretatio verborum, *submissa voce*, *id est*, *sine cantu*, præterquam quod à Kemnitio conficta fuit, qui per submissam vocem, intelligit moderatam, id est, non elatam cum strepitu & cantu, sicut observat Bellarminus Lib. 2. de Missa cap. 12. inepta & ridicula prorsus videtur, nec locum habere potest in Missis privatis in quibus nihil cantatur, quarum frequentissimum usum invaluisse à nono vel decimo Ecclesiæ sæculo omnibus compertum est. " Deinde, *ait*
To. 3. p. „*Bellarminus*, cùm in Liturgia S. Chrysostomi dicitur,
356. E. „Sacerdos orat secretò, vox Græca, μυστικῶς, non signifi-
„cat voce moderata, sed planè secretò, non enim di-
„cuntur mysteria, quæ moderata voce publicantur, sed
„quæ omnino celantur. Præterea ibidem monetur Sa-
„cerdos illas preces secretè recitare, dum Diaconus alta
„voce canit Litaniam, vel dum cantores alia quædã con-
„cinunt: proinde non potest populus iis attendere, quæ
„dicit Sacerdos, atque ideo verè & propriè secreta sunt.

Quærunt Critici, unde & quo tempore primùm introductus sit usus pronuntiandi *submissa voce* Canonem, Secretam & verba Consecrationis.

Cardinalis Pallavicinus L. 18. Hist. Conc. Trident. c. 10. n. 5. sensum istorum verborum, *submissa voce*,
To. 3. p. ex mente Concilii Tridentini his verbis aperit. " Quòd
169. „quædam sacrificii partes submissa voce proferantur,
„*inquit*, qui ritus à Concilio comprobatur, non ea sunt
„in causa quæ comminiscitur Suavis, ligneum sibi si-
„gnum extruens quod feriat pro sua libidine; sed sunt
„revera major illa veneratio, quæ rebus divinis oritur
„ex arcano, & major ille pietatis sensus, qui excitatur
„& alitur à silentio; unde fit, ut qui celebrant, & inter-
„sunt, possint attentiùs quæ aguntur mysteria meditari.
„Hæc autem arcani silentiique decentia in sacrificiis,
„ostenditur quoque ex institutione divina in sua Lege
„veteri, ubi præsertim in capite 16. Levitici, tùm so-
„lemne sacrificium thuris describitur, jubetur solus Sa-
„cerdos ultra velum pergere, ibique precari non modò
„non auditus, sed ne visus quidem à populo. Quin idem
„pariter naturæ lumine ipsi Ethnici in suis sacrificiis ag-
„novere. Quòd si hujusmodi consuetudo sensus vete-
„rum Patrum non consonaret, sed otia esset ab utilita-
„te, mortalisque vitæ rationibus, sicuti Suavis blaterat,
„certè non extaret apud Ecclesiam Græcam, jam tot
„sæcula sejunctam ab obedientia Romani Pontificis.
„Præterquam quod expressa legitur ea consuetudo in
„vetustissimis Liturgiis S. Basilii & S. Chrysostomi, ta-
„metsi de quibusdam vocibus, quæ ibi elato sono di-
„cuntur, cujusmodi sunt voces consecrationis, Græcus
„ritus discrepat à Latino. " Quibus verbis Pallavicinus non tantum mentem ac sensum Concilii aperit, sed etiam solidissimis confirmat momentis.

Cardinalis Bona rerum Liturgicarum Lib. 2. cap. 13. To. 3. p.
existimat nonnisi sæculo decimo usum illum obtinu- 630.
isse. Sic ille loquitur; " Græci & alii Orientales verba
„consecrationis elata voce pronuntiant, & populus re-
„spondet, Amen. Dionysius Alexandrinus de hoc ri-
„tu testimonium perhibet Epistola ad Xystum Roma-
„num Pontificem apud Eusebium Lib. 7. Hist. cap. 9.
„Qui gratiarum actionem, inquit, frequenter audie-
„rit, & qui cum cæteris responderit, Amen, qui ad
„sacram mensam astiterit, & quæ sequuntur. Eun-
„dem morem servabat olim Ecclesia Occidentalis;
„audiebant sanctissima & efficacissima verba quibus
„Christi corpus conficitur. Hinc Tertullianus Lib. de
„spectaculis cap. 25. in eos invehitur, qui eo ore quo
„Amen in sanctum protulerant, gladiatori testi-
„monium reddere non verebantur. Ambrosius Lib.
„de iis qui initiantur ait: Ante consecrationem aliud
„dicitur; post consecrationem sanguis nuncupatur. Et
„tu dicis, Amen, hoc est, Verum est. Alcuinus idem
„asserit, & ex eo Florus Magister in expositione Mi-
„ssæ: Amen autem quod ab omni Ecclesia respondetur,
„interpretatur verum, non ubicumque & quomodo-
„cunque, sed mystica religione. Hoc ergo ad tanti
„Mysterii consecrationem, sicut & in omni legitima
„oratione respondent Fideles, & respondendo subscri-
„bunt. Postea statutum est, ut Canon submissa voce
„recitaretur, & sic desiit ea consuetudo sæculo deci-
„mo ut conjicio, quia post Florum, qui nono labente
„vixit, ejus mentionem non reperi apud ævi posterio-
„ris Scriptores. " Hæc Cardinalis Bona.

Sunt qui existimant primam originem silentii seu vocis submissæ, & mutationis antiqui ritus, repetendam esse ab eo tempore quo contigit historia, quam refert Joannes Moschus in Prato spirituali cap. 196. id est, sæculo septimo. Nonnulli scilicet pueri inter pascendos greges, Missam, quam sæpius in Ecclesiæ conventu celebrari viderant & audiverant, per jocum & fictionem imitari voluerunt; eorum unus Sacerdotis, alii vero Ministrorum partes agebant. Verum subito de Cœlo delapsus ignis pueros illos ita terruit & obstupefecit, ut diu attoniti & quasi hebetes hæserint, vocis usu destituti. Inde factum, ajunt, ut quæ hactenus elata voce celebrata fuerant Mysteria, eadem postea submissa celebrarentur. Historiam illam multi post Moschum retulerunt, quamquam nonnullis immutatis circumstantiis.

Justinianus Imperator sexto sæculo Novella 137. mandavit ut integra Missa elata voce ubique celebraretur; unde facile infertur, ante Novellam illam, quæ ubique observata non fuit, contrarium usum obtinuisse.

Alii denique usum recitandi Canonem & Secretam submissa voce, non à decimo tantum, ut vult Cardinalis Bona, neque ab octavo sæculo, ut aliis placet, initium duxisse, sed vel à primis Ecclesiæ sæculis viguisse arbitrantur, neque sibi eripi patiuntur Scriptores illos, quos dictus Cardinalis suos esse gloriatur.

Non Dionysium Alexandrinum: *Amen* quippe quod ait responderi ab iis qui Mensæ sacræ assident non consecrationem ipsam Eucharistiæ spectat, sed ejus usum, seu Communionem.

Idem est Tertulliani sensus; aut saltem loquitur ille generatim de toto & integro ritu sacro, prout Orationes includit, ad quarum clausulam populus respondebat, *Amen*.

Non sanctum Ambrosium. Lib enim 4. de Sacramentis cap. 5. aperte mentem suam declarat, nempe de tempore Communionis Eucharisticæ se loqui, non consecrationis. *Ergo*, inquit, *non otiose dicis tu*, *Amen*

Te. 2. p. 332. A B. *Amen; jam in spiritu confitens quod accipiat corpus Christi. Dicit tibi Sacerdos, Corpus Christi; & tu dicis, Amen, hoc est, verum. Quod confitetur lingua, teneat affectus.*

In libro autem de initiandis seu de Mysteriis cap 9. unde verba citata deprompsit Cardinalis Bona, in eo, inquam, Libro sanctus Ambrosius Eucharistiam potissimum considerat, ut Sacramentum est, ad spiritualem animarum nostrarum alimoniam destinatum, non ut Sacrificium quod mysticis verbis consecratur. *Vera utique*, ait sanctus Doctor, *caro Christi, quæ crucifixa est, quæ sepulta, vere ergo carnis illius Sacramentum est. Ipse clamat Dominus Jesus, Hoc est Corpus meum. Ante benedictionem verborum cælestium, alia species nominatur, post consecrationem corpus significatur .... Et tu dicis, Amen, hoc est, Verum est. Quod os loquitur, mens interna fateatur; quod sermo sonat, affectus sentiat. His igitur Sacramentis pascit Ecclesiam suam Christus.*

Ibid. p. 339. D.

Non Alcuinum: Libro enim de divinis Officiis c. 40 de celebratione Missæ sic loquitur: *Te igitur* (verba sunt Canonis) *clementissime Pater, & reliqua. Ideo fit, ut ferunt, consuetudo venit in Ecclesia, ut tacite ista obsecratio atque consecratio à Sacerdote cantetur, ne verba tam sacra .... vilescerent.*

Edit. Paris. 1617. p. 1107. A.

His consentanea scribunt nono sæculo Amalarius, Rabanus Maurus, Walafridus Strabo.

Amalarius de Officiis Ecclesiasticis Lib. 3. cap. 23. *Secreta*, inquit, *appellatur, quia secrete dicitur. Magisterio suo Dominus secrete nos orare præcepit*, (quæ verba S. Cypriani sunt.) Deinde adducit exemplum Annæ. *Quod Anna*, inquit, *Ecclesiæ typum portans custodit & servat, quæ Deum non clamosa petitione, sed tacite & modeste intra ipsas pectoris latebras precabatur, & loquebatur prece occulta, sed manifesta fide. Loquebatur non voce, sed corde, quia sic Dominum sciebat audire, & impetravit efficaciter quod petiit.* Lib. 1. Reg. cap. 1. v. 13. *Anna loquebatur in corde suo, & labia ejus movebantur, & vox ejus non audiebatur.* Secreta igitur, judice Amalario, inde dicta fuit, quod secrete, seu submissa voce recitaretur. Non ergo, ut nonnulli fingunt, à secretione seu separatione eorum, quæ inter oblationes Fidelium consecranda erant, Secreta nuncupatur; cujus certe interpretationis ante ætatem nostram, quod sciam nullus mentionem fecit

Biblioth. PP. T. 14. p. 992. Ibid. B.

D. de Vert.

Rabanus Maurus Lib. 1. cap. 32. de institutione Clericorum, *Sacrificium*, inquit, *dictum est, quasi sacrum factum, quod prece mystica consecratur*, id est, secreta.

Walefridus Strabo Lib. de exordiis & incrementis rerum Ecclesiasticarum cap. 22. de ordine Missæ, laudat preces quæ altiori, laudat etiam eas quæ demissiori voce pronuntiantur, quas exemplo Annæ Samuelis matris confirmat.

Edit. Colon. 1626. To. 6. p. 13. A.

Non denique Florum Magistrum; namque in expositione Missæ sic habet: *Amen autem quod ab omni Ecclesia respondetur, interpretatur, Verum, non ubicumque & quomodocumque, sed mystica religione. Hoc ergo ad tanti Mysterii consummationem, sicut & in omni legitima oratione respondent Fideles, & respondendo subscribunt.* Ibidem ait, Sacerdotem, post cantatam Præfationem *clamare cum Ecclesia, non voce, sed corde.* Quid est autem clamare non voce, sed corde, nisi in silentio, seu voce submissa orare? vox quippe *submissa*, silentium aliquando vocatur, ut observat sanctus Augustinus Tractatu 49. in Joan. n. 16. *Suppressam vocem*, inquit, *silentium nuncupavit.* Quo sensu de Judith Scriptura Jud. 13. v. 6. ait, *labiorum motu in silentio dicens.* & Joa. 11. v. 28. Martha ad sororem suam, *silentio*, id est, secreto ac summissa voce dixit, *Magister te vocat.*

Biblioth. PP. T. 15. p. 81. C. Ib. p. 72. B.

Tom. 3. par. 2. p. 615. G.

Ex his certe omnibus manifestum est, Cardinalem Bona deceptum fuisse, cum scripsit, decimo tantum sæculo usum submissæ vocis in recitatione Canonis incœpisse.

Quantum vero spectat Justiniani Novellam, non dissimulamus eam novitatis aliquid in aliquibus Ecclesiis intulisse; at non in omnibus obtinuit, sicut jam observavimus, illustrissimus Petrus de Marca Lib. 2. Concord. cap. 6. legem hanc libere carpit & improbat. *Vereor*, inquit, *ne Justinianum damnare cogamur, quod de sacra Liturgiæ ritibus Constitutionem ediderit, qua mystica verba consecrationis Eucharistiæ clara voce, non autem demissa, ut solemne erat, proferri jubet, ut qui locum tenet idiotæ, Amen succinere possit. Præterquam quod enim de ritu Sacrificiorum decernere tentat, quæ pars disciplinæ solis Sacerdotibus competit, antiquos Ecclesiæ mores sollicitat, qui, ut reverentia Mysteriis conciliaretur, preces mysticas demissa voce proferri induxerant.*

Pag. 7.

Cardinalis Bellarminus Lib. 2. de Missa cap 15. hanc Justiniani Novellam primum improbat, tum benigne interpretatur. *Ad Novellam Justiniani*, ait, *respondere possem imprimis non ad Imperatorem pertinere de ritu sacrificandi leges ferre; proinde non multum referre quid ille sanxerit. Sed illud etiam respondemus, non esse legem illam sententiæ nostræ contrariam; solum enim ille jubet, ut quæ in Ecclesiis Orientalibus alta voce dici solebant, ab omnibus alta voce dicerentur. Erant enim quidam, ut ex illa ipsa Novella colligitur, qui submissa voce pronuntiabant ea quæ ex recepta consuetudine alta voce pronuntianda erant, ut eo modo ignorantiam suam tegerent: qui quidem jure reprehenduntur, tum quod contra morem Ecclesiæ facerent, tum quod ex imperitia legendi id facerent.* Hæc Bellarminus.

To. 3. p. 337. E.

Ex bis omnibus manifeste constat, non decimo, ut vult Cardinalis Bona, non octavo dumtaxat Ecclesiæ sæculo, ut alii dicunt, primum incœpisse usum Canonem & Secretam in Sacrificio Missæ submissa voce pronuntiandi; sed usum illum perantiquum esse, & ad nos usque continua & non interrupta Traditione defluxisse: quod certe multis aliis testimoniis comprobare promptum foret, tum ex Liturgiis SS. Basilii & Chrysostomi, tum ex vetusto Ordine & Pontificali Romano, ex Micrologo, Ritualibus & Missalibus diversarum Ecclesiarum, de quibus P. Martene in Opere de Ritibus antiquis; ex SS. Patribus Ambrosio, Augustino, Innocentio I. Isidoro, Gregorio Magno &c quorum verba repræsentant qui de rebus Liturgicis ex professo tractaverunt. Unde merito dicere possumus cum Augustino Lib. 4. de Baptismo cap. 24 *Quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi auctoritate Apostolica traditum rectissime creditur.* To. 9. p. 140. C.

Verum istud etiam gratis concedamus, nonnisi decimo sæculo novam illam silentii seu vocis submissæ disciplinam invectam fuisse; an, quæso, privatis fas unquam esse potest à disciplina tot sæculorum tractu & Ecclesiæ totius auctoritate ac Judicio confirmata recedere, ac novæ ad arbitrium inhærere? An non dedicatis illis ac fastidiosis Ministris placebit, quod à tot hominibus pietate ac scientia illustribus probatum fuit & usurpatum? Recte omnino ac prudenter Isidorus Hispalensis Lib. 1. de Officiis cap 43. generatim de rebus disciplinæ pronuntiat, *Nec disciplina in his melior est gravi prudentique Christiano, quam ut eo modo agat quo agere viderit Ecclesiam ad quam forte devenerit. Quod enim neque contra fidem, neque contra mores bonos habetur, indifferenter sequendum, & propter eorum inter quos vivitur, societatem servandum est; ne per diversitatem observationum schismata generentur.* P. 395. B. C.

Totam istam disputationem claudemus ista, quæ sapientiæ & æquitatis plena est, Rubricarum generalium regula c. 16. *Sacerdos maxime curare debet ut ea quæ clara voce dicenda sunt, distincte & apposite proferat, non admodum festinanter, ut advertere possit quæ legit; nec nimis morose, ne audientes tædio afficiat; neque etiam nimis alta, ne perturbet alios qui fortasse tunc temporis in eadem Ecclesia tunc temporis celebrant; neque etiam tam submissa, ut à circumstantibus audiri non possit, sed mediocri & gravi quæ devotionem moveat, & audientibus ita sit accommodata, ut quæ leguntur intelligant. Quæ vero secreta dicenda sunt, ita pronuntiet, ut & ipse se audiat, & à circumstantibus non audiatur.* Denique servetur istud Apostoli 1. Cor 14. v. 40. *Omnia honeste & secundum ordinem fiant.*

Pauca hæc de hoc gravi argumento nobis, qui brevitati consulimus, dicta sufficiant: multo plura de illo copiose ac erudite discussa reperies in Dissertatione speciali quam eam in rem accurate adornavit eruditus Theologus rerum Liturgicarum curiosus explorator. Omnes ille remotioris antiquitatis sinus ac latebras diligenter excussit ac exploravit, si forte aliquod inveniret apud veteres *Canonis* altiori voce pronuntiati vestigium, nullum à se detectum nec ab æmulis hactenus prolatum fuisse confidenter asseverat. Publicam huic Dissertationi, cujus lectione nos profecisse lubenter agnoscimus, lucem inviderunt, ac pro viribus avertere conati sunt clamosi illi qui Canem inter Sacra tam elata voce pronuntiando, circumstantibus, quo temporis puncto in profunda meditatione toti immersi esse debent & quasi absorpti, inofficiose obstrepunt. Scilicet illorum intererat plurimum, obscurari veritatem qua damnantur.

Atque hæc dicta sunt de Sacramentis in genere, in quibus exponendis si quid nobis incautis minus sanum ac rectum excidisse deprehendatur, pro non dicto ac revocato habemus.

FINIS.

PRÆ-



PRÆLECTIONES THEOLOGICÆ DE SACRAMENTIS BAPTISMI ET CONFIRMATIONIS.

THEOLOGIÆ CANDIDATIS PRÆFATIO.



VIDISTIS, dilectissimi Candidati, in Prælectionibus, quas de Sacramentis universim consideratis emisimus, quæcunque pertinent ad originem, causas, naturam, vim & efficaciam, affectiones & proprietates omnium Sacramentorum Christi: vidistis quàm liberali ac munifica manu Deus Optimus præsentissima nobis salutis remedia dispensaverit. Unicuique ætati idonea & quasi propria destinavit: *Nam quia omnis ætas peccato est obnoxia*, inquit S. Amb. L. 2. de Abr. c. 11. n. 81. *ideo omnis ætas Sacramento idonea.* Causam & rationem ab ipso fonte repetit S. Irenæus L. 2. c. 22. aliàs 39. *Dominus*, inquit, *omnes venit per semetipsum salvare: omnes, inquam, qui per eum renascuntur in Deum, infantes & parvulos, & pueros, & juvenes & seniores. Ideo per omnem venit ætatem, & infantibus infans factus sanctificans infantes; parvulis, parvulus &c.* To. 1. p. 349. C. P. 147. n. 4.

Et verò varias humanæ vitæ partes sive periodos animo percurrite, dilectissimi Candidati, nulla profectò vobis videbitur cœlestibus auxiliis vacua, nulla divinæ providentiæ cura, & spirituali Sacramentorum ope ac præsidio destituta. *Per Baptismum enim*, ait S. P. Eugenius Armenos instruens, *spiritualiter renascimur; per Confirmationem augemur in gratia, & roboramur in fide: renati autem & roborati, nutrimur divina Eucharistiæ alimonia. Quòd si per peccatum ægritudinem incurrimus animæ, per Pœnitentiam spiritualiter sanamur; spiritualiter etiam & corporaliter, prout animæ expedit, per extremam unctionem: per Ordinem verò Ecclesia gubernatur & multiplicatur spiritualiter: per Matrimonium corporaliter augetur.* Septem ista sunt divinæ gratiæ nobis communicandæ organa, & instrumenta, quæ vobis, Deo aspirante, sigillatim exponere meditamur, in absolvendo, qui nobis reliquus superest, nostrarum, quas promisimus, Prælectionum Theologicarum cursu. To. 13. Conc. p. 534. E.

Primus ad Religionem Christi aditus, Baptismus est, cæterorum Sacramentorum janua idcirco nuncupatus. Primus militiæ christianæ gradus, Confirmatio: per Baptismum illustrati, fidem Christi suscipimus ac solemniter profitemur; per Confirmationem induti virtute ex alto, strenuè ac constanter eamdem defendimus. Per Baptismum ac novam vitam renascimur; per Confirmationem armamur ad prælium. In Baptismo filii Dei, & hæredes Christi; in Confirmatione Christi milites, fideique vindices ac defensores constituimur. Æquo passu incedunt duo hæc infantiæ ac militiæ christianæ priora Sacramenta: at non eodem necessitatis gradu. Quippe ut in corporali vita prius est hominem nasci ac vivere; ita & in vita spirituali primum ac potissimum est, hominem interiùs renasci ac regenerari. *Factus est primus homo Adam in animam viventem*, ait Apostolus, *novissimus Adam in spiritum vivificantem... Primus homo de terra, terrenus; secundus homo de cœlo, cœlestis. Et sicut*, pergit idem Apostolus, *in Adam omnes moriuntur, sic in Christo omnes vivificabuntur.* Qua porro via ad novam 1. Cor. 15. v. 45. Ib. v. 22.

Ad Tit 3. v.5. illam ac planè mirabilem vitam pervenitur, nisi per baptismum ? *Salvos vos fecit per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus sancti.* Atque ut Christus ipse pronuntiat, *Nisi quis re-*
Joan. 3. v.5. *natus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei. Quod natum est ex carne, caro est; quod natum est ex Spiritu, spiritus est.*

Ib. v.4. Ad rei novitatem obstupuit Nicodemus. *Quomodo*, inquiebat, *potest homo nasci, cùm sit senex? Numquid potest in ventrem matris suæ iteratò introire, & renasci? Non mireris,* reponit Christus, *quia dixi tibi: Oportet nasci denuo. Spiritus ubi vult spirat, & vocem*
Ib. v.7. & 8. *ejus audis; sed nescis unde veniat, aut quò vadat... Tu es Magister in Israel, & hæc ignoras?* Confidentem nimiùm Legis Doctorem hìc Christus increpat simul & instruit. Non aliam quàm carnis novam generationem ac nativitatem, ex verbis Christi animo sibi effingebat Judæus homo carnalis: novam autem spiritus regenerationem, docendo Christus proponit & astruit. Superbam Doctoris Legis ignorantiam sanando carpit, & ad humilitatem disponit, ut animadvertit
T.2. p.2. pag.386. sanctus Augustinus Tract. 12. in Joan. Non ipsi tamen insultat; aut si insultat, tanquam indocto insultat, ut deponat superbiam.

Quam Nicodemus ignorabat, vel non credebat, Christo annuntiante, paratam ac præsentem spiritus renovationem & regenerationem, hanc nihilominus non modò ut possibilem, sed & aliquando futuram, Nicodemus, cùm esset in Lege peritus, ignorare non debuerat. Nonne
Ezech. c. 36. v.25. & 26. apud Ezechielem prophetico spiritu scriptum legerat; *Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris..... Et dabo vobis cor novum, & spiritum novum ponam in medio vestri, & auferam cor lapideum de carne vestra, & dabo vobis cor*
Ps.103. v. 30. *carneum*: Nonne Psaltes Regius cecinerat, *Emittes Spiritum tuum & creabuntur & renovabis faciem terræ?* Quæ certè non de alia, quàm de interiori spiritus renovatione, per gratiam animis infundendam, intelligere debuisset Legis Doctor; maximè cùm simile quoddam, quamquam rude adhuc, apud suos domesticum ac familiare renovationis vestigium præ oculis haberet, in iis scilicet qui à cultu falsorum deorum conversi, Legi Mosaicæ nomen suum dabant: tot enim illi præviis ritibus, cæremoniis, lotionibus ac baptismatibus mundabantur, præparabantur ac præformabantur ad veram Dei Religionem, ut novi quasi homines, &, ut loquitur sanctus Petrus, *sicut modò geniti infantes* haberentur.

Ex his, maximè verò ex decretoria ista & aperta Christi sententia, *Nisi quis renatus fuerit*
Epist. 1. c. 2. v.3. Jo. 3. v.5. *ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei*, intelligitis haud dubiè, dilectissimi Candidati, tantam esse Baptismatis necessitatem, tam strictam & universalem illius percipiendi legem omnibus impositam esse, ut sine illo, aut saltem, certis in casibus, sine ipsius voto ac desiderio, nullus ad vitam æternam & Regnum cœlorum pervenire usquam possit.

Verùm, proh dolor! quò major & apertior tam salutaris remedii necessitas, eò major in ea impugnanda dæmonis, salutis humanæ invidi obtrectatoris, furor & impetus; eo major & Hæreticorum, quos vel à primis Ecclesiæ temporibus suscitavit, ad quidlibet audendum projecta
P. 224. A. temeritas. *Nuper*, inquiebat Tertullianus Lib. de Baptismo c. 1. *conversata istic quædam de Cajetana hæresi vipera venenatissima, doctrina sua plerosque rapuit, imprimis Baptismum destruens... nam ferè viperæ & aspides, ipsique reguli serpentes arida & inaquosa sectantur.*

In eodem luto hæsisse fanaticam quamdam feminam, Quintillam nomine, observat ibi-
Ibid. dem Tertullianus. *Quintilla*, inquit, *monstruosissima, cui nec integrè quidem docendi jus erat, optimè norat pisciculos necare, de aqua auferens. Quanta vis est perversitatis*, addit ibidem, *ad fidem labefactandam, vel in totum non recipiendam, ut ex his eam impugnet, ex quibus constat.* Quod verò fuerit antiquissimi hujus erroris fundamentum, si nosse vultis, Cand. dilect. eumdem audite Tertullianum, jam tum, sæculo nempe secundo, Novatorum nostrorum errorem circa fidem justificantem, in veteribus Hæreticis confodientem: *Sic ergo,* ait Tertullianus eodem Lib. c. 13. *Scelestissimi illi provocant quæstiones. Adeo dicunt, Baptismus non est necessarius, quibus fides satis est: nam & Abraham nullius aquæ nisi fidei Sacramento Deo placuit.* En erroris fundamentum. *Sed*, reponit Tertullianus, *in omnibus posteriora concludunt, & sequentia antecedentibus prævalent. Fuerit salus retro per fidem nudam ante Domini passionem & resurrectionem; at ubi fides aucta est credendi in nativitatem, passionem, resurrectionemque ejus, addita est ampliatio Sacramento, obsignatio Baptismi,*
Ib. p. 229. C. *vestimentum quodammodo fidei, quæ retro erat nuda, nec potest jam sine sua lege. Lex enim tingendi imposita est, & forma præscripta: Ite docete omnes nationes, tingentes eas in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Huic legi collata definitio est: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non intrabit in Regnum cœlorum. Obstrinxit fidem ad Baptismi necessitatem.*

Totum porrò illud antiquissimarum *viperarum* mortiferum ac lethale virus haustum in se transfuderunt posteriorum temporum perditissimi Sociniani. Docent illi 1. Christum Apostolis verum non dedisse baptizandi mandatum; atque verba ista, *Euntes docete, baptisantes &c.* exponenda esse, non de aquæ Baptismo, sed de sola instructione ac doctrina, quæ instar aquæ sordes animæ mundat & abstergit. 2. *Apostolos nihilominus, etsi non jussos, ritum baptisandi*

con

convenienter usurpasse , tùm quia populus Judæus cæremoniis valde delectabatur , utpote in illis quasi enutritus & educatus ; tùm quia Baptismi cæremonia à magni nominis magnæque auctoritatis viro , nempe Joanne , jam antea introducta , magnoque applausu ab omnibus recepta fuerat ; tùm denique quia aptissima erat ad adumbrandum Christianorum officium ac statum : unde conveniens fuit viros hujus ætatis per Baptismi cæremoniam christianæ Religioni adscribi. Verba sunt Vulkelii L. 6. de vera Religione cap. 14. 3. docent baptizandi præceptum (si tamen præceptum vocant) universale non fuisse , ab omnibus in perpetuum observandum ; sed certis dumtaxat personis ac pro certo quodam tempore addictum , illis nempe , qui Ecclesiæ initio à Paganismo vel Judaismo ad Christum convertebantur , quos per nudum illud externum symbolum exteriùs distingui ab invicem oportuit.

Sociniani à Calvinianis , ex quibus nati ac propagati sunt , arma mutuantur , quibus absolutam & medii , ut vocant , in Baptismate necessitatem totis viribus impetunt. *Perspicuum est,*
ait Calvinus Inst. L. 4. cap 15. n. 10. *quàm falsum sit quod docuerunt pridem nonnulli , in quo* P. 484.
alii persistunt , per Baptismum solvi nos & eximi ab originali peccato , & a corruptione
quæ ab Adam in universam posteritatem propagata est. Et n. 22. expressè , ait , *non arceri* P. 488.
à Regno Cœlorum infantes quos è præsenti vita migrare continget , antequam aqua mergi datum fuerit. Atqui jam visum est , pergit ille , *fieri non levem injuriam Dei fœderi , nisi in eo acquiescimus , ac si per se infirmum esset , cùm ejus effectus neque à Baptismo neque ab ullis accessionibus pendeat.*

Atqui tamen his imbutis documentis Calviniani , Anabaptistis & Socinianis toto animo hìc repugnare ac contradicere videri volunt , ad scænam magis , & ludicram , ut puto , disputationem , quàm ad seriam demonstrationem veritatis. Qua etenim fronte, qua ingenui pra fidentia, sibi hoc assumere Calvinistæ possunt , ut convincant Anabaptistas , *non debere infantes à Baptismo excludi* ; cùm vel ipsimet contendant , infantes sine Baptismo ex præsenti vita raptos, à Regno Cœlorum non arceri , sed una præsentis fœderis virtute salvos fieri ; & , quod amplius quidquam est , cùm, sicut & ipsimet Anabaptistæ & Sociniani , celebrem , istam Christi sententiam , *Nisi quis renatus fuerit &c.* ad figuratum & metaphoricum sensum detorqueant, nec de vero aquæ , sed Spiritus Baptismo instar aquæ lavantis ac mundantis, interpretentur ? Dicant
illi nobis , quid juris habeant ad hanc Christi sententiam à litterali & obvio sensu ad metaphoricum inflectendam , quod sibi pariter arrogare non possint Sociniani , quos illi tamen duriùs insectantur , cùm verba hæc Christi plana certè & aperta , *Euntes docete omnes gentes , baptizantes eos &c.* non de vero aquæ , sed instructionis dumtaxat ac doctrinæ Baptismo , dicta esse Rom. 2.
arbitrantur. *O homo , in quo judicas alterum , te ipsum condemnas.* 2. 1.

Una una est simplex , sibi semper cohærens ac uniformis Catholicæ fidei doctrina de Baptismi
præstantia , virtute, & omnimoda ad salutem consequendam necessitate. *Felix Sacramentum* P. 224.
aquæ nostræ, exclamabat Tertullianus Lib. de Baptismo cap. 1. *qua abluti delictis pristinæ cæcitatis in vitam æternam liberamur... De sancta Spiritu sanctificata natura aquarum , & ipsa sanctificare cœpit,.. Supervenit statim Spiritus de Cœlis , & aquis superest , sanctificans eas de semetipso , & ita sanctificatæ vim sanctificandi combibunt.*

Bellè omnino Irenæus L. 3. c. 17. aliàs 19. *Sicut* , inquit , *de arido tritico massa una fieri non* P. 208.
potest sine humore , neque unus panis , ita nec nos multi unum fieri in Christo Jesu poteramus, n. 2.
sine aqua , quæ de Cœlo est. Et sicut arida terra , si non percipiat humorem , non fructificat ; sic & nos , lignum aridum existentes primùm , nunquam fructificaremus vitam , sine superna voluntaria pluvia : corpora enim nostra per lavacrum , illam , quæ est ad incorruptionem , unitatem acceperunt ; animæ autem per spiritum. Unde & utraque necessaria, cùm utraque proficiunt in vitam Dei , miserante Domino nostro.

Pressiùs S. Augustinus L. 3. de origine animæ c. 9. dicebat. *Noli credere , noli dicere , nec docere, infantes, antequàm baptizentur morte præventos, pervenire posse ad originalium indulgentiam peccatorum , si vis esse Catholicus.*

Rata igitur lex est ac fixa Christi sententia , *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto* T. 10.
, non potest introire in Regnum Cœlorum. Nullum hic excipit , ait S. Ambr. L. 2. de Abrah. p. 379.
cap. 11. n. 84. *non infantem , non aliqua præventum necessitate.* C.

Procul ergo putidum istud Pelagianorum figmentum , infantes sine Baptismo arceri quidem à
Regno Cœlorum , propter Christi sententiam, *Nisi quis &c.* æterna tamen vita donari, propter T. 1. p.
vitæ eorum innocentiam : quasi in Adamo & ipsi non peccaverint , *in quo omnes peccaverunt* ; 351. A.
quasi non nascantur filii iræ ac indignationis. Sicut ergo in Adam omnes moriuntur , ita necesse est Rom. 5.
omnes in Christo renasci. *Quisquis dixerit* , ait S. Aug. Epist. 166. aliàs 28. ad Hieronymum, v. 12.
quòd in Christo vivificabuntur etiam parvuli , qui sine Sacramenti ejus participatione de vita T. 2. p.
exeunt ; hic profectò & contra Apostolicam prædicationem venit , & totam condemnat Ecclesiam , ubi propterea cum baptizandis parvulis festinatur & curritur , quia sine dubio creditur aliter eos in Christo omnino vivificari non posse. 592. B.

Novimus equidem esse aliquos ex nostris , qui plùs æquo de misericordia Dei præsumentes , ac nescio quo tenerioris clementiæ affectu commoti erga tot infantium millia , qui absque Baptismo migrant ex hac vita , & æternùm pereunt , naturalem quamdam felicitatem illis liberaliter assignant. Verùm immota stat Christi sententia , *Nisi quis &c.* Sapienter omninò ac graviter

D. 4. p. 145. C.

monet eam in rem Bellarminus L. 6. de amissione gratiæ c. 2. *misericordiam nostram parvulis jam defunctis nihil prodesse ; è contra nihil obesse nostræ sententiæ severitatem : multùm autem* pergit, *nobis obest, si ob inutilem misericordiam erga defunctos, pertinaciter aliquid contra Scripturas aut Ecclesiam defendamus ; idcirco non affectum quemdam humanum, quo plerique moveri solent, sed Scripturæ, Conciliorum & Patrum sententiam consulere ac sequi debemus.*

Novimus etiam Novatores nostros eximias Baptismi prærogativas & effectus aut restringere parciùs, aut latiùs diffundere. Hinc vim à labe originali mundandi, & sanctificantem infundendi gratiam ipsi detrahunt ; inde verò liberam ab omni humana servitute, omnibusque votis observandis, (eo excepto quod fit in Baptismo de observanda Dei lege) immunitatem concedere videntur. Utrobique error est : inter extrema media veritas incedit.

1. Cor. 6. v. 11. Rom. 13. v. 1.

Baptismus & interiùs ab omni peccato mundat, *Abluti estis, sanctificati estis, justificati estis* : & ab humana servitute non eximit : *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit : non est enim potestas nisi à Deo.* Et rursum ; *Obedite præpositis, & subjacete illis.*

Heb. 13. v. 17. Edit. Paris. 1621. Tom. 2. Appen. p. 52.

Infiniti essemus, dilectissimi Candidati, si omnes, quas SS. Patres tanta facundia exponunt, Baptismatis dotes, effectus, ac prærogativas enumerare vobis hìc aggrederemur. Unus sufficiat S. Chrysostomus, qui has omnes dotes, quibus baptizati exornantur, mira eloquentia prosequitur. *Ecce*, inquit Hom. ad Neophitos, *libertatis serenitate perfruuntur, qui tenebantur paulò antè captivi ; & cives Ecclesiæ sunt, qui fuerunt in peregrinationis errore ; & justitiæ in sorte versantur, qui fuerunt in confusione peccati. Non enim tantùm sunt liberi, sed & sancti ; non tantùm sancti, sed & justi ; nec solùm justi, sed & filii ; nec solùm filii, sed & hæredes ; nec solùm hæredes, sed & fratres Christi ; nec tantùm fratres Christi, sed & cohæredes ; non solùm cohæredes, sed & membra, non tantùm membra, sed & templum ; non tantùm templum, sed & organa Spiritus. Vides quot sint Baptismatis largitates ? sed multis quidem videtur cœlestem gratiam in peccatorum tantùm remissione consistere ; nos autem honores computavimus decem.* Et Hom. 1. ad illuminandos, ait *Baptismum appellari lavacrum regenerationis, quia non solùm nobis peccata remitit, neque solùm delicta purgat, sed ita præstat ac si denuò generati essemus* ; quasi modò geniti infantes.

Ed. no. To. 2. p. 229.

Sed quorsum tota illa de Baptismo, ac potissimùm de illius necessitate in hac Præfatione disputatio ? Nimirum ut intelligatis, dilectissimi Candidati, quantam hæc Theologiæ nostræ pars atque Tractatus attentionem studiumque exigat, ab iis maximè, qui ministerio Ecclesiastico destinati, aliorum saluti procurandæ omni cura toti incumbere tenentur : qui non sine suo & aliorum damno, ea vel ignorare penitus, vel negligenter tractare possunt, quæ sunt ad salutem animarum necessaria. *Si quis autem diligentiùs Apostolum legerit*, ait Catechismus Romanus, *sine dubitatione ita statuet, perfectam Baptismi cognitionem à fidelibus magnopere requiri : adeo non solùm frequenter, sed gravibus verbis, & Spiritu Deo plenis, ejus mysterii memoriam renovat, divinitatem commendat, atque in eo Redemptoris nostri mortem, sepulturam, & resurrectionem nobis ante oculos, tùm ad contemplandum, tùm ad imitandum constituit.*

Par. 2. de Bap. Sacra. n. 1.

Quò ergo major est Baptismi ad salutem necessitas, eò accuratiùs omnia, quæ ad illum pertinent, animo comprehendenda & percipienda : quæ ejus natura ; quæ materia vera & legitima ; quæ forma ipsius præscripta ; quis in quaque occasione minister ; quod illius percipiendi capax subjectum, quis conferendi modus & ratio, quis ritus, quis usus ; quæ de his omnibus Pontificum & Ecclesiæ decisiones : hæc, inquam, diligentissimè perfectèque percipienda, ne quid in iis peccetur, non à vobis tantùm, sed etiam ab aliis quos à vobis edoceri oportebit, quin ab illis, ubi res & tempus feret, præstari oporteat. *Quare*, concludit Catechismus Romanus, *Pastores nunquam se satis multam operam & studium in hujus Sacramenti tractatione collocasse arbitrentur.*

Jam verò quid dicam vobis, dilectissimi Candidati, de Sacramento Confirmationis, divino illo signaculo, unde baptizato tantæ vires accrescunt ad fidem Christi coram tyrannis intrepidè profitendam ? Quid de illo Novatores nostri ? Pudet referre quanta hic sit Calvini protervia & impietas. *Oleum Confirmationis pollutum* appellat *diaboli mendacio, abortivam Sacramenti larvam, atque inter exitiales satanæ præstigias recensendum esse.* O blasphemia ! ò impietas ! Ita ne verò *pollutum est, ac inter exitiales satanæ præstigias* recensendum Sacramentum, quod Apostoli à Christo edocti, vel ab initio primis Fidelibus contulerunt ? *Oraverant pro ipsis .... Et imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum sanctum.* Quod universa Ecclesia constanti usu ac nusquam interrupto semper observavit. *Egressi de lavacro*, ait Tertull. L. de Baptismo c. 7. *perungimur benedicta unctione de pristina disciplina.... in nobis carnaliter currit unctio, sed spiritualiter proficit.* Et Cyprianus Epist. ad Januar. 70. *Ungi quoque necesse est eum qui baptizatus sit, ut accepto chrismate, id est, unctione, esse unctus Dei, & habere in se gratiam Christi possit.* Et rursus in Epistola ad Jubaja n. 73. *Quod nunc quoque*, inquit, *apud nos geritur, ut qui in Ecclesia baptizatur, præpositis Ecclesiæ offerantur, ut per nostram orationem ac manus impositionem Spiritum sanctum consequantur, & signaculo Dominico consummentur.* Hieronymus denique, Dial. adversùs Luciferianos, aut potius Luciferianus apud ipsum (ut alios innumeros hic taceam) *An nescis Ecclesiarum hunc esse morem, ut baptisatis*

Instit. L. 4. ca. 19. pag. 518. Act. 8. v. 14. & seq. P. 228. D. P. 117. P. 124. T. 3. p. 2.

postea

postea manus imponatur, & ita invocetur Spiritus sanctus? Exigis ubi scriptum sit? in Actibus Apostolorum. Etiamsi Scripturæ auctoritas non subesset, totius orbis in hanc partem consensus instar præcepti obtineret. Ita ne verò *pollutum ac inter exitiales satanæ præstigias recensendum*, quod SS. Ecclesiæ Doctores communi suffragio tot exornant laudibus, cujus virtutem & efficaciam ita magnificè extollunt ac prædicant? Unus instar omnium suffragium dicat S. Cy- P.235.
rillus Hierosolymitanus Catechesi 3. mystagogica, ubi exponens ritum quo ætate sua unctio con- B.
firmatoria per omnes ferè corporis partes effusa ministrabatur, sic scribit: *Frons & alii sensus corporis tui symbolicè inunguntur; & corpus equidem isto visibili unguento perungitur, anima verò sancto vivificoque Spiritu sanctificatur. Ac primùm quidem fronti illinitur, ut eum abstergat à vobis pudorem, quem primus homo transgressor perpetuò circumferebat; simulque efficiat, ut possitis vultu non velato gloriam Domini intueri. Deinde verò aures unguntur, ut ad audiendum divina mysteria aures accipiatis... Postea nares: ut divinum recipientes unguentum dicatis:* Christi gratus est odor Deo in his qui salvantur. *Tum verò & pectus inungitur, ut induti thoracem justitiæ, fortiter adversùs insultus diaboli consistatis. Ut enim Salvator post Baptismum, & illum Spiritus sancti adventum egressus in prælium; devicit adversarium; sic & vos post sacrum Baptismum & chrisma mysticum, induti armis sancti Spiritus adversùs oppositam vobis potestatem consistitis & præliamini, dicentes:* Omnia possum in eo qui me confortat Christo. Ita ne *pollutum est, ac inter exitiales satanæ præstigias recensendum*, quod in fronte positum dæmonibus terrori, nobis autem ad omnes eorum propulsandos impetus, summo esse præsidio debet atque adjumento. *Adversarius enim vester diabolus*, ait S. Petrus, *tanquam leo rugiens circuit quærens quem devoret: cui resistite fortes in fide. Induite vos armaturam Dei,* Ephes.6.
ut possitis stare adversùs insidias diaboli, inquit S. Paulus. Unde porrò *armatura* hæc, nisi ex Sa- v.11.
cramento Confirmationis? ut nempe ligno crucis in fronte muniti, crucis ignominiam non erubescamus. *Quia in fronte erubescitur*, ait egregiè S. Aug. in Psal. 141. n. 9. *ille qui dixit, Qui me* To.4.p.
erubuerit coram hominibus, erubescam eum coram Patre meo qui in cœlis est; ipsam crucis igno- 1581.E.
miniam quodammodo quam Pagani derident, in loco pudoris nostri constituit. Quod signum cru- T.3.p.2.
cis, ait idem S. Doct. Tr. 118. in Joan. *nisi adhibeatur sive in frontibus credentium, sive ipsi aquæ ex* p.801.E.
qua regenerantur, sive oleo quo chrismate unguntur, sive sacrificio quo aluntur, nihil eorum ritè perficitur. Hæccine quæso, *ritum pollutum* referunt *ac inter exitiales satanæ præstigias recensendum?*

Paulò quidem modestiùs, quamquam nec veriùs, nostrum istud Sacramentum impetit non ignobilis Calvini Sectator Dallæus, qui non alium impositionis manuum Apostolorum, fructum agnoscit, quàm linguarum ac miraculorum dona, quæ cùm jamdiu extincta & abrogata fuisse constet, & ipsum quoque Confirmationis ritum cum illis omnino extinctum periisse arbitratur. Verùm non satis attendisse videtur Dallæus, ad infantiam, ut ita dicam, nascentis Religionis, quam conspicuis ac splendidis prodigiis adolescere ac confirmari oportuit. Quibus, adulta & confirmata, non indiguit amplius. *Neque enim*, ut observat S. Aug. L. 3. de Baptismo c. 16. *tem-* To.9.p.
poralibus, & sensibilibus miraculis attestantibus, per manus impositionem modò datur Spiritus 116.F.
sanctus, sicut antea dabatur ad commendationem rudis fidei, & Ecclesiæ primordia dilatanda. Quis enim nunc hoc expectat, ut ii quibus manus ad accipiendum Spiritum sanctum imponitur, repentè incipiant linguis loqui? sed invisibiliter & latenter intelligitur, propter vinculum pacis eorum cordibus divina charitas inspirari. Rem eleganti comparatione illustrat S. Gregorius
Magnus Homil. 29. in Evangelia. *Hæc*, inquit, *miracula necessaria in exordio Ecclesiæ fuerunt.* To.1.p.
Ut enim ad fidem cresceret, miraculis fuerat nutrienda, quia & nos cùm arbusta plantamus, tam- 1571.A.
diu eis aquam infundimus, quousque ea in terra jam coaluisse videamus, & si semel radicem fixerint, irrigatio cessabit.

Hic dicendi finem facio, dilectissimi Candidati, hoc unum enixè flagitans, ut memores sitis Rom.6.
istorum Apostoli verborum. *Quicumque baptisati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius bapti-* v.3.& 4
sati sumus. Consepulti enim sumus cum illo per Baptismum in mortem; ut quomodo Christus surrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus. Sollicit servare unitatem Spiritus in vinculo pacis. Unum corpus & unus Spiritus; sicut vocati estis in Ephes.4.
una spe vocationis vestræ. Unus Dominus, una fides, unum Baptisma. Unus Deus, & pater v.3.
omnium.



PRÆLECTIONES THEOLOGICÆ DE SACRAMENTO BAPTISMI.



OTAM de Baptismo disputationem quinque absolvemus Quæstionibus,

Prima, de nomine & natura Baptismi: ubi de materia, forma, & discrimine illius à Baptismo S. Joannis.

Secunda, de necessitate seu existentia Baptismi.

Tertia, de causis Baptismi: ubi de auctore, ministro & subjecto illius.

Quarta, de effectibus.

Quinta, de cæremoniis, sive quæ antecedunt, sive quæ comitantur, sive quæ sequuntur Baptismum.

Priusquam vero ad rem nostram propius accedamus, statim in fronte hujus Tractatus Tridentini de Baptismo Canones velut doctrinæ Catholicæ fundamentum præmittendi sunt.

Canones Concilii Tridentini de Baptismo Sess. 7.

Tom. 14. Conc. p. 777. & seq.

Can. 1. *Si quis dixerit, Baptismum Joannis habuisse eandem vim cum Baptismo Christi, anathema sit.*

Can. 2. *Si quis dixerit, aquam veram & naturalem non esse de necessitate Baptismi, atque ideo verba illa Domini nostri Jesu Christi, Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, ad metaphoram aliquam detorserit, anathema sit.*

Can. 3. *Si quis dixerit, in Ecclesia Romana, quæ omnium Ecclesiarum mater est & magistra, non esse veram de Baptismi Sacramento doctrinam, anathema sit.*

Can. 4. *Si quis dixerit, Baptismum, qui etiam datur ab Hæreticis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, non esse verum Baptismum, anathema sit.*

Can. 5. *Si quis dixerit, Baptismum liberum esse, hoc est, non necessarium ad salutem, anathema sit.*

Can. 6. *Si quis dixerit, baptisatum non posse, etiam si velit, gratiam amittere, quantumcunque peccet, nisi nolit credere, anathema sit.*

Can. 7. *Si quis dixerit, baptisatos per Baptismum ipsum solius tantùm fidei debitores fieri, non autem universæ legis Christi servandæ, anathema sit.*

Can. 8. *Si quis dixerit, baptisatos liberos esse ab omnibus sanctæ Ecclesiæ præceptis ..... ita ut ea observare non teneantur, nisi se sua sponte illis submittere voluerint, anathema sit.*

Can. 9. *Si quis dixerit, ita revocandos esse homines ad Baptismi suscepti memoriam, ut vota omnia quæ post Baptismum fiunt, vi promissionis in Baptismo ipso jam factæ, irrita esse intelligant, quasi per ea, & fidei, quam professi sunt, detrahatur, & ipsi Baptismo, anathema sit.*

Can. 10. *Si quis dixerit, peccata omnia, quæ post Baptismum fiunt, sola recordatione & fide suscepti Baptismi vel dimitti, vel venialia fieri, anathema sit.*

Can. 11. *Si quis dixerit, verum & ritè collatum Baptismum iterandum esse illi qui apud Infideles fidem Christi negaverit, cum ad pœnitentiam convertitur, anathema sit.*

Can. 12. *Si quis dixerit, neminem esse baptisandum, nisi ea ætate, qua Christus baptisatus est, vel in ipso mortis articulo, anathema sit.*

Can. 13. *Si quis dixerit, parvulos, eo quod actum credendi non habent, suscepto Baptismo inter Fideles computandos non esse; ac propterea, cum ad annos discretionis pervenerint, esse rebaptisandos; aut præstare omitti eorum Baptisma, quàm eos non actu proprio credentes baptisari in sola fide Ecclesiæ, anathema sit.*

Can. 14. *Si quis dixerit, hujusmodi parvulos baptisatos, cum adoleverint, interrogandos esse, an ratum habere velint, quod patrini eorum nomine, dum baptisarentur, polliciti sunt; & ubi se nolle responderint, suo esse arbitrio relinquendos; nec alia interim pœna ad Christianam vitam cogendos, nisi ut ab Eucharistiæ aliorumque Sacramentorum perceptione arceantur, donec resipiscant, anathema sit.*

QUÆSTIO I.

De nomine & natura Baptismi.

UT plenè innotescat quæ sit Baptismi natura, nomen ejus, definitionem, materiam, sive remotam, sive proximam, formam, ac discrimen à Baptismo Joannis expendere necesse est.

ARTICULUS I.

De nomine & definitione Baptismi.

BAptismi nomen origine græcum est, à verbo βάπτω vel βαπτίζω, id est mergo, tingo; hinc βάπτισμα, immersio, tinctio: quia scilicet, qui olim baptisabantur, toti aquis immergebantur seu tingebantur.

Nomen Baptismi considerari potest vel secundùm significationem grammaticalem, vel secundùm significationem Ecclesiasticam & sacramentalem.

Varia nominis baptismi significatio apud Auctores sacros.

Quadruplex distingui potest nominis Baptismi significatio apud Auctores sacros. Prima, litteralis & communis. Secunda, cæremonialis seu legalis. Tertia, accommo-

commodatitia seu metaphorica & figurata. Quarta, Sacramentalis & Ecclesiastica.

I. Juxta litteralem vim nominis, Baptismus, ut mox dixi, idem est, ac immersio & intinctio. cum vero quod lavatur, totum soleat aquis immergi, Græci eodem utuntur nomine ut immersionem, tinctionem, & lotionem seu ablutionem vulgarem significent. Lib. 4. Regum c. 5. v. 14. de Naaman dicitur: *Descendit, & lavit in Jordane septies*, Græce, *ἐβαπτίσατο*. De Judith, Libro cui nomen dedit c. 12. v. 7. *Exibat noctibus in vallem Bethulia, & baptizabat se in fonte aqua*, id est, lavabat se, lotione communi & vulgari.

II. Nomen Baptismi usurpatur in Scripturis ad significandas lotiones illas legales & cæremoniales quibus tam frequenter uti solebant Judæi; unde *Baptistæ* appellantur à S. Justino, Dialogo cum Tryphone; hincque nata secta Hemerobaptistarum, seu eorum, ut
Edit. Paris. 1615. p. 307. A. loquitur S. Epiph. hæresi 17, *qui tam verè, autumno*, *quam æstate atque etiam hyeme quotidie lavant*. De
Edit. Paris. 1612. To. 1. p. 37. A. hu frequentissimis Judæorum baptismatibus seu lotionibus sanctus Marcus cap. 7. v. 3. & 4. ait: *Pharisæi & omnes Judæi, nisi crebrò laverint manus, non manducant; & à foro nisi baptizentur, non comedunt; & alia multa sunt quæ tradita sunt illis servare, baptismata calicum, & urceorum, & æramentorum & lectorum*. Observat etiam S. Paulus Hebr. 9. v. 10. Judæorum hostias *solummodo in cibis & in potibus, & variis baptismatibus* fuisse positas. Baptismus quoque S. Joannis cæremonialis quidem fuit, sed è Cœlo veniens, & ad Baptismum Christi per pœnitentiam, ad quam hortabatur, viam sternens ac præparans.

III. Sensu accommodatitio seu metaphorico & figurato nomen Baptismi usurpatur in Scripturis, ad significandam primo afflictionem quæ hominem instar aquæ vehementis mergit & absorbet. Quo sensu Christus apud S. Lucam cap. 12. v. 50. dicebat: *Baptismo autem habeo baptizari*; hoc est, pati debeo & affligi; aquæ enim frequenter in Scripturis significant afflictionem & dolorem. Psal. 68. v. 1. David ad exprimendam afflictionis suæ vehementiam, dicebat; "Intraverunt aquæ usque ad animam meam." Et v. 15. & 16. Deum ita deprecatur: "Eripe me de luto, ut non infigar; libera me ..., de profundis aquarum. Non me demergat tempestas aquæ, neque absorbeat me profundum.

Hinc propter dolorem annexum, nomen Baptismi pœnitentiæ & martyrio adaptatur.

Pœnitentiæ quidem & perfectæ contritioni; unde dictus *Baptismus flaminis*. Marci 1. v. 4. & Lucæ 3. v. 3. Joannes dicitur *prædicans Baptismum pœnitentiæ*. Ratio est, quia qui pœnitentia compunguntur, si cor le contrito, ac lacrymis perfusi ve tam peccatorum supplicite, deprecantur: onde à SS. Patribus pœnitentia sæpius Baptismus laboriosus, seu lachrymarum appellatur. Hoc sensu Sedulius de muliere peccatrice rigante lachrymis pedes Christi apud S. Lucam cap. 7. sic canit: "purgata recessit Per gemitum, proprioque lavens in gurgite fletus, Munda suis lachrymis redit, & detersa capillis. Non desunt qui eodem sensu interpretantur etiam istud Apostoli, 1. Corinth. 15. v. 29. *Quid facient qui baptizantur pro mortuis?* id est, affliguntur & macerantur.

Martyrio quoque Baptismi nomen accommodatur, onde dictus *Baptismus sanguinis*. Quo sensu Marci 10. v. 38. Christus filiis Zebedæi ait; "Nescitis quid petatis. Potestis bibere calicem quem ego bibo, aut baptismo quo ego baptizor baptizari?" id est, supplicia
Edit. nov. T. 2. p. 155. A. & mortem sustinere. Sic S. Basilius Hom. de 40. Martyribus, loquens de illo qui trigesima novem se adjunxit,
Edit. nov. T. 2. p. 126. A. "Baptizatus est in ipsum (Jesum Christum) ait, "non ab alio, sed à propria fide; non in aqua, sed in proprio sanguine." Et S. Chrysostomus Hom. in S. Lucianum Martyrem, "Neque mireminì, *inquit*, quod Baptismum martyrium vocaverim; nam & hic Spiritus cum multa advolat ubertate, ac peccatorum ablutio, & animæ fit purgatio quædam mirabilis ac stupenda: & quemadmodum ii qui baptizantur aquis, ita qui martyrium patiuntur, proprio sanguine abluuntur.

Usurpatur præterea sensu figurato Baptismus, ad designandam abundantem & copiosam gratiæ Dei diffusionem. Act. 1. v. 5. de Apostolis dicitur: "Vos autem baptizabimini Spiritu sancto non post multos hos dies." Et Matth. 3. v. 11. S. Joannes de Christo ait; "Ipse vos baptizabit Spiritu Sancto & igni." Per ignem autem nonnulli sensu spirituali ac mystico intelligunt uberem Spiritus sancti gratiam, quæ instar ignis omnes peccatorum sordes absumit, nec ab effectu potest retardari, adeo vehemens est & activa. Ita S. Chrysostomus Homil. 12. in Matth. & S. Gregorius Thaumaturgus Serm. in sancta Theophania, ad hæc verba, "Ipse baptizabit vos in Spiritu sancto & igne, Aqua, *inquit*, Edit. Paris. 1622. p. 36. A (bapt. sabit) ut quæ peccatorum sordes abluere potest; Edit. Paris. To. 1. p. "Spiritu, ut qui terrenos, spirituales reddere potest; "igne, ut qui solet iniquitatum spinas comburere. 262. A.

Alii vero ignem sensu litterali intelligunt, ajuntque, sanctum Joannem alludere ad species illas linguarum ignearum quæ in die Pentecostes visæ sunt dispertitæ supra capita Apostolorum, cum Spiritu Sancto ejusque donis repleti sunt. Ita S. Joannes Damascenus L. 4. orthodoxæ fidei c. 9.

Usurpatur denique sensu figurato Baptismus, ad significandum tum diluvium universale quo submersus est universus Orbis, & vocatur à Tertulliano Lib. de Baptismo, *Baptismus mundi*, qui juxta S. Petrum Epistolæ 1 c. 3. v. 21. fuit imago & figura Sacramenti Baptismatis: tum mans rubri transitum, quando nempe Israelitæ sicco pede divisis aquis incedentes, Ægyptios insequentes evitarunt, & dictus est Baptismus Moysis, quia duce Moyse Israelitæ ex Ægypto egressi sunt, de quo Apostolus 1. Corinth. 10. v. 2. *Omnes*, inquit, *in Moyse baptizati sunt in nube & in mari*. Edit. Rigalt. p. 217 B.

Omnes porrò illæ figuratæ ac metaphoricæ baptismi significationes, desumuntur ex analogia, seu similitudine quam habent vel cum materia, vel cum effectu nostri Baptismi.

Non est verò audiendus Socinus, qui præter adductas figuratas nominis Baptismi significationes, novam planè & inauditam invehit, contendens nomine Baptismi doctrinam Evangelicam aliquando designari in Scripturis. Verùm, ut ex dicendis inferiùs constabit, merum istud est cerebri Sociniani figmentum, cujus ne tenuissimum quidem extat in Scripturis fundamentum.

IV. Denique, usu Ecclesiastico & sacramentali Baptismi nomen significat lotionem illam sacram, mysticam & religiosam, qua quis aqua tingitur seu baptizatur in corpore, ut spiritu interiùs renascatur, & dicitur vulgò *Baptismus fluminis*, quo Christiani fimus; de quo Matth. 28. v. 19. Christus Apostolis & Discipulis dixit: "Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti." Et Joan. 3. v. 5. "Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei." Propriè & ad litteram ritus ille Baptismus dictus est, quia, ut jam observavimus, qui baptizabantur olim toti aquis immergebantur.

De Baptismo secundùm hanc postremam significationem, prout nempe Sacramentum est novæ Legis, hoc in Tractatu loquimur. Variæ autem nominibus solet tum in Scriptura, tum apud SS. Patres designari.

Varia nomina Sacramenti Baptismatis.

Varia hæc nomina desumuntur partim à materia, partim à forma, partim ab effectibus, partim denique à cæremoniis Baptismi.

A materia appellatur *Lavacrum aquæ*, Ephes. 5. v. 26. *Sacramentum aquæ*, à Tertulliano Lib. de Baptismo cap. 1. *Unde genitalis*, *Fluvius aquæ vitalis*, à S. Cypriano Epist. 2. & à S. Gregorio Nazianzeno Oratione in sanctum Baptisma.

A forma appellatur *Sigillum*, *Signaculum*, *Obsignatio fidei*, *Sacramentum Trinitatis*, *Sacramentum fidei*: tum quia per Baptismum homo inter Fideles adscribitur; tum quia solemnem fidei suæ professionem, vel per se si adultus sit, vel per susceptores, si infans, emittit; tum quia expressa in eo fit SS. Trinitatis invocatio.

Ab effectibus vocatur *Lavacrum regenerationis & renovationis* ab Apostolo ad Titum 3. v. 5. *Ablutio peccatorum*. Act. 22. v. 16. *Vitæ novitas*, Rom. 6. v. 4. *Sanctificatio*, 1. Corinth. 6. v. 11. *Sepultura hominis cum Christo in mortem*, Rom. 6. v. 4. *Circumcisio non manufacta*, Coloss. 2. v. 4. *Illuminatio*, seu Sacramentum illuminationis, Hebr. 6. v. 4. Nomina hæc passim afferunt & confirmant SS. Patres. Tertullianus Lib. de

P. 115. B. pœnit. cap 6. appellat Baptismum, *fidei obsignationem*;
To. 2. p. S. Basilius Hom. 13. dicit esse *sigillum quod conatu nul-*
117. D. *lo frangi potest*. S. Gregorius Nazianzenus Orat 40.
Edit. Pa- *Sigillum est*, inquit, *quia conservatio est*, *ac dominatio-*
ris. 1609. *nis significatio*. S. Augustinus Epistola 185. aliàs 50.
To. 2. p. cap. 6. *Signaculum* appellat *Redemptoris*; & Conc.
639. A. Trident. Sess. 6. cap. 7. *Sacramentum Fidei*. Græci
Edit. nov. præsertim appellant *Sacramentum illuminationis*:
To. 2. p. unde S. Cyrillus Hierosolymitanus Catecheses suas de
653. A. Baptismo inscripsit *Catecheses illuminatorum*; S.
Tom. 14. Gregorius Nazianzenus Orationem suam 39. quæ est
Conc. p. panegyrica Baptismi Christi, inscripsit, *Orationem in*
759. D. *sancta lumina*. Multa alia congerunt nomina, quibus
To. 1. p. 638. B.

vis & energia Baptismi exprimitur: unum sufficiat testimonium S. Gregorii Nazianzeni Oratione 40. in S. Baptisma, ubi sic loquitur: *Baptismus est splendor animarum, vitæ in melius commutatio, conscientiæ ad Deum interrogatio. Baptismus infirmitatis nostræ adjumentum. Baptismus carnis est abjectio, spiritus assectatio, Verbi participatio, figmenti correctio, peccati diluvium, lucis communicatio, tenebrarum oppressio. Baptismus vehiculum ad Deum, peregrinatio cum Christo, fidei adminiculum, mentis perfectio, cœlestis regni clavis, servitutis depulsio, vinculorum solutio, ... omnium Dei beneficiorum præclarissimum &*

Ibid. D. *præstantissimum*. Et postea *Donum vocamus, gratiam, Baptismum, unctionem, illuminationem, incorruptionis indumentum, regenerationis lavacrum, sigillum &c.*

Denique à ceremoniis Baptismus dicitur *Vestimentum candidum*, à S. Cyrillo Hierosolymitano; *Unctio* à S. Gregorio Nazianzeno &c.

Definitio Baptismi.

Variæ definitiones Baptismi proferuntur tum ab hæreticis, tum ab orthodoxis Theologis, cum eo discrimine, quod primi naturam Baptismi adulterando fidem violant; postremi, salva fide, magis aut minus accuratam & evolutam definitionem proponunt.

Definitiones Baptismi ab Hæreticis confictæ.

Inter Hæreticos Philippus Melancton in Locis suis communibus, definit Baptismum, *signum quo Deus nihil secum agi, & recepit nos in gratiam*.

Verum, definitio hæc convenit omni Sacramento, imo & verbo prædicationis: ac supponit Baptismum esse nudum signum, gratiæ sanctificantis non productivum.

Edit. Genev. 1554. p. 481. n. 1. Calvinus Lib. 4. Instit. c. 15. *Baptismus*, inquit, *est signum initiationis, quo in Ecclesiæ cooptamur societatem, ut Christo insiti inter filios Dei censeamur.*

Verum definitio hæc peccat I. quod explicet tantum Baptismum per finem secundarium, nempe cooptationem inter filios Dei, & protestationem fidelitatis quam Deo & Ecclesiæ debemus, non vero per primarium & præcipuum effectum, regenerationem scilicet interiorem hominis, & à peccatis mundationem.

II. Quia innuit Baptismum esse nudum signum, non vero efficax gratiæ sanctificantis.

III. Quia convenit ex æquo circumcisioni; imò, juxta Calvinistas, etiam longe aptius quam nostro Baptismo: tum quia secundum illos filii Fidelium, quamvis non baptisati, in societatem Ecclesiæ sunt cooptati, Christo insiti, Dei filii; tum quia Circumcisio longe melius distinguebat Judæos à cæteris gentibus, cum ipsi corpori impressa adhæreret tenacius, noster vero Baptismus in actione positus fluat & transeat exterius, solo superstite interiori & invisibili charactere.

Sociniani post Socinum de Ecclesia, titulo de Baptismo, Tom. 1. pag. 250. & Epistola ad Matthæum Radecium ibid. pag. 384. & passim disputatione de Baptismo ibid. pag. 709. definiunt Baptismum, *adumbrationem remissionis peccatorum in nomine Christi, ejusque nominis apertam professionem, & in ipsis Religionem quandam initiationem, per quem nihil revera datur, sed tantummodo eorum quæ vel jam data esse, vel datum iri certissimum est, externa quædam agnitio significetur. Aqua enim baptisari in nomine Christi, nihil aliud est*, inquit Socinus disput. de Baptismo c. 5. *quam publicè Christo nomen dare, ejusque fidem, quæ in corde lateat, palam testari ac profiteri; ita ut non Christianum ulla ex parte Baptismus efficiat, sed indicet atque declaret.*

Brevius Wolchelius Lib. 6. de vera Religione c. 14. *Baptismus*, loquit, *nihil aliud est quam publicum Christianæ professionis symbolum, quo per intinctionem in aquam, homines illius Religionis initiantur.*

Multiplex ea in descriptione Baptismi vitium est, nec unus latet error; nempe, Baptismum nudam esse & otiosam cæremoniam; necessarium non esse, sed indifferentem, nullum extare illius percipiendi fixum ac permanens mandatum: quæ omnia, quam sint à fide Catholica aliena, ostendemus inferius ubi de necessitate & efficacia Baptismi.

A Socinianis non multum recedit Episcopius in responsione ad 64. quæstiones, Tom. 1. pag. 37. ubi duplicem affert Baptismi definitionem: unam qua Baptismus dicitur esse tantum *tessera, nota, signum vel sigillum, quale Diplomatis suis Reges affigere solent, professionis publicæ, quo Christianam Religionem sumus, cujusmodi signum in populo Israelis erat Circumcisio.* Atque juxta hanc Baptismi ideam, ait *mandatum Baptismi eos omnes obstringere tantum, qui professione sunt Christiani*. Altera definitio est, qua Baptismus dicitur *signum resipiscentiæ, & sigillum remissionis peccatorum ante eum susceptum perpetratorum*. Atque juxta hanc definitionem, addit Episcopius *Baptismi mandatum ad eos pertinere, qui vel à paganismo ad Religionem Christianam transeunt, vel in Christiana Religione nati, peccatis se obstrinxerunt: unde si qui nulla peccata [quod rarum] perpetrasset, ad eum*, loquit, *mandatum Baptismi pertinere non auderem dicere, sed Christi illud dictum referrem Matth. 9. v. 12. Non est opus valentibus medico.*

Verum definitionem hanc Baptismi, quæ cum Sociniana cohæret, falsam esse, multisque implicatam erroribus constabit ex dicendis tum de necessitate, tum de efficacia & effectibus Baptismi.

Orthodoxæ Baptismi definitiones.

Hugo à S. Victore Lib. 2. de Sacramentis parte 6. P. 452.
cap. 2. *Baptismus*, inquit, *est aqua abluendis crimini-* D.
bus sanctificata.

Magi-

Magister Sententiarum Lib. 4. dist. 3. *Baptismus est ablutio corporis exterior facta sub forma verborum præscripta.*

Eandem cum Magistro definitionem adducit S. Th. 3. parte q. 66. art. 1.

Catechismus Concilii Trid. parte 2. nu. 5. definit Baptismum, *Sacramentum regenerationis per aquam in verbo.*

Alii paulo explicatius exponunt illud, *in verbo*, & ajunt, *Baptismum Sacramentum regenerationis per aquam, cum expressa SS. Trinitatis invocatione.* Posterior hæc definitio accurata videtur: tum quia verbis Scripturæ exprimitur, partim ex cap. 3. S. Joan. v. 5. partim ex S. Paulo ad Titum 3. v. 5. & ad Ephesios 5. v. 26. partim ex S. Matth. c. 28. v. 19. Tum quia omnes Baptismi partes explicat.

I. Dicitur *Sacramentum*, quod est genus.

II. Additur *regenerationis*, quæ vox differentiam exprimit contrahentem genus, & distinguentem Baptismum à Sacramentis veteribus, tum etiam ab aliis novæ Legis; solus quippe Baptismus inter Sacramenta Evangelica proprie regenerat. *Non solum*, inquit Chrysostomus Catechesi 1. ad illuminandos, *nobis peccata remittit, neque solum delicta purgat; sed ita id præstat ac si denuo generati essemus. Etenim nos denuo creat, & format, non ex terra rursum effingens, sed ex alio elemento, aquarum scilicet creans.* Edit. nova T.2.p. 229.E.

III. Additur, *per aquam*, quæ est alia differentia magis contrahens, & distinguens ab aliis Sacramentis novæ Legis, ipsamque Baptismi designat materiam.

IV. Denique dicitur, *cum expressa SS. Trinitatis invocatione*, quibus verbis forma Baptismi exprimitur.

Ex hac definitione colliges, Sacramentum Baptismi non esse ipsam aquam, prout est res permanens; sed esse ablutionem exteriorem, seu usum & applicationem aquæ.

Colliges 2. post S. Th. hic qu. 66. art. 1. in corpore, tria distingui posse in Baptismo, scilicet, id quod est Sacramentum tantum; quod est res Sacramenti tantum; & quod est Sacramentum simul & res Sacramenti.

Sacramentum tantum dicitur, id quod significat & non significatur; nempe quod exterius sensibus subjicitur, & est signum interioris effectus; qualis est aqua, seu ejus usus & applicatio cum præscripta verborum forma.

Res Sacramenti tantum dicitur, id quod significatur & non significat; & est ipsa interior animæ ablutio quæ fit per gratiam sanctificantem.

Sacramentum & res Sacramenti simul dicitur, id quod significat & significatur, & est character baptismalis qui significat tum interiorem justificationem, vel quæ fit, vel quæ esse debeat; tum jus quod est in baptisato ad percipienda alia Sacramenta: significatur autem, quia est effectus ablutionis exterioris; omnis autem causa significat suum effectum.

ARTICULUS II.

De materia remota Baptismi.

DUplex distinguitur materia in Sacramentis quæ in actione & usu consistunt, una remota, altera proxima.

Remota, est res quæ assumitur ad conficiendum Sacramentum: v. g. in Baptismo aqua, in Confirmatione oleum.

Proxima, est ipsa applicatio seu usus materiæ remotæ: v. g. in Baptismo ablutio, in Confirmatione unctio.

De materia duntaxat remota Baptismi hic agimus, circa quam olim errores nonnulli insurrexerunt.

Errores circa materiam remota Baptismi.

Duplex generatim statui potest ordo, Hæreticorum qui erraverunt circa materiam Baptismi.

Primus, eorum qui aquam aut penitus sustulerunt; aut saltem in necessitate, valere in alio liquore Baptismum existimarunt.

Secundus, eorum qui illam adulterarunt adjecta rerum aliarum mixtione.

Primi ordinis Hæretici qui aquam penitus sustulerunt fuere

I. Omnes illi qui Sacramenta omnia sive signa sensibilia rejecerunt; quales fuere nonnulli Gnostici, de quibus S. Irenæus Lib. 2. c. 18. & S. Epiphanius hæresi 33. Ascodrutæ & Archontici de quibus Theodoretus Lib. 1. hæreticarum fabularum cap. 10 & 11. Beguinæ & Beguardi, de quibus Joannes XXII. in Extravaganti, *Sancta Romana Ecclesia. De religiosis domibus.* In Sexto.

II. Cajani de quibus Tertullianus Lib. de Baptismo cap. 1. *Nuper*, inquit, *conversata istic quædam de Cajana hæresi vipera venenatissima, doctrina sua plerosque rapuit, imprimis Baptismum destruens: nam fere viperæ & aspides, ipsique reguli serpentes arida & inaquosa sectantur.* P. 224. A.

III. Quintillani à Quintilla fœmina sic dicti, qui & Pepuziani nonnunquam appellantur, à vico Pepusæ ubi conventus suos habebant & virus suum diffundebant liberiùs, eidem errori adhæserunt, teste eodem Tertulliano citato mox c. 1. L. de Baptismo: *Quintilla*, inquit, *monstruosissima cui nec integrè quidē docendi jus erat, optime norat pisciculos necare, de aqua auferens.* Eodem Lib. c. 2. refert Tertullianus, errori causam ac prætextum dedisse aquæ simplicitatem & vilem conditionem. Hunc porro errorem sequuta est Quintilla, antequam ad partes Montani accederet; Montano enim addicta, aquam Baptismi cum ipso retinuit. Ibid.

IV. Manichæi rati aquam esse à malo principio, Baptismum in aqua collatum ut planè inutilem rejiciebant. Ita S. Augustinus Lib. de hæresibus, hæresi 46. circa finem. "Baptismum in aqua, inquit, nihil cu-"quam perhibent salutis afferre. Nec quemquam eorum quos decipiunt, baptisant. To. 8 p. 17. C.

V. Seleuciani & Hermiani ab auctoribus sic dicti, ac eodem modo cum Manichæis principio nixi, *Baptismum in aqua non recipiunt*, inquit S. Aug. L. de hæresi bus, hæresi 59. & ante ipsum Philastrius in Catalogo hæreseon quæ sub Apostolis extiterunt, ait "eos illo "aquæ Baptismo non uti, propter verbum hoc quod "dixit Joannes Baptista, Ipse vos baptisabit in spiritu & "igne;" quibus verbis constat quidem eos in aqua non baptisasse; sed an in igne, & quomodo baptisaverint, incertum est. Ibid. p. 20. D. Biblios. PP. To. 5. p. 707. G.

Sanè antiquissimum esse morem in Baptismo ignem seu unctionem usurpandi, constat ex Heracleone apud Clementem Alexandrinum in L. de Prophetia: *Quidā*, inquit, *obsignatorum aures igni notabant.* Et de Valentino Tertull. ait: *Bis docuit tingi traducto corpore flamma.* Jacobitæ etiam à Jacobo Zanzalo Syro propagati, loco Baptismatis aquæ, ferro candente imprimunt in frontibus figuram crucis. Ita Bernardus Lutzemburgensis in Catalogo Hæreticorum Lib. 2. verbo, *Jacobita.* Ignem quoque adhibere perhibentur Æthiopes.

Quidam etiam Manichæi dicti Cathari, duodecimo sæculo, dicebant non esse in aqua baptisandum, sed in igne, cum Baptismus aquæ nihil proficiat. Ita refert Eckbertus Presbyter, qui floruit an. 1160. Sermone octavo adversùs quintam illorum Manichæorum hæresim, quæ est de Baptismo aquæ. Fundamentum erroris desumebant ex his verbis S. Joannis apud S. Matth. c. 3. Biblios. PP. To. 23. pag. 615. A

cap. 3. *Ille baptisabit vos in Spiritu sancto & igne*: quæ non ita interpretabantur, quasi vellent ignem & ustionem adhiberi debere in Baptismo; sed *Baptismus in igne* Ibid. B.C. *dicitur*, ait ibidem Eckbertus, *propter ignem luminum* Ibid. D. *quæ in circuitu ardent.* Narrat scilicet eos in hunc modum baptisasse, *Locantur*, inquit, *luminaria copiose in circuitu cum reverentia magna. Statuitur in medio infelix ille qui baptisandus seu catharisandus est, & assistit ei Archicatarus, tenens in manu Libellum deputatum ad officium hoc, quem imponens vertici ejus dicit benedictiones ...... orantibus cæteris qui circumstant ..... & sic perficitur ille Baptismus.*

VI. Bellarminus L. 1. de Baptismo c. 2. & post eum multi alii recensent inter Hæreticos qui penitus aquam Biblioth. PP. T. 9. p. 205. G. è Baptismo eliminarunt, Paulicianos è secta Manichæorum, qui, teste Euthymio Panopliæ parte 2. titulo 21. videntur pro elemento ea tantum verba inter baptisandum substituisse, *Ego sum aqua viva.* Verum ex Euthymio non videtur illud posse colligi; neque enim ille ait Paulicianos existimasse Baptismum in his verbis positum esse, sed tantum eos finxisse se suscipere Baptismum, eo quod admitterent Evangelium; Baptismum autem esse Evangelii verba, quia Dominus dixit: *Ego sum aqua viva.* Unde colligi quidem potest, ejusmodi Hæreticos circa vim & efficaciam Baptismi errasse, non circa materiam, præsertim cum, ut ibidem Ibid. observat Euthymius, *illi infantes suos Presbyteris baptisandos offerrent, eo quod Baptismum corpori prodesse putabant, quamvis animæ nullam afferret utilitatem.*

VII. Quidam Valdenses, ex Manichæorum secta, Biblioth. PP. T. 24. p. 1524. G. referente Ebrardo cap. 6. Operis adversùs eos conscripti, aquam à Baptismo auferebant: *Hæretici*, inquit, *duo testimonia extinguunt, sanguinem in sacrificio, aquam in Baptismo non credunt.*

VIII. Flagellantes decimotertio sæculo exorti, per Italiam, Hungariam, Poloniam, Galliam, & Germaniam diffusi, dicebant, *unumquemque baptisari debere proprio sanguine per flagella de corpore excusso.* Ita refertur in vita Gregorii Papæ X. Tom. 11. Conc. parte 1. pag. 928. An vero illi rejecerint Baptismum aquæ, non affirmant Auctores qui de illis scripserunt, & Gerso, qui contra illos Tractatum edidit Tom. 1. parte 1. pag. 636. Edit. Parisiensis an. 1606. ait quidem illos negligere Confessionem Sacramentalem & Pœnitentiam, imo & flagellorum dignitatem ac meritum ipsi martyrio anteponere; sed de rejecto ab illis aquæ Baptismo silet. "Constat, *inquit*, per experientiam, quod "taliter se flagellantes non curant de Sacramento Con-"fessionis vel Pœnitentiæ sacramentalis, dicentes quod "hæc flagellatio potior est ad delendum peccata, quam "quæcunque Confessio, imo eam æquiparant nonnulli "vel præponunt martyrio, quoniam facimus, inquiunt, "ultro fundendo sanguinem proprium, quod ab aliis "Martyres pati cogebantur.

Castigandus hic obiter Socinus, qui disputatione de Baptismo cap. 15. ut ostendat perpetuum non fuisse in Ecclesia usum Baptismi aquæ, asserit, teste Dionysio Alexandrino apud Eusebium, à Novato abrogatum fuisse Baptismum. Verum, aut mentem Dionysii non est assecutus Socinus, aut insigniter aberrat. Certum enim est, Novatum non tantum suos baptisasse, sed & baptisatos à Catholicis iterum baptisasse, cum ad suas transibant partes. Eo igitur duntaxat sensu dixit apud Edit. Vales. p. 254. Eusebium Lib. 7. Historiarum cap. 8. Dionysius, Novatum abrogasse Baptismum, quod à Catholicis baptisatos ad se venientes iterum baptisans, hoc facto, quantum in se erat, Baptismum Catholicorum, utpote nullum, abrogaret.

Hactenus de Hæreticis primi ordinis qui visi sunt sunt aquam ex Baptismo penitus rejecisse.

Exstitere vero qui hanc quidem retinendam esse voluerunt uso communi & ordinario, sed in casu necessitatis posse Baptismum alio in liquore conferri censuerunt. Ita ille qui, referente Joanne Moscho cap. 176. Judæum quemdam in eremo deficientem baptisavit in arena.

Presbyter ille de quo interrogatus fuit Stephanus II. S. Pontifex: qui aqua deficiente, periclitantem infantem vino abluerat.

In Norvegia fuere etiam qui propter aquæ penuriam infantes baptisabant in cervisia; de quo Baptismo consultus Gregorius IX. S. Pontifex à Nidrosiensi in Norvegia Archiepiscopo, respondit secundum doctrinam Evangelicam baptisandum esse in aqua.

Armeni quoque, referente Thoma Valdensi Lib. 2. c. 114. in necessitate varie baptisabant, *quidam in vino, quidam in lacte.*

Lutherus etiam in Colloquiis symposiacis c. 17. interrogatus num deficiente aqua liceret baptisare in lacte, respondit: *Quidquid balnei loco esse potest, illud aptum esse ad baptisandum.*

Idem sentit Theodorus Beza in sua secunda ad Tillium Epistola. *Si desit aqua*, inquit, *& tamen Baptismus alicujus differri amplius cum ædificatione non possit nec debeat, ego certe quovis liquore, non minus ritè quàm aqua baptisarem.* Addit ibidem, [quod apertum mendacium] *non aliter sentire Scholasticos nostros.*

Palavicinus Lib. 9. Historiæ Concilii Tridentini cap. 7. inter varias propositiones ex recentioribus Hæreticis Lutheranis & Calvinistis exceptas, hanc circa To. 2. p. 36. a. B. Baptismum refert: *Aqua vera & naturalis non est de necessitate Baptismi*; atque ideo verba illa Domini nostri Jesu Christi, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto*, ad metaphoram detorqueri debent; quem errorem proscripsit Synodus Tridentina Sessione P. 481. a. 2. 7. Canone 2. Reipsa enim Calvinus Lib. 4. Instit. cap. 15. per aquam Christi sanguinem vult intelligi, *propter mundandi abluendique similitudinem.* Dallæus quoque Lib. 2. de Confessione cap. 3. cæterique vulgo Calvinistæ eandem interpretationem amplectuntur.

Secundi ordinis Hæretici qui aquam Baptismi adulterarunt injecta rerum aliarum mixtione, fuere

Quidam Marci discipuli dicti Marcosii è Gnosticorum secta: ii nempe, teste S. Epiphanio hæresi 34. post S. Irenæum, oleum aqua temperatum in Baptis- To. 1. p. 256. B. mo adhibebant. *Non desunt inter alios*, ait S. Epiphanius, *qui ad aquam perducere supervacaneum arbitrantur; sed oleum aqua temperatum cum solemnibus carminibus initiatorum capiti aspergunt, idque demum redemptionem nominant.*

Antiquissimus Auctor anonymus in Tractatu quem scripsit adversùs S. Cyprianum cæterosque Rebaptisantes, versùs finem, certos refellit Hæreticos, qui ignem aquæ adjungendum esse in Baptismo contendebant, tum propter hæc verba S. Joannis, *ille* (Christus) *baptisabit vos in Spiritu sancto & igne*; tum quia in Libro qui *Pauli prædicatio* inscribitur, (supposititius ille est & nugis plenus) legebant, ignem super aquam visum fuisse, quando Christus fuit à Joanne baptisatus. Hinc est quod illi fingebant, statim ac in aquam descendissent ut baptisarentur, ignem super aquam apparere. Putidum hoc figmentum refellit Anonymus, cujus Tractatus editus est calcem Operum S. Cypriani, & Tom. 1. Conc. pag. 783.

Egbertus Eboracensis Archiepiscopus in excerptis Tom. 6. cap. 42. narrat suo tempore quosdam fuisse qui misce- Conc. p. bant vinum cum aqua Baptismatis; *Et hoc non rectè*, 159. B. inquit, *quia Christus non jussit baptisari vino, sed aqua.*

His præmissis, dogma Catholicum sequenti Conclusione demonstrabimus.

CON-

CONCLUSIO.

Omnis & sola naturalis seu elementaris aqua est remota Baptismi materia, eaque necessaria.

Tam expresse dogma istud in Scripturis continetur, & Ecclesiæ totius praxi ac traditione confirmatur, ut mirum sit potuisse in dubium revocari.

Probatur igitur 1. ex Scriptura triplici argumento. A prophetia, seu promissione aquæ baptismalis; à præcepto, & ab exemplo seu facto tum Christi, tum Apostolorum qui in aqua baptisarunt.

I. Deus per Ezechielem cap. 36. v. 25. promisit, & prædixit se per aquam omnes iniquitates expurgaturum: *Effundam*, inquit, *super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus iniquitatibus vestris.* Quem locum haud dubie respicit S. Paulus Hebr. 10. v. 22. cum ait; *Aspersi corda à conscientia mala, & abluti aqua munda.*

II. Mandavit Christus Apostolis, ut in aqua baptisarent omnes gentes. Matth. 28. v. 19. *Euntes ergo docete omnes gentes, baptisantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti.* Baptismum autem illum in aqua fieri debere, declaravit Christus apud S. Joan. cap. 3. v. 5. his verbis. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* Unde Apostolus Ephes. 5. v. 25. *Christus*, inquit, *dilexit Ecclesiam, & tradidit seipsum pro ea, mundans eam lavacro aquæ.* Nomine autem aquæ, veram, naturalem & elementarem sensu proprio & literali, non figurato & metaphorico esse intelligendam, manifestè demonstrat exemplum Christi & Apostolorum.

III. Postquam Christus in suo cum Nicodemo colloquio Joan. 3. dixisset, neminem posse introire in Regnum Dei, *nisi renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto*; ut verba facto comprobaret, v. 22. ejusdem capitis ita refertur: "Post hæc venit Jesus & Discipuli "ejus in terram Judæam, & illic demorabatur cum eis, "& baptisabat. Erat autem & Joannes baptisans in "Ænnon juxta Salim, quia aquæ multæ erant illic." Ex quibus perspicuum est, Christum cum Discipulis suis baptisasse baptismo aquæ veræ & naturalis, sicut ipse Joannes Baptista; unde orta quæstio discipulorum Joannis, *Rabbi*, inquiunt v. 26. *qui erat tecum trans Jordanem, cui tu testimonium perhibuisti, ecce hic baptisat, & omnes veniunt ad eum.* Quin ipse Christus in aqua baptisatus est à Joanne: Matth. 3. v. 6. *Baptisatus autem Jesus confestim ascendit de aqua.* Idem refertur à S. Marco c. 1. v. 9. ubi in Jordane Christus à Joanne baptisatus dicitur.

Apostoli & Discipuli Christi mandato obsequentes, in aqua quoque baptisarunt. Act. 8. vers. 36. de Philippo & Eunucho Candacis Reginæ ita narratur: „Dum irent per viam, venerunt ad quamdam aquam; „& ait Eunuchus: Ecce aqua, quid prohibet me bap„tisari? ...... & descenderunt uterque in aquam, „Philippus & Eunuchus, & baptisavit eum. Ubi certe non figurato & metaphorico, sed proprio sensu vera & naturalis aqua debet intelligi, qualis iter facientibus occurrit.

Probatur 2. constanti ac perpetua Ecclesiæ totius praxi & traditione, qua constat semper rejectum & improbatum fuisse Baptismum alio in liquore, quam in aqua collatum.

Stephanus II. S. Pontifex, [si tamen genuina est illius Constitutio, de qua infra inter Objectiones] interrogatus de Presbytero, qui cum deesset aqua, periclitantem infantem vino abluerat, respondit: "Quod si aqua „adfuit præsens, ille Presbyter excommunicetur, & pœ„nitentiæ submittatur, quia contra Canonum senten„tiam agere præsumpsit.

Tom. 6. Conc. p. 1552. D. C.

Gregorius IX. interrogatus an valeret Baptismus datus in cervisia, respondit: "Cum secundum doctri„nam Evangelicam oporteat ex aqua & Spiritu sancto „renasci, non debent reputari rite baptisati, qui in cer„visia baptisantur. Apud Raynaldum ad an. 1241. n. 42.

To. 13. p. 159. Eccl. t.

Innocentius III interrogatus de Baptismo cum saliva conspersione facto, respondet, cap. *Non ut appo. nères*, de Baptismo & ejus effectu L. 3. Decretalium tit. 42. "quod cum in Baptismo duo necessario requi„rantur, scilicet verbum & elementum, dubitari non de„bet, illos verum non habere Baptismum, in quibus „non solum utrumque prædictorum, sed eorum alte„rum omissum est.

Decret. p. 1389. n. 40.

Baptismum quoque in vino improbavit Ecclesia, ut colligitur ex Decreto Yvonis parte ., de Baptismo c. 54.

Improbavit quoque Baptismum in arena collatum, ut constat ex Dionysio Alexandrino apud Nicephorum Lib. 3. Hist. c. 37. Cum enim ille interrogatus fuisset de Judæo in arena Baptisato, *Ecclesiam ea de re*, inquit Historicus, *consuluit, cui visum est aqua insuper, juxta Ecclesiæ traditionem, abluendum esse talem Judæum.*

Edit. Paris. 1630. To. 1. p. 277. A. B.

Innumera hic adduci possent in confirmationem Conclusionis nostræ SS. Patrum utriusque Ecclesiæ testimonia; verum in re obvia & facili unum aut alterum sufficiet ex Veteribus testimonium.

S. Justinus Apol. 2. de iis qui ad Religionem nostram præformabantur, ait: *Deinde eo adducuntur à nobis ubi aqua est .... nam in nomine rerum cunctarum parentis & Domini Dei & Servatoris nostri Jesu Christi & Spiritus sancti in aqua tum lavantur.*

P. 93. D.

Tertullianus Lib. de Baptismo, quem ab his verbis auspicatur: *Felix Sacramentum aqua nostra, qua abluti delictis pristinæ cæcitatis in vitam æternam liberamur!* Dogma nostrum confirmat. Cap. 4. aquas ab ipso Spiritu sancto sanctificatas fuisse, & sanctificandi „vim combibisse ostendit: "De sancto, *inquit*, sanctifi„cata natura aquarum, & ipsa sanctificare concepit. „*Et paulo post*: Omnes aquæ de pristina originis præ„rogativa Sacramentum sanctificationis consequuntur, „invocato Deo. Supervenit enim statim Spiritus de Cæ„lis, & aquis superest, sanctificans eas de semetipso, & „ita sanctificatæ, vim sanctificandi combibunt.

P. 224. *P. 225. B. C.*

Capite vero secundo ex professo refellit Cajanitas, qui ex Baptismo aquam eo prætextu rejiciebant, quod vilis esset & communis; ostenditque ea ipsa de causa à Christo electam fuisse, ut unicuique promptum, facile & obvium foret ad veniam peccatorum obtinendam remedium.

S. Aug. Tract. 15. in Joan. *Tolle aquam*, inquit, *non est Baptismus.*

To. 4. p. 2. pag. 408. E.

Hac constanti & universali traditione nixi Patres Tridentini, Sess. 7. Can. 2. sic definiunt; "Si quis „dixerit, aquam veram & naturalem non esse de necessi„tate Baptismi, atque ideo verba illa Domini Jesu „Christi, Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu san„cto, ad metaphoram aliquam detorserit, anathema sit.

To. 14. Conc. p. 778. A.

Dixi in Conclusione 1. omnem aquam naturalem idoneam esse Baptismi materiam. *Nulla distinctio est*, ait Tertull. L. de Baptismo c. 4. *mari quis an stagno, flumine an fonte, lacu an alveo diluatur, nec quidquam refert inter eos quos Joannes in Jordane, & quos Petrus in Tiberi tinxit.*

P. 225. G.

Dixi 2. solam aquam naturalem materiam esse Baptismi, ut excludantur tum alii omnes liquores, vinum, cervisia, & aquæ quæ ex floribus, herbis, fructibus, aliisve id generis exprimuntur, nec sunt vera & elementaris aqua: tum omnis mixtio & compositio quæ aquæ elementaris substantiam immutare censetur, alia enim mixtio cum qua salva & integra remanet aquæ natura & substantia, nec Baptismi integritati nocet, nec rejicienda, qualis est v. g. mixtio chrysmatis,

quod

quod in solemni consecratione fontis baptismalis, aquæ infunditur. Pariter accidentalis aquæ mutatio Sacramento non officit; sit v. g. aqua calida vel frigida, munda vel immunda, dulcis aut salsa, nihil interest ad substantiam Sacramenti: unde nix, grando, glacies, cùm sit vera aqua, idonea quoque est Baptismi materia, quando nempe resoluta est & liquata, non vero quando ita est concreta & congelata, ut fluere non possit nec lavare, sicut observat Rituale Romanum Pauli V. Cavere autem debent diligenter Pastores, ut aqua baptismalis munda sit & pura, *quæ Sacramenti dignitate magis consentaneum est*, inquit S. Carolus Borromæus in Instructione Baptismi, nisi forte urgeat necessitas; quo casu quæcumque aqua naturalis obvia, etsi lutulenta, potest usurpari.

Dixi 3. aquam esse solam materiam necessariam, quia nec chrysma quod aquæ infunditur in solemni fontis consecratione, *nec benedictio aquæ est de necessitate Baptismi*, inquit S. Thomas 3. par. qu. 66. art. 3. ad 5. *sed pertinet dumtaxat ad quamdam solemnitatem, per quam excitatur devotio Fidelium, & impeditur astutia dæmonis, ne impediat Baptismi effectum.*

Aqua debet esse benedicta seu consecrata. Aqua tamen benedicta [quantum fieri potest] uti debent Ministri inter baptisandum: tum quia ita expresse ferunt Libri rituales, imprimis Romanus Pauli V. tum quia antiquissima est illa aquæ baptismalis benedictio, de qua Tertullianus Lib. de Baptismo c. 4. ubi

P. 225. D. Edit. Rigal. aquas propter hanc benedictionem seu consecrationem *medicatas appellat*. Et S. Cyprianus Epistola 70. ad Januarium: *Oportet*, inquit, *mundari & sanctificari aquam prius a Sacerdote, ut possit Baptismo suo peccata hominis qui baptisatur, abluere.* Et S. Ambrosius Lib. 1. de Sacramentis cap. 5. ait, formam Baptismatis & usum hoc habere, *ut ante fons consecretur, & tunc descendat qui baptisandus est.* Et L. 2. c. 5. *Venit*, inquit, *Sacerdos, precem dicit ad fontem, invocat Patris nomen &c.* S. quoque Augustinus illius consecrationis mentionem facit Lib. 6. de Baptismo contra Donatistas, & L. 9. contra Julianum c. 8. Idem confirmat Victor Vitensis L. 2. de persecutione Vandalica. Inter Græcos idem quoque testantur S. Basilius Lib. de Spiritu sancto c. 27. & in Psal. 43. S. Gregorius Nyssenus Oratione de Baptismo, S. Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi 3. S. Chrysostomus Hom. 83. in Marcum, & Auctor sum Constitutionum Apostolicarum Lib. 7. c. 43. in quo describitur fontium benedictio; tum Operis de cœlesti Hierarchia c. 2. quod Dionysio Areopagitæ à nonnullis tribuitur.

p. 117. Edit. ao. Tom. 2. p. 353. C. Ibid. p. 357. F.

Biblioth. PP. To. 8. pag. 683. A.

Quæres qua re Christus aquam pro materia Baptismi assumpserit.

Resp. 1. in ejusmodi factis voluntatem facientis esse supremam regulam & rationem.

Resp. 2. SS. Patres hujus facti has congruas rationes afferre. 1. quia ad Sacramentum absolute omnibus & singulis necessarium voluit Christus commune & omnibus obvium seligere elementum. Ita Tertullianus Lib. de Baptismo cap. 2. 2. quia in Baptismo datur Spiritus sanctus, qui in ipso rerum exordio in aquis sedem suam præcipuè constituit, quibus incubabat ut fœcun-

P. 225. A. ditatem ipsis imprimeret. *Gratior enim tunc sedes erat cæteris elementis*, ait Tertullianus cap. 3. Lib. de Baptismo. 3. quia aquis usus est Deus ut mundo decorem & ordinem daret; ut terram à Cœlo divideret, aquis interjectis; ut hominem de limo formaret: aquis

Ibid. denique primum fœcunditatem indidit. *Primus liquor*, inquit ibidem Tertullianus, *quod viveret edidit.* Nihil igitur mirum, si in Baptismo quo homo renovatur, atque novus veluti creatur, quo animæ suus splendor ac vita redditur, aquas Christus adhiberi voluerit.

Ibid. *Non mirum sit*, ait ibidem Tertullianus, *si in Ba-*

Ibid. B. *ptismo aqua animare noverunt. Non igitur dubitandum*, concludit ille, *quin materiam, quam in omnibus rebus & operibus suis Deus disposuit, etiam in Sacramentis propriis parere fecit.* 4. quia similitudo quædam est & analogia inter effectum aquæ in corpore, & effectum Baptismi in anima. Sicut enim aqua sordes corporis extergit & mundat, ita Baptismus sordes animæ, idest, peccata, ait S. Ambrosius, aut quisquis Auctor est apud ipsum Commentarii in Epistolam ad Romanos cap. 6. *Sicut aqua refrigerat ardorem corporis, ita Baptismus ardorem concupiscentiæ*, ait S. Hieronymus Epist. 83. ad Oceanum. *Et sicut aqua extinguit ignem elementarem*, inquit S. Anselmus, *ita Baptismus extinguit ignem gehennæ.* Sicut denique aqua sedat corporalem sitim, ita fons Baptismi sanctorum desideriorum sitim explet spiritualem.

App. T. 2. p. 59. E.

Edit. Ben. To. 4. 1. pag. 651.

Solvuntur Objectiones.

Objicies 1. Præcipua dogmatis Catholici probatio desumitur ex citatis Christi verbis apud S. Joan. cap. 3. v. 5. "Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei." Atqui eo loci aqua non debet proprio sensu pro naturali & elementari usurpari, sed metaphorico, nempe vel pro interiori afflictione & pœnitentia, vel (quod verisimilius) pro ipso Spiritu interius lavante & mundante instar aquæ; ita ut particula &, non conjunctivæ, sed expositivæ vim habeat, & significet *idest*.

Minor probatur.

I. Quia in Textu græco non legitur ex aqua & Spiritu sancto, sed tantum ex aqua & Spiritu, ἐξ ὕδατος καὶ πνεύματος, quod idem est ac spiritu aqueo, id est, spiritu mundante & lavante instar aquæ: solet quippe Scriptura ad unum quid significandum duos terminos per copulativam & conjungere. V. g. Act. 17. v. 25. dicitur, *vitam & inspirationem*, quod idem est ac *inspirationem vitæ*. Et Coloss. 2. v. 8. *Videte ne quis vos decipiat per Philosophiam & inanem fallaciam*, idest, *per inanes fallacias Philosophiæ*. Unde S. Chrysostomus Homil. 31. observat, à Scriptura *sancti Spiritus gratiam, modo ignem, modo aquam appellari.*

II. Nomine aquæ in citato loco non magis debet intelligi materia Baptismi, quam nomine spiritus: atqui certum est spiritum non esse Baptismi materiam; ergo &c.

III. Christus eo loci exprobrat Nicodemo quod ignoraret posse hominem denuo nasci; *Quomodo*, inquiebat, *potest homo nasci cùm sit senex? Numquid potest in ventrem matris suæ iteratò introire & renasci?* Cui Christus: *Tu es Magister in Israel, & hæc ignoras?* Porro si Christus de vera aqua ad renascendum necessaria locutus fuisset; immerito Nicodemo objecisset quod hoc ignoraret; quomodo enim id vel suspicari potuisset? Si vero locutus supponatur sensu metaphorico, de aqua spirituali, idest, de gratia Spiritus sancti mundante velut aqua, qua renovandi & quasi de novo creandi sunt homines, istud intelligere facilè potuisset & debuisset Nicodemus, ac merito se reprehenditur, quod hoc ignoraret: cum enim versatus esset in Scripturis, meminisse poterat à Jeremia & Ezechiele scriptum esse, fore tempus, quo Deus novum homini cor daturus esset, se missurus Spiritum à quo omnia erant renovanda, & ad meliorem sortem immutanda.

IV. Non magis per aquam apud S. Joan. debet intelligi vera & naturalis aqua, quæ sit Baptismi materia, quàm per ignem apud S. Matth. c. 3. v. 10. debet intelligi verus & elementaris ignis quo baptisandi sunt Christiani: *Qui post me venturus est*, ait S. Joannes Baptista, *fortior me est; ipse vos baptisabit in Spiritu sancto & igni.* Atqui certum est ignem eo loci sensu metaphorico usurpari pro Spiritu, qui instar ignis pectora inflammat, & omnes peccatorum spinas comburit; ergo &c.

V. Denique, S. Joannes loco mox citato Matth. 3.

manu-

manifestè declarat suum Baptismum discrepare maximè à Baptismo Christi, quod ipse in aqua in pœnitentiam baptisaret, Christus verò in Spiritu sancto.

Resp. nego min. Interpretatio quippe hæc à recentiore conficta, tam est absona, tam loci circumstantiis, facto & exemplo tùm Christi tum Apostolorum adversa, ut veteribus Hæreticis, quamquam aliunde de Baptismo nostro infensis, nusquam in mentem venerit. Imò tam clara & expressa visa est Pelagianis Christi sententia, Jo. 3. v. 5. ut illius evidentia convicti, coacti fuerint distinguere Regnum Cœlorum à vita æterna, ut faterentur infantes sine Baptismo morientes excludi quidem à Regno Cælorum, propter verba Christi, *Nisi quis renatus fuerit* &c. vita tamen æterna donari, propter innocentem eorum naturam ab omni labe originali liberam. Ita S. Aug. L. 1. de peccatorum meritis & remissione cap. 20. & Lib. 3. c. 13. To. 10. p. 15. A. Ep. 83. C.

Ad primam probationem: falsum est apud S. Joan. idem esse aquam & spiritum; aut spiritum per aquam analogicè tantum significari: duo enim sunt distincta, quorum unum est elementum exterius, nempe aqua quæ symbolum est spiritus, & alterum interius, nempe gratia Spiritus sancti.

Nec obstat 1. quod in Græco non legatur, *ex Spiritu sancto*, sed simpliciter *ex spiritu*. Quis enim vel tantisper in Scripturis versatus ignorat, nomine spiritus per excellentiam designari Spiritum sanctum? Sic Marci 1. v. 1. dicitur: *Cum baptisatus est Christus, vidit* (Joannes) *cœlos apertos, & spiritum tanquam columbam descendentem.* Spiritum autem illum esse tertiam SS. Trinitatis personam, quam S. Matth. c. 3. v. 6. appellat *Spiritum sanctum*, nemo dubitat. Debet igitur attributum illud, *Sanctus*, suppleri apud S. Joan. c. 3. v. 5. ex aliis locis; præsertim ex cap. 1. S. Marci v. 8. ubi Joannes Baptista de suo & Christi Baptismate ait: *Ego baptisavi vos aqua, ille verè baptisabit vos in Spiritu sancto.*

Nec obstat 2. mos Scripturæ rem eandem duobus terminis per copulativam & aliquando exprimentis: namque etsi id concedamus, immerito tamen ad citata verba Christi Joan. 3. v. 5. observatio hæc accommodatur, quasi idem plane significetur per aquam & spiritum. Pari quippe jure contendere posset Socinianus aliquis, per ista nomina, *Patris, & Filii, & Spiritus sancti*, significari tantum unam & eandem personam trinominem. An ferent Lutherani & Calvinistæ? non puto. Loci ergo circumstantiæ, subjecta materia, Ecclesiæ totius praxis & traditio expendi debent, ut legitimus sensus verborum Christi, & particulæ copulativæ, &, vis ac significatio cognoscatur. Explicativæ quidem particulæ vim aliquando habere particulam, &, nemo negat; sed quis ausit, nisi mente captus, affirmare constantem esse ac perpetuum hunc illius usum in Scripturis? nemo profecto. V. g. cum Matth. 3. v. 10. S. Joannes de Christo ait: *Ipse baptisabit vos in Spiritu sancto & igne*: particula, &, eo loci non significat *idest*; nemo quippe dixerit per Spiritum sanctum ignem significari, cum ex adverso ignis conflagrans sit symbolum Spiritus sancti peccata consumentis.

Nec obstat 3. auctoritas S. Chrysost. ait enim apud Scripturam Spiritus sancti gratiam aliquando designari per ignem vel aquam; sed nusquam ait citato cap. 3. S. Joan. v. 5. idem significari per aquam & per Spiritum sanctum.

Ad secundam probationem nego ant. Planè inauditum est apud Theologos, Spiritum sanctum esse materiam alicujus Sacramenti; appositè igitur ad rem subjectam, apud S. Joannem aqua supponit pro materia Baptismi, Spiritus vero vel pro causa efficiente primaria gratiæ, vel pro ipsa gratia quæ est effectus Baptismi.

Ad tertiam, dico 1. Christum non arguendo neque exprobrando, sed docendo potius, & hominis superbiam sanando, Nicodemo dixisse *Tu es Magister in Israel, & hæc ignoras?* hominem nempe posse denuo spiritualiter renasci. Homini non insultat, inquit S. Augustinus Tract. 12. in Joan. sed ejus superbiam sanando ad humilitatem disponit: aut si insultat, tanquam indocto insultat, ut superbiam deponat. To. 3. p. 2. p. 386. B.

Dico 2. non immerito potuisse Christum huic Legis Doctori exprobrare, quod ignoraret hominem posse denuo nasci per aquam, non quidem corpore, sed spiritu: quia scilicet cum esset in Lege peritus, ignorare non debuit scriptum esse apud Ezechielem cap. 36. v. 25. *Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris &c. Et dabo vobis cor novum.* Et apud Psalmistam Psal 103. v. 30. *Emittes Spiritum Spiritum tuum & creabuntur, & renovabis faciem terræ*, & alia hujusmodi quæ de renovatione & creatione interiori ac spirituali per gratiam animis infundendam, intelligi tantum possunt, nec tamen intelligebat Nicodemus, quamvis Legis Doctor, adeo nempe defixus erat illis Pharisaicis mundationibus, ut nihil sublimius animo conciperet; quamquam vel ex ipsis Judaicis ritibus & mundationibus domesticum ac familiare quoddam exemplum & symbolum habere poterat novæ cujusdam nativitatis.

Qui enim apud Judæos à cultu falsorum deorum conversi Moysis Religioni nomen dabant, tot ritibus, tot lotionibus præparabantur & præformabantur, ut novi veluti homines haberentur. 1. quippe circumcidebant eum. 2. in cœtu publico præsentibus ad minus tribus Judæis, baptisabant; tum vitæ præteritæ detestationem ab eo exigebant. Tenebantur coram protestari, se neque ambitione, neque avaritia moveri ad amplectendam Judæorum Religionem: in fide instruebatur; promittebat se verum Deum adoraturum, & universam Legem observaturum. His omnibus ritibus initiatus Proselytus, à Judæis tanquam novus homo habetur, & ut loquitur S. Petrus primæ Epistolæ c. 2. v. 2. *sicut modo geniti infantes*; ad quæ profecto si attendisset Nicodemus, & supra res corporeas paulo, ut debebat, mentem erexisset, facile intellexisset, posse hominem in Baptismo Christi interius per gratiam renovari & renasci.

Ad quartam, nego ant. Nullus enim nisi hæreticus, unquam contendit ignem esse in Baptismo Christi usurpandum. Utriusque ergo loci, tum S. Joannis, tum S. Matthæi, explicatio & interpretatio tutius haberi non potest, quam ex praxi tum Christi & Apostolorum ejus, tum universæ per Orbem sparsæ Ecclesiæ: at certum est nusquam Christum, aut Discipulos ejus, aut quemcunque Fidelem baptisasse in igne; è contra certissimum, in aqua Christum ejusque Discipulos, eorumque exemplo totam subinde Ecclesiam baptisasse; igitur apud S. Joannem, aqua materiæ Baptismi locum tenet; & apud S. Matth. ignis, non materiam, sed effectum Baptismi symbolicè significat. Atque inter istas duas Evangelistarum sententias non leve discrimen esse observat Estius in 4. dist. 3. parag. 7. *In priori enim*, inquit ille, *ignis postponitur Spiritui sancto, in posteriori aqua præponitur. Ex quo datur intelligi ibi quidem ignis vocabulum adjunctum, tanquam ejus quod antecedit determinationem, qua nimirum certa proprietas Spiritus sancti designaretur; hic vero aquam priori loco nominatam, ne per eam proprietas aliqua spiritus sancto adjuncta intelligeretur, sed in significatione sua propria acciperetur.* Ita Estius. Supra, varias Baptismi significationes exponendo observavimus, inter SS. Patres aliquos esse qui per ignem sensu spirituali intelligant proprietatem Spiritus sancti, alios vero ad literam intelli-

gere species illas linguarum ignearum quæ supra capita Apostolorum dispertitæ visæ sunt in die Pentecostes; & quæ sensu accommodatiuo Baptismus dictæ sunt, propter abundantem & copiosam Spiritus sancti gratiam: de quo intelligitur istud Act. 1. v. 5. *Vos autem baptisabimini Spiritu sancto non post multos dies.*

Ad quintam : S. Joannes discrimen quidem maximum assignat inter suum & Christi Baptismum, non ratione materiæ; uterque enim erat in aqua, & inde exorta contentio discipulorum Joannis; sed ratione effectus seu gratiæ, cujus expers erat Baptismus Joannis, utpote in aqua sola; sed quam conferebat Baptismus Christi, qui erat in aqua & in Spiritu sancto.

Objicies 2. Aqua deficiente in casu necessitatis baptisatus fuit Judæus in arena, & Baptismus ille divino miraculo confirmatus est ac comprobatus. Factum narrat Joannes Moschus in Prato spirituali c. 176. & post eum Nicephorus L. 3. Hist. Ecclesiasticæ cap. 37. Tom. 2. Bibliot. PP. Paris. p. 1152. *Cum Judæus*, inquit, *per loca arida iter faceret, ac subitò deficientibus viribus moriturus crederetur, ter superfusa in eum arena, baptisatus est, ac per hanc*, inquit Historicus, *tam insolitam & admirandam sanctorum mysteriorum initiationem, imbecillitate omni tanquam vinculo quodam solutus, validiùs quàm alii iter fecit.*

Resp. nego ant. Hæc quippe tam subita virium reparatio divinitus concessa, non Baptismo in arena dato referenda est, sed fidei & pietati singulari illius Judæi.

Ex ipsa siquidem historica narratione, tum à Joanne Moscho primum, tum à Nicephoro scripta, patet, Baptismum hujusmodi nullum & irritum declaratum fuisse Ecclesiastico, atque Judæum aqua fuisse subinde baptisatum. Tc. 1. p. 277. A. B. *Postquam autem*, pergit Nicephorus, *domum sunt reversi, rem illam ad Dionysium Alexandriæ Episcopum retulerunt. Ille vero admiratione stupens, Ecclesiam ea de re consuluit; cui visum est aqua insuper, juxta Ecclesiæ traditionem, esse abluendum.* Idem narrat Joannes Moschus.

Quis reipsa fuerit Dionysius ille, an Alexandrinus, ut ait Nicephorus; en Corinthius, ut placet Baronio; an Ascalonita, qui florebat circa annum 630. ut insinuat Joannes Moschus, litigant Auctores. Longe verisimilius est fuisse Ascalonitam : tum quia Joannes Moschus, qui omnium primus historiam illam scripsit, ita suggerit : tum quia Nicephorus narrat historiam illam contigisse tempore Marci Aurelii Antonini Imperatoris; sed Dionysius Alexandrinus vixit non Aurelio Antonino imperante, sed annis sexaginta post tempora Philippi Imperatoris.

Objicies 3. auctoritatem duorum SS. Pontificum, Siricii & Stephani II.

Siricius creatus Pontifex an. 385. in responso, quod extat in duobus Codicibus manuscriptis optimæ notæ, sic loquitur : "Presbyter qui in vino baptisat pro maxi-"ma necessitate, ut æger non periclitetur, pro tali re "nulla ei culpa ascribatur; infans vero ille, si in sanctissi-"ma Trinitate baptisatus est, in eo Baptismo perma-"neat.

Stephanus II. creatus Pontifex an. 751. cum apud Gallos versaretur in Villa Carisiaco, Brittaniaco Monasterio, ad varia consulta respondens quæ Sirmondus repræsentat Tom. 2. Conc. Galliæ, & extant Tom. 6. Conc. Labbei d. 1652. n. 11. de Baptismo in vino hæc habet. "Si in vino, quis, propterea quod aquam non "inveniebat, omnino periclitantem infantem baptisa-"vit, nulla ei inde ascribitur culpa. (Infantes sic perma-"neant in Baptismo,) Nam si aqua adfuit præsens, ille "Presbyter excommunicetur, & pœnitentiæ submitta-"tur; quia contra Canonum sententiam agere præ-"sumpsit.

Resp. Verisimile prorsus videri, falsò & mendaciter Decretum istud Siricio vel Stephano imputari. 1. Quis facilè crediderit, Summos illos Pontifices ignorasse, quod neminem ne tenuiter quidem de rebus Theologicis imbutum latet. 2. Ex tribus Codicibus manuscriptis qui responsa illa continent, duo ea ascribunt Stephano II. tertius vero Siricio. 3. Non consentiunt illi Codices in historica narratione. 4. Respondendi modus alienus prorsus videtur à stylo Stephani, qui responsa confirmare solet auctoritate Leonis, vel Innocentii : hic vero nullum sui responsi vadem appellat. 5. Presbyter qui, aqua deficiente, in vino baptisasse refertur, hoc responso Stephani excommunicatur, & pœnitentiæ subjicitur, *quia contra Canonum sententiam agere præsumpsit.* Frigida profectò ratio! quasi potior non esset institutio Christi, ac Ecclesiæ totius praxis ac traditio. 6. Adulteratum esse Codicem illum Laudunensem inde conjiciunt Auctores notæ marginalis Tomi 6. Conc. pag. 1652. quod cum de uno infante quæstio proposita fuisset, in plurali nihilominus numero dicatur, *Infantes sic permaneant in eo Baptismo* : è margine in textum adultera manu intrusa hæc verba fuisse iidem Auctores suspicantur. 7. Nullus ex Summis Pontificibus, post Siricium & Stephanum, illius responsi mentionem facit; imo & Gregorius IX. & Innocentius III. & alii omnes unanimi suffragio rejecerunt & improbarunt Baptismum alio in liquore, quàm in aqua naturali & elementari collatum.

Conjiciunt nonnulli, Stephanum, de quo hic quæstio est, Tornacensem esse hujus nominis Episcopum, non Romanum Pontificem. Conjecturæ istud est fundamentum, nempe ad calcem Codicis S. Mariæ Laudunensis hæc legi, *Finis definitionum Stephani Papæ Tornacensis.* Codicem hunc non vidimus : at certè illum vidit Sirmondus qui eum repræsentat. Sirmondus autem sic legit : *Expliciunt quæ Dominus Papa Stephanus in Carisiaco Villa, Brittaniaco Monasterio, ad interrogata dedit responsa.* Tom. 6. Conc. p. 1654. C

ARTICULUS II.

De materia proxima Baptismi.

Certum est materiam proximam alicujus Sacramenti consistere in usu seu applicatione materiæ remotæ; ac consequenter Baptismo ablutionem esse hujus Sacramenti materiam proximam. Cum vero ablutio tribus modis perfici possit, nimirum immersione, infusione, vel aspersione, de triplici illo baptisandi modo, an validus & licitus sit hic quæritur.

An valeat Baptismus per immersionem, infusionem, vel aspersionem datus.

Circa immersionem in Baptismo longo sæculorum tractu observatam, tria quæruntur : ejus antiquitas, tum ratione numeri, trinæ vel unius, & ritus in ea observari soliti.

Antiquitas immersionis, & quidem trinæ, in Baptismo.

CONCLUSIO.

Ritus immersionis trinæ in solemni Baptismi administratione ab Apostolis usurpatus, ab Ecclesia, tum Græca cum Latina, constanter retentus fuit usque ad decimum tertium Ecclesiæ sæculum, quo primum à Latinis immutari cœpit.

Probatur prima pars Conclusionis Veterum monumentis.

1. Ex ipsa significatione literali Baptismi; Baptismus quippe idem est ac tinctio, immersio, lotio.

2. Ex facto Christi & Apostolorum qui in aqua baptisabant,

ptisabant, sicut ipse Joannes. At iste baptisabat immergendo: hinc dicitur baptisasse *in Ænnon juxta Salim;*
Joan. 3. v. 44. *quia aqua multa illic erant.* Et Christus ipse non alio modo baptisatus est à Joanne; unde apud S. Matth. cap. 3. v. 16. dicitur, *postquam baptisatus fuit ascendisse de aqua*; quia nempe iis totus primum immersus, ab iis subinde *emersit* seu ascendit.

3. Probatur ex longo & antiquo usu Ecclesiæ, tum Græcæ, tum Latinæ.

Pro Ecclesia Græca testes sunt.

P. 93. D. S. Justinus Apologia 2. *Deinde*, inquit loquens de de iis qui ad Baptismum informabantur, *eo adducuntur à nobis ubi aqua est ... Nam in nomine rerum cunctarum parentis Domini Dei, & Servatoris nostri Jesu Christi, & Spiritus sancti, in aqua tum lavantur.*

Edit. Paris. 1640. p. 131. & seq. S. Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi Mystagogica secunda ad baptisatos, ubi mysticam rituum Baptismi significationem exponit, atque baptisandos primo toto corpore nudari, deinde oleo exorcisato à summis capillis ad plantam usque pedis ungi, tum ad sanctum lavacrum duci, ac ter in aqua mergi.

Edit. ven. To. 2. p. 211. A. B. S. Basilius Lib. de Spiritu sancto cap. 27. "Jam, "inquit, ter immergi hominem, unde ex Scriptura "sanctum? Reliqua item quæ fiunt in Baptismo, veluti "renuntiare Satanæ & Angelis ejus, ex qua Scriptura "habemus? Nonne ex minimè publicata & arcana hac "traditione?

Edit. Comm. p. 1358. S. Chrysostomus Hom. 6. in Epist. ad Colossenses, ait nos depositis vestimentis nudos in aquis Baptismi descendere. "Hic nuditas, *inquit*, & illic nuditas. Sed "illic quidem cum peccasset nudatus fuit, quoniam pec- "cavit: hic autem nudatur, ut liberetur.

Edit. Paris. 1642. To. 4. p. 316. D. Theodoretus Lib. 4. hæreticarum fabularum cap. 3. observat Eunomium hæreticum omnium primum ab usu Apostolico & recepto recessisse; ac unam, loco triplicis, immersionem usurpasse, cæterosque Baptismi ritus immutasse: quippe qui 1. semel immergebat. 2. non stantes, sed in solio sedentes, aut jacentes mergebat, nec totos, sed à solo capite usque ad pectus, & quidem inverso capite; quia nempe inferiores partes execrandas esse, & sacro lavacro indignas contendebat.
Tom. 2. Conc. p. 952. 3. consuetam Baptismi formam non tenebat, sed in mortem Christi baptisabat. Idem Eunomio tribuit Concilium primum Constantinopolitanum Can. 7. & Quini sextum Can. 95. Sozomenus tamen Lib. 6. Hist.
Tom. 2. Conc. p. 1181 P. 675. C. D. cap. 26. ait, *alios* (quos arbitratur veriora dicere) *asserere Theophronium Cappadocem, & Eutychium hæreses Eunomii acerrimos defensores, cum se ab illo abrupissent, ea quæ ad Baptismum pertinent primos innovasse.*

Illos haud dubie perstringit Canon 50. eorum qui Apostolici dicuntur, qui etsi reipsa Apostolorum non sint, ex antiquissimis Conciliis expressi sunt. Sic habet
Tom. 1. Conc. p. 32. E. Canon ille: *Si quis Episcopus aut Presbyter non trinam immersionem unius mysterii celebret, sed semel mergat in Baptismate, quod dari videtur in Domini morte, deponatur.*

Denique omnes Rituales Libri quibus utuntur Græci, mentionem faciunt illius trinæ immersionis baptismalis, ut legere est apud Goarium in Euchologio Græ-
P. 12. n. 2. C. corum pag. 355. & 365. Unde Arcudius Lib. 10. de Sacramentis cap. 7. "Cum Græci, *inquit*, soleant "infantes totos in aquam mergere, causa potissima est "cur aquam calefaciant.

Observat tamen Goarius, loco mox citato pag. 365. Græcos nunc infusione uti. "Quoad enim licuit obser- "vare, *inquit*, puerum sedentem vase vel pelvi ad cubi- "tum profundo, ter superinfusa aqua calida purificant: "vel certa ne aquæ copia obruatur, & forte nimiam "apotet, pronum posi um, & sinistra in ventre susten- "tatum, Sacerdos capite & toto corpore aquis salutari- "bus abluit & lustrat; hasque infusiones non dubitant "Græci immersiones appellare.

Tournelis Tomi III, P. II. *De Baptis. & Confirm.*

Pro Ecclesia Latina testes sunt.

Tertullianus Lib. adversus Praxeam cap. 26. "No- "vissime, *inquit*, mandans (Christus) ut tingerent in P. 516. B. "Patrem & Filium & Spiritum sanctum, non in unum; "nam nec semel, sed ter, ad singula nomina in personas "singulas tingimur." Et Libro de corona militis cap. 3. "Dehinc ter mergitamur amplius aliquid respondentes, P. 102. A. "quàm Dominus in Evangelio determinavit.

S. Cyprianus Epist. 76. quærenti Magno an valeret P. 153. Baptismus per aspersionem vel infusionem datus, respondet valere necessitate premente; quo certa insinuat, in usu & praxi communi per immersionem solitum fuisse conferri Baptismum; qui usus adeo constans & universalis fuit, ut Magno dederit occasionem sciscitandi an alio modo datus Baptismus ratus esset.

S. Ambrosius Lib. 2. de Sacramentis cap. 6. ait, To. 2. p. *inventum esse quomodo homo vivus mergeretur, & vi-* 359. B. *vus resurgeret. Quid est vivus? Hoc est vita corporis vivens cum veniret ad fontem, & mergeretur in fon-* Ibid. D. *tem.* Et cap. 7. *Interrogatus es*, inquit, *Credis in Deum Patrem omnipotentem? Dixisti: Credo, & mersisti, hoc est, sepultus es. Iterum interrogatus es, Credis in Dominum nostrum Jesum Christum, & in Crucem ejus? Dixisti: Credo, & mersisti. Tertiò interrogatus es, Credis & in Spiritum sanctum? Dixisti: Credo, tertiò mersisti.*

S. Hieronymus Dial. adversùs Luciferianos: *Multa,* To. 4. p. 2. inquit, *quæ per traditionem in Ecclesia observantur,* pag. 294. *auctoritatem sibi scriptæ Legis usurpaverunt, velut in lavacro ter caput mergitare.*

S. Gregorius Magnus consultus à Leandro Episcopo Hispalensi, de ritu baptisandi per trinam immersionem, quem nonnulli Hispani primum immutaverant, semel tantum mergendo, in odium scilicet & detestationem Arianorum qui trina immersione abutebantur in erroris sui confirmationem; consultus, inquit, S. Pontifex, utrum quidem habet Baptismum unica immersione collatum, sed trinam apud Romanos usurpari immersionem declarat Lib. 1. Epist. 43. alias 41. Edit. *In una fide*, inquit, *non officit sanctæ Ecclesiæ consuetu-* nov. T. 2. *do diversa: nos autem quod tertio mergimus, triduanæ* P. 532. B. *sepulturæ Sacramenta signamus, ut dum tertio ab aquis infans educitur, resurrectio triduani temporis exprimatur.*

Ordo Romanus c. de Sabbato sancto sic præscribit: Bibl. *Acceptis infantibus à parentibus vel patrinis eorum,* P. P. T. 13. *baptisant eos sub trina mersione, tantum sanctam Tri-* p. 696 H. *nitatem semel invocantes ita dicendo: Ego baptiso te in nomine Patris, & mergit semel; & Filii, & mergit iterum; & Spiritus sancti, & mergit tertio.*

Synodus Celychitensis in Anglia an. 816. cap. 11. Tom. 7. *Sciant*, inquit, *Presbyteri quando sacrum Baptismum* Conc. p. *ministrant, ut non effundant aquam super capita in-* 1484. E. *fantium, sed semper mergantur in lavacro, sicut exemplum præbuit per semetipsum Dei Filius omni credenti, quando esset ter mersus in undis Jordanis. Ita necesse est secundum ordinem servari & haberi.*

Idem plane testantur qui divinis Officiis scripsere apud Latinos, Alcuinus, Amalarius, Walafridus Strabo, qui nono floruere Ecclesiæ sæculo. Imò nonnullis tam se verè & constanter tenendus visus est ritus trinæ immersionis, ut oppositum Hispanorum morem veluti errorem damnare non timuerint, ut Alcuinus Epist. 81. ad Paulinum, & 69. ad Fratres Lugdunenses; ubi certè paulò severiùs & ultra modum damnat ritum à Gregorio Magno & Toletana Synodo IV. non improbatum.

Idem Auxilius in Præfatione secundi Libri de validitate Ordinum quos dederat Formosus Papa.

Idem & Fulbertus Carnotensis, qui floruit undecimo sæculo, Epist. 1. ad Adeodatum; & Petrus Damianus Lib. 6. Epist. 35. ad suæ Congregationis Monachos.

Idem duodecimo sæculo S. Bernardus Serm. in Cœna Domini.

Apud Magistrum Sententiarum qui an. 1164. extremum diem obiit, cum de proxima Baptismi materia loquitur, altum est silentium de aspersione vel infusione. Paulo ante ipsum Hugo Victorinus ait, *homines nudos baptisari*.

Denique S. Thomas qui obiit die 7. Martii an. 1274. 3. p. q. 66. art. 7. ait, *tutius esse baptisare per modum immersionis, qui[illegible] habet usus communior*. Et art. 8. in corpore ait, *Ministrum graviter peccare qui aliter quàm immergendo baptisat, quia ritum Ecclesiæ non observat*.

S. quoque Bonaventure qui eodem anno obiit, idem testatur in 4. dist. 3. q. 1. Igitur usque ad sæculum decimum tertium obtinuit apud Latinos ritus trinæ immersionis in Baptismo.

Unde falsò Michaël Cærularius undecimo sæculo Latinos calumniabatur, quod per trinam immersionem non baptisarent.

Dixi in Conclusione, immersionem fuisse constanter observatam in solemni administratione Baptismi; namque in Baptismo privato qui clinicis & aliis urgente necessitate conferebatur, aspersio vel infusio aquæ, tanquam sufficiens ad veritatem Sacramenti, usurpabatur, ut constabit ex dicendis paulo post.

Secunda pars Conclusionis, nempe immersionis ritum paulatim à Latinis fuisse immutatum, circa decimum tertium Ecclesiæ sæculum.

Probatur ex SS. Thoma & Bonaventura mox citatis. Prior enim asserit, Baptismum aspersione vel infusione posse conferri, licèt tutius sit immersionem usurpare, propter communiorem usum Ecclesiæ; alter affirmat, morem baptisandi per aspersionem, in
Tom. 11. Conc. p. 2 pag. 1584. multis Ecclesiis Gallicana præsertim, observari. Et an. 1311. in Concilio Ravenensi II. sub Clemente V. titulo undecimo, alteruter ritus, immersionis vel aspersionis, permittitur. Et in Rituali Romano pro diversa locorum consuetudine, trina vel immersio vel infusio aquæ Pastoribus usurpanda præscribitur.

Loquimur autem de immersione secundum se, non ratione numeri; certum est enim jam sexto sæculo aliquas Hispaniæ Ecclesias, in odium Arianorum, unicam non trinam usurpasse immersionem; ut nihil dicam de Eunomianis, de quibus Theodoretus; de Bonosiacis, de quibus Pelagius II. in suo ad Gaudentium Rescripto. Hi quippe unica immersione baptisabant, ut unicam in Deo personam esse innuerent, propter oppositum errorem; Ariani enim, ut tres esse in tribus personis naturas significarent, trinam usurpabant immersionem; quos ne viderentur imitari Hispani nonnulli, ab antiquo usu ter mergendi recesserunt.

Denique vel ipsi Græci, qui ritum effundendi aquam supra caput baptisati in nobis Latinis reprehendunt, aliquando observant, & à suo ritu antiquo recedunt. Constat ex responso Gregorii Protosincelli ad Marcum
Tom. 13. Conc. p. 763. A. Ephesinum. *Sed & nos*, inquit, *haudquaquam immergimus infantes usque ad summum verticem, nec enim possumus illis præcipere ut respirationem ac expirationem per nares cohibeant, ne etiam per aures sacra permeet aqua; sed neque eas infantes obturare possumus. Verum eos in sacrum immittimus fontem, ut ne quid valde necessarium ex Traditione prætermittamus, quasi mortis imaginem referente lavacro, & regenerationem per hoc indicante. Et ne caput, in quo est sedes omnium sensuum & vehiculum animæ, Sacramenti Baptismatis fiat expers, cava manu aquam à sacro fonte haurientes, illud perfundimus.*

Gregorio Protosincello consonant in sua vernacula Synopsi Neophytus Rhodinus: "Ter aquam, *inquit*, "super eum qui baptisatur, infundimus, ut SS. Trini-"tatem, in cujus nomine baptisatur, declaremus. Hodiernam Græcorum praxim exponit Joannes Goarius, in suis ad Euchologium Græcum notis.

Quæres 1. unde fluxerit consuetudo trinæ immersionis Baptismo.

Resp. Ex Traditione Apostolica: sic enim insinuat Tertull. Libro de Corona militis cap. 4. ubi postquam trinæ illius mersionis, & aliquorum aliorum rituum P. 104.
mentionem fecit, *Harum*, inquit, *& aliarum ejusmodi* A. B.
disciplinarum Scripturarum, nullam invenies: Traditio tibi prætendetur auctrix, consuetudo confirmatrix, & fides observatrix.

Ita quoque S. Basilius Lib. de Spiritu sancto cap. 27. citato. Et S. Hieronymus Dial. adversùs Luciferianos etiam citato. Porro juxta regulam S. Augustini Epist. 54. alias 118. *Illa quæ non scripta, sed tradita custo-* Tr. 2. p.
dimus, quæ quidem toto terrarum Orbe observantur, 124. B.
datur intelligi vel ab ipsis Apostolis, vel plenariis Conciliis, quorum est in Ecclesia saluberrima auctoritas, commendata atque statuta retineri. Et ut loquitur Lib. 4. contra Donatistas cap. 24. *Quod universa tenet* Tr. 9. p. 140.
Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi auctoritate Apostolica traditum rectissimè creditur. Hinc est quod adeo religiosè observari voluerint Veteres trinam illam immersionem in solemni administratione Baptismi, eumque graviotis pecceti reum habuerint qui secus fecisset.

Quæres 2. quas ob causas ritus immersionis fuerit mutatus.

Resp. Has afferri posse. 1. Baptisandorum, præsertim vero infantium, commodum, quibus ob tenellæ ætatis infirmitatem immersio nocere poterat. 2. Periculum ne infans è manibus Ministri forte delapsus, in profundum baptisterii demersus aquis extingueretur, quod nonnunquam contigisse legimus. 3. Propter mulierum pudicitiam, cui parcere & consulere totiùs voluit Ecclesia, sicut & Ministrorum oculis, quibus sine multorum periculo nudæ mulieres objici vix possunt, præsertim postquam desiit in Ecclesia Diaconissarum ministerium. 4. Propter numerum baptisandorum, quibus mergendis ac sustinendis pares vix esse poterant Ministri.

Necessitas trinæ immersionis.

An valeat Baptismus aspersione vel infusione datus.

Necessitas alia est Sacramenti & juris divini, alia vero præcepti Ecclesiastici. Necessitas immersionis trinæ in Baptismo ex mandato Ecclesiæ, manifestè ostenditur ex longo & constanti illius usu, de quo mox dictum est.

Quæstio igitur hic tantum movetur de necessitate Sacramenti seu juris divini, an scilicet Veteres in ea fuerint opinione, trinam immersionem omnino pertinere ad substantialem Baptismi veritatem.

Inter Veteres ea de re dubitasse videntur, tum Cornelius R. Pontifex, tum Magnus qui sanctum Cyprianum consuluit.

Quin inter Græcos recentiores Schismaticos nonnulli hanc suæ à Latinis separationis causam ex parte obtendunt, quod hi trinam immersionem ex Apostolica Traditione necessariam obmitterent. Hinc est quod Gregorius Hieromonachus Alexandrinæ Ecclesiæ Primicerius ac Philothæi Patriarchæ ad Synodum Florentinam Vicarius atque Legatus, asserebat nos Latinos male baptisatos esse, nec nobiscum tentandam esse unionem. Inde factum haud dubie, quod aliqui Græci à Latinis baptisatos iterum baptisare ausi fuerint,

rint, sicut colligimus ex Concilio Lateranensi IV. cap. 4. Eandem accusationem adversus Latinos moverunt Marcus Ephesinus in Epistola encyclica, & Jeremias Constantinopolitanus in secundo responso ad Confessionem Augustanam.

Inter nostros quoque Latinos nonnulli, ut Alcuinus, paulo durius atque severius necessitatem trinæ immersionis urgebant, & contrariam praxim velut errorem notabant. Walafridus quoque, quamvis modestius, improbavit unicam immersionem ab Hispanis sexto Sæculo primum usurpatam. Itaque sit,

CONCLUSIO.

Trina immersio ad substantiam Sacramenti non pertinet, nec aliter Veteribus visum fuit, qui ratum perinde habuere Baptismum, sive per immersionem sive per infusionem aut aspersionem trinam vel unicam collatum.

Probatur 1. Quia nullum extat in Scriptura expressum mandatum ter in aqua immergendi eos qui baptisandi sunt. Usum quidem hunc exemplo suo comprobasse Christum & Apostolos, communis fert opinio; sed multa fecerunt Christus & Apostoli in Sacramentorum dispensatione, quæ ad eorum substantialem veritatem pertinere nemo dixerit: quod in consecrando & dispensanda Eucharistia manifestum esse ostendimus.

Probatur 2. Quia quod ad disciplinam duntaxat seu solemnem Sacramenti Baptismatis administrationem pertinere censuere Veteres, in quo pro temporum, locorum, ac personarum varietate mutatio potest admitti, illud profecto necessarium non est necessitate Sacramenti, ac juris & præcepti divini: atqui talem esse immersionem baptismalem censuere Veteres; ergo &c.

Minor probatur testimoniis Veterum qui immersionem vel infusionem aut aspersionem indifferentem judicarunt ad veritatem Sacramenti.

I. Tertullianus L. de Pœnit. cap. 6. ad hanc aquæ
P.124.C. aspersionem in Baptismo videtur alludere cum ait: *Neque ego renuo divinum beneficium, id est, ablutionem delictorum inituris aquam omnimodo salvum esse; sed ut eo pervenire contingat, elaborandum est. Quis enim tibi tam infidæ pœnitentiæ viro asperginem unam cujuslibet aquæ commodabit?*

II. Sanctus Cyprianus consultus à Magno quid esset sentiendum de Baptismo Clinicorum, id est eorum qui in lecto præ infirmitate decumbentes baptisantur,
P.153. an nempe *habendi sunt legitimi Christiani, eo quod aqua salutari non loti sint, sed perfusi*, respondet per Epistolam apud Pamelium 76, in ultima editione Anglicana 69. *Nos, quantum concipit mediocritas nostra, æstimamus in nullo mutilari & debilitari posse beneficia divina .... Nec quemquam movere debet, quod adspergi vel perfundi videntur ægri, cum gratiam Dominicam consequuntur, quando Scriptura sancta per Ezechielem Prophetam loquatur, & dicat: Et aspergam super vos aquam mundam ....* Et post adducta nonnulla alia Scripturæ loca in quibus aspersionis mentio fit, sic concludit: *Unde apparet aspersionem quoque aquæ instar salutaris lavacri obtinere; & quando hæc in Ecclesia fiunt, ubi sit & dantis, & accipientis fides integra, stare omnia & consummari ac perfici posse majestate Domini & fidei veritate.* Nihil potest in rem nostram disertius afferri hoc S. Doctoris testimonio.

Hunc Clinicorum seu grabatariorum per infusionem aut aspersionem datum Baptismum ratum ac validum habuere varia Concilia. Romanum sub Cornelio, in quo Novatianus in lecto baptisatus iterum non baptisatus legitur post recuperatam sanitatem. Neocæsariense an. 314. Can. 12. quo sic baptisati à sacris quidem Ordinibus velut irregulares arcentur, sicut & in Synodo Romana mox citata, verè tamen baptisati agnoscuntur. Antissiodorense an. 578. Can. 18. Matisconense II. an. 585. Can. 3. Parisiense IV. an. 829. cap. 7. ubi decretum Neocæsariensis Synodi innovatur & confirmatur.

III. S. Augustinus Tract. 80. in Joan. circa finem. *Hoc*, inquit, *verbum fidei* (id est invocatio trium perso- Tom. 3.
narum SS. Trinitatis) *tantum valet in Ecclesia Dei,* part 2.
ut per ipsum credentem, offerentem, benedicentem, tin- p.703. E.
gentem etiam tantillum, mundet infantem. Si sufficit ex S. Augustino tantillum tingere, sufficit ablutio per infusionem vel aspersionem.

IV. Cum Ariani trina baptismali immersione abuterentur ad significandum tres esse distinctas naturas in tribus personis Trinitatis, atque nonnulli in Hispania Catholici, in odium ac detestationem eorum, unicam tantum immersionem usurpandam decrevissent contra morem antiquum, suborta est ea de re contentio, de qua Leander Episcopus Hispalensis consuluit sanctum Gregorium Magnum S. Pontificem qui Libr. 1. Epi- To.2.p.
stola 43 alias 41. sic respondet: "De trina mersione 532.A.B.
"Baptismatis nihil responderi melius potest, quam ipsi "sensistis; quia in una fide nihil officit sanctæ Ecclesiæ "consuetudo diversa. Nos autem quod tertio mergimus, triduanæ sepulturæ Sacramenta signamus, ut "dum tertio infans ab aquis educitur, resurrectio triduani temporis exprimatur. Quod si quis forte etiam "pro summæ Trinitatis veneratione æstimet fieri, neque ad hoc aliquid obsistit, baptisandum semel in "aquis mergere: quia dum in tribus subsistentiis una "substantia est, reprehensibile esse nullatenus potest, "infantem in Baptismate vel ter, vel semel mergere, "quando & in tribus mersionibus personarum trinitas, "& in una potest divinitatis singularitas designari. Sed "quia nunc hucusque ab Hæreticis infans in Baptismate tertio mergebatur, fiendum apud vos esse non censeo; ne dum mersiones numerant, divinitatem dividant, dumque quod faciebant, faciunt, se morem nostrum vicisse glorientur.

Patet ex hoc responso, S. Pontificem censuisse trinam immersionem ad substantiam Baptismi non pertinere, quandoquidem eam propter Arianos mutandam esse decreverit, aut saltem mutationem ab Hispanis factam approbaverit.

Istud S. Pontificis judicium probavit ac suum fecit Ecclesia Hispanica in IV. Concilio Toletano sub Honorio, an. 633. cap. 6. ubi postquam verba S. Gregorii
mox citata transcripsit, ita pergit: "Quapropter quia Tom.5.
"de utroque Sacramento quod fit in sancto Baptismo Conc.p.
"à tanto viro reddita est ratio, quod utrumque rectum, 1706.
"utrumque irreprehensibile in sancta Dei Ecclesia ha- D.E.
"beatur, propter vitandum autem schismatis scandalum, vel hæretici dogmatis usum, simplam teneamus Baptismi mersionem; ne videantur apud nos qui "tertio mergunt, hæreticorum approbare assertionem, "dum sequuntur & morem.

Alcuinus in sua præsertim ad Clerum Lugdunensem Epistola n. 69. paulo acerbius ac durius invehitur adversùs hanc Hispanorum immutationem, quam velut errorem traducere non pertimescit: quia vero intelligebat multos commoveri auctoritate S. Gregorii in sua ad Leandrum Epistola, eam falsitatis & suppositio-
nis accusat. *Quia*, inquit Epistola 70 *eum in Epi-* P.1593.
stolari suo Libro, qui de Roma nobis allatus est, non in- B.
venimus.

Verum hunc immoderatum zelum pro retinenda triplici immersione, repressit Conc. Wormatiense an. 868. Can. 5. ubi de verbo ad verbum transcribit &
suum facit judicium S. Gregorii, cujus Epistola in suspi- Tom. 8.
cionem falsitatis & suppositionis venire nullatenus po- Conc. p.
test, cum ipsius mentionem faciant Synodus Toletana 946.

IV. & Wormatiensis mox citata; S. Isidorus in Catalogo Virorum illustrium, S. Hildelphonsus Toletanus Archiepiscopus in suo Catalogo; Lucinianus Carthaginensis Episcopus in sua ad ipsum Gregorium Magnum Epistola per Lucam Dacherium publici juris facta, in qua ait; *Scripsisti Leandro Episcopo de trina tinctione*; Joannes Diaconus in vita S. Gregorii &c.

Biblio. PP.T.13. p.196 H. Paulò clementior fuit in Hispanos Walafridus Strabo Lib. de rebus Ecclesiasticis cap. 26. ubi agnoscit legitimam esse Epistolam S. Gregorii ad Leandrum; & postquam expendit causas & rationes quibus inducti sunt Hispani ut trinam mersionem in unam commutarent, significat sibi non satis graves videri causas illas, adeoque morem antiquum resumendum esse, quamquam immutationem factam erroris insimulare non audeat. Videtur auctor ille hanc secutus regulam *Tom. 3. part. 2. p.216.G.* S. Augustini, *Oves non debent pelles suas deponere, si aliquando lupi his se contegant.* Et vero Hæretici ad errores suos confirmandos, aliquando unam, ut Eunomiani; aliquando triplicem immersionem usurparunt, ut Ariani: neque propter illorum hæreticorum hominum abusum debent Orthodoxi, judice Walafrido à moribus antiquis recedere. Sed quidquid sit de mente illius auctoris, hoc unum certum colligimus ex dictis, posse Ecclesiam pro sua sapientia & prudentia pro locorum, temporum, & personarum varia necessitate, modo unam, modo triplicem mersionem adhibere, salva semper & integra remanente Sacramenti Baptismatis substantia.

P. 24. col. 2. V. Ante S. Gregorium Pelagius II. S. Pontifex qui obiit an. 590. in Rescripto ad Gaudentium Episcopum apud Ivonem in Decreto, titulo, *De Baptismo*, c. 161. interrogatus de Baptismo sub una mersione ab Hæreticis Bonosiacis collato, respondet, juxta præceptum Domini in nomine Trinitatis trina etiam mersione baptisandum: *Si tamen*, inquit, *manifesta confessione claruerit, quod Trinitatis nomine fuerint illi baptisati, sola reconciliationis gratia impensa Catholicæ fidei reconciliare maturabis*; quo certe responso significat S. Pontifex, ad substantiam Baptismi satis esse quod in nomine Trinitatis conferatur, sive per unam sive per triplicem immersionem.

Probatur 2. exemplis Baptismi infusione vel aspersione nonnullis in occasionibus concessi.

Primo, ubi magna erat baptisandorum multitudo: v. gr. cùm uno die tria vel quinque hominum millia baptisare oportuit, ut Act. 2. v. 41. & cap. 4. vers. 4. contigisse legimus, perverisimile est non per immersionem, sed per aspersionem aquæ collatum Baptismum. Ita S. Thom. in 4. dist. 3. q. 1. art. 4. quæstiunc. 1.

Secundo, cum in privatis domibus sive propter infirmitatem, sive propter instantem persecutionem, sive propter opportunam & inopinatam occasionem Baptismus conferebatur, proculdubio non immersio sed infusio aut aspersio usurpabatur.

Sic baptisabantur infirmi in lecto; sic S. Petrus in carcere detentus Act. 16. v. 33. custodem *carceris cum omni domo sua baptisavit*: sic S. Laurentius unum militem Romanum nomine, aqua ex urceo effusa opportunitatem captans baptisavit, sicut legitur in ejus vita. Ad quod factum respiciens Walafridus L. de re-*Biblio. PP.T.15. p.197.A.* bus Ecclesiasticis cap. 26. *Notandum*, inquit, *non solum mergendo, sed etiam desuper fundendo multos baptisatos fuisse, & adhuc posse baptisari .... sicut in passione beati Laurentii quemdam urceo allato legimus baptisatum. Hoc etiam*, pergit ille, *solet evenire* *De antiquis ritibus &c. apud Marthene. T. 1. p.128.* *cum provectiorum granditas corporum in minoribus vasis hominem tingi non patitur.*

In Actis quoque manuscriptis S. Gratiani, *Felicissima ab ipso Christianæ Religionis mysteriis imbuta, urceum cum aqua, ut baptisaretur, ei obtulisse legitur.*

Acta etiam S. Bacchi junioris edita à Combefisio, Leuræ S. Sabbæ *Præpositum* describunt *tollentem manibus vivificam urnam super caput ejus, atque immortalitatis ei lavacrum in nomine sanctæ & consubstantialis Trinitatis effundentem.* His adde Acta S. Liudgeri Episcopi, *qui in expulsione servorum Dei è Frisia, jussit Bernlenum hominem laicum per domos discurrere, & persuasis matronis morituros baptisare illorum infantulos, benedicta simpliciter aqua in nomine Domini intinctos vel superfusos cum invocatione S. Trinitatis.*

Probatur denique, quia ablutio per aquam est de natura & substantia Baptismi, non vero modus abluendi: porro æquè abluitur baptisandus per infusionem aut aspersionem, quàm per immersionem; & quamvis immersio expressiùs significet nos per Baptismum consepultos esse cum Christo, expressior tamen illa significatio ad substantiam Sacramenti non pertinet, ad quam satis est significatio practica & efficax mundationis internæ per gratiam Spiritus sancti diffusam in cordibus: et talem mundationem tam rectè significat & efficit ablutio per infusionem vel aspersionem, quàm per immersionem. Nec significatio litteralis vocis *Baptismi* urgeri debet; quamvis enim immersionem ut plurimum designet, simplicem tamen aquæ infusionem significat aliquando, ut apud S. Marcum cap. 7. v. 4. S. Lucam c. 11. v. 38.

Solvuntur Objectiones.

Objicies 1. Cornelius S. Pontifex & cum eo Romana Synodus improbavit Baptismum per infusionem datum Novatiano in lecto decumbenti. Sic de eo scribit ipse Cornelius ad Fabium Antiochenum apud Eusebium L. 6. Hist. cap. 43. "Cum ab Exorcistis fovere- *P.244. C.*
"tur, in morbum gravissimum collapsus, dum jam
"jamque moriturus creditur, in ipso in quo jacebat le-
"ctulo perfusus, Baptismum suscepit; si tamen, *inquit*,
"hujuscemodi Baptismum suscepisse dicendus est." Et postea loquens de Ordinatione ejusdem Novatiani in Presbyterum, ait universum Clerum multosque ex populo refragatos fuisse, "eo quod non liceret quem- *P.245.A.*
"quam ex iis qui urgente vi morbi in lectulo perinde
"ac ille, perfusi fuissent, in Clerum assumi.

Ex quo duo colligi possunt: primum, dubitasse Cornelium an verus esset & legitimus Baptismus quem Novatianus in lecto per infusionem acceperat; alterum, irregulares fuisse seu ad suscipiendos sacros Ordines inhabiles, qui in lecto fuerant baptisati.

II. De eodem Baptismo dubitavit Magnus cum aliis nonnullis apud S. Cyprianum Epistola 76. *an nempe* *P.153.* *habendi sint legitimi Christiani, qui aqua salutari non sunt loti, sed perfusi.* Ratio dubitandi ipsi erat, quod sic baptisati plenum non assequerentur Baptismi effectum, cùm eorum multi immundis adhuc torquerentur spiritibus.

Quin ipse S. Cyprianus, quamquam valere talem Baptismum respondeat, rem tamen apud omnes certam non esse minimè dissimulat, & unicuique permittit & facere & sentire quod vellet: "Qua in parte, *inquit*, *Ibid.*
"nemini verecundia & modestia nostra præjudicat,
"quominus unusquisque quod putat, sentiat, & quod
"senserit faciat." Unde postea permittit iis, qui nullum judicant talem Baptismum, sic baptisatos iterum baptisare. "Quantum fide concipere, *inquit*, & sen- *P.154.*
"tire nobis datur, mea sententia hæc est, ut Christianus
"judicetur legitimus, quisquis fuerit in Ecclesia, lege &
"jure fidei, divinam gratiam consecutus. Aut si ali-
"quis existimat eos nihil consecutos, eo quod aquæ
"salutari tantum perfusi sint, sed inanes & vacui sunt;
"non decipiantur, ut si incommodum languoris eva-
"serint & convaluerint, baptisentur. *Et rursus in fine* *P.155.*
Epistolæ; "Rescripsi, *inquit*, fili carissime, ad Litteras

tuas,

„tras, quantum parva nostra mediocritas valuit, & „ostendi quid nos quantum in nobis est sentiamus, „nemini præscribentes, quo minus statuat quod putat „unusquisque Præpositus, actus sui rationem Domino „redditurus.

Resp. ad primum, Cornelium & Synodum Romanam nusquam judicasse nullum fuisse & irritum quoad substantiam Baptismum Novatiano decumbenti per infusionem aquæ concessum : nusquam enim in quæstionem ab ipsis adductum fuit, an rebaptisandus esset ille Novatianus : quod certe prætermissum ab illis non fuisset, si nullum & irritum judicassent talem Baptismum.

Duplici ergo de causa Baptismum illum improbavit Cornelius & Synodus Romana : primo, propter irregularitatem annexam, qua tamen non obstante Novatianus ad sacrum Presbyteratus Ordinem promotus fuerat, contra Canones & Disciplinam Ecclesiæ. Secundo, propter defectum Confirmationis & Eucharistiæ, quas pro more consueto simul cum Baptismo non receperat : unde plenum & integrum, quoad effectus cæterosque Ecclesiæ ritus, Baptismum non suscepisse dicitur Novatianus : atque hinc adversus illum querelæ & expostulationes.

Duplicem illam causam seu rationem omnino fuisse cur improbatus fuerit Baptismus ille Novatiano datus, significat ipse S. Pontifex Cornelius in citata ad Fabium Antiochenum Epistola.

Primo quidem, quod irregularis ex tali Baptismo factus, ad Ordines tamen sacros fuisset promotus, ex sola, inquit Cornelius, Episcopi gratia, renitentibus cæteris, tum Cleri tum populi. "Cum egregius ille vir, „*inquit ironice Cornelius*, Ecclesiam Dei reliquisset, in „qua post susceptum Baptisma Presbyteri gradum fue„rat consecutus, idque per gratiam Episcopi, qui manus „illi imponens, eum ad Presbyterorum Ordinem „evexit. Cui cum universus Clerus, multique ex po„pulo refragarentur, eo quod non liceret quemquam „ex iis, qui urgente vi morbi in lectulo perinde ac ille, „perfusi fuissent, in Clerum assumi, postulavit ab iis „Episcopus, ut hunc solum ordinari à se paterentur." Quibus certe verbis duo constant ; primum, irregulares fuisse & inhabiles ad Ordines sacros percipiendos, qui in lecto baptisabantur, sicut baptisatus fuerat Novatianus : alterum, Episcopum Ordinatorem Novatiani, haud dubie falsa & ementita pietate illius deceptum, cum eo dispensasse ab illa irregularitate, cæteris de Clero & populo renitentibus. Ejusdem irregularitatis annexæ Baptismo sic in lecto concesso mentionem faciunt veteres Canones.

Euseb. Hist. p. 245. A.

Si vero quæres causam & rationem illius irregularitatis, respondebit Synodus Neocæsar. Can. 12. hanc esse, *quia non ex proposito fides illorum, sed ex necessitate descendit*. Id est, quia non proprio motu, sed metu mortis compulsi Baptismum susceperunt. Aliam causam adducit Illustrissimus & Doctissimus Albaspinæus hunc Canonem exponens ; "Quia, *inquit*, ejusmodi „baptisati docere, fidei arcana tradere, exponere, & cæ„tera sacerdotii officia implere non posse viderentur, „quos valetudo prima fidei elementa non permisisset „ediscere, & rerum omnium ignaros & rudes baptisari „cogisset." Addi ad posset alia causa, quia scilicet baptisati illi non erant cum omni ritu & solemnitate per Ecclesiam præscripta, quod satis erat ut tanquam irregulares arcerentur à sacris Ordinibus.

Tom. 1. Conc. p. 1485. E. Ibid. p. 1490. B.

Secundo ; improbatus fuit à Synodo Romana & Cornelio Baptismus Novatiano decumbenti datus, propter defectum Confirmationis & Eucharistiæ : quæ Sacramenta pro more recepto cum non percepisset, non plenum Baptismum dicitur habuisse. *Sed*, pergit Cornelius in eadem Epistola, "neque postquam liberatus „est morbo, reliqua percepit quæ juxta Ecclesiasticam „regulam percipi debent ; neque ab Episcopo „consignatus est. Hoc autem signaculo minime „percepto, quo tandem modo Spiritum sanctum po„tuit accipere ?

Eusib. Hist. p. 244. C. D.

Ad secundum : Non satis liquido constat de quo dubius & anxius fuerit Magnus qui Cyprianum consuluit ; an de veritate substantiali Baptismi, an tantum de plenitudine effectus illius, cæterisque prærogativis quibus rite & catholice baptisati gaudere solent. Insinuat etiam S Cyprianus in Epistola citata, sic in lecto baptisatos haberi quidem pro baptisatis & Christianis, sed qui cæteris non sint adæquandi. "An consecuti sunt, „*inquit*, quidem gratiam Dominicam, sed breviore & „minore mensura muneris divini ac Spiritus sancti, ut „habeantur quidem Christiani, non sint tamen cæteris „adæquandi :" unde moleste fert, sic baptisatos invidioso nomine Clinicos appellari ; quibus verbis innuere videtur sanctus Doctor, quæstionem non fuisse de veritate substantiali Sacramenti Baptismatis, sed de plenitudine dumtaxat effectus illius, quem plenum & integrum non percipere eos qui in lecto baptisantur, nonnulli arbitrabantur, quos ibidem refellit S. Cyprianus. Verum, esto dubitaverit Magnus cum aliis nonnullis, an ratus & verus esset Baptismus in lecto perceptus, certe non dubitavit Cyprianus ; & rationem qua utebantur alii, nempe sic baptisatos immundis adhuc torqueri spiritibus, sic refellit : "Hoc rebus ipsis, *inquit*, „experimur, ut necessitate urgente in ægritudine bap„tisati & gratiam consecuti, careant immundo spiritu, „quo antea movebantur ; & laudabiles ac probabiles „in Ecclesia vivant..... E contra sæpe nonnulli de illis „qui sani baptisantur, si postmodum peccare cœperint, „spiritu immundo redeunte quatiuntur, ut manifestum „fit, diabolum in baptismo fide credentis excludi ; si fi„des postmodum defecerit, regredi.

P. 141. Ibid.

Nec obstat 1. quod S. Cyprianus unicuique liberum reliquerit sentiendi & faciendi quod vellet ; in hoc enim laudanda ipsius moderatio ac prudentia singularis, qua rem nondum solemni Ecclesiæ totius Judicio eliquatam & definitam uniuscujusque arbitrio permisit. 2. Non obstat quod idem sanctus Doctor voluerit in lecto baptisatos rebaptisari, ab iis scilicet qui nullum putant ejusmodi Baptismum ; istud enim sequebatur ex licentia quam concesserat unicuique opinandi & faciendi quod vellet : qui enim nullum judicant hunc Baptismum, debent iterum eum conferre, ut cohærenter agant & sentiant. Imo in opinione & principiis S. Cypriani, eo ipso quo putabat quis Baptismum suum non consequi plenum effectum, debebat illum iterare ; quia, juxta S. Doctoris mentem, nullus est quoad substantiam Baptismus, qui suo caret effectu, nempe gratia Spiritus sancti ; unde inferebat, [in quo errabat] Baptismum ab Hæreticis collatum idcirco nullum esse & iterandum, quia Spiritus sancti gratia destitutus est, Hæretici enim eam gratiam dare non possunt, inquiebat, quam non habent. Sed de hac S. Doctoris sententia jam abunde diximus in Tractatu de Sacramentis in genere.

Objicies 2. veteres reprobant ac tanquam omnino nullum rejiciunt Baptisma aliter quam per trinam immersionem collatum ; Ministrum secus facientem severe puniunt ; ac pro Hæreticis habuere Eunomianos, *Bonosianos*, qui unica mersione baptisabant.

Sic Canon 50. eorum qui dicuntur Apostolici, pœna depositionis plectit Episcopum aut Presbyterum, qui non trinam immersionem observat : Canonem supra laudavimus.

Concilium Constantinopolitanum I. an. 381. Can. 7. jubet rebaptisari Eunomianos, non aliam ob causam quam quod trinam non adhiberent in *Baptismo* immersionem. *Eunomianos*, inquiunt Patres, *qui in unam demersionem baptisantur..... primo quidem*

Tom. 2. Conc. p. 952. C. D.

quidem die Christianos facimus .... & tunc eos baptisamus.

Et Pelagius II. in suo ad Gaudentium Rescripto, quosdam Bonosiacos damnat, quod unica mersione baptisarent; *Contra*, inquit, *Evangelicum præceptum.*

Resp. nego antecedens.

Ad primam probationem dico 1. depositionis pœnam merito decerni posse in Ministros qui in solemni Sacramentorum administratione, vel ex negligentia, vel, quod pejus esset, ex contemptu, ritus consuetos & Ecclesiæ totius usu ac praxi receptos non observant, qualis longo sæculorum actu fuit trina immersio baptismalis. Unde Zonaras in citatum Canonem quinquagesimum Apostolicum, ait *scelestum ac nefarium*
P. 26. *esse unicam dumtaxat celebrare immersionem.*

Dico 2. in prædicto Canone depositionis pœnam non non tam imponi propter defectum trinæ mersionis, quam propter violatam Baptismi formam: qui enim eo Canone perstringuntur, Eunomiani scilicet, baptisabant in Christi mortem, non vero in invocatione expressa Trinitatis, ut ex ipso Canone fit manifestum.

Ad secundam dico, Eunomium in duobus potissimum adulterasse Baptismi ritum: 1. quod in odium SS. Trinitatis, ejus invocationem inter baptisandum omitteret, & baptisaret tantum in mortem Christi. 2. quod eodem perverso consilio semel tantum, non ter mergeret, ne trina mersione videretur trinitatem personarum in Deo comprobare

Utrumque erroris caput commemorat Theodoretus Lib. 4. hæreticarum fabularum cap. 3. "Idem
To. 4. p. 236. D. (*Eunomius*) *inquit*, sancti etiam Baptismatis legem „olim à Domino & Apostolis traditam evertit, & contrariam aperte sanxit, non oportere dicens ter illum „immergere qui baptisatur, nec invocare Trinitatem, „sed semel baptisare in Christi mortem." Idem legere est apud Sozomenum Lib. 6. Hist. c. 26. Et S. Epi-
To. 1. p. 992. B. phanius hæresi 76. in fine, refert "Eunomianos baptisasse in nomine Dei increati, & in nomine Filii „creati, & in nomine Spiritus sanctificantis, atque „à Filio procreati" Igitur propter violatam Baptismi formam, & tam nefando consilio prætermissam trinam immersionem, nullum judicatum fuit Baptisma ab Eunomianis datum; ac merito jussi sunt rebaptisari ab illis baptisati; non præcise ex defectu trinæ mersionis, sed invocationis SS. Trinitatis, in qua consistit legitima Baptismatis forma, sine qua nullum est & irritum.

Ad tertiam: ea ipsa de causa Pelagius II. coercet temeritatem Bonosiacorum, eorumque Baptisma reprobat propter violatam ab illis ipsius formam. *Bapti-*
Decret. Tom. p. 24. col. 2. *sabant enim*, ait ibid. S. Pontifex, *solummodo in mortem Christi una immersione.* Unde in eodem Rescripto monet, sicut antea observavimus, quod si in nomine Trinitatis deprehendantur illi baptisati, Catholicæ fidei sint reconciliandi.

Objicies 3. Docent Veteres ritum baptisandi triplici immersione originem ducere à præcepto Christi & traditione Apostolorum. Ita Tertullianus, S. Hieronymus, S. Basilius, S. Chrysostomus, Theodoretus, Pelagius II. supra citati, ubi de antiquitate trinæ immersionis: at quod ex præcepto Christi & traditione Apostolica descendit, haud dubie jure divino necessarium est ad Sacramenti substantiam. Qua enim alia via probare possumus parvulorum Baptisma, suffragia pro mortuis, & alia ejus generis bene multa, quæ non ex Scripturis, sed ex sola Traditione Apostolica derivata habemus juris esse divini?

Resp. 1. ad maj. verum quidem esse Veteres existimasse ritum trinæ immersionis ex Apostolica traditione descendisse, sed nullus dixit eam ex Christi præcepto sic necessariam, ut sine illa nullus sit Baptismus. Quando igitur mandatum Christi commemorant Tertullianus, Chrysostomus, Theodoretus, Pelagius II. vel istud referunt simpliciter ad necessitatem baptisandi sub invocatione SS. Trinitatis, non admodum baptisandi per immersionem sive triplicem sive unicam; vel tantum attendunt ad usum communem suo tempore in Ecclesia receptum, ab Apostolis transmissum, quem violare nemini licitum esse poterat, nisi urgeret necessitas.

Reipsa censent iidem Veteres, præcessisse exemplum Christi, qui & baptisavit, & baptisatus est per immersionem: verum constat apud omnes Orthodoxos, exemplum Christi, nisi accesserit præceptum, necessitatis legem non imponere: multa quippe in conficiendis & dispensandis Sacramentis Christus usurpavit, quæ tamen ad substantiam & naturam Sacramentorum non pertinent. V. g. consecravit Eucharistiam in azymo pane, sero post cœnam, distribuit Discipulis sub duplici specie &c. An illa necessaria esse ad Sacramenti veritatem quisquam contendet Orthodoxus? non puto. Similiter baptisatus est, & baptisavit in aquis Jordanis: An illæ solæ sunt materia necessaria Baptismi? Igitur non sequitur necessariam esse jure ac præcepto divino trinam immersionem baptismalem, eo quod Christus exemplo suo & facto eam comprobaverit.

Resp. 2. ad minorem. Nego 1. aliquod extare præceptum Christi de immersione vel triplici vel unica usurpanda. Nego 2. id omne quod ex Traditione Apostolica originem ducit, propterea juris esse divini, ac necessario & constanter retinendum. Scilicet inter ea quæ ab Apostolis ad nos derivarunt, alia spectant fidem, mores, & substantiam Sacramentorum; alia disciplinam, Ecclesiæ regimen, Sacramentorum ritus & cæremonias: inter quæ istud discriminis occurrit; quod in primis nulla unquam admitti possit & debeat mutatio; fides enim eadem semper est, nec tempori, aut loco, aut personis subjacet: in posterioribus vero, mutatio contingere possit, cum varia sit disciplina pro temporum & locorum varietate. Multa vero fuisse ab Apostolis tradita hujusce posterioris conditionis, certissimum est. Talia fuere v. g. quæ præscribit Apostolus de ebrioso, bigamo, neophyto ad Ordines sacros non promovendo: pariter quod ab Apostolis accepimus, non jejunare, non flectere genua in orationibus inter Pascha & Pentecosten; orare versa facie ad Orientem; quosdam dies festos celebrare; abstinere à sanguine & suffocato; ad Eucharistiam jejunos accedere, & alia id genus bene multa, quæ Ecclesia pro sua sapientia vel retinuit, vel mutavit. Porro ritus immergendi ter vel ad solemnitatem ordinis est; neque ad substantiam, sed ad ritum dumtaxat semel, hujusce Baptismi pertinet.

Si vero quæras certam & fixam quamdam regulam, qua secerni possit, quænam ab Apostolis tradita, necessaria sint ad substantiam sacramenti, vel tantum ad ejus solemnitatem seu administrationis disciplinam: respondeo regulam illam, esse Judicium Ecclesiæ infallibilis verborum Christi & traditionum Apostolicarum interpretis, quæ est *firmamentum & columna veritatis, adversus quam portæ inferi nunquam prævalebunt.* Cum igitur constat ex momentis adductis, Ecclesiam semper ratum habuisse Baptismum sive immersione una vel triplici, sive infusione aut aspersione collatum, manifeste sequitur, omnes illos modos baptisandi indifferentes ad veritatem Baptismi, nec ullum per exclusionem alterius absolute necessarium esse.

Objicies 4. Ad veritatem Baptismi necesse est exprimi SS. Trinitatem: atque per unicam mersionem non exprimitur; recte vero per triplicem; ergo &c.

Resp.

Resp. dist. maj. Necesse est exprimi SS. Trinitatem, per verba formæ, concedo: per usum materiæ, nego. 1. Tim. 3. v. 13. „Cum enim, *inquit S. Th. hic ad* 1. Trinitas sit agens „principale in Baptismo, similitudo autem agentis per- Matth. 16. v. 18. „venit ad effectum secundum formam & non secun- „dum materiam, ideo significatio Trinitatis in Baptismo „fit per verba formæ, nec est de necessitate ut signifi- „cetur Trinitas per usum materiæ; sed hoc fit tantum „ad majorem expressionem." Major autem illa ex- pressio essentialis non est Baptismo, sed ea tantum quæ practice significat & efficit interiorem animæ ablutio- nem, qualis est simplex ablutio aut per infusionem, aut per aspersionem aquæ. Quanquam unicæ mersioni sua non deest congrua significatio, qua nempe unitas essentiæ divinæ, trina mortis & Resurrectionis Christi significatur. Ita Concilium Toletanum IV. Can. 5. supra citato.

Ritus olim observati in trina Baptismi mersione.

Præsentis non est instituti exponere ritus omnes qui vel antecedebant, vel comitabantur, vel sequeban- tur Baptismum, quod ad Quæstionem hujus Tractatus quintam, Deo dante exequemur; sed eos duntaxat, qui ipsam immersionem propius spectant.

Primo itaque baptisandi ad eam Ecclesiæ partem ac- cedebant [loquimur de tempore quo Christianis li- cebat Templa publica frequentare] in qua erant Bap- tisteria quæ vocantur à Veteribus, Concha, Fons, Bal- neum, Piscina; erantque loca quædam vel intra Basi- licam, vel ad ejus fores constituta ad baptisandum con- secrata. Eorum formam describit S. Cyrillus Hiero- solymitanus Catechesi 2. mystagogica: *Primum*, ait P. 227. *ingressi estis ad porticum domus baptisterii.* Et Catech. P. 231. 2. *Et mysteria*, inquit alloquens recens baptisatos, *à vobis in interiori domo peragebantur.* Ex quo intelli- gimus, suas aptas officinas, porticus, & interiores aditus habuisse Baptisteria, & de novo S. Joannis apud Alex- andriam Baptisterio scribit Martyr Theophanes: *Hoc anno S. Joannis nomine quadra figura constru- ctum est apud Alexandriam, & Baptisma lustrandis ad- junctum ad ficum* Erant Baptisteria hæc ad modum balnei & piscinæ, in qua multi erant gradus; unde S. Isidorus Hispalensis De Officiis Ecclesiasticis L. 2. c. 24. sic ait; "Fons autem origo omnium gratiarum P. 612. E. „est, cujus septem gradus sunt, tres in descensu, propter „tria quibus renuntiamus; tres in ascensu, propter „tria quæ confitemur: septimus vero is est, qui & „quartus, similis filio hominis, extinguens fornacem „ignis, stabilimentum pedum, fundamentum aquæ &c. Eandem Baptisterii formam apud Latinos laudat apud Alcuinum auctor Libri de Ecclesiasticis Officiis, in Gemma animæ Honorius Augustodunensis. Profun- da erant hæc Baptisteria & ampla, pluribus simul conti- nendis capacia. Canonibus autem cautum erat, ne quis alibi quam in publicis Baptisteriis (nisi urgeret ne- cessitas) baptisaretur: qui secus fecisset Sacerdos depo- sitionis pœna castigabatur, ut colligimus ex Concilio in Trullo Can. 31. & ex Meldensi c. 48.

II. Antequam sacro Fonte immergerentur bapti- sandi, in ipso porticu existentes & versus Occidentem conversi, protensa manu satanæ renuntiabant, ut refert S. Cyrillus Hierosolymitanus Catech. 1. mystagogica. Tum omnibus depositis vestibus toto corpore nuda- bantur, ac nuditatem illam Veteres comparant cum ea in qua creatus est Adam, cum qua quisque nascitur ac P. 228. B. resurget, cum qua Christus est cruci affixus. Lex autem illa perfectæ nuditatis omnes obstringebat, secluso ne- cessitatis casu, adultos, infantes, mulieres ipsas, quarum tamen pudori consulebatur; & tamdiu in usu fuit, quamdiu ipse immergendi ritus; *ut nempe*, [ait Facun- P. 62. A. dus L. 4. c. 4.] *non sola voce, verum etiam totius habi- tu corporis profiteam. r exuisse nos veterem hominem.*

De adultis testatur S. Cyrillus Hierosol. Catech. mystagogica 2. "Statim ut ingressi estis, *inquit*, vestem P. 231. B. „exuistis, quod quidem ex iti hominis antiqui cum ope- „ribus suis imago fuit; atque ita exuti, eratis nudi, imi- „tantes & in hoc eum, qui in cruce nudatus fuerat, „Christum; qui ille nuditate principatus & potestates „hujus sæculi spoliavit, & magna confidentia in ligno „de illis triumphavit. *Et max*; O rem admirandam! Ib. C. D. „nudi fuistis in conspectu omnium, & non vos pudebat „Revera enim in hoc protoplasti Adam ferebatis exem- „plum, qui nudus in Paradiso fuit, & tamen nullo affi- „ciebatur pudore.„ Ejusdem nuditatis mentionem faciunt S. Chrysostomus in Epistola ad Innocentium S. Pontificem, S. Ambrosius Serm. 20. S. Epiphanius in Anchorato cap. 117. S. Anselmus in Matthæum c. 3. S. Bernardus Serm. 46. de paupertate.

De infantibus patet ex Sacramentario S. Gregorii, ubi describitur ordo Baptismi infantium: nam cum dictum esset; *Et baptisantur* (infantes:) mox subjun- Tom 3. git; *Pontifex vero vadit in Sacrarium exuebitans ut* part 1. *cum vestiti fuerint infantes, confirmet eos.* At si infan- P. 73. D. tem vestibus indui oportet priusquam confirmetur, necesse est prius exutus iis fuerit, quam baptisetur. Similiter Ordo Romanus Cap. de die Sabbati sancti Paschæ ait: "Pontifex egreditur à fonte in sacrarium, „habens ibi compositam sedem, vel in Ecclesia, ubi vo- Biblioth. „luerit, & sedeat in ea, ut cum vestiti fuerint infantes PP. L. „confirmet eos.... *Et max*: Sic vestiuntur, induti vero 13. pag. „ordinantur.„ Idem testatur Alcuinus Lib. de divinis 697. A. officiis c. 19.

De feminis testatur S. Chrysostomus in Epistola ad Innocentium S. Pontificem, ubi recensens mala quæ Constantino obi contigere cum è Sede sua armata ma- nu iterum dejectus est, inter alia ait; "Mulieres quoque Ed. nov. „factatum ædium quæ per illud tempus se exuerant, ut To. 3. p. „baptisarentur, metu gravis istius incursus nudæ aufu- 518. F. „gerunt, Neque enim concedebatur ut se velarent, „sicut mulieres honestas decet.

Interea vero mulierum pudori multis modis consu- lebatur ab Ecclesia, 1. Multis in locis erant Diaconissæ piæ mulieres, quæ eas ad Baptismum venientes honeste nudabant & exuebant, ne quid baptisantis oculis inverecunde objiceretur, ut indicat S. Epiphan. hæresi 79. Ejusdem honestatis causa Sacerdos baptisatæ quidem P. 231. frontem sacra oleo ungebat: at Diaconissa ungebat cor- D. pus, juxta morem Ecclesiæ Græcæ. 2. Viri separatim à feminis baptisabantur: unde S. Cyrillus Hierosolymi- tanus præfatione in Catecheses, "Reverentiam, *inquit*, To. 2. p. „adhibe, cum fit exorcismus, quousque alii exorcisati 120. B. „adcurrunt, viri cum viris, & mulieres cum mulieribus. 3. Alia hora viri, & alia mulieres baptisabantur, sicut indicat Ordo Romanus c. de Sabbato sancto. 4. Non promiscue, sed viri ad dexteram, mulieres ad sinistram, ut in Sacramentarium S. Gregorii. 5. Nonnullis in locis velum extendebatur circa Baptisteria, unde ad mergen- dum accedebat Sacerdos cum audiebat, potiusquam videbat esse aliquem in aqua. Ita factitatum legimus à sancto Othone Bambergensi Episcopo erga Pomera- nos ad Christi fidem conversos, ut refert Andreas S. Michaelis Bambergensis Abbas in ejus vita L. 2. c. 15. apud Surium secunda Julii. Denique cum antiqua Baptiste- ria amplissima forent suosque haberent recessus, ac de nocte ut plurimum soleret Baptismus solemniter admi- nistrari, multiplici modo mulierum pudori consulebant & providebant Ecclesiarum præpositi.

III. Baptisandi, omnibus depositis vestibus perfecte nudi, apud Græcos toto corpore oleo sancto inunge- bantur, ut refert S. Cyrill. Hierosol. Catech. mystago- gica 2. Apud Latinos in vertice tantum, tum aquis ter immergebantur, & quidem toti *Qui mergitur in aquas*, ait, S. Cyrill. Hierosol. Catech. 17. *& baptisatur, undi-*

que

que ab aquis circumdatur. Et S. Epiphanius in Anchorato cap. 118. *Aqua*, inquit, *cum invocatione sancta non unum dumtaxat hominis membrum occupant, sed integrum prorsus repurgant, circumtidunt, ac malis omnibus exolvunt.* Græci recentiores morem illum immergendi totum corpus pro infantibus immutarunt, quibus, ob tenellam ætatem, aquæ per nares & aures subintrod ictio nocere posset. Ita colligimus ex testimonio Gregorii Protosyncelli antea laudato. Quin & aquam cum in finem calefaciunt, teste Arcudio; quem morem etiam undecimo sæculo observabat S. Otho Episcopus Bambergensis, teste Scriptore ipsius vitæ.

IV. Ad unamquamque immersionem non integram Baptismi formam pronuntiabant, sed unius tantum personæ nomen appellabant, ut colligitur ex Tertull. L. adversus Praxeam c. 26. jam citato, ex S. Ambrosio L. 2. de Sacramentis c. 7. etiam citato, & ex Rituali Romano ubi ita præscribitur: "Puerum baptiset „dicendo, Ego te baptiso in nomine Patris, & semel „immergat; & Filii, & secundo immergat, & Spiritus „sancti amen, & tertio immergat.

V. Baptisandi stabant erecti in Fonte. Hinc S. Gregorius Nazianzenus testatur patrem suum, dum baptisandus genua flexisset ex simplicitate, videntibus dedisse futuri sui Episcopatus præsagium: utroque enim genu flexo consecrantur Episcopi. Ministri in Fontem descendebant, sicut observat Amphilochius de sancto Basilio: tum adultos baptisandos vel apposita supra caput, vel supra humeros depressa manu, vel infra scapulas tenendo, vel de pondere sublatos immergebant; quo in ministerio cum grandiora erant & graviora baptisandorum corpora, juvabantur ab eorum patrinis. Infantes vero manibus totos immergebant, & ex Fonte levabant. Hinc intellige Benedictum Presbyterum in vita. S. Damasi sic enarrantem: "Sabbato Paschalis festivitatis, „*inquit*, cum turbæ se comprimerent ad Baptismum, „puerulus de manu Sacerdotis delapsus est, atque in „fonte demersus, Et post spatium fere unius horæ, „dum sperarent omnes jam mortuum, quidam Man„sionatius ipsius Ecclesiæ in fiduciam S. Damasi pro„jiciens se in fontem, sanum & illæsum secum re„duxit." Ex qua narratione intelliges quod supra observavimus, Fontes Baptismales profundos fuisse.

S. Bonaventura in 4. dist. 3. q. 1. talem baptisandi ritum suo tempore receptum narrat: "Sacer„dos, *inquit*, debet puerum tenere per latera, & „versa facie ad aquam debet mergere, ita quod ha„beat caput primo versus Orientem, secundo versus „Aquilonem, tertio versus Meridiem. *To. 5 p. 40. A.*

VI. Denique, post trinam immersionem ac SS. Trinitatis invocationem baptisatus è sacro Fonte exibat & suscipiebatur: si mulier, à Diaconissis; si vir, aliquando à susceptoribus seu patrino & matrina, aliquando à Diaconis qui è sacro fonte nudos egredientes grandiori quodam velamine, quod sabanum dicebatur, obvolvebant. De illo velamine mentionem faciunt Victor Vitensis L. 3. de persecutione, Vandalica, & S. Gregorius Magnus Epistola ad Januarium Calaritanum L. 7. Indictione 2. Epistola 5. Tum veste candida quisque donabatur, ut colligimus ex S. Cyrillo Cathech. 4. "Veteribus, *inquit*, „exutis vestibus & iis quæ sunt secundum spiritum „albæ indutis, perpetuo jam in albis incedere opor„tet." Et ex S. Ambrosio L. de initiandis cap. 7. *P. 238. C.*
„Accepisti post hæc vestimenta candida, *inquit*, ut „esset indicium quod exueris involucrum peccatorum. *To. 3. p. 83. D.*

En ritus percipui qui immersionem baptismalem proprius spectant, de quibus mentio apud Veteres occurrit.

ARTICULUS IV.

De forma Baptismi.

FOrma Baptismi constat verbis quæ inter baptisandum ex divino præcepto ac traditione Apostolica pronuntiari debent. Cum vero aliis Græci, & aliis Latini utantur, utriusque formæ apud illos usurpatæ antiquitas & veritas hic à nobis est inquirenda, ac varii circa formam Baptismi errores recensendi. Quod ut distinctius exequamur, præsentem Articulum in varias veluti Sectiones dividemus, in quibus

1. De variis erroribus circa formam Baptismi.

2. An Christus aliquam Baptismi formam præscripserit.

3. De forma à Græcis usurpata, an antiqua sit & valida.

4. De forma apud Latinos, an antiqua & conveniens.

5. An hæc verba, *Ego te baptiso*, quibus actus baptisantis exprimitur, necessaria sint ad substantiam Sacramenti.

6. An distincta trium Personarum SS. Trinitatis invocatio sit absolute necessaria; & num valuerit olim, aut etiam valere jam possit Baptismus in solo Christi nomine collatus.

De variis circa formam Baptismi erroribus.

Formam Baptismi adulterarunt inter veteres Hæreticos, Gnostici, Marcitæ, Montanistæ, Sabelliani, Paulianistæ, Photiniani, Eunomiani, Elcesæi, Menandriani, Bonosiacorum, Arianorum & Afrorum nonnulli; denique ii quos Canon. 49. eorum qui Apostolici dicuntur, perstringit.

I. De Gnosticis Marcitis, à quodam Marco præstigiatore è secta Gnosticorum sic nuncupatis, constat ex S. Irenæo Lib. 1. cap. 21. alias 18. & ex S. Epiphanio hæresi 37. "Baptisantes, ita dicunt, (*ait S. Irenæus*), In nomine ignoti Patris universorum, in „veritate matre omnium, in eo qui in Jesum descen„dit, in unione & redemptione & communione vir„tutum." Idem fere refert Theodoretus L. 1. hæreticarum fabularum cap. 9. *Edit. nov. p. 95. col. 1. To. 4. p. 201. C. pag. 254. D.*

II. Apud Eusebium L. 7. cap. 9. S. Dionysius Alexandrinus sua ad Sixtum S. Pontificem Epistola, narrat suo tempore virum aliquem senem extitisse, qui cum interfuisset Baptismo eorum qui in Ecclesia baptisabantur, ac interrogationes responsaque eorum audivisset, flens, & vicem suam ingemiscens, confessus est Baptismum, quo apud Hæreticos initiatus ipse fuerat, non esse hujusmodi, nec cum Ecclesiæ Baptismo quidquam habere commune, *sed plenum blasphemiæ & impietatis, sceleste verbis ac caremoniis esse administratum.* Quinam vero fuerint illi Hæretici, non exponit Dionysius.

III. De Montanistis, qui Cataphrygæ dicebantur quod in Phrygia præsertim suos haberent conventus, constat 1. ex Can. 8. Concilii Laodiceni an. 364. „Eos, *ait Canon*, qui ab eorum hæresi, qui Phryges „dicuntur, convertuntur, sive sint in Clero qui apud „illos existimatur, sive maximi dicantur; eos omnes „cum omni studio catechisari seu initiari, & bapti„sari ab Ecclesiæ Episcopis & Presbyteris." Constat 2. ex Concilio primo generali Constantinopolitano an. 381. Can. 7. ubi Montanistæ iis accensentur Hæreticis, qui ad Ecclesiam venientes, tanquam Pagani recipiendi sunt per Baptismum. Non alia porro fingi potest causa cur ejusmodi Hæretici jubeantur rebaptisari, quam quod in legitima Ecclesiæ forma baptisati non fuissent. Ita testatur S. Basil. Epistolæ primæ ad *Tom. 1. Conc. p. 1498. B. Tom. 2. Conc. p. 952.*

Amphi-

Ed. vet. To. 3. p. 758. D.

Amphilochium, Can. 1. ubi de Montanistis ait: „Quamnam ergo habet rationem verum eorum Baptisma judicari, qui in Patrem & Filium, & Montanum Priscillamque baptisant?" Idem quoque innuunt S. Gregorius Nazianzenus Oratione 3. de pace, & S. Gregorius Magnus L. 9. Epist. 61. nunc Lib. 11. Epist. 67. ad Quiricum vel Quirinum, aliosque in Hiberia Episcopos. "Hi Hæretici, „*inquit*, qui in Trinitatis nomine minime baptisantur, „sicut sunt Bonosiaci & Cataphrygæ, quia & illi „Christum Dominum non credunt, & isti Spiritum „sanctum perverso sensu esse pravum quemdam hominem Montanum credunt... cum ad sanctam Ecclesiam „veniunt, baptisantur. Hac de causa S. Hieronymus eos non adjungit illis quos in Dialogo adversus Luciferianos testatur à Romana Ecclesia non rebaptisari.

To. 2. p. 1162. C.

Tom. 4. part. 2. p. 304. & seq.

IV. De Sabellianis constat ex Canone 7. Concilii primi generalis Constantinopolitani jam citato, in quo jubentur ad Ecclesiam redeuntes, baptisari.

Tom. 2. Conc. p. 952. Ibid. p. 43. E. Tom. 4. Conc. p. 1013. Tom. 4. part. 2. p. 305. To. 3. p. 13. D.

V. De Paulianistis, à Paulo Samosateno ita dicti, constat ex Canone 19. Concilii primi generalis Nicæni an. 325. quo jubentur iterum baptisari. "De Paulianistis, *inquit*, ad Ecclesiam Catholicam confugientibus definitio prolata est, ut iterum baptisentur omnimodis. Idem statuit Concilium Arelatense secundum an. 452. Can. 16. & 17. quod testatur etiam S. Hieronymus Dialogo adversus Luciferianos, ubi asserit "Synodum Nicænam omnes Hæreticos „suscepisse, exceptis Pauli Samosateni discipulis. Ratio autem cur iterum datus illis fuerit Baptismus, non alia esse potest, quam quod in legitima forma collatus primaum non fuerat. *Credendum*, inquit S. Augustinus L. de Hæresibus, hæresi 44. *eas regulam Baptismatis non tenere*. Idam testatur Innocentius Primus Epist. 22. ad Episcopos Macedoniæ c. 5.

VI. De Photinianis qui eumdem cum Sabellio errorem tuebantur, patet ex Canone 16 Concilii secundi Arelatensis. *Photinianos*, inquit, *sive Paulianistas, secundum Patrum statua baptisari oportet.* Unde corrigenda videtur lectio Canonis septimi Concilii Laodiceni an. 364. in quo Photiniani non jubentur rebaptisari. Probabile igitur est verba illa in Canonem irrepsisse, & consequenter delenda, cum Nicænus Canon expresse jusserit rebaptisari Paulianistas, qui idem erant cum Photinianis.

Tom. 4. Conc. p. 1013. B.

VII. De Eunomianis patet tum ex Canone 7. Concilii primi generalis Constantinopolitani, tum ex Theodoreto Lib. 4. hæreticarum fabularum c. 5. tum ex S. Epiphanio hæresi 76. in fine, & Sozomeno L. 6. Hist. c. 28. Theodoreti & S. Epiphanii verba paulo supra retulimus, agendo de necessitate trinæ mersionis.

To. 4. p. 222. A. Ibid. p. 105. C.

VIII. De Elcesæis, ab Elcesai quodam hæresis suæ auctore sic nuncupati, constat ex Theodoreto Lib. 2. hæretic. fabul. cap. 7. ubi asserit *eas usos fuisse Baptismatibus in elementorum confessione.*

IX. De Menandro testis est Theodoretus L. 1. c. 2. ubi ait ipsum asseruisse baptisatos in suo nomine salvos esse.

X. De aliquibus Bonosiacis constat, tum ex S. Gregorio Magno jam citato n. III. tum ex Pelagio II. in suo ad Gaudentium Episcopum Responso, *ubi innuit eos baptisasse in mortem Christi.* Quod vero omnes Bonosiaci non adulteraverint formam Baptismi, colligitur manifeste ex Can. 17. Concilii II. Arelatensis an. 452. ubi dicitur: *Bonosiacos autem ex eodem errore venientes, quos sicut & Arianos baptisari in Trinitate manifestum est, si interrogati &c.*

Tom. 4. Conc. p. 1013. B.

XI. De aliquibus etiam Arianis idem testatur Theodorus Lector Collectaneorum L. 2. ubi refert à Deuterio Ariano Episcopo aliquem nomine Barbam, Constantinopoli baptisatum fuisse sub hac forma, *Baptisatur Barbas in nomine Patris, per Filium, in Spiritu*, ac statim aquam evanuisse. Idem legitur apud Nicephorum L. 15. c. 35. Constat præterea ex antiquo Gregorii Turonensis Supplemento, & Joanne Biclarensi in Chronico, nonnullos in Hispania Gothos Arianos formam Baptismi non servasse; qui idcirco à S. Leandro Hispalensi Episcopo rebaptisati sunt: atque eam ob causam Reginam Brunichildim, dum in Gallias venit, rebaptisatam fuisse affirmat Aimonius Monachus Floriacensis L. 3. Hist. Francorum c. 4. apud Duchesne To. 3. Non omnes porro Arianos peccasse in formam Baptismi certo, colligitur tum ex Concilio generali primo Nicæno, in quo soli Paulianistæ jubentur rebaptisari; tum ex Can. 7. Concilii primi generalis Constantinopolitani; tum ex Can. 16 Concilii secundi Arelatensis mox citato n. X. tum ex S. Gregorio Magno Epistola jam citata 67. Lib. 11. ubi ait: *Arianos per impositionem manus Occidens, per unctionem vero sancti Chrismatis Oriens reformat.* Unde quando S. Athanasius Orat. 3. contra Arianos, & S. Hieronymus Dial. adversus Luciferianos innuere videntur videntur, Arianos baptisasse in nomine Creatoris & creaturæ, sensus eorum non est, quod inter baptisandum verba hæc pronuntiaverint; sed cum verba ex animo dicentis soleant exponi, in nomine creaturæ baptisasse dicuntur, quia Filium Dei, in cujus nomine confertur Baptismus, creaturam esse existimabant.

p. 74.

Tom. 2. 1167. B.

Tom. 1. Conc. p. 1428. A.

XII. De aliquibus Afris supponunt Patres Concilii primi Arelatensis an. 314. Can. 8. ubi ajunt: "De „Afris, quod propria sua lege utuntur, ut rebaptisent, „placuit ut si ad Ecclesiam aliquis de hac hæresi venerit, interrogent eum Symbolum; & si perviderint in „Patre & Filio & Spiritu sancto eum esse baptisatum, „manus ei tantum imponatur ut accipiat Spiritum „sanctum. Quod si interrogatus non responderit hanc „Trinitatem, baptisetur." Supponit igitur Concilium, aliquos fuisse in Africa qui non baptisabant in forma consueta. Ubi castiganda obiter videtur lectio Binnii, qui loco *De Afris*, legit *De Arianis*; nondum quippe exorta tunc erat hæresis Ariana.

Per Afros autem intelligit Concilium, tum eos qui Cypriano & Firmiliano adhærentes, quoslibet Hæreticos in hæresi baptisatos indiscriminatim rebaptisabant; tum Sabellianos, Novatianos, Donatistas, cæterasque pestes quæ in Africa præsertim grassabantur, quique baptisatos à Catholicis, cum ad suas transibant partes, iterum baptisabant. Jubet igitur Concilium discrimen esse observandum inter Hæreticos qui formam Baptismi integram servabant, & eos qui illam adulterabant; idque dignoscendum ex interrogatione eorum qui ab ejusmodi Hæreticis ad Ecclesiam redibant: secus, si forma consueta non fuisset observata.

Ib. p. 52. E.

Denique Can. 49. eorum qui Apostolici falso nuncupantur, suppressis nomina notantur qui baptisabant „in tribus sine initio Principiis, aut in tribus Filiis, aut „in tribus Paracletis." Eumdem errorem nondum extinctum sæculo sexto perstringit Vigilius S. Pontifex Epistola 2. c. 6. ubi ait: "Si quis Episcopus aut Pres„byter, juxta præceptum Domini, non baptisaverit in „nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, sed in una „persona Trinitatis, aut in duabus, aut in tribus Patri„bus, aut Filiis, aut in tribus Paracletis, projiciatur de „Ecclesia Dei." S. Augustinus Lib. 6. de Baptismo c. 25. observat, suo tempora facilius inveniri Hæreticos qui omnino non baptisant, quam qui illis verbis, *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*, non baptisant.

Tom. 5. Conc. p. 313. D. E.

An Christus aliquam Baptismi formam præscripserit.

Sociniani post Socinum, Tractatu de Baptismo c. 2. docent baptisari in *nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*, apud S. Matth. c. 28. v. 19. non esse baptisari in invocatione seu expressione Personarum Trinitatis; sed idem esse ac doceri, instrui, initiari in fide Patris, Filii & Spiritus sancti.

Episco-

Episcopus quoque in responsione ad trigesimam septimam quæstionem inter sexaginta quatuor, ubi, etsi putet formam Baptismi consuetam, propter antiquum Ecclesiarum omnium usum, retinendam esse, contendit tamen eam nullo pacto colligi posse ex verbis Christi apud S. Matth. c. 28 unde ibidem putat verba hæc Christi, "In nomine Patris & Filii & Spiritus sancti," connecti posse cum istis, *Docete*, seu, *discipulos facite*; atque ista verba, *baptisantes eos*, esse intra parenthesim collocanda: ita ut sensus sit, "Baptisantes, docete quis „sit Pater, quis Filius, quis Spiritus sanctus, & in hac do„ctrina discipulos facite:" qua certe admissa expositione, clarum est ista verba, "baptisantes in nomine „Patris & Filii & Spiritus sancti," non esse à Christo præscripta tanquam formam Baptismi.

Gerardus etiam Vossius Disputatione secunda de Baptismo Thesi quinta, contendit nullam esse in Scripturis formam verborum in quibus baptisare debeamus, præscriptam. Adversus eos sit.

CONCLUSIO.

Christus certam verborum formam in Baptismo usurpandam præscripsit.

Probatur 1. ex c. 28. S. Matth. v. 19. ubi Christus Discipulis ait: "Euntes docete omnes gentes, baptisan„tes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti:" quo loco etsi conceptis verbis Christus non dixerit, verba ista inter baptisandum esse pronuntianda, universa tamen Ecclesia verborum Christi custos ac fidelis interpres ex eo semper intellexit, & usu suo confirmavit, verba ista exprimenda esse. Ubi observabis obiter, Lutheranos & Calvinistas, qui eamdem Baptismi formam nobiscum retinent ac præscribunt, nec Traditionis & Ecclesiæ auctoritatem infallibilem agnoscunt, vix posse contumaces Socinianos refellere, & probare adversus illos, sensum verborum Christi esse, ut inter baptisandum exprimantur nomina personarum SS. Trinitatis.

Actorum 19. v. 2. cum S. Paulus interrogasset discipulos, *an Spiritum sanctum accepissent*; & illi respondissent, *Neque si Spiritus sanctus est audivimus*: statim subjecit Paulus: *In quo ergo baptisati estis?* Quæ sane interrogatio videtur supponere solitum exprimi in administratione *Baptismi* Christi, nomen Spiritus sancti, de quo discipuli illi, solo Joannis Baptismo tincti, nihil audiverant.

Confirmatur: Quia ibidem Baptismum Christi videtur Apostolus conferre cum Baptismo Joannis, & modum quo uterque ministrabatur, comparare. „Joannes, *inquit*, baptisavit Baptismo pœnitentiæ, „dicens, In eum qui venturus esset post ipsum," nempe Christum; ergo in Baptismo Christi aliquid etiam dicebatur: Quid? verba ista Evangelica: "In nomine „Patris & Filii & Spiritus sancti.

Pariter primæ Corinth. 1. loquens Apostolus de schismate quod inter Corinthios exortum fuerat, quoniam aliqui dicebant se esse Pauli, alii Apollo, alii Cephæ, *Numquid*, ait Paulus, "in nomine Pauli baptisati „estis?" quasi diceret: Nonne tenetis memoria verba quibus datus vobis est Baptismus? An baptisantem audivistis dicentem: *Ego te baptiso in nomine Pauli*; non certe; sed "in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti.

Probatur 2. ex constanti & perpetua Ecclesiæ totius traditione & praxi, cujus tot certissima proferri possunt argumenta, quod supersunt SS. Patrum monumenta. Ex infinitis hæc pauca seligimus.

Ex S. Justino Apolog. 2. pro Christianis: "In no-
P. 94. A. „mine rerum cunctarum parentis, *inquit*, & Domi-
Ib. C.D. „ni Dei, & Servatoris nostri Jesu Christi, & Spiritus
Ibid. E. „sancti in qua tunc lavantur...... Super eo qui rena„scendum sibi esse statuerit....... parentis rerum omni„um, & Domini Dei nomen nominatur...., In nomine „autem etiam Jesu Christi crucifixi sub Pontio Pilato, „atque in nomine Spiritus sancti abluitur is qui illu„minatur. Igitur, teste S. Justino, nomen Patris, Filii, & Spiritus sancti exprimebatur in administrando Baptismo.

Ex Tertulliano L. de Baptismo c. 13. "Lex tinger- P. 229. D.
„di, *inquit*, imposita est, & forma præscripta; Ite, inquit, „docete Nationes, tingentes eos in nomine Patris & „Filii & Spiritus sancti." Quid hoc testimonio potest expressius ac disertius proferri? Et c. 2. dixerat: "Sine P. 224. B.
„sumptu homo in aqua demissus, & inter pauca verba „tinctus." Pauca autem illa verba alia non sunt ab iis quæ Christus præscripsit Matth. 28. Denique Lib. adversus Praxeam c. 26. "Novissime, *inquit*, mandavit P. 516. A.B.
„ut tingerent in Patrem, Filium, & Spiritum sanctum: „non in unum, nam nec semel, sed ter, ad singula nomi„na in personas singulas tingimur.

Ex S. Cypriano Ep. 73. ad Jubajanum, ubi sic legitur: "Post Resurrectionem à Domino Apostoli ad P. 126.
„Gentes mittuntur, in nomine Patris & Filii & Spiritus „sancti baptisare Gentiles jubentur. Quomodo ergo „quidam dicunt foris extra Ecclesiam, imo & contra „Ecclesiam, modo in nomine Jesu Christi, ubicumque „& quomodocumque Gentilem baptisatum remissio„nem peccatorum consequi posse, quando ipse Christus „Gentes baptisari jubeat in plena & adunata Trinitate;

Ex S. Basilio L. de Spiritu sancto c. 12. "Oportet, Ed. ver.
„*inquit*, inviolabilem manere traditionem quæ in vivi- To. 2. p.
„fica gratia data est. *Et postea*: Fides perficitur per 170 A.
„Baptismum, Baptismus vero fundamento fidei nititur, „& utraque res per has voces impletur. Sicut enim „credimus in Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, „sic & baptisamur in nomine Patris & Filii & Spiritus „sancti.

Ex S. Ambrosio L. de Mysteriis c. 4. "Credit, *inquit* To. 2. p.
„Catechumenus in crucem Domini Jesu, qua & ipse 330. B.
„signatur: sed nisi baptisatus fuerit in nomine Patris „& Filii & Spiritus sancti, remissionem non potest ac„cipere peccatorum, nec spiritualis gratiæ munus hau„rire...... Tu autem baptisatus es in nomine Trinita„tis, confessus es Patrem; recordare quid feceris; con„fessus es Filium, confessus es Spiritum sanctum.

Ex S. Hieronymo L. 4. Commentariorum in Matth. Ed. pal.
„Baptisant eos, *inquit*, in nomine Patris & Filii & Spiri- T. 4. p. 1.
„tus sancti; ut quorum una est divinitas, una sit largi- p. 144.
„tio; nomenque Trinitatis unus Deus est. To. 9. p. 176.

Ex S. Augustino Lib. 6 de Baptismo c. 25. "Certa „sunt, *inquit* Evangelica verba, sine quibus non potest „consecrari Baptismus." Quæ autem sint ista verba declarat L. 3. c. 15. "Si, *inquit*, Evangelicis verbis, in Ibid. p.
„nomine Patris & Filii & Spiritus sancti Marcion 115. G.
„Baptismum consecrabat, integrum erat Sacramen„tum.

His adde, non aliam fuisse unquam Ecclesiæ regulam in approbando vel damnando Hæreticorum Baptismo, quam hujus formæ à Christo præscriptæ accuratam observationem, vel corruptionem, ut constat ex Canone octavo Concilii primi Arelatensis paulo ante citato. Et vero vel ipsis veteribus Hæreticis tam persuasum fuit aliquam esse Baptismi formam verbis expressam, ut illi verba quædam semper usurpaverint, teste S. Irenæo L. 1. c. 18.

Ex his vero omnibus sic arguere licet: Ecclesia in administrando Baptismo semper usurpavit tanquam necessariam formam, sive qua nullum est Sacramentum, verba Evangelica: atqui non alia de causa verba hæc usurpanda esse duxit Ecclesia, quam quod intellexit ea fuisse à Christo præscripta Matth. 28. Ecclesia enim quæ Sacramenta instituere non potest, nõ potest etiam verba necessaria ad substantiã Sacramentorũ præscribere, sed quæ sunt Christo præscripta summa

religio-

religione retinet & observat. Igitur verba quibus Baptismi forma exprimitur, sunt à Christo præscripta.

Ex his quoque funditus convellitur figmentum Episcopii, verba hæc *In nomine Patris & Filii & Spiritus sancti*, connectentis cum istis, *Ite & docete*; & istud *Baptisantes*, inter parenthesim collocantis. Nullum enim est, ne vel minimum quidem, parenthesis in textu sacro vestigium, nulla necessi[illegible] n planus sit & apertus Christi sermo. Quod si ad libitum fas sit ejusmodi verborum constructiones, sicut & parentheses fingere, nihil tam certum ac firmum erit, quod non evertatur.

Dices: Non magis ex istis Christi verbis, *Baptisantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti*, inferri potest necessitas ista verba pronuntiandi inter baptisandum, quam ex istis, *Euntes docete omnes Gentes*, infertur necessitas dicendi inter docendum, *Ego vos doceo*; vel ex istis, *In nomine meo dæmonia ejicietis, languores sanabitis*, necessitas dicendi, *Dæmonia ejicio, languores sano &c.* atqui istud postremum necessarium non est, neque ex Christi verbis colligitur; ergo &c.

Confirmatur: Quia illud, *in nomine*, apud S. Matth. c. 28. non significat in expressione seu invocatione, sed in virtute & fide Patris & Filii & Spiritus sancti: sicut quando in Actibus Apostolorum legimus Apostolos baptisasse in nomine Christi, illud, *in nomine*, idem est ac, in virtute & fide, non vero in expressione seu appellatione nominis Christi; alias sequeretur validum aliquando fuisse Baptismum datum in solo Christi nomine, quod vulgo non admittunt Theologi.

Resp. nego maj. & parit. Ratio disparitatis ex sola Christi voluntate petenda est. In factis enim ejusmodi, tota ratio facti est voluntas facientis: voluntas autem Christi nobis per Ecclesiam Sponsam ejus ac fidelem interpretem declaratur. Si vero superiorem & à priori rationem quæras, cur inter baptisandum necesse sit exprimere actum baptisantis, & invocare SS. Trinitatem; inter vero docendum, aut quid simile, istud necesse non sit, hæc potest afferri: quia nempe actio qua quis docet, vel dæmonia ejicit, aut morbos sanat, per se ne ipsam satis determinata est ad hoc, vel illud, absque additione talium verborum, *Ego doceo*, *Ego dæmonia ejicio &c.* At vero cum actio baptisandi ex se sit indifferens, & possit ad multa referri, necesse est ut per aliquid speciale determinetur ad actionem sacram, divinam, religiosam, una verbo ad sacramentalem; istud autem per quod determinatur, est tum declaratio seu expressio invocantis, tum invocatio distincta trium personarum SS. Trinitatis, tum intentio baptisantis qua vult facere quod facit Ecclesia & Christus instituit. *Accedit verbum ad elementum*, ait S. Augustinus, *& fit Sacramentum.*

Ad confirmati nem nego istud, *in nomine*, apud S. Matth. significare solum in virtute & fide, non vero in invocatione seu appellatione nominis Patris & Filii & Spiritus sancti; utrumque enim significet. Nec valet adducta paritas ex Baptismo dato in nomine Christi, in Actibus Apostolorum: ibi enim, *in nomine*, idem est ac in virtute & fide, non in sola expressione nominis Christi, ut dicemus infra; quia scilicet eo loci non agitur de forma Baptismi, sed tantum de necessitate. Præterea vero, quæ suprema nobis esse debet ratio, Ecclesia istud, *in nomine*, apud S. Matth. intellexit semper de invocatione seu appellatione nominis Patris & Filii & Spiritus sancti; istud vero, *in nomine Christi*, in Actibus Apostolorum, non intellexit de sola invocatione nominis Christi in Baptismo.

Qua forma utantur Græci. An antiqua sit & valida.

Arcudius Lib. 1. de Baptismo c. 8. hanc apud Græcos usitatam baptisandi formam refert, *Baptisatur servus vel serva Dei N. in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti*. Multi inter nostros Scholasticos, loco, *Baptisatur*, legunt, *Baptisetur*; sensu nimirum vel optatio seu deprecatorio, vel imperativo: unde Eugenius IV. in Decreto utrumque modum refert & approbat. Verum ex sola textus græci lectione in Euchologio apud Goarium pag. 355 & 365. & apud Arcudium loco citato, perspicuum est Græcos modo indicativo dicere, *Baptisatur*. p. 15. ed. 1.

Hujus vero formæ tam tenaces sunt Græci ut eorum nonnulli Schismatici baptisatos à Latinis rebaptisare ausi fuerint, ut colligimus ex Concilio Lateranensi IV. c. 4. sub Innocentio III. an. 1215. sive quod existimarent formam qua utuntur Latini, legitimam non esse, ut putet Bellarminus, nec improbabile videtur Arcudio: sive quod prætermissam ab illis trinam mersionem falso crediderint; sive denique ex cæco quodam adversus eos odio. To. 11. Conc. p. 153. A.

Innocentius IV. scribens in caput primum de Baptismo & ejus effectibus, negat legitimum fore Baptismum quem Græcus in Occidentali Ecclesia conferret in forma apud Græcos consueta: verum hoc in capite, sicut & in aliis nonnullis quæ privatus Doctor scripsit, deserendus est.

Tempore S. Thomæ quidam existimabant, ut ipse refert in 4. dist. 3. qu. 2. art. 2. in Responsione ad primum, formam Græcorum invalidam esse.

CONCLUSIO.

Forma hæc baptisandi apud Græcos, *Baptisatur servus vel serva Dei N. in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti*, antiqua est & valida.

I. De antiquitate constat ex veteribus formulis quæ referuntur à variis Auctoribus.

A Theodoro Lectore Lib. 2. Collectaneorum, in quo quemdam, nomine Barbam, à Deuterio Ariano Constantinopoli ita baptisatum refert: "Baptisatur „Barbas in nomine Patris per Filium in spiritu sancto;" ubi quamvis vitiosa sit forma in expressione SS. Trinitatis, priora tamen verba indicant Baptismum apud Græcos solitum conferri verbo indicativo passivo. Istud porro factum contigit circa annum Christi 500.

A Joanne Mosco Prati spiritualis c. 176. ubi ait Judæum in arena sic baptisatum fuisse: "Baptisatur „Theodorus in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti." Istud contigisse narratur circa annum Christi 630.

A Severo vulgo Alexandrino Lib. de tribus Baptismis, Pontifex in hunc modum ait: *Baptisatur talis in nomine &c.* Dicitur Severus vixisse circa annum Christi 630. Biblioth. PP. T. 12. p. 732. G.

Denique omnes Græcorum Libri rituales, eamdem formam continent.

Si vero quæris hujusce formæ rationem:

Respondebit 1. Gabriel Philadelphiensis Episcopus in Libro de Sacramentis, duplicem esse. 1. Quia Scriptura etiam verbo passivo utitur. *Ego*, inquit Joannes, *à te debeo baptisari*. 2. Quia hæc loquendi formula modestiam baptisantis indicat, qui ne videatur sibi primarium Baptismi ministerium arrogare, non audet in prima persona dicere, *Ego te Baptiso*. Unde S. Chrysostomus Hom. 1. in Acta Apostolorum, expendens ista verba, " Vos autem baptisabimini, Mat. 3. v. 14.

F. dic. Comment. p. 453. B. „non post multos hoc dies. Neque dixit, *inquit*, Ego „vos baptiso Spiritu sancto, sed baptisabimini, nos do„cens ut modeste nobis sentiamus.

Respondebis 2. Arcudius Lib. 1. de Baptismo c. 8. ideirco Græcos verbo indicativo passivo uti, ut eorum apud suos occurratur errori, qui cum illis Schismaticis Corinthiis dicebant, *Ego sum Pauli*, *Ego sum Cephæ &c.* P. 23. col. 2. quasi significare vellent, Baptismum vel à Paulo, vel à Cepha aut ab alio quocumque Ministro suam trahere virtutem; qui error non tantum in Græciam, sed & in Africam serpserat; unde S. Aug. Sermone 99. de verbis S. Lucæ, alias Hom. 23. inter 50. loquens de peccatis quæ Magdalenæ peccatrici dimissa sunt: " Me„dicus bonus, *inquit*, ægros non solum præsentes sana- To. 5. p. 524. D. „bat, sed & futuros etiam prævidebat. Futuri erant „homines qui dicerent, Ego peccata dimitto, ego justi„fico, ego sano quemcumque baptiso." Aliquando To. 2. p. 670. D. tamen verbo indicativo in prima persona usos esse Græcos, colligi potest ex S. Greg. Naz. Orat. 40. versus finem, " Baptiso te, *inquit*, docens in nomine Patris „& Filii & Spiritus sancti.

II. Formam istam apud Græcos solemnem validam esse constat, tum quia nunquam ea de re litem illis movere Latini; nunquam ab illis ea forma baptisatos rebaptisarunt; tum quia Eugenius IV. S. Pontifex in Instructione Armenis data, postquam dixit formam Baptismi esse istam, *Ego te baptiso* &c. mox subjungit: To. 13. Conc. p. 534. C.D. „Non tamen negamus, quin & per illa verba, Baptise„tur, vel baptisatur manibus meis talis servus vel serva „Dei in nomine &c. verum perficiatur Baptisma." Rationem addit, quia principalis causa ex qua fluit virtus Baptismi, est SS. Trinitas, instrumentalis autem est Minister qui tradit exterius Sacramentum; at utraque exprimitur in forma Græcorum; ministerialis quidem non ita distincte, sed tamen, ait Arcudius, facile intelligitur. Tum denique, quoties unio cum Græcis tentata est & perfecta, nusquam ab iis postularunt Latini, ut antiquam suam baptisandi formam immutarent.

Dices 1. Alexander III. Decreto *Si quis puerum*, exigit ut actus baptisantis ministri exprimatur. At in forma Græcorum non exprimitur.

Resp. nego min. Exigit quidem S. Pontifex, explicitam fieri mentionem actionis externæ: utrum vero active, vel passive exprimatur, parum inter est. Cum minister apud Græcos ait, *Baptisatur N.* subintelligitur, *à me* baptisatur.

Dices 2. Albertus Magnus in 4. dist. 3. q. 2. ad 8. refert S. Pontificem respondisse quosdam, qui erant sub regimine Ecclesiæ Romanæ in Dalmatia, rebaptisandos esse, eo quod sub hac verborum formula essent baptisati, *Baptisatur servus Christi*.

Resp. ita quidem primo respondisse S. Pontificem, at postea re maturius ponderata negasse illos rebaptisandos esse.

Qua forma Baptismi utantur Latini. An antiqua sit & valida.

Consueta apud Latinos baptisandi forma hæc est, „Ego te baptiso in nomine Patris & Filii & Spiritus „sancti. Amen:" quæ ultima vox necessaria non est ad veritatem Sacramenti, sed tantum additur formæ jam perfectæ, ut significet Minister se firmum ac ratum habere quod fecit, & baptisato cœlestem gratiam apprecari.

De antiquitate formæ illius, ratione invocationis expressæ SS. Trinitatis, nemo dubitat; sed tantum controversia est de priori parte, qua actus baptisantis verbo indicativo activo exprimitur.

Ratio dubitandi Morino Lib. 8. de pœnit. c. 9. & 16. & aliis nonnullis est, tum quia quinque prioribus sæculis nullus formam illam verbo indicativo activo expressam refert, Tum quia ex professo S. Augustinus Sermone 99. de verbis S. Lucæ, alias Homilia 23. inter 50. damnat in Hæreticis eam administrandorum Sacramentorum formam absolutam, " Ego peccata „dimitto, Ego sanctifico; Ego sano quemcumque „baptiso." To. 5. p. 324. E. Verba S. Doctoris paulo ante laudavimus. Cum vero Hæretici objicerent datam esse hominibus à Christo potestatem dimittendi peccata, adeoque p[illegible]los jure merito dicere, " Ego dimitto „peccata, Ego absolvo, &c." reponit sanctus Doctor, „non alio sensu dici homines remittere peccata, quam „quia Spiritum sanctum acceperunt, qui remittit pecca„ta. *Ibid. observat*, Christum non dixisse Magdalenæ, „Ego dimitto tibi peccata tua; sed, Remittuntur tibi peccata tua;" quibus certe innuere videtur S. Augustinus, ætate sua incognitam fuisse formam absolutam administrandorum Sacramentorum verbo activo indicativo expressam; sola ergo deprecativa verbo optativo expressa forma obtinuit prioribus sæculis in administratione Sacramentorum.

CONCLUSIO.

Hæc apud Latinos baptisandi forma, *Ego te baptiso in nomine &c.* antiqua est & maxime conveniens.

Probatur prima pars: Quia etsi fateamur ingenue, ex quinque prioribus sæculis disertum non extare testimonium formæ illius absolutæ verba indicativo expresse, non inde tamen recte colligitur, formam illam non fuisse antiquitus observatam: quia qui omnium primi leguntur inter Veteres formam ejusmodi præscripsisse aut commemorasse, ut sæculo sexto S. Gregorius Magnus in suo Sacramentario T. 3. p. 73. Edit. postr. & postea Auctor Ordinis Romani, & antiqua Liturgia Gallicana à doctissimo Mabillonio edita & illustrata titulo 25. Venerabilis Beda L. variarum quæstionum, quæstione 14. & alii subinde bene multi; eam non tanquam recens inductam, sed ut veterem & à majoribus transmissam tradiderunt. Et vero à forma Græcorum non distat, nisi quod enuntiatur quod illos in tertia persona, *baptisatur*; apud nos vero in prima, *baptiso*: ex utraque enim parte indicativa est & absoluta, non deprecativa.

Nec obstat 1. penuria testimoniorum ante sextum sæculum: his quippe primis temporibus, propter frequentiam Hæreticorum adulterantium invocationem personarum SS. Trinitatis absolute necessariam, magis attenti erant & solliciti Veteres in demonstranda necessitate illius invocationis, quam in commemorando verbo quo utebantur ut exprimerant actum baptisantis.

Quamquam si vera sunt & genuina Acta martyrii S. Stephani S. Pontificis, quæ Baronio ad annum Christi 259. n. 20. fidelissima videntur, habemus exemplum Baptismi dati ab illo S. Pontifice sub hac forma, ibid. n. 23. " In nomine Patris & Filii & Spiritus sancti „baptiso te.

Nec obstat 2. auctoritas adducta S. Augustini: Non enim simpliciter damnat sanctus Doctor in se verba hæc, *Ego absolvo*, *Ego baptiso*; sed pravum & erroneum eorum verborum sensum quem fingebant Donatistæ quos ibi impugnat. Docebant scilicet illi, Sacramentorum vim & efficaciam pendere ex merito Ministri, non ex virtute Christi; atque sensu illo erroneo superbe jactabant se dimittere peccata, se baptisare, &c. quos impugnans merito dicebat sanctus Doctor: „Daturus erat Dominus hominibus Spiritum sanctum, To. 5. p. 525. C „& ab ipso Spiritu sancto fidelibus suis dimitti pec„cata; non meritis hominum volebat dimitti „intelligi peccata.

Probatur secunda pars, nempe formam hanc Baptismi apud nos usurpatam, maxime convenientem esse: Quia nempe recte exprimit Baptismi causam tum instru-

instrumentalem, seu ministerialem, tum principalem, tum ipsam baptisati personam. Instrumentalem quidem per ista, *Ego baptiso*; principalem per ista, *in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.* Istud vero, *in nomine*, significat præter ipsam otalem appellationem personarum Trinitatis, virtutem, auctoritatem, fidem Trinitatis, cui nomen damus, ac spondemus, obsequium cum baptisamur. Dicitur autem, *in nomine*, non, *in nominibus*; ut clarius unitas essentiæ, virtutis & operationis trium personarum divinarum significetur. Ipsa denique persona baptisati clare exprimitur per pronomen, *te*.

An hæc verba, Ego te baptiso, *quibus actus baptisantis exprimitur, necessaria sint ut Sacramentum valeat.*

Quæstionis præsentis sensus non est, an necesse sit personam Ministri in Baptismo exprimere; communis enim fere est opinio, id non esse necessarium. Ita S.Th.
T.10. p. 47. In 4. dist. 3. art. 1. ad 2. "Utrum, *inquit*, expressio „personæ ministri quæ sit secundum nos, sit de necessi„tate Baptismi, apud quosdem dubium est, probabilius „tamen dici potest quod non sit, ne cogemur totam „Græcorum Ecclesiam absque Baptismo ponere, qui „personam non exprimunt baptisantis; quod dicitur „consilio sanctorum Patrum factum, contra errorem „eorum qui in baptisantis persona spem ponebant, de „quo 1.Cor. 1." Videntur S.Th. cæterique Scholasti„ci supponere, Græcos modo vel optativo, vel deprecatorio, dicere, *Baptisetur servus Dei*; in quo loquendi modo nulla involvitur personæ baptisantis mentio, sicut in isto modo indicativo, *Baptisatur servus Dei*, in quo facile suppletur istud, nempe, per me, seu, manibus meis.

Sensus igitur quæstionis est, utrum validum olim fuerit, aut etiamnum valere possit Baptismus datus à Ministro qui inter abluendum ista tantum proferret verba, *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*; non additis, aut, *Ego te baptiso*, aut, *Baptisatur talis*, aut aliis æquivalentibus verbis quibus actio baptisantis exprimitur.

Duodecimo Ecclesiæ seculo excitata primum legitur hæc quæstio, aliis affirmantem, aliis negantem sententiam propugnantibus.

Opiniones diversæ.

Præpositivus in 4. parte Summæ Theologicæ, Petrus Cantor aliquot ante Præpositivum annis, in Summa de Sacramentis & animæ consiliis, quæ asservatur manuscripta in Bibliotheca Victorina fol. 156. parte 2.

Obiit an.1140. Hugo à S. Victore Lib. 2. par. 6. c. 13. de Sacramentis.

Obiit an.1164. Petrus Lumbardus Magister Sententiarum L. 4. dist. 3.

Obiit an.1203. Denique Stephanus Tornacensis Episcopus interrogatus à Pontio Episcopo Claromontano de subjecta quæstione Epistola 5. putant validum & ratum esse Sacramentum Baptismi cum sola expressione seu invocatione nominis *Patris, & Filii, & Spiritus sancti*, absque illis aut similibus verbis, *Ego te baptiso* vel, *Baptisatur*, talis. Sententiam hanc nonnullis momentis confirmare conatur dictus Stephanus in citata Epist. 5.

Alii negantem sequuntur partem inter quos primus & auctoritate & dignitate eminet Alexander III. edita ex professo eam in rem Constitutione quæ habetur Extra, *De Baptismo & ejus effectu*, cap. *Si quis*. Obiit autem ille an. 1181. idest ea ipsa ætate qua floruit Stephanus Tornacensis, cui proculdubio, ut & cæteris ejusdem temporis Scriptoribus, ignota fuit hæc S. Pontificis Constitutio, quæ non videtur prius juris publici facta, quam eam Raymundus in Decretales retulerit, & Raymundi compilatio à Gregorio IX. auctoritatem in Judiciis obtinuerit. Paulo ante Gregorium IX. dicta Alexandri III. definitio secundæ Decretalium compilationi sub Innocentio III. factæ inserta quidem fuerat; *Sed ab iisdem Doctoribus Scholasticis*, inquit Morinus L.8. de Pœnit. c. 16. n. 21. "partim ignorata „fuit, partim minus quam Raymundi collectio æstima„ta, eo quod Pontifex eam non confirmasset.

In eandem negantem opinionem ebat eodem sæculo duodecimo Mauritius Episcopus Parisiensis, qui de hac quæstione consultus fuerat à Pontio Claromontano Episcopo. Extat responsum Mauritii inter Epistolas Stephani Tornacensis n. 4.

Morinus Lib. 8. de Pœnit. c. 16 n. 25. mediam P.565.
quamdam inire sententiam videtur: nempe Stephani & aliorum Scholasticorum rationes probabiles judicat; adeoque ante receptam Alexandri III. Constitutionem ratum & validum fuisse Baptismum cum his solis verbis collatum, *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*, sed post receptam S. Pontificis definitionem, nullum amplius esse nisi exprimatur actio baptisantis per ista aut æquivalentia verba, *Ego te baptiso, Baptisatur talis &c.* Scilicet idem ille putat judicandum de Baptismo, ac de Matrimonio v. g. quod ante Decretum Tridentinum valuit clam contractum sine testibus & Parochi præsentia; sed post Decretum illud nullum est: potest quippe Ecclesia in administratione Sacramentorum certas præscribere leges & conditiones, quibus non observatis nullum sit & declaretur Sacramentum. Cum igitur definierit Alexander III. nullum esse Baptismum sine istis aut similibus verbis, *Ego te baptiso &c.* concludendum est, post talem definitionem verba ejusmodi absolute necessaria esse ut ratum sit & validum Sacramentum Baptismi. His ita historice præmissis, Sit

CONCLUSIO.

Verba ista, *Ego te baptiso*, aut æquivalentia quibus actio baptisantis exprimitur, absolute necessaria sunt ut valeat Baptismus.

Probatur 1. ex perpetuo & constanti usu Ecclesiæ tum Græcæ, tum Latinæ, quæ inter baptisandum usa est verbis exprimentibus actionem Ministri, sicut ex citatis antea testimoniis colligere est. Illius autem usus & praxis necessitatem deduxit Ecclesia ex mandato Christi apud Matth. c. 28. *Euntes docete omnes gentes, baptisantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*: quo loco par videtur astrui necessitas & invocandi SS. Trinitatem, & exprimendi actionem baptisantis; aut si istud posterius sustuleris, & aliud quoque tolli poterit; aut saltem nulla satis firma ex Scripturis ratio haberi poterit, qua unum præ alio necessarium absolute esse demonstretur. Non enim aperte & expresse dixit Christus, ut inter baptisandum appellaremus nomen Patris & Filii & Spiritus sancti; & istud, *in nomine*, interpretari quis posset in virtute, auctoritate, fide; attamen Constat istud esse falsum. Unde? ex ipsa Ecclesiæ, quæ fidelis est verborum Christi sponsi sui interpres, traditione ac perpetua praxi; ergo cum ex eadem praxi constet semper usurpata esse verba quibus exprimitur actio ministri, dicendum verba illa semper judicata fuisse necessaria ut ratum sit & validum Baptisma: & quidquid adversus necessitatem exprimendi actionem baptisantis dicitur à Stephano Tornacensi, illud omne retorqueri ac converti potest adversus necessitatem invocandi nomen Patris & Filii & Spiritus sancti.

Probatur 2. ex definitione Alexandri III. S. Pontifi- Decret.
cis Extra *De baptismo*. Cap. *Si quis*, cujus hæc verba p. 1381.
sunt: "Si quis puerum ter in aqua merserit in nomine

Tournely Tomi III, P. II. *De Baptis. & Confirm.*

Patris & Filii & Spiritus sancti, amen, & non dixerit, Ego te Baptiso &c. puer non est baptisatus.

Recueil des Bulles pag. 309.

Prædecessoris sui definitionem confirmavit ejusdem nominis Alexander VIII. in censura multarum propositionum facta die 7. Decembris anni 1690. inter quas hæc n. 27. damnatur : " Valuit aliquando Baptismus „sub hac forma collatus, In nomine Patris & Filii & Spiritus sancti, prætermissis istis, Ego te baptiso.

Probatur 3. ex Mauritio Episcopo Parisiensi, qui à Pontio Episcopo Claromontano (sicut & Stephanus Tornacensis) ea de re consultus, respondit per Epistolam inter Stephani Epist. n. 4. nullum esse Baptismum collatum prætermissis istis aut similibus verbis, *Ego te baptiso*. Quin ipse Pontius in cujus Diœcesi contigerat aliquem fuisse baptisatum sine istis verbis, Parisiensem & Tornacensem consulens Episcopos per Epistolam, quæ extat n. 3. inter Epistolas Stephani Tornacensis ; significat sibi nullum quoque videri ejusmodi baptismum, & *pessimam* appellat consuetudinem eorum qui qualibet premente necessitate omittunt ista verba, *Ego te baptiso*. Imo ipse Stephanus Tornacensis, quamquam oppositam sententiam multis momentis confirmare nitatur, non eam tamen ut certam omnino ac indubitatam proponit aut affirmanter definit, " Opiniones pro„fundo, *inquit* non assertiones, paratus summi & Ca„tholici viri Domini Parisiensis sequi vestigia." Parisiensis autem ille Episcopus erat Mauritius, qui, ut diximus, Baptismum ejusmodi improbavit.

Doctissimus P. Martene L. 1. de antiquis Ecclesiæ ritibus c. 2. art. 14. n. 15. & seq. varia refert antiqua Missalia Græca & Latina in quibus, si unum excipias Rituale Ecclesiæ Cameracensis ab annis circiter trecentis exaratum, exprimitur actio ministri baptisantis.

Probatur denique ratione S. Thomæ 3. p. q. 66. art. 5. ad 2. " Cum ablutio hominis in aqua, *inquit*, „propter multa fieri possit, oportet quod determinetur „in verbis formæ ad quid fiat ; quod quidem non fit „per hoc quod dicitur, In nomine Patris & Filii & Spi„ritus sancti, quia omnia in tali nomine facere debe„mus, ut habetur Coloss. 3. Unde si non exprimatur „actus Baptismi, vel per modum nostrum, vel per mo„dum Græcorum, non perficitur Sacramentum.

Ex his facile est diluere quæ Stephanus Tornacensis adducit, ut opinionem nostræ Conclusioni adversam tueatur.

Primo, ait Scripturam solummodo præcipere ut baptisemus in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti ; non ut dicamus, *Ego te baptiso* quæ verba inutilia omnino videntur, ubi manifesta est actio baptisantis. Sicut cum dixit Christus, *Euntes docete omnes gentes* ; necesse non est ut inter docendum dicamus, *Ego vos doceo*. Pariter cum Elisæus servo suo puerum suscitaturo jussit ut poneret baculum suum super faciem pueri, quis dicat necesse fuisse servo pronuntiare hæc verba, *Pono baculum Elisæi super faciem tuam ?* Item cum jubet Deus Moysen virgam suam projicere ut fieret serpens, numquid necesse fuit Moysen dicere, *Virgam projicio?* non certe. Pariter igitur præcepto Christi satisfacit qui baptisat in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti, nec dicit, *Ego te baptiso*.

Verum hujusce ratiocinii infirmitas patet ex jam dictis supra, ubi quærebamus an Christus aliquam Baptismi formam præscripserit. Etsi enim Scriptura aperte non jubeat ut inter baptisandum dicamus, *Ego te baptiso*, hunc tamen esse verborum Christi sensum traditio & praxis Ecclesiæ perpetua demonstrat. Et vero, ut observatum jam fuit, eadem Scriptura aperte non dicit ut inter baptisandum pronuntiemus nomen Patris & Filii & Spiritus sancti ; & tamen certissime constat sine expressa illa invocatione nullum esse Baptismum. Unde porro istud ? ex constanti & perpetua Ecclesiæ traditione & praxi. Exempla vero adducta non sunt ad rem nostram : tum quia non sunt in re sacramentaria, de qua hic tantum sermo est : tum quia actiones adductæ ex sese satis erant ad unum quid determinatæ ; at non ita est actio baptisantis sine istis verbis, *Ego te baptiso*, ut ait S. Th. citatus.

Secundo, Stephanus ait SS. Patres, cum de validitate Baptismi actum est aliquando, sollicitos dumtaxat fuisse de verbis istis, *In nomine Patris & Filii & Spiritus sancti*, non de aliis.

Verum discriminis istius aperta est ratio : nempe de illis tantum verbis, quæ Hæretici adulterabant, tunc institutam controversiam, non de aliis, circa quæ nullam legimus subortam quæstionem ante sæculum duodecimum.

Tertio addit Stephanus, viros laicos plebejos solitos in necessitate baptisare in his tantum verbis, *In nomine Patris & Filii & Spiritus sancti*.

Verum abusus fuit, quem Pontius Episcopus Claromontanus pessimum appellat ; &, ut dicebat alia in occasione S. Cyprianus, *Consuetudo sine veritate vetustas erroris est*. Ep. 74. p. 132.

Exemplum vero Matrimonii quod adducit Morinus L. 8. de Pœnit. c. 16. n. 21. ut confirmet Stephani sententiam, & probet ante Constitutionem Alexandri III. valuisse Baptismum prætermissis istis verbis, *Ego te Baptiso* ; post Constitutionem vero non valere, sicut valuit Matrimonium clandestine contractum ante Decretum Tridentinum, post vero Decretum illud, non amplius ratum est & validum ; exemplum, inquam, illud appositum non videtur. Istud quippe discriminis est inter Sacramenta quorum materia in aliquo morali, aut in aliquo physico consistit, ut in prioribus possit Ecclesia certas quasdam leges ac conditiones præscribere, quibus omissis inhabilis declaratur aut minister ad conferendum, aut suscipiens ad percipiendum Sacramentum : sic inhabiles ad contrahendum Matrimonium declaravit Concilium Tridentinum, eos qui non contraherent coram proprio Parocho & testibus ; & inhabilis declaratur Sacerdos, quamquam valide & legitime ordinatus, ad absolvendum à peccatis, nisi jurisdictionem habeat & Episcopi ordinarii approbationem. Quid ita ? quia nempe materia illorum Sacramentorum consistit in aliquo morali ; cum autem rei moralis bonitas non semper absoluta sit in se, sed relativa ad varias temporum, locorum & personarum circumstantias, à quibus plerumque dependet, (quod enim uno tempore & in his circumstantiis optimum est, mutatis illis circumstantiis, aut malum, aut certe non ita opportunum & consentaneum esse potest) inde necesse fuit Christum Ecclesiæ suæ prudentiæ ac sapientiæ subjecisse moralem illorum Sacramentorum materiam, in quibus administrandis potest, prout ad commune Fidelium bonum, & Sacramentorum dignitatem expedire judicaverit, certas apponere leges & conditiones, non quidem ut mutetur illorum Sacramentorum materia, id enim juris non habet Ecclesia, sed ut inhabiles declarentur vel ministri ad conficienda, vel suscipientes ad percipienda Sacramenta. At non ita est in iis Sacramentis quorum materia in aliquo physico, vel forma in certis verbis posita est, qualis est v. g. Baptismus sic enim rata, fixa, & à Christo determinata est, tum materia tum forma ipsius, ut semper ratum sit Sacramentum, si illa observetur sicut oportet ; nec potest Ecclesia aut addere, aut detrahere quidquam ex iis quæ Christus instituit tanquam absolute necessaria ad substantiam Sacramenti. Si igitur aliquando valuisset Baptismus sine istis verbis, *Ego te baptiso*, adhuc valeret non obstante declaratione Alexandri III. At nulquam valuisse contendimus, quod sua Constitutione non primum declaravit S. Pontifex, sed tantum confirmavit antiquam Ecclesiæ doctrinam.

Dixi in Conclusione, ista verba, *Ego te baptiso*, vel æquivalentia, esse necessaria ; ubi,

Obser-

Observabis 1. pronomen, *Ego*, absolute non esse necessarium, quia satis exprimitur persona baptisans per verbum, *baptiso*.

Observabis 2, quod si verbo, *baptiso*, quis substitueret vel, *tingo*, vel, *lavo*, vel, *mergo*, aut, *abluo*, valide baptisaret, quia unus & idem est illorum verborum sensus. Unde deserendus Innocentius IV. scribens in caput 1. *de Baptismo*, ubi putat nullum fore Baptismum, si quis diceret, *Ego Petrus*, vel, *Ego sacerdos te tingo*, aut, *abluo*, aut, *balneo*.

An distincta trium personarum divinarum invocatio sit absolutè necessaria; & num valuerit olim Baptismus datus in solo Christi nomine.

Socinus disputatione de Baptismo c. 2, negans istis Christi apud S. Matth, verbis, *Ite docete omnes gentes, baptisantes eos &c.* contineri & præceptum & formam baptisandi, consequenter docet Apostolos reipsa baptisasse in solo Christi nomine.

Inter Scholæ Magistros non una est opinio.

Sunt qui existimant, non tantum Apostolorum ætate valuisse, sed etiam subsequente. & etiam nunc valere Baptismum in solo Christi nomine collatum. Ita innuere videtur Beda Commentario in cap. 10. Actorum, Hugo à S. Victore L. de Sacramentis par. 6. c. 2. Magister Sententiarum L. 4. dist. 3. litt. E. Cajetanus in Commentariis, ex quibus tamen, editione altera Romana, jussu S. Pii V. sententia hæc expuncta fuit. At eadem in Hadriani VI. Operibus in 4. q. 2. de Baptismo, adhuc legitur; quæ quidem Opera ab illo antea, cum adhuc privatus esset, exarata sunt, typis deinde Romæ edita cum Pontificatum gereret, ipso præsente ac spectante an. 1522. His accedere videtur Vossius disp. de Baptismo Thesi 5. ubi contendit idem omnino esse baptisare *in nomine Christi*, ac *in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*; licet judicet satius esse & consultius, si tres personæ distinctè appellentur.

Sunt qui docent, Apostolos quidem ex legitima causa dispensationis, nempe ad majorem nominis Christi commendationem & celebritatem apud primos Christianos promovendam, baptisasse in solo ejus nomine, seu in sola invocatione, sed sublata deinde hac dispensationis causa, non amplius ratum esse Baptisma nisi sub invocatione distincta trium divinarum personarum. Ita S. Th. hic art. 6. ad 1. S. Bonaventura in 4. dist. 3. 1. parte distinctionis art. 2. q. 2. ad 3.

P. 36. A. Maldonatus de Sacramentis Tom. 1. q. 3. judicat non esse improbabilem sententiam eorum qui putant, ratum esse & validum Baptisma collatum in nomine collectivo SS. Trinitatis, quamvis ibidem fateatur contrariam opinionem communiorem esse, & consuetudine magis probatam.

Sunt denique qui existimant, [& quidem nostro judicio verius] nusquam in solo Christi nomine collatum valuisse Baptismum, sed distinctam Patris, & Filii, & Spiritus sancti appellationem semper necessariam fuisse. Cum illis sit

CONCLUSIO.

Distincta Patris, & Filii, & Spiritus sancti invocatio absolute necessaria est; nec unquam valuit, aut valere potest Baptismus in solo nomine Christi collatus.

Duæ sunt partes. Prima pars demonstrata manet, ex testimoniis tum Scripturæ tum SS. Patrum quæ adduximus supra, ubi quærebamus an Christus aliquam Baptismi formam præscripserit. Consule.

Et vero perpetua & constans Ecclesiæ universæ traditio & praxis invicte dogma istud Catholicum demonstrat; nulla quippe alia regula usa est Ecclesia in admittendo, vel rejiciendo Hæreticorum Baptismo, quam expendendo, an inter baptisandum forma consueta & à Christo præscripta, invocatio nempe trium divinarum personarum, observata fuisset aut violata; ita ut jussi sint rebaptisari qui in alia forma fuerant baptisati. Sic Concilium Nicænum I. rebaptisari jussit Paulianistas, Concilium Laodicenum, Montanistas; Conc. II. Arelatense Can. 16. & 17. Photinianos; Conc. Constantinopol. I. quod est generale II. Eunomianos, Montanistas, Sabellianos, de quibus omnibus diximus antea initio hujus Quæstionis. Unde Conc. Arelatense I. an. 314. Can. 8. sic decernit: "Placuit, ut si ad Tom. I. Conc. p. 1428. A.
„Ecclesiam aliquis de hæresi venerit, interrogent eum
„Symbolum; & si perviderint eum in Patre, & Filio,
„& Spiritu sancto esse baptisatum, manus ei tantum
„imponatur, ut accipiat Spiritum sanctum. Quod si
„interrogatus non responderit hanc Trinitatem, baptisetur." Quo in Canone istud obiter observabis, collectivum nomen Trinitatis exponi per distinctam enumerationem Patris, & Filii, & Spiritus sancti; quod etiam diserte docet S. Ambrosius Lib. de Mysteriis c. 4. Postquam enim dixit, "Tu baptisatus es in nomine „Trinitatis;" statim explicat nomen collectivum, To. 2. p. 330. B.
facta expressa enumeratione personarum; "Confessus es C.
„Patrem, *inquit*, recordare quid feceris; confessus es
„Filium, confessus es Spiritum sanctum." Non sufficeret igitur ad veritatem Baptismi, si quis diceret, "Ego
„te baptiso in nomine Trinitatis.

Probatur etiam ratione quam adducit Tertullianus L. de Baptismo c. 6. Cum enim Baptismus sit fidei Sacramentum, quo fidem nostram in tres personas SS. Trinitatis salutis nostræ auctores ac sponsores testamur & obligamus, necesse fuit tres illas divinas personas distincte & expresse appellari seu invocari. Sic loquitur:
„Angelus Baptismi arbiter superventuro Spiritui san- P. 226. D.
„cto vias dirigit, ablutione delictorum, quam fides im-
„petrat obsignata in Patre & Filio & Spiritu sancto.
„Nam si in tribus testibus stabit omne verbum, quanto
„magis, dum habemus per benedictionem eosdem ar-
„bitros fidei, quos & sponsores salutis, sufficit ad fidu-
„ciam spei nostræ etiam numerus nominum divino-
„rum; Cum autem sub tribus & testatio fidei, & spon-
„sio salutis pignorentur, necessario adjicitur Ecclesiæ
„mentio; quoniam ubi tres, id est, Pater, & Filius, &
„Spiritus sanctus, ibi Ecclesia quæ trium corpus est.
Alludit Tertullianus eo loci ad publicam professionem fidei in Patrem & Filium & Spiritum sanctum, quam à baptisandis exigebat Ecclesia.

Secunda pars, nempe nunquam valide collatum fuisse Baptisma in solo Christi nomine.

Probatur auctoritate SS. Patrum, qui exponentes ea ipsa Scripturæ loca in quibus aliqui baptisati dicuntur in nomine Christi, docent reipsa eos fuisse baptisatos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Ita imprimis.

S. Cyprianus Epist. 73. ad Jubaian. "Jesus Christi P. 126.
„mentionem facit Petrus, *inquit*, non quasi Pater omit- Act 2.
„teretur, sed ut Patri quoque Filius adjungeretur. 2. 38.

Auctor anonymus sed antiquus, Cypriano coætaneus, in Tractatu cui titulus est, "Non debere denuo bap-
„tisari, qui semel in nomine Domini nostri Jesu Christi
„sint tincti," probat quod etsi à baptisandis invocaretur Christi nomen, non tamen in sola nominis ipsius invocatione, sed in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti baptisati censendi sint. "Neque æstimes, *inquit*, huic
„tractatui contrarium esse, quod dixit Dominus; Ite,
„docete omnes Gentes in nomine Patris, & Filii, &
„Spiritus sancti; quia cum hoc verum & omnibus
„modis in Ecclesia observandum sit, & observari
„quoque solitum, tamen considerare oportet quod
„invocatio nominis Jesu non debet à nobis futilis

Tournelii Tom. III. P. II. *de Baptis. & Confirm.*

„videri, propter venerationem & virtutem ipsius „nominis.

Ed. vet. To. 2. p. 169 S. Basilius Lib. de Spiritu sancto c. 12. cui titulus, *Adversus eos qui dicunt sufficere Baptisma tantum in nomine Domini*, ex professo Conclusionem nostram demonstrat, & in speciem contraria nonnulla Scripturæ testimonia conciliat. "Neminem, *inquit*, in fraudem „inducat illud Apostoli, quod nomen Patris & Spiritus „sancti mentionem in Baptismatis commemoratione „frequenter omittit; neque ideo putet usum harum „vocum esse indifferentem.... Si quidem Christi appel„latio totius Deitatis est professio; quippe quæ simul „declarat & Deum qui unxit, & Filium qui unctus est, *Ibid. D.* „& Spiritum sanctum qui est unctio. *Et postea*; Vide„tur interdum & Spiritus tantum in Baptismate fecisse „mentionem Apostolus. Omnes enim, inquit primæ „Cor. 12. in uno corpore & in uno Spiritu baptisati „sumus, &c. At non ideo quis dixerit perfectum esse „Baptisma in quo solum Spiritus nomen invocatum „est. Oportet enim inviolabilem manere traditionem „&c." sicut supra retulimus, cum quærebamus an Christus aliquam Baptismi formam præscripsesit.

Mirum certe est, potuisse Vossium Disput. 2. de Baptismo Thesi 5. hunc S. Doctoris textum laudare, ut ostendat Baptismum in solo Christi nomine collatum validum visum esse antiquis Ecclesiæ Patribus, cum data opera omnino oppositum demonstrandum sibi proposuerit S. Basilius.

Apud Hier. T. 4. p. 1. p. 503. Didymus L. 2. de Spiritu sancto, non longe ab initio, „Non arbitror, *inquit*, quemquam tam vecordem at„que insanum futurum, ut perfectum Baptisma putet „quod datur in nomine Patris & Filii, sine assumptione „Spiritus sancti; aut rursus in nomine Patris & Spiritus „sancti, Filii vocabulo prætermisso; aut certe nomine „Filii & Spiritus sancti, non præposito vocabulo Patris. „Licet enim quis possit existere saxei [ut ita dicam] „cordis, & penitus mentis alienæ, qui ita baptisare cone„tur, ut unum de præceptis nominibus prætermittat, „videlicet contrarius legislator Christi; tamen sine „perfectione baptisabit, imo penitus à peccatis liberare „non poterit, quos à se baptisatos existimaverit.

Edit. Paris. 1619 p. To. 2. p. 355. A. Origines in caput. 6. Epistolæ ad Romanos: "Cur, „*inquit*, hic Apostolus Christi nomen assumpsit dicens; „Quicumque in Christo baptisati sumus; cum utique „non habeatur legitimum Baptisma, nisi sub nomine „Trinitatis? *Deinde respondetur*; Quoniam hoc loco „non tam Baptismatis rationem, quam mortis Christi „discutere cupiebat.

Edit. Paris. 1631. p. 545. D. Theophilactus in caput ultimum S. Lucæ. "Quo„modo, *inquit*, Baptisma in nomine solius Christi fieri „intelligemus, præsertim cum alias doceamur baptisari „in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti? Primum „dicimus, quod quando dicimus Baptisme fieri in no„mine Christi, non dicimus quod oporteat in solius „Christi nomine fieri.

S. Augustinus L. 2. contra Maximum Arianum c. 17. solvens objectionem illius adversus divinitatem Spiritus sancti ex eo ductam, quod Scriptura rerum creationem Spiritui sancto non adscribat, respondet ex illo Scripturæ silentio male inferri reipsa Spiritum sanctum Creatorem non esse; sicut ex eo quod Scriptura aliquando asserat baptisatos nonnullos fuisse in nomine Christi, non propterea inferre licet eos baptisatos fuisse in solo nomine Christi, non appellato nomine Patris & Filii & Spiritus sancti. Audiatur S. Doctor. *To. 8. p. 715. A.* „Si autem quia non est nominatus, (*Spiritus sanctus*) „quod etiam per illum facta sit creatura, quando de „Filio dictum est, Omnia per ipsum facta sunt; ideo „putas Dei Spiritum non esse Creatorem: procul du„bio, nec in ejus nomine poteris baptisatos dicere qui„bus, ait Petrus: Agite pœnitentiam, & baptisetur „unusquisque vestrum in nomine Domini Jesu „Christi; quia non ait, & Spiritus sancti; nec in Patris „nomine; quia nec ipse ibi est nominatus. Si autem „etiam non nominatis Patre & Spiritu sancto, in no„mine Jesu Christi jussi sunt baptisari; & tamen intel„liguntur non baptisati, nisi in nomine Patris, & Filii, „& Spiritus sancti; cur non sic audis de Filio Dei, „Omnia per ipsum facta sunt; ut & non nominatum „intelligas ibi etiam Spiritum sanctum;" Quo loco S. Doctor regulam præscribit solvendis præsentis controversiæ difficultatibus maxime opportunam; scilicet, quando Scriptura alicujus tantum personæ divinæ mentionem facit, alias non censeri exclusas; imo omnes præsupponi, cum trium divinarum personarum una sit operatio, sicut una est essentia.

Venerabilis Beda Lib. variarum quæstionum qu. 14. „Si quis, *inquit*, baptisans dicat, Baptiso te in Christo „Jesu; & non dicat, In nomine Patris, & Filii, & Spi„ritus sancti, sicut Dominus instituit, non est verus „Baptismus; & ideo videndum est ne quis erret in ver„bis Apostoli, quibus dicit, Nunc baptiso in Christo „Jesu; aliter intelligens quam dictum sit." *To. 8. p. 407. n. 60.* Quo loco videtur Beda correxisse quod scripserat Commentario in c. 10. Actorum, ubi ex S. Ambrosio exponit quomodo S. Lucas asserat multos in nomine Christi fuisse baptisatos: quanquam cum ibi S. Ambrosii verba tantum referat, eodem sensu exponi posset quo ipsum S. Ambrosium mox exponemus.

Denique S. Joannes Damascenus *L.* 4 orthodoxæ fidei c. 10. exponit quid sit baptisari in Christi nomine; & docet idem esse, ac baptisari in fidem Christi, non vero in appellatione solius nominis Christi. *To. 1. p. 260. A* „In Christum baptisatum esse, *inquit*, nihil aliud indicat „quam in illum credendo salutifera aqua tingi. Fieri „autem non potest, ut in Christum credamus, nisi Pa„tris, & Filii, & Spiritus sancti confessione imbuti si„mus.... *Ibid. B.* Enim vero quænam verborum forma adhi„benda esset, Dominus Discipulis suis exposuit, Bapti„santes eos, inquiens, in nomine Patris, & Filii, & Spi„ritus sancti.

Solvuntur Objectiones.

Objicies 1. Constat ex Actibus Apostolorum, multos in nomine Christi baptisatos fuisse. Cap. 2. v. 38. S. Petrus ait: " Pœnitentiam agite, & baptisetur unus„quisque vestrum in nomine Jesu Christi in remissio„nem peccatorum.

Cap. 8. v. 12. " Cum vero credidissent Philippo „evangelisanti de Regno Dei, in nomine Jesu Christi „baptisabantur viri & mulieres.

Cap. 10. v. 48." Jussit eos (*S. Petrus*) baptisari in „nomine Domini Jesu Christi.

Cap. 19. v. 5. de quibusdam discipulis quos S. Paulus invenit Ephesi, dicitur: " His auditis, baptisati „sunt in nomine Jesu.

Resp. ex citatis modo SS. Patrum testimoniis patere ad propositam difficultatem responsionem, quæ triplex afferri potest.

Prima est, nomen Christi in Baptismo appellatum fuisse, non prætermisso nomine Patris & Filii & Spiritus sancti: una enim persona nominata, ceteræ non censentur excludi, imo potius supponuntur pariter appellatæ. Ita exponunt S. Cyprianus, Anonymus, S. Basilius, S. Augustinus, Beda. Atque, ut ait Eulogius apud Photium in Bibliotheca Codice 280 " Quod di„ctum est in Actis de iis qui Baptismum Joannis acce„pissent, His auditis, baptisati sunt in nomine Domini „Jesu; hoc est, quia baptisati sunt juxta traditionem, „doctrinamque Domini Jesu. Quare & alibi cum di„cit: In Christo vel in morte Christi baptisati sunt, „eumdem sensum debemus intelligere significari; hoc „est, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti baptisati „sunt. Sic enim docuit & tradidit Jesus Christus *Edit. Rob. 1653. p. 1603. n. 10.*

„Domi-

"Dominus noster, ut Baptisma fieret." Verisimile quippe non est, Apostolos tam religiosos & accuratos mandatorum Christi observatores, tam solemne præceptum baptisandi in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti datum à Christo Matt. 28. neglexisse, imo legimus ab ipsis rebaptisatos Ephesios, quod declarassent se nihil audivisse de Spiritu sancto. *In quo ergo*, inquiunt Act. 19. v. 3. *baptisati estis?* Qua quæstione supponunt solitum fuisse exprimi in Baptismo nomen Spiritus sancti, sicut Patris & Filii, Baptismus ergo in nomine Christi, idem est ac secundum præceptum Christi datus.

Secunda est, baptisari in nomine Christi idem esse ac baptisari in fide Christi, seu post emissam publicam professionem fidei in Christum. Ita S. Joannes Damascenus citatus: nullus quippe baptisabatur, nisi priùs contestatus fuisset se credere in Christum. Hunc sensum non obscurè insinuat Scriptura. Act. 22. v. 16. Ananias sic Paulum compellat: *Quid moraris? Exurge & baptisare, & ablue peccata tua invocato nomine ipsius.* Et cap. 8. v. 36. ubi narratur quomodo baptisatus sit Eunuchus Reginæ Candacis à Philippo, *Venerunt*, ait S. Lucas, *ad quandam aquam; & ait Eunuchus: Ecce aqua, quid prohibet me baptisari? Dixit autem Philippus: Si credis ex toto corde, licet. Et respondens ait: Credo Filium Dei esse Jesum Christum. Et jussit stare currum, & descenderunt uterque in aquam Philippus & Eunuchus, & baptisavit eum.* Ubi observabis non addi, *Baptisavit eum in nomine Christi*, sicut aliis in locis. Quid ita: quia Eunuchus ille jam suam in Christum fidem professus fuerat. Illud ergo, *in nomine Christi*, intelligi debet, non ex parte ministri baptisantis, quasi inter baptisandum solum Christi nomen aliquando expressum & appellatum fuerit, sed ex parte subjecti recipientis Baptismum, à quo exigebatur prius fidei in Christum professio.

Tertio responsio est, baptisari in nomine Christi nihil esse aliud quàm baptisari Baptismo Christi, in ejus virtute & auctoritate: ut nempe Baptismus Christi distinguatur à Baptismo Joannis quo tincti duntaxat fuerant ii de quibus dicitur Act. 19. v. 5. *Baptisati sunt in nomine Jesu*; id est, Baptismo Christi. Istud, *in nomine*, sæpius usurpari ab Auctoribus sacris pro virtute seu auctoritate, manifestum est ex S. Petro Act. 3. v. 6. ubi sanans claudum ait: *In nomine Jesu Christi Nazareni surge & ambula.* Et cap. 4. v. 7. Sacerdotes & Scribæ sic interrogant Petrum & Joannem: *In qua virtute aut in quo nomine fecistis hoc vos?* Responsionem confirmat Theophilactus in cap. 24 S. Lu-
P.145. cæ. "Quando dicimus, *inquit*, Baptisma fieri in no-
"mine Christi, non dicimus quod oporteat in solius "Christi nomine fieri, sed quod Christi Baptisma .... "spirituale sit, non judaicum; neque quale Joannis in "pœnitentiam solùm, sed & communionem Spiritus "sancti & remissionem peccatorum conferat.

Instabis: Tam istud, *in nomine Christi*, in Actibus Apostolorum significat in invocatione, quàm apud S. Matth. c. 28. *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*, significet in invocatione seu appellatione Patris, & Filii & Spiritus sancti, non vero tantum in virtute & auctoritate: atqui hoc postremum verum est; ergo &c.

Resp. 1. nego maj. In his enim rebus quæ facti sunt & pendent à virtute Christi, Ecclesiæ ac Traditionis judicium audiri debet: at ex perpetua Ecclesiæ praxi ac Traditionis constantis judicio constat istud, *in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*, apud S. Matth. idem esse ac in invocatione seu appellatione, quia inter baptisandum semper invocatum est nomen Patris & Filii & Spiritus sancti. At non ita est de nomine Christi saltem solo, per exclusionem aliarum personarum, nusquam enim ex Traditione Ecclesiæ demonstrabitur valuisse Baptismum sub invocatione solius nominis Christi collatum.

Resp. 2. istud, *in nomine Christi*, in Actibus Apostolorum, significare posse invocationem Christi, non quidem per exclusionem, sed per adjunctionem aliarum personarum, ut antea diximus.

Objicies 2. auctoritatem duorum SS. Pontificum Stephani & Nicolai I. quorum primus sedere cœpit an. 255. alter an. 858. uterque vero credidit ratum esse & validum Baptisma datum in solo Christi nomine.

De Stephano testis est Sanctus Cyprianus Epist. 73. ad Jubajan. ubi de illo conqueritur, quod nequidem à Marcione baptisatos iterum baptisari velit, eo prætextu, quod in nomine Jesu Christi baptisati videantur. "Quomodo ergo, *inquit*, quidam dicunt foris P.126.
"extra Ecclesiam, imo & contra Ecclesiam, modo in "nomine Jesu Christi, ubicunque & quomodocunque "Gentilem baptisatum remissionem peccatorum con"sequi posse, quando ipse Christus Gentes baptisari ju"beat in plena & adunata Trinitate? Opponit ibi S. Doctor Baptismum in nomine Christi, Baptismo in plena & adunata Trinitate; seu qui, juxta Christi Mandatum, conferri debet in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti; atque Stephano ejusque sequacibus objicit, quod contra istud mandatum, ratum haberent Baptismum in nomine Christi collatum.

Idem refertur in Actis passionis hujus S. Martyris & Pontificis, qui, teste Baronio ad an. 259. n. 20. accurata sunt & fide dignissima. Narratur enim ibid. n. 28. Tom 2.
facto frequenti conventu in crypta Nepotiana, Ste- p.630.
phanum in nomine Domini nostri Jesu Christi baptisasse, & signo sacri Mysterii consecrasse numero centum & octo, tam viros quam mulieres.

De Nicolao I. constat ex ejus Responso ad consulta Bulgarorum cap 104. ubi sic loquitur: *A quodam Ju-*
dæo, nescitis utrum Christiano, an Pagano, multos in Tom. 8. Conc. p.
patria vestra baptisatos asseritis, & quid de his sit 548. B.
agendum consulitis. Hi profecto si in nomine SS. Tri- C.
nitatis, vel tantum in nomine Christi, sicut in Actibus Apostolorum legimus, baptisati sunt, [unum quippe idemque est, ut S. exponit Ambrosius] constat eos non esse denuò baptisandos; sed primùm utrum Christianus an Paganus ipse Judæus existerit, vel si postmodum factus fuerit Christianus, investigandum est. Quamvis non prætereundum esse credamus, quid beatus de Baptismo dicat Augustinus: Jam satis, inquit, ostendimus ad Baptismum qui verbis Evangelicis consecratur, non pertinere cujusquam vel dantis vel accipientis errorem, sive de Patre, sive de Filio, sive de Spiritu sancto aliter sentiat quam doctrina cœlestis insinuat.

Resp. ad auctoritatem Stephani, 1. incertum planè esse an. S. Cyprianus de Stephano loquatur; ait enim taotum, *Quidam dicunt*; qui verò illi sint, non explicat. Nec plane liquet an quod ibi asserit S. Doctor, legerit in ipsa gennina Stephani Epistola: hanc quippe se à Jubajano accepisse narrat; at verisimile non videtur, Stephanum scripsisse Jubajano in remotioribus Africæ partibus Episcopo, & non sancto Cypriano Carthaginensi Episcopo, præsertim cum ad ipsum recta misisset Decretum de non rebaptisandis Hæreticis, sicut colligitur ex ipsa S. Cypriani ad Pompejum Epistola num. 74.

2. Esto de Stephano loquatur S. Cyprianus, pace ipsius dictum sit, eum Stephani mentem & sensum satis assecutum non fuisse, cum existimavit Baptismum in nomine Christi datum, Stephano idem esse, ac in solo nominis Christi invocatione. Non ita est: per Baptismum enim in nomine Christi, intelligebat Stephanus Baptismum virtute & auctoritate Christi institutum & datum; & quidem apposite ad statum controversiæ quam cum Cypriano habebat, ut nempe osten-

ostenderet parum referre à quo Baptismus conferatur, modo sit baptismus Christi, id est virtute & auctoritate Christi institutus, cujus proinde vis & efficacia non pendet, ut putabat S. Cyprianus cum suis, à fide ministri, sed ex virtute Christi, qui tam bona per Hæreticos ac per Orthodoxos, per malos ac bonos Sacramenta sua dispensat.

Hanc autem fuisse veram & genuinam mentem S. Pontificis Stephani patet, tum ex ipso statu controversiæ inter ipsum & S. Cyprianum excitatæ; non enim de forma Baptismi, sed de fide ministri agebatur inter illos: tum quia Stephanus in nulla re à Traditione discessit, qui solemne illud emiserat Decretum, *Nihil innovetur, nisi quod traditum est*: at tota docet Traditio, Baptismum conferri debere sub invocatione expressa trium personarum SS. Trinitatis. Tum quia in illis ipsis Actibus passionis S. Stephani quos commemorat Baronius ad an. Christi 259. num. 23. refertur Nemesium Tribunum militum à Stephano baptisatum fuisse
To. 2. p. 530. sub hac forma, *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti baptiso te.* Quando igitur in iisdem Actibus refertur eum baptisasse in nomine Jesu Christi, per illud, *in nomine*, intelligi debet in virtute seu auctoritate Christi, seu Baptismo Christi. Tum denique quia Firmilianus Cypriano & Stephano coætaneus, testatur Stephanum reipsa baptisasse in plena & adunata Trinitate. Sic inquitur in Epistola ad Cyprianum inter Cy-
P. 146. prianicas n. 76. *Illud quoque absurdum, quod non putant quærendum esse quis sit ille qui baptisaverit, eo quod qui baptisatus sit, gratiam consequi potuerit invocata Trinitate nominum Patris, & Filii, & Spiritus sancti.* Idem quoque post narratam dæmoniacæ cujusdam fœminæ historiam subdit: *Quid igitur*, ait,
P. 147. *de hujusce Baptismo dicemus ..... maximè cui nec symbolum defuit Trinitatis?* Igitur, teste Firmiliano (quamquam in Stephanum parum propenso) Stephanus baptisabat sub invocatione trinitatis nominum Patris, & Filii, & Spiritus sancti.

Ad auctoritatem Nicolai I.

Sunt qui in ejus Responso duplicem distinguunt partem: priorem in qua agit duntaxat de fide baptisandi, non de forma ex parte ministri baptizantis; ac ejus mentem esse ajunt, parum scilicet referre an qui baptisandus est testetur se credere in Trinitatem, aut in Christum, cum unum & idem sit: istud ergo, *baptisari in nomine Christi*, in mente S. Pontificis, attenditur ex parte subjecti seu suscipientis Baptismum, à quo postulabatur fides in Christum; non ex parte ministri, quasi verba illa tantum sufficere voluerit pro forma Baptismi. Responsionem probant, quia S. Pontifex adducit auctoritatem tum Actuum Apostolorum, tum S. Ambrosii: at in illis locis non agitur de forma Baptismi, sed de fide baptisandi. Posteriorem vero Responsi partem ajunt spectare ministrum Baptismi, in quo exigit, ut verbis Evangelicis utatur pro forma: nihilominus jubet examinari, quis sit ille minister, an Judæus, an Paganus, an Christianus; non quod dubitet S. Pontifex ratum esse Baptisma à quocumque verbis Evangelicis collatum, sed quod periculum sit, ne Paganus aut Judæus formam corrumpat inter baptisandum.

Verum responsio ista, ut nihil dissimulemus, gratis ficta videtur, nullumque habet in citato Nicolai Responso fundamentum; in quo non duplex est, sed unum Responsi argumentum, nempe conditio baptisantis, non vero fides baptisati. Namque tale Responsum est, qualis interrogatio; at non interrogatus fuit S. Pontifex de fide suscipientis Baptismum, sed de ministro, an si Paganus sit, vel Judæus, legitimè baptiset: quando igitur respondet S. Pontifex, legitima illum baptisare, si in nomine Trinitatis vel in nomine Christi baptiset, manifestum est illud ex parte ministri debere intelligi, non ex parte subjecti recipientis Baptismum; atque ejus mentem esse, Baptismum perinde ratum esse, si vel in nomine Trinitatis, vel in nomine Christi conferatur; sub disjunctione enim utrumque proponit.

Nec obstat, quod in confirmationem sui Responsi adducat auctoritatem Actuum Apostolorum & S. Ambrosii, quia nempe in ea persuasione fuit Nicolaus in locis sermonem esse de Baptismo revera dato in solo Christi nomine. Adde quod S. Pontifex loquatur de eo quo posito non sunt rebaptisandi illi Bulgari, quo vero sublato forent rebaptisandi: at istud nullatenus intellexit de fide aut ex parte baptisantis, aut ex parte baptisati; siquidem ex professo citat Augustinum dicentem, *non pertinere ad Baptismum verbis Evangelicis consecratum cujusquam vel dantis vel accipientis errorem*; ergo illud intelligere duntaxat potuit de forma per ministrum pronuntiata, qui si deprehendatur baptisasse in nomine Trinitatis aut in nomine Christi Baptismus ratus est nec iterandus, secus vero nullus & iterandus.

Alii igitur respondent, S. Pontificem ex privata sua sententia extra quæsita respondisse, valere Baptismum in nomine Christi collatum: de hoc enim interrogatus non fuerat, & istud obiter inseruit suo Responso, adeoque, salva quæ ipsi debetur reverentia, deseri potest.

Objicies 3. auctoritatem aliquorum SS. Patrum, Cypriani, Hilarii, Basilii, Ambrosii & Bernardi, qui omnes testantur Apostolos in solo Christi nomine validè baptisasse.

S. Cyprianus Epist. 73. ad Jubajanum, docet *Apostolos baptisasse Judæos in nomine Jesu, Gentiles autem in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.* P. 216.

S. Hilarius L. de Synodis contra Arianos in postrema editione n. 85. *Ne postremo Apostoli*, inquit, *temperantur in crimine, qui baptisare in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti jussi, tantum in nomine Jesu baptisarunt.* Edit. nov. p. 1199. D. To. 2. p. 299. C.

S. Basilius Lib. 5. adversus Eunomianum cap. 3. *Gentes*, inquit, *quæ crediderunt ac edoctæ fuerint, jubet baptisari in Trinitatis nomine. Petrus verò ad Judæos qui de Christo occidendo conjurarant, ac pœnitentia ducebantur, Pœniteat, inquit, unumquemque vestrum, fratres, vestra malitia ac via prava; atque baptisetur in nomine Domini Jesu, & salvabitur: tanquam possit eadem efficere Filius in lavacri regeneratione, quæ Pater & Spiritus sanctus efficiunt.* Et Ibid. D. paulo post: *Proinde si Spiritus sanctus in Apostolis eadem operari potest, quæ Patris ac Filii nomen in iis qui ex Gentibus crediderant, & Domini Jesu nomen in iis quos pœnituerat Judæis, [nemo enim dixerit Apostolos minus accepisse gratiæ per lavacrum, quàm qui erant ex Gentibus, propterea quod ipsi in Spiritu sancto gratiam habuerunt] quomodo non est ejusdem cum Patre & Filio substantiæ Spiritus, qui est quoque ejusdem operationis?*

S. Ambrosius Lib. 1. de Spiritu sancto cap. 3. refel- Obiit an. 397. lens objectionem eorum qui ex istis Apostoli verbis Tom. 2. primæ Corinth. 8. v. 8. *Ex Patre sunt omnia, & per* 607. *Filium omnia*, inferebant Spiritum sanctum non esse Deum, quia eo loci prætermittitur; ostendit istud silentium divinitati Spiritus sancti non obesse, duplici præsertim argumento.

I. Quia in multis Scripturæ locis commendatur Spiritus sancti virtus & potestas, in quibus Patris aut Filii nomen siletur, nec tamen inde quis merito inferret Patrem & Filium Deum non esse.

II. Quia ubi in Scripturis aliqua divina operatio vel Patris, vel Filii, vel Spiritus sancti designatur, etsi una tantum appelletur persona, ad omnes tamen operatio illa referri debet, quia trium personarum una est & omnino par virtus & auctoritas. Hanc autem suam responsionem confirmat sanctus Doctor duplici exemplo; nempe Eunuchi Candacis Reginæ, qui baptisatus tantum in Christo plenum consecutus est myste-

rium;

rium; & eorum qui Act. 19. leguntur baptisati tantum in nomine Jesu Christi, nec tamen in his iteratum est Baptisma, sed novatum. Audiatur sanctus Doctor. *Ibid. p. 608. A.* "Denique Æthiops Eunuchus Candacis Reginæ baptisatus in Christo, plenum mysterium consecutus est. Et "illi qui negaverunt se scire Spiritum sanctum, quamvis "baptisatos se dicerent in Joannis Baptismo, baptisati "sunt postea ..., Baptisati sunt itaque in nomine JEsu "Christi; nec iteratum est Baptisma, sed novatum, unum "enim Baptisma. Ubi autem non est plenum Baptismatis Sacramentum, nec principium vel species aliqua "Baptismatis æstimatur. Plenum autem est, si Patrem & "Filium & Spiritum sanctum fatearis. Si unum neges, "totum subrues. Et quemadmodum si unum in sermone comprehendas, aut Patrem, aut Filium, aut Spiritum sanctum; fide autem nec Patrem, nec Filium, nec "Spiritum sanctum abneges, plenum est fidei Sacramentum: ita etiam quamvis & Patrem & Filium & "Spiritum dicas, & aut Patris, aut Filii, aut Spiritus sancti minuas potestatem, vacuum est omne mysterium. "Denique & illi ipsi qui dixerant: Nec si Spiritus sanctus sit audivimus, baptisati sunt postea in nomine *Ibid. p. 609. A.* "Domini Jesu Christi ...... Nec contrarium debet videri, quia quamvis etiam postea tacitum sit de Spiritu, "tamen creditum est; & quod verbo tacitum fuerat, "expressum est fide. Cum enim dicitur: In nomine Domini Jesu Christi, per unitatem nominis impletum mysterium est, nec à Christi Baptismate Spiritus separatur, "quia Joannes in pœnitentiam baptisavit, Christus in "Spiritu. Nunc autem consideremus utrum quemadmodum in Christi nomine plenum esse mysterium legimus Baptismatis Sacramentum, ita etiam sancto "tantum Spiritu nuncupato, nihil desit ad mysterii plenitudinem. Rationem sequamur, quia qui unum dixerit, Trinitatem signavit. Si Christum dicas, & Deum Patrem à quo unctus est Filius; & ipsum qui unctus est, Filium, & Spiritum quo unctus est, designasti.

Ex quo S. Doctoris testimonio duo urgeri possunt.

Primum, ratum esse Baptismum qui confertur sub invocatione seu appellatione unius dumtaxat personæ SS. Trinitatis, modo fides habeatur sana & integra in tres personas; quia nempe, juxta S. Doctorem, una appellata persona, aliæ subintelliguntur: quod si omnes appellarentur & fides integra non foret, totum subverteretur mysterium.

Secundum, ratum fuisse Baptisma datum in nomine Christi, & in quo *tacitum est verbo de Spiritu sancto, licet expressum sit fide.* At Baptismus in quo tacitum est nomen Spiritus sancti, procul dubio collatum non fuit sub expressa invocatione trium personarum divinarum. Et vero institutum S. Doctoris erat, ut ostenderet æqualem esse trium SS. Trinitatis personarum auctoritatem & operationem, licet aliquando una nominetur, aliis silentio prætermissis; apposite igitur ad hunc finem debuit proferre Scripturæ testimonia, in quibus una tantum persona sine aliis appelletur; & sic cum adducit exemplum Eunuchi Reginæ Candacis, & aliorum qui baptisati leguntur in nomine Christi, supponit in tali Baptismo reipsa solum Christi nomen fuisse appellatum: alias exempla hæc ad rem apposita non fuissent.

Denique S. Bernardus Epistola 403. alias 304. ad Henricum Archidiaconum, interrogatus quid esset sentiendum de Baptismo in extremis collocato sub ista verborum formula, *Baptiso te in nomine Dei, & sanctæ & veræ crucis,* sic respondet: *Ego verè hunc baptisatum ante; nec sensum vocis, veritatis fides, & pietatis intentionis præjudicare potuisse.* *Edit. Mabill. To. 1. p. 339. F.*

Resp. ad singulos SS. Patres.

Ad S. Cyprianum: Non loquitur sanctus Doctor de forma Baptismi, sed de professione publica fidei illius qui baptisandus erat; atque à Judæis postulatam fidem in Christum, à Gentilibus vero in Trinitatem: non quasi diversa sit fides in se, sed quia varia fuit explicita fidei professio, quæ à baptisandis exigebatur. Sic à Judæis, qui jactabant, inquit, *se patrem habere* e postulata est explicita professio fidei in Filium; à Gentilibus vero qui unum in tribus personis non agnoscebant Deum, postulata est explicita professio fidei in Trinitatem.

Ad S. Hilarium: Baptismus in nomine Christi idem est apud ipsum eo loci, ac in virtute & auctoritate Christi: imo ex loco citato infertur potius Apostolos baptisasse sub invocatione expressa SS. Trinitatis. Namque ejus scopus est ut ostendat, ea Scripturæ testimonia quæ Ariani tanquam contraria & pugnantia objiciebant, reipsa non pugnare inter se; & inter alia adducit textum Actuum Apostolorum, ubi refertur multos in nomine Christi fuisse baptisatos, cum tamen Christus expressè jusserit baptisandum in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, quæ loca, juxta S. Doctorem, non pugnant inter se; at pugnarent omnino, si reipsa vellet Apostolos baptisasse in solo Christi nomine; violassent enim mandatum Christi, apud S. Matth. c. 28. Alia igitur ratione conciliari ea testimonia non possunt, quam si dicamus Apostolos nusquam baptisasse in solo Christi nomine; & textus in speciem oppositos exponendos esse de Baptismo Christi, hoc est virtute & auctoritate Christi collatu.

Ad S. Basilium: manifestè constat ex testimonio ipsius inter probationes Conclusionis adducto, eam in contraria plane sententia fuisse. Sensus igitur illius in loco unde sumitur objectio est, Baptismum in virtute & auctoritate Christi collatum ratum esse: eadem quippe est trium personarum virtus, eadem auctoritas & operatio, quod demonstrandum susceperat, ut inde probaret Spiritum sanctum Deum esse perinde ac Patrem & Filium, quia Baptismus confertur in ejus nomine, sicut in nomine Patris & Filii.

Ad S. Ambrosium, dico eum loco citato non agere de forma Baptismi, sed tantum de fide baptisandi. Alludit scilicet ad illam solemnem fidei professionem quæ à Catechumenis, antequam baptisarentur, solebat exigi, de qua mentionem faciunt Veteres, S. Justinus Apologia 2. Tertullianus Lib. de Baptismo c. 6. S. Basilius L. 3. adversus Eunomium, & ipse S. Ambrosius L. 2. de Sacramentis cap. 7. *Interrogatus es,* inquit, *credis in Deum Patrem? credis in Dominum nostrum Jesum Christum? credis in Spiritum sanctum?* Vult igitur sanctus Doctor, in illa solemni fidei professione quam baptisandi emittebant, satis esse si una persona nominetur, modo fides in omnes habeatur; quod si omnes appellarentur; & aliqua negaretur, vacuum esset mysterium, id est, nullum gratiæ effectum consequeretur qui Baptismum susciperet. Quod vero loquatur sanctus Doctor de fide baptisandorum, constat ex his verbis, loco in Objectione citato: *Ergo isti, quia nec in Christi nomine, nec cum fide Spiritus sancti baptisati fuerant, non potuerunt accipere Baptismatis Sacramentum.* Et postea: *Plenum autem est* (Baptismatis Sacramentum) *si Patrem & Filium Spiritumque sanctum fatearis. Si unum neges, totum subrues....* Et postea: *Ita etiam quamvis & Patrem & Filium & Spiritum sanctum dicas, & aut Patris, aut Filii, aut Spiritus sancti minuas potestatem, vacuum est omne mysterium.* Quæ sanè verba de ministro baptisante exponi non debent, nisi velis S. Doctorem in eo errore versatum fuisse, fidem ministri prorsus necessariam esse ut Sacramenta validè conficiat; hoc enim importarent verba laudata, si de ministro loqueretur sanctus Doctor; verum ab illo errore alienus omnino fuit; igitur de subjecto percipiente Sacramentum loquitur. *Tom. 2. p. 359. D. E.* *To. 2. p. 608. C.*

Porro S. Ambrosium, cum ex professo agit de forma Baptismi, affirmare eam verbis Evangelicis, *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti,* exprimendam esse, manifestum est ex Lib. de Mysteriis capit. 4.

antea

antea citato, ubi quærebamus an Christus Baptismi formam præscripserit. Consule,

Denique ad S. Bernardum respondet Estius in 4. dist. 3. paragrapho 5. prædictam Epistolam non esse sancti Bernardi; verùm id non probat. Horstius in notis ad hanc Epistolam, addit se non facile crediturum non esse Bernardi; cui subscribere videtur doctissimus Mabillonius laudans codices in quibus illa continetur: verùm candidè fatetur improbandam esse hanc S. Doctoris sententiam, quæ Scripturis & Traditioni adversatur.

Quæres 1. quid sentiendum sit de variis immutationibus quæ contingere possunt in forma Baptismi?

Resp. graviter peccare eum qui vel tantillùm formam ab Ecclesia usurpari solitam immutat; formam vero integram non manere, ac nullum proinde esse Sacramentum, si verbis mutatis, additis, detractis, transpositis, non maneat idem verborum sensus, secus si remaneat. De quibus mutationis speciebus diximus in Tractatu de Sacramentis in genere, & consuli potest Estius in 4. dist. 3. paragrapho 6.

Quæres 2. quid sentiendum sit de forma ista, *Ego te baptiso in nomine genitoris & geniti, & procedentis ab utroque?*

Resp. Dubiam & incertam videri, adeoque Baptismum esse sub conditione iterandum: tum quia nusquam talis forma fuit ab Antiquis usurpata; imò videtur ab iis improbata, ut constat ex S. Athanasio Sermone 2. contra Arianos circa medium, S. Epiphanio hæresi 73. num. 14. 19. & 20. Tum quia ut observat ibid. S. Epiphanius, vocabulum, *ingenitus*, sufficienter non exprimit vim hujus nominis Patris; neque vocabulum, *geniti*, vim nominis Filii. Tum denique quia nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti significantur personarum proprietates & ipsæ personæ; nomine autem genitoris & geniti significantur tantum actus notionales.

ARTICULUS V.

De discrimine Baptismi Christi à Baptismo Joannis.

Errores.

Circa discrimen Baptismi Christi à Baptismo Joannis errarunt ex Veteribus, Petilianus Episcopus Donatista, qui contendebat unum esse Christi & Joannis Baptisma, tribus tamen (ut inquiebat) gradibus consecratum; ita ut aquam Joanni, Spiritum sanctum Christo, ignem denique Paracleto tribueret. Ita S. Augustinus L. 2. contra Litteras Petiliani cap. 32.

To. 9. p. 239. A. Undecimo vergente sæculo, Bogomili, ita dicti lingua Bulgarorum, *quasi misericordiam Dei implorantes*, auctore Basilio quodam medico è secta Massalianorum, docuere Baptismum nostrum, quia in aqua fit, esse Baptismum Joannis; Baptismum vero suum esse Baptismum Christi, qui fit per Spiritum: unde quotquot è Catholicis ad sectam suam transibant, suo

Biblioth. PP. T. 19. p. 224. iterum Baptismo ungebant. Ita Euthymius in Panoplia parte 2. titulo 23. cap. 16. Ortam autem illam sectam undecimo sæculo inclinante, inde conjicimus, quod Euthymius qui florebat initio duodecimi, asserat eam non multo ante caput extulisse.

Ex recentioribus, Lutherani & Calvinistæ unum esse substantia & efficacia Christi ac Joannis Baptismum contendunt.

Lutherus tamen initio suæ prædicationis discrimen statuebat inter utrumque Baptismum, in disputatione enim de Baptismo Legis, Joannis, & Christi edita anno 1520. Baptismum Christi in tribus maximè à Baptismo Joannis discrepasse affirmat, 1. Quia Baptismus Joannis non erat Sacramentum, sicut Baptismus Christi, 2. Quod iste peccata remittit, non alter. 3. Quia baptisati à Joanne rursus baptisati sunt, non vero ii qui Baptismo Christi tincti fuerant.

Verum cum hæc Lutheri sententia parum cohæreat cum alio doctrinæ Lutheranæ capite circa efficaciam Sacramentorum merè objectivam, quæ tota consistit in eo ut fidem excitet, improbata fuit & rejecta à discipulis Lutheri; quippe ad fidem excitabat non minus Baptisma Joannis, quam Christi. Ita Melancthon in Locis anni 1558. titulo *de Baptismo*, ubi totum discrimen utriusque Baptismi in eo reponit, *quod Joannes*, inquit, *de passuro Christo, Apostoli de passo & resuscitato prædicabant; ministerium tamen fuit idem, & effectus eosdem habuit in credentibus.* Idem sentiunt Centuriatores Centuria 1. c. 4. Zuinglius Libro de vera & falsa Religione cap. de Baptismo; Calvinus Lib. 4. Institutionis cap. 15. nu. 7. ubi unum & idem fuisse Christi & Joannis Baptisma probat, tum ex unitate doctrinæ per utrumque annuntiatæ, tum ex remissione peccatorum per utrumque procurata; Chrysostomum vero, Augustinum & alios Veteres discrimen inter utrumque Baptismum statuentes, non esse audiendos inverecundè ac protervè pronuntiat. Kemnitius in 2. parte examinis Concilii Tridentini; Vossius integra disputatione 8. de Baptismo. Quibusdam tamen prærogativis, nempe copiosiori Spiritus sancti gratiæ largitione, Baptismum Christi superiorem fuisse Baptismo Joannis, non inviti concedunt recentiores Lutheri & Calvini discipuli, quamquam eundem fuisse natura & substantia pertinacius contendant. p. 483.

Scholasticorum opiniones.

Inter Scholasticos,

Magister Sententiarum L. 4. dist. 2. littera F. distinguit duo genera baptisatorum à Joanne; unum eorum qui in Baptismo Joannis spem suam ponebant, nec cognoscebant Spiritum sanctum, & ii Christi baptismate subinde baptisari debuerunt; alterum eorum, qui spem suam in Baptismo Joannis non collocabant, & Patrem, Filium, ac Spiritum sanctum credebant, qui alio non indiguere Baptismo, nec etiam postea baptisati sunt. Hanc Magistri sententiam recensens S. Thom. 3. parte q. 38. art. 6. eam, quantum ad secundam partem, vocat penitus irrationabilem: & vero eum Magistri placitis non satis videtur cohærere, quippe qui eadem distinctione littera D. & E. expressè doceat Baptismum Joannis non contulisse gratiam neque peccatorum remissionem. Distinctionem hanc eorum qui Baptismo Joannis tincti fuerant videtur Magister hausisse ab Antiquis nonnullis, qui contendunt eos quos S. Paulus jussit baptisari Act. 19. non fuisse vero Baptismo Joannis prius baptisatos.

Nonnulli existimarunt Baptismum Joannis fuisse verum Sacramentum, quod, juxta Durandum q. 3. ad veterem Legem pertineat; juxta vero S. Bonaventuram in 4. dist. 2. qu. 2. & S. Thomam in 4. dist. 2. qu. 2. art. 1. neque ad veterem neque ad novam Legem referri debet, sed medium quemdam inter utramque locum occupat. Ab hac tamen sententia recessit Angelicus Doctor in Summa 3. part. q. 38. art. 1. in resp. ad 1. ubi expressè ait, *Baptismum Joannis non fuisse per se Sacramentum, sed quasi quoddam sacramentale disponens ad Baptismum Christi.* His ita præmissis, dogma catholicum nobis probandum est.

CONCLUSIO.

Baptismus Joannis diversus fuit à Baptismo Christi natura & efficacia.

Duæ sunt partes. Prima pars probatur: Quia ille ritus natura & substantia diversus fuit à Baptismo Christi

Christi, qui nec Sacramentum fuit, nec Christum habuit auctorem, nec ejusdem formæ fuit ac necessitatis: atqui talis fuit Baptismus Joannis.

I. Non fuit Sacramentum. Tum quia verum Sacramentum signum est stabile ac permanens; at Joannis Baptismus brevissimo duravit tempore. Ut enim ait
To.9.p.147.A. S. Augustinus Lib. 5. de Baptismo c. 9. *Accepit Joannes Baptismum non diu mansurum, sed quantum satis esset ad parandam viam Domino, cujus eum esse præcursorem oportebat.* Tum quia nec veteris, nec etiam novæ Legis Sacramentis accenseri potest; non veteris, quia *Lex & Prophetæ usque ad Joannem*, Lucæ 16. v. 16. non novæ, quia nec à Christo institutus fuit, nec vim habuit delendi ex se peccata, nec Ecclesia unquam illum inter Sacramenta Evangelica numeravit. Unde S. Thomas 3. p. q. 38. art. 1. ad 1. ait *Baptismum Joannis fuisse quasi quoddam sacramentale, disponens ac præparans ad Baptismum Christi*; unde medium veluti locum tenuit inter ritus novæ & veteris
P.449.B. Legis. *Nos*, inquit Tertull. L. 4. adversus Marcionem c. 33. *limitem quemdam agnoscimus Joannem constitutum inter vetera & nova, ad quem desineret Ju-*
P.218.B. *daismus, & à quo inciperet Christianismus.* Et L. de Baptismo cap. 10. de Baptismo Joannis ait: *Agebatur itaque Baptismus pœnitentiæ, quasi Candidatus sanctificationis in Christo subsecuturæ.*

II. Baptismus Joannis Christum non habuit auctorem. Hinc nusquam appellatur aut Baptismus Christi, aut simpliciter Baptismus, sed Baptismus Joannis; qua limitatione Scriptura non tantum innuere voluit Joannem fuisse Ministrum hujus Baptismi, alias pari ratione Baptismus Christi dici posset Baptismus Petri vel Pauli, qui sunt tantùm illius causæ ministeriales, quod tamen ne dicatur vetat Apostolus 1. Cor. 1. v. 14. sed innuere voluit, Joannem auctorem esse illius Baptismi, quamquam inspiratione ac motione cœlesti ductus ille fuerit ad hunc ritum instituendum. Unde Matth. 21. v. 25. dicitur *esse è Cœlo*; & Lucæ 7. v. 30. Pharisæi dicuntur *sprevisse consilium Dei*, quod baptisari à Joanne noluissent. *Nos*, inquit Tertullianus L. de Baptismo cap. 10. *possumus æstimare divinum quidem eum Baptismum fuisse mandatu, non potestate.*

III. Baptismi Joannis non eadem fuit forma, quæ Baptismi Christi; tum quia incertum plane est utrum Joannes aliqua verborum formula inter baptisandum usus fuerit: tum quia si usus est iste quæ insinuatur Act. 19. v. 4. *Baptiso vos in eum qui venturus est*, sanè omnino diversa est ab ea quam præscripsit Christus Matt. 28. Quamquam, ut observat Vossius, ea forma uti non potuit, neque cum Christum neque cum alios post inceptum Christi ministerium baptisavit: tunc enim vera non fuisset formæ hujus significatio, siquidem jam tum præsens aderat Christus. Et certe ea verborum formula usum non fuisse Joannem inde potest suaderi, quod cùm Pharisæi ipsum interrogassent, an esset Christus, respondit Joannes se non esse. Ignorabant igitur antea Pharisæi, an Joannes esset Christus: porro si baptisasset in nomine Christi venturi, istud ignorare minime potuissent. Non etiam in nomine Trinitatis baptisasse Joannem manifestè colligitur ex cap. 19. Act. ubi ab ipso baptisati declarant se nihil audivisse de Spiritu sancto.

IV. Denique, Baptismus Joannis æqualis non fuit cum Baptismo Christi necessitatis; hic enim omnes obstringit tam parvulos quam adultos; ille vero cum esset Baptismus pœnitentiæ, solos adultos: unde rursus baptisati sunt, qui solo Joannis Baptismo, non vero qui Baptismo Christi jam tincti fuerant.

Secunda pars probatur: Quia ille Baptismus diversus omnino fuit à Baptismo Christi virtute & efficacia, qui fuit tantum in aqua, non autem in Spiritu sancto; in pœnitentiam ad quam excitabat, non in regenerationem quam non operabatur; quo qui baptisati duntaxat fuerant, rursus baptisati sunt Baptismo Christi: atqui talem fuisse Joannis Baptismum Scriptura disertis verbis profitetur, ergo &c.

Minor pro triplici ejus parte probatur ex Scriptura.

1. Baptismum suum in aqua duntaxat fuisse, non in Spiritu sancto, ipse Joannes statim declarat Pharisæis ad se ut baptisarentur, venientibus, ne fortè plus aliquid accepturos se putarent, quàm reipsa accepturi erant. *Ego quidem*, inquit Matth. 3. v. 11. *baptiso vos in aqua, in pœnitentiam; qui autem post me venturus est, fortior me est .... ipse vos baptisabit in Spiritu sancto & igne.* Et Marci 1. v. 8. *Ego baptisavi vos in aqua, ille vos baptisabit in Spiritu sancto.* Idem adhuc repetit apud S. Lucam c. 3. v. 16. & Joannis 1. v. 26. ubi interrogantibus Pharisæis quare baptisaret, cùm nec esset Christus, nec Elias, nec Propheta, respondet se non nisi in aqua baptisare, Christum vero in Spiritu sancto. *Ego*, inquit, *baptiso in aqua, medius autem vestrum stetit quem vos nescitis .... hic est qui baptisat in Spiritu sancto.* Igitur Baptismus Joannis à Baptismo Christi in hoc maximè discrepabat, quod iste in aqua foret & in Spiritu sancto, ille verò in aqua tantùm.

Novatores duo reponunt ad hæc Scripturæ testimonia; primùm, Joannem noluisse citatis verbis Baptismum suum à Christi Baptismo distinguere, *sed personam suam cum Christi persona contulisse, ac declarasse se ministrum duntaxat aquæ; illum vero Spiritus sancti datorem esse, quum suam virtutem visibili miraculo declaraturus erat Christus, qua Spiritum sanctum Apostolis sub linguis igneis mitteret.* Ita Calvinus L. 4 Instit. c. 15. n. 8. P.484. Alterum, quod magis placet Vossio Disput. 8. de Baptismo Thesi 11. & 13. Joannem non comparare Baptismum suum cum vero Christi Baptismo, sed cum illa copiosa & abundanti donorum Spiritus sancti effusione, quæ sub specie linguarum ignearum in die Pentecostes facta est, quæ sensu figurato dicitur Baptismus, & in aqua longè inferior fuit Baptismus Joannis Baptismo Christi. Imò si Calvinum audiamus, loco mox citato, ipse Baptismus Christi, quem ipso adhuc in terris agente Apostoli administrabant, non tam copiosam Spiritus sancti gratiam conferebat ante Christi Ascensionem, ac postea; nec inde tamen inferri potest diversum fuisse Baptismum. Hujus interpretationis auctorem Christum & S. Petrum facit Vossius: Christus enim post Resurrectionem Apostolis suis dixit Act. 1. v. 5. *Joannes quidem baptisavit aqua, vos autem baptisabimini Spiritu sancto non post multos hos dies*: quæ verba S. Petrus repetit Act. 11. v. 16. *Recordatus sum*, inquit, *verbi Domini, sicut dicebat, Joannes quidem baptisavit aqua &c.* Confirmabat hac observatione Vossius, quod nempe Scriptura verbo potiùs de futuro, *baptisabit*, utatur, quàm de præsenti; ut innuat se alludere ad illam quæ futura erat, copiosam donorum Spiritus sancti in die Pentecostes effusionem.

Refellitur utraque responsio.

Prima quidem: Utrumque enim distinguit Joannes, & Baptismum suum, & personam suam: Baptismum quidem, in eo quòd in aqua duntaxat foret, cujus ipse auctor erat, non minister tantùm; Baptismus verò Christi in Spiritu sancto. Si enim totum discrimen in eo reposuisset Joannes, quòd ipse minister esset aquæ, Christus verò auctor gratiæ, nihil sanè habuisset singulare; in Baptismo etenim Christi, Apostoli ministri erant duntaxat aquæ, non auctores gratiæ: habuit tamen Baptismus Joannis istud singulare, ut semper Joannis Baptismus appellatus fuerit; Baptismus vero Christi nusquam dictus sit Baptismus aut Petri, aut Pauli, aut cujuscunque alterius ministri. Quid ita? quia nempe Joannes non tantum minister fuit, sed & auctor seu institutor sui Baptismatis;

Apostoli

Apostoli vero cæterique sunt tantum ministri Baptismi Christi. Joannes igitur non tantum personam suam, sed & Baptismum suum distinguit à Baptismo Christi. Adde quod plerumque tempore futuro Christo dicat, *Ipse baptisabit in Spiritu sancto*. At si Spiritus sancti gratia Baptismo Joannis annexa fuisset perinde ac Christi Baptismo, non dixisset tempore futuro, *baptisabit in Spiritu sancto*, sed, *baptisat*.

Secunda responsio non minus falsa est. Suum etenim Baptismum Joannes opponit non tantum futuræ illi copiosiori Spiritûs sancti effusioni in die Pentecostes, sed etiam Baptismo quo Christus baptisavit ante suam in Cœlos Ascensionem. Non enim tantum verbo de futuro, *baptisabit, baptisabimini*, utitur, sed etiam de præsenti, *Hic est qui baptisat in Spiritu sancto*. Unde vana prorsùs ac futilis est Vossii observatio. Falsa non minus Calvini sententia, nempe Baptismum Christi ante Ascensionem ejus in Cœlum, non tam copiosam contulisse Spiritus sancti gratiam, quàm postea: hæc quippe abundantior donorum cœlestium largitio non ad Baptismum præcisè, sed ad Confirmationis Sacramentum die Pentecostes institutum referri debet.

II. Baptismum Joannis fuisse dumtaxat in pœnitentiam ad quam excitabat, sæpius testatur Scriptura.

Marci 1. v. 4. *Fuit Joannes in deserto baptisans, & prædicans Baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum. Et egrediebatur ad eum omnis Judææ regio, & Jerosolymitæ universi, & baptisabantur ab illo in Jordanis flumine, confitentes peccata sua.*

Matth. 3. v. 3. *Baptiso vos in aqua in pœnitentiam*, ait ipse Joannes.

Et Lucæ 3. v. 18. *Venit in omnem regionem Jordanis prædicans Baptismum pœnitentiæ*. Idem repetitur Act. 13. v. 24.

III. Baptisatos à Joanne rursùs tinctos fuisse Baptismo Christi, constat in Actibus Apostolorum cap. 19. ubi duodecim Ephesii baptisati Baptismo Joannis, qui se nihil de Spiritu sancto audivisse declaraverant, baptisati sunt à Paulo in nomine Jesu Christi. Unde S. Hieronymus in Dialogo adversùs Luciferianos ait, *Baptisma Joannis in tantum imperfectum fuisse, ut constet postea Christi Baptismate baptisatos qui ab eo fuerant baptisati.* (Tom. 4. part. 2. p. 194.)

Anabaptistæ hoc iterati Baptismatis exemplo & auctoritate nixi, putant iterum baptisari posse, qui legitimo Baptismo jam tincti sunt. Invictè illi quidem à Catholicis revincuntur, quibus persuasum est Baptismum Joannis longe diversum fuisse à Christi Baptismo; sed Novatores Lutherani & Calvinistæ, quibus placet eumdem esse natura & efficacia, ab his se expedire vix possunt, ac sese in iis refellendis validissimo præsidio privant. Quapropter multa confingunt, ut istud nostrum argumentum declinent & infringant.

Respondent 1. post Calvinum, eos qui dicuntur à Paulo baptisari Act. 19. reipsa vero aquæ Baptismo tinctos non fuisse, cum à Joanne jam baptisati fuissent, sed abundantiori dumtaxat donorum Spiritus sancti largitione donatos, quæ sensu figurato Baptismus dicitur; vel baptisati dicuntur, id est plenius edocti & instructi de Mysteriis fidei Christianæ. (L. 4. Inst. c. 15. nu. 18. pag. 486.)

Refellitur hæc responsio. 1. Quia sacer Contextus disertè distinguit, & Baptismum, & manus impositionem per quam abundantiorem Spiritus sancti gratiam perceperunt illi qui sunt à Paulo baptisati. *Baptisati sunt*, ait Historicus sacer Act. 19. v. 5. *in nomine Domini Jesu. Et cum imposuisset illis manus Paulus, venit Spiritus sanctus super eos, & loquebantur linguis, & prophetabant.* 2. Quia vox ista, *Baptismus*, cum simpliciter & sine ullo addito usurpatur in Scripturis, significat aquæ lotionem, seu Baptismum verum: cum vero usurpatur ad significandam donorum Spiritus sancti abundantem & conspicuam effusionem, aliquid adjunctum habet quo ista significatio determinatur, ut colligitur ex c. 1. Act. & 3. S. Matth. 3. Quia nomen Baptismi solitariè sumptum nusquam à sacris Auctoribus usurpatur pro doctrina & instructione; atque merum istud est cerebri Sociniani figmentum, cui vel inviti arma & vires suppeditant Calvinistæ, quamquàm ab iis multum abhorrere se videri velint.

Respondent 2. ista verba c. 19. v. 5. Actuum Apostolorum, *His auditis baptisati sunt*, non esse S. Lucæ Historici, sed S. Pauli narrantis qua ratione post præmissam à Joanne instructionem, seu doctrinam, illi Ephesii baptisati fuissent ab ipsomet Joanne, ita ut sensus sit, *His auditis*, nempe audita Joannis prædicatione & doctrina, baptisati sunt illi à Joanne.

Refellitur ista responsio. 1. Quia gratis omnino ficta e[illegible]llum enim ne vel levissimum quidem extat in sacro textu hujus transpositionis vestigium; & ipse Vossius Disput. 8. de Baptismo Thesi 33. non dissimulat explicationem hanc novam esse, omnibus Antiquis incognitam. 2. Quia series contextus postulat ut citata verba sint S. Lucæ Historici narrantis quomodo Ephesii illi, post factam declarationem se nihil de Spiritu Sancto audivisse, à Paulo baptisati sint in nomine Jesu, id est Baptismo Christi, in quo Spiritus sancti mentio erat. 3. Quia ab eodem sunt baptisati, à quo manus ipsis sunt impositæ. 4. denique, quia dicuntur baptisati in nomine Domini Jesu; at non Joannes, sed Apostoli ita baptisabant.

Respondent 3. baptisatos à Joanne ideo rursus baptisatos esse Baptismo Christi, tum quia ejus urgebat obligatio, tum quia copiosiorem conferebat gratiam.

Refellitur 1. Quia lex Baptismi eos tantum in mente adversariorum obstringebat, qui vero Christi Baptismo tincti non fuerant; at, juxta adversarios, Baptismus à Joanne ministratus erat Baptismus Christi; quomodo igitur à Joanne baptisatos lex Baptismi Christi rursus obstrinxisset? 2. Quia gratis fingitur Baptismum Joannis contulisse ex se interiorem gratiam & animæ mundationem, atque Christi Baptismum necessarium dumtaxat fuisse ad copiosiorem percipiendam gratiam Spiritus sancti: ad illam enim assequendam non Baptismus Christi, sed manus impositio necessaria tantum fuisset. 3. Quia explicanda non est Scriptura ad sensum & arbitrium cujuscunque, sed juxta communem SS. Patrum sententiam: at illi communi suffragio docent Baptismum Joannis gratia interiori vacuum fuisse, ut mox ostendemus. Unde S. Augustinus L. 5. de Baptismo c. 9. "Baptisatos, (To. 9. p. 146.)
„inquit, à Paulo eos qui jam Baptismo Joannis bapti-
„sati fuissent, legimus in Actis Apostolorum; non
„ob aliud, nisi quia Baptismus Joannis non fuerit
„Baptismus Christi. *Et c.* 10. Quæro, *inquit*, si Ba-
„ptismo Joannis peccata dimittebantur, quid amplius (Ibid. 148.)
„præstare potuit Baptismus Christi iis quos Apostolus
„Paulus post Baptismum Joannis Christi Baptismo
„voluit baptisari?

Respondent denique, mirum non esse si jusserit Paulus baptisari Ephesios illos, cum baptisati non fuissent vero ac legitimo Joannis Baptismo; sed à discipulis dumtaxat Joannis, violato ritu legitimo ac præscripto, fuerant baptisati. Rem autem ita se habere probant.

Ex S. Ambrosio Lib. 1. de Spiritu sancto c. 3. ubi negat vere baptisatos fuisse Baptismo Joannis duodecim illos discipulos, quos Act. 19. jussit Paulus baptisari. (To. 2. p. 608.)

Ex Optato Milevitano Lib. 5. adversus Parmenianum, ubi distinguit Baptismum Joannis ante & post Resurrectionem Christi; ac docet Joannis Baptismum (Ed. nov. 1700. p. 85. & 86.)

mum ante Christi Resurrectionem plenum fuisse & perfectum, nec iteratum, sed post Resurrectionem ac promulgatam Baptismi legem, imperfectum fuisse & iteratum, atque isto duntaxat tinctos fuisse Ephesios illos quos jussit Paulus baptisari in nomine Domini Jesu.

Ex Eulogio Alexandrino Lib. 2. adversùs Novatianos apud Photium Bibliothecæ codice 280, ubi disertis & expressis verbis docet eos qui leguntur baptisati
P.1602. Act. 19. non à Joanne, sed ab ejus duntaxat discipulis baptisatos fuisse, violata traditione & ritu baptisandi præscripto, alios vero qui legitimo Joannis Baptismo tincti fuerant, non baptisatos fuisse.

Refellitur responsio; Quia Act. 19. de Baptismo ab ipso Joanne ministrato loquitur S. Paulus, non de alio: *Joannes*, inquit v. 4. *baptisavit Baptismo pœnitentiæ populum*; ergo Ephesi quos jussit iterum baptisari, vero Joannis Baptismo tincti fuerant.

Ad S. Ambrosium, dissimulare non possumus sanctum Doctorem in ea fuisse opinione, ac distinxisse Baptismum Joannis ab eo quem ejus discipuli ministrabant.

Ad Optatum, contendit ille solum Apostolos rebaptisasse eos qui Joannis Baptismo tincti fuerant post Christi Resurrectionem, non alios qui antea fuerant baptisati; quia nempe lex Baptismi Christi obligavit post Resurrectionem, non vero antea. In illius igitur Auctoris sententia, Baptismus Joannis ante Resurrectionem Christi collatus, ratus fuit, nec iteratus; hoc enim unum habebat ex hoc exemplo adversùs Parmenianum demonstrandum, Baptismum scilicet, qui in usu est ac probatus, non esse iterandum: inde vero concludi non potest, parem visum fuisse Optato natura & efficacia Baptismum Christi & Joannis; imo contrarium plane infertur, cum doceat rebaptisatum esse post Joannem, non vero post Christum, saltem postquam lex Baptismi Christi vigere cœpit.

Ad Eulogium Alexandrinum, non est quod euremus benigna interpretatione eum ad nos adducere, qui totus reluctatur; sed ut optimè observat Photius post
P.1603. v. 10. adductum ex Libro ipsius secundo fragmentum, *Sic existimavit Eulogius, cum plurimi Patres ostendant Joannis Baptisma fuisse imperfectum.* Cum igitur ille cæteros Patres deseruerit, à nobis deserendus quoque est.

Probatur 2. Conclusio ex constanti SS. Patrum utriusque Ecclesiæ tum Græcæ tum Latinæ Traditione. Nonnulla indicasse testimonia cum sufficiet, cum Veteres sibi contrarios esse hac in parte non dissi-
P.483. mulet Calvinus L. 4. Institut. c.15.n.7. quos more suo protervè & inverecundè judicat esse non audiendos.

Ex Græcis itaque

To. 2. p. 192. H. Origenes in Joan. Tom. 8. ait: *Qui in Actis baptisate erant in Joannis Baptismo, & neque an Spiritus sanctus esset, audierant, denuo ab Apostolo baptisantur, quia regeneratio non apud Joannem, sed apud Jesum per Apostolos suos fiebat.*

P.19. S. Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi 3. probat tantum differre Baptismum Joannis à Baptismo Christi, quantum ipse Joannes Christo fuit inferior.

To. 2. p. 114. B. S. Basilius Magnus Exhortatione ad Baptismum, *Joannes*, inquit, *prædicabat Baptisma pœnitentiæ, ad idque egrediebatur Judæa tota: prædicat Dominus Baptisma adoptionis; ecquis eorum qui in ipso spem reposuere, moram non geret? Baptisma illud vim habebat introducendi: hoc, perficiendi. Illud erat secessus à peccata: hoc conjunctio est Deo.*

To. 1. p. 634. C. S. Gregorius Nazianzenus Orat. 39. de triplici Baptismo, Moysis, Joannis & Christi loquens, docet primum fuisse tantum per figuram; secundum, verum & non judaico more: *Non enim in aqua solum*, inquit, *sed etiam ad pœnitentiam; nondum tamen prorsus spiritualiter: nec enim addit, in Spiritu.* Tertium, *perfectam numerisque omnibus absolutum.*

S. Chrysostomus Hom. 11. in Matth. ait nihil aliud habuisse Joannis Baptismum, quam ut Judæos ad pœnitentiam adduceret.

S. Cyrillus Alexandrinus Commentario in Joan. ait, Evangelistam, cum prævideret futuros esse qui nullum statuerent discrimen inter Baptismum Christi & Joannis, expressis verbis discrimen illud exposuisse.

Ex Latinis

Tertullianus L. de Baptismo cap. 10. data opera de Baptismo Joannis disserit, atque *eum mandatum quidem divinum fuisse, sed humanum conditione & potestate. Nihil enim cœleste præstabat, sed cœlestibus prœministrabat, pœnitentia scilicet præpositus.* P.228. A.

S. Hilarius in Matth. cap. 2. docet opus Legis in- P.616. B.
efficax fuisse ad salutem; Baptismum Joannis ad solam pœnitentiam provocasse, Baptismum vero Christi peccatorum remissionem largiri.

S. Ambrosius ad caput 3. S. Lucæ, *Non aqua omnis*, To. 1. p.
inquit, *ablutio est, sed hæc inter se diversa esse non pos-* 1307. D.
sunt; & ideo aliud Baptisma pœnitentiæ, aliud gratiæ est.

Optatus Lib. 5. contra Parmenianum, probat alte- P.84. & 85. n. 5.
rum fuisse Christi Baptismum, & alterum Joannis, quia rebaptisatum est post Joannem, non vero post Christum. Exemplum illud iterati Baptismatis à Joanne collati, post S. Cyprianum Epistola 73. opponebant Donatistæ, ut ostenderent semel baptisatos posse iterum baptisari; cui argumento non aliter occurrunt SS. Ecclesiæ Patres, Hieronymus, Optatus, Augustinus, quam ostendendo latum fuisse discrimen inter utrumque Christi ac Joannis Baptismum; atque rebaptisatum quidem fuisse post Joannem, quia imperfectus erat & interiori gratia vacuus ejus Baptismus, seu quia Baptismus quem ministrabat, non erat Christi; è contra nusquam rebaptisatum esse post Christum ejusque Baptismum verbis Evangelicis consecratum, quia verus ille est ac perfectus Baptismus.

S. Hieronym. Dialogo adversùs Luciferianos. *Joan-* Tom. 4.
nes, inquit, *Spiritum sanctum non dedit, quem Cor-* part. 2.
nelius Centurio, antequam baptisaretur, accepit? Re- p. 293.
spondo, quæso, cur non dederit? ignoras? Audi quid Scriptura doceant: Joannis Baptisma non tam peccata dimisit, quàm Baptisma pœnitentiæ fuit in peccatorum remissionem, id est, futuram remissionem, quæ esset postea per sanctificationem Christi subsecutura.

S. Denique Augustinus pluribus in locis idem docet, ut in Enchiridio ad Laurentium cap. 49. Tract. 5. in Joan. Lib. 5. contra Donatistas cap. 9. & 10. L. 2. contra Litteras Petiliani cap. 22, 24, 36. & 37.

Hac expensa constanti Ecclesiæ traditione, merito
Conc. Trid. Sess. 7. Can. 1. de Baptismo, ita definit; *Si* To. 14.
quis dixerit Baptismum Joannis habuisse eandem vim Conc. p.
cum Baptismo Christi, anathema sit. 777. E.

Solvuntur Objectiones.

Objicies 1. Scriptura eandem materiam & formam, eundem auctorem ac effectum assignat Baptismi Joannis & Christi. De materia nulla dubitandi ratio esse potest, uterque enim Baptismus in aqua perficiebatur: de forma autem constat ex c. 19. v. 4. Actorum, ubi Joannes dicitur baptisasse *in nomine venturi*, quod idem est ac in nomine Christi. De auctore patet, quia Matth. 21. v. 25. dicitur esse de Cœlo: denique effectus Baptismi Joannis fuit remissio peccatorum, Marci 1. v. 4. & Lucæ 3. v. 3. *Et venit* (Joannes) *in omnem regionem Jordanis, prædicans Baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum*; quod certè consonat cum Baptismo Christi, de quo dicitur Act. 2. v. 38. *Baptisetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi, in remissionem peccatorum*; ergo Baptismus Joannis ejusdem fuit naturæ & efficaciæ cum Baptismo Christi.

Resp. nego maj. Excepta enim sola materia, quam

in utroque Baptismo eandem fuisse concedimus, fuisse eandem formam, aut eundem auctorem vel effectum pernegamus. De forma & auctore jam inter probationes Conclusionis dictum est: remissio vero peccatorum non Baptismo Joannis, sed pœnitentiæ ad quam excitabat, tribuitur: seu, ut ait S. Augustinus Lib. 5.
To. 9. p. 148. B. contra Donatistas cap. 10. Joannes baptisabat in remissionem peccatorum *in spe*, hoc est, obtinendam per Christum, ratione pœnitentiæ ad quam Baptismus Joannis promovebat. Hinc est quod Baptismus Christi nusquam appelletur, sicut Baptismus Joannis, pœnitentiæ, sed regenerationis seu renovationis. Quid ita? quia pœnitentia alio modo se habuit in Baptismo Joannis, & alio in Baptismo Christi: hunc præcedit tanquam dispositio, illum vero sequitur tanquam ejus unicus effectus.

Objicies 2. aliqua SS. Patrum testimonia.

P. 225. C. Tertullianus Lib. de Baptismo cap. 4. *Nec*, inquit, *quidquam refert inter eos quos Joannes in Jordane, & quos Petrus in Tiberi tinxit.*

T. 2. p. 632. E. S. Basilius Lib. 1. de Baptismo, *Joannis Baptisma*, inquit, *multimodis excellens. Nam peccata nullo modo discernebat ..... Quin etiam sine ulla prorsus dilatione simul atque ad gratiam Dei & Christi ejus aliquis accesserat, quantacumque & qualiacumque peccata confessus fuisset, & baptisabatur in Jordane fluvio, & statim veniam consequebatur peccatorum.*

P. 233. S. Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi mystagogica 2. *Per Baptismum Joannis*, inquit, *dabatur remissio peccatorum; per Baptismum Christi, adoptio filiorum.*

P. 85. Optatus L. 5. contra Parmenianum, scribit baptisatos Baptismo Joannis, per violentiam; baptisatos vero Baptismo Christi, per Legem intrasse in Regnum Cœlorum.

S. Augustinus Lib. 5. de Baptismo contra Donatistas
To. 9. p. 148 C. cap. 10. *Ne quisquam*, inquit, *contendat etiam in Baptismo Joannis dimissa esse peccata; sed aliquam ampliorem sanctificationem eis quos jussit Paulus Apostolus denuo baptisari, per Baptismum Christi esse collatam, non ago pugnaciter.*

Edit. Benon. 1643. p. 335. S. Petrus Chrysologus Sermone 137. *Erat*, inquit, *penes Joannem venia, sed non sine pœnitentia ..... Erat Baptisma quod culpam tolleret, conscientiam non deleret.*

P. 125. C. Resp. ad singula testimonia.

Ad Tertullianum: Comparat ille Baptismum Joannis & Christi, ratione materiæ, quæ eadem fuit, non vero ratione effectus. *Nulla distinctio est*, inquit, *mari quis aut stagno, flumine an fonte, lacu an alveo diluatur.*

Ad S. Basilium: Extollit ibi S. Doctor Baptismum Joannis supra Baptismum Mosis, non vero æquiparat Baptismo Christi. In eo vero superabat Baptismus Joannis Baptismum Mosis, quod hic umbra tantum foret, seu typus & imago baptismatis, in quo nullum erat pœnitentiæ signum, nulla peccatorum confessio, nullum melioris vitæ propositum, sicut in Baptismo Joannis, ad quem accedentes sua confitebantur peccata, quorum remissionem statim obtinebant, non virtute ipsius Baptismi, sed pœnitentiæ adjunctæ, ad quam excitabat Joannes. Promisit enim Deus in quacunque die pœnitentiam egerit peccator, se illius iniquitatum non recordaturum, Ezechielis 18. v. 21. Baptismum autem
To. 2. p. 633. A. Joannis tantum à Baptismo Christi distare ait S. Basilius loco citato, *quantum Sol stellis antecellit.*

Ad S. Cyrillum, Optatum & alios, eadem est responsio: nempe Baptismum Joannis peccatorum remissionem dedisse, non propria virtute & efficacia, sed ratione pœnitentiæ adjunctæ.

Idem respondendum ad S. Augustinum.

P. 335. Ad S. Chrysologum, dico eum citato loco nostræ potius favere, quam adversari Conclusioni. *Per Baptismum enim Joannis*, inquit, *purificabatur homo ad pœnitentiam, non promovebatur ad gratiam.*

Objicies 3. Si Baptismus Joannis gratiam & peccatorum remissionem non dedit, quare Apostoli eo solum Baptismo tincti, non fuerunt Christi Baptismo denuo baptisati?

Resp. 1. S. Augustinum Lib. 3. de anima & ejus origine cap. 9. colligere ex istis Christi verbis Joan. 13. v. 10. *Qui lotus est non indiget nisi ut pedes lavet*, To. 10. p. 379. B.
Apostolos Baptismo Christi fuisse initiatos.

Resp. 2. Quod etsi constaret Apostolos non fuisse Baptismo Christi baptisatos, non inde benè inferretur per Joannis Baptismum eos gratiam Spiritus sancti assecutos fuisse. Cùm enim Christus Sacramenta instituit, suam virtutem illis non ita alligavit, quin absque eorum ministerio gratiam, cum voluerit, conferre possit; adeoque Apostolis suis sine suo Baptismo regenerationis & renovationis gratiam immediatè conferre potuit. An reipsa ita fecerit, nihil habemus in Scripturis expressum.

QUÆSTIO II.

De necessitate Baptismi.

Summi momenti est præsens controversia, in qua accuratè pertractanda paulò diutiùs immorari nos adigit Socinianorum temeritas & pervicacia.

PRÆNOTANDA.

Observandum 1. duplicem vulgo distingui à Theologis necessitatem, unam medii, alteram præcepti.

I. Illud necessarium dicitur necessitate medii, sine quo vel ejus voto seu desiderio finis obtineri non potest: hoc modo Baptismus & Pœnitentia Sacramenta sunt necessaria necessitate medii ad salutem. Ratio à priori est, quia ejusmodi Sacramenta ex institutione Christi eum continent & conferunt gratiæ spiritualis effectum, qui per se ita necessarius est, ut sine illo nemo possit esse salvus: ita nemo potest salvus esse sine gratia, vel regenerante in Baptismo, vel reparante in Pœnitentia. Unde in rebus hujuscemodi, nec ignorantia, nec impotentia excusat; & quamquam reus non sit violati præcepti, qui Baptismi legem aut invincibiliter ignorat, vel ipsi obsequi non potest, gratiam tamen illi annexam non percipit, [nisi in casu martyrii ac perfectæ contritionis] & tum negativè, ut ajunt, propter gratiæ illius defectum, tum positivè, propter peccatum sive originale sive actuale non dimissum, æternæ damnationi illi obnoxius est.

Quæ porrò necessaria sunt necessitate medii, ea quoque ex se necessaria sunt necessitate præcepti, quia tenetur unusquisque adhibere omnia necessaria ad salutem assequendam; non tamen suam habent necessitatem ex præcepto, nisi, ut dicitur, præsuppositive; imò potius ex necessitate quam habent ex propria sua conditione, fit ut sint quoque ex præcepto necessaria.

II. Illud dicitur necessarium necessitate præcepti, quod sine peccato non potest omitti; atque in ejusmodi rebus excusat vel ignorantia vel impotentia. Revera observatio præcepti necessaria fit necessitate medii respectu illius qui capax est præcepti, illudque observare tenetur; sed, ut ait Vasquez in 3 par. q. 73. art. 3. c. 2. & 3. talis observatio præceptorum negativè tantum necessaria est ad salutem, ne scilicet propter transgressionem præcepti aliquod ponatur saluti impedimentum: è contra quod est necessarium necessitate medii, positivè confert ad salutem, quia nempe continet gratiam per se necessariam ad salutem. Unde necessitas medii & præcepti non tam ex modo loquendi Scripturæ dignosci potest, quam ex subjecta materia, si nempe res proposita talis sit quæ conferat gratiæ

effectum

effectum per se absolutè necessarium : eodem quippe modo Scriptura exprimit & necessitatem medii, v. gr. Luc. 13.5. in pœnitentia his verbis : *Nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis*; & necessitatem præcepti in Eucharistie, Joan. 6. 54. *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.*

Observandum 2. inter ea quæ necessaria sunt necessitate medii, alia esse interna salutis media, qualia est gratia sanctificans; alia vero externa, qualis est v. g. ablutio exterior in Baptismo; inter quæ istud discriminis occurrit, quod sine medio interno, actu & re percepto, impossibile sit obtinere vitam æternam: ita sine sanctificante gratia nullus unquam salvus esse potest. At vero sine medio externo, nempe Sacramento, potest quis salvus fieri, nempe per fidem charitate perfecta formatam, quæ justificat ante realem & actualem Sacramenti perceptionem, cum solo ejus voto sive explicito sive implicito saltem, quod in perfecta charitate semper includitur. Ratio est, quia medium externum ex Christi institutione ordinatur ad conferendam internam sanctificantem gratiam: cum autem divina virtus non sit exterioribus signis necessario alligata, atque possit gratia sanctificans per contritionem perfectam obtineri, hinc est quod externum illud medium aliquibus in casibus suppleri possit per votum seu desiderium ipsius. Sic suppletur Baptismus per martyrium & contritionem perfectam.

Observandum 3. votum rei alicujus necessariæ nihil aliud esse quàm desiderium illius obtinendæ. Duplex autem distinguitur : unum explicitum & proprium, quod ex rei cognitione nascitur ; alterum vero implicitum & generale, quod tendit ad rem, quatenus est à Christo præscripta, quod votum seu desiderium adimplendi omnia Christi præcepta, semper includitur in charitate perfecta à qua sejungi non potest, atque semper necessarium est necessitate medii. Fieri quippe non potest, ut quis salvus fiat, nisi implicitè saltem habeat voluntatem servandi quæcunque sunt à Christo præscripta ; hoc est, nisi ita sit animo affectus & præparatus, ut illa omnia velit observare cùm ea cognoscet, & adimplendi facultas dabitur. Nonnihil autem discriminis est inter ista duo, nempe votum rei alicujus esse necessarium, & rem ipsam necessariam esse in voto. Prius enim significat, voluntatem observandi rem præceptam esse necessariam, quod verum est, posterius, rem præceptam tantæ necessitatis esse ad salutem, ut si non reipsa, saltem voto debeat haberi; quod non semper verum est; præsertim in rebus quæ ex præcepto duntaxat sunt necessariæ.

Observandum 4. necessitatem Baptismi attendi posse vel respectu adultorum, vel respectu infantium : isti autem vel sunt filii Fidelium Christianorum, vel Infidelium.

Observandum denique, inter Hæreticos alios esse qui impugnant necessitatem medii Baptismi, alios vero necessitatem præcepti, ut mox constabit.

Duo itaque duobus sequentibus Articulis sunt nobis inquirenda.

In primo, utrum Baptismus in re vel in voto sit necessarius adultis necessitate medii & præcepti; infantibus vero necessitate medii.

In secundo, utrum Baptismus suppleri possit per votum illius, per contritionem perfectam & martyrium, & quomodo.

ARTICULUS I.

Utrum Baptismus necessarius sit in re vel in voto adultis, necessitate medii & præcepti; infantibus vero necessitate medii.

ERRORES.

CUm per Baptismum Religioni Christianæ nomen demus, adoptemur in filios Dei, & æternæ salutis capaces efficiamur, mirum esse non debet quod antiquus salutis nostræ æmulus dæmon tot adversus illius Sacramenti necessitatem ac virtutem hostes inter veteres & novos Hæreticos suscitaverit.

Ex veteribus, secundum sæculo Cajani & Quintiliani & Quintilia fœmina sic dicti, negarunt Baptismi necessitatem, rati fidem sufficere ad salutem. Ita Tertull. L. de Baptismo cap. 1. *An. 180.*

Tertio sæculo, Manichæi, teste S. Augustino hæresi 46. Baptismum in aqua nihil cuipiam perhibent salutis afferre, nec quemquam eorum quos decipiunt, baptisandum putant. Ratio aperta est, quia illi aquam, ut & cæteras res corporeas à diabolo creatas esse contenderent. *An. 200.*

Quarto sæculo, Ascodrutæ, ut loquitur Theodoretus L. 1. hæretic. fabularum cap. 10. dicunt non debere divina mysteria quæ invisibilium sunt signa, per res visibiles perfici. Propterea nec baptisant eos qui accedunt, nec apud eos celebratur baptismatis mysterium. *An. 350.*

Eodem sæculo, Seleuciani & Hermiani, teste S. Augustino hæresi 59. Baptismum in aqua rejecerunt. *An. 370.*

Eodem sæculo, Massaliani (quod nomen ex lingua Syra ductum esse, & significare orantes, unde græcè dicti sunt εὐχῖται, observat S. Aug. hæresi 57.) docebant, nullam ex Baptismo & Eucharistia percipi utilitatem, sed perpetua oratione peccatum tolli radicitus. Ita Theodoretus Lib. 4. hæretic. fabul. Epiphanius hæresi 80. Joannes Damascenus Lib. de hæresibus. *An. 390.*

Eodem sæculo, Archontici Baptismum damnarunt, inquit S. Epiphanius hæresi 40. tametsi inter eos sint qui Baptismo initiati antea fuerint. Ita Theodoretus Lib. 1. hæretic. fabul. cap. 11. *An. 350.*

Quinto sæculo, cum Pelagiani negantes originale peccatum ab Augustino premerentur argumento ducto ex necessitate Baptismi, coacti sunt negare Baptismum necessariam esse ad delendum originale peccatum. Urgente verò sancto Doctore ista verba Christi, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in Regnum Cœlorum*, quibus constat, vel infantes non baptisatos à Regno Cœlorum arceri non debere, utpote innocentes, quos tamen arcebant Pelagiani; vel eos labe originali infectos esse, ad quam diluendam opus haberent renasci per Baptismum, eò illi adducti fuere, ut distinguerent inter Regnum Cœlorum & vitam æternam ; ac infantes quidem propter defectum Baptismi à Regno Cœlorum excluderent, vita tamen æterna donarent, quia innocentes sunt nulla originis labe maculati.

Initio ejusdem sæculi Vincentius Victor dixit *aliques eorum qui sine Baptismo Christi ex hac vita migraverint, interim non ire in regnum Cœlorum, sed in Paradisum ; postea vero in resurrectione mortuorum etiam ad regni Cœlorum beatitudinem admittendos fore.* Ita S. Augustinus Lib. 3. de origine animæ c. 5. *T. 10. p. 382. D. E.*

Ex recentioribus Hæreticis qui sæculo decimo quinto Ecclesiam infestarunt.

Joannes Wiclef, teste Thoma Valdensi Tom. 2. de Sacramentis cap. 96. docuit Baptismum necessarium non esse. Ita constat ex Sess. 15. Conc. Constantiensis. Idem asseruit Zuinglius Lib. de vera & falsa Religione cap. de Baptismo, ubi ostendit Baptisma me-

rum esse externum symbolum nullius ad salutem præsidii.

Martinus Bucerus in cap. 3. Matthæi idem quoque asseruit, sed alio fundamento nixus, nempe, "quia pueri "prædestinati etiam sine Baptismo salvantur, non præ-"destinati etiam cum Baptismo damnantur.

Calvinus Lib. 4. Institutionis, necessarium quidem esse ex præcepto non inficiatur Baptismum; sed ad delendum originale peccatum omnibus sive adultis sive parvulis esse necessarium, totis viribus repugnat. cap. 15.
P.484. n. 10. sic loquitur: "Jam perspicuum est quam falsum "sit quod docuerunt pridem nonnulli, in quo alii persi-"stunt, per Baptismum solvi nos & eximi ab originali
P.488. "peccato, & à corruptione quæ ab Adam in universam "posteritatem propagata est. *Et n. 22. expressè ait*, non "arceri à regno Cælorum infantes quos è præsenti vita "migrare continget, antequam aqua mergi datum fue-"rit. Atqui jam visum est fieri non levem injuriam "Dei fœderi, nisi in eo acquiescimus, ac si per se in-"firmum esset, cùm ejus effectus naque à Baptismo, ne-"que ab ullis accessionibus pendeat. Accedit postea "Sacramentum sigilli instar, non quod efficaciam Dei "promissioni, quasi per se invalidæ, conferat, sed eam "duntaxat nobis confirmet. Unde sequitur, non ideo "baptisari Fidelium liberos ut filii Dei tunc primum "fiant qui ante alieni fuerint ab Ecclesia, sed solemni "potius signo ideo recipi in Ecclesiam, quia promissio-"nis beneficio ante ad Christi Corpus pertinebant. Pro-"inde si in omittendo signo nec socordia est, nec con-"temptus, nec negligentia, tuti ab omni periculo su-"mus." Ita Calvinus, quibus significat parvulos sine Baptismo excedentes ex hac vita, salvos esse propter fœdus quod Christus cum Christianis pepigit; virtute cujus illos sanctos asse, nec ipsis labem originalem à Deo imputari contendit; & it. Baptismum necessarium ipsis non esse ut solvantur à labe originali sed tantum ut obsignet divinam promissionem. Adultis quoque minime ad salutem necessarium assa docet, quos ait fide
P.485. justificari; & per Baptismum tantum obsignari, confirmari & nutriri hanc fidem; *Quatenus*, inquit ibid. n. 14. *erigenda, alenda, confirmandaque fides nostra datur, sumendus est.*

E sinu Calvinistarum orti Sociniani iisdemque cum ipsis placitis innutriti ac imbuti, multo tamen longiùs progressi sunt audacia & temeritate in oppugnandis fidei Christianæ mysteriis; seu, ut melius dicam, eo usque prorupit affrænis eorum licentia, quo proclivi ac facili lapsu ducunt Calvinistarum documenta: nempe ubi semel neglecta Ecclesiæ ac Traditionis auctoritate, suum cuicuique permittitur in exponenda Scriptura judicium, nulla amplius certa lege ac regula contineri potest humanum ingenium, sed pro innata libertate quisque liberius genio suo indulgens, novos Scripturæ sensus, nova dogmata, novamque excogitat & sequitur Religionem, quod certè tristi & infelici eventu contigisse videmus in Socinianis, cum aliis in mysteriis, tum in eo de quo hic disputamus Baptismi Sacramento. A Calvinistis hausere illi quidem Baptismum necessitate medii non esse necessarium ad delendum peccatum originale, neque in adultis neque in parvulis; sed ab iisdem edocti Ecclesiæ & Traditionis vocem spernere, ac suum duntaxat privatum consulere judicium, nullo retenti fræno auctoritatis, longius processerunt, ac negarunt.

I. Christum Apostolis dedisse baptisandi præceptum: verba quippe Christi Matth. 28. *Euntes docete, baptisantes* &c. interpretantur non de aquæ Baptismo, sed de sola instructione seu doctrina. Ajunt tamen post Volckelium Lib. 6. de vera Religione cap. 14. *Apostolos etsi non jussos ritum baptisandi convenienter usurpasse, tum quia populus Judaus cærimoniis valdè delectabatur, utpote in iis quasi enutritus & educatus; tum quia Baptismi cærimonia à magni nominis magnaque auctoritatis viro, nempe Joanne, jam antea introducta, magnoque applausu ab omnibus recepta fuerat: tum denique quia aptissima erat ad adumbrandum Christianorum officium ac statum; unde convenient fuit vires hujus ætatis per Baptismi cærimoniam Christiana Religioni adscribi*, Ita Volckelius.

II. Negarunt baptisandi præceptum datum à Christo Matth. 28. (si tamen præceptum est) universale fuisse, ab omnibus in perpetuum observandum; sed certis duntaxat personis pro certo quodam tempore addictum fuisse, nempe illis qui Ecclesiæ initio à Paganismo vel Judaismo convertebantur ad Christum; cæteris vero qui vel è Christianis nascuntur, vel in Christiana fide sunt educati, minimè necessarium esse contendunt, cum Baptismus sit res libera & indifferens, quæ sine salutis dispendio observari possit vel omitti: unde non negant posse aliquem baptisari, si ita velit; modo fiat, inquiunt, sine scandalo, absque ulla imposita necessitatis lege, & persuasione talem ritum esse ad salutem necessarium. Ita Socinus Disputatione de Baptismo Tom. 1. Operum ipsius pag. 710. Ostorodius Institutionum Germanicarum cap. 9. Volkelius L. 6. de vera Religione cap. 14. quod integrum est de præsenti argumento.

III. Docent Baptismum esse merum ritum externum, ac publicum duntaxat professionis Christianæ symbolum, omni interiori gratia vacuum ac plane destitutum: unde in Catechesi majore Racoviensi, non alia profertur Baptismi definitio, quàm *quod sit ritus exterior quo homines vel è Judaismo, vel è Gentilismo ad Religionem Christianam accedentes manifeste profitentur se Christum pro suo Domino agnoscere.* E Scriptis Socini Catechesim illam compegit Smalcius, & typis evulgavit Racoviæ an. 1606.

Ad Socinianos ex parte accedere videtur Episcopius Sectæ Arminianorum seu Remonstrantium defensor præcipuus. Respondens enim ad quæstiones sexaginta quatuor Theologicas sibi à discipulis propositas, Tom. 1. Operum, ad 37. docet 1. apud S. Matth. cap. 28. sermonem esse de vero aquæ Baptismo. 2. Si Baptismus nihil aliud sit quàm tessera, nota, vel sigillum Christianæ professionis, præceptum ejus ad eos duntaxat pertinere, qui Christianam profitentur Religionem. 3. Si Baptismus sit (ut ipse putat) sigillum seu obsignatio remissionis peccatorum antea commissorum, ejus præceptum eos primario adstringere, qui à Paganismo ad Christum convertuntur; secundario vero eos qui in Religione Christiana nati, multis tamen se peccatis obstrinxere. 4. Si qui sint qui vitam ab omni scelere immunem & puram duxerint (quod rarum) eos baptismi lege non teneri; non est enim opus medico benè habentibus. Ex quo non obscure colligitur, in mente hujus Auctoris Baptismum necessarium non esse *medii*, ut dicitur, necessitate ad salutem.

Lutherani & Calvinistæ quibus nostri semper exprobravere, quod sua ab Ecclesia defectione Socinianæ impietati locum & ortum dedissent, nec pestem hanc ulla arte (si suis placitis starent) expugnare possent, nihil non tentarunt, ut multis editis ex professo Operibus, fidei nostræ capita, Trinitatis imprimis & Incarnationis, quæ nobiscum habent communia, contra illos defenderent ac probarent; sed eventu, ut plurimum, infelici, uti ostendimus passim, quando se dedit occasio. Nihil enim juris sibi assumere possunt Lutherani & Calvinistæ in Scripturis ad privatum suum sensum detorquendis, quod idem sibi non arrogent Sociniani; nec ullus inter eos judex erit, qui litem inter illos dirimat. Quis enim esset? Scriptura? at de ejus sensu controvertitur, & quisque eam ad partes suas trahere conatur. An ratio? sed omnes in sensu suo abundant. An Ecclesia & Traditio? rectè quidem: at illi vocem ejus ac judicium rejiciunt; atque ne à proposito argumento discedamus, dicant nobis Calvinistæ quo jure verba isthæc Christi Joannis 3. v. 5. *Nisi quis renatus fue-*

rit

rit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in Regnum Cœlorum, detorqueant ad sensum metaphoricum, neque de vero aquæ Baptismo intelligant; Socinianos vero qui hæc pariter Christi verba Matth. 28. *Euntes docete omnes Gentes, baptisantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*, interpretantur non de Baptismo aquæ, sed instructionis & doctrinæ, rejiciant ac confutent? Dicant pariter, quo argumento ex una Scriptura adversùs eosdem evincere possunt, inter baptisandum appellandos esse seu invocandos Patrem, Filium & Spiritum sanctum, atque sensum verborum Matth. 28. non esse istum, *Docete, baptisate, in fide Patris, & Filii, & Spiritus sancti*? Certè absque Traditionis auxilio nusquam id evincere poterunt: adeo verum est Calvinistas excusso semel Ecclesiæ & auctoritatis legitimæ jugo, vel invitos Socinianis arma subministrare, nec ab eorum manibus sese expedire posse.

Præter illos errores, nonnulli è nostris Scholasticis singulares aliquas opiniones amplexi sunt.

Scholasticorum aliquorum opiniones.

Cajetanus 3. part. ad art. 2. & 11. qu. 68. docuit parvulos Fidelium Christianorum, quibus per Baptismum subveniri non potest, non tantùm ex privilegio Dei singulari, sed ex lege Dei communi & ordinaria salvari posse votis & orationibus parentum, maxime si exterius aliquod adhibeant signum, quo generale votum parvulis applicare se testentur. Hæc opinio non modo temeraria, sed etiam fidei tam parum consone visa est S. Pio V. Summo Pontifici, ut jusserit in editione Romana altera expungi Commentarium hujusce secundi & undecimi articuli.

Quidam alii censuere, lege quidem ordinaria, parvulos etiam Fidelium sine Baptismo non salvari; verumtamen Deum pro sua summa clementia vel exaudire parentum vota pro salute infantium, adeoque eos hortandos ut pro illis apud Deum intercedant; vel Deum supplere defectus essentiales Baptismi, si qui sint ex parte materiæ vel formæ, vel intentionis ministri. Ita Gerson Sermone de Nativitate B. Virginis Consideratione 2. Gabriel in 4. dist. 4. q. 2. art. 3. dubio 2. Altissiodorensis in Summa Lib. 3. Tract. 3. q. 2 art. 4. S. Bonaventura in 4. dist. 3. prima parte distinctionis qu. 2. art. 2. ad 2. Durandus in 4. dist. 6. q. 2. n. 12 & alii qui salutem hanc infantium probabiliter ex divina misericordia præsumunt, non tamen velut rem certam & indubitatam admittunt.

Sunt qui infantibus sine Baptismo ex hac vita migrantibus felicitatem quandam temporalem, & naturalem veluti quendam paradisum effingent, ut Pighius & Catharinus apud Bellarminum Tom. 4. L. 6. cap. 2. & nostra hac ætate non ita pridem Eminentissimus Cardinalis Sfondratus in Libro cui titulus, *Nodus prædestinationis dissolutus*, parte 1. paragrapho 1. num. 13. docet *parvulos qui sine Baptismo decedunt, cœlesti quidem Regno, quasi paterna culpa reos nec expiatos excludi; non tamen excludi naturalibus bonis, & à peccato præservari æternoque supplicio, quo si adolescerent, puniendi essent; cum sola*, inquit, *præservatio à peccatis pluris valeat majorisque pretii sit, quàm Regnum ipsum cœleste.* Idem repetit ibid. n. 23. Adversùs doctrinam hanc graviter expostularunt duo Ecclesiæ nostræ Gallicanæ Archiepiscopi & tres Episcopi, data ad S. Pontificem beatæ memoriæ Innocentium XII. solemni Epistola 7. Kalendas Martii anni 1697. quibus rescripsit Summus Pontifex die 6. Maji anni ejusdem, *se Librum Cardinalis Sfondrati & res ab ipsis adnotatas, insignium Theologorum discussioni commisisse, ut omnibus matura considerationis trutina perpensis, quod justum esset, subinde decernere valeret.* Interim nullum, quod sciamus, à sancta Sede ad nos pervenit ea

Arch. Paris. & Rem. Episcop. Meld. Aureb. Amb.

de re judicium, sapienter quidem ac graviter Bellarminus loco paulo ante notato observat, "misericordiam "nostram parvulis jam defunctis nihil prodesse, è con- "tra nihil obesse nostræ sententiæ severitatem. Multum "autem, *inquit*, nobis obest, si ob inutilem misericor- "diam erga defunctos, pertinaciter aliquid contra Scri- "pturas aut Ecclesiam defendamus; idcirco non affe- "ctum quendam hominum, quo plerique moveri so- "lent, sed Scripturæ, Conciliorum & Patrum senten- "tiam consulere & sequi debemus.

His ita præmissis, dogma Catholicum demonstrandum est, & à vanis Socinianorum aliorumque Hæreticorum conatibus vindicandum.

CONCLUSIO.

Baptismus in re vel in voto necessarius est adultis necessitate medii & præcepti, parvulis necessitate medii ad salutem.

Duo sunt partes Conclusionis.

Probatur prima pars de necessitate præcepti, ex Scripturis quæ à contortis Socinianorum expositionibus vindicantur.

Primum argumentum petitur ex c. 28. S. Matthæi v. 19. ubi perspicuis verbis Christus Apostolis suis præceptum & formam baptisandi exponit: *Euntes ergo*, inquit, *docete omnes Gentes, baptisantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.*

Socinus Disputatione de Baptismo scripta an. 1580. Cracoviæ cap. 2. duo excipit adversùs apertum istud testimonium; primum est, hic de vero aquæ Baptismo sermonem non esse, sed de doctrina & instructione, quæ sensu metaphorico Baptismus dicitur; alterum, dato & non concesso mandatum in aqua baptisandi à Christo hic dari, perpetuum illud non debere esse, neque ad omnes omnino homines extendendum. Utraque responsio paulò uberiùs & apertiùs evolvenda nobis est ac confutanda, ut intelligat unusquisque quam vanis & futilibus argumentis innitatur Sociniana temeritas.

Prima itaque Socini responsio est, in Scripturis Baptismi nomen sæpius usurpari pro doctrina, atque eo ipso sensu sumi Matth. cap. 28. v. 19. citato. Utrumque sic probat.

Primum quidem ex c. 18. v. 25. Actuum Apostolorum, ubi legimus Apollo Baptismum Joannis duntaxat scivisse; & c. 19. v. 3. ubi discipuli Ephesii interrogati in quem baptisati essent, respondent se baptisatos esse Baptismo Joannis. At his in locis, ait Socinus, idem est Baptismus, ac doctrina: nihil enim, inquit, ibi ad rem faciebat, quod Apollo sciret aquæ Baptismum quo utebatur Joannes, cum de doctrina præsertim ageretur. Pariter Baptismus, aut baptisare, significat nonnunquam initiationem, seu initiare. Ita S. Paulus priore ad Corinthios 10. v. 2. ait, *Hebræorum patres baptisatos fuisse in Moyse, in nube & in mari*; id est, eos initiatos & quasi consecratos fuisse Deo per Moysen. Eadem est significatio Act. 19. v. 13. cum Paulus ait: *In quo ergo baptisati estis*, id est, initiati? *Prima responsio Sociniana.*

Refellitur Socinus, quia confundit quæ non sunt confundenda, & separat quæ non sunt separanda. Confundit doctrinam, cum aqua baptismali; & Baptismum nude & simpliciter sumptum, pro doctrina usurpari perperam ille contendit: duo enim illa distingui debent, non confundi. In Baptismo enim Joannis, de quo mentio fit citatis in locis, duo erant; & doctrina, qua Joannes informabat baptisandos; & ritus ipse baptisandi in vera aqua: unum aliud includebat, nempe Baptismus doctrinam; sed doctrina illa præcisè *Refellitur.*

non dicebatur Baptismus, seu intinctio vel immersio. Citata igitur ex Actibus Apostolorum loca Socinum jugulant, siquidem duo distincta continent, quæ ille perperam confundit. Unde sic arguere possumus: Eodem sensu verbum *baptisantes* sumi debet apud S. Matth cap. 28. vers. 19. ac in Actibus Apostolorum cap. 18. v. 25. & cap. 19. vers. 5. Atqui istis in locis non pro sola doctrina usurpatur, sed pro ipso vero in aqua baptisandi ritu; Joannes enim in vera aqua baptisavit. Ergo pariter apud S. Matth. non sumitur pro sola doctrina seu instructione, sed pro ablutione seu immersione in aqua, includente & præsupponente doctrinam; separat igitur Socinus aquam ab instructiona seu doctrina quæ non debet separari. Pariter igitur asserimus Baptismi nomine significari initiationem seu consecrationem: at illam fieri contendimus non per solam doctrinam, sed per aquam qua intingimur, tanquam per verum & propriè dictum Sacramentum.

Secundum, nempe Matth. 28. vers. 19. *baptisantes* idem significare ac instruentes seu docentes, probat Socinus multis, sed miseris profectò argumentis.

I. Quia in græco textu, loco *docete*, habetur *μαθητεύσατε*, id est, *discipulos facite*; quod certè verbum ad doctrin am & disciplinam qua informandi sunt discipuli, refertur.

Verùm, quis hoc negat? nemo profectò. An doctrinam à Baptismo aquæ sejungimus; non certè, sed utrumque includimus & distinguimus, sicut reipsa fecit Christus in suo præcepto: *Docete*, inquit, *baptisantes*. En doctrina, & Baptismus. Quòd si per *baptisantes* non aliud intellexisset quàm doctrinæ Baptismum, certè absurda fuisset & omnino inutilis repetitio in una & eadem brevi periodo; sensus enim esset: *docete docentes*. Esto igitur verbum græcum significet, *discipulos facite*: sanè per doctrinam fiunt discipuli, & per Baptismum initiantur & consecrantur; unum enim ab altero divelli non debet. Unde S. Marcus cap. 16. v. 16. fidem quæ per doctrinam non habetur, Baptismo præmittit.

II. Si Christus eo in loco per verbum *baptisantes*, aquæ terrenæ Baptismum intellexisset, sine dubio, ait Socinus, non minùs Baptismum istum externum Apostolis suis commendasset, quàm ipsam Evangelii prædicationem, nec minùs eos ad baptisandum, quàm ad prædicandum misisset: atqui tamen Apostolus primæ Corinth. 1. v. 17. declarat se à Christo missum non esse ad baptisandum, sed ad Evangelisandum. Neque est quod respondeatur, sensum Apostoli esse, se præcipuè missum fuisse ad prædicandum, quod munus per se obire tenebatur, non verò ad baptisandum, quod per alios æquè poterat adimplere. Namque, ait Volkelius loco antea citato, ratio propter quam testatur Apostolus se non missum esse ad baptisandum, hæc est ut effugeret suspicionem nonnullorum, qui existimabant Paulum in suo baptisare nomine, unde oborta est illa discipulorum Corinthiorum contentiosa æmulatio: at ratio illa tota subsisteret, si aut per se, aut per alios, aut præcipuè, aut minùs præcipuè destinatus fuisset S. Paulus ad baptisandum.

Verùm vana prorsùs ac futilis ratio. Falsò quippe supponit Socinus, Apostolis injunctum non esse baptisandi sicut docendi præceptum, quod ex praxi illorum cognosci haud dubiè certissimè potest. Porrò in Historia Actuum Apostolorum c. 2. post eximiam S. Petri prædicationem, baptisatos legimus Judæorum circiter tria millia; & cap. 4. quinque millia; & cap. 8. Philippus Samaritanos, Simonem magum, & Eunuchum; cap. 9. Ananias Paulum; cap. 10. S. Petrus Cornelium cum omni ejus familia; cap. 16. S. Paulus Lydiam cum omni ejus pariter familia; cap. 18. Crispum & Corinthios; & cap. 19. duodecim Ephesios baptisavit: at verisimile non videtur, Apostolos non jussos præceptum Christi datum Matth. 28. executioni demandasse. S. igitur Paulus non negat sibi, sicut & cæteris, impositum baptisandi præceptum, sed comparatè loquitur, innuitque se præcipuè destinatum esse ad prædicandum, quàm ad baptisandum; quia multò plures ad illud, quàm ad istud munus exequendum dotes requiruntur, quibus ille divinitus cumulatus fuerat: Baptismus scilicet per quemlibet administrari potest, at non ita verbum Dei. Hanc veterum Cajanorum objectionem ita solvit Tertullianus L. de Baptismo. c. 14. Neque urget quod addit Volkelius; namque hac ratione non utitur S. Paulus, ut probet se missum non esse ad baptisandum, sed ut gratias agat quòd cùm paucos baptisaverit, schismati & contentiosæ Corinthiorum æmulationi locum non dederit. Tanta scilicet insedebat animis primorum Fidelium opinio & admiratio Apostolorum, ut ex humano affectu nonnulli se hujus vel illius discipulos esse gloriarentur, & ita schismati locum dederint, de quo loquitur Apostolus: quòd verò id ex Baptismi administratione ortum fuerit, sanè per accidens est respectu ipsius Baptismi.

III. Christus, inquit Socinus, Matth. 28. non magis præceptum baptisandi, quàm formam expressit his verbis, *Docete, baptisantes in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.* At his verbis formam Baptismi non exprimi vel ex eo potissimum constat, quòd Apostoli legantur baptisasse in alia forma, nempe in nomine Christi.

Verùm ex antè dictis manifestum est, Apostolos non baptisasse in solo Christi nomine. Consule.

IV. Baptismus Christi sæpius in Scripturis opponitur baptismo Joannis, quòd iste in aqua foret, ille in Spiritu; ergo Christi Baptismus in vera aqua non perficiebatur.

Verùm non advertit Socinus, totam distinctionem Baptismi Christi & Joannis non fuisse penes aquam, quæ in utroque pro materia erat; sed penes effectum, nempe interiorem animæ purgationem per gratiam, quam conferebat Christi, non verò Joannis Baptisma.

V. Hebræorum 6. rudimenta Christianæ disciplinæ enarrat Apostolus; at de Baptismo aquæ omnino silet.

Verùm falsum est quod supponit Socinus: sic enim loquitur Apostolus v. 1. & 2. *Quapropter intermittentes inchoationis Christi sermonem, ad perfectiora feramur, non rursum jacentes fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis, & fidei ad Deum, Baptismatum doctrinæ, impositionis quoque manuum.*

Quænam porrò est illa doctrina Baptismatum, nisi veri, quod in usu erat ex Christi mandato, Baptismatis? Baptismatum dixit in plurali Apostolus, vel more Hebræorum ad majorem emphasim; vel quia etsi unum specie, numero tamen plura multis administrantur; vel denique quia nostrum Baptisma multis Judæorum baptismatibus opponit.

VI. Denique, quia S. Petrus Epistolæ 1. cap. 3. v. 21. docet Baptismum nos salvos facere, non quo carnis sordes abluuntur, sed quo fit ut bona conscientia Deum interroget: at non ita locutus fuisset S. Petrus, si aquæ Baptismum omnibus ex præcepto necessarium esse credidisset.

Verùm fallitur Socinus. Verissima quippe est S. Petri sententia, nempe effectum Baptismi positum non esse in ablutione sordium corporis, sed in gratia interiori ac conscientiæ munditie. Opponit enim ibi Baptismum Christi frequentibus Judæorum lotionibus, quæ merè carnales erant ad justitiam & emundationem carnis; Baptismus verò Christi, etsi perficiatur in aqua, ejus tamen effectus ad animam usque pertingit, nec hæret in carne.

Secunda

Secunda resp. Sociniana.

Secunda Socini responsio est: Dato & non concesso citatis Christi verbis Matth. 28. baptisandi præceptum contineri, illud tamen ad certum tempus ac personas restrictum fuisse, non omnibus in perpetuum injunctum. Probat autem his momentis.

I. Quia ii soli baptisandi sunt, quos Apostoli docuere: utrumque enim conjungitur; ergo alii qui ab Apostolis aut eorum successoribus edocti non fuere, illo Baptismi mandato non adstringuntur.

Verum nihil ea ratione miserum magis ac stolidum afferri potest. Ubi enim legit Socinus, eos tantum baptisandos esse qui ab Apostolis fuerant edocti? certe nullibi. Revera ii tantum sunt baptisandi, qui sunt imbuti fide & doctrina Christiana; sed eos tantum esse baptisandos qui sunt ab Apostolis edocti, non alios, certe figmentum est cerebri Sociniani.

Et vero multos docuere Apostoli, quos propriis manibus non baptisarunt; unde S. Paulus fatetur se ad prædicandum missum esse, non ad baptisandum: nec verisimile est S. Petrum propriis manibus baptisasse una die tria, & altera quinque hominum millia quos sua prædicatione ad Christum adduxerat. Aliquos pariter baptisarunt, quos ab aliis edoctos noverant: sic Ananias Paulum baptisavit Act. 9. & S. Paulus Act. 19. curat eos baptisari, qui ab aliis jam instructi & informati fuerant fidei Christianæ documentis.

Quod vero mandatum Baptismi ad omnes omnino omnium ætatum homines pertineat, patet 1. Quia nullam limitationis ac restrictionis notam præfert. 2. Quia continua sæculorum omnium praxi evidenter demonstratur præcepti hujus universalitas. 3. Quia continet præceptum docendi simul & baptisandi; at præceptum docendi universale est ac perpetuum. 4. Quia Christus eodem loco promittit se Ecclesiæ ad futurum usque ad consummationem sæculi; quod igitur ibi præscribit, ad omnes omnium ætatum homines spectat. 5. Quia unio spiritus ac mutuæ charitas, quam ex unitate Baptismi commendat Apostolus Ephes. 4. in perpetuum ab omnibus Fidelibus est observanda. 6. Quia præceptum Baptismi simile est præcepto Eucharistiæ; sicut enim Christus, *Hoc facite*; ita dixit, *Docete baptisate*. Ergo sicut Eucharistiæ præceptum omnibus ad futuras omnes ætates injunctum esse agnoscit Socinus, ita & præceptum Baptismi 7. denique, quia effectus quos Apostoli Baptismo tribuunt, ad omnes omnium temporum homines æqualiter pertinent, quales sunt communio sunt Christo, Rom. 6. v. 3. & 4. Galat. 3. v. 27. remissio peccatorum, Act. 22. v. 16. regeneratio spiritus ad Titum 3. v. 4. vita æterna, Marci 16. v. 16. Joannis 3. v. 5.

II. Ii soli sunt baptisandi, inquit Socinus, qui ejusdem sunt conditionis & sortis cum iis quos Apostoli ex Christi mandato baptisarunt, illi scilicet qui vel à nulla, vel à falsa Religione, à Peganismo vel Judaismo ad Christum convertebantur; ergo alii qui in Religione Christiana vel nati sunt, vel ab ineunte ætate ei nomen dedere, Baptismi lege non tenentur.

Verum absurda consequutio. Cum enim per Baptismum Christo ejusque Religioni nomen detur, ii omnes baptisandi sunt, qui Christo nomen dare volunt, sive nullam, sive falsam antea Religionem coluerint vel non coluerint.

Quod vero Apostolorum ætate non alii baptisarentur, quam qui vel à Paganismo, vel à Judaismo ad Christum convertebantur, mirum profecto videri non debet, cum non alii tunc temporis forent homines, quam Religione aut Pagani aut Judæi.

III. Inquit Socinus, mandavit quidem Christus Apostolis ut baptisarent, sed non omnibus hominibus injunxit ut baptisarentur.

Verum quid absurdius proferri potest, & ad demonstrandam figmenti Sociniani stoliditatem aptius? Quasi non sit eadem necessitas quæ Apostolos obstringit ut baptisent, & Gentes omnes ut baptisentur; nonne ista correlata sunt? Nonne dicere pariter quis posset, injunctam quidem fuisse Apostolis legem docendi, non vero Gentibus ut doceantur? An ferret Socinus? non puto. Quare? quia doctrina necessaria est ad fidem, sine qua nemo salvus esse potest; at pariter Marci 16. v. 15. salus Baptismo adscribitur: "Qui „crediderit & baptisatus fuerit, hic salvus erit," inquit Christus.

IV. Denique, ait Socinus, multi veri Christiani in Actibus Apostolorum memorantur, quos tamen baptisatos fuisse legimus; ut Apollo, de quo Act. 18. v. 24. & ipsimet Apostoli ac septuaginta Discipuli; item illi centum & viginti, de quibus Act. 1. v. 15. & quingenti illi fratres, quibus simul Dominum Jesum, postquam à mortuis resurrexerat, visum fuisse Paulus scribit 1. Cor. 15. v. 16.

Verum 1. argumentum istud Socini mere negativum est, ex quo nihil certo concludi potest: neque enim valet ista consequentia, Hi & illi non leguntur baptisati; ergo reipsa baptisati non sunt. Imo potius sic argueret quisquis adhuc sui compos esset: Extat expressum Baptismi percipiendi mandatum Christi; ergo etsi hi & illi Christiani non legantur baptisati, præsumi debet eos reipsa fuisse baptisatos: neque enim necesse est, ut rei communis, certæ ac publicæ omnia exempla proferat Historicus: imo quo res magis trita est, communis & publica, eo sæpius ab Historico prætermittitur. 2. Reipsa baptisatos fuisse Apostolos innuere videtur Christus, cum dixit Joan. 13. v. 10. ad S. Petrum, „Qui lotus est, non indiget nisi ut pedes lavet." Unde merito S. Augustinus L. 3. de anima & ejus origine cap. 9. sic loquitur: "Si ipsos Apostolos bap- To. 10. p.
„tisatos esse per hoc nobis innotescere potuit, quod 879. F.
„beato Petro Dominus ait, Qui lotus est, non indiget „nisi ut pedes lavet: quid de aliis, de quibus vel tale ni-
„hil legimus dictum, de Barnaba, de Timotheo, de Ti- To. 2. p.
„to, de Sila, de Philemone, de ipsis Evangelistis, Marco 505. &
„& Luca, de innumerabilibus cæteris, quos absit ut 396.
„baptisatos esse dubitemus, quamvis non legamus?" Idem docet Epistola 44. alias 163. & Epistola 265. alias 108.

Secur ex Sc turis: menta

Secundum argumentum pro confirmatione primæ partis Conclusionis adductæ, petitur ex c. 16. S. Marci v. 14. & 15. ubi Christus ad Discipulos ait: "Euntes „in mundum universum prædicate Evangelium omni „creaturæ. Qui crediderit & baptisatus fuerit, salvus „erit; qui vero non crediderit condemnabitur." Præceptum baptisandi quod eo loci Christus Apostolis suis injungit, perpetuum esse & universale, seu ad omnes cujuslibet temporis homines pertinere, duo invicte demonstrant, 1. quod jubeat Christus Apostolos ire per mundum universum. 2. quod salus Baptismo perinde ac fidei promittitus; at id cui annexa est salutis promissio, non ad certum tempus, nec ad certos homines restringitur, sed perpetuum est & universale.

Resp. Sociniana.

Socinus citata jam disputatione de Baptismo c. 3. idem respondet ad hoc S. Marci testimonium, quod ad testimonium S. Matth. nempe, neque de vero aquæ Baptismo intelligi debere; neque si intelligatur, consequens esse ut præceptum illud in perpetuum & ab omnibus sit observandum; atque nova quædam figmenta excogitat ut istud assequatur.

Respondet itaque 1. per Baptismum apud S. Marcum intelligi aut pœnitentiam, aut publicam nominis Christi & ejus Evangelii professionem, vel utrumque simul. "Quid enim est, *inquit ille*, quod per Baptis„mum convenientius possit significari, quam pœniten„tia vera quæ animæ & spiritus ablutio est, aut Evan„gelii & nominis Jesu Christi professio publica, cum „Baptismus ipse aquæ ab Apostolis usurpatus in „eum finem potissimum respiceret, ut quis publice „Christo nomen daret.

Responsionem probat

I. Quia si nomine Baptismi verus aquæ Baptismus intelligatur, sequitur vi hujus loci parem esse fidei & Baptismi necessitatem ad salutem: sed hoc absurdum est; potest enim quis salvus esse sine Baptismo, nemo sine fide.

II. Quia favet Codex Complutensis, in quo articulus repetitur. Sic quippe verba reddi debent; "Qui „crediderit, & qui baptisatus fuerit, salvabitur." At articulus ille alium, quam aquæ veræ Baptismum significat, iste enim tantæ non est necessitatis.

III. Apostolus Ephes. 5. v. 26. & ad Titum 3. v. 5. affirmat Deum lavacro aquæ mundasse suam Ecclesiam, & nos lavacro illo regenerationis salvare: at his in locis per lavacrum aquæ intelligit aquam metaphoricam, scilicet pœnitentiam, quæ animam lavat sicut aqua corpus; tum quia eo ipso sensu aquam usurpat idem Apostolus ad Hebr. 10. v. 22. cum ait; "Accedamus cum vero corde in plenitudine fidei, aspersi corda „à conscientia mala, & abluti corpus aqua munda." Tum quia aqua naturalis nunquam potest mundare animam, cum qua nullam habet proportionem.

IV. Denique, quia publicæ fidei in Christum professioni Christus salutem æternam promisit, Matth. 10. v. 32. Rom. 10. v. 9. Ergo citato S. Marci loco, per hæc verba; *baptisatus fuerit*, intelligi recte potest publica fidei in Christum professio. Adeo rata & exquisita visa est Socino ista solutio, ut gratulabundus eam sibi maxime placere fateatur. Gratuletur ergo sibi ereptum omnem sensum ac pudorem, qui tam inepte & misere planum & apertum Scripturæ sensum distorqueat.

Refellitur Sociniana responsio. Refellitur Sociniana responsio. Etsi enim fateamur Baptismi nomen aliquando transferri ad significandam pœnitentiam, non tam inde bene colligitur, eo sensu usurpari citato capite S. Marci: imo naturali & obvio sensu verum aquæ Baptismum significari, series ipsa textus sacri, Apostolorum usus & praxis aperte demonstrat. Quod si quis contenderet, citato loco Baptismi nomine significari martyrium, ut revera aliquando significatur, quo jure, quave ratione expugnare illum posset Socinus? Præterea S. Petrus Act. 2. v. 38. expresse distinguit Baptismum & pœnitentiam: "Pœnitentiam, *inquit*, agite, & baptisetur unusquisque „vestrum in remissionem peccatorum, & accipietis „donum Spiritus sancti." Etsi ergo daremus, per Baptismum pœnitentiam designari, quam nempe tanquam præviam dispositionem supponit, non tamen excludi debet verus aquæ Baptismus.

Ad primam responsionis Socinianæ probationem, dico parem esse necessitatem fidei, & Baptismi saltem in voto seu desiderio, licet par non sit ejus necessitas in re suscepti. Neque distinctionem hanc gratis fictam esse, infra, Deo dante, ostendemus. qui enim Baptismi ejusque necessitatis legem tulit, idem perfectæ contritioni ac martyrio vitam æternam promisit; ergo qui Baptismum in re percipere non possunt, eundem plane effectum consequuntur votum ipsius, per contritionem perfectam ac martyrium.

Ad secundam; Otiosa est & vana Socini observatio, cum & ipse fateatur articulum in multis Scripturæ locis redundare, nec ad probationem vim habere majorem. Quod si juxta Codicem Complutensem geminatum articulum legamus, & Socini regulam sequamur, repetitio articuli citato in loco probationem nostram confirmat, nedum infringit: emphasim enim quamdam habet, & indicat non satis esse ad salutem quod quis fidem habeat, nisi & baptisetur, quod unum hic contendimus.

Ad tertiam; nihil potuit Socinus aptius proferre ad suammet convellendam sententiam, quam loca S. Pauli ad Ephes. 5. v. 26. ad Titum 3. v. 5. in quibus lavacro aquæ, id est Baptismo, vim sanctificandi ac mundandi animam tribuit, non quidem ex propria seu naturali aquæ virtute, ut falso supponit Socinus, sed ex virtute Spiritus sancti aqua utentis tanquam instrumento; unde gratis & inepte omnino more suo existimat ille, aquæ nomen figurate & metaphorice usurpandum, contra mentem & naturalem verborum S. Pauli sensum. Nec quidquam potest assequi ex citato cap. 10. v. 22. Epistolæ ad Hebræos; per illa enim verba, *abluti corpus aqua munda*, alludit Apostolus ad Baptismum, hortaturque Fideles, ut cum ea mentis & corporis munditie vivant, quam exigit Baptismus. Quod si per illam ablutionem Apostolum ad varias Judæorum lotiones respexisse contendas, nihil inde inferri poterit adversus veritatem quam propugnamus. Lege Estium in hunc locum.

Ad quartam: Non negamus professioni fidei Christum annexam esse salutem: non negamus quoque per Baptismum eam significari; sed contendimus solemnem hanc fidei professionem fieri in uno Baptismo aquæ quem includit & præsupponit.

Respondet 2. ad citatum S. Marci testimonium Socinus, præceptum illud Baptismi nec perpetuum esse nec universale; duasque novo addit probationes cap. 3. & 5. suæ disputationis de Baptismo.

Prima est, Quia, inquit cap. 3. post citata verba apud S. Marcum, hæc sequuntur; "Signa autem „eos qui crediderint, hæc sequentur; in nomine meo „dæmonia ejicient, linguis loquentur novis, &c." At cum illa conspicua Spiritus sancti dona jam cessaverint, dicendum est, & cessasse præceptum Baptismi, quod cum illis conjunctum erat.

Secunda est, Quia, inquit cap. 5. præceptum Baptismi simile est præcepto abstinendi à sanguine & suffocatis, quod sane perpetuum non fuit, sed datum ad tempus, licet conjunctum cum præcepto fugiendi fornicationem, quod in perpetuum debet observari; ergo pariter, licet S. Petrus Act. 2. v. 38. utrumque simul præscripserit, pœnitentiam scilicet & Baptismum, dici tamen merito potest, Baptismi ritum temporaneum esse, licet pœnitentia semper sit necessaria.

Verum nullo negotio evertitur utraque Sociniana responsio.

Prima quidem: Si enim inferri merito possit, jam abrogatam esse Baptismi legem, quia cessarunt conspicua illa dona quibus initio Ecclesiæ ornebantur recens baptisati, concludi etiam poterit nullam quoque jam esse fidei necessitatem, propter eandem causam: dicitur enim de primis fidelibus, *signa autem eos qui crediderint, hæc sequentur*; at istud consequens non admittit Socinus. Distinguere igitur ille debuisset inter manifesta illa Spiritus sancti dona, quibus ad confirmandam nascentem Ecclesiam ornari debuere primi Fideles, & quæ proinde adulta jam Ecclesia cessare debuerunt; & inter ritus stabiles atque permansuros, qui omni tempore necessarii sunt, qualis est v.g. Baptismus, Eucharistia &c.

Secunda quoque responsio plane nulla est. Ubi enim unquam legit Socinus, Apostolos utrumque præceptum baptisandi & abstinendi à sanguine & suffocatis inter se contulisse, & ejusdem plane conditionis fecisse? Quam latum enim est inter utrumque discrimen! Namque 1. Christus est auctor præcepti Baptismi; Apostoli vero abstinentiæ à sanguine & suffocatis. 2. Ratio hujus abstinentiæ temporalis fuit, & ad œconomicam Ecclesiæ disciplinam spectans, nempe ne infirmi quidam Judæi scandalum paterentur, si promiscue licitum foret uti sanguine & suffocatis; Baptismi vero lex perpetua fuit, non tantum ad distinctionem Fidelis ab Infideli, sed ad regenerationem & sanctificationem fidelium cujuscunque sexus, ætatis, conditionum & temporum. 3. Ipsi Apostoli decretum de suffo-

cato &

suffocato & sanguine interpretati sunt in suis Epistolis, & plane confirmata libertate Christiana tanquam inutile abrogaverunt 1. Corinth. 10. & Coloss. 2. eidem tamen ejusdem decreti partem, quæ spectat fornicationem, confirmarunt, & in perpetuum observandam esse monuerunt: quia nempe fornicatio non ideo tantum mala est, quia prohibita, sed idcirco prohibita, quia per se mala, contra falsam nonnullorum Gentilium opinionem; ergo toto Cœlo aberrat, qui existimat Apostolos idem de præcepto Baptismi statuisse, quod de præcepto abstinendi à sanguine & suffocato.

Hactenus manus nobis dedere Lutherani & Calvinistæ, ut adversùs Socinianos demonstretur, Baptismi præceptum perpetuum esse ac universale, quo obstringuntur omnes adulti: nunc se illis contra nos adjungunt, ut impugnent ejusdem Baptismi absolutam seu medii necessitatem; sed hac variatione satis ostendunt nihil apud se fixum esse: quo enim jure Scripturæ testimonia, quæ nos adducimus pro necessitate medii Baptismatis, illi detorquent & de sola necessitate præcepti exponunt, ita Sociniani testimonia Scripturæ, quæ Lutherani & Calvinistæ proferunt pro universali & perpetua lege Baptismi, detorquent pariter ac de lege ad tempus lata interpretantur; atque, ut jam observavimus, nullus inter eos judex esse potest, qui litem illam dirimat, quandoquidem nec Ecclesiæ, nec Traditionis auctoritas ab illis agnoscatur.

Probatur secunda pars de necessitate medii, ex Scripturis, quæ à contortis Socinianorum & aliorum expositionibus vindicantur.

Primum argumentum petitur ex c. 3. S. Joan. v. 5. ubi Christus alloquitur Nicodemum & ait: "Nisi „quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non po„test introire in Regnum Dei." Decretoria plane sententia, & tam claris verbis expressa, ut Pelagiani illius evidentia superati, etsi non fuerint negare necessarium esse absolute Baptismum, sed novo figmento distinguere maluerint inter Regnum Cœlorum & vitam æternam, ut jam observavimus qu. 1. art. 2. in solutione ad primam objectionem: ut nempe infantes sine Baptismo morientes excluderent quidem à Regno Cœlorum, propter verba Christi mox relata, vita tamen æterna donarent propter innocentiam.

Novatoribus nostris Lutheranis & Calvinistis tam clara etiam visa est hæc Christi sententia ad exprimendam absolutam seu medii necessitatem, ut coacti fuerint verba Christi ad metaphoricum sensum detorquere, nec de vero aquæ Baptismo interpretari, adversus quos editus est ex professo Canon secundus Sessionis 7. Conc. Tridentini.

Sociniani qui ex Calvinistis hauserunt hujus loci metaphoricam & figuratam explicationem, eadem quoque licentia usi sunt ut ista verba Christi Matth. 28. „Euntes docete omnes gentes, baptisantes eos in nomi„ne Patris, & Filii, & Spiritus sancti," ad metaphoricum pariter sensum detorquerent: neque licentiam hanc ipsis vitio vertere merito possunt Calvinistæ, cui ipsimet locum & ortum dedere.

Verum ipsa varietas & inconstantia Calvinistarum in hoc Christi testimonio Joan. 3. versando, satis ostendit difficile esse à primo, naturali, obvio & communi verborum sensu discedere. Namque ista erronea opinione occupati, nempe filios Christianorum per fidem parentum & pactum Christi salvos fieri, consequens est ut negent, Baptismum esse ipsis absolute ad salutem necessarium, & verba Christi relata Joan. 3. quæ necessitatem illam manifeste exprimunt, à naturali & obvio sensu deflectant ad figuratum & metaphoricum. Aliunde vero cum iidem adversus Anabaptistas probant infantes esse baptisandos, non alio firmiori argumento utuntur, quam eo quod petitur ex citatis Christi verbis Joan 3. quasi illi obliti essent, se verba illa non intelligere de vero aquæ Baptismo: adeo verum est parum sibi constare & cohærere errorem, ac spreto Ecclesiæ Judicio mentem nostram perpetuo fluctuare, ac circumferri omni vento doctrinæ: sed hæc sufficiant pro isto primo argumento. Lege quæ diximus supra Quæst. 1. Art. 2. in solutione ad primam objectionem, de illo Christi testimonio apud S. Joan. cap. 4. vers. 5.

Secundum argumentum petitur ex iis locis in quibus salus æterna, regeneratio & renovatio hominis, peccatorum remissio, Baptismo annexa legitur. Joan. 3. v. 5. mox citato. Ephes. 5. v. 25. & 26. "Christus „dilexit Ecclesiam & seipsum tradidit pro ea, ut illam „sanctificaret, mundans lavacro aquæ in verbo vitæ.

Ad Titum 3. v. 5. "Salvos nos fecit per lavacrum „regenerationis & renovationis Spiritus sancti," Somniat haud dubie Socinus, cum respondet his in locis sermonem esse dumtaxat de interiori animæ lavacro seu mundatione per gratiam, non de vero aquæ Baptismo: utrumque enim Apostolus exprimit, sanctificationem, per aquæ lavacrum.

Actorum 2. v. 38 "Baptisetur unusquisque vestrum „in remissionem peccatorum," ait S. Petrus. Et c. 22, v. 16. *Quid moraris?* inquit Ananias ad Paulum: „exurge & baptisare, & ablue peccata tua invocato no„mine ipsius." Neque vero scopum attingit Socinus c. 7. suæ disputationis, cum ait verba hæc, *ablue peccata tua*, connectenda non cum verbo præcedente, *baptisare* sed cum sequentibus *invocato nomine ipsius*; ita ut remissio peccatorum detur invocationi nominis Christi, non aquæ Baptismo. Namque 1. gratis omnino & absque ullo prorsus fundamento talis fingitur verborum connexio & constructio; quod si cuilibet ad arbitrium verba sacra connectere cum aliis, transferre, seponere liceat, nihil tam firmum erit quod perditus aliquis convellere non tentet. 2. Quæ etsi talis supponeretur qualis à Socino fingitur, & peccatorum remissio fidei seu invocationi nominis Christi tribuatur, an propterea excludi deberet Baptismus aquæ, cujus toties expressam mentionem facit sacer Contextus? non profecto. Neque plus urget quod addit, verbum, *mundandi, purgandi, remittendi peccata &c.* cum Baptismo accommodatur, non rem ipsam, sed rei declarationem significare; id est, Baptismum nudum signum esse quo declaratur jam dimissa esse per fidem peccata. Quod ut probet, remittit lectorem ad caput 13. & 14. Levitici, ubi cum de mundatione leprosi agitur, verbum, *mundare, sanare*, usurpatur pro mera declaratione mundationis jam factæ.

Nenque Baptismus signum quidem est remissionis peccatorum, non vacuum & iners, sed practicum & efficax, tanquam instrumentum Christi; hoc enim importat particula causalis, *per*, qua utitur S. Paulus citato c. 3. v. 5. Epistolæ ad Titum. Neque si aliquando in Scripturis verbum, *mundare &c.* usurpatur pro rei declaratione, sequitur nusquam significare rem ipsam effective productam: alias dicere quis posset, Christum, qui peccata remisit Magdalenæ, vere ea non remisisse, sed declarasse dumtaxat esse remissa. Sacerdos legalis vere à lepra non mundabat, sed mundatum declarabat; ejus tamen declaratio mere otiosa non erat ac sterilis, siquidem jus conferebat ad civilem cum aliis societatem, & legalem quamdam seu carnis munditiem efficiebat: Sacramenta vero Christi non exteriorem, sed interiorem animæ purgationem operantur.

S. Petrus Epistolæ 1. c. 3. v. 21. comparans Baptismum cum Arca Noe, seu rem figuratam cum figura, docet homines per Baptismum salvos fieri, sicut salvi

salvi facti sunt ab aquis diluvii qui in Arca inclusi fuere, „in qua, *inquit*, pauci, id est octo animæ salvæ factæ „sunt per aquam; quod vos nunc similis formæ salvos „facit Baptisma.

Socinus citata toties disput. de baptismo c. 12. ad solitum effugium se recipit, nempe S. Petrum sensu metaphorico Baptismi vocem hic usurpasse, pro interna mundatione animæ, quæ tam necessaria est ut salvi fimus, quam necessaria fuit Arca, ut ab aquis diluvii emergerent qui in ea includebantur. Fundamentum responsionis petit ex verbis sequentibus S. Petri; „non carnis, *inquit*, depositio sordium, sed conscientiæ „bonæ interrogatio in Deum per resurrectionem Jesu „Christi.

Verum natura comparationis quam S. Petrus instituit inter Arcam & aquas diluvii, & Baptismi aquas salutares, huic solito Socini effugio locum non relinquit, ac eum verum aquæ Baptismum intellexisse manifeste demonstrat. Nec ullius momenti est probatio adducta: merito enim declarat Apostolorum princeps, Baptismi effectum positum non esse in emundatione seu depositione sordium corporis, sed in purgatione animæ interiori; idque apposite omnino adversus falsam Judæorum persuasionem, qui se justos & puros arbitrabantur, si pluries in die corpus lavassent frequentibus illis lotionibus de quibus loquitur S. Marcus c. 7. v. 3. & 4.

Ex his porro Scripturæ testimoniis secundo nostro argumento adductis, & aliis ejusmodi sic arguimus: Illud est absolute necessarium, seu medii, ut dicitur, necessitate ad salutem, cui annexa est salus, animæ mundatio, interior regeneratio & renovatio, peccatorum remissio; atqui talis est Baptismus; ergo &c.

Neque ulla fit exceptio eorum qui sunt à Fidelibus parentibus progeniti, sed omnibus indistincte dicitur, „Qui baptisatus non fuerit, condemnabitur. Nisi „quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non po„test introire in Regnum Dei. Et vero filii Fidelium nascuntur obnoxii peccato originali, sunt filii iræ & indignationis, sicut alii omnes; atque parentum fides prodesse iis non potest, nisi quatenus impellit eos ed remedium Baptismatis à Christo institutum ipsis conferendum. Jacob & Esau filii erant optimi parentis Isaac; Deus tamen Jacob dilexit, Esau autem odio habuit. David pariter erat filius hominis fidelis, & tamen Ps. 50. v. 7. dicit, „Ecce in iniquitatibus conceptus sum, & in „peccatis concepit me mater mea." Hinc ita SS. Patrum sententia, homines "Christianos non nasci, sed „fieri," nempe per Baptismum. Ita Tertull. Apolog. c. 18. S. Hieronymus Epist. 57. ad Lætam. Divino ergo judicio relinquere debemus eos infantes qui sine Baptismo ex hac vita discedunt, nihil de illis sentire aut scribere, nisi quod Scriptura & traditio docet, à quibus regulis nulli Christiano licet discedere. Ut enim observat antea citatus Bellarminus, nostra nec severitas clementia interest illis aut nocere, aut prodesse; veruntamen quæ dat quodam Catechismus Romanus parte 2. de Baptismo n. 30. "Nihil magis necessarium videri, „quam ut doceantur omnibus hominibus Baptismi legem à Domino præsceptam esse, ita ut, nisi per gratiam Baptismi Deo renascantur, in sempiternam miseriam & interitum, à parentibus, sive illi fideles, sive in„fideles sint, procreentur." Ex quibus satis intelligitur, quale sit ferendum judicium de sententia Cajetani, & aliorum nonnullorum prius memorata.

P. 1. C. Tom. 4. par. 1. p. 590.

Tertium argumentum petimus ex iis testimoniis quibus constat nos per Baptismum induere Christum, ejusdem spiritus & corporis fieri membra, ejusdem fidei, unionis ac charitatis esse participes, unius Dei esse cultores; quæ quidem totidem sunt necessitatis absolutæ argumenta.

I. Per Baptismum Christus induitur, sine quo nulla speranda salus, Galat. 3. v. 27. "Quicunque in „Christo baptisati estis, Christum induistis." Induere autem Christum, in phrasi Scripturæ, est Christo conformem fieri imitatione virtutum & bonorum operum. Rom. 6. v. 3. & 4. & c. 13. v. 14. Coloss. 2. vers. 12.

Socinus cap. 10. suæ disputationis fatetur eo loci loqui Apostolum de vero aquæ Baptismo, sed negat per ista, *Christum induistis*, significari, revera Galatas Christum in Baptismo induisse, sed tantum eos promisisse & professos fuisse quod vellent Christum induere; solus quippe Deus, ait Socinus, potest scire an ipsi quis in Baptismo Christum induat; solus enim intuetur cor, ac dispositiones cum quibus ad Baptismum quis accedit. Probabile autem esse Galatas non induisse Christum, innuit ipse Apostolus, cum c. 3. miratur eos tam cito transferri ab eo qui ipsos vocaverat in Christi gratia, ad aliud Evangelium; unde dementes eos & fascinatos appellat. Addit Wolkelius, istam particulam, *quicunque*, vel, *quotquot baptisati estis*, innuere aliquos tantum inter Galatas, non vero omnes baptisatos fuisse, hincque colligit Baptismum ad omnes non pertinere.

Verum cum Apostolus absolute affirmat Galatas Christum induisse quando baptisati sunt, respicit tantum ad virtutem & efficaciam Baptismi, cujus participes esse debuerant Galatæ, qui per Baptismum Christo nomen dederant, & se legem ipsius sequi velle professi fuerant; quamquam fieri potuit eorum nonnullos Baptismi gratiam non percipere, propter pravam aliquam conscientiæ dispositionem. Ut autem ita absolute pronuntiet Apostolus, satis est, quod ad hoc institutus sit Baptismus, ut Christus induatur, non interius tantum per gratiam, sed etiam exterius per publicam & externam fidei Christianæ professionem, quæ Baptismo semper præmittebatur. Quod addit Socinus, plane vanum est, quasi non potuerint Galatæ à gratia baptismali brevi excidere præ humana constantiæ & inhonestate. Observatio Wolkelii ejus oscitantiam & imperitiam prodit; nemo enim ignorat, particulam hanc, *quotquot, quicunque*, apud Auctores tum prophanos tum sacros, non semper vim habere exceptivam, ut cum S. Paulus 1. ad Timoth. 6. v. 1. ait; *Quicunque sunt sub jugo servi*, non innuere vult ex servis alios esse sub jugo, alios non esse; sed omnes haud dubie sub jugo esse intelligit.

II. Per Baptismum nos ejusdem & unius Spiritus participes, ejusdemque corporis membra fieri, docet Apostolus 1. Corinth. 12. v. 13. "In uno Spiritu, „*inquit*, omnes nos in unum corpus baptisati sumus, „sive Judæi, sive Gentiles, sive servi, sive liberi; & om„nes in uno Spiritu potati sumus." Ergo sicut nemo potest salvus fieri, nisi unus sit cum Christo spiritus, et Ecclesiæ membrum fiat; ita quoque nisi baptisetur, cum per Baptismum & unus cum Christo spiritus, & Ecclesiæ membrum evadat.

Socinus cap. 8. suæ disputationis contendit eo loci Apostolum loqui dumtaxat de interiori per gratiam Baptismo, sicut de interiori potu; non vero de externo per aquam vero Baptismo, aut potu.

Verum, etsi non diffiteamur, nonnullis ex Catholicis explicationem hanc probari, ea tamen rejici non debet; imo potius accommodata videtur ad scopum & institutum Apostoli, quo hortatur Fideles ad mutuam unionem & charitatem, quia sunt ejusdem spiritus participes & ejusdem corporis membra; illius eutem communitatis seu spiritus & fidei participationis debet esse aliquod externus symbolum, quo nempe omnes Fideles inter se colligentur, & in unum religionis nomen adunentur; symbolum autem illud externum, est Baptismus & Eucharistia, quia omnes Christiani ejusdem Baptismi, ejusdemque mensæ participes sunt. Igitur per Baptismum & potum intelligit Apostolus verum aquæ Baptismum & verum

Eucharistiæ Sacramentum. Neque est quod dicat Socinus, eos omnes qui baptisantur, non fieri participes interioris spiritus, nec vera Christi membra : namque satis est quod id postulet & efficiat Baptismus quantum est ex se; licet per accidens, & ratione subjecti obicem gratiæ ponentis, suo interdum frustretur effectu.

III. Denique unitatem Dei, fidei, spei & charitatis probat & commendat Apostolus ex unitate Baptismi. Ephes. 4. v. 3. " Solliciti, *inquit*, servare unitatem „spiritus in vinculo pacis. Unum corpus & unus spi„ritus, sicut vocati estis in una spe vocationis vestræ ; „unus Dominus, una fides, unum Baptisma, unus Deus „& pater omnium." Sicut igitur necesse est ad salutem, ut unum agnoscamus & colamus Deum, ut unam fidem, spem ac charitatem habeamus; ita quoque unum Christi Baptismum, in quo fidei in unum Deum professio publica emittitur.

Socinus c. 9. more suo Baptismatis nomen hic metaphorice usurpandum esse pro sola interiori gratia Spiritus sancti contendit, non aliis nixus rationibus quam iis, quas antea refutavimus. Verum si Baptismi vocem ibi metaphorice sumendam pugnaciter ille contendat, quidni alter Socinu non minus perditus cavillator, per fidem, militare Sacramentum; per Dominum, Regem, per spiritum, aerem interpretabitur? Adde quod Baptismus spiritualis, prout contra Baptismum aquæ distinguitur, non sit aliquid à fide, spe, charitate, aliisque donis Spiritus sancti distinctum; & tamen Apostolus ea distinguit, ac variis exprimit terminis.

Probatur 2. Conclusio, ex constanti & perpetua Traditione Ecclesiæ.

Dissentiunt à se invicem Sociniani, & Novatores Calvinistæ.

Socinus ratus Baptismum ritum esse liberum & indifferentem, docet c. 15. disp. de Baptismo, non semper ab Ecclesia usurpatum fuisse, quod probat duplici momento : primo, ex Lib. 7. Hist. Eusebii c. 8. ubi, referente Dionysio Alexandrino, Novatus dicitur Baptismum abrogasse; secundo, ex Can. 9. Concilii generalis Nicæni I. in quo Cathari seu Novatiani recipiuntur ad Ecclesiam redeuntes, per pœnitentiam, nulla facta Baptismi mentione.

Verum non potuit Socinus vel malitiam, vel crassiorem imperitiam suam apertius prodere. Quantum enim spectat ad primum, certum est Novatum non penitus abrogasse Baptismum; ille siquidem non tantum suos baptisabat, sed etiam baptisatos à Catholicis iterum tingebat, & quidem eadem observata forma quæ à Catholicis ex præscripto Christi observabatur, sicut colligimus ex S. Cypriano Epist. 69. ad Magnum, & & Epist. 73. ad Jubajanum. Hoc igitur dumtaxat sensu dicitur baptismum abrogasse, quod repetendo Baptismum à Catholicis collatum, illum quasi nullum haberet & abrogaret. Ad secundum; mirum non est Catharos à Concilio Nicæno per solam pœnitentiam admitti, utpote qui legitime baptisati fuissent, nec iterari debeat Baptismus legitima forma quocunque collatus. Ad non idem de Paulianistis Can. 19. decernit Concilium, quos jubet baptisari ubi ad Ecclesiam redeunt. Quid ita? quia illi legitima & à Christo præscripta forma baptisati non fuerant; atque vel ex hoc ipso Canone intelligere debuerat Socinus, quam constans & perpetuus fuerit semper in Ecclesia Christi Baptismatis usus, quam certa necessitatis illius apud omnes Fideles persuasio.

Novatores nostri, etsi contra Socinum contendant Baptismi legem & usum perpetuum & constantem semper fuisse in Ecclesia, omnesque ejus præcepto teneri vel pro se, vel pro aliis quorum curam gerunt; negant tamen veteres, ante Ambrosium & Augustinum, Patres tantam illius agnovisse necessitatem, ut infantes sine illo morientes æternum pereant. Scilicet volunt illi, Augustinum imprimis æstu disputationis adversus Pelagianos abreptum longius quam par esset processisse, atque necessitatem hanc contra Veterum sententiam excogitasse ac defendisse.

Satis igitur nobis erit, si ex testimoniis Veterum Ambrosio & Augustino ætate superiorum, ostendamus eandem semper viguisse fidem pro necessitate absoluta Baptismi; nihil ab Augustino & sequentibus eam in rem assertum, quod à suis prædecessoribus certa traditionis serie non acceperint. Duplici autem via id demonstrabimus. 1. recensendo testimonia Veterum ex tribus primis Ecclesiæ sæculis; subsequentes enim nostros esse concedere videntur Novatores. 2. generalibus quibusdam momentis ex usu & praxi Ecclesiæ perpetua depromptis.

PRIMUM ARGUMENTUM.

Ex testimoniis Veterum.

S. Justinus Apolog. 2. pro Christianis, postquam recensuit dispositiones quibus instructos esse debent qui baptisari cupiunt, sic pergit; " Deinde eo adducuntur „à nobis ubi aqua est, atque eo regenerationis modo „quo ipsi regenerati sumus, regenerantur. Nam in „nomine rerum cunctarum parentis & Domini Dei „& Servatoris nostri Jesu Christi, & Spiritus sancti in „aqua tum lavantur. Christus enim ipse dixit: Nisi re„generati fueritis, non intrabitis in Regnum Cœlorum. Rationem necessariæ illius per Baptismum regenerationis ibid. repetit S. Doctor ex peccato quod nascendo contrahimus. " Rationem autem illius rei, *inquit*, ab „Apostolis illam accepimus. Quandoquidem priorem P. 94. C. „nativitatem nostram ignorantes, necessitate quadam, „liquido genitali satu, mutua parentum mixtione inter„cedente, pro generati sumus, & in malis moribus pra„vaque consuetudine educti, ut ne necessitatis & igno„rantiæ liberi permaneamus, sed delectus & scientiæ „filii fiamus, ac remissionem ante commissorum pecca„torum consequamur in aqua. Igitur ex S. Justino, aquæ Baptismus à Deo institutus & ordinatus est, ut homo spiritaliter renascatur, ac peccatorum remissionem obtineat. Sicut igitur sine illa regeneratione servari nemo potest, ita etiam nec sine Baptismo, aut ejus voto.

S. Irenæus Lib. 3. c. 17. alias 19. " Sicut, *inquit*, P. 208. n. 2. „de arido tritico massa una fieri non potest sine hu„more, neque unus panis, ita nec nos multi unum fieri „in Christo Jesu poteramus sine aqua, quæ de cælo est. „Et sicut arida terra, si non percipiat humorem, non „fructificat; sic & nos, lignum aridum existentes pri„mum, nunquam fructificaremus vitam, sine superna „voluntaria pluvia. Corpora enim nostra per lavacrum „illam, quæ est ad incorruptionem, unitatem acceperunt; „animæ autem per spiritum. Unde & utraque necessa„ria, cum utraque proficiunt in vitam Dei, miserante „Domino nostro.

Lib. 2. c. 22. alias 39. docuerat infantes necessario P. 147. n. 4. esse baptisandos. At necessitas ejusmodi non tantum præcepti, cujus illi sunt incapaces, sed medii seu absoluta supponi debet à S. Irenæo. Et vero comparationes quibus utitur in priori testimonio, eo tendunt ut attendenti patebit.

Tertullianus Lib. de Baptismo ex professo Baptismi necessitatem probat adversus Quintilianos & Cajanos. „Sic ergo, *inquit c.* 13. scelestissimi illi provocant quæ- P. 229. C. D. „stiones. Adeo dicunt, Baptismus non est necessarius, „quibus fides satis est; nam & Abraham nullius aquæ, „nisi fidei Sacramento Deo placuit." En Hæreticorum illorum objectio, cui sic Tertullianus: " Fuerit salus retro „per fidem nudã ante Domini passionem & resurrectio-

nem;

„nem: at ubi fides aucta est credendi in nativitatem, „passionem, resurrectionemque ejus, addita est ampliatio Sacramento, obsignatio Baptismi, vestimentum „quodammodo fidei, quæ retro erat nuda, nec potest „jam sine sua lege. Lex enim tingendi imposita est, & „forma præscripta: Ite, inquit, docete nationes, tingentes eas in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti. „Huic Legi collata definitio illa, Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non intrabit in Regnum Cælorum: obstrinxit fidem ad Baptismi necessitatem. Itaque omnes exinde credentes tingebantur: tunc & „Paulus ubi credidit, tinctus est." Nihil potuit Tertullianus disertius proferre adversus Socinianos & Novatores Calvinistas, ut Baptismi necessitatem tum præcepti, tum medii demonstraret.

S. Cyprianus in famosa, quam cum Stephano S. Pontifice habuit, controversia de Baptismo ab Hæreticis dato, supponit absolute necessarium esse ad salutem Baptismum, atque hac erronea occupatus sententia, apud Hæreticos verum non esse Baptisma Christi, ab illis baptisatos iterum baptisabat ut vitam æternam

P. 121. asse qui possent.: *Quia*, inquit Ep. 72. ad Stephanum, „parum est eis manum imponere, nisi accipiant & Ecclesiæ Baptismum. Tunc enim demum plene sanctificari & esse filii Dei possunt, si Sacramento utroque „nascantur, cum scriptum sit: Nisi quis renatus fuerit &c." Idem repetit Ep. 73. ad Jubajanum, simulque occupat & solvit istam objectionem (quam

P. 127. Novatores nostri adoptarunt) nempe, "Si quis antequam in Ecclesia baptiseretur, in confessione nominis „apprehensus fuerit & occisus, an spem salutis & præmium confessionis amittit eo quod ex aqua non fuerit prius renatus?" cui objectioni respondet sanctus Martyr, ejusmodi "non privari Sacramento Baptismi, „utpote qui baptisentur gloriosissimo & maximo sanguinis Baptismo: quod idem est ac si diceret, Baptismum aquæ suppleri per contritionem perfectam & martyrium.

In Concilio Carthaginensi an. 256. cui præfuit S. Cyprianus, & adfuere Episcopi 87. Nemesianus à Tubunis probans baptisatos ab Hæreticis debere vero Ecclesiæ Baptismo iterum tingi, adducit istud Christi Joan. 3. "Nisi quis renatus fuerit &c. Hic est, *inquit*,

Tom. 1. Conc. p. 787. E. Ibid. p. 788 B. „Spiritus qui ab initio ferebatur super aquam. Neque „enim Spiritus sine aqua operari potest, neque aqua „sine Spiritu. *Et postea*: Nisi ergo acceperint Baptisma „salutare in Ecclesia catholica, quæ una est, salvi esse „non possunt, sed cum carnalibus in judicio Domini „damnabuntur." Cum ait Episcopus ille, Spiritum non posse agere sine aqua, intelligi debet de potentia & lege Dei ordinaria; absolute enim potest, cum virtus ipsius non sit Sacramento alligata.

Denique idem S. Doctor consultus à Fido in Africa Episcopo, an infantes baptisari debeant ante octavum à nativitate diem, respondet Epist. 59. in suo Provinciali Concilio sexaginta sex Episcoporum statutum fuisse, eos ante illum diem baptisari posse & debere, ut à noxa originali liberentur. "Quanto magis, *inquit*, prohi-

P. 96. „beri non debet infans qui recens natus nihil peccavit, „nisi quod secundum Adam carnaliter natus, contagium mortis antiquæ prima nativitete contraxit, qui „ad remissam peccatorum accipiendum hoc ipso facilius accedit, quod illi remittuntur, non propria, sed „aliena peccata?" Porro infantes, ut jam observatum fuit, non tenentur lege Baptismi vi solius præcepti cujus sunt incapaces; ergo quia est medium à Deo institu-

To. 2 p. 593. A. tum ad eluendam originalis peccati labem. Decretum hoc S. Cypriani & Coepiscoporum ejus expendens S. Augustinus Ep. 166. alias 28. Hieronymum, ait novam non esse definitionem, sed firmissimam Ecclesiæ

Edit. Batav. 1616 p. 69. A. fidem.

S. Clemens Alexandrinus Lib. 1. Pædagogi cap. 6. „Tincti, *inquit*, illuminamur, in filios adoptamur.... „vocatur lavacrum per quod peccata abstergimus; To. 1. p.
„gratia qua remittuntur pœnæ quæ peccatis debentur." 90. H.

Origenes Hom. 8. in Leviticum. "Quid causa sit, „*inquit*, cum Baptisma Ecclesiæ in remissionem peccatorum detur, secundum Ecclesiæ observantiam etiam parvulis Baptismum dari; cum utique si nihil To. 2. p.
„esset in parvulis quod ad remissionem & indulgentiam 142. L.
„pertineret, gratia Baptismi superflua videretur. *Et* „*Hom. 14. in Lucam*: Quia per Baptismi, *inquit*, „Sacramentum nativitatis sordes deponuntur, propterea baptisantur & parvuli. Nisi enim quis renatus fue- Ibid. p.
„rit ex aqua & Spiritu, non potest introire in Regnum 355. A.
„Cælorum." Et Lib. 5. in c. 6. ad Romanos: *Pro hoc*, B.
inquit, [nempe peccato originalis] "Ecclesia ab „Apostolis traditionem suscepit etiam parvulis Baptismum dare. Sciebant enim.... quia essent in omnibus genuinæ sordes peccati, quæ per aquam & Spiritum sanctum ablui deberent, propter quas etiam corpus ipsum corpus peccati nominatur.

S. Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi 3. ait: P. 16. C.
„Qui in aquam descensurus es, non aquæ simplici men- D.
„tem adhibe, sed Spiritus sancti virtute salutem suscipe; „nam sine utrisque ad perfectionem reduci non poteris.... Et si quis non baptisatur, salutem non habet, P. 19 D.
„præter solos Martyres, qui sine aqua Regno cœlesti „potiuntur.

Mitto innumera Baptismi ejusque virtutis magnifica apud Veteres encomia, de quibus, ubi de variis nominibus Baptismi, initio hujus Tractatus disserebamus. Mitto etiam ea Veterum testimonia quæ pro fide peccati originalis laudavit S. Aug. adversus Pelagianos, à quibus accusabatur quod omnium primus opinionem hujus peccati invexisset; nempe Rheticii Augustodunensis Olympii in Hispania Episcopi, S. Hilarii, S. Basilii, S. Gregorii Nazianzeni, S. Chrysostomi, S. Ambrosii, qui omnes dum adstruunt fidem peccati originalis, necessitatem remedii, nempe Baptismi, eadem via demonstrant.

His veterum suorum prædecessorum præsidiis muniti, ac immotis fidei antiquæ terminis inhærentes, non vero ultra meras abrepti, sicut calumniantur Novatores, Ambrosius & Augustinus tantam agnovere necessitatem Baptismi, ut, excepto martyrii ac perfectæ contritionis casu, nullus sine eo possit æternam saltem asse qui. Unde merito.

S. Ambrosius Lib. de Misteriis c. 4. ait: "Credit To. 2. p.
„Catechumenus.... sed nisi baptisatus fuerit in nomine 350. B.
„Patris &c. remissionem non potest accipere pecca- To. 1. p.
„torum, nec spiritualis gratiæ munus haurire." Et L. 348. F
„2. de Abraham c. 11. n. 79. "Nemo, *inquit*, ascendit „in Regnum Cœlorum, nisi per Sacramentum Baptis„matis." Et n. 84. exponens ista Christi verba, Ibid. p.
„Nisi quis renatus fuerit &c. Utique, *inquit*, nullum ex- 351. A.
„cipit, non infantem, non aliqua præventum necessitate

S. quoque Augustinus Lib. 3. de origine animæ To. 10. p.
c. 9. "Noli, *inquit*, credere, nec dicere, nec docere, in- 379. C.
„fantes, antequam baptisentur morte præventos, „pervenire posse ad originalium indulgentiam „peccatorum, si vis esse Catholicus." Et Epist. 166. alias 28. ad Hieronymum: "Quisquis dixerit, quod in To. 2. p.
„Christo vivificabuntur etiam parvuli, qui sine Sacra- 591. B
„menti ejus participatione de vita exeunt, hic profecto „& contra & Apostolicam prædicationem venit, & totam condemnat Ecclesiam, ubi propterea cum baptisandis parvulis festinatur & curritur, quia sine dubio „creditur aliter eos in Christo omnino vivificari non „posse.

Magistro suo subscribunt fidelissimi discipuli, Fulgentius & Prosper.

S. Fulgentius Lib. de fide ad Petrum c. 27. "Firmis- Edit.
„sime tene, *inquit*, & nullatenus dubites, non solum Paris.
„homines jam ratione utentes, verum etiam parvulos, 1684. p.
„qui sive in uteris matrum vivere incipiunt, & ibi mo- 527.
„riuntur.

"riuntur, sive cum de matribus nati sine Sacramento "sancti Baptismatis, quod datur in nomine Patris &c. "de hoc sæculo transeunt, ignis æterni sempiterno sup-"plicio puniendos.

S. Prosper Lib. 2. de Vocatione Gentium cap. 20. agens de multitudine infantium qui non recipiunt Baptismum, quamvis Deus velit omnes salvos fieri, affirmat nihilominus eos æterna vita privari. " Quid hoc
Ed. post. p. 908. E. "profundius, *inquit*, quid mirabilius esse potest? Ne-"que enim credi fas est, eos qui regenerationis non ad-"epti sunt Sacramentum, ad ullum Beatorum pertinere consortium.

Denique perpetuam hanc Ecclesiæ fidem suo suffragio confirmarunt quatuordecim Episcopi Græci in Concilio Diospolitano, teste Augustino Epist. 186. ad
To. 2. p. 674. Paulinum, aliàs 106. cap. 9. Latini in Concilio Carthaginensi, qui scribunt Innocentio S. Pontifici de Actis
Ibid. p. 619. adversùs Pelagium Epistolam, quæ inter Augustinianas est n. 175. aliàs 90.

SECUNDUM ARGUMENTUM.

Ex usu & praxi Ecclesiæ perpetua, ac generalibus quibusdam momentis.

I. Ex perpetuo & constanti Baptismatis usu in Ecclesia semper observato, firmissimum ejus necessitatis absolutæ argumentum deducitur. Fides quippe nostra non modo ex Scriptis Veterum quæ supersunt, sed etiam ex praxi, usu, & factis ipsis, in quibus viva quædam ac spirans traditio continetur, validissimè comprobatur. Sic probabat olim S. Augustinus gratiæ necessitatem adversùs Pelagianos, ex precibus quæ toto terrarum Orbe ad Deum semper fusæ sunt, usu & praxi nunquam interrupta; quod unum momentum, etsi cætera
To. 2. p. deessent, satis esset fidei nostræ veritati demonstrandæ.
623. G. *Ipsa oratio*, inquiebat Epistol. 177. ad Innocentium Summum Pontificem, alias 95. *clarissima est gratiæ testificatio.* Non alia igitur ratione duci potuit Ecclesia in constanti & perpetua Baptismi administratione, quàm quod illum ex Christi instituto ac præcepto omnibus & singulis ad salutem omnino necessarium esse intellexit.

II. Constantis & ubique receptæ fidei certius non est argumentum, quam erroris oppositi ubi primum caput extollit, publica proscriptio & damnatio: at statim proscripti sunt & pro Hæreticis ab Ecclesia habiti, qui necessitatem Baptismi variis temporibus impugnavere: secondo sæculo Cajani & Quintiliani; Manichæi tertio, Ascodrutæ, Archontici, Seleuciani & Hermiani quarto; Pelagiani quinto; & alii qui deinceps veteres ac jam sopitos errores excitarunt.

III. Constans semper fuit Ecclesiæ doctrina & praxis, infantes baptisari posse & debere, ut à labe originali purgati Regni cœlestis & vitæ æternæ participes fieri possent. Constat ex Cypriano Epistola ad Fidum, ex Concilio Carthaginensi & Milevitano apud S. Augustinum Epist. 175. & 176. aliàs 90. & 92. ubi Pa-
To 2. p. 619. F. tres Pelagianorum errores exponentes, ajunt: *Parvulos etiam propter salutem, quæ per Salvatorem Christum datur, baptisandos negant, ac sic eos mortifera ista doctrina in æternum necant.* Censent igitur Patres illi, idcirco baptisandos esse parvulos, quia salutem
Ibid. p. 592. B. alia via non possunt assequi; seu, ut loquitur S. Augustinus citata ad Hieronymum Epistola, *quia creditur aliter eos in Christo vivificari non posse.*

IV. Etsi statuta quædam forent tempora ad solemnem Baptismi administrationem, semper tamen provisum est ab Ecclesia, ut in periculo mortis & urgente necessitate, quæ legem nescit, sive infantibus, sive adultis in lecto ægrotantibus, quodlibet tempore per Sacramentum Baptismi subveniretur. Ita colligimus ex Conciliis antea citatis, Romano sub Cornelio, Neocæsariensi Can. 12. Antissiodorensi Can. 18. Matiscone- nsi II. Can. 3. Parisiensi VI. Can. 7. Ex S. Cypriano Epistola ad Magnum, ex Siricio Epistola ad Himerium Tarraconensem Episcopum, ex S. Leone Epistola 4. ad universos Episcopos per Siciliam constitutos: unde gravissimi peccati rei habebantur Sacerdotes, qui sine Baptismi subsidio aliquem ex hac vita migrare permittebant. Rationem affert Siricius mox laudatus, *Ne*, inquit, *Tom. 2.*
ad nostram perniciem tendat animarum, si, negato *Conc. p.*
desiderantibus fonte salutari, exiens unusquisque de 1018. D.
sæculo, & regnum perdat & vitam.

Atque inde est quod S. Augustinus Epist. 228. aliàs 180. ad Honoratum, & alii Veteres cum ipso ignavos illos Pastores tam graviter exagitent, qui persecutio- *To. 2. p.*
nis tempore fugientes ut vitæ suæ consulant, miseras 831. &
oves curæ suæ commissas derelinquunt, & omni ope spi- *seq.*
rituali ac Sacramentorum subsidio destitutas periculo damnationis æternæ exponunt. Inde quoque Episcopi ad martyrium rapti tantum sui desiderium suis populis relinquebant, nimirum propter spiritualem, quam ab ipsis per Sacramenta expectabant, opem. Sic audire est Fideles Africanos, suos Pastores dum ad martyrium ducerentur, alloquentes apud Victorem Vitensem
Lib. 2. de persecutione Wandalica? *Quibus nos*, in- *Bibliot.*
quiunt, *miseros relinquitis, dum pergitis ad coronas?* *PP. To. 8.*
Qui hos baptisaturi sunt parvulos fontibus aquæ per- *pag. 682.*
ennis? Qui nobis pœnitentiæ munus collaturi sunt, & A. B.
reconciliationis indulgentia obstrictos peccatorum vinculis soluturi?

V. Veteres eorum semper negligentiam damnarunt, qui ad finem usque vitæ Baptismum suum differebant; atque ejuscemodi in lecto baptisatos, in pœnam dilationis & negligentiæ, irregulares habuerunt ad sacros Ordines percipiendos, ut constat ex testimoniis supra relatis, ubi de antiquitate & necessitate trinæ immersionis agebamus Conclusione prima, & in solutione ad primam Objectionem. At, quæso, quo fundamento nixæ istæ querimoniæ, nisi quod per hanc dilationem exponerent sese periculo carendi Baptismo ad salutem plane necessario?

VI. Denique, non alia de causa ipsis laicis, etiam mulieribus, permisit Ecclesia in mortis periculo Baptismum administrare quam quod eum absolutè ad salutem necessarium esse semper judicavit.

Igitur hac inspecta & bene explorata Ecclesiæ totius fide, & nunquam interrupta Traditione, Concilium
Trident. Sess. 7. Can. 5. sic definit: *Si quis dixerit* *Tom 14.*
Baptismum liberum esse, hoc est non necessarium ad *Conc. p.*
salutem, anathema sit. Et Can. 2. de ista Christi apud 778. C.
S. Joan. cap. 3. sententia, *Nisi quis renatus fuerit &c.* *Ibid. A.*
Si quis dixerit aquam veram & naturalem non esse de necessitate Baptismi, atque adeo verba illa Domini, Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto &c. ad metaphoram detorserit, anathema sit.

Jam in Concilio Lugdunensi an. 1274. & in Floren-
tino an. 1439. definierat Ecclesia, *illorum animas qui* *Tom. 18.*
cum solo originali peccato decedunt (adeoque sine Ba- *Conc. p.*
ptismo) *mox in infernum descendere.* Igitur Ecclesia 515. D.
semper credidit Baptismum omnibus & singulis hominibus absolute necessarium esse ad salutem.

Solvuntur Objectiones.

Objicies 1. Ex citatis toties Christi verbis Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit &c.* inferri dumtaxat potest, necessarium esse Baptismum necessitate præcepti, non medii. Necessitas autem præcepti eos tantum obstringit, qui præcepti sunt capaces, adultos scilicet, non vero infantes.

Antecedens probatur: Quia illud necessarium est sola dumtaxat præcepti necessitate, cujus necessitas tota pendet ab institutione & mandato Christi, non vero ab interna rei ipsius natura & conditione, in hoc enim

stat totum discrimen necessitatis medii & præcepti. Sic v. g. necessitas fidei & gratiæ sanctificantis ad obtinendam salutem æternam, absoluta est ac simplex, seu medii, quia ex ipsamet natura & conditione fidei & gratiæ sanctificantis nascitur: atqui necessitas Baptismi & aliorum Sacramentorum tota pendet ex libera Dei voluntate; ergo &c.

Resp. nego maj. Ex sola quippe Dei voluntate ac institutione fit quòd aliqua Sacramenta absolutè seu necessitate medii, alia verò ex præcepto dumtaxat sint necessaria.

Instabis 1. Necessitas præcepti tam pendet ab una Dei voluntate ac institutione, quàm necessitas medii, & tam reus est peccati & à vita æterna excluditur, qui præceptum violat, quàm qui medium salutis omnino necessarium omittit; & ita si ad unam Dei instituentis voluntatem recurratur, confunditur necessitas medii cum necessitate præcepti.

Resp. nego conseq. Res quippe necessaria necessitate medii ex ipsa etiam Dei voluntate includit eum gratiæ interioris effectum, sine quo salus obtineri non potest, ut diximus inter Prænotata; talia sunt Sacramenta Baptismi & Pœnitentiæ. Non ita porrò est de rebus ex præcepto dumtaxat necessariis; quapropter non confunditur necessitas medii cum necessitate præcepti, etiam ex ipsamet Dei instituentis voluntate. Deinde in eo etiam distat necessitas medii à necessitate præcepti, quòd præceptum Dei positivum pro quolibet instanti non obligat, sed certo dumtaxat tempore; quare violati præcepti ille reus tantum habetur, quando præceptum non observat quo tempore tenetur illud observare. E contra quod necessarium est necessitate absoluta & medii, semper obligat.

Instabis 2. Quod necessarium est necessitate medii, nusquam suppleri potest: in eo non excusat aut ignorantia, aut impotentia; sine eo re aut voto saltem percepto salus haberi non potest: atqui talis non est Baptismus, suppleri etenim potest per martyrium & perfectam contritionem; in eo excusat ignorantia, aut impotentia: qui enim aut invincibiliter ignoraret mandatum & institutionem Baptismi, aut in iis esset angustiis in quibus eum non posset percipere, illi profectò defectus Baptismi ad culpam non imputaretur. Igitur sine eo re percepto, imò & sine ipsius voto ac desiderio potest quis salvus esse: qui enim nihil unquam de lege Baptismi audivisset, ac laboraret ea in re invincibili ignorantia, ille certè Baptismi votum seu desiderium elicere non posset: si tamen Deum super omnia charitate perfecta diligat, salutis æternæ particeps erit. Infantes pariter hujus voti sunt incapaces.

Major argumenti manifesta videtur in exemplo fidei & gratiæ sanctificantis, quæ suppleri nullatenus possunt, & sine quibus re perceptis salus obtineri non potest; quia scilicet necessariæ sunt necessitate medii, seu absoluta.

Resp. ad primum, distinguo: Quod necessarium est necessitate medii, suppleri non potest per aliud, si sit medium internum salutis, qualis est fides & gratia sanctificans, concedo: si sit medium dumtaxat externum, qualia sunt Sacramenta, nego. Ista quippe media pendent à libera Christi instituentis voluntate, qui ea ordinavit ad obtinenda media interna salutis: cùm igitur media illa interna salutis alia via possint obtineri, media externa tunc suppleri possunt; virtus enim Christi non est necessariò illis exterioribus signis alligata: ita suppleri potest Baptismus per martyrium & perfectam contritionem. Vide quæ diximus inter Prænotata.

Ad secundum: Ab eo quod est necessarium necessitate medii, non excusat aut ignorantia aut impotentia; à lege autem Baptismi excusat aut ignorantia aut impotentia, distinguo: à lege Baptismi sub ea ratione qua mandatum includit, excusat aut ignorantia aut impotentia; idest, qui invincibiliter ignorat Baptismum, aut non potest ex vera impotentia, secluso contemptu & negligentia eum percipere, ille reus non est violati mandati, neque præcisè damnabitur propter transgressionem illius, verum est: at æternæ damnationis reus est ille tum negativè, propter defectum gratiæ regenerantis; tum positivè, propter peccatum originale, vel etiam actuale non dimissum.

Ad tertium: Potest quidem sine Baptismo in re percepto per martyrium aut perfectam contritionem quis salvus esse, sed non sine voto seu desiderio Baptismi saltem implicito, quod in charitate perfecta semper includitur. In eo quidem qui invincibiliter ignoraret Baptismi legem, explicitum esse non posset Baptismi votum; sed implicitum eo in casu sufficeret, quod à charitate perfecta sejungi non potest: in eo verò qui legem Baptismi cognosceret, explicitum votum requireretur.

Instabis. In casu mox proposito Baptismi votum non magis necessarium videtur, nec magis includitur in contritione perfecta, quàm cujuscunque alterius mandati Christi; certum enim est eum qui Deum super omnia charitate perfecta diligit, ita debere animo affectum esse, ut omnia Christi mandata, ubi ea noverit, & adimplendi facultas dabitur, velit adimplere.

Resp. Revera in casu proposito Baptismi votum, quod supponitur tantùm implicitum, non magis includi in illa contritione perfecta, quàm cujuscunque alterius Christi mandati, adeoque non magis videri necessarium; verùm id per accidens est respectu Baptismi in eo casu singulari. Cùm enim docent Theologi, votum seu desiderium Baptismi saltem necessarium esse, loquuntur ex hypothesi quod promulgata sit & cognita lex Baptismi; quo casu docent, premente impotentia, saltem Baptismi desiderium seu votum explicitum habendum esse, quia Christus pro sua benignitate & clementia voluit, ut iis in angustiis sincerum Baptismi votum junctum cum perfecta contritione Baptismi ipsius vices & locum suppleret. Aliorum quidem mandatorum Christi votum generale & implicitum semper necessarium est, quod, ut diximus, à perfecta contritione non sejungitur; neque idcirco dicendum, mandata illa omnia, aut res quæ in mandatis habemus, esse in voto absolutè necessarias. Inter Prænotata enim observavimus, discrimen esse inter ista duo, nempe votum rei alicujus esse necessarium, & rem necessariam esse in voto: prius significat voluntatem observandi rem præceptam esse necessariam, quod verum est; posterius, rem præceptam tantæ necessitatis esse ad salutem, ut si non reipsa, saltem voto & desiderio haberi debeat, quod non semper verum est, in illis præsertim rebus, quæ ex solo præcepto sunt necessariæ, nec continent medium ad salutem absolutè necessarium: non tantùm autem necessarium est votum Baptismi, sicut & aliarum rerum quæ sub præceptum cadunt, sed necessarius etiam est Baptismus ipse in voto seu desiderio.

Instabis 3. Si vi istorum Christi verborum, *Nisi quis renatus fuerit* &c. inferatur Baptismum necessarium esse necessitate medii, inferri quoque poterit, eum æqualis necessitatis esse ac gratiam ipsam Spiritus sancti, ac consequenter sine eo re percepto nusquam posse obtineri salutem; sicut non potest obtineri sine gratia sanctificante actu recepta. Antecedens probatur, quia Scriptura utrumque per copulativam *&*, conjungit, *ex aqua & Spiritu*.

Resp. nego maj. Ejusque probationem: particula enim copulativa *&*, non semper demonstrat parem esse rerum, quas conjungit, necessitatem. Sic v.g. Act. 15. v. 20. de Gentibus S. Jacobus ait, necesse esse, *ut abstineant se a contaminationibus simulacrorum, & fornicatio-*

nicatione, *& suffocatis*, *& sanguine*. At dicet quis parem omnino esse necessitatem abstinendi ab idololatria, fornicatione, & à sanguine & suffocatis? absit; idololatria enim & fornicatio intrinsecè ex se malè sunt, nec ullo unquam honesto fine possunt cohonestari; unde jure ipso naturali prohibentur; at abstinentia à sanguine & suffocatis per se nec bona est nec mala, sed planè indifferens, & ex iis rebus quæ pro variis temporum circumstantiis, aut licitæ sunt aut prohibitæ; & reipsa lex illa ab Apostolis lata perpetua non fuit, sed ad tempus; igitur ex subjecta materia judicari debet, an particula *&*, conjungat res æqualiter necessarias. Porrò in adducto testimonio Joan. 3, particula *&*, res diversas omnino conjungit, nempe interiorem Spiritus sancti gratiam, quæ ex propria natura absolutè est necessaria, & exteriorem Baptismi ritum, qui aliquando potest suppleri. Merito tamen particulam *&*, adhibuit sacer Contextus, quia lege ordinaria necessarius est Baptismus ad assequendam Spiritus sancti gratiam; & si loco particulæ *&*, disjunctivam *vel*, posuisset, suspicari quis fortè potuisset alterutrum è duobus esse tantum necessarium, aut Spiritum, aut aquam, cum tamen utrumque exigatur, unum tanquam medium internum, alterum verò externum.

Instabis 4. Non magis ex istis verbis, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu* &c. colligi potest absoluta Baptismi necessitas, quam ex istis, *Nisi manducaveritis carnem & biberitis sanguinem* &c. colligatur absoluta necessitas Eucharistiæ.

Resp. nego maj. & parit. Disparitas non aliunde repeti debet, quàm ex sola Christi voluntate nobis in Scripturis & Traditione Ecclesiæ declarata, qua constat Baptismum semper judicatum fuisse necessarium absolutè ad salutem, non vero Eucharistiam: quare? quia sic voluit & instituit Christus. Aliunde verò discrimen utriusque indicare videtur diversa loquendi ratio Scripturæ: de Baptismo enim absolutè & indefinitè ait: *Nisi quis renatus fuerit*, qua significat Baptismi legem ad omnes & singulos pertinere; de Eucharistia verò, *Nisi manducaveritis*, qua solos adultos præcepti capaces Eucharistiæ lege teneri non obscurè innuit.

Instabis 5. Auctores etiam Catholici verba citata, *Nisi quis renatus fuerit* &c. ad solos adultos restringunt qui sunt præcepti capaces, & quos reos facit non ipsa præcisè Baptismi privatio, sed contemptus præcepti Christi. Ita Magister Sententiarum Lib. 4. dist. 4. littera E. ait verba Christi citata ad eos pertinere qui possunt, & contemnunt baptisari. Ita pariter Hugo à sancto Victore Lib. 2. de Sacramentis cap. 13. relatis istis S. Augustini verbis ex Lib. 4. contra Donat. cap. 22,
To. 9. 139. D. *Tunc impletur invisibiliter, cum mysterium Baptismi non contemptus Religionis, sed articulus necessitatis excludit*, addit verba citata, *Nisi quis renatus fuerit* &c. sic restringenda esse, *Si quis renasci contempserit*. Idem ferè docet S. Bonaventura in 4. dist. 2. par. 2. art. 1. quæst. 1.

Sunt præterea non pauci qui de divina misericordia tam benè sperant ac confidunt, ut infantes sine Baptismo ex hac vita raptos, in gratiam pietatis parentum, à damnatione liberent, aut etiam felicitate quadam naturali donandos contendant, ut Cajetanus, Gabriel, Gerso, Durandus, Pighius, Catharinus, Cardinalis Sfondratus, quos initio hujus Disputationis appellavimus.

Resp. ad primum: Nego citatos Auctores verba ista Christi, *Nisi quis renatus fuerit* &c. ad solos adultos restringere; nec satis mirari possumus quia fronte audeant adversarii nobis Magistrum Sententiarum opponere. Ille quippe loco in Objectione citato sic loquitur: *Non tantum valet fides aliena parvulo, quantum propria adulto. Parvulis enim non sufficit fides Ecclesiæ sine Sacramento; quia si absque Baptismo fuerint defuncti, damnabuntur, sicut multis Sanctorum auctoritatibus comprobatur.* Antè dixerat, verba citata, *Nisi quis* &c. esse intelligenda, vel de iis qui possunt & contemnunt baptisari; vel de regeneratione, quæ fit per aquam & Spiritum sanctum, quæ regeneratio fit non tantum per Baptismum, sed etiam *per pœnitentiam & sanguinem*; quibus verbis non obscurè declarat, Baptismum aquæ, etsi necessarium, suppleri tamen posse per martyrium & pœnitentiam. Idem planè docent Hugo Victorinus & S. Bonaventura.

Ad secundum: Eorum Auctorum sententia quæ planè singularis est, rejicienda est; quæ nec in Scripturis, nec in Traditione Ecclesiæ fundamentum habet, à quibus immotis regulis nulli Catholico fas est unquam recedere. Vide suprà, initio hujus Quæstionis, judicium Bellarmini de hac illorum Scholasticorum opinione.

Instabis 7. Non desunt apud veteres Ecclesiæ Patres argumenta quibus ostenditur non tantam ipsis visam esse Baptismi necessitatem, quantam hic defendimus.

I. Veteres illi Orientales & Africani, qui tanto studio adversùs Stephanum S. Pontificem contendebant Baptismum ab Hæreticis collatum nullum esse, tali quæstionem hanc non ad fidem, sed ad disciplinam pertinere, unicuique permittebant sentiendi quid vellet licentiam; atque œconomia & dispensatione interdum utebantur, ut non rebaptisarent, qui ab aliquibus Hæreticis baptisati fuerant, quamquam nullum illi judicarent talem Baptismum. Ita colligimus ex S. Basilio Canone 1. Epistolæ ad Amphilochium. Ipse quoque S. Cyprianus Epist. 73. ad Jubajanum solvens istam objectionem: *Sed dicet aliquis: Quid ergo fiet* P.128.
de his qui in præteritum de hæresi ad Ecclesiam venientes, sine Baptismo admissi sunt? Respondet: *Potens est Dominus misericordia sua indulgentiam dare, & eos qui ad Ecclesiam simpliciter admissi in Ecclesia dormierunt, ab Ecclesiæ suæ muneribus non separare.* Porrò si Veteribus illis persuasum fuisset, Baptismum absolutè necessarium esse ad salutem, an quæstionem validitatis Baptismi ab Hæreticis dati, non fidei esse, sed disciplinæ dixissent? An non iterassent per eum Baptismum, quem nullum judicabant? An non declarassent à Regno Cœlorum extorres, qui sine vero Baptismo ex hac vita migrassent?

II. Constat ex Historia Ecclesiastica, plurimos viros quorum memoriam veneratur Ecclesia, plur[illegible] annis in Catechumenatu vixisse, aut etiam [illegible] tantum vitæ tempore Baptismum percepisse.

Ita de Constantino Imperatore narrat Eusebius in ejus vita cap. 62. quem sequuntur S. Hieronymus in Chronico, Socrates Lib. 1. c. 39. & alii. S. quoque Ambrosius, cùm adhoc esset Catechumenus, ad Episcopatum assumptus est. S. etiam Martinus dicitur octo annis vixisse in catechumenatu; at si viris illis persuasum fuisset Baptismum tantæ necessitatis esse, an per tot annos eum distulissent viri aliunde suæ æternæ salutis adeò solliciti?

III. Constat Ecclesiam pro Catechumenis sine Baptismo defunctis olim preces & sacrificia Deo obtulisse, ut colligimus ex S. Ambrosio Oratione funebri pro Valentiniano Imperatore, ex Conc. II. Arelatensi an. 452. Can. 12. ex Concilio Carthaginensi IV. an. 398. Can. 79. ex Innocentio III. Extra. *De sententia excommunicationis* cap. 28.

Resp. nego ant. His quippe argumentis hoc unum efficitur, quod ultrò fatemur, existimasse Veteres votum Baptismi aliquibus in casibus ad salutem sufficere.

Ad primum: Non idcirco Veteres excitatam de Baptismo Hæreticorum controversiam ad disciplinam perti-

pertinere, & in ea dispensationis & œconomiæ locum esse censuerunt, quod ignorarent absolutam esse Baptismatis necessitatem, sed quod cum illa quæstio nondum esset eliquata & totius Ecclesiæ judicio definita, posset unusquisque, salva unitate & pace, sentire & facere quid vellet. Unde S. Basilius alique qui S. Cypriano adhærebant, etsi rectè nossent & Baptismum absolutè necessarium esse, & apud Hæreticos nullum esse, tamen ex prudenti œconomia, aliquando baptisatos ab Hæreticis non rebaptisarunt, rati in ejusmodi circumstantiis divinam non deesse misericordiam; atque ejusmodi Hæreticis ad Ecclesiæ unitatem sincero corde redeuntibus sufficere ad salutem Baptismi desiderium, unitatem Ecclesiæ, ac perfectam cordis conversionem.

Non rarò Veteres in casu necessitatis, aut in dubio de validitate Baptismi, ad misericordiam Dei confugiunt, ut sine accepto in re Sacramento, de salute alicujus benè sperent atque confidant. Sic S. Dionysius Alexandrinus annuere recusavit votis alicujus senis, qui jam à longo tempore in Ecclesia receptus & Sacramentorum particeps factus, confessus tamen fuerat, se vero Ecclesiæ Baptismo tinctum non fuisse, quippe enixè postulabat ut iterum baptisaretur; non annuit, inquam, ejus postulationi S. Dionysius. Quare? quia nempe existimavit in his circumstantiis diuturnam cum Fidelibus communionem, & participationem Sacramentorum sufficere ad salutem illius hominis. Ita pariter Innocennus III. consultus ab Episcopo Cremonensi de quodam Presbytero defuncto, qui baptisatus non fuerat; respondet, *Presbyterum qui sine unda Baptismatis extremum diem clausit, quia in sanctæ matris Ecclesiæ fide & Christi nominis confessione perseveravit, ab originali peccato solutum & cælestis patriæ gaudium adeptum esse.* Ita etiam qui olim post actam semel publicam pœnitentiam, iterùm seiisdem implicabant gravioribus delictis, divino relinquebantur Judicio, nulla ipsis imposita publica, vel etiam privata pœnitentia, non ex desperatione veniæ, sed ad rigorem disciplinæ.

Apud Eusob. Hist. L. 7. c. 9.

Ad secundum: Ex factis quibusdam particularibus efficax non colligitur argumentum; quia occurrere potuere quædam rationes ac circumstantiæ, propter quas viri illi sancti absque peccato Baptismum in plures annos differre potuerunt, nempe ut diutiùs ac maturius sese ad illius gratiam percipiendam præpararent per opera pietatis & pœnitentiæ: quamquam non desunt inter Veteres, imprimis S. Gregorius Nazianzenus, qui acriori stilo insurgunt adversùs eos, qui Baptismum suum ad extremam usque senectutem protrahebant.

Ad tertium: Non una fuit Ecclesiæ disciplina circa preces & sacrificia, quæ in gratiam Catechumenorum sine Baptismo defunctorum offerebantur: in aliquibus enim Ecclesiis in pœnam dilati Baptismatis ejusmodi suffragia denegabantur, ut ex dicendis ad Articulum sequentem constabit; in aliis verò concedebantur, quia persuasum erat ejusmodi Catechumenos casu inopinato ex hac vita raptos, per votum Baptismi salvari, & Fidelium precibus juvari posse.

Instabis 6. Nonnulli ex SS. Patribus apertè affirmant neminem, exceptis solis Martyribus, sine Baptismo reipsa percepto, salvum fieri posse, quacunque tandem necessitate teneantur.

S. Ambrosius L. 2. de Abraham cap. 11. post relata verba Christi Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit* &c. *Nullum excipit*, ait, *non aliqua præventum necessitate.* Et L. de Mysteriis c. 4. *Credit*, inquit, *Catechumenus in Crucem Domini Jesu, qua & ipse signatur; sed nisi baptisatus fuerit in nomine Patris, & Filii & Spiritus sancti, remissionem non potest accipere peccatorum, nec spiritualis gratiæ munus haurire.*

To. 1. p. 351. A. To. 2. p. 330. B.

S. Fulgentius L. de fide ad Petrum cap. 3. iisdem Christi verbis Joannis 3. adductis, addit; *Absque Sacramento Baptismatis, præter eos qui in Ecclesia Catholica sine Baptismate pro Christo sanguinem fundunt, nec Regnum Cælorum potest quisquam accipere, nec vitam æternam.*

P. 519. n. 41.

Gennadius L. de Eccles. dogmat. c. 41. aliàs 74. *Baptisatis tantum, ait, iter esse salutis credimus. Nullum Catechumenum, quamvis in bonis operibus defunctum, vitam æternam habere credamus, excepto martyrio, ubi tota Baptismi Sacramenta complentur.*

Tom. 8. Oper. S. Aug. in appendic. p. 79. D.

Resp. 1. Objectionem hanc inferiùs solvendam esse, ubi quæstio erit an perfecta contritio votum Baptismatis includens, vices ejus ac locum supplere possit.

Resp. 2. non sine consilio, nonnullos è Veteribus frequenter non insinuasse, votum Baptismi ex contritione perfecta ad salutem in necessitate sufficere, ne scilicet favere viderentur eorum pravæ consuetudini, qui ex negligentia, vel alio quocunque motivo, Baptismum ad extremum usque vitæ tempus differebant.

Resp. 3. ad S. Ambrosium, eum in adversa prorsùs sententia fuisse, qui Valentinianum Imperatorem solo Baptismi voto salutem animæ assecutum fuisse confidit. Verba postea proferemus. Quod autem ex Libro de Mysteriis hic opponitur, de iis intelligenda sunt, qui ex negligentia, vel, quod pejus esset, ex contemptu Baptismum non perciperent.

Non aliter exponendus S. Fulgentius, aut referendus; quemadmodum & ipse Gennadius.

Objicies 2. Pueri Fidelium salvi fiunt per solam fidem parentum; ergo Baptismus non est absolutè necessarius.

Antecedens probatur: Quia non minorem vim & efficaciam habet fides in Lege gratiæ, quàm in Lege naturæ & Moysis; eadem enim est quoad substantiam, easdemque habet sibi in Scripturis annexas promissiones: atqui in Lege naturæ & Moysis fides parentum & Ecclesiæ salvos faciebat infantes, qui sine Circumcisione, vel alio remedio exteriori applicato ex hac vita migrabant. Ita expressè docent SS. Gregorius Magnus Lib. 4. Moral. c. 2. Bernardus Epist. 77. ad Hugonem de sancto Victore, & alii quorum sententiæ subscripsimus in Tractatu de Sacramentis in genere Qu. 2. Art. 2. Conclusione 2. ergo &c.

Major videtur certa; aliàs fides in nova Lege, & infantes Fidelium Christianorum deterioris longè forent conditionis, quàm fuerint in Lege naturæ aut Moysis.

Resp. 1. nego min. Sicut enim in Lege naturæ & Moysis necesse fuit (in sententia multorum) fidem aliquo signo exteriori tanquam conditione manifestari; ita nunc, Deo sic volente, necesse est aquam, tanquam causam instrumentalem gratiæ, usurpari.

Resp. 2. Esto antiquitùs seu retrò suffecerit *fides nuda*, ut loquitur Tertullianus solvens eamdem objectionem à Cajanis, & Quintilianis olim propositam, L. de Baptismo cap. 13. at postquam *lex tingendi data est & forma præscripta*, obstricta est fides ad Baptismi necessitatem. Non itaque minoris est virtutis & efficaciæ fides nostra, quàm Veterum; sed fidei additum est Baptismi mandatum: & quemadmodum lex moralis, licet non sit minoris efficaciæ in viro religioso quam in sæculari, illi tamen non sufficit ad salutem, nisi & consilia, ad quæ obstrinxit, observet; ita pariter etsi fides nostra tam efficax sit ex se, quàm fides Veterum, quia tamen annexum jam habet Baptismi mandatum, sine illo ad salutem non sufficit.

P. 229.

Neque inde sequitur deteriorem esse conditionem fidei & infantium in nova Lege: imò multis titulis melior est. 1. quia fides jam longè facilior & communior, longè abundantior gratia, quàm fuerit in Lege naturæ vel Moysis. 2. quia salus infantis non jam à fide pa-

tentium,

rentum, sed ab ipsa Sacramenti applicatione pendet, seclusa ministrantis fide & probitate. 3. Quia Baptismus statim ab ipsa nativitate potest infantibus ministrari, in Lege autem Moysis circumcidi ante octavum à nativitate diem infans non poterat. 4. Multis & infinitis penè legalibus præceptis ac cærimoniis gravati erant & obruti Judæi, quibus nos per Christum liberi facti sumus. 5. Denique, Veteribus nondum patebat Cœlum; nobis verò, postquam Christus ascendens in altum secum captivam duxit captivitatem, jam apertum est: longè igitur potior est nostra conditio, quàm Veterum.

Instabis 1. Quod antea sufficiebat, postea vero non sufficit, videtur deterioris esse conditionis: atqui in veteri Lege sufficiebat fides, jam verò non sufficit; ergo &c.

Resp. dist. maj. Quod antea sufficiebat & postea non sufficit propter imminutionem virtutis, deterioris est conditionis, concedo; propter additionem Sacramenti, nego. Porrò fidei virtus non est imminuta, sed fidei additum est Baptismi mandatum.

Instabis 2. Ex S. Augustino parentum fides prodest infantibus ad salutem obtinendam: *Ut possit*, inquit Epist. 98. aliàs 23. ad Bonifacium, *regenerari* (parvulus) *per officium voluntatis alienæ, cùm offertur consecrandus, facit hoc unus Spiritus, ex quo regeneratur oblatus*. Ita pariter S. Bernardus Epist. 77. seu Tract. de Baptismo. *Dignum est*, inquit, *& ad Dei spectat benignitatem, ut quibus fidem ætas denegat propriam, gratia prodesse concedat alienam. Nec enim Omnipotentis justitia propriam putat ab iis exigendam fidem quos novit proprium nullam habere culpam. Porrò alienâ opus est fide, cùm sine sorde non nascantur aliena .... Nec dubium, quod macula contracta ab aliis, aliorum quoque fide valeat vel debeat emundari.*

To.2.p. 264.B.

Tom.1.p. 430.B.

Resp. dist. ant. Parentum fides prodest infantibus, cum Sacramento Baptismi, *Cum offertur consecrandus*, ait S. Augustinus, concedo: sine Sacramento, nego. Nihil aliud volunt Augustinus & Bernardus locis citatis, quàm in parvulis necessariam non esse fidem actualem, cujus sunt incapaces; sed illam suppleri ex Dei benignitate per fidem Ecclesiæ & parentum, qua illi moventur ut infantes baptisandos ministris Ecclesiæ offerant. Unde susceptores pro iis ad singula interrogate, respondent, *Credo, abrenuntio &c.*

Instabis 3. Tam potest infantibus Fidelium prodesse ad salutem aliena parentum fides, quàm iis nocere ad damnationem alienum Adami peccatum.

Resp. nego maj. 1. Quia in rebus quæ à sola Dei voluntate pendent, non alia inquiri debet ratio, quàm ejus voluntas. Porrò noluit Christus infantes per solam parentum fidem sine Baptismo salvos fieri. 2. Disparitas est, quia peccatum primi parentis non est planè extrinsecum & alienum respectu illorum infantium, sed illis proprium & internum; quia etsi solus Adamus proprio & personali voluntatis motu peccaverit, omnes tamen ejus posteri in eo jam tùm inclusi, in eo quoque peccaverunt, ut ait Apostolus Rom. 5. v. 12. adeoque peccatum Adami proprium est naturæ totius humanæ, seu omnium filiorum ejus.

At verò fides parentum omni sensu externa est & aliena respectu infantium; & sicut infantibus non noceret parentum malitia & impietas, qua eos dæmoniacis sacrilegiis obligarent, ita sola sine Sacramento iis ad salutem non prodest fides parentum; quia, ut ait S. Augustinus Epistola mox citata 98. *Cùm homo*, non jam in lumbis peccantis, *sed in seipso est, ab eo qui genuit alter effectus, peccato alterius sine sua consensione non tenetur obnoxius* .... sed *anima quæ peccaverit ipsa morietur.*

Tom.2.p. 264.A.

Instabis 4. Potest adultus per fidem propriam & actualem sine Sacramento re percepto salvus fieri: quidni ergo infans per fidem alienam parentum?

Resp. 1. ut suprà, solam hic consulendam esse Dei voluntatem. 2. Adultus non salvus fit per solam fidem, sed per charitatem perfectam qua formaliter homo justus redditur; charitas autem illa seu gratia sanctificans non obtinetur, nisi vel per Sacramenta, vel per proprios actus voluntatis ex divino & supernaturali auxilio elicitos; at infantes incapaces sunt illorum actuum personalium.

Instabis 5. Sequitur ex hac doctrina, innumeros sine sua culpa perire parvulos qui sine Baptismo moriuntur, quod certè parùm videtur consentaneum divinæ misericordiæ, ac voluntati qua vult omnes salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.

Resp. cum S. Augustino Lib. de Dono persever. c. 12. & S. Prospero L. 2. de Vocatione Gentium cap. 8. Dei judicia occulta esse, sed justa in damnatione infantium qui sine Baptismo moriuntur. Non enim damnantur illi præcisè propter defectum Baptismi, sed propter culpam originalem quam nascendo contraxerunt, & quæ non delata per Baptismum, eos æternæ damnationis reos efficit: misericordiæ autem divinæ mensura non alia debet æstimari, quàm quæ in Scripturis & Traditione expressa nobis est. Stat quoque Dei antecedens voluntas de salute omnium, cum damnatione illorum infantium sine Baptismo morientium; siquidem ex voluntate illa antecedenti & sincera præparavit omnibus media necessaria ad salutem: sed illius voluntatis virtute non tenetur Deus invertere cursum causarum secundarum, ut procuret omnibus infantibus, antequam moriantur, applicari remedium Baptismatis; illud enim pertinet ad voluntatem, ut vocant, consequentem, ex qua alios vult perire propter labem originalem, alios verò vult salvos esse per Baptismum: cur autem illos potius quàm alios eligat, *O altitudo?*

Instabis 6. Gen. 17. v. 7. Deus inito cum Abrahamo fœdere, promisit se futurum ipsius Deum & seminis ejus; quæ quidem promissio ad nos etiam Fideles spectat, ut testatur Apostolus Rom. 4. & 11. & Galat. 3. Sicut igitur Judæorum filii incircumcisi morientes, per fidem parentum salvi esse poterant, qui stante illo fœdere nati erant; ita quoque & filii Christianorum, qui ex hac vita rapiuntur ante perceptum Baptismum.

Confirmatur ex Apostolo primæ Corinth. 7. v. 14. *Sanctificatus est*, inquit, *vir infidelis per mulierem fidelem; & sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem: alioquin filii vestri immundi essent, nunc autem sancti sunt.* Docet igitur Apostolus, filium ex uno tantùm parente fideli progenitum idcirco sanctum esse, quia in illo fœdere gratiæ ac fidei Christianæ nascitur.

Resp. nego conseq. 1. Quia certum non est filios Judæorum incircumcisos salvari potuisse per solam fidem parentum, sine ullo Sacramento seu signo exteriori. 2. Quia etsi Deus ita decrevisset in veteri Lege, non consequens est, eum idem quoque in nova statuisse; imò certum est legem Baptismi positam ab eo fuisse: in his autem rebus non alia inquiri ratio debet, quàm voluntas Dei. *O homo tu quis es qui respondeas Deo?* inquit Apostolus Roman. 9. vers. 20. Pactum autem illud quod Deus cum Abrahamo pepigit, ad omnes quidem ejus posteros pertinet, *Non qui filii carnis*, loquit Apostolus Rom. 9. vers. 8. *sed qui filii sunt promissionis*; id est, qui patentis Abrahæ fidem imitantes, participes sunt promissionum quæ ipsi factæ sunt: seu, ut loquitur cap. 4. vers. 16. *Ideo ex fide, ut secundum gratiam firma sit promissio omni semini, non ei qui ex Lege est solùm, sed & ei qui ex fide est Abrahæ.* Porrò infantes fideles non evadunt in nova Lege, nisi per Baptismum, qui Sacramentum est fidei.

Et verò si fœdus illud gratiæ in quo nascuntur infantes Fidelium, eos sanctificaret, nullum posset assignari instans in quo peccatum originale contraherent; generantur enim in illo fœdere, sicut nascuntur.

Ad confirmationem: Non loquitur Apostolus de formali & immediata sanctificatione, quasi eo ipso formaliter infidelis sanctus sit, quòd cum fideli cohabitet, sed de sanctificatione quasi præparatoria & educationis, quia nimirum sanctiùs & castiùs educandi sunt pueri, si parentum alteruter fidelis sit; & mulier fidelis potest exemplo, adhortatione & instructione virum infidelem Christo lucrari. Ita exponit S. Hieronymus respondens ad quæsita Paulini. Congruit hæc expositio scopo Apostoli; vult enim ostendere, conjugem infidelem, si commorari non detrectet, non esse dimittendum; idque duobus argumentis: uno petito à sanctificatione conjugis, altero à sanctificatione filiorum. Pelagianis ex eodem Apostoli testimonio probantibus nullum esse peccatum originale, respondet S. Augustinus L. 2. de Baptismo cap. 25. & 26. & L. 2. c. 12. & Serm. 14. de verbis Apostoli cap. 19. multiplicem in Scripturis sanctificationem designari, non modo rerum, sed etiam hominum, quæ non semper conjuncta est cum remissione peccatorum. Sic v. g. Catechumenus, priusquam baptisetur, secundùm aliquem modum sanctificatur per signum Christi, & orationem manus impositionis.

Objicies denique: Adulti non obligantur lege Baptismi. Namque si vel sunt infideles Pagani, qui nihil unquam de Christo audiverunt, vel qui de Christo aliquid audiverunt: sed neutri possunt ea lege teneri. Non primi, quia Lex non obligat nisi promulgata; at apud ejusmodi Paganos non supponitur promulgata Baptismi lex: non alii, dici enim non potest qua ætate, & quo tempore eos illa lex obstringat; an in juventute, & an in senectute: illud enim nullo præcepto aut divino aut Ecclesiastico determinatum habemus.

Resp. 1. eos adultos qui invincibili laborant ignorantia fidei Christianæ, non teneri lege Baptismi, quatenus cadit sub præceptum, adeoque eos non damnari propter violatum Baptismi mandatum, sicut nec propter infidelitatem purè negativam: sed eos teneri lege Baptismi, quatenus medium est institutum à Christo ad delendum peccatum originale; adeoque æternum peribunt illi, non præcisè, ut jam diximus, propter defectum Baptismi, sed propter peccata, sive originale, sive actualia.

Resp. 2. alios adultos teneri lege positiva Baptismi: cùm verò ea sit legis positivæ natura, ut non obliget semper & pro semper, hinc physicè nullum tempus est præfixum pro Baptismo percipiendo. Cùm tamen iste sit absolutè necessarius, tenetur quilibet, cùm ad discretionis annos pervenerit, salutis suæ curam gerere, ac consequenter sibi procurare Baptismum; ad id autem tenetur jure ipso naturali, divino & Ecclesiastico: jure quidem naturali, quo tenetur quilibet assumere media ad salutem necessaria: jure divino positivo; eodem quippe præcepto quo Christus præcepit Apostolis docere gentes & baptisare, præcepit etiam gentibus ut audirent Apostolos, & ab illis baptisarentur; jure etiam Ecclesiastico, quod est juris divini interpretatio.

Constat autem jus illud Ecclesiasticum ex SS. Patribus, aliisque momentis ex Traditione Ecclesiæ depromptis, de quibus inter probationes Conclusionis.

ARTICULUS II.

An, & quomodo Baptismus aquæ suppleri possit per martyrium, & perfectam contritionem Baptismi votum includentem.

Triplex apud SS. Patres distinguitur Baptismus: nempe fluminis per aquam; sanguinis per passionem; & flaminis seu spiritus, per lachrymas & cordis perfectam contritionem. Ita S. Ambrosius in Psalm. 118. Enarratione in octonarium tertium; S. Gregor. Nazianz. Orat. 39. in sancta lumina circa finem; S. Augustinus L. 4. de baptismo contra Donatistas c. 21. & sequentibus, S. Isidorus Hispal. Lib. de Institutione Clericali c. 4. S. Bernardus Epist. 77.

S. Thomas 3. part. q. 66. art. 11. hujus divisionis rationem affert, quæ fundamentum habet in Scripturis, in quibus Baptismi nomen, & martyrio & pœnitentiæ seu perfectæ contritioni accommodatur, sicut ostendimus initio hujus Tractatus, cùm varias nominis Baptismi significationes exponebamus.

Quæritur hic utrùm martyrium & contritio perfecta includens votum Baptismi, ejus vices supplere possint, eandemque vim habeant ad expungenda peccata, sive originale, sive actualia. De utroque sigillatim hic dicendum.

An, & quomodo Martyrium suppleat vices Baptismi aquæ.

Martyrium generatim est omnis pœna in odium Christi inflicta, & pro ejus amore constanter tolerata; propriè ac strictè est ipsa mors pro Christo tolerata. Duas igitur requirit conditiones, & pœnam, & causam. Duobus verò modis considerari potest martyrium, nempe quatenus est actus voluntarius alicujus virtutis, fortitudinis nimirum, vel charitatis; aut quatenus est simpliciter pœna in odium Christi inflicta. Priori respectu dici potest opus operantis; posteriori verò, opus operatum. Soli adulti capaces sunt martyrii, quatenus est opus operantis; infantes verò, quatenus est opus operatum. Hinc S. Bernardus Sermone de Innocentibus, ait inter Martyres alios esse volontate simul & opere, alios sola voluntate; alios denique solo opere. *Habemus*, inquit, *in beato Stephano martyrii simul & opus & voluntatem; habemus solam voluntatem in beato Joanne; solum in beatis Innocentibus opus.* To. 1. p. 787. C.

De utroque martyrio tam in adultos quàm in parvulis duo quæruntur.

1. An vices Baptismi aquæ suppleat, eandemque vim habeat ad expungenda peccata, qualis propria est Baptismi aquæ.

2. An illos effectus eodem modo producat ac Baptismus; idest, ex opere operato vi ipsius pœnæ in odium Christi inflictæ: ita tamen ut adultis, perinde ac Baptismus ipse aquæ, prærequirat aliquas prævias conditiones seu dispositiones; an vero eos effectus producat tantùm ex opere operantis, id est ratione solius charitatis, ex cujus perfectissimo motivo martyrium toleratur.

Errores & opiniones.

Inter veteres Hæreticos, Gnostici & Valentiniani contenderunt nullum esse martyrii meritum, nullam ejus virtutem ac laudem, nullum, cum necessitas postulat, illius tolerandi mandatum: *Nec simplicitas ista, sed vanitas, imò dementia est pro Deo mori*, inquiunt illi apud Tertull. Libro Scorpiace cap. 1. P. 488. A. Ad hunc errorem odio & invidia compulsus sequitur Valentinus, impa-

impatienti animo ferens aliquem Martyrem sibi in Episcopatu, quem ambiebat, antepositum fuisse. Ita refert Tertullianus Lib. adversus Valentinianos c. 4.
P. 251. A. „Speraverat, *inquit*, Episcopatum Valentinus, quia & „ingenio præerat & eloquio, sed alium ex martyrii prærogativa loci potitum indignatus, de Ecclesia authenticæ regulæ abrupit, ut solent animi pro prioratu ex„citi, præsumptione ultionis accendi.

Valentino adhæsit Tatianus Justini Martyris discipulus. *Tatianus totus secundum Valentinum sapit*,
P.213.B. inquit Tertull. Lib. de Præscriptionibus cap. 52. Adversus Valentinum stilum exacuere S. Justinus Martyr & Philosophus, S. Irenæus omnium doctrinam curiosissimus explorator, Miltiades Ecclesiarum Sophista, & Proclus. Ita Tertull. Lib. adversus Valentinianos cap. 5.

Inter Novatores posteriorum temporum, Kemnitius in secunda parte Concilii Tridentini; & Illyricus
P.252.B. Centuria 5. c. 4. docent, per martyrium peccata dimitti, non tanquam per Baptismum, sed propter solam fidem, quæ tempore martyrii Christum apprehendit; in quo certe parum sibi constare videntur; cum enim, juxta illos, etiam in baptismo sola fides justificet; sequitur martyrium eodem prorsus modo justificare, quo Baptismus.

Ex Orthodoxis nullus martyrio adultorum vim & efficaciam detrahit; sed disputant dumtaxat tum de martyrio infantium, tum de dispositionibus in adultis ad effectum martyrii obtinendum necessariis, & de modo quo martyrium in ipsis operatur.

Richardus Armacanus in Islandia Archiepiscopus Lib. 8. de quæstionibus Armenorum c. 37. in fine,
Obiit versus annum 1359. judicat probabile ex infantibus ab Herode propter Christum occisis, eos qui circumcisi non erant, salvos non fuisse, sed eos tantum, qui Sacramentum Circumcisionis acceperant: addit, & secundum communem Dei Legem, tam veterem quam novam, parvulos circumcisos nullum incrementum gratiæ ex morte pro Christo accepisse; & ita neque majorem gloriam virtute illius fuisse consequutos, quam virtute solius Circumcisionis consequerentur. Utrum autem Deus peculiari privilegio cum circumcisis usus fuerit, ut majorem illis gratiam & gloriam rependeret, non audet affirmare.

Adrianus in 4. quæst. ultime de Baptismo, cum Armacano idem sentit, nempe ex sola Scriptura constare eos infantes, qui ab Herode occisi sunt non accepta prius Circumcisione, salutem obtinuisse.

Jacobus de Vitriaco Cardinalis L. Historiæ Occidentalis c. 36. docet parvulos Christianorum non baptisatos, etiamsi à Paganis pro Christo occiderentur, non salvari, nec ad eos extendi privilegium speciale SS. Innocentium qui ab Herode pro Christo occisi sunt.

Circa martyrium adultorum, sunt qui nullas in ipsis prævias exigere videntur dispositiones; qui etsi putent præceptum dilectionis per se quidem obligare, præsertim in articulo mortis, ab ea tamen obligatione per accidens liberos existimant eos qui pro Christo moriuntur. Sunt qui ex opere operantis dumtaxat, & ratione charitatis quam includit, velint martyrium efficax esse, saltem respectu adultorum; alia enim ipsis videtur esse infantium conditio. Ita Vasquez & alii quos appellat ad tertiam partem q. 68. disp. 153. c. 1. Vult tamen ipse Vasquez, aliquem peculiarem effectum ex opere operato martyrio competere, nempe remissionem omnis pœnæ temporalis. Alii dispositiones prævias exigunt in adultis, & tam eorum quam parvulorum respectu, martyrium operari ex opere operato contendunt. Justa istos sit.

***

CONCLUSIO.

Baptismus sanguinis, seu martyrium, virtutem Baptismi aquæ perfecte supplet ex opere operato, tum in infantibus, tum in adultis; in istis tamen præviæ quædam conditiones requiruntur.

Probatur prima pars de infantibus. 1. Quia ad eos extenditur generalis ista Christi sententia Matth. 10. v. 39. "Qui perdiderit animam suam propter me, „inveniet eam.

2. Quia Ecclesia universa infantes ab Herode in odium Christi crudeliter occisos, tanquam vero Martyres semper agnovit & coluit. *Deus*, inquit in Oratione festivitatis SS. Innocentium, "cujus præconium Inno„centes martyres non loquendo, sed moriendo confessi „sunt." Unde S. Augustinus Lib. 3. de libero arbitrio cap. 23. "Etiam, *inquit*, infantes illos, qui cum Domi„nus Jesus Christus necandus quæreretur, occisi sunt, in „honorem Martyrum receptos commendat Ecclesia."
Nullam Ecclesia, nullam S. Augustinus & alii distinctionem faciunt eorum qui circumcisi vel non circumcisi Tom 1. p. 638. C.
fuerant; sed omnes indiscriminatim eos infantes martyres appellant, & ut tales colunt & honorant: quamquam verisimile sit, aliquos ex illis incircumcisos fuisse, cum jusserit Herodes à bimatu & infra omnes trucidari infantes qui erant in Bethleem, & in omnibus finibus ejus.

3. Communis hæc est SS. Patrum sententia.

S. Augustinus, aut quisquis est Auctor Sermonis ad Catechumenos, qui extat inter Opera S. Augustini post ejus Tractatum de Symbolo in ultima editione c. 4.
Tom. 6. p. 571. D. „Præstitit eis Christus, *inquit*, ut pro Christo morerentur; præstitit ut suo sanguine ab originali peccato di„luerentur. Nati sunt ad mortem, sed continuo eos „mors reddidit vitæ.

Et in Epistola ad Hieronymum 166. alias 28. interpretans id quod docuerat Lib. 3. de libero arbitrio c. 23.
Tom. 2. p. 591. A. de pœnis parvulorum, "Quis novit, *inquiebat ibi*, quid „ipsis parvulis in secreto judiciorum suorum bonæ „compensationis reservet Deus? Quoniam, quamquam „nihil recte fecerint, tamen nec peccantes aliquid ista perpessi sunt." Hæc, inquam, sua verba exponens, ait;
Ibid. D. „Hoc non immerito dici video de his qui vel pro „Christi nomine ac vera Religione tale aliquid ne„scientes patiuntur, vel Sacramento Christi jam im„buti sunt.

Et Lib. 13. de Civitate Dei c. 7. nulla facta distinctione adultorum & infantium, generatim sic loquitur:
Tom. 7. p. 329. E. „Quicumque etiam non percepto regenerationis lava„cro pro Christi confessione moriuntur, tantum eis „valet ad dimittenda peccata, quantum si abluerentur „sacro fonte Baptismatis. Qui enim dixit: Si quis non „renatus fuerit ex aqua &c. alia sententia istos fecit ex„ceptos, ubi non minus generaliter dixit, Qui me con„fessus fuerit &c. & alio loco, Qui perdiderit animam „suam propter me, Inveniet eam.

S. Chrysostomus Hom. 3. in varios S. Matthæi locos, loquens de infantibus ab Herode trucidatis, "Mercan„tur, *inquit*, pœna martyrium, gloriam sanguine com„parant, vitam æternam temporali morte commutant.

S. Leo Serm. 1. de Epiphania Domini c. 3. "Necari
Edit. Quenel. „omnes Bethleem parvulos jubet.... sed quos Rex im-
Tom. 1. p. 181. „pius eximit mundo, Christus inserit Cœlo, & quibus
T. 2. 1. p. 787. E. „nondum sanguinis sui impendit redemptionem, jam „martyrii tribuit dignitatem.

Denique S. Bernardus Sermone de Innocentibus hæc habet: "Illo pro Christo trucidatos infantes du„bitet inter Martyres coronati, qui regeneratos in „Christo non credit inter adoptivos filios numerari. „Alioquin quomodo coævos sibi pueros puer ille qui „natus est nobis, non contra nos, pateretur occidi, quod

„utique solo nutu poterat prohibere,nisi melius aliquid „eis provideret ; ut quemadmodum cæteris infantibus „tunc quidem Circumcisio, nunc vero Baptismus sine „ullo propriæ voluntatis usu sufficit ad salutem, sic ni„hilominus pro eo susceptum martyrium illis proficeret ad sanctitatem." Quo in loco illud observandum, nempe martyrium loco Circumcisionis fuisse illis infantibus ; non ergo salvi facti sunt propter ipsam Circumcisionem, ut placet Armacano.

Secunda pars de adultis.

Probatur 1. ex Scriptura Matth. 10. v. 32. & seq. „Omnis qui confitebitur me coram hominibus,confitebor & ego eum coram Patre meo qui in Cœlis est. „*Marci* 8. v. 35. Qui voluerit animam suam salvam „facere , perdet eam ; qui autem perdiderit animam „suam propter me & Evangelium , salvel faciet eam, " quibus verbis lex generalis exprimitur à qua nullus excipitur , nequidem ipsi non baptisati. Ut enim recte arguit S. Augustinus Lib. 13. de Civitate Dei c. 7. jam citato, " Qui dixit,Nisi quis renatus fuerit ex aqua &c.
Tom. 7. p. 320. B. „idem & generaliter dixit, Qui me confessus fuerit &c. Confirmatur ex isto Christi apud S. Joan. c. 15. v. 13. „Majorem hac dilectionem nemo habet , ut animam „suam ponat quis pro amicis suis." At perfecte charitas peccata omnia delet & omnino expungit.

Probatur 2. ex sententia & praxi totius Ecclesiæ.

1. Ecclesia pro Martyribus nec preces nec sacrificia offert Deo, quibus eos non indigere intelligit ; sed suas eis coronas ac triumphos dumtaxat gratulatur,eorumq; apud Deum opem & gratiam implorat : " Injuriam „enim facit Martyri , qui orat pro Martyre, " inquit Innocentius III. Cap. " Cum Marthæ, De celebratione „Missarum ; " quod ex Augustino depromptum est. Tractatu enim 84. in Joannem, ait : " Ideo quippe ad „ipsam mensam non sic eos (*Martyres*) commemo-
Tom. 3. part. 2. p. 709. C.D. „ramus,quemadmodum alios qui in pace requiescunt , „ut etiam pro eis oremus , sed magis ut ipsi pro nobis , „ut eorum vestigiis adhæreamus.

2. Ad preces & commendationem Martyrum Ecclesia lapsis pœnitentibus pœnas aliquas canonicas & temporales relaxabat , teste S. Cypriano.

3. Pro mensure charitatis,dilectionis & contritionis, easdem pœnas iisdem pœnitentibus eadem Ecclesie mitigabat & relaxabat ; adeo ipsi semper fuit persuasum per charitatem hominem Deo gratum fieri eique reconciliari.

Probatur 3. ex SS. Patribus.

Tertullianus in Apologetico in fine. " Quis, *inquit*,
P. 40. B. „non pati exoptet, ut totam Dei gratiam redimat, & „omnem veniam ab eo compensatione sui sanguinis „expediat ? omnia enim huic operi delicta donantur.

Et Lib. de Baptismo c. 16. " Est, *inquit*, nobis etiam
P. 230. B. „secundum lavacrum,sanguinis scilicet, de quo Domi„nus,Habeo, inquit, Baptismo tingi. ... Hic est Baptis„mus qui lavacrum (*nempe aqua*) & non acceptum „repræsentat, & perditum reddit.

S. Cyprianus Præfatione in Librum de exhortatione
P. 234. martyrii : " Nos, *inquit*, qui Domino permittente,pri„mum Baptisma [*aquæ seu fluminis*] credentibus de„dimus, ad aliud quoque singulos præparemus, insi„nuantes & docentes hoc esse Baptisma in gratia ma„jus, in potestate sublimius , in honore præstantius ; „Baptisme in quo baptisant Angeli , in quo Deus & „Christus ejus exultant ; Baptisme post quod nemo „jam peccat ; Baptisma quod fidei nostræ incrementa „consummet ; Baptisma quod nos de mundo recedentes statim Deo copulat. In aquæ Baptismo accipitur „peccatorum remissio ; in sanguinis corona virtu„tum.

P. 242. Et c. 12. ejusdem Tractetus, " Quis , *inquit*, non „omnibus viribus elaboret ad tantam claritatem per„venire,ut amicus Dei fiat, ut cum Christo statim gau„deat ? ... Quanta est dignitas & quanta securitas , „exire hinc lætum , exire inter pressuras & angustias glo„riosum , claudere in momento oculos quibus homines „videbantur & mundus , & aperire eosdem statim ut „Deus videatur & Christus !

Et Ep. 73. ad Jubajanum paulo post medium. " Num- P. 127.
„quid potest, *inquit*, vis Baptismi esse major aut potior „quam passio , ut quis coram hominibus Christum „confiteatur , & sanguine suo baptisetur ? *Et postea* : Ibid.
„Sciant Catechumenos [*pro fide occisos*] nec privari „Baptismi Sacramento , utpote qui baptisentur gloriosissimo & maximo sanguinis Baptismo, de quo & Do„minus dicebat se habere aliud Baptisma baptiseri ; „sanguine autem suo baptisatos, & passione sanctificatos consummari , & divinæ pollicitationis gratiam „consequi,declarat in Evangelio idem Dominus.

S. Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi 4. " Si quis P. 19. D.
„non baptisatur,salutem non habet , præter solos Mar„tyres,qui vel sine aqua Regno cœlesti potiuntur.

Eusebius Lib. 6. Hist. c. 14. ait mulierem quam- P. 206. D.
dam,nomine Herais,adhuc Catechumenam,per ignem Baptismum esse adeptam.

Denique S. Augustinus L. 1. de anima ejus orig ne c. 9. " Nemo, *inquit*, fit membrum Christi , nisi aut To. 10. p.
„Baptismate in Christo,aut morte pro Christo. 342. D.

Probatur denique ratione quam suggerit S. Basilius Lib. de Spiritu sancto cap. 15. quia nempe Baptismus aquæ vim habet delendi peccata , quia est in similitudinem mortis Christi , ad Rom. 6. At Martyres non per figuram, sed per veritatem mortem pro Christo sustinent. " Jam vero , *ait S. Doctor*, sunt nonnulli, qui in Ed. vet.
„certaminibus pro pietate , revera non imitatione Tom. 2. p.
„Christi (*ut fit in Baptismo aquæ*) mortem perpessi , 178. D.
„nihil hujusmodi Sacramenorum quæ sunt in aqua , opus „habuerunt ad salutem , nimirum in proprio sanguine „baptisati.

Tertia pars,nempe martyrium ex opere ipso operato efficax esse,probatur.

I. Quia ex citatis modo testimoniis, martyrium Baptismo aquæ comparatur , imo & illo excellentius esse dicitur ; sicut ergo Baptismus aquæ agit ex opere operato,ita & Baptismus sanguinis.

II. In infantibus propriæ dispositionis incapacibus , non alia ratione agere potest martyrium , quam vi propria seu ex opere operato ; ergo & in adultis.

III. Si tota martyrii vis & efficacia esset à charitate , inutilis foret divisio Baptismatis in Baptismum flaminis & sanguinis, siquidem unum cum alio confunditur : namque tota Baptismi flaminis vis est à Spiritu sancto, per charitatem diffusam in cordibus ; at non alia foret efficacia martyrii , si ageret tantum ex opere operantis , seu ex charitate , ex cujus motivo elicitur.

IV. Potest esse intensior charitas in Confessoribus , quam in aliquibus Martyribus. neque tamen illi martyrii palmam reportant,& inter Martyres computantur & honorantur.

V. Denique, quia videtur hæc esse S. Thomæ sententia , tum in Summa 3. parte q. 87. art. 1. ad 2. ubi docet, " dormiendo dimitti peccata mortalia & venialia „ratione mortis illatæ pro Christo , modo non inveneri„rit voluntatem peccato actu adhærentem." Ergo censet effectum martyrii produci virtute ipsius operis, non dispositionis quæ sit in Martyre.

Tum 2. 2. q. 124. art. 1. ad 1. " Effusio sanguinis „propter Christum, *inquit*, vicem gerit Baptismatis. To. 10. p.
„Unde sicut in pueris baptisatis per gratiam baptisma- 74. col. 1.
„malem meritum Christi operatur ad gloriam obtinen- A. B.
„dam,ita & in occisis propter Christum,meritum mar„tyrii Christi operatur ad palmam martyrii consequen„dam. " Sicut ergo Baptismus agit ex opere operato , ita & martyrium.

Tum in 4. dist. 4. q. 3. ad 1. " Non habet hoc, " inquit , (nempe liberationem à culpa & pœna) „tantum

„tantum ex opere operante, neque quantum ad pœnam „qua aliquis peccatum per martyrium expiet, quam „contingit non esse sufficientem ad satisfaciendum pro „peccato; neque quantum ad devotionem justæ vo„luntatis, quia contingit quod voluntate majori cha„ritate informata, aliquis sine martyrio non potest ab „omni pœna liberari, sed hoc habet ex imitatione passio„nis Christi.

Ultima denique pars, nempe requiri in adultis prævias aliquas dispositiones, ut martyrii plenum consequantur effectum.

Probatur 1. ex Apostolo 1. Corinth. 13. v. 3. „Si tradidero, *inquit*, corpus meum ita ut ardeam, „charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest." Ergo requirur prævia charitas saltem inchoata & initialis.

Favet Tertullianus Lib. adversus Praxeam c. 1. ubi
P. 500. A. de illo ait: "Homo fuit inquietus; insuper de jactatio„ne martyrii inflatus, ob solum & simplex & breve „carceris tædium; quando etsi corpus suum tradidisset „exurendum, nihil profecisset, dilectionem Dei non „habens.

Favet S. Th. 3. parte q. 66. art. 12. ad 2. "Effusio „sanguinis, *inquit*, non habet rationem Baptismi, si sit „sine charitate.

Tom. 14. Conc. p. 817. B. Favet Conc. Trid. Sess. 14. c. 4. ubi ait contritionem quovis tempore necessariam fuisse ad impetrandam veniam peccatorum.

II. Mors pro Christo inflicta & tolerata in Schismatico vel Hæretico, peccatum hæresis aut schismatis prius non remittit, quam homo Ecclesiæ Catholicæ fuerit aggregatus; neque valet ejusmodi martyrium charitate destitutum ad Regnum Cœlorum obtinendum, sed tantum ad mitius in inferno supplicium subeundum, sicut expresse docet S. Augustinus Lib. de patientia c. 26. Ego pariter in Catholico peccatore peccata non dimittit martyrium, sine virtuali saltem pœnitentia ac peccatorum detestatione, seu aversione voluntatis à malo.

III. Id probat praxis & disciplina Ecclesiæ, quæ instante vel sæviente persecutione, curabat Martyres nondum baptisatos baptisari, aut nondum per pœnitentiam reconciliatos, reconciliari ac Eucharistiæ participatione muniri, ut nimirum his præsidiis confirmati & roborati, paratiores essent & alacriores ad supplicia pro Christo constanti animo toleranda. Ita colligimus ex S. Cypriano Ep. 54. ad Cornelium. Hinc est quod
P. 76. Martyres in carceribus detenti postulabant à sociis baptisari; ita sanctus Romanus statim pro Christo trucidandus, sanctum Laurentium sollicitabat, *Festina*, inquiebat, *me baptisare*. Nonnulli quoque ad tempus sese occultabant, non quidem ut martyrium declinarent, sed ut baptisari possent, quemadmodum de quodam Antonio refert Uluardi Martyrologium, ad diem undecimam Calendarum Septembris; omnes denique prævis jejuniis, orationibus ac bonis operibus præparabant se, ut digni haberentur qui pro Christi nomine contumeliam paterentur, ut dicitur Act. 5. v. 41.

IV. Martyrium verus est Baptismus, & quidem aquæ Baptismo præstantior; ergo tam requirit in adultis prævias dispositiones, quam Baptismus aquæ.

V. Denique, ut valeat in adultis martyrium, debet esse voluntaria & supernaturalis Christi confessio; est enim actus fortitudinis & charitatis: atqui non potest illa confessio esse voluntaria & supernaturalis sine virtuali saltem peccatorum detestatione.

Solvuntur Objectiones.

Objicies 1. contra primam partem Conclusionis: Martyrium est actus fortitudinis & charitatis: atqui infantes sunt incapaces ejusmodi actuum, ergo & martyrii.

Resp. dist. maj. Martyrium est actus fortitudinis & charitatis in adultis, concedo: in infantibus, subdistinguo: ex parte operis operati, seu pœnæ in odium Christi inflictæ, concedo: ex parte operis operantis, nego. Satis enim est in infantibus ad laudem & præmium martyrii reportandum, quòd in odium Christi occisi sint.

Instabis. Generalis est hæc Christi sententia, *Nisi* Joan. 3. v. 5.
quis renatus fuerit &c. Ergo sine Baptismo nemo salvus esse potest.

Resp. Non minùs generalem esse hanc Christi sententiam, *Omnis qui confitebitur me coram hominibus,* Matth.
confitebor & ego eum coram Patre meo. Sanguinis ei- 10. v. 32.
go Baptismus supplet vices Baptismi aquæ.

Objicies 2. contra secundam partem. Tertull. Lib. de pudicitia cap. ultimo, negat martyrium verum esse Baptisma. Cùm enim nonnulli in vinculis pro fide Christi detenti mœchis pœnitentiæ tempus relaxari postularent, negat id fieri debere: *Quod si est*, inquit, P. 175.
jam & martyrium aliud erit Baptisma. C.

Resp. 1. Tertullianum in citato Libro de pudicitia audiendum non esse, qui ad Montani partes deserta Ecclesia jam tum defecerat.

Resp. 2. citato in loco unum dumtaxat velle, nempe non esse propter Martyrum merita & preces, omnino relaxandam lapsis pœnitentiam. *Sufficiat*, inquit, Ibid. B.
Martyri propria delicta purgasse. Ingrati vel superbi est in alios quoque spargere, quod pro magno fuerit consecutus. Quamquam & in hoc aberrat Tertullianus, quòd nolit in gratiam Martyrum lapsis quamdam concedi indulgentiam seu pœnas relaxari: Montanista enim factus existimabat non posse ab Ecclesia peccata dimitti. De eadem intempestiva indulgentia nonnunquam conquestus est S. Cyprianus ex amore disciplinæ, non ex desperatione indulgentiæ: non negabat enim posse & debere aliquando Ecclesiam in gratiam Martyrum lapsis aliquam pœnarum Canonicarum partem relaxare, sed ægrè admodum ferebat totam relaxari, ita ut sine ulla pœnitentia statim ad participationem mysteriorum admitterentur; unde Ecclesiasticam disciplinam enervari ac pessumdari conquerebatur.

Objicies 3. contra tertiam partem: Martyrium est actus perfectissimæ charitatis, *Majorem dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis*, inquit Christus Joan. 15. v. 13. Ergo martyrium agit ex opere operantis, non ex opere operato.

Resp. dist. ant. Est actus perfectissimæ charitatis, objectivè, aut effectivè, quæ ex martyrio sequatur, concedo: elicitivè, aut quæ antecedat, nego. Mors quippe subeunda pro Christo objectum est arduum ac difficillimum, unde maximam vi sua charitatem producit; at non semper profluit ex maxima charitate elicitivè. Revera eam aliquando supponere potest, ac etiam supponit, sed non necessario; namque ex corrupto nonnunquam principio, puta ex superbia, ostentatione ac vana gloria &c. potest quis mortem sustinere; unde vulgare effatum, *Martyrem non facit pœna, sed causa.* Supponit igitur martyrium charitatem saltem inchoatam & imperfectam, tanquam dispositionem necessariam: quod si contingeret eam perfectam esse, adhuc virtute pœnæ martyrium ad delendam omnem pœnam efficaciter influeret. *Ad actum martyrii*, ait S. Thom. 2. 2. q. 124. art. 2. ad 2. *inclinat quidem charitas, sicut primum & principale motivum per modum virtutis imperantis, fortitudo autem sicut motivum proprium per modum virtutis elicientis. Et inde est quod martyrium est actus charitatis ut imperantis, fortitudinis autem ut elicientis: unde etiam est, quod utramque virtutem manifestat. Quod autem sit meritorium, hoc habet ex charitate, sicut & quilibet virtutis actus; & ideo sine charitate non valet.*

Instabis

Instabis 1. S. Cyprianus Epistola 54. ad Cornelium jam laudatam, asserit lapsos reconciliandos prius esse, quam ad martyrium subeundum accedant; refellitque eos, qui contendebant martyrium sufficere. "Nec
P. 77. „quisquam dicat, *inquit*, Qui martyrium tollit, sangui-„ne suo baptizatur." Ergo existimat Sanctus ille Martyr, martyrium ex se seu ex opere operato efficax non esse, sed ex opere operantis dumtaxat, ratione charitatis.

Et S. Bernardus Ep. 77. ad Hugonem de S. Victore:
Tom. 1. p. 629. D. „Pro certo, *inquit*, cum non aliunde martyrium nisi ex „fidei merito illam obtinuerit prærogativam, ut singu-„lariter vice Baptismi secure suscipiatur; non video „cur non ipsa, (*nempe fides*) æque & sine martyrio „apud Deum tantumdem possit.

Resp. ex his hoc unum colligi posse, quod probavimus, nempe prævias in adultis conditiones exigi ad effectum martyrii obtinendum. Neque vero martyrium dispensat à perceptione Sacramenti Baptismi & Pœnitentiæ, cum adest ea percipiendi facultas; imo Martyres ad fidem constanter confitendam, ac pro Christo mortem obeundam inde magis idonei fiunt, quo majori ex Sacramentis gratia roborantur, ac veluti ad victoriam præformantur.

Instabis 2. Martyrium consistit in morte pro Christo inflicta & tolerata; sed mors pro Christo supponit charitatem, charitas autem primam gratiam; igitur martyrium vi propria primam gratiam non confert, nec consequenter delet peccata ex opere operato.

Confirmatur: Quia vel martyrium consistit in morte, vel in voluntate supernaturali subeundæ mortis præsentis pro Christo: atqui non potest consistere in ista voluntate; alias posset quis ab accepta semel per tale propositum martyrii gratia excidere, ut contingit uni ex quadraginta Martyribus, quorum martyrium celebrat Ecclesia die 9. Martii; attamen istud consequens negatur à S. Cypriano Præfatione in Librum de exhortatione martyrii, & à S. Gregorio Nazianzeno Orat. 39. quæ est in sancta lumina, ubi ait martyrium esse Baptis-
P. 234. mi genus "cæteris eo præstantius, quod nullis postea „sordibus contaminatur.

Quod si in morte consistat, vix potest explicari quan-
Tom. 1 p. 634. D. donam gratiam producat ex opere operato. Quod enim agit ex opere operato, debet esse perfectum, & in facto esse, ut ajunt; atqui mors, quando perfecta est ac completa, nihil producere potest, cum homo tunc sit extra statum viæ.

Resp. 1. nego maj. Pro Martyribus enim olim habebantur, qui quolibet pro Christi fide supplicium, etsi ad mortem non esset, tolerassent. Sic Praxeas à Tertul-
P. 500. A. liano L. adversus eum jam citato c. 1. dicitur "de ja-„ctatione martyrii inflatus, ob solum & simplex & „breve carceris tædium." Sic apud Eusebium Lib. 5. c. 19. inter subscriptiones Concilii quod habitum est
P. 187. A. adversus Cataphrygas seu Montanistas, legitur subscripsisse Aurelius Cyrenius martyr. Sic Marcellus Papa die 16. Januarii, Sylverius die 16. Junii, Martinus II. die 12. Novembris tanquam Martyres ab Ecclesia coluntur, qui tamen à Tyrannis occisi non sunt.

Merito igitur dici potest, martyrium consistere in voluntate supernaturali subeundæ mortis præsentis pro Christo; neque contrarium evincit prima instantiæ confirmatio. namque ut voluntas illa palmam martyrii reportet, debet esse constans, & non mutari. SS. autem Cyprianus & Gregorius Nazianzenus loquuntur de voluntate firma & perseverante, seu de martyrio per mortem consummato.

Resp 2. dist. maj. Martyrium consistit in ipsa morte inchoata, seu in illis lethalibus vulneribus ex quib' mors naturaliter sequitur, concedo: in ipsa morte perfecta & physice consummata, subdistinguo; quantum ad omnem effectum martyrii, gloriam scilicet & consummatam gratiam, concedo: quantum ad ipsam gratiam & remissionem peccatorum, tam ratione culpæ quam pœnæ, iterum distinguo: consistit in ipsa morte, id est in ipso instanti separationis animæ à corpore, concedo: post separationem animæ à corpore, nego. Distinguo min. atqui mors supponit gratiam, mors consummata & in facto esse, concedo: inchoata, iterum distinguo; aliquando supponit gratiam & charitatem perfectam, concedo; semper & necessario, nego. Consistit igitur martyrium, ipsiusque gratia in eo agonis Christiani instanti confertur, in quo licet actu non sit mors, cursus tamen vitæ, & martyrii certamen consummatur, ob inevitabilem mortis jamjam impendentis necessitatem: quod si contingat Martyrem accepto lethali vulnere aliquamdiu in vivis superstitem permanere, tunc plenam martyrii gratiam assequetur, quando ex inflicto vulnere vitam cum morte commutabit; & ita SS. Pontifices mox enumerati ut martyres veri coluntur, quia etsi statim à Tyrannis occisi non sint, iis tamen ærumnis ac laboribus sunt afflicti propter Christum, ex quibus tandem mors sequuta est.

Hinc patet solutio ad secundam confirmationem; plenitudo enim martyrii conferri solet in instanti separationis animæ à corpore. Neque hic scrupulose ac morosius inquiri debet, quale sit illud ultimum instans martyrii, an sit primum hominis non esse, vel ultimum esse illius; satis est quod instans dissolutionis seu separationis animæ à corpore Deo sit perspectum.

Instabis 3. Si martyrium agit ex opere operato, ergo est verum Sacramentum.

Resp. nego conseq. Tum quia martyrium non est ordinarium remedium à Christo institutum ad remissionem peccatorum: tum quia certam non habet verborum formam, sicut cætera Sacramenta: tum quia per ministros Christi non confertur, sed potius per ministros diaboli.

Objicies 4. contra quartam Conclusionis partem Tam efficax est martyrium in adultis, quam in parvulis; sed in istis operatur sine ullis præviis dispositionibus; ergo & in adultis.

Resp. idem argumentum de Baptismo aquæ retorqueri posse, qui in adultis prævias exigit dispositiones, non vero in parvulis; nec alia quærenda est hic ratio, quam ipsamet adultorum & infantium conditio diversa, qua fit ut adulti sui compotes debeant Sacramenta volentes percipere, adeoque cum iis animi præparationibus quas illorum sanctitas exigit: è contra infantes propriæ voluntatis nondum capaces, sine ullo proprio motu ea percipere cum fructu possunt.

An, & quomodo perfecta charitas includens votum Baptismi, vices ejus suppleat.

PRÆNOTANDA.

Observandum 1. Baptismum flaminis seu spiritus eum appellari, qui in perfecta contritione seu charitate consistit, quæ quidem perfecta esse potest extensive vel intensive. Perfecta dicitur charitas seu amor Dei extensive, quando Deus super omnia diligitur, & rebus omnibus anteponitur; perfecta vero intensive, quando summa intensione ac maximo conatu & affectu voluntas in Dei amorem rapitur: tanquam enim rem certam & apud omnes exploratam hic supponimus, contritionem imperfectam, quæ attritio nuncupatur, & nullam includit charitatem proprie ac stricte sumptam, non posse vices Baptismi aquæ supplere.

Observandum 2. perfectam illam charitatem & cordis contritionem spectari posse, vel in casu necessitatis, cum impossibile est reipsa suscipere Baptismum; vel extra talem necessitatem.

Obser-

Observandum 3. Baptismi votum seu desiderium duplex distingui posse: unum explicitum seu expressum, quo quis sciens quid sit Baptismus, actu expresso & elicito cupit baptisari; alterum implicitum & generale, quo quis nihil de Baptismo sciens, sed efficaciter desiderans Deo in omnibus placere, sic animo est comparatus, ut omnia ejus mandata, cum ad suam pervenerint cognitionem, adimplere velit: in isto quippe affectu includitur voluntas Baptismi, sicut & aliorum Dei mandatorum adimplendorum.

Observandum 4. duplicem esse imprimis aquæ baptismalis effectum, nempe remissionem omnis culpæ, & pœnæ.

Observandum 5. sensum præsentis quæstionis non esse, an perfecta contritio Baptismi vices suppleat ex opere operato, & per modum Sacramenti; nihil quippe hic occurrit, quod non sit ex parte ipsius operantis: quod ergo voluntas Baptismi suscipiendi pro Baptismo
Tom. 2. p. 59. col. 1. F. habeatur, non provenit ex natura rei ipsius, "sed ex „misericordia Dei, qui propter fidem & desiderium „quærentis salutem, complet in necessitate quod est ex „parte Sacramenti," ut recte hic observat Estius in 4. dist. 4. paragr. 17.

Sensus igitur quæstionis est, utrum perfecta contritio, sive extensive sive intensive talis sit, sive in necessitate, sive extra, suppleat vices Baptismi aquæ, quoad remissionem omnis pœnæ & culpæ: & quale requiratur Baptismi desiderium seu votum; an expressum & explicitum, an implicitum in ipsa contritione perfecta inclusum sufficiat: circa quam controversiam non una est & Veterum & Recentiorum opinio.

OPINIONES.

Fuere inter Veteres jam rigidi & severi defensores necessitatis Baptismi, ut existimaverint, ne quidem in necessitate sufficere ad salutem, Baptismi desiderium ex charitate profectum.

Quarto sæculo S. Gregorius Nazianzenus Oratione 40. in sanctum Baptisma, non longe à medio, ostendit iis, qui vi aliqua & inopinato casu à Baptismo excidunt, nihil prodesse votum seu desiderium Baptismi. Triplicem scilicet ibi distinguit ordinem eorum qui non sunt baptisati.

Primus est eorum qui ferarum more viventes, omnibus vitiis inquinantur, nec multum curant de Baptis-
Tom. 1. p. 651. D. mo; "ita ut, *inquit*, si ipsis detur, non gravatim acci-
Ibid. „piant; si non detur, itidque deque ferant.

Secondus, eorum qui Baptismum quidem & honorant & desiderant, sed præ ignavia, & ut vitiis liberius indulgeant, diu protrahunt illum ac differunt.

Tertius, eorum qui recte quidem vivunt, sed vel pro-
Ibid. p. 653. D. pter ignorantiam, vel propter tyrannidem à Baptismo exciderunt; "Tyrannis autem, *inquit*, nihil aliud est, quam „rei alicujus consequendæ inopinato erepta facultas.

Primi & secundi ordinis homines non baptisatos graviter puniendos fore asserit S. Doctor, utpote qui Baptismum neglexerint, quanquam levius aliis qui contempserunt: tertii vero ordinis, suppliciis quidem æternis non torquendos, quia nihil supplicii meruerunt, sed tamen æternam gloriam non consecututos. "Post emi
Ibid. „*inquit*, nec cœlesti gloria, nec suppliciis à justo Judice „afficientur, utpote qui licet (*Baptismo*) signati „non fuerint, improbitate tamen careant, atque hanc „jacturam passi potius fuerint, quam fecerint." Quod illustrat ibidem exemplo hominis, qui voluit quidem alium occidere, quem tamen de facto non occidit: voluntas illius apud Judices pro facto non habetur; neque tanquam reus homicidii plectitur.

In hoc postremo ordine supponit S. Doctor hominem recte viventem, carentem improbitate, qui non ex contemptu, neque ex negligentia, sed ex inopinato tantum casu Baptismum non percipit, qui tamen nec supplicis est afficiendus, cum careat improbitate; (qua nihilominus non careret, si supponeret eum ex negligentia saltem à Baptismo excidisse) nec gloria donandus, quia caret Baptismo. Medium igitur aliquem locum putat esse pro ejuscemodi hominibus, sicut & pro infantibus morte immatura ante perceptum Baptisma raptis; adeoque putat votum seu desiderium Baptismi junctum cum vitæ probitate non sufficere ad æternam gloriam.

Nonnulli ex nostris conantur in benigniorem sensum inflectere sanctum Doctorem, quasi supponeret eos de quibus tertio loco loquitur, non habere desiderium seu voluntatem percipiendi Baptismatis ex charitate seu contritione perfecta; sed aliquam ex eorum parte causam subesse, propter quam baptismali gratia privati fuerint. Laudamus quidem eorum conatum & optaremus posse S. Doctoris verba in hunc sensum adduci; sed reclamat ipse contextus, reclamat ipse Nicætas hujus Orationis Commentator.

Quinto sæculo Gennadius Massiliensis, qui verus est Auctor Libri de Dogmatibus Ecclesiasticis, apud S. Augustinum To. 8. in Appendice c. 41. alias 74. docet Catechumenū non salvari, etiamsi in bonis operibus vixerit, nisi Baptismo aquæ aut sanguinis fuerit purgatus. T. 8. Append. p. 79 D.

Sexto sæculo S. Fulgentius Epist. 12. ad Ferrandum Diaconum de Baptismo Æthiopis, in eam etiam inclinare videtur, nempe votum Baptismi non sufficere ad salutem, etiam premente necessitate. Rogatus enim à Ferrando Diacono, quid sentiendum foret de Baptismo cujusdam Æthiopis, qui in catechumenatu diu tentatus ac probatus subito morbo, sensu ac voce destitutus, in extremis baptisatus fuerat, respondet 1. recte illum fuisse baptisatum, ac præcedentem fidei promissionem ac pietatem, quam revocasse non censebatur, et cum Baptismo sufficere ad salutem. Respondet. 2. c. 8.
„illum sine Baptismi Sacramento sola confessione non P. 223.
„potuisse salvari. Qui enim crediderit & baptisatus „fuerit, salvus erit. Illum utique adolescentem, quia „credidisse & confessum fuisse novimus, ideo per Sacramentum Baptismatis salvum fuisse firmamus: qui si „non baptisaretur, non solum nesciens, sed etiam sciens, „nullatenus salvaretur. Via enim salutis fuit in confes„sione, salus in Baptismate. Nam in illa ætate, non so„lum ei confessio sine Baptismate nihil prodesset, sed „nec ipsum Baptisma non credenti neque confitenti „nullatenus proficeret ad salutem.

Et Lib. de fide ad Petrum c. 3. sic loquitur: "Ex illo P. 519.
„tempore quo Salvator noster dixit: Si quis renatus „non fuerit &c. absque Sacramento Baptismatis, præter „eos qui in Ecclesia Catholica sine Baptismate pro Christo „sanguinem fundunt nec Regnum Cœlorum potest „quisquam accipere, nec vitam æternam," Clariora hæc sunt, quam ut alium in sensum possint detorqueri.

Sæculo decimo tertio, tempore S. Bernardi, fuere qui contenderunt ex quo primum à Christo dictum est, *Nisi quis renatus fuerit* &c. neminem absque percepto re Baptismo, vel, ejus vice, martyrio, ullatenus salvari potuisse, etsi forte quis cum vera fide & contritione cordis illum expeteret. Ita testatur S. Bernardus Ep. 77. Tom. 2. p. 65.
ad Hugonem Victorinum, à quo de ista quæstione interrogatus fuerat.

Videtur tunc temporis excitata hæc quæstio, de qua consultus est Innocentius III. & de qua scripsit ex professo S. Bernardus jam dicta Epistola, Hugo Victorinus Lib. 2. de Sacramentis parte 6. c. 7. & Magister Sententiarum Lib. 4. dist. 4. littera D.

Inter recentiores, Michael Baius, qui auctor est propositionum quæ à S. Pio V. & Gregorio XIII. damnatæ sunt, existimat Catechumenos ante perceptum Baptismum habere quidem posse perfectam charitatem & contritionem, sed peccatorum remissionem non obtinere nisi per Baptismum. Talis enim est pro- Oper. Bai. par. 2. p. 53.
positio 31. "Charitas perfecta, quæ est ex corde puro,

„de puto, & conscientia bona,& fide non ficta, in Ca„techumenis & pœnitentibus potest esse sine remissione „peccatorum.

To. 2. p. 219. col. 2. Estius in 4. distinction. 17. paragraf. 2. docet peccata non remitti ordinarie ante actualem Baptismi, vel pœnitentiæ perceptionem, etsi perfecta sit tum intensive, tum extensive charitas, sed raro tantum & in necessitate.

Pamelius in Scholiis ad Epist, 54. S. Cypriani fatetur quidem contritionem solam sufficere ad remissionem peccatorum in casu necessitatis, non vero extra necessitatem.

Sunt inter Scholasticos, qui putant implicitum Baptismi desiderium sufficere ad justificationem; sed ad vitam æternam obtinendam necessarium esse explicitum. Eo videtur inclinare Melchior Canus Relectione de Sacramentis in genere art. 2, conclusione 3. Sunt qui implicitum solummodo sufficere volunt, sive ad justificationem, sive ad vitam æternam obtinendam. Ita Vega Lib, 5. super Conc, Trid. c. 14. Vasquez & & alii. Sunt qui facta distinctione eorum quibus promulgata est lex Baptismi, & eorum qui penitus illam ignorant, dicunt illis sufficere votum implicitum, aliis vero necessarium esse explicitum. Ita sentire videtur Dominicus Soto in 4. dist. 5. q. unica art, 2. Sunt denique, qui per votum Baptismi censent omnem culpam & pœnam remitti; alii vero fatentur quidem culpam, negant vero pœnam omnem condonari. His ita expositis, sit

CONCLUSIO.

Baptismus flaminis, seu perfecta charitas & cordis contritio includens votum Baptismi aquæ, illius vices supplet in adultis.

Probatur 1. ex Scripturis quæ charitatis vim sæpius commendant, Joan, 14. v. 21. "Qui diligit me dili„getur à Patre meo, & ego diligam eum, *Ezech.* 18. „*v.* 21. Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus pec„catis suis.... vita vivet & non morietur. *Et v.* 30. „Convertimini & agite pœnitentiam ab omnibus ini„quitatibus vestris, & non erit vobis in ruinam iniqui„tas. *Rom.* 10. *v.* 11. Omnis qui credit in illum, non „confundetur. *Et* v. 13. Quicumque invocaverit no„men Domini, salvus erit.

Probatur 2. ex Concilio Tridentino tribus in locis.

To. 14. Conc. p. 718. C. Sessione 6. c. 4. ubi docet, " post Evangelium „promulgatum, numquam fieri translationem à statu „veteris Adæ ad statum gratiæ, sine lavacro regenera„tionis aut ejus voto.

Ibid. p. 776. E. Sess, 7. Can, 4. de Sacramentis in genere, damnantur qui dicunt "sine Sacramentis aut eorum voto, per solam fidem homines à Deo gratiam justificationis adipisci.

Ibid. p. 817. D. Denique Sess, 14. c. 4. sic loquuntur Patres: "Docet „præterea (sancta Synodus) etsi contritionem aliquan„do charitatem perfectam esse contingat, hominem„que Deo reconciliare, priusquam hoc Sacramentum „actu suscipiatur; ipsam nihilominus reconciliationem „ipsi contritioni, sine Sacramenti voto quod in illa in„cluditur, non esse adscribendam.

Ibid p. 816. E. Atqui eadem est ratio contritionis ex charitate perfecta ante Baptismum, Nam c 2. de Pœnitentia dicitur: „Est autem hoc Sacramentum Pœnitentiæ lapsis post „Baptismum ad salutem necessarium, ut nondum rege„neratis ipse Baptismus. Sicut igitur contritio ex charitate perfecta non tollit peccatum mortale post Baptismum, sine voto Pœnitentiæ; ita neque ante Baptismum, sine ipsius voto.

Ex his patet falsam esse, ac merito à SS, Pontificibus S. Pio V. & Gregorio XIII. proscriptam fuisse memoratam Baji propositionem.

Quin Innocentius III. qui sedere cœpit an. 1190. Conclusionem nostram duobus Decretis evidenter confirmat. primum est ad Metensem Episcopum, & extat L. 3. Decretal. tit 42. c. 4. Interrogatus scilicet quid sentiendum esset de quodam Judæo qui morti proximus seipsum baptisaverat, respondet 1. "quod cum inter ba„ptisantem & baptisatum debeat esse discretio, iste Ju„dæus denuo sit baptisandus ab alio; *tum addit*; Quamo„vis si talis continuo decessisset, ad cœlestem patriam „protinus evolasset Sacramenti fidem, & non propter „fidei Sacramentum.

Alterum Decretum extat eodem Libro titulo 43. c. „Apostolicam. De Presbytero non baptisato," ubi sic respondet Episcopo Cremonensi; "Si in sanctæ matris „Ecclesiæ & Christi nominis confessione perseveraverit „ab originali peccato solutum, & cœlestis patriæ gau„dium esse adeptum asserimus incunctanter.

Tum laudat auctoritatem SS. Augustini & Ambrosii: monetque prædictum Episcopum, "ut sopitis quæstio„nibus Doctorum, SS. Patrum sententias teneat, & in „Ecclesia sua juges preces hostiasque Deo offerri jubeat „pro Presbytero memorato.

Ex quibus, sicut & ex Hugone Victorino & S. Bernardo, videmus tunc temporis inter Doctores quæstionem nostram excitatam & agitatam fuisse.

Probatur 3. ex SS. Patribus.

S. Cyprianus Ep. 73. ad Jubajanum, supponit manifeste votum ac desiderium Baptismi vices ejus supplere. Cum enim in ea versaretur opinione, Baptismum ab Hæreticis collatum nullum esse, hanc sibi proponit quæstionem; "Quid nempe fiet de his qui ab hæresi ad Ec- P. 128.
„clesiam venientes, sine Baptismo admissi sunt?" (& ita diem extremum obierunt) Respondet Deum ex sua indulgentia & misericordia eorum voluntatem supplere posse. Eadem plane mens fuit S, Dionysii Alexandrini in Epistola ad Xistum S. P. apud Euseb. L. 7. c. 9.

S. Ambrosius Oratione funebri de obitu Valentiniani Imperatoris sic loquitur: "Audio vos dolere, quod To. 2. p. 1188. B.
„non acceperit Sacramenta Baptismatis. Dicite mihi, „quid aliud in nobis est, nisi voluntas, nisi petitio? Atqui „etiam dudum hoc voti habuit, ut antequam in Italiam „venisset, initiaretur, & proxime baptisari se à me velle „significavit; & ideo præ cæteris causis me accersen„dum putavit. Non habet ergo gratiam quam deside„ravit? Non habet quam poposcit? certe quia poposcit, „accepit. Et ubi est illud: Justus quacumque morte præ„ventus fuerit, anima ejus in refrigerio erit: Sapientiæ 4. Ibid. D.
Et paulo post: "Quod si Martyres suo abluuntur san- Ibid. p. 1193. F.
„guine, & hunc sua pietas abluit & voluntas." Denique post multa, converso ad eum sermone, ait: "Non „quicumque te, sed Christus illuminavit gratia „spiritali: ille te baptisavit, quia humana tibi officia „defuerant. Plus adeptus es, qui minora te amisisse „credebas.

S. Augustinus L. 4. de Baptismo c. 22. "Invenio, To. 9. p. 139. C.
„*inquit*, non tantum passionem pro nomine Christi, id „quod ex Baptismo deerat posse supplere; sed etiam „fidem conversionemq; cordis, si forte ad celebrandum „mysterium Baptismi in angustiis temporum succurri Ibid. D.
„non potest." Et postea adducto latronis exemplo, sic pergit: "Quantum itaque valeat etiam sine visibili Sa„cramento Baptismi, quod ait Apostolus, Corde credi„tur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem; „in illo latrone declaratum est: sed tunc impletur invi„sibiliter, cum mysterium Baptismi non contemptus „Religionis sed articulus necessitatis excludit." Addu- Ibid. p. 140. D.
cit quoque exemplum Cornelii, qui antequam baptisaretur, justificatus erat.

Denique S. Bernardus ex professo Epist. 77. Conclusionem nostram demonstrat, variis momentis, præsertim SS. Ambrosii & Augustini auctoritate, To. 2. p. 619. A.
„Ab his, *inquit*, columnis, Augustinum loquor & „Ambrosium, crede mihi, difficile avellor. Cum his,

inquam,

"inquam, me aut errare, aut sapere fateor, credens & "ipse sola fide hominem posse salvari cum desiderio per- "cipiendi Sacramenti : si tamen pio adimplendi deside- "rio, mors anticipans, seu alia quæcunque vis invinci- bilis obviaverit.

Inde est quòd sacra Facultas Parisiensis anno 1560. consulta circa propositionem istam, *Per contritionem perfectam, non adhibito realiter Sacramento Baptismi vel Pœnitentiæ, non dimittitur crimen, extra casum martyrii & necessitate*, declarat Judicio suo doctrinali, propositionem esse hæreticam.

Quale votum Baptismi necessarium sit, an explicitum, vel implicitum.

Quæres 1. quale requiratur Baptismi votum seu desiderium : an explicitum seu expressum ; an implicitum & generale sufficiat.

Resp. cum distinctione, Vel enim cognoscitur præceptum Baptismi, vel ignoratur invincibiliter : si posterius, sufficit votum implicitum quod semper includitur in contritione perfecta. Sic v.g. qui audita Evangelii prædicatione, de Baptismo tamen nihil audivisset, & fidem in Christum ex charitate perfecta formatam haberet, ac statim migraret ex hac vita, haud dubiè non haberet expressum Baptismi desiderium, cujus necessitatem supponitur ignorare invincibiliter ; haberet igitur implicitum dumtaxat & generale, cum quo salvus ille foret. Si verò cognoscatur Baptismi præceptum ejusque necessitas, votum illius expressum seu explicitum requiritur. Tum quia id innuere videntur citata Concilii Tridentini & SS. Patrum testimonia, quibus asserunt contritionem perfectam justificare cum voto Baptismi : atqui si de voto solum implicito & generali loquerentur, inutile fuisset addere, *cum voto Baptismi* ; statim enim ac quis supponitur habere perfectam contritionem, habet quoque generale desiderium adimplendi quidquid est à Christo præscriptum ; ejusmodi quippe desiderium semper includitur in contritione perfecta. Tum quia votum medii quod ex ordinatione divina necessarium est ad salutem, debet esse diversum à voto rei ex solo præcepto necessariæ : atqui votum rei ex solo præcepto necessariæ debet esse saltem implicitum. Sic morti proximus debet saltem implicitum habere desiderium Eucharistiæ & Unctionis extremæ, quia utriusque Sacramenti usum infirmis in vitæ periculo constitutis Christus imperavit ; ergo votum rei quæ necessaria est absolutè seu necessitate medii, debet esse explicitum.

Verùm, inquies, numquid etiam requiritur explicitum desiderium mandata Dei observandi, quando cognoscuntur, & reipsa possunt adimpleri ? haud dubiè. At hoc posito, quid discriminis erit inter votum Baptismi aut Pœnitentiæ, & aliorum mandatorum Christi ?

Resp. 1. Cæterorum Christi mandatorum desiderium non debere necessariò esse explicitum sufficere. Resp. 2. quòd etsi necesse aliquando foret votum illud aliorum Christi mandatorum esse explicitum, adhuc id discriminis esset inter votum Baptismi, Pœnitentiæ, & aliorum mandatorum, quòd ex ordinatione divina Baptismi aut Pœnitentiæ votum suppleat vices illorum Sacramentorum, unde meritò Concilium Tridentinum dixit, *Contritionem non justificare sine voto Baptismi aut Pœnitentiæ*. At votum aliorum mandatorum vices eorum nec supplet, nec effectus producit.

Quæres 2. An per votum Baptismi extinguatur omne debitum pœnæ temporalis subeundæ.

Resp. Ex citatis SS. Patrum testimoniis id non constare. 1. Quia Scripturæ testimonia quibus pœnitentibus, credentibus, & nomen Domini invocantibus salus promittitur, cohærent cum onere persolvendi pœnam temporalem. 2. Quia Deus id tantùm supplere præsumitur, quod simpliciter & absolutè necessarium est : at totius pœnæ relaxatio non est ejusmodi. 3. Quia Ecclesia pro Catechumenis non baptisatis & defunctis non habat, sacrificia offerebat, quod pro Valentiniano fecit Ambrosius, & Innocentius III. pro Presbytero non baptisato fieri jussit. Contingere tamen potest, ut tantus sit fervor charitatis, tanta vis & intensio, ut omnis pœnæ remissionem impetret.

Solvuntur Objectiones.

Objicies 1. Communis fuit per quinque priora sæcula Ecclesiæ Romanæ & Hispaniæ mos, ut nec cum Catechumenis qui sine Baptismo, nec cum pœnitentibus qui sine reconciliatione mortui fuerant, communicaret, nec pro iis & preces funderet & offerret sacrificium : sed aliunde oriri non potuit hæc disciplina, quàm ex persuasione votum Baptismi aut Pœnitentiæ supplere non posse vices utriusque Sacramenti.

Major videtur certa.

De Ecclesia Romana testis est S. Leo Epist. 82. aliàs 91. ad Theodorum Forojuliensem Episcopum, ubi sic loquitur ; *Si autem aliquis eorum pro quibus Domino supplicamus, quocunque interceptus obstaculo, à munere indulgentiæ præsentis exciderit ; & priusquam ad constituta remedia perveniat, temporalem vitam humana conditione finierit, quod manens in corpore non receperit, consequi exutus carne non poterit.* Tom. 1. p. 605.

Testis Gelasius I. S. Pontifex: in Concilio enim Romano celebrato pro absolutione Cumani Episcopi hæc habet : *Nec nos jam mortuis veniam præstare possumus, quod nobis possibile non esse manifestum est. Alia est causa superstitum, alia defunctorum.* Tom. 4. Conc. p. 1274. D.

Testis Vigilius I. qui obiit anno 559. & Leoni ac Gelasio subscribit, quorum Decreta ad calcem latæ à se Constitutionis de tribus Capitulis, laudat & approbat.

De Ecclesia Hispanica constat ex II. Conc Bracarensi an. 563. c. 17. ubi sic legimus ; *Placuit ut Catechumenis sine redemptione Baptismi defunctis, simili modo neque oblationis commemoratio, neque psallendi impendatur officium: nam & hoc per ignorantiam usurpatum est.* Tom. 1. Conc. p. 841. E.

Resp. 1. ad maj. Ecclesiarum disciplinam hac in parte variam fuisse, illæsa semper & integra remanente fide.

Ecclesia Mediolanensis quarto sæculo, pro Valentiniano sine Baptismo defuncto, jubente & hortante sanctissimo Episcopo Ambrosio, preces publicas ac solemne sacrificium obtulit.

Ecclesia Carthaginensis idem testatur in suo IV. Concilio Carthaginensi an. 398. Can. 79. ubi de pœnitentibus ita statuit ; *Pœnitentes qui attentè leges pœnitentiæ exequuntur, si casu in itinere vel in mari mortui fuerint, ubi eis subveniri non possit, memoria eorum & orationibus & oblationibus commendetur.* Tom. 2. Conc. p. 1206. E.

Ecclesia Arelatensis idem quoque significat in suo II. Conc. Arelatensi anno 452. Can. 12. *De his*, inquiunt Patres, *qui in pœnitentia positi vitam excesserunt, placuit nullum vacuum Communione debere dimitti ; sed pro eo quod honoravit pœnitentiam, oblatio illius suscipiatur.* Tom. 4. Conc. p. 1016. D.

Ecclesia Hispanica idem observavit in Concilio XI. Toletano an. 675. Can. 12. his verbis, *De his autem qui accepta pœnitentia, antequam reconcilientur, ab vita recesserint, quamquam diversitas præceptorum de hoc capitulo habeatur, illorum tamen nos sententias placuit sequi, qui multiplices numero de hujusmodi. humaniùs decreverunt, ut & memoria talium in Ecclesiis commendetur, & oblatio pro eorum dedicata spiritibus accipiatur.* Tom. 6. Conc. p. 551. B.

Ecclesia denique Romana sexto sæculo mutavit disciplinam à Leone & Gelasio priùs inductam. Tunc enim communicare cœperunt SS. Pontifices cum pœnitentibus, qui ante acceptam absolutionem obierant : tunc personas in hæresi, aut saltem in suspicione hære-

seos mortuas ex albo Fidelium deleverunt, idque post Concilium V. generale an. 553. cujus vestigiis adhærens Concilium sextum, multos Episcopos, dum viverent, nequaquam damnatos, post mortem excommunicationis sententia punivit, prohibuitque ne pro iis publicæ preces funderentur, aut offerretur sacrificium. Hujus disciplinæ meminit Innocentius III. Extra. *De sententia excommunicationis* c. 28. ubi sic respondet: *Potest tamen & debet ei Ecclesia beneficio subveniri.* (loquitur de homine, qui dum viveret excommunicatione percussus fuerat) *ut si de ipsius viventis pœnitentia per evidentia signa constiterit, defuncto etiam absolutionis beneficium impendatur.* Idem Innocentius argumentum solvit, quo Leonis & Gelasii disciplina utebatur. *Ne obstat,* inquit, *quod Ecclesiæ legitur, attributa potestas ligandi atque solvendi homines super terram, tanquam non possit solvere & ligare sub terra sepultos; & quod legitur, Non communicetur mortuo, cui non est communicatum & vivo: tum etsi communicatum non fuerit, communicandum tamen illi fuisset, quem non contemptus Religionis, sed necessitatis articulus impedivit; & in cæteris casibus à Canonibus denotatis, ligasse legatur Ecclesia mortuos, & solvisse.*

Resp. 2. ad min. Nego causam denegatæ Communionis iis, qui vel sine reconciliatione, vel sine Baptismo ex hac vita migrassent, hanc fuisse, quod existimaverint Veteres in necessitate votum Pœnitentiæ aut Baptismi non sufficere; (neque enim ex desperatione indulgentiæ, ut ait S. Augustinus, sed ex rigore disciplinæ sic egerunt;) sed ut Fideles majori studio, ardore ac vigilantia pœnitentiæ & catechumenatus laboribus incumbentes, ad gratiam reconciliationis aut regenerationis citò percipiendam timore illius pœnæ adducerentur. Unde S. Leo de illis non desperat, sed eorum causam

To. 1. p. 605. uni Judicio Dei vult committi. *Nec necesse est,* inquit, *nos eorum qui sic obierunt, merita actusque discutere, cum Dominus Deus noster, cujus judicia nequeunt comprehendi, quod sacerdotale ministerium implere non potuit, suæ justitiæ reservaverit.*

Objicies 2. auctoritatem S. Ambrosii Lib. de My-

To. 2. p. 330. B. steriis cap. 4. ubi sic loquitur: *Credit Catechumenus in Crucem Domini Jesu, quia & ipse signatur: sed nisi baptisatus fuerit in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, remissionem non potest accipere peccatorum, nec spiritalis gratiæ munus haurire.*

Et Lib. 2. de Abrahamo c. 11. adducto loco S. Joan.

To. 1. p. 331. A. *Nisi quis renatus fuerit &c.* *Utique,* inquit, *nullum excipit, non infantem, non aliqua præventũ necessitate.*

Resp. ad primum, loqui S. Doctorem de illis adultis, qui cùm possint & debeant baptisari, negligunt tamen vel etiam contemnunt Baptismum; quos meritò ait sine Baptismo salvos esse non posse.

Ad secundum: loquitur tantùm de infantibus qui non possunt salvi fieri sine Baptismo actu percepto, [excepto casu martyrii] non verò de adultis, quod pa-

Ibid. tet ex verbis istis immediatè sequentibus: *Habeant tamen,* inquit, *illam opertam pœnarum immunitatem, nescio an habeant regni honorem.*

Quamquam postrema verba, quibus dubitare videtur an infantes sine Baptismo defuncti habeant regni honorem, cum sapiant errore Pelagianum, suspicari meritò possumus ab aliquo hæretico intrusa esse, ut scitè observant doctissimi Benedictini, quorum cura & studio recognita sunt & prælo mandata S. Ambrosii Opera; præsertim cùm ipse S. Doctor eodem citato cap. 11.

Ibid. p. 348. F. Lib. 2. de Abraham n. 76. affirmatè dixerit, *neminem ascendere in Regnum Cælorum, nisi per Sacramentum Baptismatis.*

Objicies 3. auctoritatem S. Augustini multis in locis.

To. 3. p. 2. p. 394. C. Tractatu 18. in Joan. *Quantumcunque,* inquit, *Catechumenus proficiat, adhuc tamen sarcinam suæ iniquitatis portat; non illi dimittitur, nisi cum venerit ad Baptismum.*

Et Tract. 4. de iisdem Catechumenis loquens, *Omnia peccata,* inquit, *super illos sunt; & nisi venerint* Ibid. p. 318. B. *ad salutarem Baptismum, ubi peccata solvuntur, cum omni sua excellentia non possunt intrare in Regnum Cælorum.*

Libro 1. de origine animæ cap. 9. *Nemo fit,* inquit, To. 10. p. *membrum Christi, nisi aut Baptismate in Christo, aut* 342. D. *morte pro Christo.*

Lib. 2. de peccatorum mer. & remissione c. 26. *San-* Ibid. p. 63. A. *ctificatio Catechumeni, si non fuerit baptisatus, non ei valet ad intrandum in Regnum Cælorum.*

Lib. de Unitate Ecclesiæ c. 22. *Utrumque,* inquit, To. 9. p. *necessarium est ad Regnum Dei adipiscendum, & Ba-* 379. G. *ptismus, & justitia.*

Denique Lib. 4. de Baptismo contra Donatistas c. 21. Ibid. p. *Sicut,* inquit, *bono Catechumeno Baptismus deest ad* 138. F. *capessendum Regnum Cælorum; sic malo baptisato vera conversio . . . . . . Alterum sine altero parum est;* Ibid. p. *utrumque perficit illius possessionis hæredem.* 139. A.

Ex quibus ut testimoniis istud concluditur, aut neminem justificari antequam baptisetur; aut Catechumenum justitiam assequi posse, etiam ante Baptismum, sicut de Cornelio fatetur S. Augustinus Lib. 4. de Baptismo cap. 21. 22. & 24. non tamen consequi remissionem peccatorum, sicut contendit Michaël Bajus.

Resp. Ad primum & secundum testimonium, S. Doctorem loqui de illis superbis & elatis Catechumenis, qui de suis præsumentes bonis operibus, quasi inutilem sibi Baptismum negligebant vel etiam contemnebant, seque aliis Christianis baptisatis longè meliores præsumebant; quos meritò S. Augustinus ait *sarcinam iniquitatis suæ portare*, donec deposita superbia, ad Baptismum humiles accesserint. Hunc esse S. Doctoris sensum constat ex verbis, quæ præcedunt ea quæ laudata sunt ex Tract. 13. in Joan. *Quare,* inquit, To. 3. p. 2. *oportebat ut Dominus baptisaretur? quia multi con-* p. 393. F. *tempturi erant Baptismum, eo quod jam majore gratia præditi viderentur quàm viderent alios Fideles. V. g. jam continenter vivens Catechumenus, contemneret conjugatum, & diceret se meliorem quàm ille sit Fidelis. Ille Catechumenus posset dicere in corde suo, Quid mihi opus est Baptismum accipere, ut hoc habeam quod & ille, quo jam melior sum?*

Ad tertium: cùm ait S. Doctor, neminem fieri membrum Christi, nisi per Baptismum, non tantùm intelligit Baptismum re, sed etiam voto perceptum, ex perfecta nimirum charitate: ita colligere est ex testimoniis quæ inter probationes Conclusionis adducta sunt.

Ad quartum: loquitur S. Augustinus de variis sanctificationibus, quibus Catechumeni ad Baptismum præparabantur & præformabantur, ut signo Crucis, impositione manuum &c. quæ omnia profectò, nisi accesserit Baptismus, ad Regnum Cælorum perducere non possunt, nisi jungantur cum charitate perfecta quæ Baptismi vices supplet, quando *non con-* To. 9. p. *temptus Religionis, sed articulus necessitatis illum ex-* 139. D. *cludit*, ut loquitur S. Augustinus antea citatus L. 4. de Baptismo c. 22.

Ad quintum ex Libro de Unitate Ecclesiæ: loquitur sanctus Doctor ex hypothesi ordinaria, qua, omni seclusa necessitate prohibente, potest Baptismus percipi ab iis qui eum non contemnunt; quo rectè casu verum est quod ait S. Doctor, utrumque necessarium esse, & Baptismum, & justitiam; *In contem-* Ibid. p. *ptore autem Baptismi* [statim pergit] *non potest esse* 379. G. *justitia.* Ergo supponit eam adesse posse in eo qui Baptismum non perciperet, non quidem ex contemptu, sed ex necessitate.

Ad ultimum ex Libro 4. contra Donat. c. 21. eadem est responsio, nempe loqui S. Doctorem de

bono

bono quidem Catechumeno, sed qui ex negligentia ad Baptismum non accederet. *Si enim*, inquit, *Cor-*
Ibid. p. 138. C. *nelius etiam Spiritu sancto jam accepto baptisari noluisset, contempti tanti Sacramenti reus fieret.* Et c. 25.
Ibid. p. 141. C. ejusdem Libri *Conversio cordis*, inquit, *potest quidem inesse non percepto Baptismo, sed contempto non potest.*
Ibid. p. 138. D. Unde idem S. Doctor citato cap. 21. ejusdem Libri ait: *Non dubito Catechumenum Catholicum divina charitate flagrantem Hæretico baptisato anteponere.*

Objicies 4. Vel contritio justificat dependenter à voto Baptismi, vel independenter? neutrum dici potest.

Non primum, quia minorem vim non habet contritio post Baptismum institutum, quàm antea: atqui ante institutionem Baptismi justificabat sine illius voto.

Non secundum, aliàs Baptismus in voto necessarius non esset.

Resp. Contritionem justificare cum voto Baptismi, sicut docet Concilium Tridentinum; neque inde sequitur imminutam esse ipsius vim, sed tantùm additum esse novum mandatum. Præterea in contritione semper includitur voluntas observandi omnia Dei mandata, aliàs imperfecta illa foret.

Objicies denique: S. Ambrosius in funebri Oratione Valentiniani, affirmat eum ad cœlestia gaudia pervenisse; censet igitur votum Baptismi tollere omne debitum pœnæ temporalis luendæ.

Resp. à Valentiniani morte usque ad tempus quo S. Ambrosius Mediolani funebre ejus Encomium recitavit, multos dies fluxisse, ut patet ex historia mortis illius quæ Viennæ in Galliis contigit; unde licet Valentinianum jam tum gloria cœlesti potitum fuisse concedatur, non posset tamen colligi, eum post mortem aliquas non sustinuisse ab igne purgatorio pœnas. Dici præterea potest, S. Doctorem ex vehementia & ardore charitatis qua flagrabat Imperator, conjecisse, eum ab omni pœna immunem fuisse: dico, conjecisse, non certò definiisse; siquidem hortatus est plebem Christianam, ut pro eo preces ad Deum funderet, & incruentum sacrificium offerret.

Instabis: Valet in præsenti quæstione vulgatum axioma, *Voluntas pro facto reputatur*; ergo sicut Baptismus re susceptus expungit omnis pœnæ debitum, ita & ejus votum seu desiderium.

Resp. Prædictum axioma obtinere tantum in iis operibus in quibus non opus operatum spectatur, sed meritum operantis: voluntas enim cum satis magna & efficax est, *pro facto* idcirco reputatur, quod tota meriti ratio in voluntate posita sit, quæ quidem tanta esse potest absque opere, quanta operi conjuncta, quin & interdum major; in quibus proinde, quòd pro facto reputetur voluntas, non tantùm misericordiæ Dei est, sed aut naturæ & dignitatis rei, aut saltem primæ institutionis. Quod quidem perspicuum est in malis operibus, velut si quis omnino voluit hominem occidere, nec tamen potuit: cùm enim hic non minori malitia affectum gerat animum, quàm si homicidium re vera perpetrasset, coram Deo reus est, & justo judicio damnatur. At in illis operibus in quibus non meritum operantis, sed opus ipsum operatum attenditur, sicut fit in omnibus Sacramentis, non valet dictum axioma; aut saltem si voluntas pro facto reputatur, illa vim Sacramenti non habet: idest, eodem modo ex opere nimirum operato non agit, sed ex sola misericordia Dei, qui propter fidem & desiderium quærentis salutem, voluntatem pro facto acceptat; & complet in necessitate quod deest ex parte Sacramenti. Ita Estius in 4. dist. 4. parag. 17.

* * *

QUÆSTIO III.

De causis, seu de auctore, ministro & subjecto Baptismi.

ARTICULUS I.

De auctore Baptismi; an, & quando fuerit à Christo constitutus, & obligare cœperit.

Baptismum à Christo institutum fuisse omnes sive Orthodoxi sive Hæretici agnoscunt, sed de tempore institutionis non una est sententia.

Sunt qui existimant Christum post suam dumtaxat à mortuis Resurrectionem, non ante Baptismum instituisse; ex qua opinione sequitur, Apostolos ante Christi mortem baptisatos non fuisse Baptismo Christi, nec ipsos alio, quàm Joannis baptismo baptisasse. Ita inter Veteres videntur sentire Tertullianus Lib. de Baptismo cap. 11. & 12. S. Chrysostomus Hom. 28. in cap. 3. S. Joan. & qui eum exscribunt, Theophilactus & Euthymius; S. Leo Epist. ad universos Siciliæ Episcopos n. 16, aliàs 4. cap. 3. ubi probans Baptismum in sola Paschæ & Pentecostes solemnitate administrandum esse, ista inter alias ratione nititur: *Quia*, inquit, Tom. 1 p.
ipsa operis qualitas docet celebrandæ generaliter gratiæ 464.
eum esse legitimum diem, in quo orta est & virtus muneris; & species actionis. Ad cujus rei confirmationem (pergit ille) *plurimùm valet, quòd ipse Dominus Jesus Christus postea quàm resurrexit à mortuis, Discipulis suis, in quibus omnes Ecclesiarum Præsules docebantur, & formam & potestatem tradidit baptisandi, dicens: Euntes docete omnes gentes &c. De quo utique eos etiam ante Passionem potuisset instruere, nisi propriè voluisset intelligi regenerationis gratiam ex sua Resurrectione cœpisse.*

Inter Recentiores, Rupertus Lib. 3. in Joan. circa Edit.
finem, docet Baptismum quo baptisabant Apostoli Mogunt.
ante Passionem, non fuisse Baptismum novæ Legis; 1631.
nec habuisse efficaciam gratiæ, quam accepturus erat Tom. 2.
Baptismus à Passione Christi. *Antea enim*, inquit, p. 268.
non dabatur Spiritus, quia nondum erat Jesus glori- col. 1.
ficatus.

Alexander Alensis par. 4. de Sacramentis q. 8. art. 3. multiplicem esse docet Baptismi institutionem; unam materialem seu materiæ, quando Christus in Jordane Tom. 4. p.
baptisatus est; alteram formalem seu formæ, quando 124. col. 1.
post Resurrectionem dixit Apostolis: *Euntes docete omnes Gentes, baptisantes eos* &c. Tertiam finis, quando dixit Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit* &c. Quartam effectus, quando dictum est Marci ultimo, *Qui crediderit & baptisatus fuerit, salvus erit.* Quintam efficaciæ, quando de latere Christi exivit sanguis & aqua. Ex qua explicatione videtur ille Auctor existimasse, plenam & integram Baptismi institutionem factam fuisse post mortem Christi, nisi fortè hoc unum velit, quemadmodum interpretatur Gabriel, Scripturam variis in locis explicare quæ ad institutionem Baptismi pertinent.

Melchior Canus Lib. 8. de Locis cap. 5. opinionem hanc non tantùm probabilem existimat, sed in eam videtur inclinare, præsertim cùm ait, *improbabile sibi* P. 390.
videri Apostolos ante mortem Christi baptisasse in nomine SS. Trinitatis.

Sunt è contra qui censent Baptismum ante Christi mortem fuisse institutum; verùm non consentiunt de tempore institutionis.

Alii referunt hanc institutionem ad tempus quo Christus Nicodemum de nocte alloquens Joan. 3. v. 5. dixit: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua* &c. Ita videtur

sentire S. Bernardus Epist. 77. ad Hugonem, Estius in 4. dist. 3. paragr. 11.

Alii referunt ad tempus quo Christus baptisavit, & Apostolos misit ad Judæos ut baptisarent.

Alii tempus institutionis Baptismi figunt, quando Christus in Jordane baptisatus fuit. Ita Magister Sententiarum Lib. 4. dist. 3. littera G. S. Th. 3. par. q. 66. Vasquez, & alii quamplurimi.

Alii deinde, inspecta hac opinionum varietate, ajunt institutionis Baptismi tempus incertum esse; quamquam dicant institutum postquam Christus à Joanne fuit baptisatus, & antequam Discipulos mitteret ad baptisandum. Ita videntur sentire Scotus in 4. dist. 3. q. 4. Gabriel in eandem distinctionem quæstione unica art. 3.

Quamquam autem omnes isti Theologi doceant ante mortem Christi institutum fuisse Baptismum; ejus tamen præceptum non obligasse contendunt, nisi post mortem Christi ejusque Resurrectionem, ubi sufficiens facta est Legis Evangelicæ promulgatio. His ita præmissis, sit

PRIMA CONCLUSIO.

Christus Baptismum ante mortem suam instituit; quo præcisè tempore certò non constat; probabilius tamen est tunc instituisse, cum in Jordane fuit baptisatus.

Duæ sunt Conclusionis partes. Probatur prima pars ex Scriptura. Joan, 3. v. 22. *Post hæc venit Jesus & Discipuli ejus in terram Judæam; & illic demorabatur cum eis, & baptisabat.* Et initio c. 4. *Ut ergo cognovit Jesus quia audierunt Pharisæi, quòd Jesus plures Discipulos facit, & baptisat, quàm Joannes (quamquam Jesus non baptisaret, sed Discipuli ejus,) reliquit Judæam, & abiit iterum in Galilæam.* Ex quibus sic probari nostra Conclusio potest. Usus Baptismi continet aut supponit saltem ejus institutionem: atqui ante mortem Christi Discipuli ejus baptisabant; quæ enim in prædictis locis narrantur, contigere ante incarcerationem Joannis, ut planum est: longè autem antequam Christus pateretur, in carcerem conjectum fuisse Joannem Historia Evangelica fidem facit, Matth. 14. v. 3. & sequentibus.

Neque est quòd reponat quis, Discipulos Christi non alio, quàm Joannis Baptismo baptisasse ante mortem Christi.

Namque 1. citato capite 3. Joan. v. 25. excitata legitur inter discipulos Joannis & Judæos quæstio de purificatione, utra esset melior; inde suborta æmulatio inter ipsos, quòd plures ad Christum accederent quàm ad Joannem, Baptismum percepturi: atqui huic contentioni locus non fuisset, si Discipuli Christi non alium quàm Joannis Baptismum administrassent, eadem enim fuisset purificatio, utriusque par dignitas & efficacia; & ad Joannem potius confugissent, ut Baptismum, quem ipse dare solebat, exciperent, quàm ad Christum, qui propriis manibus non baptisabat, sed per Discipulos suos.

2. Quia Baptismus Discipulorum Christi dicitur Baptismus ipsius Christi. Quamquam enim dicat S. Joannes c. 4. Christum *non per se, sed per Discipulos baptisasse*; capite tamen 3. v. 22. jam citato, non obscurè asserit eum baptisasse; quod certè absque ulla contradictione dicere potuit Evangelista: Christus scilicet passim promiscuam plebem non baptisabat, sed id opus Discipulis commiserat, quos tamen ipse propriis manibus priùs baptisaverat, quod etsi scriptum non sit, meritò tamen ita factum conjicit & probat S. Augustinus mox citandus. Porrò absurdum videtur, Christi Baptismum, etiam ante ipsius Passionem, fuisse in aqua tantùm; siquidem Joannes inter suum & Christi Baptismum ita distinguit, ut dicat Marci 1. v. 8. *Ego baptisavi vos aqua, ille verò baptisabit vos in Spiritu sancto.* Et Joan. 1. v. 33. *Hic est qui baptisat in Spiritu sancto.*

Quia Baptismus à Discipulis Christi collatus, mundos reddebat suscipientes, & semel ritè collatus iterari non potest: at isti characteres soli & vero Christi Baptismo conveniunt, de quo hæc verba Christi ad S. Petrum, *Qui lotus est non indiget, nisi ut pedes lavet*, interpretatur S. Augustinus Epist. 265. aliàs 108. ad Seleucianum, & Lib. 3. de anima & ejus origine cap. 9. & Tractatu 5. in Joan. ubi probat baptisatos à Joanne iterum fuisse ab Apostolis Baptismo Christi tinctos; baptisatos verò à Juda non fuisse iterum baptisatos, quia Baptismus Judæ erat Baptismus Christi, qui semel collatus iterari non potest.

4. Denique, Baptismus quem Apostoli à Christo acceperunt, idem erat cum illo quem ipsi cæteris administrabant, id est verus Christi Baptismus: atqui Apostoli receperunt Christi Baptismum, ipso ministrante Christo, non verò Baptismum Joannis.

Minorem probat ex professo S. Augustinus, tum L. 3. de anima & ejus origine cap. 9. tum Epist. 265. aliàs 108. ad Seleucianum, ubi ait, quòd etsi scriptum non sit Christum propriis manibus baptisasse Apostolos, tamen id valdè credibile sit; *Neque enim*, inquit, *baptisandi ministerium defugeret, ut haberet baptisatos servos per quos cæteros baptisaret, qui non defugit memorabilis illius humilitatis ministerium, quando eis lavit pedes.* Tum denique Epist. 44. aliàs 163. ad Eleusium cap. 5. ubi Apostolos Christi Baptismo tinctos fuisse his probat momentis. 1. Quòd alios baptisabant vero Christi Baptismo: *Quomodo autem dabant, quod non acceperant?* Utitur S. Doctor hoc argumento ad hominem contra Donatistas. 2. Quia Christus non dabat Baptismum Joannis: *Quippe non decebat sponsum dare Baptismum amici vel servi.* 3. Quia non potuissent Apostoli idonei esse ad percipiendam Eucharistiam sine prævio Baptismo. 4. Denique, quia hoc innuere videtur Christus dum Petro dixit: *Qui lotus est semel, non eum oportet iterum lavari, sed est mundus totus.* Perfecta quippe mundatio non in Joannis, sed in Domini Baptismo est. Eodem testimonio utitur Optatus L. 5. ut probet adversùs Donatistas, non esse iterandum Baptisma; quod argumentum vim non haberet, nisi supponeret Apostolos Baptismo Christi fuisse tinctos. Nicephorus L. 2. Hist. c. 3. refert ab Evodio Apostoli Petri successore scripto fuisse traditum, inter Apostolos solum Petrum fuisse manibus Christi baptisatum. Ante Nicephorum idem dixit Euthymius in cap. 3. Joannis.

T. 10. p. 179.
To. 2. p. 197. E. F.
Ibid. p. 105. C.
Ibid. D.
Ibid.
Ibid.
P. 83.
To. 2. p. 131. A.

Secunda pars Conclusionis quæ ad mentem SS. Patrum accedere propiùs videtur.

Probatur 1. Quia SS. Patres asserunt aquas in Christi Baptismo vim sanctificandi accepisse; id est, tunc destinatas fuisse pro materia Sacramenti. Ita S. Ambrosius L. 2. in Lucam n. 83. *Baptisatus est Dominus*, inquit, *non mundari volens, sed mundare aquas.* Et S. Hieronymus adversùs Luciferianos, *Dominus noster Jesus Christus non tam mundatus est in lavacro, inquit, quàm lavacro suo universas aquas mundavit.* Idem & S. Augustinus Ser. 36. de tempore, & Optatus L. 1. S. Maximus Homilia 1. Epiphaniæ.

Tom. 1. p. 1308. F.
To. 4. p. 2. p. 293.

2. SS. Patres asserunt, cum baptisatus est Christus, designatam fuisse formam Baptismi. Ita S. Augustinus Tract. 6. in Joan. ubi ait *apparuisse Patrem in voce, Filium in homine, Spiritum sanctum in columba.*

To. 3. p. 2. pag. 332. D.

3. Tunc designatum fuisse præcipuum Baptismi effectum, ut observat S. Hieronymus Dial. adversùs Luciferianos. *Christus, inquit, in Baptismo Spiritum sanctum accepit, non quod sine eo aliquando fuerit, sed ut monstraretur verum esse Baptisma quo Spiritus sanctus*

To. 4. p. 2. p. 293.

ctus adveniat. Ita SS. Chrysostomus Homilia 12. in Matth. Ambrosius L. 2. in Lucam cap. 13. Augustinus
Tom.5. Append. p.143.D. Sermone 36. de tempore, nunc 135. in Append. *Ex quo*, inquit, *in aqua se mersit, ex eo omnium gurgitum tractus, cunctorumque fontium venas mysterio Baptismatis consecravit, ut ubi quisque in nomine Domini baptisari voluerit, non tam illum mundi aqua diluat, quàm Christi unda purificet.* Porrò, ut ratiocinatur S. Thom. hic q. 66. art. 2. *tunc videtur Sacramentum aliquod institui, quando accipit virtutem producendi effectum suum. Hanc autem virtutem accepit, quando Christus est baptisatus.*

p.617.B 4. Denique, quia ajunt Christum, cùm baptisatus est, *exempli sui auctoritate salutis humanæ Sacramenta consummasse, hominem & assumptione sanctificans & lavacro*, Ita S. Hilarius in Matth. Can. 2.

Quæres quare Christus baptisari voluerit.

Resp. Plures à SS. Patribus causas & rationes adduci. 1. Ut contactu carnis suæ aquis vim mundandi conferret. Ita SS. Patres mox citati. 2. Ut auctoritate sue & exemplo Baptismum Joannis comprobaret. Ita S. Hieronymus in Matth. cap. 3. 3. Ut exemplo suo ostenderet non esse negligendum Baptismum. Ita S. Augustinus. 4. Ut exemplo nos invitaret, ne quis fortè ab inferiori baptisari erubesceret. Ita S. Anselmus in cap. 3. S. Matth. 5. ut qui Legem venerat non solvere, sed adimplere, omnem in seipso adimpleret justitiam. Ita Christus ipse Matth. 3. v. 15. Nec obstere illud potuit, quòd Christus esset ab omni peccato immunis, Joannes autem baptiseret Baptismo pœnitentiæ in remissionem peccatorum: nam cùm Christus venisset, non quidem in carne peccati, sed tamen in similitudinem carnis peccati, meritò non alienum à se judicavit si simile cum peccatoribus signum susciperet; atque ita nobis in omnibus similis fieret, excepto peccato, ut dicitur Hebr. 2. v. 15.

SECUNDA CONCLUSIO.

Lex Baptismi priùs obligare generaliter non cœpit, quàm fuerit sufficienter promulgata.

Probatur. Quia ea est legis positivæ conditio, ut priùs non obliget, quàm sufficienter promulgata potuerit in cognitionem venire: atqui lex Baptismi percipiendi positiva est, non naturalis. Etsi enim renasci ex Spiritu sancto semper & omnino fuerit necessarium ad salutem, modus tamen renascendi qui fit per aquam, non semper necessarius fuit; sed post factam ipsius institutionem vim necessitatis accepit, partim ex abolitione modi alterius, nempe Circumcisionis, partim ex declaratione præcepti. Unde Patres Tridentini Sess. 6. cap. 4. affirmant, justificationem post Evangelium promulgatum, sine Baptismo vel ejus voto fieri non posse.

Conclusionem probat ex professo S. Bernardus Epist. 77. ad Hugonem, ubi disputans adversùs quemdam qui contendebat ex quo primùm à Domino dictum est, *Nisi quis renatus fuerit &c.* neminem absque Baptismo re percepto, vel ejus vice martyrio, ullatenus potuisse salvari, ait: *De temporis præfixione nimis*
Tom.1.p. 625.D. *durum austerumque videtur, ut videlicet verbum absconditum palam jam noceat, & antè Judex feriat, quàm minetur.* Et paulò post, urgens legis legis posi-
Ibid.p. 626.B. tivæ rationem, pergit: *Valde injustè exigitur obeditio, ubi non præcessērit auditio. Neque enim tale est hoc, quod & absque promulgatione naturalis. Lex ignorare non sineret, quale v.g. illud est, Quod tibi non*
Ibid.C. *vis fieri, alteri ne feceris. Factitium enim magis quodammodo est, & non naturale mandatum.* Et infra: *Quod ergo omnino sciri non poterat, si non audiretur; quo pacto, quæso, exigi debeat, & antequam audiretur?* Et post multa concludit, quod ex eo tempore tantum cœpit non baptisatus quisque novi præcepti reus existere, ex quo præceptum ipsum inexcusabiliter ad ejus potuit pervenire notitiam.

Dixi Baptismi legem generaliter obligasse tantùm post sufficientem & publicam ejus promulgationem: potuit quippe ante hanc promulgationem, eos obstringere quibus cognitum fuit Christi mandatum, qualis fuit v. g. Nicodemus, cui dixit Christus, *Nisi quis renatus fuerit &c.*

Tempus autem hujusce publicæ ac solemnis Evangelii promulgationis, vulgò computatur à die Pentecostes, quo omnia Legalia extincta sunt, nec tantum mortua sed & mortifera extitere; de qua re gravis olim fuit inter SS. Hieronymum & Augustinum disputatio, quam expendere non est præsentis nostri instituti. Si qui tamen invincibiliter etiam ab eo tempore legem Baptismi ignoraverint, ut sunt ferè non pauci, quibus nunquam annuntiatus est Christus, ii certè violati præcepti rei non sunt, nec propterea damnandi, sicut nec propter infidelitatem purè negativam, sed propter originale & actuale peccatum.

Solvuntur Objectiones.

Objicies 1. Baptismi formam nonnisi post Resurrectionem Christus præscripsit, cùm dixit Matth. ultimo, *Euntes docete omnes Gentes, baptisantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.* Igitur ante Resurrectionem Baptismum non instituit.

Resp. nego conseq. Citato enim capite S. Matth. baptisandi mandatum & formam Apostolis suis Christus præscripsit, sed antea jam Baptismum instituerat, & formam ejus haud dubiè designaverat, quamquam id scriptum non sit.

Objicies 2. Baptismus non fuit à Christo institutus, antequam Spiritus sanctus daretur: atqui Spiritus fuit tantùm datus post Resurrectionem Christi, juxta illud S. Joan. cap. 7. v. 39. *Nondum Spiritus erat datus, quia Jesus nondum erat glorificatus.* Quo testimonio ducti sunt multi ex Veteribus, ut putarent Baptismum post Resurrectionem dumtaxat fuisse institutum.

Resp. Locum istum S. Joannis intelligendum esse de sola visibili & conspicua Spiritus sancti missione, quæ futura erat in die Pentecostes, non verò de missione invisibili, seu occulta interioris gratiæ largitione; certum enim est multis Sanctis ante diem Pentecostes datam esse Spiritus sancti gratiam. Sic de Simeone dici- Luc. 7.
tur Luc. 2. v. 25. *Spiritus sanctus erat in eo*, & de Mag- v.47.
dalena, *Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum.* Solutionem suppeditat S. Augustinus Lib. 83. quæstionum qu. 62. *Quæritur*, inquit, *utrùm qui baptisati sunt illo tempore, quo scriptum est Do-* T.6.p.
minum per Discipulos suos baptisasse, plures quàm 57.E.
Joannes, acceperint Spiritum sanctum. Alio enim loco Evangelii sic dicitur: Spiritus enim nondum erat Ibid.p.
datus, quia Jesus nondum erat clarificatus. Et facil- 58.A.
limè quidem ita respondetur, quod Spiritus sanctus latenter dabatur, ante Domini clarificationem; post manifestationem autem divinitatis ejus, manifestiùs datus est. Veterum autem nonnullos in oppositam nostræ sententiam abiisse hoc S. Joannis testimonio ductos, non diffitemur; sed salva, quæ ipsis debetur, reverentia, ab iis in quæstione libera discedimus.

Objicies 3. auctoritatem Optati, qui Lib. 5. contra Parmenianum, ait Christum neminem per se bapti- P.84.n.5.
sasse, sed per Apostolos *millia hominum in pœnitentia & remissione tincta esse peccatorum. Sed*, inquit, *nemo tinctus fuerat in Trinitate; nemo adhuc noverat Christum; nemo audierat esse Spiritum sanctum. At ubi venit tempus plenitudinis, certo tempore dedit*

leges Baptismatis Filius Dei ; & dedit viam qua iretur ad Regnum Cælorum, etiam tunc præcepit dicens : Ite, docete &c.

Resp. Mentem Optati hanc esse , neminem scilicet ante datum Baptismi mandatum, tinctum fuisse in Trinitate, quod verum est ; cum autem addit, præceptum illud tunc datum, cùm Christus dixit Matth. ultimo, *Euntes docete* &c. intelligi debet de mandato quod omnes pariter ac Judæos obstringeret , non verò de mandato simpliciter. Agnoscit enim Optatus præceptum Baptismi jam tum datum fuisse , cùm Apostoli ante mortem Christi baptisarunt ; imò supponit & ipsos fuisse Christi Baptismo unctos, ductus isti Christi ad S. Petrum verbis, *Qui lotus est, non indiget nisi ut pedes lavet.*

Objicies 4. Sacramenta novæ Legis vim omnem trahunt ex Passione Christi ; ergo ante illam efficacia non fuere.

Resp. nego conseq. Ut enim causa moralis agat, necesse non est ut actu existat, sicut manifestum est in causa finali ; sed satis est quod prævisa moveat ; at Sacramenta novæ Legis agunt tantùm moraliter, ut ostendimus agendo de Sacramentis in genere.

Instabis 1. Baptismus est repræsentatio mortis & sepulturæ Christi, Rom. 6. Ergo debet illam supponere.

Resp. dist. ant. Est repræsentatio mortis Christi , vel factæ vel futuræ, concedo : factæ semper ac necessario, nego.

To.3.p.2. p.409.F. Instabis 2. ex S. Augustino Tract. 15. in Joan. *De latere Christi Sacramenta Ecclesiæ fluxere.*

Resp. dist. quantùm ad meritum & pretium persolutum, concedo ; quantum ad institutionem & pretii applicationem nego. Quo sensu Christus dicitur agnus occisus ab origine mundi.

Objicies 5. contra secundam partem 1. Conclusionis. Probabilius est Christum instituisse Baptismum , cùm To.1.p. 627. Joan. 3. v. 5. dixit Nicodemo, *Nisi quis renatus fuerit &c.* præsertim cùm immediatè post illud colloquium, Christus ejusque Discipuli baptisaverint.

Resp. nego ant. His enim verbis non magis exprimitur Baptismi institutio, quàm istis, *Nisi manducaveritis carnem filii hominis &c.* exprimatur institutio Eucharistiæ. In futurum igitur respiciebat Christus , cùm dixit, *Nisi quis renatus fuerit.* Tunc enim, ut docet S. Bernardus Epistola 77. privata erat Baptismatis & Legis novæ explicatio , cujus postea præceptum & generalis obligatio imponi debuit : neque verisimile videtur, Sacramentum , quod ad omnes omnino pertinet, fuisse institutum in privato & occulto , quod cum Nicodemo habuit, colloquio.

Objicies denique contra secundam Conclusionem. Lex Baptismi tunc omnino obligavit , quando vetus Circumcisionis & aliarum cærimoniarum lex extincta fuit & abrogata ; atqui hæc extincta fuit in ipsa Christi morte, quando Christus exclamavit , *Consummatum est.*

Resp. In morte quidem Christi mortuam fuisse & extinctam Legem veterem ; *translato enim sacerdotio, necesse est ut Legis translatio fiat* , Hebr. 7. sed non fuisse mortiferam. Potuit enim per dispensationem & œconomiam, ut nempe Synagoga cum honore sepeliretur, & Judæi ad Christum facilius adducerentur, interdum observari : sic ipse Paulus Thimotheum circumcidit, Act. 16. Unde lex Baptismi non tantum in morte Christi , sed etiam ante mortem eos omnes obstrinxit, qui lati à Christo mandati conscii erant ; sed non prius generaliter ac publicè omnes ligare cœpit , quàm fuerit solemniter promulgata, quod factum est in die Pentecostes , atque cùm sonus Apostolorum in omnem terram exivit, Psal. 18. vers. 5.

ARTICULUS II.

De Ministro Baptismi.

PRÆNOTANDA.

Observandum 1. triplicem posse distingui ministrum : unum ordinarium & ex officio ; alterum extraordinarium & ex delegatione ; tertium ex necessitate.

Minister ordinarius & ex officio ille est, qui jure Ordinationis suæ & acceptæ à Christo auctoritatis, docendi & baptisandi potestatem habet. Hanc vero duobus modis habere potest, nempe vel sine ulla à Superiori dependentia, quales sunt Episcopi quos *Spiritus sanctus posuit regere Ecclesiam Dei* ; Act. 20. v. 28. quique idcirco Principes Ecclesiæ vocantur & sunt ; vel cum dependentia & subordinatione ad Superiorem , quales sunt simplices Sacerdotes , quibus olim baptisare non licebat nisi ex licentia Episcoporum : non quidem propter defectum auctoritatis acceptæ in Ordinatione sua, sed ad majorem Episcopatus honorem & commendationem.

Minister extraordinarius seu ex delegatione ille est , cui , utpote vi Ordinationis suæ ad functiones aliquas sacras destinato, jus baptisandi Episcopi concedere possunt. quales sunt Diaconi.

Minister denique ex necessitate ille est, qui in necessitate seu urgente periculo mortis , cùm alii deficiunt ministri idonei & ordinarii , potest Sacramentum Baptismi administrare , qualis est omnis & quilibet homo.

Observandum 2. duplicem distinguendam esse Baptismi administrationem, unam publicam & solemnem, quæ certis diebus solemnioribus addicta erat , v. g. Paschæ & Pentecostes ; alteram privatam, quæ pro necessitate quolibet tempore fieri poterat.

Observandum 3. administrationem Baptismi , vel licitam esse, vel invalidam. Licita est, quando minister baptisando non peccat , valida, quando , etsi aliunde peccet, ratum tamen ac firmum perficit Sacramentum, omnibus ad substantiam Sacramenti prærequisitis ritè observatis.

Observandum denique , celebrem olim excitatam fuisse controversiam inter S. Cyprianum ejusque Collegas ex una parte , & S. Stephanum S. Pontificem ex altera, circa valorem seu veritatem Baptismi ab Hæreticis collati. Hunc nullum planè existimabat Cyprianus cum suis ; è contra Stephanus & cum eo Ecclesia universa ratum ac verum habuit. De qua controversia fusè disputatum à nobis fuit in Tractatu de Sacramentis in genere, quem consulet qui voluerit. Tria dumtaxat hic expendemus. Primum, quis sit ordinarius & ex officio minister Baptismi. Secundum, quis sit minister extraordinarius & ex delegatione. Tertium denique, an homo quilibet, cujuscunque sexus sit aut conditionis, possit & validè & licitè Baptismum in necessitate administrare. Circa quam controversiam errarunt ex veteribus & recentioribus Hæreticis nonnulli , tùm per excessum, tum per defectum.

Errores & opiniones.

Ex veteribus Hæreticis per excessum peccarunt ii qui ipsis mulieribus potestatem fecerunt Baptismum solemniter administrandi, etiam extra necessitatem.

De Marcione id testatur sanctus Epiphanius hæresi 42. num. 4. *Mulierculis*, inquit , *baptisandi potestatem facit.* Tom.1 p. 305.B.

De Pepuzianis idem narrat S. Epiph. hæresi 49. & ex

Ibid. p. 418. C. & ex eo S. August. Lib. de hæresibus c. 27. ubi ait, „ejusmodi hæreticos tantum dare mulieribus principa-„tum, ut sacerdotio quoque apud eos honorentur.

Tom. 8. p. 10. D. De Collyridianis refert idem S. Epiph. hæresi. 79. n. 1. mulieres quasdam solemni tempore " per aliquot Tom. 1. p. 1058. B. „diem panem proponere, & in Mariæ nomen Mariæ „offerre ; " unde sibi sacerdotalia ministeria arrogasse mulierculas illas, non obscure colligitur. Et vero in decursu & refutatione hujus hæreseos probat sanctus Doctor, ne baptisandi quidem facultatem concessam esse Beatæ Virgini ; Ibid. p. 1059. C. Ecclesiasticus quippe ordo „nec Presbyteridas, nec Sacerdotissas ordinavit.

Ibid. p. 1061. A. Hanc in mulieribus sacra mysteria usurpandi licen-P. 217. B. tiam ætate sua notabat & carpebat Tertullianus Lib. de P. 231. Præscript. c. 41. " Ipsæ mulieres hæreticæ, *inquit*, „quam procaces! quæ audeant docere, contendere, ex-„orcismos agere, curationes repromittere, forsitan & „tingere.

Et Lib. de Baptismo c. 17. " Petulantia, *inquit*, mu-„lieris quæ usurpavit docere, utique non etiam tingen-„gendi jus sibi pariet ? nisi si quæ nova Bestia evenerit „similis pristinæ ; (*intelligit Quintillam*) ut quemad-„modum illa Baptismum auferebat, ita aliqua per se „eum conferat. " Postea refellit fundamentum quo mulieres illæ nitebantur, nimirum exemplum Teclæ, cui baptisandi licentiam fecisse S. Paulum perperam existimabant ex supposititia S. Pauli ad Teclam Epistola, Ibid. „Quam enim, *inquit*, fidei proximum videretur, ut is do-„cendi & tingendi daret fœminæ potestatem, cui ne dis-„cere quidem constanter mulieri permisit ? " Addit ibidem, in Asia Presbyterum " qui eam scripturam (*Pauli*) „construxerat, convictum, atque confessum id se amore „Pauli fecisse, loco decessisse. " Hanc mulierum arrogantiam repressit Conc. IV. Carthaginense Can. 100.

Repressit & auctor Constitutionum Apostolicarum L. 3. c. 9. " De mulieribus vero, *ait*, scitote, quæ hoc „tentant, non mediocre periculum eas incurrere. Qua-„mobrem hoc consilium damus ; periculosum enim est, „imo vero præter legem & impium.

Ex recentioribus Novatoribus per defectum peccant Calvinistæ. Calvinus L. 4. Institutionis c. 15. P. 487. paragrapho. 20. & sequentibus fatetur " multis qui-„dem abhinc sæculis, adeoque ab ipso fere Ecclesiæ ex-„ordio usu receptum, ut in periculo mortis laici bapti-„sent ; " sed negat id ulla posse ratione defendi. Fluit error iste ex alio superius confutato contra necessitatē Baptismi absolutam ; unde tutius esse ducunt Calvini sequaces, in extremo vitæ periculo ad Deum & preces confugere, quam à laico nullam habente auctoritatem, Baptismum percipere. Non satis exposuit Calvinus, an nullum omnino & irritum haberet Baptismum, an illicitum duntaxat à laico in necessitate collatum : unde discipuli ipsius non consentiunt inter se. Wittacherus controversia de Baptismo q. 3. c. 2. Ecclesia Anglicana teste Isaaco Casaubono in responsione ad Epistolam Cardinalis Peronii, & Georgio Abbate Anglo Prælectione de Circumcisione apud Vossium, ejusmodi Baptismum illicitum quidem judicant, sed tamen ratum & validum, adeoque non iterandum : è contra Vossius disputatione 10. de Baptismo Thesi 12. nullum omnino judicat Baptismum à Gentili collatum. Idem affirmat Chamierius Tom. 4. Panstratiæ L. 5. c. 14.

Ex Græcis recentioribus, si Arcudio credamus L. 1. de Baptismo c. 11. multi ex imperitia in eo versantur errore, ut absente Presbytero malint potius permittere infantes mori sine Baptismo, quam eos laicorum manu ablui.

Ex veteribus SS. Patribus ii qui nullum judicarunt Baptismum ab Hæreticis collatum, videntur eadem ratione ducti ut reprobarent Baptismum datum à laico non baptisato. Fundamentum quippe erroris istud erat, nempe, *Non posse hæreticum dare quod non habet* : non habet autem Spiritum sanctum nec verum Baptismum ; ergo non potest dare nec Spiritum sanctum nec Baptismum : quod certe ratiocinium evincit nullum quoque dari posse à laico non baptisato verum & legitimum Baptisma quod ipse non habet. Et vero S. Basilius Epistola Canonica ad Amphilochium Can. 1. testatur illos Veteres eodem plane loco habuisse Baptismum hæreticorum & laicorum : " Idcirco, *inquit*, eos velut à Ed. vet. Tom. 2 p. „laicis baptisatos jusserunt ad Ecclesiam venientes, vero „Ecclesiæ Baptismo expurgari. " Hanc fuisse S Docto- 759. B. ris sententiam fatetur doctissimus Petavius, in animadversionibus ad expositionem fidei S. Epiphanii pag. 341. Porrò certum est ex veteribus SS Patribus nonnullos rejecisse tanquam nullum, Baptisma collatum ab Hæreticis.

Inter Recentiores contendunt nonnulli, ex Veteribus, qui ratum habuere Hæreticorum Baptisma, nonnullos fuisse qui dubitarunt an valeret Baptismus datus ab Infideli non baptisato ; eoque adducunt istud Tertulliani Lib. de Baptismo c. 7. " Quod ex æquo acci- P. 231. A. „pitur, ex æquo dari potest. " Et istud S. Hieronymi Tom 4. part. 2. Dial. adversus Luciferianos, " Ut accipit quis, ita & p. 295. „dare potest. " Quasi vellent illi, idcirco laicum baptisare posse, quia baptisatus est ; alias baptisandi futurus incapax. Adducunt etiam Canonem 38. Illiberitanum, in quo, urgente necessitate, permittitur laico, Tom. 1. „qui lavacrum suum integrum habet, nec sit bigamus, Conc. p. „baptisare ; " quod certe miratur Petavius loco antea 974 E. citato, " Ergo ne, *inquit*, à bigamis baptisari in tanta „necessitate non licuit ?

Verum dissimulandum non est, adductis testimoniis propositum dubium neque contineri claro, neque solvi: unum certum videtur, nempe sanctum Augustinum dubium illud expressis verbis proposuisse Lib. 2. contra Epistolam Parmeniani c. 13. & L. 7. de Baptismo c. 53. Ante illum quæstio de Baptismo à non baptisato collato clare & expresse agitata non legitur ; de ea consultus fuit nono sæculo à Bulgaris Nicolaus I. Quæ autem fuerit S. Augustini sententia, inferius declarabitur. Dubitatum etiam aliquando fuisse an valeret Baptismus à muliere energumena, patet ex Epistola Firmiliani ad S. Cyprianum, Edit. Angl. p. 223. His historice narratis, sit

PRIMA CONCLUSIO.

Minister Baptismi ordinarius & ex officio est Episcopus, & Presbyter : Episcopus quidem primarius ; Presbyter secundarius & ex licentia Episcopi, qui solus primis Ecclesiæ sæculis Baptismum solemniter administrabat.

Duæ sunt Conclusionis partes. Prima pars probatur. Qui illi sunt ministri Baptismi ordinarii & ex officio, qui singulariter ab Ecclesia deputantur ad hoc ministerium, & sunt successores Apostolorum & Discipulorum, quibus dictum est, " Ite, docete omnes gen-„tes baptisantes eos in nomine Patris &c. Atqui Episcopus & Sacerdotes singulariter ab Ecclesia deputantur ad ministerium Baptismi, & sunt successores Apostolorum & Discipulorum, sic tamen ut Sacerdos ministerium non obeat, nisi cum dependentia & subordinatione ad Episcopum.

Minor constat I. ex Canone 50. eorum qui Apostoli dicuntur, quos certum est ex veteribus Conciliis excerp- Tom. 1. tos esse. " Si quis Episcopus, *inquit*, vel Presbyter Conc. p. „non trinam mersionem unius mysterii celebret .... de- 52. F. „ponatur.

II. Ex Clemente Romano Lib. 3. Constitutionum cap. 11. ubi sic loquitur. " Neque reliquis Clericis Ibid. p. „potestatem baptisandi facimus, ut Lectoribus, 317. A. „Cantoribus, Janitoribus, aut Ministris, nisi „tantum Episcopis & Presbyteris, ministrantibus „Diaconis.

III. Ex S. Augustino Lib. 3. de Baptismo cap. 18. „Nonnisi, *inquit*, in Ecclesia Præpositus & in Evangelica „Lege ac Dominica oratione fundatis licet baptisare." Tales autem sunt Episcopi & Sacerdotes, quibus ex officio ac jure divino incumbit animarum cura, ac proinde Sacramentorum dispensatio.

Tom. 9. p. 118. C.

IV. Ex Decreto Eugenii, ubi de ministro Baptismi sic ait; " Minister hujus Sacramenti est Sacerdos, cui ex „officio competit baptisare.

Tom. 13. Conc. p. 535. D.

Quod vero Episcopus sit minister primarius, Sacerdos vero quasi secundarius cum dependentia & subordinatione ad Episcopum,

Probatur ex Ignatio Epistola ad Smyrnæos, ubi ait, „non esse licitum sine Episcopo nec baptisare, nec aga„pen celebrare.

Biblioth. PP. T. 2. p. 94.

Ex Tertulliano L. de Baptismo cap. 17. " Dandi (*Baptismi*) jus habet, *inquit*, Summus Sacerdos, qui „est Episcopus, de hinc Presbyteri & Diaconi, non ta„men sine Episcopi auctoritate, propter Ecclesiæ ho„norem; quo salvo, salva pax est." Ibidem baptisandi munus appellat " dicatum Episcopis officium Episco„patus.

P. 230. C. *P. 231. A.*

Ex S. Ambrosio L. 3. de Sacramentis c. 1. "Audistis, „*inquit*, lectionem, Succinctus est Sacerdos; licet enim „Presbyteri fecerint, tamen exordium ministrii à sum„mo est Sacerdote.

To 2. p. 362. B.

Ex S. Hieronymo Dial. adversus Luciferianos. „Inde venit, *inquit*, ut sine Episcopi jussione, neque „Presbyter, neque Diaconus jus habeat baptisandi.

Tom. 4. part. 2. p. 295.

Idem probant nonnulli ex Epistola 88. S. Leonis ad universos Germaniæ & Galliæ Episcopos; verum hanc supposititiam esse ostendit Quenellius in 2. Tomo Operum S. Leonis.

Secunda Conclusionis pars, primis scilicet Ecclesiæ sæculis, cum Baptismi administratio certis diebus solemnioribus addicta erat, solos Episcopos Baptismum administrasse, probatur.

I. Ex Theodoreto Lib. 2. Hist. 27. ubi mentionem facit cujusdam vestis ex aureis filis contextæ, quam „Constantinus Imperator ad Ecclesiam Hierosolymita„nam cohonestandam Macario illius urbis Episcopo „donaverat, ut ea indutus Baptismum solemniter admi„nistraret.

P. 131. A.

II. Ex Libello seu Epistola Cleri Edesseni ad Episcopos Photium & Eustatium directa, ubi postquam purgavit Ibam Episcopum à suspicione hæreseos Nestorianæ & Pelagianæ, sic legitur; " Rogamus autem „& deprecamur vestram sapientiam, ut eidem glorio„sissimo Episco[illegible]adeatis, quatenus velociter ad suum „gregem redire festinet, qui periclitatur ab omnibus la„cerari, cum nullus sit, qui ei adesse prævaleat, & maxi„me festivitate salutiferæ sancti diei Paschalis imminen„te, in qua & propter Catechismos, & propter eos qui „digni sunt sancto Baptismate, opus est ejus præsentia.

Apud Lupum To. 1. p. 854. in append. Conc. Ephesini.

III. Ex Clero Italiæ qui Francorum Legatos Constantinopolim ad Justinianum Imperatorem proficiscentes rogat, ut sancto Episcopo [Mediolanensi] Datio adesse festinarent, ac postularent ut dictus Imperator eum post quindecim vel sexdecim annos ad suam Ecclesiam redire concedat; " Quia cum pene omnes „Episcopi quos ordinare solet, sint mortui, immensa „populi multitudo sine Baptismo moritur.

Tom. 5. Conc. p. 410. B.

Et de ejus antecessore S. Ambrosio sic scribit in ejus vita Paulinus; " Erat, *inquit*, in rebus divinis implendis „fortissimus, in tantum ut quod solitus erat circa bapti„sandos solus implere, quinque postea Episcopi vix „implerent.

IV. Ex S. Gregorio sic scribente [Epistola 32. nunc 33. Lib. 1.) ad Romanum Italiæ Exarchum, à quo Blandus Hortensis Episcopus Ravennæ detinebatur; „Ecclesia sine rectore, & populus quasi sine pasto„re grex deperit. *Et ibid*, infantes sine Baptismate „moriuntur.

Tom. 1. p. 523. A.

Et adversus Odoacrum Ecclesiæ Belvacensis laicum invasorem ac detentorem scribit Hincmarus Remensis Epistola 52. c. 2. " Quanti sine Canonico Baptismo „relicti fuerunt?

Edit. Paris. 1645. Tom. 2. p. 812.

V. Denique hunc antiquum morem confirmare videtur quod extat apud Gregorium Turonensem L. 10. Histor. Franc. scilicet Episcopum doctum ac pium, cum Monialium Antistitam ex injusto carcere eruere vehementer optaret, Chrodieldi nuntiasse, nisi innocens virgo Monasterio ac suis redderetur, se proximo Paschate neminem mysteriis initiari permissurum; *Alioquin*, inquit ille apud Gregorium Turonensem, "non celebrabo „Pasche Domini, neque Baptismum in hac urbe ullus „Catechumenus obtinebit, nisi Abbatissa à vinculo, quo „tenetur, jubeatur absolvi.

Ed. nov. p. 503. C.

His historicis monumentis perspicuum est, Episcopos olim sibi reservasse administrationem Baptismi, tum ad majorem Ordinis Episcopalis commendationem, tum propter celebritatem festivitatis Paschæ & Pentecostes, quibus præcipue diebus solemniter administrari solebat Baptismus: cujus quidem consuetudinis vestigium adhuc aliquod in Ecclesia Mediolanensi superesse testatur Vicecomes Ambrosiani Collegii Doctor Lib. 1. de Baptismo c. 28. In hac enim infantes, hebdomada, quæ festivitatem Paschæ vel Pentecostes præcedit, in lucem editi, ad præcipuam Urbis Ecclesiam deferri jubentur, ut iis solemni ritu ab Episcopo Baptismus ministretur. Tum denique quia primis illis temporibus Baptisteria in Cathedralibus tantum ac præcipuis Ecclesiis constituta erant, ad quas diebus solemnibus venire oportebat, qui Baptismo initiari cupiebant.

His tamen ipsis temporibus Presbyteri Episcopis baptisantibus assistebant, & simul cum ipsis, de eorum tamen licentia, aliquando baptisabant, sicut colligitur ex Palladio in vita S. Chrysostomi. " Joannis, *inquit*, „Presbyteri, quibus Dei aderat timor, in publico lava„cro, quod Constantinium appellatur, coactis populis, „vigilias incboarunt, partim divina eloquia legentes, „partim eos, qui instructi erat in fide, baptisantes, ut mo„ris est, in Pascha.

Postquam vero vel Baptisteria variis in locis, non in urbibus tantum, sed in vicis; non in Cathedralibus, sed in Parochialibus Ecclesiis erecta fuere, vel solemnis ac publica Baptismi administratio certis diebus adstricta esse desiit tunc indiscriminatim potestas baptisandi facta est Presbyteris, non postulata etiam illa singulari ab Episcopis licentia. Ita videre est sæcolo sexto factitatum, ex Sacramentario S. Gregorii, & Ordine Romano, ubi minister Baptismi simpliciter appellatur Episcopus vel Sacerdos. Imo lapsu temporis, Episcopi, aliis negotiis pro Ecclesiæ bono detenti, depositum baptisandi onus Presbyteris inferioribus reliquerunt, quod hodierna praxis Ecclesiæ satis demonstrat. Hinc S. Carolus, in Actis Ecclesiæ Mediolanensis parte 4. de Sacerdote ait; „Ipse norit sibi licere baptisare, etiam præsente suo „Episcopo.

SECUNDA CONCLUSIO.

Diaconi sunt ministri extraordinarii Baptismi, seu ex delegatione tantum, non ex officio.

Probatur 1. exemplo & auctoritate S. Philippi, qui Diaconus erat & baptisavit Simonem Magum Act. 8. v. 13. & Eunuchum Candacis Reginæ, ibid. v. 38. Probabile autem non videtur, id sine jussu Apostolorum, à quibus missus fuerat, tentasse S. Philippum.

Probatur 2. testimoniis Veterum.

Tertulliani Lib. de Baptismo c. 17.

S. Hieronymi Dial. adversus Luciferianos; verba retulimus Conclusione 1.

S. Epi-

Tom. 1. p. 1061. A. S. Epiphanii hæresi 79. n. 4. *Neque Diaconis*, inquit, *ullum in Ecclesiastico ordine Sacramentum perficere conceditur*: intellige ex vi Ordinationis suæ, seu ex potest ordinaria; sed illud dumtaxat, ut eorum quæ perficiuntur, ministri sint.

Probatur 3. ex cap. *Diaconos*, dist. 93. quod caput deptomptum est ex Epistola 9. Gelasii S. Pontificis ad Episcopos Lucaniæ, "Diaconos, *inquit*, propriam „constituimus servare mensuram, nec ultra tenorem à „paternis Canonibus deputatum quidpiam tentare „permittimus..... Absque Episcopo vel Presbytero „baptisare non audeant, nisi prædictis Ordinibus for- „tasse longius constitutis necessitas extrema compellat.

Ex cap. *Constat*, dist. 4. *De Confirmatione*, quod caput desumptum est ex Isidoro Lib. 2. de Officiis c. 24. „Constat, *inquit*, Baptisma solis Sacerdotibus esse tra- „ctandum; ejusque ministerium, nec ipsis Diaconis „explere est licitum absque Episcopo vel Presbytero, „nisi his procul absentibus, ultima languoris necessitas „cogat.

His accedit Catechismus Romanus parte 2. par. 22. „Secundum ministrorum locum, *inquit*, obtinent Dia- „coni, quibus sine Episcopi aut Sacerdotis concessu non „licere hoc Sacramentum administrare, plurima SS. Pa- „trum decreta testantur.

Neque alio sensu intelligi debet quod in Pontificali Romano Diaconis, dum ordinantur, dicit Episcopus: „Cogitate, *inquit*, magnopere ad quantum gradum „Ecclesiæ ascenditis; Diaconum enim oportet mini- „strare ad altare, baptisare, & prædicare." Baptisare quippe possunt, si ab Episcopo vel Presbytero ad hoc ministerium assumantur, non aliter, nisi urgente necessitate. Ut enim ait S. Thom. 3. parte q. 67. art. 1. „Ad Diaconos non pertinet aliquod Sacramentum „principaliter & quasi ex proprio officio præbere, sed „adhibere ministerium aliis majoribus in Sacramento- „rum exhibitione.

Hinc communis est Theologorum sententia, Diaconum fieri irregularem, si absque licentia baptiset solemniter; quia est regula Juris Canonici, " qui aliquod „divinum officium exercuerit non ordinatus, propter „temeritatem abjiciatur de Ecclesia, & nunquam ordi- „netur. *Extra*. De Clerico non ordinato." Porro Diaconus vi Ordinis sui jus non habet solemniter & ordinarie administrandi Baptismum.

TERTIA CONCLUSIO.

In casu extremæ necessitatis valide & licite administrare potest Baptismum homo quilibet laicus, sive vir, sive mulier, sive Fidelis, sive Infidelis.

Vim non faciemus in exemplis Sephoræ & Ananiæ, quæ ex Scripturis colligit Bellarminus ut probet cuicunque laico fas esse in necessitatis casu administrare Baptismum: tum quia Sephora præsente Moyse filium suum circumcidit, Exodi 4. at non probaret haud dubie Bellarminus laicum præsente Sacerdote baptisantem: tum quia satis exploratum non est, an aliquis fuerit specialis minister Circumcisionis: tum denique quia incertum plane est, utrum Ananias, qui Paulum baptisavit Act. 9. fuerit simplex laicus.

Itaque Conclusio probanda est Veterum testimoniis. De laicis.

Testis Tertullianus Lib. de Baptismo c. 17. ubi post verba citata Conclusione 1. sic pergit: " Alioquin „etiam laicis jus est: quod enim ex æquo accipitur, ex „æquo dari potest.... Proinde & Baptismus æque Dei P. 231. A. „census, ab omnibus exerceri potest: sed quanto magis „laicis disciplina verecundiæ & modestiæ incumbit? „cum ea majoribus competat, nec sibi adsumant dica- „tum Episcopis officium Episcopatus.... sufficiat scili- „cet in necessitatibus utaris, sicubi aut loci, aut temporis, „aut personæ conditio compellit. Tunc enim constan- „tia succurrentis excipitur, cum viget circumstantia „periclitantis. Quoniam reus erit perditi hominis, si „supersederit præstare, quod libere potuit.

Quatuor in hoc Tertulliani testimonio possunt & debent observari. 1. ministerium Baptismi ad Episcopos & Presbyteros ac Diaconos pertinere, sed diversa ratione. Ad Episcopos tanquam ad primarios ministros, propter honorem Episcopatus; ad Presbyteros tanquam ad secundarios, de licentia Episcopi; ad Diaconos ex eadem Episcopi licentia, tanquam ad ministros delegatos. 2. laicos non debere officium Episcoporum proprium sibi arrogare 3. hoc eos posse in necessitate. 4. hoc eos posse non tantum libere seu valide, sed & licite; alias rationem reddituri sunt illius qui defectu Baptismi perierit.

Idem probatur ex Judicio Alexandri Alexandriæ Episcopi, quo ratum habuit Baptismum ab Athanasio aliisque pueris ludentibus collatum; de quo historia à Rufino adducta L. 1. Hist. c. 14. vide quæ diximus in Tractatu de Sacramentis in genere Art. 6. Quæstionis 3. in solutione objectionum.

Concilium quoque Illiberitanum Can. 38. approbat Baptismum ab homine fideli, sed laico in extrema necessitate datum.

Concilium Arelatense I. quo definitum fuit adversus Africanos, valere Baptismum ab Hæreticis collatum, & Nicænum I. generale, quod omnes Hæreticos suscepit, exceptis Paulianistis, videntur consequenter approbasse Baptismum datum à laicis. Certum quippe est Ecclesiam bis in Conciliis damnasse sententiam Africanorum & aliorum, qui baptisatos ab Hæreticis iterum baptisabant. At illi, ex dictis antea, eodem plane loco habebant Baptismum Hæreticorum & laicorum, sicut expresse observat S. Basilius; ergo Ecclesia, quæ illorum damnavit sententiam, ratum habuit Baptismum ab Hæreticis & laicis in forma à Christo præscripta collatum.

Idem probat S. Hieronymus Dial. adversus Luciferianos: " Si necessitas cogit, *inquit*, scimus etiam licere Tom. 4. part. 2. p. 295. „laicis baptisare: ut enim accipit quis, & dare „potest.

S. Augustinus Lib. 2. contra Epistolam Parmeniani c. 13. idem testatur his verbis: "Etsi laicus Baptismum Tom. 9. p. 44. E. F. „pereunti dederit necessitate compulsus, quod cum ipse „acciperet, quomodo dandum esset addidicit, nescio an „pie quisquam dixerit repetendum esse. Nulla etenim „cogente necessitate si fiat, alieni muneris usurpatio est; „si autem necessitas urgeat, aut nullum, aut veniale de- „lictum est. Sed etsi nulla necessitate usurpetur, & à „quolibet cuilibet detur, quod datum fuerit, non potest „dici non datum, quamvis recte dici possit illicite da- „tum." Ex quibus verbis concludunt aliqui, sanctum Doctorem aliquando dubitasse an laici licite Baptismum administrent in casu necessitatis. Verum citata verba non videntur esse dubitantis sed certo definientis nullum esse delictum, nisi forte veniale; si nempe laicus omnem quam potuit diligentiam non adhibuit in perquirendo Sacerdote. Cum igitur ait, " Nescio an pie quisquam „dixerit; idem est ac, non nisi impie affirmari potest: ibi enim asserit Baptisma à quolibet cuilibet datum non posse dici non datum, id est, non posse dici nullum & irritum; seu, ut loquitur L. 7. de Baptismo c. 53 " Non „dubitatem habere eos Baptismum, qui ubicunque & à Ibid. p. 202. C. D. „quibuscunque illud verbis Evangelicis consecratum, „sine sua simulatione, & cum aliqua fide suscepissent." Censet igitur sanctus Doctor, Baptismum à laicis collatum ratum & validum esse: imo innuit quemlibet hominem baptisatum, eo ipso quo Baptismum percepit, didicisse eum aliis in necessitate dandum esse; adeo nempe communis & pervulgata fuit in Ecclesia doctrina quam hic propugnamus.

In Concili Lateranensi IV. sub Innoc. III. c. *Firmiter*.

Tom. 11. Conc. p. 143.D.

ter definitur, "Sacramentum Baptismi à quocunque rite collatum proficere ad salutem.

Denique, idem evincunt testimonia Gelasii in Epistola ad Episcopos Lucaniæ, & Isidori Lib. 2. de Officiis Ecclesiasticis c. 24. superius Conclusione 2. adducta: post citata enim verba, addunt, "quod & laicis Christianis facere plerumque conceditur, ne quisquam sine remedio salutari de sæculo evocetur.

De mulieribus

Tom. 2. Conc. p. 1207.

Constat 1. ex Conc. Carthaginensi IV. cui interfuit S. Augustinus, Can. 100. quem Magister Sententiarum L. 4. dist. 6. & Gratianus Can. *Mulier. De Consecratione.* dist. 4. sic legunt: *Mulier baptisare non præsumat, nisi necessitate cogente.* Dixi sic legere Magistrum & Gratianum: in ipso quippe textu Concilii non extat dicta exceptio, *nisi necessitate cogente*: neque eam quoque legit Walafridus Strabo Lib. de divinis Officiis, c. 26. licet recte præsupponatur; cum & ipse mox citatus Walafridus dicat: "ubi inevitabilis necessitas poscit, melius est baptisari ubicunque & à quocunque in nomine Trinitatis, quam periclitantem sine remedio deperire.

Tom. 13. Conc. p. 535.E.

Constat 2. ex Urbano II. in Epistola ad Vitalem c. *Super quibus*. Causa 30. q. 4. "Super quibus consuluit nos tua dilectio, hoc videtur nobis ex sententia respondendum, ut & Baptismus sit, si instante necessitate fœmina puerum in nomine Trinitatis baptisaverit.

Constat 3. ex Decreto Eugenii. "In causa necessitatis, *inquit*, non solum Sacerdos & Diaconus, sed etiam laicus, vel mulier, imo etiam Paganus & Hæreticus baptisare potest, dummodo formam servet Ecclesiæ, & facere intendat quod facit Ecclesia.

Tom. 9. p. 45 G.D.

De non baptisatis, an valide baptisent, dubitavit aliquando S. Augustinus Lib. 2. contra Epistolam Parmen. c. 13. "Hæc quidem, *inquit*, alia quæstio est, utrum & ab his qui nunquam fuerunt Christiani, possit Baptismus dari; nec aliquid temere inde affirmandum est sine auctoritate tanti Concilii, quantum tantæ rei sufficit." Nihilominus tamen Lib. 7. de Baptismo c. 53. generatim affirmat valere Baptismum ubicunque & à quocunque verbis Evangelicis collatum.

Idem docet Isidorus relatus c. "Romanus. De consecratione *dist.* 4. Romanus, *inquit Pontifex*, non hominem judicat qui baptisat, sed spiritum Dei subministrare gratiam Baptismi, licet paganus sit qui baptisat.

Tom. 6. Conc. p. 1696 B.

Idem & Concilium Compendiense an. 757. Can. 9. "Si quis, *inquit*, baptisatus est à Presbytero non baptisato, & sancta Trinitas in ipso Baptismo invocata fuerit, baptisatus est.

Idem & Nicolaus I. respondens ad consulta Bulgarorum, cap 104. & refertur eadem distinctione cap. "A quodam Judæo. A quodam Judæo, *inquit*, nescitis utrum Christiano, an Pagano, multos in patria vestra baptisatos asseritis, & quid de istis sit agendum consulitis. Hi profecto si in nomine S. Trinitatis baptisati fuerint, constat eos non esse denuo baptisandos.

Idem quoque docet Eugenius IV. paulo ante citatus in suo Decreto seu Instructione ad Armenos.

His auctoritatibus addi potest & ratio quam adducit S. Thomas, ex summa nempe Baptismi necessitate, cujus idcirco materiam voluit esse elementum aquæ vulgare, facile & omnibus obvium; & consequenter illius ministrum idoneum fecit in casu necessitatis, hominem quemlibet.

Solvuntur Objectiones.

Objicies 1. contra Baptismum à laicis datum: Nullum extat in Scripturis exemplum talis Baptismatis; ergo &c.

Resp. nego consequens. Ipsa quippe Traditio Ecclesiæ: quæ altera est fidei nostræ regula, approbat Baptismum à laico in necessitate datum. Ac perinde est ac si quis Anabaptista sic argueret: Nullum extat in Scripturis exemplum Baptismi infantibus administrati; ergo iis administrari non debet. An ita arguentem Anabaptistam ferrent Calvinistæ? non certe. Argumentum ergo illud negativum ex silentio Scripturæ ductum, satis ponderis ac momenti non habet.

Instabis 1. Christus Baptismi institutor solis Apostolis, qui Episcopos, & Discipulis, qui Presbyteros repræsentabant, mandatum dedit baptisandi; igitur eos solos instituit hujus Sacramenti Ministros.

Resp. dist. conseq. Eos solos instituit hujus Sacramenti ministros ordinarios ex officio, ac solemnitatis, ut ajunt, concedo: extraordinarios & necessitatis, nego. Ipse quippe Philippus, qui Diaconus tantum erat, baptisasse legitur Act. 8.

Instabis 2. Absurdum videtur posse laicos vere ac valide conferre Baptismum, non vero posse solemniter, cum solemnitas illa sit tantum aliquid Sacramento extrinsecum & juris Ecclesiastici.

Resp. cum S. Thoma, nego ant. Illa etenim solemnitas, seu cæremoniæ & adjuncta sacramentalia non sunt de necessitate Sacramenti: at ipsum Sacramentum absolute necessarium est. Quod si laicis solemnis permitteretur administratio Baptismi, nullum amplius discrimen assignari posset inter ministrum ordinarium seu ex officio, & extraordinarium seu ex sola necessitate.

Instabis 3. SS. Cyprianus, Firmilianus, & alii Veteres, qui Baptismum Hæreticorum rejiciebant tanquam nullum, rejiciunt quoque Baptismum à laicis datum; eodem quippe loco utrumque Baptismum habuerunt, teste S. Basilio Epistola Canonica ad Amphilochium Can. 1. unde pervulgata hæc illorum argumentatio, "Quos baptisavit laicus, ii sunt denuo baptisandi; sed quos baptisavit sacerdos hæreticus, eos baptisavit laicus; ergo &c.

Cujus quidem argumenti major propositio nusquam fuit à Catholicis adversus Cyprianum disputantibus negata, nusquam S. ille Doctor reprehensus, quod eam tueretur; sed solam minorem negarunt Orthodoxi: quod quidem adeo verum est, ut post Nicænum Concilium, qui Luciferianos oppugnarunt, majorem illam propositionem tanquam firmum fundamentum adversus eos contorquebant hoc fere modo: "Quos baptisavit laicus, ii sunt denuo baptisandi: sed quos baptisavit sacerdos Arianus, ii non sunt denuo baptisandi; ergo quos baptisavit sacerdos Arianus, eos non baptisavit laicus; ergo Arianus sacerdos cum suis honoribus recipiendus est," quod negabant Luciferiani. Ita fere disputatur Orthodoxus apud S. Hieronymum Dial. adversus Luciferianos.

Resp. Fatemur SS. Cyprianum, Firmilianum & alios nonnullos in oppositam abiisse sententiam, ac Baptismum laicorum rejecisse perinde ac Hæreticorum; verum sententiam hanc damnavit Ecclesia in Concilio totius Orbis plenario ut sæpius inculcat S. Augustinus disputans adversus Donatistas; falsum igitur est Orthodoxos nunquam negasse majorem istam istam propositionem argumenti propositi, nempe, *Quod baptisat laicus, ii sunt denuo baptisandi.* Etsi enim de illa propositione non legamus ex professo disputatum tunc temporis, quia scilicet summa controversiæ erat de Baptismo Hæreticorum, cum tamen Ecclesia damnavit Cypriani sententiam, damnavit quoque fundamenta quibus illa nitebatur.

Ad argumentum sancti Hieronymi, dico eum ad hominem, ut dicitur, arguere, & premere Luciferianos ex concessis ab illis, non vero ex propria sua sententia. Scilicet volebant illi Baptismum à laicis collatum nullum esse, quod ex Cypriano & Donatistis hauserant: in eo tamen discrepabant ab illis, quod

Baptis-

Baptismum ab Arianis Episcopis collatum, non vero Ordinationes ab iis factas, admitterent; unde eos, & ab iis ordinatos, cum ad suam redibant Ecclesiam, tanquam meros laicos recipiebant: quam opinionem minus secum cohærere ostendit S. Hieronymus, & probat aut rejiciendum esse Baptismum illorum Episcoporum Arianorum, aut si recipitur, admittendas quoque Ordinationes ab illis factas; isto fere argumento: Baptismus à laicis collatus, ex vobis, nullus est; Baptismus collatus ab Episcopis Arianis est collatus à laicis, siquidem eos pro meris laicis habetis; ergo non debetis admittere Baptismum ab iis datum; illum tamen admittitis; ergo consequenter admittere debetis Ordinationes ab illis factas, par enim est utriusque ratio. In qua certe argumentatione, major propositio non est ex propria S. Hieronymi sententia, sed ex concessis à Luciferianis quos propriis armis premit & impugnat.

Objicies 2. contra Baptismum à mulieribus datum. Scriptura & Veteres omnes excludunt mulieres ab omni sacro & divino ministerio, 1. Cor. 14. v. 34. Tertullianus L. de velandis virginibus c. L. 9. de Baptismo cap. 17. Lib. de Præscriptionibus cap. 41. S. Ephiphanius hæresi 42. & 79. Conc. Carthaginense IV. Ergo &c.

Resp. his & pluribus aliis testimoniis excludi dumtaxat mulieres ab ordinaria & solemni administratione Baptismi, quod ultro concedimus; ac manifeste patet ex lectione testimoniorum, quæ laudata sunt.

Objicies 3. contra Baptismum datum à non baptisatis, nonnulla Veterum testimonia.

I. Tertulliani qui L. de Baptismo c. 17. probans laicos in necessitate posse baptisare, hac utitur ratione, *Quod ex æquo accipitur, ex æquo dari potest.* Idem ex Tertulliano exscribit S. Hieron. Dial. adversus Lucifer. (Pagina 231. A.) Supponunt igitur ideo dari posse à laico Baptismum, quia laicus illum accepit: ergo supponunt laicum non baptisatum non posse valide baptisare.

Confirmatur ex S. Hieronymo citato Dialogo, ubi Luciferianum contendentem Arianos imo & omnes Hæreticos non esse Christianos, nihilominus tamen Baptismum ab Episcopis Arianis collatum admittentem, sic ex concessis impugnat Hieronymus: (Tom. 4. p. 2. p. 296.) "Novam „rem, *inquit*, affers, ut Christianus quisquam factus sit „ab eo qui non fuit Christianus." Nova igitur & inaudita res videtur sancto Doctori, quod homo non Christianus, id est, non baptisatus, alium Christianum faciat seu baptiset.

II. Videtur hæc fuisse mens Concilii Elibertani Can. 38. ubi dicitur: (Tom 1. p. Conc. p. 974. E.) "*Peregre navigantes*, aut si Ec„clesia in proximo non fuerit, posse fidelem, qui lava„crum suum integrum habet, nec sit bigamus, baptisare „in necessitate infirmitatis positum Catechumenum." Ergo qui lavacrum non habet integrum, seu qui non est baptisatus, imo nec bigamus, potest in necessitate baptisare.

III. SS. Patres, qui contra SS. Cyprianum & Firmilianum, ac Donatistas disputarunt, eo usi sunt principio ex quo recte infertur nullum esse Baptisma datum à non baptisatis. Scilicet contendebant illi, auctores hæresum idcirco posse baptisare quos decipiunt, quod recedentes ab Ecclesia, receptam in sinu ipsius Ordinationem, qua jus baptisandi acquiritur, non amiserint. *Sicut autem*, inquit S. Augustinus L. 1. de Baptismo c. 1. (To. 9. p. 80. A.) „baptisatus, si ab unitate recesserit, Sacramentum Ba„ptismi non amittit; sic etiam ordinatus, si ab unitate „recesserit, Sacramentum dandi Baptismi non amittit." Igitur ii tantum possunt etiam in casu necessitatis Baptismum conferre, qui baptisati sunt.

IV. S. Augustinus nihil ausus est definire de Baptismo quem non baptisatus contulisset. (Ib. p. 45. n. 30.) L. 2. adversus Epistolam Parmeniani c. 13.

V. Denique, Gregorius III. Epistola ultima ad Bonifacium, jubet iterum baptisari eos qui fuerant à Paganis baptisati. Refertur *De Consecr.* dist. 4. cap. *Quos à Paganis.*

Resp. ad singula.

Ad primum, nego istorum verborum, *Quod ex æquo accipitur, ex æquo dari potest*, sensum esse, ab eo dumtaxat Baptismum dari posse, qui illum accepit; imo (Pagina 231. A.) contrarium plane sensum præseferre videntur, istum scilicet: sicut Baptismus ex æquo, id est, indiscriminatim ab omnibus accipitur, ita ab omnibus in periculo necessitatis indiscriminatim dari potest. Sensum hunc confirmat idem Tertull. cum ait, "Baptismum æque „Dei censum ab omnibus exerceri.

Ad confirmationem, dico S. Hieronymum ibi per Christianum non intelligere eum qui Baptismum suscepit, sed eum qui veram & Catholicam habet fidem Christianam, ut patet ex verbis immediate subjectis. „Accedens, *inquit*, ad Arianos, in qua fide baptisatus est? (Tom. 4. p. 2. p. 296.) nempe in ea quam profitentur Ariani. Scilicet eo loci premit sanctus Doctor Luciferianum, qui laicos ab Episcopis Arianis baptisatos & pœnitentes recipiebat sine novo Baptismo, ipsos vero Episcopos nonnisi in ordine laico recipiendos contendebat: cujus quidem discriminis hanc adducebat rationem, quod nempe laicus ab Ariano Episcopo baptisatus fidem haberet verusque esset Christianus, adeoque per pœnitentiam emendari dumtaxat deberet; cum vero Episcopus Arianus propter dignitatem status non posset inter pœnitentes admitti, necesse erat eum à suo excidere Ordine, adeoque inter meros recenseri laicos. Hanc vero rationem plane ineptam esse ostendit sanctus Doctor: deinde probat, primum hujus comparationis membrum, nempe laicum ab Episcopo Ariano baptisatum fidem habere seu esse Christianum, omnino falsum esse; quia fides in qua baptisatus fuit, & quam professus est, fides est Ariana: fides autem ista non est Christiana; quomodo ergo à non Christiano factus est Christianus? Quod si per pœnitentiam emendari potest ille laicus, quidni & Episcopus? "Aut si, *inquit S. Hieronymus*, (Ibid.) „jam ipse bene credebat, & sciens ab Hæreticis baptisa„tus est, erroris veniam non meretur." Itaque cum ait sanctus Doctor, "rem esse novam ut Christianus quis„quam factus sit ab eo qui non fuit Christianus," per Christianum intelligit eum, qui sanam & rectam habet fidem Christianam, qualem profecto non habet qui sciens ab Arianis, quibus adhæret, fuit baptisatus; non vero eum qui simpliciter baptisatus est.

Ad secundum respondeo cum Mendosa in notis ad hunc Canonem: "Qui docet fidelem, qui lavacrum „suum integrum habeat, posse baptisare necessitatis tem„pore, non negat infidelem id facere posse, sed cupit esse „fidem." (Tom. 1. Conc. p. 1252. E.) Seu, ut loquitur Illustrissimus ac doctissimus Albaspinæus suis itidem in citatum Canonem observationibus; "Canon iste non sic, si in morte Cate„chumeni unus laicus tantum adesse videatur; imo con„tra subintelligi vult. si plures laici tali tempore non de„fuerint, tum statui omnino vult, ut unus è laicis, qui (Ibid. p. 999. C.) „nondum pœnitentiam exolverit, neque bigamus fue„rit, baptiset: idque ob eam rem, quod neque sacerdo„tes pœnitentiam peragere, neque ea perfecta absoluta„que ad id elegi, neque bigami esse poterant; quas qui„dem conditiones in uno laico qui baptiset, requirit ille „Canon, quod eo modo sit sacerdotis partes acturus. „Si tamen tunc temporis intervenisset bigamus, unus „tantum idemq; pœnitens, Canon ille decrevisset, vel si „omnia illa impedimenta sese obtulissent, ab eo potuisse „sacrum Baptisma conferri." Hactenus Illustrissimus Albaspinæus. Uno verbo, sensus Canonis est, ubi premit necessitas, & plures adsunt laici qui morienti Catechumeno per Baptismum possunt subvenire, eum inter cæteros esse seligendum, qui fidelis sit, nec inter pœnitentes accenseatur, nec sit bigamus: si tamen non alius occurreret, posse eum & debere Baptismum conferre.

Ad,

Ad tertium : argumentantur illi SS. Doctores ex concessis in sententia rebaptisantium, quorum scilicet istud erat palmare fundamentum ; nemo dat quod non habet ; Hæretici non habent Baptismum ; ergo &c. Quo quidem principio gratis eis concesso, reponunt SS. Patres, & quidem apposite ad subjectam controversiam, quod sicut ii Baptismum non admittunt, qui ab Ecclesia, in qua sunt baptisati, recedunt, ita nec jus illum conferendi amittit, qui se ab unitate Ecclesiæ separat ; atqui ita hæretici Episcopi & Sacerdotes valide baptisant. Male igitur ex hac eorum argumentandi ratione infertur, censuisse illos Baptismum ab eo duntaxat posse conferri, qui baptisatus esset ; de illo etenim Baptismo nulla tunc erat controversia, sed tantum de veritate Baptismi ab Hæreticis collati.

Ad quartum ; satis constat ex dictis, dubium revera fuisse aliquandu S. Augustinum circa Baptismum datum ab Infideli ; verum L. 7. de Baptismo c. 53, absolute pronuntiat, ratum esse cuicunque & à quibuscunque verbis Evangelicis conferatur.

Ad quintum : Gregorius III, loquitur de iis Paganis qui inter baptisandum formam à Christo præscriptam non observaverant, quos idcirco jubet denuo baptisari.

Solvuntur nonnullæ quæstiones circa ministrum Baptismi.

Quæres 1. An sit aliquis ordo servandus inter ministros Baptismi in necessitate.

Resp. Affirmative. *Neque enim laicus*, inquit S. Carolus in actis Ecclesiæ Mediol. parte 4. de Ministro Baptismi, "præsente Clerico ; neque rursus Clericus „præsente Subdiacono ; hicque itidem coram Diacono ; „nemo præterea eorum coram Sacerdote baptisare au„deat ; ipse autem norit, sibi licere baptisare etiam præ„sente suo Episcopo.

Quæres 2. an plures ministri possint simul eundem hominem baptisare.

Resp. 1. Id nunquam licitum esse, quod est contra morem Ecclesiæ & contra institutionem Christi, qui sicut unus est, ita voluit unum esse in unoquoque baptisando ministrum.

Resp. 2. Triplicem fingi posse propositæ quæstionis hypotesim. Vel enim plures simul unum hominem baptisant, tanquam causæ partiales & à se invicem mutuo dependentes, sub hac verborum forma, *Nos te baptisamus in nomine Patris, &c.* quo casu nullum est Sacramentum. *Quia*, inquit S. Th hic q. 67. art. 6. "videtur „esse contra rationem ministerii : homo enim non ba„ptisat, nisi ut minister Christi & vices ejus gerens. „Unde sicut est Christus, ita oportet esse unum mini„strum qui Christum repræsentet : propter quod sig„nanter Apostolus dicit Ephes. 4. Unus Dominus, una „fides, unum Baptisma. Et ideo contraria intentio vi„detur excludere Baptismi Sacramentum." Eadem quoque videtur esse ratio, si nempe loco istorum verborum, *Nos te baptisamus*, diceretur Græcorum more, *Baptisatur servus Christi &c.* quia unusquisque ex illis ministris significaret se partialem tantum esse & inadæquatam causam ministerialem Baptismi ; quod pugnat cum institutione hujus Sacramenti à Christo facta.

Vel singuli illi ministri tanquam causæ totales ejusdem Sacramenti simul aquam effundens dicunt, *Ego te baptiso &c.* & hoc casu ratum esset Sacramentum : *Quia*, inquit S. Th. ibid. " uterque exprimeret suam „intentionem, quasi ipse singulariter Baptismum con„ferret.

Vel denique eorum ministrorum unus aquam funderet, alter vero proferret verba, & ita eorum quilibet non integrum Sacramentum, sed partem Sacramenti ministraret ; quo etiam casu nullum esset Baptisma : quia nullus eorum posset vere dicere se baptisare ; non qui aquam funderet, aqua enim sola Sacramentum non perficit ; non qui proferret verba, quia sine aqua Baptismum non perficiunt, ipse autem aquam non effunderet. Ita S. Thom. loco citato.

Quæres 3. an possit aliquis seipsum baptisare.

Resp. negative, quia est contra institutionem Christi, qui ministrum & subjectum Baptismi aperte distinguit cum ait : " Euntes docete omnes gentes, baptisantes eos „in nomine Patris &c. Ita respondit ad propositam quæstionem Innoc. III. Interrogatus enim à Metense Episcopo, de Judæo qui morti proximus seipsum baptisaverat, respondet, illum esse denuo baptisandum. Refertur hoc Decretum Lib. 3. Decret. titulo 42. cap. 4.

Quæres 4. an unus minister possit simul plures baptisare.

Resp. in casu urgentis necessitatis id fieri posse ; tali enim Baptismo nec institutio Christi, nec forma consueta repugnat. " Christus enim, *inquit S. Th. hic*, qui „principaliter baptisat, est unus ; sed multi per Ba„ptismum efficiuntur unum in Christo..... Neque per „hoc diversificaretur forma Ecclesiæ, quia plurale „non est nisi singulare geminatum, præsertim cum „pluraliter dicatur Matth. ultimo, Baptisantes „eos &c.

Quæres ultimo qui fuerint olim ritus præcipui circa ministrum Baptismi observati.

Resp. 1. Ministros ordinarios & solemnitatis Baptismi nonnisi jejunos ad hoc ministerium olim accessisse. Colligit Vicecomes Lib. 1. c. 29. ex duplici Concilio, Parisiensi nempe & Meldensi. Idem quoque statuit Conc. Rotomagense an. 1072. Can. 1. ' Nullus sacer- *Tom. 9.*
„dos, *inquit*, baptiset infantem nisi jejunus & indutus *Conc. p.*
„alba & stola, nisi necessitate. 1226. D.

II. Destinatas ad hoc ministerium vestes induebant ministri, de quibus Beroldus sic loquitur ; *Tunc*, inquit, (nempe Sabbato sancto) "Magister Scholarum præ„cedit cum pueris suis, cantando Antiphonam usque ad „regias baptismalis Ecclesiæ, & ibi extra Ecclesiam „Archiepiscopus exuit stolam, & planetam, & induit se „paludamento baptismali, & præcingit se manutergio „cum singulo nexu veniente in sinistro latere in simili„tudinem ensis, & similiter nexum sandaliorum facit „juxta calcaneum in similitudinem calcarium, habens „mitram in capite, & sic incedit ad Fontes." Ubi observa primum, ea quæ de stola extra Ecclesiam deposita dicta sunt, ad illam consuetudinem pertinere, qua nostri Sacerdotes stolam violaceam exuentes, aliam induunt albi coloris. Observa 2. vestes quibus inter baptisandum utebantur Ministri, fuisse albi coloris, ut colligitur ex Ordine Romano cap. de Sabbato sancto. Theodoretus L. 2. Hist. c. 27. meminit cujusdam ve- *Pagina*
stis auro contextæ, quam Constantinus Imperator *115. A.*
in honorem Ecclesiæ Hierosolymitanæ dedit Macario Episcopo, ut ea indutus baptisaret.

III. Ministri intro in aquam seu fontem baptismalem descendebant, sicut colligimus ex Ordine Romano & S. Ambrosio L. 2. de Sacramentis c. 6. atque baptisandos de pondere sublatos aquis totos immergebant oleo inunctos. *Ponit Sacerdos*, inquit Severus Alexandrinus L. de Baptismo, "oleum olivæ in vola *Biblioth.*
„manus suæ, totumque corpus ejus qui baptisatur, *PP. T. 12.*
„ungit, & dimittit illum in Baptisterium, respi- *p. 732. F. G*
„ciens ad Orientem ; dextram suam, *pergit ille*, „capiti ejus qui baptisatur imponit, & sinistra sua „ter attollit ex aquis à fronte, à tergo, & altero late„rum ejus." Idem fere refert S. Bonaventura in 4. dist. 3. q. 1. "Sacerdos, *inquit*, debet puerum tene„re per latera, & versa facie ad aquam debet mer„gere, ita quod habeat caput primo versus Orientem, *Tom. 5. p.*
„secundo versus Aquilonem, tertio versus Meridiem." *40. A.*
In illo autem gravi onere aquis immergendi grandiora adultorum corpora, levabantur Episcopi partim per assisten-

assistentes Presbyteros & Diaconos; partim per susceptores, qui in brachia sua baptisatos suscipiebant, inde susceptores dicti; partim per ipsos baptisandos qui cùm recti in aquis starent, atque pedibus imam Baptisterii partem tangerent, sui corporis molem sustinebant, cujus proinde pondere non ita gravabantur ministri baptisatores.

IV. In aliquibus Ecclesiis, ut in Mediolanensi, Episcopus baptisatorum pedes lavabat: de quo ritu loquitur
To.2.p. 361.B. S. Ambrosius L. 3. de Sacramentis cap. 1. *Ascendisti*, inquit, *de fonte, quid sequutum est? Succinctus Sacerdos summus, licèt enim & Presbyteri fecerint, tamen exordium ministerii à summo est Sacerdote, succinctus, inquam, summus Sacerdos pedes tibi lavit.*

ARTICULUS III.

De subjecto Baptismi, seu de suscipientibus Baptismum.

SUbjectum Baptismi capax est solus homo viator; is autem vel est adultus, vel infans. De utroque, tùm infantium, tùm adultorum, Baptismo hic agendum.

De Baptismo infantium.

Circa infantium Baptismum hæc sunt expendenda.

I. Utrum infantes sint Baptismi capaces, & expediat eos baptisare.

II. Utrum infantes in utero materno adhuc inclusi, aut ex aliqua saltem sui parte egressi, possint baptisari.

III. An debeant baptisari Infidelium filii, parentibus invitis.

IV. Denique, quam fidem in infantibus Baptismus supponat & producat.

Utrum infantes sint capaces Baptismi, & expediat eos baptisare.

Errores & opiniones.

Circa primum, nempe infantes Baptismi capaces esse, errarunt ex veteribus,

To 8.p. 17. F.G. Hieracitæ, quorum auctor Hieracha: *Hi dicunt infantes non pertinere ad regnum cælorum, quia non sunt eis ulla merita certaminis quo vitia superantur.* Ita S. Augustinus, Lib. de hæresibus c. 47.

Vicecomes Lib. 2. de ritibus Baptismi c. 1. Coccius Thesauri L. 5. art. 6. eundem errorem Pelagio & eundem Vincentio Victori affingunt; sed immeritò:
To. 10. p 264. Ipse enim Pelagius in sua ad Innocentium I. Epistola, profitetur hanc opinionem sibi per calumniam imponi. Ita testatur S. Augustinus L. de peccato originis c.17.18. & Negabant quidem Pelagiani, Baptismum necessarium esse parvulis ad habendam vitam æternam; sed fatebantur necessarium ad obtinendum Regnum Cœlorum: inde est quòd ipsimet parvulos ad Baptismum admitterent. Eadem esse videtur Vincentii Pelagiani opinio.

Valdenses, teste Ermengardo in Opusculo adversùs eos edito, docuere parvulis Baptismum aquæ nihil prodesse.

Te.2.p. 1497.C. Apostolici, teste S. Bernardo Serm. 66. in Cantica, irridebant Catholicos quod Baptismum infantibus darent.

Petrobrussiani, sic dicti à Petro de Bruis, idem docebant; adversùs quos Petrus Cluniacensis Abbas & Bernardo coætaneus, duas conscripsit Epistolas in quibus errorem hunc refert & refellit.

Henriciani, ita dicti ab Henrico Petri de Bruis discipulo, ejusque nequitiæ ac impietatis hærede, negabant quoque parvulos capaces esse Baptismi. Ita refert S. Bernardus Ep. 241. Tom 1 p. 237 C.

Petrus quoque Abailardus & Petrus de Brixia idem docuere, sicut colligimus ex Conc. Lateranensi sub Innocentio II. Can. 23. Tom. 10. Conc. p. 1008 B.

Cathari quoque, qui non longe ab his temporibus circa an. 1160. deprehensi sunt Coloniæ, adversus quos plures Sermones edidit Eckbertus Monachus, in eundem errorem abiisse memorantur.

Ex Novatoribus superioris sæculi, Anabaptistæ sic dicti quod baptisatos in infantia, cum ad adultam pervenissent ætatem, iterum baptisarent, eo quod Baptismum infantibus collatum nullum prorsus existimarunt.

Orta est hæc Secta anno 1521. auctore Nicolao Storkio, qui cum Luthero primum adhæsisset, ab eo postea deficiens, & insolitas jactans sibi factas per Michaelem Archangelum revelationes, Wittemberga pulsus incertisque sedibus per Thuringiam vagatus, specie sanctitatis, quam egregie mentiebatur, apud stolidum rusticorum vulgus fidem invenit. Horum Historiam scripsere Arnoldus Meshovius, & Joannes Ottius Tigurinus.

Michael Servetus in fine Libri de regeneratione, scribit puerorum Baptisma esse horrendam abominationem, Spiritus sancti extinctionem, Regni Christi conculcationem, Christi abnegationem &c. Illius varia P. 500. argumenta refert & refellit Calvinus L. 4. Institutionis c. 16. n. 31.

Ministri Transylvani an. 1568. referente Socino Epistola de Baptismo ad virum nobilem, tanquam fratres agnovere & recepere eos qui in infantia baptisatos, postquam adoleverint, baptisandos esse dicunt.

Sociniani tam Baptismum tam esse indifferentem & liberam, neque eum infantibus conferunt, neque etiam denegant, quando sine scandalo denegari non potest. Sic ipsi interrogant in majori Catechesi Racoviensi c.4. de Baptismo aquæ, "Num ergo ad eum ritum infan„tes pertinent? *Respondent*; nullo pacto. *Et postea „quærunt*, quid de iis sentiendum sit, qui infantes bapti„sant. *Respondent*: Quamtumvis ac in re errent, non „li et tamen ideo eos condemnare, modo alioquin ido„lolatræ non sint, sed lecte secundum præcepta Christi „vivant, & alios sententiam ipsorum repudiantes non „persequantur.

Theodorus Beza & omnes fere recentiores Novatores Lutherani & Calvinistæ hoc nixi principio, Baptismum esse sigillum & obsignationem fœderis initi Deum inter & Christianos, contendunt solos Fidelium, non vero Infidelium filios baptisandos esse: quod si contingat infantes mori sine Baptismo, eos à Regno Cœlorum non excludunt.

Circa secundū, an nempe expediat infantes baptisare.

Opinio fuit Fidi in Africa Episcopi, eos non debere P. 94. baptisari ante octavum à nativitate diem. De qua consultus S. Cyprianus, respondit per Epistolam quæ est n. 59. eos posse & debere baptisari.

Tertullianus itidem Afer L. de Baptismo c. 18 putat expedire magis si infantium Baptisma differatur, donec per ætatem sint rationis compotes: cujus duplicem profert causam & rationem; unam ex parte sponsorum qui exponunt se periculo, ne infantes factas eorum nomine promissiones, irritas faciant; alteram ex parte obligationum quæ per Baptismum contrahuntur: „Quid enim, *inquit*, necesse est sponsores etiam periculo P.231.D. „ingeri? Quia & ipsi per mortalitatem destituere pro„missiones possunt, & proventu malæ indolis falli. Ait „quidem Dominus, Nolite illos prohibere venire ad „me. Veniant, ergo dum adolescunt ... quid festinas „innocens ætas ad remissionem peccatorum? (innocentes vocat infantes, per exclusionem peccatorum actualium, non vero originalis) " si pondus intelligant P.232.A. „Baptismi, magis timebunt consecutionem quam dila„tionem.

„tionem. Quin eodem nixus fundamento unicuique pro varia conditione, dispositione ac ætata, nominatim verò innuptis propter tentationes quibus obnoxii sunt, Baptismi cunctationem meliorem esse contendit.

To. 1. p. 658.B. S. Gregorius Nazianzenus Oratione 40. quæ est in sanctum Baptisma, censet quoque ante triennium parvulos non esse baptisandos, nisi imminente periculo; quamquam vehementer invehitur adversùs adultos qui Baptismum ad extremam usque senectutem differunt.

Ab eadem sententia non multum abhorruisse videtur Erasmus fragmento Epistulæ inter eas quas cum vita ejus Leidæ edidit Paulus Merula anno 1607. non tamen Ecclesiæ consuetudinem rejicit; disertè quippe scribit: *De Baptismo serventur quod tot sæculis servavit Ecclesia*; sed vult infantes baptisatos, *postquam adoleverint, interrogandos esse an ratas habeant promissiones per eorum sponsores factas; quod si recusaverint eas confirmare proprio arbitrio illos esse relinquendos, nec ad Christianam vitam cogendos.*

Hallucinantur hic Ludovicus Vives Annotationibus in Librum primum S. Augustini de Civitate Dei c. 27. & Walafridus Strabo L. de rebus Ecclesiasticis cap. 26. dum ajunt, *olim neminem ad Baptismum fuisse admissum nisi adulta jam ætate, cum quisque scire peteret quid peteret & acciperet, quibusve obligationibus sese adstringeret*; oppositum enim constabit ex testimoniis Veterum quæ statim adducturi sumus. Itaque sit

CONCLUSIO.

Infantes sunt Baptismi capaces, & expedit eos baptisari.

Duæ sunt Conclusionis partes.

Probatur prima pars ex Scripturis.

Quadruplex ex Scripturis argumentum colligimus; nempe à præcepto Baptismi universali; à necessitate illius; ab effectu; denique ab exemplo & paritate.

I. A præcepto Baptismi. I. A præcepto Baptismi universali quod dedit Christus Matth. 28. v. 19. his verbis: *Euntes docete omnes gentes, baptisantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.* Hoc autem præcepto voluisse Christum, ut non tantum adulti, sed etiam infantes baptisarentur, colligi potest, tum quia universale est & indefinitum; tum quia scopus Christi eo loci est, ut doceat modum colligendi & conservandi Ecclesiam in terris usque ad consummationem sæculorum; cum vero Ecclesia non adultos tantùm, sed & infantes complectatur, modus etiam ille ad utrosque pertinet accommodatè & appositè ad conditionem eorum; ita ut scilicet adulti priùs doceantur quàm baptisentur, infantes vero primo baptisentur, tum suo tempore doceantur. Tum quia antithesis id postulare videtur; nam *omnes gentes* videntur ibi opponi omnibus & solis Judæis, sicut postulat discrimen veteris & novi Testamenti; sicut igitur inter Judæos non adulti modò sed infantes circumcidebantur; ita quoque in novo Fœdere non tantum adulti baptisandi sunt, sed & infantes. Tum denique quia Apostoli, qui haud dubiè sensum mandati Christi rectè intellexerunt, infantes procul dubio baptisarunt, cùm integras familias hoc Sacramento initiasse leguntur, sicut in quarto nostro argumento ostendemus.

II. A necessitate. II. A necessitate Baptismi pro obtinendo Regno Cœlorum. Joan. 3. v. 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in Regnum Dei.* Generalis est Christi comminatio, quæ ipsos quoque involvit infantes. Mirum ferè est, Novatores adversùs Anabaptistas disputantes eo S. Joannis testimonio uti posse, quod ipsi negant de vero aquæ Baptismo intelligendum esse, sicut diximus antea, ex illo tamen sic arguimus: Qui sunt capaces Regni Cœlorum, ii quoque capaces sunt Baptismi, sine quo ad Regnum Cœlorum pervenire non possunt: atqui infantes capaces sunt Regni Cœlorum; ergo &c.

Minor probatur ex verbis Christi Matth. 19. v. 14. *Sinite*, inquit, *parvulos, nolite eos prohibere ad me venire; talium est enim Regnum Cœlorum.* Idem legitur Marci 10. v. 14 & Lucæ 18. v. 16. ubi Christus ejusmodi infantes jubet ad se adduci, eos in ulnas accipit, manus iis imponit ac benedicit, ergo non sunt illi à Sacramento Baptismatis arcendi.

Nec audiendi sunt qui reponunt, eò loci parvulos dici humilitate innocentia, non vero ætate; vel saltem eos esse intelligendos qui rationis usum adepti sunt, siquidem [inquiunt] ad Christum venire dicuntur, non afferri vel adduci.

Namque etiam si Christus in persona puerorum humilem & innocentem vitam commendare voluerit, an non etiam voluit significare infantilem ætatem non esse alienam à Regno Cœlorum, adeoque à mediis institutis pro illius assecutione: sensu quippe litterali historico veri à parentibus Christo pueri offerebantur, ut ipsis benediceret; at certè complexus ille ac benedictio significant infantes esse gratiæ capaces, sicut & Regni Cœlorum.

Quòd verò citatis locis intelligantur infantes ætate, non humilitate solùm, patet ex nomine græco quo usus est S. Lucas v. 15. vocantur enim βρέφη, Βρέφος autem est infans adhuc in cunis, & tenellus plerumque lactens. Lucæ 1. v. 41. & 44. 1. Petri 2. v. 2. Idem S. Lucas ait quòd parentes suos ad Christum infantes afferebant, προσέφερον. Non est itaque quòd imperitè Anabaptistæ vim faciant in verbo, *venire*, quo utitur vulgatus interpres; nihil enim aliud significat, quàm accedere, seu appropinquare.

III. Ab effectu. III. Ab effectu Baptismi qui positus est in remissionem peccatorum, & interiori animæ per gratiam regeneratione. Act. 2. v. 38. Joan. 3. v. 5. ad Titum 3. v. 5. unde sic arguimus: Qui capaces sunt effectus Baptismi, ii capaces quoque censeri debent ipsius Baptismi; quibus enim res significata potest convenire, ita & signum hujus rei potest communicari: atqui infantes sunt capaces effectus Baptismi, remissionis scilicet peccati originalis quod nascendo contraxerunt, & interioris regenerationis & innovationis.

Minor probatur 1. ex citato c. 2. Actorum.

Postquam enim v. 38. S. Petrus dixit; *Baptisetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi, in remissionem peccatorum vestrorum*, v. 39. sic pergit: *Vobis enim est repromissio & filiis vestris.* Ergo eadem gratiæ & remissionis peccatorum repromissio facta est filiis Judæorum, quæ Judæis ipsis; ergo æquè capaces sunt gratiæ, & consequenter medii seu signi practici quod Christus instituit ad illam gratiam communicandam. 2. Infantes capaces sunt peccati quod nascendo contrahunt; ergo & gratiæ regenerantis: nisi velis plus posse culpam primi parentis ad homines perdendos, quàm gratiam Christi ad eosdem servandos quod certè impium videtur, & directè pugnat cum Apostolo dicente Rom. 5. v. 20. *Ubi abundavit delictum, superabundavit gratia: ut sicut regnavit peccatum in mortem, ita & gratia regnet per justitiam in vitam æternam, per Jesum Christum Dominum nostrum.* 3. Expressè declarat Christus c. 19. S. Matth. jam citato, infantes pertinere ad Regnum Cœlorum: ad illud autem pertinere non possunt sine Baptismo, dicente ipso Christo Joan. 3. vers. 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei*; ergo necesse est ut capaces sint Baptismi.

IV. De-

IV. Ab exemplo & paritate. IV. Denique, probatur ab exemplo & paritate.

Ab exemplo quidem Apostolorum: si enim leguntur integras familias baptisasse. Act. 16. Lydia purpuraria cum omni domo sua baptisata est. Idem narratur de custode carceris Macedoniæ; & c. 16. 1. Cor. S. Paulus narrat se baptisasse *Stephanæ domum*: at verisimile non est, in iis domibus seu integris familiis aliquos „non extitisse infantes; ii ergo simul cum aliis baptisati sunt.

A paritate Circumcisionis: tam quippe possunt & debent baptisari infantes in novo Testamento, quam potuerint circumcidi in veteri. Paritas ostenditur. 1. quia utriusque par videtur necessitas. 2. quia Baptismus subrogatus est Circumcisioni, & ipsi successit in novo Fœdere, juxta Apostolum, Coloss. 2. v. 11. & 12. qui in Baptismo Christi Circumcisionem non manu factam agnoscit. 3. quia unus est utriusque finis. Circumcisio enim erat Sacramentum initiationis, quo Ecclesiæ veteri adunabantur & sociabantur infantes circumcisi; per Baptismum quoque Corpori Christi, id est Ecclesiæ, copulantur & sociantur quicunque eo initiantur. 4. quia idem per utrumque Sacramentum significatur, nempe circumcisio interna cordis, & gratia regenerationis, cum hoc solum discrimine, quod Baptismus vere & ex opere operato gratiam illam conferat, quam non conferebat Circumcisio carnalis vetus; sicut ostendimus ubi de Sacramentis in genere. 5. denique, quia gratia Dei imminuta non est, nec parcior, imo abundantior in novo Testamento: si quid ergo obstat ætas puerilis in Baptismo, ne gratiam recipiat propter defectum rationis, idem debuisset obstare impedimentum in Circumcisione veteri. Quod si tamen non frustra Dei beneficia jam tum per Circumcisionem oblata fuere & concessa Judæorum infantibus, (quamquam non ex vi propria Circumcisionis) quidni eadem, imo & majora seu ampliora Dei beneficia per Baptismum infantibus in nova Lege conferri affirmabimus? Tanto enim præstant Sacramenta nova veteribus, quanto Lex Christi Legi Mosis superior ac perfectior est.

Secunda probatio ex constanti Traditione Ecclesiæ.

Traditionem hanc ex Conciliorum Decretis, ac SS. Patrum testimoniis demonstramus.

Ex Conciliis quidem.

Ex Carthaginensi cui 66. interfuere Episcopi sub sancto Cypriano an. 253. In eo quippe proposita fuit, agitata & definita quæstio à Fido Episcopo excitata, an scilicet infantes baptisari tantum possent post octavum à nativitate diem. *In hoc*, (Concilio) ait S. Cyprianus
P. 95. Epistola 59. ad Fidum, " quod tu putabas esse faciendum, nemo consensit; sed universi potius judicavimus, nulli hominum nato misericordiam Dei & gratiam denegandam. *Et postea*: Porro si etiam gravissi-
P. 96. „mis delictoribus, & in Deum multum ante peccantibus, cum postea crediderint, remissio peccatorum datur, & à Baptismo atque à gratia nemo prohibetur; „quanto magis prohiberi non debet infans, qui recens „natus nihil peccavit, nisi quod secundum Adam carnaliter natus, contagium mortis antiquæ prima nativitate contraxit?

Hoc Decreto vetus & Ecclesiæ ipsi coæva Christianorum fides ac Traditio confirmata fuit, non nova invecta doctrina. S. enim Augustinus Ep. 166. alias 28. ad Hieronymum de hac definitione loquens sic scribit:
Tom. 2. p. 593. A. „Beatus Cyprianus non aliquod decretum condens novum, sed Ecclesiæ fidem firmissimam servans, ad corrigendum eos qui putabant ante octavum diem nativitatis non esse parvulorum baptisandum, ... mox natum rite baptisari posse cum suis quibusdam Coepiscopis censuit.

Ex Milevitano cui interfuit sanctus Augustinus an. 416. Can. 2. "Quicunque, *inquit*, parvulos recentes „ab uteris matrum baptisandos negat, aut dicit in remis- Tom. 2. Conc. p. 1538. C.
„sionem quidem peccatorum eos baptisari, sed nihil ex „Adam trahere originalis peccati, quod regenerationis „lavacro expietur, anathema sit.

Tam altas apud Fidelium animos radices egerat hæc fides quinto sæculo, ut ipsimet Pelagiani, originalis noxæ alioquin hostes & impugnatores acerrimi, praxim tamen baptisandi infantes retinuerint, nedum damnaverint.

Ex Gerundensi an. 517. Can. 5. "De parvulis, *inquit*, Tom. 4.
„qui nuper materno utero editi sunt, placuit constitui, Conc. p.
„ut si infirmi, ut assolet, fuerint, & lac maternum 893. A.
„non appetunt, etiam eadem die, qua nati sunt [si oblati „fuerint] baptisentur.

Ex Bracarensi III. an. 578. Can. 7. „Placeat, *inquit*, „ut unusque Episcopus per Ecclesias suas hoc præcipiat, „ut hi qui infantes suos ad Baptismum offerunt, si „quid voluntatis pro suo offerunt voto, suscipiatur ab „eis.

Denique, ut alia multa prætereamus, Conc. Trid. Sess. 7. Can. 13. de Baptismo, quam à majoribus acceperat fidem & traditionem, eamdem declarat & confirmat his verbis: " Si quis dixerit, parvulos, eo quod Tom. 14.
„actum credendi non habent, suscepto Baptismo, inter Conc. p.
„Fideles computandos non esse, ac propterea cum ad 771. A.
„annos discretionis pervenerint, esse rebaptisandos; „aut præstare omittere eorum Baptisma, quam eos non „actu proprio credentes baptisari in sola fide Ecclesiæ, „anathema sit.

Probatur eadem Traditio ex testimoniis SS. Patrum.

Ex S. Irenæo L. 2. adversus hæreses c. 22. alias 39. „Dominus, *inquit*, omnes venit per semetipsum salva- P. 147.
„re: omnes, inquam, qui per eum renascuntur in De- n. 4.
„um, infantes & parvulos, & pueros, & juvenes, & seniores. Ideo per omnem venit ætatem, & infantibus „infans factus, sanctificans infantes; in parvulis parvulus, sanctificans hanc ipsam habentes ætatem.

Ex Origene in cap. 6. Epistolæ ad Rom. *Ecclesia*, Tom. 2. p.
inquit, *traditionem ab Apostolis suscepit, etiam parvu-* 353. A. B.
lis dare Baptismum. Sciebant enim illi quibus mysteriorum secreta commissa sunt divinorum, quia essent in omnibus genuina sordes peccati, quæ per aquam & Spiritum ablui deberent.

Ex Tertulliano, Lib. scilicet de Baptismo c. 18 ubi etsi privata sua sententia velit Baptismi perceptionem ad ætatem adultam differendam esse, eo tamen ipso non obscurè innuit, suo tempore receptum fuisse in Ecclesia usum baptisandi infantes.

Eò tendunt quæ ipsemet Tertullianus generatim docet: cap. enim 17. Lib. de Baptismo indistinctè asserit, eum esse reum perditi hominis, qui Baptismum, quem potuit, non administravit. Et L. de anima c. 39. & 40. P. 281.
exponens qua ratione, juxta Apostolum, filii Fidelium A. B.
sancti sint, ait, " eos sanctos appellari, tam ex seminis „prærogativa, quam ex institutionis disciplina, quasi „designatos sanctitatis, ac per hoc etiam salutis, juxta P. 294. B
„Domini definitionem, Nisi quis renatus fuerit &c. „Ita, *inquit*, omnis anima eo usque in Adam censetur, „donec in Christo recenseatur; tamdiu immunda, „quamdiu recenseatur." Censet igitur Tertullianus, „infantes capaces esse salutis, ac proinde Baptismi.

Ex S. Cypriano Ep. 59. ad Fidum, ubi ex professo nostram probat & confirmat Conclusionem, ex definitione seu Decreto Concilii Carthaginensis, cujus verba mox relata sunt.

Ex S. Gregorio Nazianzeno Oratione 40 in sanctum Baptisma. " Quid autem, *inquit*, de iis dices, Tom. 1. p.
„qui adhuc teneræ ætate sunt ..... An eos quoque ba- 638. A.
„ptisabimus? Ita prorsus; si quod periculum urgeat. „Præstat enim absque sensu sanctificari, quam sine

"sigillo & obsignatione abscedere."Quod ibidem confirmat S. Doctor,exemplo & paritate Circumcisionis.

Ex S. Chrysostomo Homilia ad Neophytos. " Hæc "de causa, *inquit*, etiam infantulos Baptizamus,ut non "sint coinquinati peccato,ut eis addatur sanctitas, justi- "tia, adoptio, hæreditas, fraternitas Christi, ut ejus "membra sint omnes, ut Spiritus habitatio fiat.

Ed. Parif. 1621. Tom. 2. App. p. 52. B.

Ex S. Ambrosio L. 2. de Abraham c. 11. n. 81. "Nec "senex, *inquit*, proselytus, nec infans vernaculus exci- "pitur ; quia omnis ætas peccato obnoxia, & ideo om- "nis ætas Sacramento idonea.

Tom. 1. p. 349. G.

Ex S. Hieronymo Epist. ad Lætam, ubi eos sceleris arguit, qui Christianorum infantibus Baptisma recusaverint. Et in fine Lib. 3. contra Pelagianos, adducto Cypriani testimonio ex Epistola ad Fidum, concludit *baptizand. esse infantes, non solum in Regnum Cœlorum*, ut asserebant Pelagiani, *sed etiam in remissionem peccatorum*, videlicet peccati originalis.

Tom. 4. p. 2. p. 591. Ibid p. 546.

Denique ex S. Augustino, qui antiquæ hujus fidei ac Traditionis testis fuit ac strenuus defensor. Lib. 10. de Gen. ad litteram cap. 23. " Consuetudo, *inquit*, "matris Ecclesiæ in baptizandis parvulis nequaquam "spernenda est, neque ullo modo superflua deputanda, "nec omnino credenda,nisi Apostolica esse traditio."Et Lib. 1. de peccatorum meritis ac remissione cap. 26. "Parvulos, *inquit*, baptizandos esse [*Pelagiani*] conce- "dunt, qui contra auctoritatem universæ Ecclesiæ,pro- "culdubio per Dominum & Apostolos traditam,venire "non possunt." Denique Sermone 10. de verbis Apostoli, nunc 177. "Nemo, *inquit*, vobis susurret do- "ctrinas alienas. Hoc Ecclesia semper habuit, semper "tenuit; hoc à majorum fide accepit; hoc usque in fi- "nem perseveranter custodit." Alia ejusdem S Doctoris testimonia superiùs adducta sunt, cum de necessitate Baptismi actum est.

Tom. 3. par. 1. p. 272. G.

Tom. 10. p. 22. C.

Tom. 5. p. 480. A.

Nonnullas hic ad Confirmationem nostræ Conclusionis proponit rationes Bellarminus, quas ex adductis modò tùm Scripturæ, tùm SS. Patrum testimoniis facile erit unicuique inferre.

Secunda pars Conclusionis; nempe expedire ut infantes baptizentur,

Probatur 1. Quia homo à pueritia alicui vivendi rationi assuetus, firmius in ea deinde perseverat: atqui optandum est, ut in iis quæ sunt Christianæ vitæ,homo firmiter perseveret; bonum igitur ipsi si jugum ab adolescentia portaverit, Threnorum cap. 3. v. 27.

2. Quia periculum æternæ damnationis in quam incidere posset infans, si forte sine Baptismo repente moriatur, minimè compensatur per fructum qui expectatur ex dilatione Baptismi; præsertim cùm eo fructu non defraudentur infantes; quandoquidem grandiores facti informantur Ecclesiæ fide ac doctrina, ut norint quid in Baptismo promiserint per sponsores suos, cui fidem suam obstrinxerint, ac sponsionis suæ per totam vitæ seriem semper memores sint ac custodes.

3. Si adulta ætas ad Baptismum expectaretur, multi malè educati ac voluptatibus dediti, aut recusarent omninò baptizari, aut in ultimam usque ætatem Baptismum differrent, ne citò castis & mundo renuntiare cogerentur: atqui utrumque semper improbavit Ecclesia, ut constat tùm ex adductis modò testimoniis, tum ex iis quæ circa Baptismum Clinicorum antea observavimus, qui in pœnam dilati Baptismatis irregulares habebantur ad sacros Ordines percipiendos.

Denique Conc. Trident. Sess. 7. Can. 14. sic Erasmi opinionem perstringit; *Si quis dixerit, hujusmodi parvulos baptizatos, cum adoleverint, interrogandos esse an ratum habere velint, quod patrini eorum nomine, dum baptizarentur, polliciti sunt; & ubi se nolle responderint, suo esse arbitrio relinquendos, nec alia interim pœna ad Christianam vitam cogendos, nisi ut ab Eucharistiæ aliorumque Sacramentorum perceptione arceantur, donec resipiscant, anathema sit.*

Tom. 14. Conc. p. 779. B.

Solvuntur Objectiones.

Objicies 1. Nullum extat in sacris Libris exemplum infantis baptizati; ergo infantes non sunt baptizandi.

Resp. 1. Falsum esse antecedens: constat enim ex probationibus, Apostolos integras baptizasse familias, in quibus haud dubiè aliqui fuere infantes.

Resp. 2. nego conseq. Tùm quia Traditio, quæ altera est fidei nostræ regula, constanter docet infantes esse capaces Baptismi, eosque debere baptizari, silentium igitur Scripturæ efficax hic argumentum non suppeditat Anabaptistis,nisi cum adversùs Lutheranos & Calvinistas pugnant: isti etenim rejecta Traditionis auctoritate, ab eo argumento vix sese expedire unquam possunt. Tum quia etsi nullum sit in Scripturis exemplum mulieris ad participationem Eucharistiæ admissæ,non inde tamen rectè concludi potest,eas vel incapaces esse illius percipiendæ, vel ad eam non esse admittendas: paritas manifesta est.

Instabis 1. Juxta mandatum Christi Matth. 28. ii dumtaxat sunt baptizandi, qui capaces sunt doctrinæ; ait enim Christus, *Docete* & *baptizate omnes gentes*: sed infantes incapaces sunt doctrinæ; ergo & Baptismi: neque enim ibi, ajunt Sociniani, Christus agit de baptismo aquæ, sed doctrinæ.

Resp. dist. ant. Qui capaces sunt doctrinæ, vel cùm baptizantur, vel postquam baptizati sunt, concedo; cum baptizantur dumtaxat, nego. Christus igitur eo loci vult doctrinam Baptismo esse præmittendam, quando adulti baptizantur, de quibus potissimum hic agit; *Docentes eos servare omnia quæcunque præcepi vobis*. Quantùm verò ad infantes, tametsi præ tenella ætate tunc doctrinæ capaces non sint, satis est si postea docentur cùm ad usum rationis pervenerint. Adde quòd verbum græcum, quo utitur S. Matthæus, μαθητεύσατε, propriè non tam significat docere, quam discipulos facere, quod fit etiam administrando Baptismum infantibus, qui per illum Christo, ejusque Religioni nomen dant ac spondent obsequium, & consequenter ejus fiunt discipuli. Sic Joan. 4. v. 1. μαθητὰς ποιεῖ, non est simpliciter docere, seu discipulos facere, seu disciplinæ professionem admittere. Hinc patet falsò prorsus Socinianos asserere, citato S. Matthæi loco, Christum non agere Baptismo aquæ, sed doctrinæ: quippe de illo Baptismo agit, de quo dixit Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in Regnum Dei*; quem ipse Christus cum Apostolis suis usurpavit; baptizavit autem Christus cum Apostolis suis in vera & naturali aqua. Recole quæ superius dicta sunt, cùm adversùs Socinianos Baptismi necessitatem demonstrabamus.

Instabis 2. Marci ultimo, Christus ait: *Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit*, ubi fides Baptismo præmittitur. Pariter Rom. 10. v. 10. *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem*; atqui parvuli talis fidei capaces sunt. Pariter S. Petrus Act. 2. v. 38. ait; *Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrum*; infantes autem sunt incapaces pœnitentiæ; ergo & Baptismi.

Resp. 1. Ut molestum illud Anabaptistarum telum declinaret Lutherus, eo absurditatis devenit aliquando, ut etiam in infantibus, dum baptizantur, fidei actualis motum agnoverit; exemplo fretus Joannis Baptistæ, qui in utero materno adhuc inclusus ad præsentiam Virginis Mariæ *exultavit*, & Christum nondum natum agnovit. Luc. 1. v. 41. Verùm tam putidum figmentum transferre vel ipsimet Lutheri discipuli: neque eò trahi debet exemplum Joannis Baptistæ,quod unicum planè ac singulare fuit, nisi fortè voluerit Lutherus

therus etiam in exemplum habere Asinam Balaam, quæ locuta est Num, 22. v. 28. atque *asinina expectare consilia*, ut loquitur S. Augustinus Epist. 187. aliàs 57. ad Dardan. c. 7. n. 24.

Tom. 2. p. 686.

Resp. 2. his in locis sermonem esse dumtaxat de adultis. De illis enim agitur, ad quos prædicationem suam, ut converterentur, Apostoli dirigebant, in quibus, ut Baptismi fructum percipiant, præ requiritur fides, pœnitentia &c. Infantes autem cùm proprii actus sint incapaces, actualem etiam fidem cæterasque prævias dispositiones habere non possunt; Fideles tamen rectè dicuntur, à Sacramento fidei quod percipiunt; sicut rectè dicuntur rationales, ab anima rationali qua informantur, licèt rationis actum exercere non valeant.

Instabis 3. Infidelis non est Baptismi capax: atqui infantes sunt infideles, utpote qui fidem non habeant.

Resp. dist. maj. Infidelis positivè, id est, qui contrario infidelitatis habitu vel actu laborat, concedo: infidelis negativè, id est, qui fidem non habet actualem, cujus est incapax, quales sunt infantes, nego. Fidem enim hanc actualem in iis supplet fides Ecclesiæ in qua baptisantur; & quemadmodum eis nocere potest peccatum personale Adami, cur ipsis non proderit fides aliena Ecclesiæ, accedente Baptismi Sacramento?

Instabis 4. Quare potius exigitur dispositio prævia ex parte adulti, & nulla ex parte infantis; & quare ad Baptismum potius quàm ad Eucharistiam admittuntur.

Resp. ad primum: ideircò proprium voluntatis motum propriasque dispositiones in adultis præexigi Baptismo, tum quia earum capaces sunt, tum quia qui proprio voluntatis motu se à Deo avertit per peccatum actuale, ille debet quoque ad Deum beneficio gratiæ excitantis & proprio motu liberi arbitrii converti: *Qui enim Creavit te sine te*, ait S. Augustinus, *non salvabit te sine te.* Et, *Gratia Dei mecum*, ait Apostolus, ut insinuet necessariam esse liberi arbitrii nostri cooperationem gratiæ Dei moventi & excitanti: at infantes nec capaces sunt illarum dispositionum, nec proprio motu voluntatis peccaverunt, sed aliena tantùm voluntate, nempe primi parentis *in quo omnes peccaverunt.*

Ad secundum: Resp. 1. longo sæculorum tractu Ecclesiam olim infantibus baptisatis dispensasse Eucharistiam; & quidem, ut ait Conc. Trid. Sess. 21. cap. 4. *Sanctissimi illi Patres sui facti probabilem causam pro illius temporis ratione habuerunt.* Verum cum istud ad disciplinam pertineat, quæ pro temporum ac circumstantiarum mutatione, mutatur, non amplius Ecclesia infantes admittit ad sacram mensam.

Tom. 14. Conc. p. 847. C.

Ibid.

Resp. 2. disparitatem apertam esse: *Si quidem*, ait concilium loco mox citato, *infantes per Baptismi lavacrum regenerati, & Christo incorporati, adeptam jam filiorum Dei gratiam in illa ætate amittere non possunt*; Eucharistia verò destinatur tanquam alimentum spirituale ad reparandas vires animæ quæ quotidianis lapsibus imminuuntur & infringuntur.

Instabis denique: Non satis intelligitur qua ratione infans possit interiùs renasci & renovari per gratiam baptismalem.

Resp. mirum non esse si istud apertè non intelligatur, cùm sit mysterium fidei, cujus natura est, ut sit obscurum ac maximè reconditum, alioquin non amplius mysterium foret. Et verò quis concipit & exponere satis potest, qua ratione traducatur peccatum Adami in omnes ejus posteros? nemo certè. An ideo negandum? absit. Satis ergo est, quod sciamus, Deo, cujus inexhausta virtus est, non deesse modum, quo possit infantes per gratiam suam interius renovare: qui enim de nihilo creavit hominem, haud dubiè potest & illum ab inhærente labe peccati purgare.

Objicies 2. contra secundam conclusionis partem: Christus anno ætatis trigesimo baptisatus est, quidni igitur ad hanc usque ætatem quisque suum differat Baptismum?

2. Tertullianus & S. Gregorius Nazianzenus existimarunt, satiùs esse si Baptismus differatur ad pleniorem ætatem, in qua cognoscere quisque potest quibus se votis obstringat; durum quippe videtur infantes, cum adoleverint, obligare ad id quod inscii & ignari voverunt.

3. Multi ex veteribus dignitate & sanctitate conspicui viri Baptismum ad provectiorem ætatem distulere, ut Constantinus & Valentinianus Imperatores; S. ipse Ambrosius paucis ante Ordinationem diebus, Baptismate formatus est, ut observat Paulinus in ejus vita.

Resp. ad primum: non omnia quæ fecit Christus in exemplum & imitationem à nobis necessariò esse ducenda. Eucharistiam v. gr. serò post cœnam celebravit, nec tamen ita celebramus: Christus itaque anno ætatis trigesimo baptisatus est, quia Baptismo non indiguit; sed Baptismum dumtaxat instituere tunc voluit, cùm prædicationem suam auspicaretur.

Ad secundum: Fatemur Tertullianum & S. Gregorium Nazianzenum in ea fuisse sententia, sed ab aliis SS. Patribus & à tota Ecclesia hac in parte deserti sunt, utpote qui infirmis admodum niterentur momentis. Unde hic observanda Vincentii Lyrinensis regula commonitorii cap. 39. *Quidquid* (unus vel alter Patrum) *quamvis ille sanctus & doctus, quamvis Episcopus, quamvis Confessor & Martyr, præter omnes, aut etiam contra omnes senserit, inter proprias & privatas opiniunculas, à communis, publicæ ac generalis sententiæ auctoritate secretum sit; nec cum summo æternæ salutis periculo, juxta sacrilegam Schismaticorum consuetudinem, universalis dogmatis antiqua veritate dimissa, unius hominis sectemur errorem.* Neque porrò durum videri debet, si infantes, cum adoleverint, compellantur ad observationem vitæ Christianæ; jugum enim Christi suave est, & onus ejus leve.

Biblioth. PP. To. 7. pag. 261. E.

Ad tertium: Particularia nonnullorum facta in exemplum & auctoritatem trahi non decent. Qui olim Baptismum differebant, variis ducebantur motivis, ut voluptatibus securiùs & diutiùs indulgerent, pœnarum canonicarum severitatem timentes; alii, ut ad gratiam baptismalem præviis ac diuturnis bonis operibus sese præpararent. Priores semper improbavit Ecclesia, & adversùs eos SS. Patres summo zelo ac studio invehebantur; posteriorum verò, etsi laudarent pietatem, non semper probabant consilium: unde si in lecto propter infirmitatem baptisari compellerentur, eos irregulares & ad sacros Ordines percipiendos inhabiles habuere; quo certè significabant illi Veteres, sibi minimè probari illam dilationem Baptismi, quocumque tandem fieret prætextu.

Utrùm infantes in utero materno inclusi, aut aliqua tantùm sui parte in lucem editi, utrum monstrosi &c. baptisari possint & debeant.

Quæres 1. utrùm infantes in utero materno adhuc inclusi baptisari possint.

Resp. Vel infantes illos sic penitus inclusos esse ac membranis involutos, ut omnino lateant nec possint ullo pacto aqua perfundi, quo casu certum est illos non posse baptisari: vel ita esse in utero materno inclusos, ut tamen cujusdam instrumenti ope possit aqua ad illos deferri, quo casu nonnulli existimant, urgente mortis periculo, posse eos sic baptisari; si tamen postea foras prodeant, ac perfectè nascantur, debere eos sub conditione rebaptisari; quia non constat de veritate & validitate prioris Baptismatis: negant alii posse eos ullatenus baptisari, quia, inquiunt, debet prius aliquis nasci, quàm possit per Baptismum renasci. Rationem hanc adducit S. Augustinus Lib. de peccat. meritis & remissio-

To. 10. p. 63. C D. remissione cap. 27. *Sacramentum Baptismi*, inquit, *profectò Sacramentum regenerationis est. Quocirca sicut homo qui non vixerit, mori non potest, & qui mortuus non fuerit, renasci non potest.* Idem repetit Epist. 187. aliàs 57. ad Dardanum. Idem quoque docet Isidorus L. 1. Sententiarum cap. 22. *Qui in maternis*, inquit, *uteris sunt, ideo cum matre baptisari non possunt, quia qui natus adhuc secundùm Adam non est, secundum Christum non potest renasci. Neque enim dici regeneratio in eo poterit, quem generatio non præcessit.* Eadem ratione utuntur Magister L. 4. Sentent. dist. 6. littera B. S. Thomas hic qu. 68. artic. 11. & alii. Tom. 2. p. 689. Edit. Paris. 1601. p. 652. vol. 2. H.

Dices: Infans in utero materno inclusus verè jam natus censetur in Adam, cùm ejus contraxerit peccatum; quidni igitur poterit in hoc statu per aquam renasci?

Confirmatur: Infans capax est sanctificationis in utero, ut constat de Beata Virgine, Joanne Baptista & Jeremia; quidni ergo poterit renasci per gratiam Baptismatis?

Respondet S. Augustinus mox citata Epistola ad Dardanum, infantem in utero matris inclusum propriè natum non debere dici; alias triplex nativitas foret admittenda, una in utero, altera ex utero, tertia ex aqua & Spiritu sancto; quæ tamen ultima solet simpliciter secunda nativitas appellari. Contrahit quidem infans in utero inclusus peccatum Adæ, sed gratiam regenerantem non potest in eo statu adipisci, quia medium à Christo institutum pro communicanda illa gratia, nempe aqua baptismalis, ad eum pervenire non potest. Neque hic objicienda sunt exempla eorum qui in utero materno sanctificantem gratiam perceperunt: quæ enim ex singulari & planè extraordinaria Dei gratia ac potentia facta sunt, in exemplum trahi non debent, cùm habeamus in Scripturis expressam Christi voluntatem his verbis, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in Regnum Cœlorum.*

Quæres 2. an infantes aliqua tantùm sui parte in lucem editi, baptisari possint & debeant.

Respondet S. Thomas hic qu. 68. art. 11. in responsione ad quartum. *Dicendum*, inquit, *quod expectanda est totalis egressio pueri ex utero ad Baptismum, nisi mors immineat; si tamen primò caput egrediatur, in quo fundantur omnes sensus, debet baptisari periculo imminente, & non postea rebaptisandus, si eum perfectè nasci contigerit. Et videtur idem faciendum, quæcumque alia pars egrediatur, periculo imminente. Quia tamen in nulla exteriorum partium integritas vitæ ita consistit, sicut in capite, videtur quibusdam quod propter dubium, quacumque alia parte corporis abluta, puer post perfectam nativitatem sit baptisandus sub hac forma: Si non es baptisatus, ego te baptiso &c.* De illa forma conditionali baptisandi in dubio, diximus in Tractatu de Sacramentis in genere qu. 1, art. 6. in fine.

Quæres 3. an baptisandi sint partus monstrosi.

Resp. Diligenter esse attendendum, utrùm naturam retineant hominis nec ne; de hoc verò potissimum ferri debet judicium ex capite, utpote suprema imò & dignissima corporis parte, rationis domicilio, & in qua omnes vigent sensus. Si formam hominis retineant, debent baptisari, licèt membrum aliquod non principale vel deficiat, vel redundet: si longius verò ab hominis forma habeant, vel superiori corporis parte bestiam potiùs repræsentent, planè à Baptismo est abstinendum. Quod si gemelli sibi invicem sint adnati, seorsum uterque est baptisandus, idque absolutè.

Quæres ultimò, an spurii, expositidi, filii parentum excommunicatorum sint baptisandi.

Resp. ad primum & tertium, eos esse baptisandos, quia nullus à gratia salutari Baptismi debet excludi propter vitium parentum, docet S. Augustinus Epist. 250. aliàs 75. ad Auxilium Episcopum. Et ut loquitur S. Cypr. Epist. 59. ad Fidum: *Hæc fuit in Concilio nostro sententia, à Baptismo atque à gratia Dei, qui omnibus & misericors & benignus & pius est, neminem per nos debere prohiberi.* Tom. 24. 878. P. 96.

De infantibus verò expositis, si nulla via possit cognosci eos esse baptisatos, baptisandi sunt. Sequatur unusquisque in ejusmodi circumstantiis praxim suæ Ecclesiæ in Ritualibus expressam.

Utrum Infidelium filii invitis parentibus baptisari possint & debeant.

Ratum esse et validum baptisma filiis Infidelium invitis parentibus collatum, omnes concedunt Theologi, quia nempe voluntas parentum, intentio & fides non pertinent ad essentiam Sacramenti, sed tantum ad æquitatem juris naturalis; multa autem non licet facere, quæ tamen si fiant, rata sunt & valida.

Tota igitur præsens controversia est, an debeant & licite possint Infidelium filii, parentibus eorum invitis, baptisari. Ubi.

Observandum 1. Infideles subjici posse Principibus Christianis, vel civiliter tantum, quales sunt omnes eorum subditi; vel serviliter, tanquam servi & mancipia. Quæstio hic tantum movetur de filiis eorum Infidelium qui civiliter subditi sunt Principibus Christianis.

Observandum 2. Scholæ Doctores in varias abire sententias. Sunt qui cum Scoto existimant, filios Infidelium, qui civiliter, tantum subditi sunt Principibus Christianis, posse licite invitis eorum parentibus baptisari. Sunt qui cum S. Thoma negant id esse licitum; imo nonnulli contendunt, nequidem filios Infidelium, qui serviliter subditi sunt Principibus Christianis, posse invitis parentibus baptisari, ut Capreolus in 4. dist. 5. qu. 1. art. 3. Marsilius in 4. q. 4. art. 4. dubio 2. & alii. Launoius Doctor Parisiensis, Dissertatione de veteri more baptisandi Judæos & Infideles, plura congerit facta & exempla quibus videtur efficere posse Ecclesiam licite Infideles ad Baptismum cogere.

Observandum 3. quæstionem hic institui de illis Infidelium filiis, qui nondum rationis usum adepti sunt: certum quippe est adultos, ut volentes baptisari possunt, ita nolentes non posse nec debere baptisari.

CONCLUSIO.

Filii Infidelium non debent invitis parentibus baptisari, nisi sint serviliter subjecti, aut in manifesto vitæ discrimine constituti.

Duæ sunt Conclusionis partes. Probatur prima pars: Quia id licite fieri non potest, quod secum importat vel irreverentiam Sacramenti, vel contemptum patriæ potestatis, adeoque & juris naturalis transgressionem: atqui baptisare infantes Infidelium parentibus invitis, importat secum vel irreverentiam Sacramenti, vel patriæ potestatis contemptum, adeoque & juris naturalis transgressionem.

Namque, vel parvuli sic baptisati relinquuntur sub patria potestate, & tunc manifestum imminet periculum, & contemptus Sacramenti ex parte parentum Infidelium, & subversionis ex parte parvulorum, qui pravis imbuti documentis percepto Sacramento ac fidei christianæ renuntiabunt. Vel subducentur à potestate parentum; & tunc jus naturale quod parentes habent in filios, violabitur; quod certe non magis licite fieri potest, quam si ab iisdem bona quæ juste possident per vim eriperentur.

Proba-

Probatur secunda pars : Quia tunc baptisari possunt parvuli, cum id fieri potest sine injuria patriæ potestatis, & irreverentia Sacramenti : atqui cum parentes sunt serviliter subjecti, aut filii in periculo mortis constituti ; tunc si baptisantur eorum filii, nec fit injuria patriæ potestati, nec irreverentia Sacramento.

Non injuria patriæ potestati : nam qui serviliter domino subjicitur, est in potestate domini, tam ratione sui, quam aliarum personarum sibi conjunctarum, puta uxoris aut filiorum, nec ullum amplius in res suas dominium retinet ; quin & potest à domino divendi : loquimur enim hic de servitute proprie dicta, vi cujus dominus potestatem habet vendendi servum, ut fit apud Turcas. Ut autem possit dominus citra injuriam patriæ auctoritatis parvulum baptisare, satis est quod possit illum à patre separare, & illis, prout libuerit, uti ; ergo &c.

Non fit etiam irreverentia Sacramento, cum supponantur illi infantes à parentibus Infidelibus avulsi, atque bonis & christianis imbui documentis.

Eadem ratione concluditur infantem in periculo mortis constitutum baptisari posse, licet suis relinquatur parentibus Infidelibus : quia scilicet vel tollitur periculum irreverentiæ Sacramenti, per mortem mox sequututam infantis ; vel si supponatur à periculo liberari, tollitur irreverentia per præceptum proprium in materia sacramentorum, ut nempe periculo exponi possit Sacramentum, quando homo in extrema necessitate positus est, quia nempe Sacramenta in gratiam hominum instituta sunt, non vero homines in gratiam Sacramentorum. Ad hoc mortis periculum respexit haud dubie S. Augustinus, cum Lib. de gratia & libero arbitrio c. 22. scribit : “ Aliquando filiis Infidelium præstatur hæc gratia, (*ut baptisentur*) cum occulta Dei providentia in manus piorum quomodocumque perveniunt.

To. 10. p. 742. G.

Solvuntur Objectiones.

Objicies 1. cum Launoio : Constat ex multis factis & exemplis piissimorum Principum, jure ac licite Infideles ad Baptismum compulsos fuisse.

Ex Chilperico qui, referente Gregorio Turonensi L. 6. Historiæ Francorum cap. 17. multos Judæos baptisari mandavit, ex quibus plures ille ex sacro Lavacro suscepit.

Vivebat circa finem sæculi sexti ; regnavit enim an. 571. Obiit 644.

Ex Dagoberto qui, teste Auctore vitæ S. Amandi Trajectensis apud Surium die sexta Februarii, Litteras concessit S. Amando Trajectensi Episcopo, ut Infideles Gandavenses cogeret ad Baptismum.

Ex Carolo Magno qui, ut testantur Francorum Annales qui incipiunt ab anno 707. & desinunt in annum 800. apud Duchesne Tom. 2. Saxones ad Baptismum percipiendum coegit : quod factum probavit Adrianus I. S. Pontifex Ep. 8. ad Carolum Magnum, quæ extat Tomo 2. Conciliorum Galliæ.

Ex Sisebuto Hispaniarum Rege qui, referente Baronio ad an. Christi 614. n. 39. Judæos ad Baptismum quoque coegit ; quod certe à nullo Hispaniæ Episcopo, nullo Concilio fuit improbatum.

Regnare cœpit an. 616.

Resp. 1. exempla ista apposita non esse ad mentem nostræ Conclusionis, quæ non de adultis, sed de infantibus sub patria auctoritate constitutis loquitur. Etsi vero constaret exemplis quæ profert Launoius, licitum aliquando esse Infideles ad Baptismum motivis quibusdam timoris ac pœnæ adducere, sicut docet S. August. Ep. 93. alias 48. ad Vincentium, non sequitur licitum esse infantes aut à parentibus abstrahere, aut iis invitis, & in eorum potestate relictos, baptisare.

Tom. 2. p. 230. D.

Resp. 2. morem cogendi Judæos ad Baptismum percipiendum, non approbasse Ecclesiam.

Non approbavit Ecclesia Hispanica in IV. Concilio Toletano an. 633. Can. 57. ubi sic statuit : “ De Judæis præcepit sancta Synodus, nemini deinceps ad credendum vim inferre : cui enim vult Deus miseretur, & quem vult indurat. Non enim tales inviti salvandi sunt, sed volentes ; ut integra sit forma justitiæ : sicut enim homo proprii arbitrii voluntate serpenti obediens periit ; sic, vocante Dei gratia, propriæ mentis conversione quisque credendo salvatur. ” Improbat igitur Concilium Toletanum, quod fecerat Rex Sisebutus, cujus factum refert.

Tom. 5. Conc. p. 1719. B.

Non approbavit Romana Ecclesia : S. enim Gregorius Magnus L. 11. Epistolarum Ep. 15. nunc Lib. 13. Ep. 12. ad Paschasium Episcopum Neopolitanum sic loquitur : “ Qui sincera intentione extraneos à Christiana Religione ad fidem rectam cupiunt adducere, blandimentis non asperitatibus debent studere. *Et postea* : Agendum ergo est ut ratione potius & mansuetudine provocati, sequi nos velint, non fugere. ” Et Ep. 45. L. 1. nunc 47. ad Virgilium Arelatensem, & Theodorum Massiliensem Episcopos, ait quidem se laudare intentionem eorum qui Judæos ad fidem Christi adducere volunt, sed timere ne si coacti ad Baptismum veniant, non prædicationis suavitate, sed necessitate, ad pristinam superstitionem remeantes, inde deterius moriantur, unde renati esse videbantur.

Ibid. D.

Ibid. p. 542. A. B.

Unde his Episcopis auctor fuit S. Gregorius, ut prædicatione, suasione, instructione Judæos ad Christum adducere conentur.

Et S. Nicolaus I. respondens ad consulta Bulgarorum c. 41. “ Porro, *inquit*, illis violentia, ut credant, nullatenus inferenda est. Nam omne quod ex voto non est, bonum esse non potest. Scriptum est enim ; Voluntarie sacrificabo tibi.

Tom. 8. Conc. p. 531. A.

Resp. 3. nequidem ex adductis factis & exemplis quidquam posse adversus consuetudinem Ecclesiæ inferri.

Non ex facto Chilperici : Quia ipse Gregorius Turonensis qui factum refert, illud improbat : ait enim cap. 17. “ hoc modo baptisatos, corpore tantum & non mente fuisse.

P. 292. E.

Non ex facto Dagoberti : Namque licet ipsa Auctor vitæ S. Amandi obtentas à Dagoberto Litteras memoret, non ait tamen potestate per eas facta usum fuisse S. Amandum ; imo multa pro Christi nomine apud Gandavos sustinuisse, “ semperque verbum Dei prædicasse, & quos ex captivitate redimebat, baptisasse.

Non ex facto Caroli Magni. Namque 1. non legimus Saxones ad fidem coactos fuisse, sed eos sponte Religionem Christianam, procurante Imperatore, amplexos fuisse, 2. Alcuinus Epist. 7. quæ est prima apud Duchesne, dicit “ Carolum Magnum sua sollicitudine, devotione & benignitate per veræ salutis consilium, per optimam voluntatem Saxones convertisse. ” Quæ sane loquendi ratio non arguit coactionem & violentiam ; imo addit “ esse instruendos ut præparati recipiant Baptismum.

To. 2. p. 668.

Porro duo ista sunt apprime distinguenda, aliquem invitum & reluctantem baptisare, & aliquem sive minis sive blandimentis adducere, ut velit baptisari : prius nusquam licet, sed posterius. Utrumque recte distinguit Innocentius III. cap. “ Majores de Baptismo. Inter invitum & invitum, *inquit*, coactum & coactum, alii non absurde distinguunt, quod is qui terroribus atque suppliciis violenter attrahitur ; & ne detrimentum capiat, Baptismi suscipit sacramentum, talis (sicut & is qui ficte ad Baptismum accedit) & characterem suscipit Christianitatis impressum, & ipse tanquam conditionaliter volens, licet absolute non velit, cogendus est ad observationem fidei Christianæ. Antea dixerat, Religioni Christianæ esse contrarium, ut ali,

Decret. p. 1387. n. 10.

„ut aliquis semper invitus & penitus contradicens, compellatur ad recipiendam & conservandam fidem „Christianam.” 3. denique, Adrianus 5. Pontifex in Epistola octava gratulatoria ad Carolum Magnum utitur tantum his verbis, *Perduxistis, deduxistis annisu vestro*, (nempe Saxones ad fidem) quæ sane verba coactionem non sonant.

Tom.6. Conc. p. 1775.

Non denique ex facto sisabuti, quod improbatum fuit à Concilio IV. Toletano Can. 55.

Objicies 2. Possunt baptisari filii Hæreticorum; ergo & Infidelium.

Resp. nego consequens & paritatem. Disparitas est, quia Ecclesia jus habet in Hæreticos, tanquam in filios perduelles; at jus non habet in Infideles qui omnino foris sunt. *Quid enim mihi de iis qui foris sunt, judicare?* inquit Apostolus primæ Corinth. 5. v. 12.

Instabis 1. Parentes jus non habent in Baptismum; ergo non possunt ab illo suos arcere infantes.

Resp. dist. ant. jus non habent directum, concedo: indirectum, nego; quia jus habent servandi suos infantes, adeoque impediendi ne à sua subducantur potestate ut baptisantur.

Instabis 2. Possent baptisari infantes dum rationis usum non habent; & postquam ad illum pervenerint, possunt à suis parentibus consentientes avelli.

Resp. nego ant. Manifestum enim foret subversionis periculum, ne scilicet infantes sui ac rationis compotes facti, nec à suis parentibus discedere, nec fidem Christianam in Baptismo perceptam vellent retinere.

Objicies 3. Obedire magis præstat Deo quam hominibus: atqui Deus præcepit omnes baptisari; ergo reclamantibus & invitis parentibus, licet eorum filios baptisare.

Resp. dist. min. Atqui Deus præcipit omnes baptisari, servato jure naturali & reverentia Sacramento debita, concedo: secus, nego. Porro constat ex probationibus, non posse filios infidelium invitis eorum parentibus baptisari, quin violetur jus naturale, & Sacramento inferatur injuria.

Instabis 1. Potior habenda est ratio juris divini quam juris gentium: atqui propter titulum servitutis, quæ jure duntaxat gentium introducta est, possunt Infidelium pueri invitis parentibus baptisari; ergo &c.

Resp. dist. maj. Si jus divinum permittat baptisari infantes eorum Infidelium qui civiliter tantum subjecti sunt Principibus Christianis, concedo: si non permittat, sicut reipsa non permittit, nego. Possunt quidem infantes illi baptisari titulo servitutis per jus gentium introductæ, quia nempe tunc licite à parentibus abstrahuntur, qui naturali, quod in illos habent, jure, si non radicali, saltem actuali per servitutem privantur; adeoque cum ejusmodi infantes sint in potestate dominorum, quibus eorum parentes serviliter mancipantur, possunt iis invitis baptisari.

Instabis 2. Possunt licite infantes à suis avelli parentibus, si pravis moribus ab illis instituantur, aut si periculum sit ne ab illis occidantur; ergo à fortiori possunt ab ipsis abstrahi ut baptisentur: mors quippe animæ majoris longe momenti est, quam mors corporis.

Resp. nego consequens & paritatem. Disparitas est, quia prava morum institutio & vitæ corporis conservatio juris sunt publici, atque Respublica, cujus pax & tranquillitas ex bona civium institutione pendet, auctoritatem suam in res hujusmodi exercere potest; Sacramenta vero juris sunt simpliciter divini positivi, & ad ea illos duntaxat cogere Ecclesia potest, in quos auctoritatem habet ac dominium: sed Ecclesia nullum jus ac dominium habet in Infideles; ergo &c. Fatemur quidem mortem animæ longe majoris esse momenti, quam sit mors corporis, & istam alteri esse postponendam, modo id fiat & ordinata via, non vero inordinata; neque enim facienda sunt mala, ut eveniant bona.

Instabis 3. Capite “Ex litteris. De conversione „Infidelium, *dicitur* quod infans in tali ætate non debeat manere apud illas personas de quibus possit esse „suspicio, quod vitæ vel saluti insidientur illius;” ergo propter necessitatem spiritualem sicut & corporalem possunt infantes à parentibus abstrahi.

Resp. nego conseq. Magna quippe disparitas est casus qui hic proponitur & solvitur, & Conclusionis nostræ. Namque agebatur de infante, quem mater Judæa repetebat, quia minor erat triennio, ac proinde materna cura & solatio egebat; pater è contra ad fidem christianam conversus filium repoltebat. His in circumstantiis respondet S. Pontifex: “Cum filius in „potestate patris consistat, cujus sequitur familiam, Decret. p. 1277. a. 20.
„& non matris; & in tali ætate quis non debet apud „eas remanere personas de quibus possit esse suspicio, „saluti vel vitæ insidientur, patri eumdem filium esse „assignandum.

Unde Concilium Toletanum IV. an. 633. c. 63. statuit sufficere alterutrius parentis, sive patris sive matris, consensum, ut possit infans, altero renitente, baptisari. Tom.5. Conc. p. 1720.

Instabis denique: Possunt Reges & Principes Christiani idololatras à suis nefandis sacrificiis celebrandis terrore legum ac supplicio capitis prohibere. *Quis enim*, ait S. Augustinus alloquens Donatistas in Epist. 93. alias 48. ad Vincentium, “non laudat leges ab „Imperatoribus latas adversus sacrificia Paganorum? Tom.2. 234. C.
„Et certe longe ibi pœna severior constituta est; illius „quippe impietatis capitale supplicium est.” Ergo possunt etiam omni falsa Religione à suis ditionibus expulsa, subditos suos ad veram etiam invitos cogere.

Resp. nego consequens. Ista enim duo sunt plane diversa, alicui interdicere cultum impiæ Religionis, & ipsum cogere ad cultum veræ Religionis; prius possunt, & aliquando tenentur exequi Principes, præsertim cum dispar cultus subditos non raro ad discordias ac jurgia incitet, quos in pace ac unione continere, officium est ac jus Principum: at non tenentur, nec debent invitos ac reluctantes Infideles sibi civiliter tantum subditos, ad Baptismum suscipiendum, & profitendum Christianam Religionem tormentorum acerbitate compellere. Laudat citato loco S. Augustinus legem ab Imperatoribus latam, & quidem æquissimam, adversus sacrificia Paganorum; quia penes illos erat usum illorum sacrificiorum, & cultum idolorum intra limites Imperii sui prohibere: at non laudat, quod Paganos istos ad cultum veri Dei invitos compulerit, quæ duo valde diversa sunt.

Quam fidem in infantibus aut supponat aut producat Baptismus.

PRÆNOTANDA.

Observandum 1. duplicem in Baptismo fidem distingui posse, unam actualem quæ præcedit Baptismum, tanquam dispositio quædam necessaria; alteram quæ sequitur Baptismum, & est pars essentialis justificationis, quæ solet appellari habitualis fides.

Observandum 2. Cum SS. Patres ajunt parvulos baptisari in fide parentum vel Ecclesiæ, eos non loqui de fide habituali, sed de actuali; & cum dicimus parvulos baptisari in fide parentum, sensus non est, parvulos justificari formaliter, aut esse fideles aliena fide, sicut nobis imponit Kemnitius; neque etiam sensus est, ut exponit Lutherus, parvulis impetrari fidem, qua justificentur, à fide & precibus offerentium & Eccle-

Ecclesiæ; fidem enim justificantem habent parvuli infusam ex opere operato, seu vi & efficacia Sacramenti, non ex opere operantis ministri. Sensus igitur est, fidem actualem quæ in adultis, cùm baptisantur, requiritur tanquam dispositio ad Baptismum necessaria, in parvulis non esse, sed eam suppleri per fidem Ecclesiæ & offerentium. Unde

Observandum 3. triplicem hic excitari controversiam.

Prima est de fide actuali; an infantes qui baptisantur, talem habeant actualem fidem.

Secunda est de fide habituali; an scilicet illa per Baptismum infundatur parvulis, & an fide Catholica certum sit eam infundi.

Tertia est de natura illius fidei quæ infunditur; an sit qualitas seu habitus infusus ac permanens, an quidlibet aliud ab actu fluente & transeunte distinctum, & quid ea de re fide Catholica sit definitum. Circa quas quæstiones errarunt Novatores, & Scholastici orthodoxi in varias abiere sententias.

Errores & opiniones.

Circa primum; Lutherus L. de Captivitate Babylonica cap. de Baptismo, docere videtur, infantes, cùm baptisantur, habere fidem actualem. Cùm enim dixisset omnia Sacramenta ad fidem alendam fuisse instituta, atque totam justificationem esse à fide; sibi objicit parvulorum Baptismum, qui fidem habere non possunt: cui objectioni respondet 1. infantes credere. 2. eos fidem acquirere, non vi Sacramenti, sed per orationem Ecclesiæ & fidem offerentium; & ita exponit quod vulgò dicitur, parvulis scilicet aliena fide succurri. Quòd verò loquatur de fide actuali, sua et exemplum indicat quo utitur, cujus nempe cor, verbum Dei dum sonat, potens est immutare, licèt non minùs surdum sit & incapax, quàm parvulus. Et in Libro contra Cochlæum ait, *intolerabile esse mendacium, quando baptisans à parvulo quærit an credat, & respondetur pro ipso, Credo. Ut quid enim*, inquit, *interrogas an credat, si certum est eos non credere?*

In Conciliabulo Wittenbergensi an. 1536. Lutherani magistri sui sententiam paulo mitigarunt. Ita circa fidem infantium docent. 1. *Rejiciendum esse errorem illorum qui imaginantur salvari infantes sine aliqua ipsorum actione.* 2. *Etsi non satis assequi valeamus*, inquiunt, *qualis illa sit parvulorum actio, tamen certum esse in eis fieri sanctos & novos motus, sicut in Joanne Baptista, quando exultavit in utero.* 3. *Licet non sit imaginandum quòd infantes intelligant, tamen motus eorum & inclinationes ad credendum & diligendum Deum, similes esse motibus fidei & dilectionis, & hoc intelligendum esse, cum dicuntur infantes credere.* Hanc sententiæ Lutheri mitigationem communiter sequuntur Lutherani.

Calvinus L. 4. Institutionis cap. 16. ad hanc Lutheri sententiam primum inclinavit; eam tamen defendere ausus non est. *Non satis*, inquit paragrapho 18. *in-*
P.495. *tum fuerit hoc adimere Domino, ne sese illis quoquo modo exhibere cognoscendum queat.* Et paragr. 19.
P.496. *Non quod eadem esse fide præditos temerè affirmare velim, quàm in nobis experimur, aut omnino habere notitiam fidei similem* Postea addit, *Deum virtute sua in-*
Ib.n.21. *comprehensa renovare interius infantes.* Omnes Calvini discipuli negant quoque ullam in infantibus baptisatis esse fidem actualem.

Circa secundum Novatores Calvinistæ rati hominem justificari per imputationem justitiæ Christi, qua nostra teguntur delicta, consequenter inficiantur formalem, propriam, internam & inhærentem justitiam infundi parvulis dum baptisantur.

Tempore Magistri Sententiarum, idest duodecimo sæculo, excitata est quæstio, sicut ipse observat Lib. 4. Sententiarum dist. 4. littera H. utrùm parvulis in Baptismo detur gratia, nempe interior & informans. Fuere enim qui id negarent, ut colligitur ex Clemente V. in Concilio Viennensi & Innoc. III. *Contendentes*, ait Vega L. 7. in Concilium Trid. c. 24. *nullam esse justitiam creatam, à qua formaliter homo sit justus, sicut ab albedine est homo albus; sed perinde esse hominem justum, & amicum, & gratum Deo, ab amore quo Deus illum amat, & ad gratiam suam & beatitudinem acceptat, ac Petrus est Joanni amicus & gratus, ab amore quo Joannes Petrum prosequitur.* In hanc sententiam inclinare videtur ipse Magister, tùm loco mox citato, tùm præsertim Lib. 1. dist. 17. ubi docet, *charitatem qua diligimus Deum & proximum, esse Spiritum sanctum, nec illam consequenter esse aliquid creatum*: quæ Magistri opinio tanquam nova & erronea notatur, ac reponitur ad calcem Operis ipsius, inter eos articulos quos cæteri Doctores in ipso improbarunt & rejecerunt, sicut constat ex Altissiodorensi L. 3. Summæ Tractatu 6. cap. 1. ex Guillelmo Parisiensi L. de moribus cap. 4. ex Divo Thoma, Alensi, Alberto & aliis; quamquam Magistrum benignè interpretari conatur Scotus L. 1. Sententiarum dist. 1. art. 3. Et revera ipse Magister L. 4. dist. 4. littera H. ait, *de adultis non dubitari quin gratiam operantem & cooperantem recipiant.* Et Lib. 2. dist. 27. disertè docet, *virtutem esse qualitatem quæ in anima est tanquam forma, & gratiam esse virtutem nobis à Deo infusam.* Sed quidquid sit de Magistri sententia, S. Thomas 3. par. q. 69. art. 9. testatur etiam ætate sua nonnullos dubitasse an infantibus gratia informans & inhærens infunderetur. Fundamentum dubitandi erat, quia inutilis planè ipsis videbatur talis informans & inhærens gratia, quam ad actum redigere, seu qua uti actu non possunt infantes.

Cæteri verò Doctores tanquam rem certam docuere, infantibus, dum baptisantur, concedi fidem & gratiam interiorem informantem, quæ non sit actualis fidei motus, sed aliquid fixum ac permanens ab actibus distinctum.

Circa tertium, nempe naturam illius gratiæ & fidei interioris, an sit vera qualitas seu habitus infusus, fixus & permanens, olim quidem disputatum & dubitatum fuit; at nullus jam Orthodoxus absque temeritate posset istud in controversiam adducere. Verum tota lis in eo est, an sit de fide certum ac definitum, gratiam illam infantibus per Baptismum infusam, esse qualitatem seu habitum supernaturalem animæ inhærentem.

Andreas Vega Franciscanus qui Concilio Tridentino interfuit, L. 7. in illud Concilium c. 24. existimat rem esse à Concilio Tridentino definitam, *tametsi, in-* P.1133.
quit, non sub nomine habituum; adeoque rem esse habendam, sub pœna anathematis tenendam & credendam. Addit ibidem, summa concordia post Magistri tempora Scholasticos Doctores sententiam hanc propugnasse, *non solùm ut probabilem, sed, ut quidam eorum asserio tradiderunt, ut certam & indubitatam, & ab omnibus propter auctoritatem Scripturæ & Sanctorum amplectendam ut veritatem fidei.*

Dominicus Soto è familia Prædicatorum, qui eidem quoque Concilio interfuit, & Opus suum de Gratia eo stante publici juris fecit, non obscurè videtur affirmare, certum quidem esse de fide infundi per Baptismum gratiam interiorem, quæ sit ab actibus aliquid distinctum, sed de fide non esse, eam esse qualitatem seu habitum infusum animæ inhærentem L. 2. de Gratia cap. 18. ait, *ingentem quidem temeritatem esse negare gratiam hanc inhærentem, non tamen esse contra fidem.* Et c. 8. ait, *Concilium consultò abstinuisse à vocabulo habitus, ut rem expressè non definiret.*

Idem tamen Theologus scribens in 4. Librum Sententiarum, insinuat, jam ab Ecclesia definitum esse,

gratiam

gratiam hanc qualitatem esse, seu habitum permanentem, quamquam nec ex proptia sua natura necessaria sit ad justificationem, nec olim ad fidem pertinuerit. Sic loquitur in 4. dist. 1. q. 3. art. 1. *Qui sanè intelligere cupit, quomodo Sacramenta gratiam conferant, id primùm constituat oportet, fingendo nullam ejusmodi qualitatem esse necessariam: nam profectò Patres nunquam de illa disputare cogitarunt, imò res est non adeò antiqua. Enimvero in Concilio Viennensi, propter parvulos ante usum rationis sacro fonte intinctos, sanxerunt ut probabilius, & nuper in Tridentino ut certum, qualitates illas quæ sunt gratia & virtutes baptisatis infundi; sed hoc tantùm à tempore Apostolorum dolli, docereque postmodum posteros contendebant, quod Sacramenta novæ Legis in hoc sensu gratiam conferrent, quòd homines facerent Dei amicos, sive per qualitatem id fiat, sive sine illa, ut inter homines accidit.* Paulò tamen inferius sibi objicit, *jam constitutum esse ab Ecclesia, hominem non fieri gratum nisi per qualitatem ei inhærentem.* Quam quidem objectionem non refellit, sed hac data & non concessa, solvit argumentum sibi propositum, inde scilicet malè inferri, per Sacramenta seu per creaturam illam gratiam seu qualitatem infusam creari.

Et in eundem Librum 4. dist. 6. q. 1. art. 3. conclusione 2. sic scribit: "Quòd gratia Baptismate ablutus in"fundatur, doplicem habere potest sensum; unum quòd "fiat Deo gratus, & hic semper fuit habitus tanquam fi"des Catholica; alter vero sensus est, quod illa gratia sit "qualitas ab homine distincta, divinitus concreata, qua "fiat homo gratus, sicuti est habitus scientiæ & virtutis "acquisitæ: atque hic sensus non est tanquam de fide "usque adeo antiquus, quoniam neque tam planè ex "sacra pagina colligitur. Nam ut distinctione 1. q. 3. "explicuimus, nihil repugnat hominem esse Deo gra"tum absque aliqua sibi inhærente qualitate, sicuti ego "sum gratus amico, eo solùm quòd diligor ab illo. Et "pariter distinguendum est de virtutum infusione: quod "enim fides, spes & charitas sint auxilia quædam specia"lia Dei, quibus nos supra naturam ad credendum mo"vet, & sperandum & amandum, confessio Evangelica "est .... quod autem sint habitus distincti potentiarum, "sicuti acquisiti, nec tam planè colligitur ex sacris Li"teris, nec est tam antiqua Ecclesiæ confessio: imò gra"datim veritas hæc est ab Ecclesia suscepta. Primum "enim Innocentius in capite *Majores. De Baptismo* "Tanquam rem inter Theologos dubiam reliquit, "utrum hoc secundo modo gratia & virtutes per Baptis"mum infundantur: postmodum vero in Concilio "Viennensi pars hæc affirmativa tanquam probabilior, "dictisque sanctorum & doctorum magis concors re"cepta est, quod scilicet tam parvulis quàm adultis in"funditur, ut patet in Clementina fidei Catholicæ, De "summa Trinitate & fide Catholica; & hoc potissi"mum propter parvulos, de quibus majus erat dubium. "Nunc autem novissimè in Concilio Tridentino tan"quam certa veritas est sub hoc verborum tenore decre"ta Sess. 6, Can. 11. Si quis dixerit hominem vivificari "vel sola imputatione justitiæ Christi, vel sola peccato"rum remissione, exclusa gratia & charitate quæ in "cordibus eorum per Spiritum sanctum diffundatur, "atque illis inhæreat; aut etiam gratiam qua justifica"mur, esse tantùm favorem Dei, anathema sit." Hactenus Soto, qui non obscurè docet doctrinam habituum infusorum ad fidem [nempe explicitam] olim non pertinuisse, nunc verò post definitionem Ecclesiæ pertinere, quamquam non sub nomine seu appellatione habitus; id est, rem nomine expressam definitam quidem esse, non ipsum nomen.

Melchior Canus ex eadem familia Prædicatorum, qui Concilio Tridentino etiam interfuit & postea creatus Episcopus Canariensis L. 7. de Locis c. 2. reponit inter quæstiones in Scholis salva fide agitatas, istam, *an gratia qua justificamur sit quædam qualitas animo impressa.* P. 350.

Idem pariter docent Bannes 2. 2. q. 23. art. 2. Medina in primam 2. qu. 100. art. 2. conclusione 2. Ruardus Taperus art. 7. qui est de libero arbitrio. Thomas Stapleton L. 7. de Justificatione c. 8. Albertus Pighius L. 5. de libero arbitrio. His historicè præmissis, sit

PRIMA CONCLUSIO.

Nulla est in infantibus, cùm baptisantur, fides propria actualis, sed hæc per fidem Ecclesiæ & offerentium puerum ad Baptismum, suppletur.

Duæ sunt Conclusionis partes. Prima pars probatur:
Quia fides propria consistit in illustratione mentis rebus
revelatis assentientis, & motione voluntatis: *Credere*
inquit S. Augustinus L. de prædest. SS. c. 2. *nihil aliud* To. 10. p.
est, quàm cum assensione cogitare. At infantes utriusque 791. E.
que sunt incapaces: *Nescire divina parvulos*, inquit S. Tom. 2. p.
Doctor Epistola 187. aliàs 57. ad Dardanum, *qui nec* 681. G.
humana adhuc noverint, si verbis velimus ostendere,
vereor ne ipsis sensibus nostris facere videamur injuriam, quando id loquendo suademus, ubi omnes vires
officiumque sermonis facillimè superat evidentia veri- Ibid. p.
tatis. Ibid. addit infantes suis vagitibus ac fletibus Ba- 686. B.
ptismo potius videri reluctari, quod certè vitio ipsis C.
verti deberet, si uterentur rationis & voluntatis arbitrio. Ibid. D.
Dicimus ergo, pergit S. Doctor, *in parvulis baptisatis, quamvis id nesciant, habitare Spiritum sanctum.* Inde perspicuum est, quàm stolidum sit Lutheri figmentum circa fidem actualem infantium, vixque ille potest è manibus Anabaptistarum effugere. Undique illum isto dilemmate conclusum tenuerunt: Vidistis aliquando infantes dum baptisantur, quàm refugiant, ejulent, obluctentur. Quæro igitur; vel intelligunt quid agant, vel non intelligunt: si non intelligunt, nec credunt; si non credunt, perperam baptisantur, & vicerunt Anabaptistæ: si non intelligunt, sacrilegi sunt, qui sic pervicaciter Sacramenta recusant, nec tam purgantur, quàm maculantur: non igitur baptisentur, & vicerunt Anabaptistæ.

Secunda pars probatur ex eodem S. Augustino Lib. To. 1. p.
3. de libero arbitrio c. 23. n. 67. *Satis piè recteque cre-* 637. F.
dimus, inquit, *prodesse parvulo eorum fidem à quibus*
consecrandus offertur. Et hoc Ecclesiæ commendat saluberrima auctoritas, ut ex eo quisque sentiat quid sibi prosit fides sua, quando in aliorum quoque beneficium, qui propriam nondum habent, potest aliena commoda-
re. Et L. 1. de peccat. mer. & remiss. c. 19. probat infan- To. 10. p.
tes dici posse & debere fideles etsi sensum credendi non 14. E.
habeant, *Quoniam*, inquit, *fidem per verba gestantium* Ibid. p.
quodammodo profitentur. Et ut loquitur c. 27. *in in-* 22. F.
fantibus credere, est baptisari, non credere autem, non baptisari. Nempe fideles appellantur infantes à Sacramento fidei quod percipiunt.

SECUNDA CONCLUSIO.

Fide Catholica certum est infantibus per Baptismum infundi sanctificantem gratiam & fidem, quæ sit aliquid fixum & permanens ab actibus distinctum; & quæ desinente sæculo duodecimo habitus nomine explicari cœpit: utrum autem sit vera qualitas animæ inhærens, verus habitus, fide non constat.

Tres sunt partes Conclusionis. Prima pars probatur ex Scriptura, quæ hominis justificationem iis exprimit terminis, quibus fixum aliquid & permanens in anima designatur.

I. Id evincunt ea testimonia quibus affirmat Deus se permanere & habitare in justis. Joan. 14. vers. 23.

„Si quis diligit me, sermonem meum servabit, & Pater „meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem „apud eum faciemus. 1. *Cor.* 3. v. 16. Nescitis quia „templum Dei estis, & Spiritus Dei habitat in vobis.

II. Probatur ex iis locis in quibus homo dicitur regenerari, novus creari. 1. Petri 1. v. 3. "Benedictus „Deus & Pater Domini nostri Jesu Christi, qui secun„dum misericordiam suam magnam regeneravit nos, „*Ad Titum* 3. v. 5. Secundum misericordiam suam „salvos nos fecit, per lavacrum regenerationis & reno„vationis Spiritus sancti, *Ephes* 4. v. 24. Induite novum „hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia „& sanctitate veritatis." Porro quemadmodum terminus generationis & creationis est aliquid fixum & permanens, ita & regenerationis.

III. Ostenditur iis locis in quibus gratia "diffusa „dicitur in cordibus per Spiritum sanctum qui datus „est nobis, *Rom.* 5. v. 5.

IV. Idem probant ea testimonia quibus gratia dicitur esse" semen Dei, 1. *Joan.* 3. v. 9. pignus hæreditatis *Ephes.* 1. v. 14. signaculum Spiritus sancti," ibid cap. 4. vers. 30.

V. denique probatur ex iis locis quibus dicitur, *impossibile esse sine fide placere Deo*, Hebr. 11. v. 6. Rom. 3 v. 28. "Arbitramur justificari hominem per „fidem;" ex quibus sic arguimus: Nullus Deo placere potest ac de injusto fieri justus, absque fide: atqui infantes Deo placere possunt & fieri justi per Baptismum; ergo necesse est infantes habeant aliquam fidem: non habent porro actualem, ut per se clarum est; ergo habent fidem ab actibus distinctam, quæ habitualis, infusa, & inhærens solet appellari.

Probatur 2. ex Conciliis.

I. Ex Viennensi sub Clemente V. Clementina "de „Summa Trinitate & fide catholica," ubi postquam asseruit unicum esse Baptisma omnibus necessarium, loquens de effectu baptismi varias recenset Theologorum opiniones. "Quibusdam, *inquit*, ex istis dicentibus, „per virtutem Baptismi parvulis quidem remitti cul„pam, sed gratiam non conferri. Aliis è contra asse„rentibus, quod & culpa eisdem in Baptismo remittitur, „& virtutes ac informans gratia infunduntur quoad „habitum, etsi non pro illo tempore quoad usum. Nos „autem attendentes generalem efficaciam mortis Chri„sti, quæ per Baptismum applicatur pariter omnibus „baptisatis, opinionem secundam, quæ dicit tam parvu„lis quam adultis conferri in Baptismo informantem „gratiam, & virtutes, tanquam probabiliorem, & dictis „sanctorum ac doctorum modernorum Theologiæ „magistrorum magis consonam & concordem, sacro „approbante Concilio, duximus eligendam.

Circa quod Clementis V. testimonium duo sunt observanda.

Primum, Theologos illos, quos ait negasse gratiam infundi per Baptismum, egisse tantum de infantibus, non vero de adultis; nullus enim ex antiquis Theologis legitur hanc gratiæ permanentis infusionem negasse respectu adultorum: unde opinio Magistri, quamvis non quemlibet habitum, sed charitatis tantum, negaret, nova semper visa est & ab aliis Theologis rejecta.

Secundum, ejusmodi Theologos non negasse in parvulis, cum baptisantur, aliquid internum, fixum & ab actibus distinctum, per quod formaliter regenerentur; sed tantum negasse illud fixum & ab actibus distinctum, esse habitualem & informantem gratiam, seu qualitatem permanentem & inhærentem per modum habitus. Constat istud ex oppositione sententiæ utriusque, cujus meminit Clemens V. "Quibusdam, *inquit*, ex istis di„centibus, per virtutem Baptismi remitti culpam, sed „gratiam non conferri." Quam? nempe illam quam admittebant alii Theologi de quibus statim loquitur, scilicet "informantem & habitualem gratiam." Idem significat Innocentius III. Extra, "De Baptismo & ejus „effectu. Aliis, *inquit*, asserentibus per virtutem Ba„ptismi parvulis quidem culpam remitti, sed gratiam „non conferri; nonnullis dicentibus dimitti pecca„tum, & virtutes infundi quoad habitum, non quoad „usum." Ergo gratia quam primi Theologi negabant & quam alii contendebant infundi, est gratia habitualis, quatenus habitualis; id est, qualitas fixa & permanens animæ inhærens. Cum igitur Clemens V. sacro approbante Concilio, secundam hanc opinionem tanquam probabiliorem adoptat & suam facit, probabiliorem non appellat eam opinionem quæ justificationem per aliquid internum ac fixum ab actibus distinctum fieri contendit; hæc quippe non modo intra limites probabilitatis continetur, sed certa est certitudine fidei catholicæ: sed probabiliorem eam appellat, quatenus contendit illud fixum & ab actibus distinctum esse veram qualitatem animæ inhærentem, seu habitum.

Decret. p. 1385. n. 10.

II. Probatur ex Concilio Tridentino Sess. 6. c. 7. ubi sic loquitur. "In hac impii justificatione per Spi„ritum sanctum charitas Dei diffunditur in cordibus „eorum qui justificantur, atque ipsis inhæret: unde in „ipsa justificatione cum remissione peccatorum hæc „omnia simul infusa accipit homo per Jesum Christum „cui inseritur, fidem, spem, & charitatem." Charitas vero seu gratia quæ diffundi dicitur & inhærere, haud dubie est aliquid fixum; permanens, ab actibus distinctum, quod habitus nomine solemus appellare, licet eo uti noluerit Concilium, inquit Soto, ne rem expresse definiret. Sed quidquid istud sit, fatendum est esse aliquid internum, inhærens animæ, ab actibus distinctum, quod unum hic contendimus. Et Sess. 7. Can. 13. de infantibus baptisatis sic statuit: "Si quis dixerit, parvulos, eo „quod actum credendi non habent, suscepto Baptismo „inter fideles computandos non esse; ac propterea cum „ad annos discretionis pervenerint, esse rebaptisandos, „anathema sit." Igitur infantes baptisati, juxta Concilium, habent fidem; non habent porro actualem; ergo habitualem, seu eam quæ ab actibus distincta est, & quæ vulgo solet habitualis appellari.

Tom. 14. Conc. p. 759. E.

Ibid p. 779. A.

Denique Can. 11. Sess. 6. sic ait: "Si quis dixerit, „homines justificari vel sola imputatione justitiæ Chri„sti, vel sola peccatorum remissione, exclusa gratia & „charitate quæ in cordibus eorum diffunditur, atque „illis inhæret, anathema sit." Quid est autem gratia interior, diffusa & inhærens? nisi gratia fixa, permanens, ab actibus distincta, quam dicimus habitualem. Igitur fide catholica certum est, justificationem hominis formalem fieri per aliquid internum, fixum & ab actibus distinctum.

Ibid. p. 765. C. D.

Probatur 3. ex constanti SS. Patrum traditione. Semper quippe in Ecclesia Christi creditum est, hominem de injusto fieri justum, de inimico fieri Dei amicum, per aliquid quo interius renovatur & immutatur; sola quippe peccatorum remissio externa est, & hominem interius non mutat; sed illud internum est aliquid fixum ab actibus distinctum, quod in infantibus, qui sunt fidei actualis incapaces, & in adultis cum dormiunt, perseverat.

Hoc evincunt rationes & modi loquendi quibus utuntur SS. Patres, dum agunt 1. eos esse perfectos qui spiritum perseverantem habent. Ita S. Irenæus L. 5. ad versus hæreses c. 6. 2. operationem Spiritus sancti ita esse in homine justo, sicut videndi facultas est in oculo, sicut ars est in artifice. Ita S. Basilius L. de Spiritu sancto c. 26. 3. impressionem gratiæ similem esse picturæ. 4 denique, gratiam esse animæ sanitatem, vigorem, vitam libertatem, Dei filiationem, novam nativitatem ac regenerationem; quæ certe omnia vix explicare possis per aliquid pure externum; igitur important aliquid internum, formale, permanens ac fixum, ab actibus distinctum.

P. 300. n. 1.

Ed. ven. Tom. 2. p. 106. B. C.

Quia

Quin S. Augustinus gratiam illam infantibus per Baptismum infusam disertè agnoscit Lib. 1. de peccat. mer. & remiss. cap. 9. ubi ait, *Christum dare fidelibus occultissimam sui Spiritus gratiam, quam lateater infundit & parvulis.* Et c. 19. dicit infantes esse fideles per Sacramentum fidei. Et L. de gratia & libero arbitrio cap. 20. de infantibus qui quando baptizantur, obluctari solent, inquit, *Haret in illis etiam reluctantibus gratia.*

To. 10. p. 7. B. Ibid. p. 94. Ibid. p. 742. G.

Hinc non immeritò Vega Lib. 7. in Concilium Tridentinum cap. 24. loquens de Decretis ejusdem Concilii mox citatis, asserit, *Patres intellexisse hanc fuisse communem Ecclesiæ fidem, tametsi non sub nomine habituum, neque potuisse a Catholicis Doctoribus diversissimorum temporum summa concordia sententiam hanc tradi, nisi esset a Spiritu sancto, & digna, quæ ab omnibus reciperetur.*

Tertia pars Conclusionis, nempe fide Catholica non esse definitum, illud internum ab actibus distinctum per quod homo formaliter justificatur, esse veram qualitatem & habitum inhærentem ad sensum Scholæ, probatur: 1. Quia fatentibus Vega & Dominico Soto, Concilium Trid. consultò abstinuit à nomine *habitus*, ne rem expressè definiret. 2. Quia Clemens V. laudatus appellat illam habituum doctrinam *probabiliorem* dumtaxat, non verò certam certitudine fidei. 3. Quia Doctores orthodoxi salva fide ita sentiunt, ut Medina, Canus, Bannes, &c. Igitur ad fidem quidem pertinet, formalem hominis justificationem fieri per aliquid internum fixum, ab actibus distinctum; verùm definitum non esse quid illud sit, an qualitas & habitus inhærens, an auxilium seu motio Dei actus & habitus vices supplens: quamquam usus Ecclesiæ jam invaluit, ut illud internum & fixum, habitum appellemus. Et verò nullus fingi potest terminus ad id significandum aptior, & modis loquendi, quibus utitur Concilium Tridentinum, magis accomodatus.

Dices 1. Fides illa habitualis quæ supponitur infundi per Baptismum infantibus, omnino videtur inutilis, cùm in actum exire non possit.

Resp. negn ant. Inservit enim maximè, tum ut infantes verè & formaliter justi sint ac fideles; tùm ut suo tempore, beneficio gratiæ actualis, eos ad actus fidei eliciendos inclinet: atque in eo discrepant habitus infusi ab acquisitis, quòd isti per frequentes actus comparati sint, illi verò à Deo in nobis sine nobis cooperantibus infundantur.

Dicet 2. S. Augustinus frequenter inculcat parvulos dici fideles propter fidem, non quidem propriam sed alienam; ergo nullam in illis agnoscit fidem habitualem: aliàs dixisset infantes fideles appellari à tali fide habituali, Ita Epistola 23. L. 1. de peccat. mer. & remiss. c. 19. & 07. Serm. 14. de verbis Apost. & L. 3. de libero arbitrio c. 23.

Resp. nego consequens; in his quippe locis excludit solùm à parvulis S. Doctor fidem propriam actualem, non vero habitualem, quam diserte agnoscit Lib. 1. peccat. mer. & rem. c. 9. & 19. L. de de gratia & libero arbitrio c. 22. & præsertim L. 3. de peccat. mer. & remiss. c. 2. ubi sic loquitur: *Sicut ergo eorum per quos renascuntur, justitia spiritus rejicit in eos fidem, quam voluntate propria acndum habere potuerunt; sic eorum per quos nascuntur, caro peccati trajicit in eos noxam, quam nondum vita propria cantraxerunt. Et sicut eos vita spiritus in Christo regenerat fideles, sic eos corpus mortis in Adam generaverat peccatores.* Quibus sanè verbis apertè significat sanctus Doctor, parvulos, sicut internum ac propriè dictum contrahunt peccatum nascendo, ita internam ac veram fidem iis infundi quando per Baptismum renascuntur. Cur verò sanctus Doctor talem fidem habitus nomine non designaverit, hæc certè non improbabilis reddi potest ratio, quòd habitus nomen aliquid amplius importet, ex usu

To. 10. p. 72. C.D.

Philosophorum, quàm nudam & quiescentem qualitatem; nempe promptitudinem, facilitatem, & inclinationem seu expeditam motionem ad agendum, quam constat non esse in parvulis; unde consultò S. Doctor à nomine habitus abstinuit.

Dices 3. Parvuli adepto rationis usu actum fidei exercere non possunt, nisi prævia doctrina informentur; ad quid ergo habitualis illa fides, quam supponuntur percepisse in Baptismo?

Jam diximus necessariam illam esse ut infantes fideles sint & Dei filii, non tantùm per extrinsecam quandam imputationem justitiæ Christi, neque per solam peccatorum remissionem, sed per aliquid internum, formale, & proprium; seu per habitum infusum animæ inhærentem, qui ut in actum erumpat opportuno tempore, necessariò requiri & præviam doctrinam, & spiritum interiùs insonantem & moventem per gratiam suam; in quo discrepant habitus infusi ab acquisitis, quod isti cùm sint per frequentes actus comparati, ex sese ad similes actus disponant, moveant, & inclinent, neque tam facilè possint à subjecto dimoveri; habitus verò infusi sunt qualitates veluti sopitæ ac quiescentes, quæ ut in actum erumpant, indigent tum externis, tum internis auxiliis, unde per unum actum contrarium expelluntur. Ita fides, per hæresim; spes, per desperationem, charitas, per peccatum mortale extinguuntur.

De Baptismo adultorum.

Circa Baptismum adultorum duo sunt expendenda.

Primum, an aliquæ requirantur in adultis præviæ dispositiones ad percipiendum Baptismum, & quænam illæ sint; ubi antiqua Catechumenatus Historia paucis retexenda erit.

Secundum, an quilibet adultus, sive sanus, sive infirmus, furiosus; amens, mortuus, aut vivus pro mortuis, baptizari possit & debeat.

An in adultis præviæ ad Baptismum requirantur dispositiones, & quæ.

Dispositiones in adulto requisitæ, necessariæ sunt vel ad veritatem seu valorem Sacramenti, vel ad fructum ejus percipiendum. Consensus seu intentio recipientis Baptismum omnino requiritur, verè seu validè percipiat Baptismum, sicut ostendimus in Tractatu de Sacramentis in genere qu. 4. art. 2. Hic igitur quæstio dumtaxat est de dispositionibus requisitis ad licitè & cum fructu percipiendum Baptismum.

Graviter invehitur S. Basilius Orat. 13. de Baptismo, adversùs eos qui Baptismum ad extremam usque senectutem protrahebant, cùm infirmitas premit, nec satis rationis ac libertatis animo permittit ut sese debitè disponat ac præparet. *Quid exoptas, inquiebas, beneficio febris baptizari, quando nec salutaria verba loqui, nec item audire commodè poteris, morbo caput occupante: non manus in cœlum tollere, non in pedes erigi, non genua adorando flectere, non commodè doceri, non securè ac liberè confiteri, non cum Deo pacisci, non abrenuntiare inimico, fortè nec sestè inter initiandum subsequi; dubitantibus etiam præsentibus, num gratiam sentias, an sine fructu quæ aguntur, accipias.*

CONCLUSIO.

Requiruntur in adultis ad percipiendum cum fructu Baptismum, præviæ dispositiones, nempe fides in Christum, dolor de peccatis, inchoatus DEI amor &c.

Probatur 1. de fide. Tum quia in Scripturis dicitur neminem posse justificari sine fide. Rom. 3. v. 28. *Arbitramur*

bitramur justificari hominem per fidem. Hebr. 11. v. 6. *Sine fide impossibile est placere Deo.* Tum quia Act. 8. v. 37. S. Philippus postulanti Eunucho Baptismum his verbis, *Ecce aqua, quid prohibet me baptisari?* respondet: *Si credis ex toto corde, licet.* Tum denique, quia idcirco Christus Matth. 28. vers. 19. jubet ut priùs Apostoli doceant, quàm baptisent, *Docete, baptisantes.* Unde Marci 16. v. 15. ait: *Qui crediderit & baptisatus fuerit, salvus erit; qui verò non crediderit, condemnabitur.*

De pœnitentia patet ex c. 2. Act. v. 38. ubi S. Petrus plures baptisaturus, postulat ut agant pœnitentiam: *Pœnitentiam,* inquit, *agite, & baptisetur unusquisque vestrum.* Unde & ii qui ad Joannem accede-
T. 231. C. bant ut baptisarentur, *confitebantur peccata sua,* in signum doloris & pœnitentiæ, ad quam Joannis Baptismus excitabat. Hinc est quod S. Justinus Dialogo cum Tryphone asserat, *Baptisma solùm purificare potest pœnitentiam agentes.*

De amore Dei patet, tùm quia Scriptura declarat neminem justitiam consequi, nisi Deum amet. 1. Joan. 3. v. 14. *Qui non diligit, manet in morte.* 1. Corinth. ultimo v. 22. *Si quis non amat Dominum Jesum Christum, anathema sit.* Joëlis 2. v. 12. *Convertimini ad me in toto corde vestro.* Tum quia SS. Patres asserunt pœnitentiam nullam esse sine amore Dei saltem initiali & inchoato. *Pœnitentiam certam facit amor Dei & odium peccati,* ait S. Augustinus; sed de hoc argumento fusiùs & ex professo, ubi de Sacramento Pœnitentiæ, Deo aspirante, disseremus.

To. 14. Conc. p. 758. E. Sufficiat hic unum Concilii Tridentini testimonium ex c. 6. Sess. 6. ubi requirit ad Baptismum, ut qui baptisandus est, fidem habeat, peccatorem se intelligat, Deum, Deum timeat, sibique propitium fore speret, eum tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipiat; odio ac detestatione peccatorum moveatur ad pœnitentiam, quam ante Baptismum agere debet: denique dum proponit suscipere Baptismum, inchoet novam vitam & servet Dei mandata. Harum omnium dispositionum necessitatem adductis Scripturæ testimoniis ibidem confirmat Concilium.

Ratio denique suffragatur, quia qui proprio voluntatis motu à Deo eversus est per actualia peccata, debet propria quoque voluntate ad Deum sese convertere.

Necessitatem illarum omnium dispositionum ad Baptismum semper agnovit Ecclesia, quæ tot prævіis Catechesibus ac probationibus informabat eos qui ad Baptismum aspirabant, sicuti constat ex Historia veteris Catechumenatus.

HISTORIA VETERIS CATECHUMENATUS.

Ut clarior sit & brevior narratio, nonnullis interrogationibus ac responsis eam absolvemus.

Quæres itaque 1. quid sit Catechumenus.

Resp. Juxta vim nominis græci, Catechumenum eum esse cui mysteria fidei vivæ vocis ministerio creduntur, ἀπὸ τοῦ κατηχεῖν, quod est viva voce instruere. Aliis nominibus etiam appellabantur, nempe alumni, audientes; novitioli, catuli adhuc infantiæ recentis, discipuli, tyrones, candidati fidei genus electum &c.

Quæres 2. an antiqua sit Catechumenatus institutio.

Resp.[ad] Affirmativè: jussit enim Christus Apostolis, ut docerent prius gentes, quàm baptisarent. Matth. 28. v. 19. qui ordo respectu adultorum semper fuit observatus.

Quæres 3. quot fuerint antiquitùs gradus seu ordines Catechumenorum.

Resp. Tres fuisse: primus erat audientium, eorum scilicet qui Baptismi desiderio tenebantur, & cœtibus publicis Christianorum, concionibus, instructionibus intereant, ut de mysteriis fidei disserentes Pastores audirent, unde Audientes dicti; nondum tamen nomen suum Catechumenorum albo inscribendum dederant. Hi ex conventibus tempore sacrificii cum ethnicis & pœnitentibus ejiciebantur.

Secundus Catechumenorum gradus eorum erat qui Ecclesiæ nomen dederant, quia genua in Ecclesiis flectebant, & super quibus genuflexis preces & orationes pronuntiabantur. Hi propriè dicuntur Catechumeni; & illi intelliguntur, cum in Sinaxi Diaconus edicebat alta voce, *Quicunque Catechumeni discedite.* Nam priores cum ethnicis sine speciali edicto pellebantur.

Tertius gradus est Competentium seu Electorum, qui scilicet quadragesimali tantum tempore, aut paulo ante Pentecosten, erant in Ecclesiis conspicui; Competentes dicti, *quia,* inquit Isidorus Hispalensis L. 2. de Ecclesiasticis Officiis c. 21. "post doctrinam P. 610. col. 1. G.
„fidei, post continentiam vitæ, ad gratiam Christi percipiendam festinant; ideoque Competentes appellantur, id est, gratiam Christi petentes." Electi quoque dicebantur, quia post diligens examen exacti Catechumenatus segregabantur, & percipiendo Baptismo idonei judicabantur.

Simile quid à paganis observatum legimus erga eos quos suis mysteriis initiabant. "In sacris, *inquit Olympiodorus,* præcedebant publicæ purgationes, deinde has „excipiebant aliæ reconditiores; post has aggregatio„nes; tum sequebantur epoptiæ, id est sacrorum om„nium plena participatio." Solebant etiam nondum mysteriis initiatos ab eorum participatione arcere; hinc solemne istud, *Procul hinc, procul ite prophani.*

Quæres 4. quo ritu Infideles inaugurabantur Catechumeni audientes.

Resp. ritu singulari eos fuisse inauguratos. 1. illis catholica fides exponebatur. 2. exigebatur ab illis vitæ melioris propositum. 3. in illorum ora insufflabatur. 4. frons eorum signo Crucis muniebatur. 5. manus eis cum oratione imponebantur. 6. sal eis degustandum præbebatur. Constant isthæc omnia ex S. Gregorio Magno in suo Sacramento, titulo, *Ad Catechumenum ex Pagano faciendum.* Refert S. Augustinus L. de catechisandis rudibus c. 4. Catechumenis datum olim fuisse panem quemdam benedictum, qui vocabatur panis Catechumenorum, & quædam erat corporis Christi figura.

Quæres 5. quibusnam documentis informarentur Catechumeni propriè dicti, & à quibus; an viri seorsim à mulieribus.

Resp. 1. Catechumenos de fide & moribus fuisse informatos, juxta mandatum Christi Matth. 28. "Docete In Præf.
„baptisantes .... servare omnia quæcunque mandavi p. 6. C.
„vobis." Profundiora tamen fidei mysteria Catechu- Tom. 4.
menis secundi ordinis non fuisse explicata, sed Compe- Conc. p.
tentibus dumtaxat, colligitur ex S. Cyrillo Hierosoly- 1385. E.
mitano, "Pro Catechesi, *inquit,* fueras & tu aliquando „Catechumenus, neque tamen proposita mysteria obi enarrabantur." Et ex Conc. Agathensi c. 13. "Symbolum etiam placuit omnibus Ecclesiis una die, id est „ante octo dies Dominicæ Resurrectionis, publicè in „Ecclesia Competentibus prædicari.

Resp. 2. ordinariè Episcopos, Presbyteros & Diaconos instituendis Catechumenis vacasse; aliquando parentes & susceptores, sicut colligimus ex Concilio Arelatensi Can. 19. & Moguntino c. 47. Fuere etiam in Civitatibus deputati magistri qui catechumenos edocerent; qualis fuit Carthagine Optatus; & apud Alexandriam, non modo Pantænus, sed etiam Clemens, Origenes, Heraclas, & Dionysius, sicut passim narrat Eusebius.

Resp. 3. mares & feminas distinctè ac separatim ad

Catechesim admissas fuisse. Ita colligimus ex Ordine Romano.

Quæres 6. an Catechumeni solerent nomen suum dare, ut inscriberentur eorum albo qui Baptismum exoptabant.

Resp. affirmative. Ita colligimus ex Conc. IV. Tom. 1. Conc. p. 1106. D. Carthaginensi Can. 85. *Baptisandi*, inquit, *nomen suum dent*, & diu abstinenda vini, & carnium, *ac manus impositione crebra examinati, Baptismum percipiant*. Ex Tom. 6. p. 169. & 170. S. Augustino L. de fide & operibus, ubi innuit bis nomen dari solitum fuisse, 1. cum quis fiebat Catechumenus, 2. cum erat Competens.

Quæres 7. quænam Competentibus mysteria exponerentur, & quæ laboriosa ab ipsis exigerentur opera.

Resp. ad primum, altissima fidei mysteria quæ in Symbolo continentur Competentibus exposita fuisse, eosque debuisse Symbolum memoriter scire & recitare. Colligitur ex Concilio Laodiceno can. 46. "Oportet „eos, qui illuminantur, fidem discere, & quinta hebdo- Tom. 1. Conc. p. 1503. D. „madis feria Episcopo renuntiare vel Presbyteris." Ex S. Augustino Serm. 115. de tempore, nunc 241. in Append. "Symbolum, *inquit*, quod vobis traditum sumus, Tom. 5. Append. p. 395. F. „fratres charissimi, comprehensio est fidei nostræ atque „perfectio." Ex Isidoro L. 1. de Ecclesiasticis Officiis cap. 27. "De Dominica Palmarum, *ait*; Hoc autem P. 389. col. 2. A. „die Symbolum Competentibus traditur, propter con- „finem Dominicæ Paschæ solemnitatem; ut quia jam „ad Dei gratiam percipiendam festinant, fidem, quam „confiteantur, agnoscant.

Resp. ad secundum, Competentibus dura & laboriosa pœnitentiæ opera injuncta fuisse; publico scilicet Fidelium cœtui nudis pedibus, tonso capite, cilicio coopertos sistere se præsentes tenebantur; à vino, carnibus, uxoribus abstinere. Constat ex Conc. Carthaginensi IV. Can. 75. ex Tertulliano L. de Baptismo c. 20. P. 232. B. „Ingressuros Baptismum, *inquit*, orationibus crebris, „jejuniis, & geniculationibus & pervigiliis orare oportet, & cum confessione omnium retro delictorum." Confessio porro illa sacramentalis non erat, cum ante Baptismum nullum percipi possit Ecclesiæ Sacramentum. An vocalis & specialis fuerit, an vero generalis tantum hæc confessio, & quidem ab ipsis operibus laboriosis indistincta, non immerito dubitatur: ipse siquidem Tertull. eodem loco ait "nobis esse gratulan- Ibid. „dum, si non publice confiteamur iniquitates aut tur- „pitudines nostras." Post illa vero laboriosa opera, caput lavabatur Competentibus, ne forte, inquit S. Isi- P. 80. col. 1. G. dorus L. 6. Originum c. 18. "observatione Quadrage- „simæ sordidatum ad unctionem accederent." Dies autem Palmarum quo solebat fieri ea capitis ablutio, à plebe vocari solebat *Capitilavium*.

Quæres 8. an fierent scrutinia, & quot, ut vita & mores Competentium probarentur.

Resp. scrutinia celebrari solita fuisse, & quidem numero septem. *Quarta ergo feria*, inquit Rupertus Tom. 2. p. 792. col. 2. Abbas L. 4. de divinis Officiis c. 18. "novæ Ecclesiæ „celebrantur initia, quæ appellantur Scrutinia; Scrutinia vero à scrutando dicuntur, quia perscrutandum „erat in his, qui accedebant, ne qua radix amaritudinis „subesset, veluti fuit in Simone Mago." Illa scrutinia appelat S. Augustinus *examen quod fiebat coram tota Ecclesia*, ut si quis de plebe haberet aliquid contra mores Competentium opponendum, opponeret. Septem numero fuisse colligimus ex Ordine Romano. "Ita tamen agendum est, *inquit*, ut à primo scrutinio, quod in- „cipit tertia hebdomada in Quadragesima, usque in „Sabbatum sanctum in vigilia Paschæ, septem scrutinia „esse debeant, secundum formam septem donorum „Spiritus sancti." In illis scrutiniis appellabantur nomina competentium, & coram omnibus sistebant se, ut deprehendi posset, si quid esset contra eorum mores objiciendum.

Quæres 9. quæ fuerit vetus Disciplina circa eos qui ad Catechumenatum admissi in crimen aliquod labebantur.

Resp. non unam fuisse Ecclesiarum Disciplinam. In Hispania, quinquennium pœnitentiæ imponebatur Catechumeno delatori. Ita Conc. 73. Conc. Eliberitani & can. 45. statuitur, ut "qui Catechumenus aliquando Tom. 1. Conc. p. 978. C. „fuit, & per infinita tempora nusquam ad Ecclesiam „accessit," à Baptismo non excludatur in fine vitæ. Ibid. p. 975. D. Et Can. 68. ut Catechumena quæ per adulterium concepit, & conceptum necavit, in fine baptisetur. In Ori- Ibid. p. 977. E. ente Competentes qui graviter deliquerant, in stationem Catechumenorum secundi gradus; catechumeni vero secundi ordinis, ad Audientium classem remittebantur; Audientes vero si se flagitiis obstrinxissent, ab ipso Ecclesiæ limine pellebantur, & tanquam ethnici habebantur. Constat ex Concilio Nicæno 1. can. 14. "De ca- Tom. 2. Conc. p. 35. C. „techumenis, *inquit*, & qui lapsi, visum est sanctæ & „magnæ Synodo, ut ii tribus tantum annis Audientes, „postea orent cum Catechumenis." Constat etiam ex Tom. 1. Conc. p. 1482. conc. Neocæsariensi Can. 5.

Quæres 10. an Catechumeni præ infirmitate & mortis periculo ante expletum Catechumenatus tempus baptisati, postquam convaluissent, fuerint ad Catechumenatum remissi.

Resp. negative, quia Ecclesiæ semper fuit persuasum, per Baptismum omnem penitus culpam & pœnam deleri & expungi; adeoque baptisatos nullis pœnis remanere obnoxios pro peccatis ante Baptismum perpetratis. Unde Concilium Laodicenum Can. 47. nihil amplius ab ejusmodi baptisatis postulat, quam ut fidem discant: "Oportet, *inquit*, eos qui in morbo Baptismum Ibid. p. 1506. A. „accipiunt, & deinde resurgunt, fidem ediscere, & nosse „quod divino munere digni habiti sunt." At non ita judicatum fuit de peccatis Baptismum subsequentibus, utpote gravioribus: pœnitentes enim qui publicæ pœnitentiæ stadium decurrentes subito morbo correpti absolutionem obtinebant, reddita sanitate ad eum pœnitentiæ gradum remittebantur, in quo morbus eos deprehenderat.

Quæres ultimo, quo temporis spatio definitus esset Catechumenatus.

Resp. variam fuisse Disciplinam. Initio Ecclesiæ cum necessitas postulabat, & perspecta erat petentis Baptismum fides & voluntas, statim ei administrabatur Baptismus, ut constat exemplo Cornelii Centurionis, & Eunuchi. Quin aliquando necessitate urgente Baptismus statim conferebatur, & postmodum instructio sequebatur. Constituta subinde Ecclesia & ipsi reddita pace, Concilium Nicænum I. generale Can. 2. statuit, ne amplius, ut factum fuerat, exiguo tempore Catechumeni in statione remanerent; Concilium Eliberitanum Can. 42. biennium probationis præscribit; Clemens Papa Ep. 3. [si tamen illius est] sex menses determinat; Synodus Agathensis Judæos per octo menses vult probari, c. 34. Vulgo in Oriente & Occidente tempus Catechumenatus quadraginta fuit dierum, ut constat ex S. Hieronymo Epistola ad Pammachium, sancto Cyrillo Hierosolymitano Catechesi 1. mystagogica, S. Augustino Serm. 1. ad Neophytos, Siricio S. Pontifice Epist. ad Hymerium Episcopum Tarraconensem c. 2. Postea tamen tempus illud ad decem & octo dies contractum fuit, cum feria quarta hebdomadæ quartæ Quadragesimæ Catechismus soleret inchoari. Ita colligitur ex Amalario L. de Ecclesiastis Officiis c. 8. Yvone Carnotensi Sermone de Sacramento Neophytorum, Ruperto Abbate L. 4. de Divinis Officiis c. 18. Hugone Victorino L. de Sacramentis c. 17. Qui vero in Pentecoste baptisabantur, totidem diebus ante præparabantur ad Baptismum.

Hæc satis sint de Historia Catechumenatus; qui plura scire voluerit, legat eruditum Opus Vicecomitis Doctoris Collegii Ambrosiani L. 2. de antiquis Baptismi ritibus.

An quis

An quilibet adultus, sive sanus, sive infirmus, amens, furiosus, motuus, vel vivus pro mortuo, possit & debeat baptisari.

Quæres 1. an quilibet adultus cujuscumque nationis sit, sexus vel ætatis, sit baptisandus.

Resp. 1. affirmative, modo adsint prærequisitæ conditiones. Ratio est, quia in Christo Jesu omnes pares sunt. *Quicumque in Christo baptisati estis*, ait Apostolus Galat. 3. v. 27. & 28. " Christum induistis. Non ,,est Judæus, neque Græcus; non est servus, neque liber; ,,non est masculus, neque femina. Omnes enim vos unum estis in Christo Jesu." Hinc est quod Christus indistinctim jusserit omnes gentes baptisari.

Resp. 2. neminem unquam etiam Gentilem à Baptismo repulsum fuisse, si illum in infirmitate peteret, aut aliquando petiisse constaret, etsi inter Catechumenos antea non fuisset adscriptus. Dico si Baptismum peteret; non petenti enim nec desideranti dari non solebat Baptismus, sed petenti nusquam negatus. Colligitur 1. ex Concilio I. Arelatensi Can. 6. " De his qui ,,in infirmitate credere volunt, *inquit*, placuit his debere manum imponi, " id est, Confirmationis Sacramentum concedi; quanto magis Baptismi, sine quo nullum aliud conferri potest Sacramentum? Colligitur 2. ex Concilio Elberitano Can. 39. " Gentiles, *inquit*, si in ,,infirmitate desideraverint sibi manum imponi, si fuerit eorum ex aliqua parte vita honesta, placuit eis manum imponi & fieri Christianos, " supple perfectos per Confirmationem, de qua hic agitur. Si autem Sacramentum hoc Patres illi non denegant Gentilibus illud desiderantibus, quanto minus Baptismum? Colligitur 3. ex Siricio Ep. 1. ad Hymerium Tarraconensem c. 2. ubi sic loquitur: " Quicumque etiam in discri- ,,men naufragii, hostilitatis incursum, obsidionis ambi- ,,guum, vel cujuslibet corporalis ægritudinis desperationem inciderint, & sibi unico credulitatis auxilio poposcerint subveniri, eodem, quo poscunt, momento ,,temporis expetitæ regenerationis præmia consequantur.

Tom. 1. Conc. p. 1427. B.

Ibid. p. 975. A.

Tom. 2. Conc. p. 1018. D.

Quæres 2. an Catechumenis in periculo mortis constitutis & obmutescentibus, Baptismus aliquando negatus fuerit.

Resp. negatum nunquam fuisse, etsi eum præ morbi violentia non possint postulare: ipsa siquidem Catechumeni conditio quædam est continua baptismi postulatio.

P. 25. Probatur 1. ex S. Cypriano Ep. 12. ubi ait: " Si qui ,,fuerint periculo præventi, & in exitu constituti, vigilantia vestra non desit.

2. Ex Conciliis Carthaginensi III. an. 397. Can. 34. ubi ait: " Ut ægrotantes, si per se respondere non possunt, cum voluntatis eorum testimonium hi qui sui ,,sunt periculo proprio dixerint, baptisentur." Ex Carthaginensi IV. an. 398. Can. 76. ubi idem statuitur. Ex Arausicano I. an. 442. Can. 12. " Subito obmutescens, *inquit*, prout status ejus, baptisari aut pœnitentiam accipere potest, si voluntatis, aut præteritæ ,,testimoniorum aliorum verbis habet, aut præsentis in ,,suo nutu.

Tom. 2. Conc. p. 1172. A.

Ibid. p. 1206. A.

Tom. 3. Conc. p. 1449. E.

3. Ex SS. Patribus, Cypriano Ep. 12. & 54. Basilio in Exhortatione ad Baptismum, Chrysostomo Catechesi ad illuminandos, Gregorio Nazianzeno Oratione 40. Augustino L. 1. de adulterinis conjugiis, ubi praxim hanc Ecclesiæ diserte confirmat. Sic loquitur cap. 26. ,,Catechumenis ergo in hujus vitæ ultimo constitutis, ,,si morbo seu casu aliquo sic oppressi sunt, ut quamvis ,,adhuc vivant, petere sibi tamen Baptismum, vel ad interrogata respondere non possint, prosit eis quod eorum ,,in fide Christiana jam notata voluntas est, ut eo modo ,,baptisentur, quomodo baptisantur infantes, quorum ,,voluntas nulla adhuc patuit. " Imo ibid. contendit S. Doctor, Catechumenis qui ad extremum usque spiritum in crimine vixerunt, " si tamen, *inquit*, desperati jacuerint, " Baptismum dandum esse: " Quis enim, *inquit* ,,scit utrum fortassis adulterinæ carnis illecebra usque ,,ad Baptismum statuerant detineri?,, Atque communem ib. occupans objectionem, scilicet moribundos fortasse nolle baptisari, respondet, " non solum incredibile ,,esse, nec in fine vitæ hujus baptisari Catechumenum ,,velle; verum etiam si voluntas ejus incerta est, multo ,,satius esse nolenti dare, quam volenti negare, ubi velit ,,an nolit, sic non apparet, ut tamen credibilius sit, eum, si ,,posset, velle se potius dicturum ea Sacramenta percipere, sine quibus jam credidit non se oportere de corpore exire." Observat ibid. S. Doctor, nonnullos, quos damnare pro sua modestia non audet, in oppositam abire sententiam & praxim.

Vide Mor. in tr. de pœnit. c. 6.

Tom. 6. p. 503. C.

Ibid. E.

Idem quoque docet Augustini discipulus Fulgentius in Responsione ad Ferrandum Diaconum Epist. 12. c. 10. ,,Proinde, *inquit*, firmissime tenenda est illa canonum ,,sententia paternorum, quæ infirmos jubet, si pro se respondere non valeant, sed eorum voluntati testimonium ,,sui periculo proprio dixerint, baptisari. *Rationem addit* "Viderant enim SS. Patres, ream non esse voluntatem ,,quæ impedita cognoscitur, non mutata. *P. 224.*

Quæres 3. utrum Energumeni, amentes, furiosi, sint baptisandi.

Resp. ejusmodi homines, si sani sunt, baptisandos non esse, nisi lucida quædam habeant intervalla, quibus sui compotes facti agnoscant quid percipiant; si vero sunt infirmi, & antea Baptismum postulaverint, conferri illis debet. Ita colligimus ex Concilio Arausicano, I. Can. 15. " Energumenis, *inquit*, catechumenis, quan- ,,tum vel necessitas exegerit, vel opportunitas permiserit, de Baptismate consulendum. *Et Can. 13.* Amentibus quæcumque sunt pietatis conferenda sunt. " Ex ,,Concilio Eliberitano Can 37. " Eos qui ab immundis ,,spiritibus vexantur, si in fine mortis fuerint constituti, ,,baptisari placet." Idem colligimus ex Innocentio III. ,,Cap. " Majores. De Baptismo & ejus effectu. Dormientes, *inquit*, & amentes, si priusquam amentiam incurrerent aut dormient, in contradictione persisterent, ,,quia in eis intelligitur contradictionis propositum ,,perdurare, etsi fuerint sic immersi, characterem non ,,suscipiunt Sacramenti: secus autem si prius catechumeni extitissent, & habuissent propositum baptisandi, ,,unde tales in necessitatis articulo consuevit Ecclesia ,,Ecclesia baptisare, " Excipiendi tamen sunt ii qui velut infantes haberi debent, & proinde baptisandi.

Tom. 3. Conc. p. 1450. B.

Ibid. A.

Tom. 1. Conc. p. 974. E.

Decret. p. 1387. n. 50.

Quæres 4. an mortui sint baptisandi, vel vivi pro mortuis?

Resp. negative. Errorem hunc Cataphrygibus tribuit Philastrius; Marcionitis, Chrysostomus Hom. 40. in caput 15. primæ ad Corinth. Cerinthianis, Epiphanius hæresi 28. n. 6. quamvis de hoc illorum errore Veteres sileant, ut Irenæus, Justinus, Clemens Alexandrinus, & Tertullianus.

Ratio responsionis est, quia mortui sunt extra viæ statum, adeoque nullius Sacramenti percipiendi capaces: vivi autem, etsi pro mortuis orare possint, ac laboriosa pœnitentiæ opera pro illis sustinere, eorum tamen loco baptisari non possunt, quia Baptismus soli prodesse potest suscipienti; ei vero qui illum non recepit, cum peccatum originale dimissum non fuerit, & omnino sit ab Ecclesia alienus, nec Baptismus, nec alia Fidelium suffragia prosunt.

Quid ergo, inquies, sibi vult S. Paulus primæ Cor. 15. v. 29. cum ait: " Alioqui quid facient qui

"baptisantur pro mortuis, si omnino mortui non re-"surgunt? ut quid & baptisantur pro illis?

Resp. In hujus loci expositione multùm desudare Interpretes, quorum novem interpretationes adducit Estius in hunc locum. Sunt qui, *baptisantur*, eo loci interpretantur, *affliguntur.* Sunt qui verum Baptismum intelligunt, & volunt baptisati pro mortuis, idem esse ac baptisari metu mortis, seu propter mortem instantem, quod Clinicis solemne erat; ex quo S. Paulus argumentum colligit pro demonstranda veritate futuræ Resurrectionis; si enim propter mortem quis baptisatur, ut sibi mortuo benè sit; ergo post mortem homo meliori sui parte superstes est, & carnem quam moriendo exuit, resurgendo resumet; ergo futura est corporum resurrectio: quod unum demonstrandum susceperat Apostolus.

QUÆSTIO IV.

De effectibus Baptismi.

MUlta hic quærit S. Thomas, quæ ad duo generatim capita revocari possunt, in quibus omnis Baptismi effectus continetur: nempe ad gratiam sanctificantem, & ad characterem per Baptismum productum. Suprà jam ostendimus Baptismum producere in infantibus fidem ac gratiam sanctificantem habitualem; hic itaque generatim de utroque Baptismi effectu duobus sequentibus Articulis disseremus.

ARTICULUS I.

An Baptismus gratiam sanctificantem, & plenam, tùm quoad culpam, tùm quoad pœnam, peccatorum remissionem conferat.

ERRORES.

CIrca effectus Baptismi errarunt Hæretici per defectum & per excessum: primi veros effectus Baptismo denegarunt, alii falsos affinxerunt.

Quantùm ad primum, nonnulli Origenistæ, teste Proclo Origenista, apud S. Epiphanium hæresi 64. docuerunt peccata sopiri & tegi, non verò radicitùs tolli per Baptismum.

Massaliani dixere Baptisma suscipientibus nihil prodesse. Ita refert Theodoretus Lib. 4. hæretic. fabul.

Nonnulli ætate S. Gregorii Magni idem censuere, sicut colligitur ex L. 9. Epist. 39. nunc Lib. 11. Epist. 45. ubi ait multos accusatos fuisse, quòd dicerent Baptisma peccata penitùs non auferre.

Pelagiani negantes originale peccatum, consequenter negabant illud per Baptismum tolli: imo calumniabantur Catholicos, quasi docerent Baptismum non conferre indulgentiam omnium peccatorum, nec auferre crimina, sed radere. Calumniam refellit S. Augustinus L. 1. contra duas Epistolas Pelagianorum c. 13.

Tom. 14. Conc. p. 392. B. Novatores Lutherani ajunt quidem peccata per Baptismum non imputari, sed negant ea verè tolli & deleri. *In puere* inquit Lutherus articulo 2. ex iis quos Leo X. damnavit, *post Baptismum negare remanens peccatum, est Paulum & Christum simul conculcare.*

Calvinus in Antidoto Conc. Trid. Sess. 5. *Neque per Baptismum*, inquit, *statim uno die extinguitur peccatum; sed quia deletur reatus, imputatione nullum est.*

Quantùm ad secundum, Jovinianus existimavit ita radicitùs evelli peccatum per Baptismum, ut nunquam possit repullulare; adeoque legitimè baptisatum peccare non posse.

Inter Opusc. Novatores superioris sæculi istos quinque effectus Baptismo affingunt: 1. quòd baptisatus damnari non possit, etiamsi velit, nisi nolit credere. 2. quòd Baptismus liberet ab obedientia divinæ legis. 3. quòd liberet ab observandis legibus humanis. 4. quòd liberet ab omnibus votis. 5. quòd sola memoria Baptismi justificet à peccatis quæ fiunt post Baptisma. Huic quintuplici errori totidem Canones opponit Conc. Trid. Sess. 7. de Baptismo, nempe Canonem 6. 7. 8. 9. & 10. Non est hujus loci eos omnes errores & expendere & refellere: legatur Bellarminus Lib. 1. de Baptismo cap. 12. & sequentibus. Edit. Gener. 1514. p. 687.

PRIMA CONCLUSIO.

Baptismus confert gratiam interiorem sanctificantem, per quam baptisatus renascitur, regeneratur, innovatur, fit Dei filius, Christi membrum, unius cum eo spiritus, vitæ æternæ compos &c.

Probatur hi Baptismi effectus ex Scriptura.

Primæ ad Corinth. 6. v. 11. *Abluti estis, sanctificati estis, justificati estis.*

Ad Titum 3. v. 5. *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus sancti.*

Joan. 3. v. 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in Regnum Dei.* Cujus novæ nativitatis rationem exponens Christus, ait: *Non mireris quia dixi; Oportet vos nasci denuo. Quod natum est ex carne, caro est; quod natum est ex spiritu, spiritus est.* Unde baptisati dicuntur infantibus modò genitis similes, ob vitæ scilicet novitatem & interiorem mutationem. *Sicut modo geniti infantes, rationabile sine dolo lac concupiscite*, inquit S. Petrus primæ Epistolæ cap. 2. v. 2.

Galat. 3. v. 26. *Omnes filii Dei estis .... Christum induistis.*

Rom. 8. v. 17. *Si autem filii & hæredes; hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi.*

Rom. 6. v. 3. & 4. *Quicumque baptisati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptisati sumus. Consepulti enim sumus cum illo per Baptismum in mortem; ut quomodo Christus surrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus.*

Ephes. 4. v. 3. *Solliciti*, inquit Apostolus, *servare unitatem spiritus in vinculo pacis. Unum corpus & unus spiritus, sicut vocati estis in una spe vocationis vestræ. Unus Dominus, una fides, unum Baptisma: unus Deus & Pater omnium.*

Clariora sunt hæc Scripturæ testimonia, quàm ulla interpretatione nostra possit lux ipsis afferri.

Hos omnes Baptismi effectus eleganter enumerat S. Chrysostomus Hom. ad Neophytos. *Ecce*, inquit, *libertatis serenitate perfruuntur, qui tenebantur paulò antè captivi; & cives Ecclesiæ sunt, qui fuerunt in peregrinationis errore, & justitiæ in sorte versantur qui fuerunt in confusione peccati. Non enim tantum sunt liberi, sed & sancti; non tantùm sancti, sed & justi; nec solùm justi, sed & filii, nec solùm filii, sed & hæredes; nec solùm hæredes, sed & fratres Christi; nec tantum fratres Christi, sed & cohæredes; non solùm cohæredes, sed & membra; non tantum membra, sed & templum; non tantum templum, sed & organa Spiritus. Vides quot sint Baptismatis largitates? Sed multis quidem videtur cælestem gratiam in peccatorum tantum remissione consistere; nos autem honores computavimus decem.* Et Hom. 1. ad Illuminandos, ait Baptismum appellari lavacrum regenerationis, *quia non solùm nobis peccata remittit, neque solùm delicta purgat; sed ita id præstat ac si denuò generati essemus.* Ed. Paris. 1621. Tom. 2. App. p. 51. A. Ed. nov. Tom. 2. p. 229. E.

Fœcundissimi sunt SS. Patres in enumerandis & extollendis Baptismi effectibus: eorum plurima testimonia suprà retulimus, ubi de necessitate Baptismi agebamus.

SECUNDA CONCLUSIO.

Baptismus perfecte tollit omnia peccata, tam ratione culpæ, quam pœnæ.

Probatur I. ex Scriptura. Act. 2. v. 38. "Pœnitentiam agite, & baptisetur unusquisque vestrum in remissionem peccatorum." Act. 22. v. 16. Paulo dicitur: "Exurge, baptisare & ablue peccata tua.

Quod vero illa peccatorum remissio plena sit atque perfecta, constat ex eadem Scriptura.

Joan. 13. v. 19. "Qui lotus est, non indiget nisi ut pedes lavet, sed est mundus totus. *Rom.* 8. v. 1. Nihil ergo damnationis est in iis qui sunt in Christo Jesu. Quod testimonium intelligitur à Concilio Tridentino de iis qui sunt baptisati: porro "qui baptisati sunt, Christum induerunt. *Galat.* 3. v. 27. & in morte ipsius baptisati sunt, ac consepulti cum ipso, justificati à peccato." Rom. 6. v. 3. Et primæ Cor. 6. v. 11 post enumerata gravissimorum peccatorum genera, sic pergit Apostolus: "Et hæc quidem fuistis, sed abluti estis; sed sanctificati estis, sed justificati estis." Denique primæ Joan. 1. v. 8. "Sanguinis Jesu Christi filii Dei emundat nos ab omni peccato.

Plenam autem esse etiam quoad pœnam remissionem illam peccatorum, colligitur ex iis testimoniis prima Conclusione citatis, in quibus homo dicitur per Baptismum "renasci, regenerari, renovari, ac velut infans modo genitus." Cum vero nova illa nativitas & renascentia omnem penitus culpam abradat & deleat, nihilque veteris hominis remanere permittat, omne quoque pœnæ persolvendæ debitum extinguit. Ita vero perfectam esse hanc peccatorum remissionem, ut non modo non tegantur propter non imputationem, sed etiam radicitus tollantur & deleantur, constat ex modo loquendi ejusdem Scripturæ; tum quia verbum, *renasci, regenerari, renovari*, quo utitur, hoc importat: tum quia ait, nos aqua baptismali *mundari*. Sicut igitur aqua sordes corporis non tegit, sed diluit & mundat, ita aqua baptismalis sordes animæ non tegit, sed omnino abstergit penitusque tollit. Ephes. c. 5. v. 26. "Christus mundavit Ecclesiam lavacro aquæ in verbo vitæ." Hebr. 10. v. 22. "Abluti corpus aqua munda." Hoc prænuntiaverat Ezech. c. 36. v. 25. "Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris." Tum denique, quia id manifeste important exempla quibus Deus utitur apud Isai. c. 1. v. 18. "Si fuerint, *inquit*, peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur; & si fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana alba erunt.

Probatur 2. ex SS. Patribus. Ex infinitis propemodum quæ adduci possent testimoniis, expressiora non nulla seligemus.

P. 224. Ex Tertulliano L. de Baptismo c. 1. "Felix, *inquit*, Sacramentum aquæ nostræ, qua abluti delictis pristinæ cæcitatis, in vitam æternam liberamur. *Et postea*:
Ibid. B. *P.* 225. C. "Quid ergo? Nonne mirandum, & lavacro dilui mortem? *Et c.* 4. Spiritus, *inquit*, supervenit de Cœlis, & aquis superest sanctificans eas de semetipso, & ita sanctificatæ vim sanctificandi combibunt. *Et c.* 5.
P. 226. C. Exempto reatu, eximitur & pœna. Ita restituitur homo Deo, ad similitudinem ejus qui retro ad imaginem Dei fuerat.

Ex S. Clemente Alexandrino L. 1. Pædagogi c. 6.
P. 69. A. "Multis modis, *inquit*, vocatur hoc opus: gratia, illuminatio, perfectum, & lavacrum. Lavacrum quidem, per id quod peccata abstergimus; Gratia autem, qua remittuntur pœnæ quæ peccatis debentur: Illuminatio autem, per quam sanctam illam & salutarem lucem intuemur; hoc est, per quam id quod est divinum perspicimus; Perfectum autem dicimus, cui nihil deest.

Ex S. Gregorio Nazianzeno Orat. 40. "Donum, *Tom.* 1. *p.* 638. D. *inquit*, vocamus gratiam, Baptismum, unctionem, illuminationem, incorruptionis indumentum, regenerationis lavacrum, sigillum, ac denique excellentissimo quovis nomine appellemus." Ac postquam uniuscujusque nominis rationem reddidit, sic concludit: "Hæc Baptismi gratia & facultas est, non orbem terrarum, ut *Ibid. p.* 641. A. olim, aquis obruens, sed uniuscujusque hominis peccatum purgans, easque obstructiones, vel maculas quæ vitio contrahuntur, prorsus abstergens.

Ex S. Gregorio Nysseno Oratione in Baptismum Christi, ubi sic loquitur: "Compunctum notis pecca- *Ed. Par.* 1615. torum, & malis moribus inveteratum gratia regia eo redigimus, ut innocens sit sicut infans. Ut enim mo- *Tom.* 2. *p.* 801. A. do natus puellus à criminibus & pœnis liber est, ita etiam regenerationis puer non habet, cujus nomine causam dicat, ut qui regio dono causæ dictioni exemptus, & à rationibus vitæ reddendis liberatus sit.

Ex S. Hieronymo Ep 82. ad Oceanum. "Omnia *Tom.* 4. *p.* 2. *p.* 648. scorta, *inquit*, & publicæ colluvionis sordes, impietas in Deum, parricidium, & incestus in parentes, atque in extraordinarias voluptates utriusque sexus mutata natura, Christi fonte purgantur &c. Omnia nobis Ba- *Ibid. p.* 649. ptisma condonata sunt crimina; nec post indulgentiam, Judicis metuenda est severitas, dicente Apostolo; Et hæc quidem fuistis, sed abluti estis, &c.

Ex S. Augustino in Enchyridio ad Laurentium c. 64. "Baptismatis munus, *inquit*, contra originale peccatum *Tom* 6 *p.* 220 B. donatum est, ut quod generatione attractum est, regeneratione detrahatur; & tamen active quoque peccata quæcumque corde, ore, opere, commissa invenerit, tollit. Hac ergo excepta magna indulgentia, unde incipit hominis renovatio, in qua solvitur omnis reatus &c Et L. 3. seu Serm. de Symbolo ad Catechumenos c. 10. "Omnia, *inquit*, prorsus delicta delet sanctum *Ibid. p.* 574. D. Baptisma, & originalia & propria; dicta, facta, cogitata, cognita, incognita, omnia dimittuntur. Innovat hominem, qui fecit hominem, donat delicta, qui non quærit merita." Denique L. 2. de peccatorum meritis & remissione c. 28. "Si, *inquit*, continuo post Ba- *Tom* 10. *p* 65. A. ptismum sequatur ex hac vita emigratio, non erit omnino quod obnoxium hominem teneat, solutis omnibus quæ tenebant.

Denique ex Innocentio III. Elucidatione in quartum Psalmum Pœnitentialem. "Sciendum est, *inquit*, quod *Oper. Inn Ed. Colon.* 1575. fides Christi quæ justificat impium, revera mundat à culpa, sed non semper ab omni pœna. Sacramentum vero Baptismi, si digne sumatur, liberat omnino à culpa pariter & à pœna.

Tam certa & constans fuit hæc apud Veteres fides, ut *Tom* 1. *p.* 272. baptisatis nulla imponerent opera laboriosa & satisfactoria. Ita colligimus ex S. Clemente L. 2 Constitutionũ c. 41. S. Basilio in Exhortatione ad Baptismum S. Ambrosio cap. ultimo L. de Elia & jejunio S. chrysostomo Hom. 1. ad baptisandos, & ex S. Greg. Naz. in Oratione 40. ubi sic loquitur: "Ecquando tantum laboris sus- *Tom.* 1. *p* 657. B. ceperis, quantum Æthiopum Regina &c. Et ecce plusquam Salomon hic &c." Hoc argumento, adver- *Ibid.* sus eos qui Baptismum differunt, amplificato sic colligit; "Cum autem tibi nec labore ullo nec opera ulla suscepta, rei expetitæ compotem fieri liceat, quæ tandem stultitia est, donum in aliud tempus rejicere: Sitientes venite ad aquas hortatur Isaias &c. O ingentem benignitatis celeritatem! O facilem contrahendi rationem! Hoc bonum sola voluntate venale tibi proponitur; cupiditatem ipsam Deus ingentis pretii loco habet. Sitit sitiri; bibere cupientibus potum præbet; cum ab eo beneficium petitur, beneficio afficitur.

Probatur denique ex Conciliis Florentino & Tridentino.

Florentinum in Decreto Eugenii, ait morientes *Tom.* 14. *Conc. p.* 159. E. post Baptismum statim ad Regnum Cœlorum pervenire, atque idcirco nullam baptisatis pro pec-

catis præteritis imponendam esse satisfactionem.

Tom. 14. Conc. p. 754. E. Tridentinum Sess. 5. Can. 5. sic decernit ; "Si quis „per Jesu Christi Domini nostri gratiam quæ in Baptis„mate confertur, reatum originalis peccati remitti ne„gat, aut etiam asserit non tolli totum id quod veram „& propriam peccati rationem habet, sed illud dicit „tantum radi aut non imputari, anathema sit.

Dices 1. Remanet in baptisatis concupiscentia : sed illa, teste Apostolo Rom. 7. v. 20. peccatum est.

Resp. cum S. Aug. L. 1. de nuptiis & concupiscentia c. 23. concupiscentiam (secluso voluntatis consensu) non esse formaliter peccatum ; sed eam Apostolo appellari peccatum, quia est à peccato, & ad peccatum inclinat : „Sicut, *inquit S. Doctor*, vocatur lingua lo-
Tom. 10. p. 299 C. „cutio quam facit lingua ; & manus vocatur scriptura, „quam facit manus." Relinquitur autem baptisatis concupiscentia ad agonem & exercitium virtutis. Audiantur Patres Tridentini Sess. 5. in Decreto de peccato originali. "In renatis nihil odit Deus : quia nihil est
Tom. 14. Conc. p. 753. A. „damnationis iis qui vere consepulti sunt cum Christo „per Baptisma in mortem ... ita ut nihil prorsus eos ab „ingressu Cœli remoretur. Manere autem in baptisa„tis concupiscentiam, vel fomitem, hæc sancta Syno„dus fatetur & sentit ; quæ cum ad agonem relicta sit, „nocere non consentientibus, sed viriliter per Christi „Jesu gratiam repugnantibus, non valet ; quinimo qui „legitime certaverit, coronabitur. Hanc concupiscen„tiam, quam aliquando Apostolus peccatum appellat, „sancta Synodus declarat Ecclesiam Catholicam nun„quam intellexisse peccatum appellari, quod vere & „proprie in renatis peccatum sit, sed quia ex peccato „est, & ad peccatum inclinat. Si quis autem contrari„um senserit, anathema sit.

Dices 2. Si remittitur in Baptismo omnia peccati reatus, omnisque pœna, quomodo supersunt pœnalitates quibus baptisati obnoxii sunt ; quales sunt, morbi, fames, sitis, mors ipsa quæ est stipendium peccati ; sublata quippe causa, deberet omnis effectus consequens tolli.

Resp. plures à SS. Patribus rationes & causas afferri, cur omnes illæ pœnalitates relictæ sint in baptisatis.

Tom. 7. p. 177 D. E. Prima, ut Deus ostenderet quid homini culpa mereatur, & quid sua gratia donetur. Ita S. Augustinus L. 14. de Civ. Dei c. 26.

Tom 6. p. 206. Secunda, ut sicut homo in Paradiso deliciarum habuit umbram æternæ felicitatis, ita hac in valle miseriarum umbram haberet damnationis æternæ. S. Augustinus in Enchyridio c. 25.

Tom. 7. p. 328. A. Tertia, ne si adderetur carni felicitas, imminueretur fidei fortitudo. Idem S. Augustinus L. 13. De Civitate Dei c. 4.

To. 10. p. 1343. F. G. & p. 1358. E. Quarta, ut virtus in infirmitate perficeretur, & circumferret homo testimonium sui peccati. Idem S. Augustinus L. 6. Operis imperfecti contra Julianum c. 26. & 29.

Quinta, ut intelligeremus totum Sacramentorum fructum, non ad hanc præsertim vitam temporalem, sed ad æternam referri debere. Idem sanctus Augustinus in Enchyridio c. 6. Eamdem rationem adducit Magister L. 4. dist. 4. littera F.

Ad rationem subjunctam, nempe sublata causa debere tolli omnem effectum, dico id quidem aliquando verum esse posse de causa physica & necessaria, cujus influxus actualis necessarius est ad effectum conservandum ; non vero de causa dumtaxat morali & meritoria, qualis est peccatum : secluso siquidem originali peccato, potuissent istæ pœnalitates esse in statu puræ naturæ, non quidem quatenus pœnalitates, sed ut appendices
Tom. 1. p. 633. A. naturæ, ut esse possent & "proficiendi admonitio, & per„fectionis exordium," ait S. Augustinus L. 3. de libero arbitrio c. 20.

Dices 3. Peccata ante Baptismum commissa puniuntur à Magistratibus Christianis ; non ergo per baptismum omnis pœna remittitur.

Resp. dist. consequens : non remittitur apud homines, quorum interest publica peccata quæ communitatem & pacem perturbant, castigare ac reprimere, concedo ; apud Deum, nego.

Quæres 1. utrum effectus Baptismi æqualis sit in omnibus baptisatis.

Resp. 1. erga infantes propriæ dispositionis incapaces æqualem omnino esse Baptismi effectum.

Resp. 2. erga adultos æqualem esse effectum, quantum ad characterem ; quantum vero ad gratiam, dico æqualiter affectis & dispositis æqualem conferri, inæqualem vero si inæqualiter sint affecti. Colligitur ex Concilio Tridendino Sess. 6. c. 7. ubi asserit in baptisatis justitiam recepti, secundum mensuram quam Spiritus partitur singulis prout vult, & secundum propriam cujusque dispositionem & cooperationem. Ratio est, quia quæ agunt juxta dispositionem subjecti, æqua- Tom. 14. Conc. p. 759. D.
lem vel inæqualem producunt effectum, pro æquali vel inæquali dispositione subjecti ; atqui sic agunt Sacramenta. Etsi enim vi propria & ex opere, ut dicitur, operato gratiam producant, in adultis tamen prævias exigunt conditiones, ut suum in illis effectum sortiantur. Sicut enim agentia naturalia, quæ toto suo impetu agunt, ubi major occurrit in subjecto dispositio, fortius & intensius operantur, ita & nostra Sacramenta.

Quæres 2. quid efficiat Baptismus in homine jam per charitatem perfectam justificato. Ibid. 817. D.

Resp. 1. ex Concilio Tridentino Sess. 14. c. 4. contingere aliquando posse contritionem esse charitate perfectam, & hominem Deo reconciliare priusquam percipiatur Sacramentum ; quo casu docet idem Concilium, reconciliationem ipsi contritioni sine Sacramenti voto quod in illa includitur, non esse adscribendam.

Resp. 2. hoc in casu sex bona enumerari posse quæ ex reali Baptismi perceptione consequuntur. Primum est character baptismalis, quem nemo sine Baptismo realiter percepto consequitur. Secundum, gratiæ augmentum. Tertio, remissio peccatorum quæ post justificationem interim committi potuerunt. Quartum, plena remissio pœnæ temporalis. Quintum, securitas remissionis peccatorum. Cum enim nemini de sua justificatione, nondum percepto Baptismi Sacramento, facile sit præsumendum, securitatem quamdam, id est bonam confidentiam cum tranquillitate conscientiæ præstat Sacramentum, etiam iis qui jam ex contritione perfecta cum voto Sacramenti justificati sunt. Sextum denique, externa seu visibilis incorporatio hominis in Ecclesia Christi.

ARTICULUS II.

De charactere Baptismi, & de Baptismo fictè suscepto ; an recedente fictione reviviscat.

OBservandum 1. de charactere qui per tria Sacramenta imprimitur, & quæ idcirco iterari non possunt, nos generatim jam egisse in Tractatu de Sacramentis in genere, ubi loquendo de celebri controversia Cypriani, Firmiliani & aliorum Rebaptisantium, observavimus eos non idcirco rebaptisasse ab Hæreticis baptisatos, quòd existimarent Baptismum, cum validus est, non imprimere characterem ; sed quòd contenderent nullum planè esse Baptismum ab Hæreticis datum : unde non tam iteratus ipsis videbatur Baptismus, quàm primò legitimè collatus.

Observandum 2. fictionis nomine hic non intelligi simulationem, qua quis dum exteriùs baptisatur, intra

ſe tamen reluctatur Baptiſmo, nec intendit baptiſari; ſed intelligi pravam animi diſpoſitionem, quæ gratiæ baptiſmali obicem & impedimentum opponit.

Obſervandum 3. verbum iſtud *reviviſcere*, denotare effectum Baptiſmi, qui ſpectari poteſt ſive reſpectu peccatorum, quæ Baptiſmum præceſſerunt, ſive reſpectu ipſius fictionis, ideſt peccati quod in ipſa Sacramenti perceptione committitur, ſive denique reſpectu peccatorum ſubſequentium ipſum Baptiſma; & quæritur an recedente fictione, & accedente pœnitentia, Baptiſmus ſuum plenum & integrum conſequatur effectum. Qua in controverſia diſſentiunt more ſuo Scholæ Theologi. Sunt qui omnia peccata, ſive ante, ſive poſt Baptiſmum commiſſa, velint, recedente fictione, virtute Baptiſmi deleri: ſunt qui cenſent ea per pœnitentiam auferri: ſunt qui diſtinguunt inter pœnam & culpam, ac volunt virtute Baptiſmi, recedente fictione, deleri quidem peccata quoad culpam, ſed non deleri quoad pœnam, ſaltem ea quæ poſt Baptiſmum perpetrata ſunt, niſi per pœnitentiam: ſunt denique, qui facta diſtinctione peccatorum quæ ante & poſt Baptiſmum commiſſa ſunt, aut ſimul cum ejus perceptione, docent peccata Baptiſmum antecedentia, recedente fictione, deleri virtute Baptiſmi; peccata vero ſubſequentia deleri per pœnitentiam. His obſervatis, ſit

PRIMA CONCLUSIO.

Baptiſmus imprimit animæ indelebilem characterem, quo fit ut non poſſit iterari.

Probatur 1. Tribus potiſſimum Scripturæ teſtimoniis, quæ SS. Patres de non iterando Baptiſmo interpretantur.

I. Ex capite quarto Epiſtolæ ad Epheſios v. 5. *Unus Dominus*, ait Apoſtolus, *una fides, unum Baptiſma*, quia ſcilicet ſemel tantùm conferri poteſt. Sic exponunt S. Cyrillus Hieroſolymitanus Præfatione in Catecheſes, S. Leo, ut colligitur ex Gratiano in Decreto, *De conſecratione*, diſt. 4. Can. *Non licet*. S. Thomas in 4. diſt. 3. Hugo Lib. 2. de Sacramentis parte 6. cap. 13.

Neque dicas, non minùs fidem unam appellari, quæ tamen poteſt amitti & reparari; namque fides una dicitur ratione objecti & motivi, non ratione ſui; Baptiſmus verò dicitur unus ratione ſui, quia ſemel hominem conſecrat, nec poteſt iterari.

II. Ex cap. 13. Joan. v. 10. ubi Chriſtus ait: *Qui lotus eſt non indiget niſi ut pedes lavet, ſed eſt mundus totus*, quem locum de Baptiſmo nuſquam iterando interpretantur Optatus Lib. 4. S. Ambroſius L. de initiandis cap. 6. S. Auguſtinus L. 2. de Baptiſmo contra Donatiſtas c. 14. & Tract. 57. in Joan. c. 13. S. Bernardus Sermone de Cœna Domini.

III. Ex cap. 6. Epiſt. ad Hebr. v. 4. *Impoſſibile eſt eos qui ſemel ſunt illuminati .... & prolapſi ſunt, rurſus renovari ad pœnitentiam*, quem locum SS. Patres intelligunt de renovatione per alterum Baptiſmum planè impoſſibili. Ita S. Ambroſius L. 2. de Pœnitentia c. 2. S. Epiphanius hæreſi 59. quæ eſt contra Catharos, S. Hieronymus Lib. 2. contra Jovinianum, S. Auguſtinus in inchoatione Commentarii in Epiſtolam ad Romanos, S. Cyrillus Lib. 5. in Joan. cap. 17. S. Damaſcenus L. 4. de fide cap. 10. S. Chryſoſtomus, Theodoretus, Sedulius, Haimo, Theophilactus, Oecumenius in hunc locum.

Confirmatur ex eo quod Novatianis citatum Apoſtoli teſtimonium opponentibus, ut probarent ſemel lapſis poſt Baptiſmum non poſſe Eccleſiam per Pœnitentiam veniam indulgere, reſpondent Eccleſiæ Doctores, Apoſtolum eo loci loqui de Baptiſmo, qui non poteſt iterari, non vero de Pœnitentia, quæ toties poteſt & debet iterari, quoties peccatum fuit.

His teſtimoniis poſitivis addi poteſt & negativum iſtud argumentum; ſcilicet, Multi leguntur in ſacris Litteris baptiſati: at ne unus quidem legitur iterum baptiſatus, ſaltem eorum qui Baptiſmo Chriſti tincti fuerant, ergo evidens eſt argumentum, expreſsè voluiſſe Chriſtum, ut qui ſemel ritè & debitè baptiſatus eſt, iterùm non baptiſetur.

Probatur 2. perpetua Eccleſiæ Traditione, unanimi SS. Patrum conſenſu & Conciliorum auctoritate firmata. Multa in Tractatu de Sacramentis in genere adduximus SS. Patrum, Eccleſiæ tum Græcæ tum Latinæ, teſtimonia, quæ hic rurſus exſcribere opus non eſt: unum tantùm addam, nempe Baptiſmi ſemel ritè & collati iterationem inſtar ſacrilegii ſemper in Eccleſia habitam fuiſſe, ſicut videre eſt apud Gratianum cauſa 1. q. 1. & *De conſecratione* diſt. 4. Quin etiam legibus Imperatorum ultimo ſupplicio, & Canonibus Eccleſiaſticis pœna depoſitionis & irregularitatis puniebantur, qui Baptiſmum iterare auſi fuiſſent. Unde S. Auguſtinus Lib. 2. de Baptiſmo contra Donatiſtas c. 14. ait: *Quid ſit perniciofius, omnino non baptiſari, an rebaptiſari, judicare difficile eſt.* To. 9. p. 107. A.

Hac inſpecta & probata perpetua Traditione tum ſcriptis, tum viva voce ad nos uſque propagata, Eccleſia quæ eſt columna & firmamentum veritatis, adverſùs quam portæ inferi nuſquam prævalebunt, in Concilio Tridentino Seſſ. 7. Can. 11. ſic definivit: *Si quis dixerit, verum & ritè collatum Baptiſmum iterandum eſſe illi qui apud Infideles fidem Chriſti negaverit, cùm ad pœnitentiam convertitur, anathema ſit.* Et Can. 9. de Sacramentis in genere, eadem Seſſione: *Si quis dixerit, in tribus Sacramentis, Baptiſmo ſcilicet, Confirmatione & Ordine, non imprimi characterem in anima, hoc eſt ſignum quoddam ſpirituale & indelebile, unde ea iterari non poſſunt, anathema ſit.* Idem edixerat Concilium Florentinum in Decreto. Tom. 14. Conc. p. 788. B. Ibid. p. 777. C.

Probatur denique rationibus quas adducunt SS. Patres.

Prima petitur ex duplici comparatione qua utitur S. Auguſtinus. Sicut enim (inquit) regale ſignum monetæ impreſſum manet etiam inter hoſtes & peregrinos atque à Rege remotiſſimos; ita ſignum Chriſti impreſſum per Baptiſmum remaneret in iis qui Chriſti caſtris derelictis & abnegata fide, tenentur ſub poteſtate dæmonis. Hac comparatione utitur S. Doctor Lib. 2. contra Epiſtolam Parmeniani cap. 13. Altera comparatio ſumitur ex charactere militari, quam ibidem affert. *An forte*, inquit, *minus hærent Sacramenta Chriſtiana, quàm corporalis hæc nota, cùm videamus nec apoſtatas carere Baptiſmate, quibus utique per pœnitentiam redeuntibus non reſtituitur, & ideo amitti non poſſe judicatur.* To. 9. 45. C.

Secunda ratio eſt, quia Baptiſmus eſt regeneratio & nova quædam nativitas ſpiritualis, Joan. 3. v. 5. Sicut igitur una eſt generatio, ita & regeneratio. Ita S. Auguſtinus Tract. 12. in caput 3. Joannis. To. 3. p. 2. p. 383.

Tertia: Quia Baptiſmus eſt ſimilitudo & repræſentatio mortis Chriſti, quod probat S. Auguſtinus c. 52. Enchyridii, ex Apoſtolo Rom. 6. v. 3. & 4. At Chriſtus, ut ibidem ait Apoſtolus, *ſemel mortuus eſt*. Ita S. Baſilius Lib. de Spiritu ſancto cap. 15. Iſidorus Lib. 2. de Officiis Eccleſiaſticis cap. 24. Damaſcenus Lib. 4. de fide cap. 10. To. 6. p. 215.

Quòd ſi dicas Euchariſtiam eſſe pariter repræſentationem mortis Chriſti, quæ tamen multoties poteſt percipi, reſpondet Eſtius Lib. 4. diſt. 4. parag. 14. *Sacrificium Euchariſtiæ repræſentare mortem Chriſti abſolutè, & quidem eo pacto, ut illa repræſentatio ordinetur ad commemorationem mortis Dominicæ, & gratiarum actionem, quæ frequens & quotidiana debet eſſe, ideoque ipſum rectiſſimè frequentari; Baptiſmo* To. 2. 5. 17. col. 1. C.

autem non absolutè repræsentari mortem Christi, sed quatenus eam semel passus postea resurrexit ad vitam beatam, amplius non moriturus. Repræsentatur autem non in imagine aut in sacrificio, sed in nobis ipsis, qui proinde per Baptismum commori Christo dicimur. Unde & exhortationis materiam accepit Apostolus, ostendens eum qui semel baptisatus est, & per Baptismum peccato mortuus, non debere amplius in veterem relabi servitutem, sed deinceps in novitate vitæ ambulare.

Quarta: Quia peccatum originale semel contractum & deletum nunquam revocatur; ergo nec remedium ad illud expungendum institutum repeti debet.

Quinta: Circumcisio quæ fuit Baptismi figura, repeti non poterat; ergo nec Baptismus.

Sexta: Per Baptismum homo Deo consecratur: at quod semel est consecratum, iterùm non consecratur. Has rationes attingit S. Thomas 3. parte q. 66. art. 9. in corpore.

Quæres an sint baptisandi ii de quorum Baptismo dubitatur.

Resp. si legitimum sit dubium, posse eos baptisari sub conditione, de qua forma conditionali lege, si vacat, quod diximus in Tractatu de Sacramentis in genere Qu. 2. Art. 6.

SECUNDA CONCLUSIO.

Baptismus tum in hæresi, tum in schismate, tum in Ecclesia ipsa catholica fictè susceptus, recedente fictione, omnia peccata quæ ipsum præcesserant, penitùs tollit; peccata verò Baptismum subsequuta, delentur per Pœnitentiam.

Tres sunt Conclusionis partes.

Prima pars de Baptismo in hæresi aut schismate percepto, probatur ex S. Augustino Lib. 3. de Baptismo c. 13. ubi sic loquitur: "Si autem quamvis apud Hæreti-
Tom. 9. p. "cos vel Schismaticos idem sit Baptismus Christi, non
114. C. "tamen ibi operatur remissionem peccatorum, propter "eandem discordiæ fœditatem & dissensionis iniquitatem; tunc incipit valere idem Baptismus ad dimittenda "peccata, cum ad Ecclesiæ pacem venerint: non ut jam "verè dimissa non retineantur, neque ut ille Baptismus "quasi alienus aut alius improbetur, ut aliter tradatur; "sed ut idem ipse qui propter discordiam foris operaba-
Ibid. p. "tur mortem, propter pacem intus operetur salutem."
118. 416. Similia legi possunt c. 18. ejusdem Libri, & L. 2. contra
& 89. Cresconium c. 12 & L. 1. de Baptismo contra Donatistas cap. 12.

Secunda pars, quæ est de Baptismo fictè in Ecclesia catholica percepto, probatur ex eodem S. Augustino L.
Ibid. p. 1. de Baptismo contra Donatistas c. 12. *Sicut autem*,
89. C. inquit, *in illo qui fictus accesserat, fit ut non denuò baptisetur, sed ipsa pia correctione & veraci confessione purgetur, quod non posset sine Baptismo, ut quod antè datum est, tunc valere incipiat, cum illa fictio veraci confessione recesserit.* Et L. 7. c. 53. inquirens in validitatem Baptismi in Ecclesia fictè dati vel accepti, contendit nihil interesse an hoc fiat in Ecclesia an extra Ecclesiam: in Ecclesia autem si factum fuerit, cùm hoc proditur, neminem Baptismum repetere, sed culpam aut excommunicatione puniri, aut pœnitentia sanari.
Ibid. p. *An plus valent*, inquit, *ad confirmandum Sacramentum illi veraces inter quos agitur, quàm ad frustrandum illi fallaces à quibus agitur, & in quibus agitur? Et tamen si postea prodatur, nemo repetit, sed aut excommunicando punitur illa simulatio, aut pœnitendo sanatur.*

Quin & ipsi Donatistæ, etsi concederent Baptismum apud se cum perversa dispositione perceptum, expertem esse gratiæ, eum tamen non repetebant, cùm sublata fictione vires suas exereret. Inde S. Augustinus argumento ad hominem eos premit, & ostendit non esse quoque repetendum Baptisma datum ab Hæreticis, etsi gratia sit destitutum.

Ratio etiam suffragatur: Namque peccatum originale cæteraque ante Baptismum & simul cum perceptione Baptismi commissa, non subjacent Ecclesiæ clavibus; neque enim Sacramentum Pœnitentiæ est per se institutum in remedium peccati originalis, aut actualium quæ antecedunt Baptismum, sed eorum tantum quæ subsequuntur; igitur si remittuntur ejusmodi peccata, ut de facto ea remitti docet S. Augustinus, per virtutem Baptismi remitti necesse est, qui velut flumen, repagulis remotis exundat, ac omni obice sublato, sopitam antea, & quasi suspensam efficaciam suam sortitur.

Unde immeritò Vasquez disputatione 159. cap. 3. n. 35. ait S. Augustinum nullum ex Scripturis, aut Traditione, aut Ecclesiæ definitione, aut ratione argumentum habere, ut Baptismo tribuat privilegium quo possit, recedente fictione, reviviscere. S. quippe Doctor non ex se tale excogitavit & finxit privilegium; sed quod à suis prædecessoribus certa traditione acceperat, hoc ipse propugnavit & asseruit. Inde quòd S. Gregorius Magnus Lib. 9. Epistolarum Epistola 61. nunc Lib. 9. Epist. 67. ait, *ab antiqua Patrum institutione mansisse, ut qui in hæresi baptisati fuerint, aut unctione chrismatis, aut impositione manuum, aut sola professione fidei ad sinum matris Ecclesiæ revocentur.* Et mox subjungit: *Quia sanctum Baptisma, quod apud Hæreticos sunt consecuti, tunc in eis vires emundationis recipit, cùm illi vel per impositionem manus Spiritum sanctum acceperint, vel isti propter confessionem veræ fidei, sanctæ & universalis Ecclesiæ visceribus sunt uniti.*

Tertia pars Conclusionis, nempe peccata post Baptismum commissa remitti per pœnitentiam,

Probatur: Quia Sacramentum Pœnitentiæ, non verò Baptismi, à Christo institutum est in remedium peccatorum, quæ post Baptismum commissa sunt, ista enim subjacent clavibus Ecclesiæ; aliàs Pœnitentia lapsis post Baptismum non esset absolutè necessaria, utpote qui possent, fictione recedente, virtute Baptismi redivivi peccatorum veniam consequi; atqui tamen hoc falsum est, ergo &c.

Idem judicandum de peccato ipso fictionis in quo quis Baptismum percipit; deleri quippè debet per pœnitentiam: tale siquidem peccatum natura posterius est ipso Baptismo; adeoque verum sacrilegium ex indigna Baptismi perceptione: quamobrem necesse est illud per pœnitentiam expiari ac deleri.

Solvuntur Objectiones.

Objicies 1. contra primam & secundam Conclusionis partem. S. Augustinus citato c. 12. Lib. 1. de Baptismo tribuit remissionem peccatorum pœnitentiæ, seu *pia correctioni & veraci confessioni*; non ergo Baptismo redivivo tribuenda est.

Resp. dist. ant. Tribuit pœnitentiæ tanquam removenti prohibens, seu obicem, concedo: tanquam causæ effectrici, nego. Eodem quippe modo peccatorum remissionem in Baptismo fictè in Ecclesia percepto, recedente fictione, tribuit ipsi Pœnitentiæ, quo professioni fidei, in Baptismo extra Ecclesiam percepto, quando baptisatus sese ad Ecclesiam recipit: atqui ita tribuit fidei professioni hanc peccatorum remissionem, ut velit illam se habere tantùm per modum removentis prohibens, non verò per modum causæ verè effectricis; siquidem in utroque isto casu sanctus Doctor asserit, eundem esse Baptismum, qui incipit prodesse propter fidei professionem & conversionem, qui antea inefficax fuerat; igitur virtutem illam adscribit sanctus Doctor Baptismo tanquam causæ verè effectrici, conversioni autem & pœnitentiæ, tanquam conditioni obicem removenti.

Objicies 2. Non amplius existit Baptismus quando fictio

fictio per conversionem tollitur; quomodo igitur potest esse vera causa efficiens remissionis peccatorum?

Resp. 1. Baptismum esse dumtaxat causam moralem efficientem, quæ potest agere etsi actu non existat. Sic v. g. mors & passio Christi semel peracta, causa est moralis meritoria sanctificationis nostræ.

Resp. 2. Baptismum non quidem existere in se, cum sit actio fluens, sed in aliquo suo effectu, nempe charactere, qui, in multorum sententia, tunc Baptismi vices quasi supplens, causa est vera & efficiens renovationis & remissionis peccatorum, quæ recedente fictione homini conceditur.

Objicies 3. Inde sequitur Deum bis contulisse homini eandem facilitatem consequendi per Baptismum plenam & perfectam peccatorum remissionem. 1. quidem cum actu ei confertur Baptismus, 2. cum recedit fictio, in qua receptus fuerat. Atqui tamen SS. Patres affirmant semel in unico Baptismo facilitatem hanc nobis esse à Deo concessam.

Resp. nego sequelam majoris. Cum enim unus & idem sit Baptismus, unus & idem ejus effectus respectu eorumdem peccatorum quæ ante Baptismum commissa sunt, sive nulla sit fictio, sive cum ea sublata vires suas exerit; non bene infertur, semel & iterum nobis concessam esse facilitatem illam qua per Baptismum ab omni peccato perfecte mundamur. Huic quidem objectioni locus foret, si contenderemus omnia peccata post Baptismum commisse deleri virtute Baptismi, quod certe non contendimus, ut ex dictis constat.

Objicies 4. contra tertiam Conclusionis partem. Eadem gratia quæ virtute Baptismi, remota fictione, confertur ut deleantur peccata ante Baptismum commissa, deleri quoque debent ea quæ Baptismum subsecuta sunt; impossibile quippe est, ut unum peccatum sine alio remittatur; ergo peccata quæ post Baptismum commissa sunt, tolluntur per Baptismum, non per Pœnitentiam.

Resp. dist. antecedens. Eadem gratia formaliter sumpta, concedo: principiative, seu sumpta in ratione causæ ac principii illius productivi, nego. Est igitur eadem formaliter gratia per quam delentur peccata quæ Baptismum sive præcesserunt, sive secuta sunt; non potest quippe peccatum sine alio dimitti: cum igitur per Baptismum confertur gratia per quam formaliter delentur peccata quæ ipsum præcedunt, eodem prorsus instanti confertur gratia, qua formaliter remittuntur peccata subsequentia Baptismum; sed illa gratia ab eodem effectivo principio non procedit: prior est à Baptismo, altera vero à pœnitentia, est igitur eadem gratia formaliter quoad suum formalem effectum, sed non eadem quoad principium, seu causam illius productivam.

Objicies 5. Baptisati in hæresi aut schismate olim recepti sunt ab Ecclesia, vel per manus impositionem, vel per confessionem fidei, non vero per Pœnitentiam; ergo censebat Ecclesia, omnia peccata sive quæ ante Baptismum, sive quæ post commissa sunt, deleri per Baptismum redivivum, non vero per Pœnitentiam.

Resp. nego ant. cujus falsitas patebit ex dicendis in Tractatu de Sacramento Confirmationis: semper enim præcedebat Pœnitentia, saltem privata, ipsis Hæreticis aut Schismaticis redeuntibus imposita. Unde S. Augustinus ait *eos aut excommunicatione puniri, aut pœnitentia sanari*.

Objicies 6. Cum S. Augustinus agit de reviviscentia Baptismi inter peccata non distinguit, sed omnia indiscriminatim, sive quæ præcesserunt, sive quæ subsecuta sunt Baptismum, deleri ait per Baptismum, fictione recedente.

Resp. reipsa S. Doctorem distinctionem hanc non adducere, quia ad scopum disputationis quam habebat cum Donatistis, necessaria non erat, neque opportuna: necessaria tamen est illa distinctio ob rationes adductas.

Objicies ultimo: Peccatum fictionis in quo quis Baptismum percipit, non potest deleri per Pœnitentiam, siquidem fictionis peccatum natura prius est Baptismo, ac directe opponitur dispositioni necessariæ ad legitimam ejus perceptionem, quæ Baptismum antecedit.

Resp. nego ant. ejusque probationem. Non enim opponitur tale fictionis peccatum dispositioni necessariæ ad validam Baptismi perceptionem, sed tantum dispositioni necessariæ ad licitam ejusdem perceptionem, quæ natura posterior est valida Baptismi susceptione.

Instabis: Voluntas indigne accedendi ad Baptismum, (in qua consistit fictionis peccatum) natura prior est ipsa susceptione Baptismi, quam voluntas illa imperat.

Resp. dist. ant. Voluntas spectata secundum se, concedo: voluntas ut consummata exterius per indignam Sacramenti perceptionem, nego. Hoc vero posteriori sensu peccatum fictionis completum est; nam essentialiter includit actualem Baptismi prophanationem.

QUÆSTIO ULTIMA.

De Cæremoniis Baptismi.

Integro eoque prolixo tractatu hic opus foret, si singulas Baptismi cæremonias, & numero plures, & antiquitate sua venerandas, & significatione graves ac sanctas exponere vellemus. Legi potest eam in rem Opus eruditum Libris quinque distinctum Josephi Vicecomitis Doctoris Collegii Ambrosiani, cui titulus est, *De antiquis Baptismi ritibus ac cæremoniis*. De iis agunt pariter Ordo Romanus, Alcuinus in Libro de divinis Officiis cap. de Sabbato sancto. Amalarius L. 1. de Officiis Ecclesiasticis, Rabanus de Institutione Clericorum L. 1. Catechismus Conc. Trid. parte 2. n. 6. & Libri omnes Rituales; & inter Recentiores P. Martene de antiquis Ecclesiæ ritibus.

Inter Veteres quoque de iisdem passim mentionem faciunt Tertullianus, qui L. de Corona militis c. 3. sua ætate istas Baptismi cæremonias solitas observari recenset: "Aquam aditurí, *inquit*, aliquanto prius in Ecclesia sub Antistitis manu contestamur non renuntiare diabolo, & pompæ, & angelis ejus. Dehinc ter mergitamur, amplius aliquid respondentes quam Dominus in Evangelio determinavit. Inde suscepti, lactis & mellis concordiam prægustamus. Exque ea die lavacro quotidiano per totam hebdomadam abstinemus. *Pagina 102. A.*

Similia passim narrant S. Cyrillus Hierosolymitanus in Catechesibus, S. Ambrosius in Libris de Sacramentis & de Mysteriis, S. Augustinus in Libris contra Pelagianos, ubi exorcismis aliisque baptismi cæremoniis probat originalis peccati veritatem.

Sufficiat igitur nobis eas cæremonias strictim delibasse; eique ut commodius id exequemur, eas distribuemus in tres classes, quarum aliæ antecedunt, aliæ comitantur, aliæ sequuntur Baptismum.

Cæremoniæ quæ præcedunt Baptismum.

Prima eos spectat qui ad Baptismum vel afferuntur, quales sunt infantes; vel accedunt eumque postulant, quales sunt adulti. Erga istos multa fieri antiquitus solebant quæ supra exposuimus, cum Historiam Catechumenatus percurrimus.

I. Nomen suum dabant.

II. Catechismo seu doctrinæ sacræ elementis imbuebantur.

III. Multis ac laboriosis operibus probabantur.

IV. Scru-

IV. Scrutinia instituebantur numero septem, quibus vitæ eorum probitas cognoscebatur.

V. Satanæ, & pompis, & Angelis ejus renuntiabant.

VI. Variis pulsabantur Interrogationibus, an crederent in Deum Patrem, in Deum Filium, in Deum Spiritum sanctum.

VII. Signum Crucis in fronte & pectore imprimebatur: quin in singulis scrutiniis, vel à Presbyteris, vel à Clericis imprimebatur illud signum Crucis. Hujus cæremoniæ meminit S. Basilius L. de Spiritu sancto c. 27. S. Augustinus L. de catechisandis rudibus c. 20.

VIII. Exorcismis, id est adjuratione quadam certis precibus facta; dæmon ab homine baptisando abigebantur. Hujus cæremoniæ mentionem faciunt S. Justinus Dial. cum Tryphone, Tertull. de Præscriptionibus c. 41. S. Cyprianus Epistola 2. S. Augustinus L. 2. de Gratia & peccato originali c. 40. & L. 2. de nuptiis & concupiscentia c. 26.

IX. Exsufflatio quædam exorcismis addebatur: namque & verbis exorcismorum pelluntur dæmones; & exsufflatione, eorum expulsio, simulque afflatio boni Spiritus denotatur. Ita S. Augustinus L. 6. contra Julianum c. 2. & L. 2. de peccato originali cap. 40. & Lib. 2. de nuptiis & concupiscentia c. 17.

X. Sal degustandum datur; quo significatur vitæ incorruptio ac bonorum operum sapor. Ritum hunc referunt Origines Hom. 6. super Ezechielem, & Conc. Carthaginense III. Can. 5. Alicubi dabatur panis benedictus, ut antea observavimus ex Sancto Augustino L. 2. de peccat. mer. & rem. c. 26.

XI. Nares & aures saliva tanguntur, & dicitur *Ephpheta*, id est, *adaperire*. Hujus ritus meminit S. Ambrosius L. 1. de Sacramentis c. 1. & de iis qui initiantur c. 1.

XII. Sacerdos manus imponit & benedicit. Ita Conc. IV. Carthaginense c. 85. S. Augustin. L. 2. de peccat. mer. & rem. c. 26.

XIII. Unguntur catechumeni oleo benedicto ante Baptismum in pectore & scapulis; ungendi postea chrismate post Baptismum in vertice. Ita S. Clemens L. 3. Recognitionum, S. Chrysostomus Hom. 6. in c. 2. Epistolæ ad Colossenses, S. Ambrosius L. 1. de Sacramentis c. 2. & L. 2. c. 7.

Cæremoniæ quæ Baptismum comitantur.

P.177. Prima est aquæ baptismalis consecratio, de qua sanctus Cyprianus Epistola 70. ad Januarium. *Oportet ergo*, inquit, *mundari & sanctificari aquam prius à Sacerdote, ut possit Baptismo suo peccata hominis qui baptisatur abluere.* Ejusdem consecrationis meminere Tertullianus Lib. de Baptismo c. 4. S. Cyrillus Hierosolym. catechesi 3. S. Gregorius Nyssenus Oratione de Baptismo; S. Epiphanius hæresi 30. S. Chrysostomus in Psalm. 22. S. Ambrosius Lib. 1. de Sacramentis cap. 5. sanctus Augustinus Lib. 6. de Baptismo cap. 25.

Secunda spectat locum & tempus Baptismi.

Quantùm ad locum, tempore Apostolorum quolibet in loco Baptismus conferebatur, ut constat exemplo Eunuchi, qui à Philippo dum iter facerent, baptisatus est; & exemplo S. Pauli Stephanæ domum baptisavit. Idem observatum fuit sæviente persecutione, cùm nondum licitum erat christianis templa publica habere, in quibus Sinaxes suas celebrarent. Reddita autem Ecclesiæ pace, non omnibus in locis, sed in iis tantùm quæ Baptisteria dicuntur, licitum baptisare, secluso tamen casu necessitatis.

Quantùm ad tempus solemniter administrandi Baptismum, varia fuit Disciplina.

I. Ecclesia Romana & Africana aliæque adjacentes, in solemnitate Paschatis & Pentecostes tantùm Baptismum conferre solebant. Constat ex Tertulliano Lib. de Baptismo c. 20. ex Siricio S. Pontifice Epistola ad Himerium Tarraconensem, ex S. Leone Epistola ad Episcopos per Siciliam constitutos, ex S. Gregorio Magno in Sacramentorum Libro. In Ecclesia tamen Africana additus est dies Epiphaniæ, ut testatur Victor Vitensis Lib. 2. de persecutione Vandalica.

II. In Ecclesia Gallicana aliquando soli dies Paschæ & Pentecostes deputati sunt solemni administrationi Baptismatis, ut colligimus ex Gregorio Turonensi L. 5. Hist. Francorum cap. 11. & Lib. 6. cap. 27. & L. 8. cap. 4. & Lib. 10. cap. 15. & ex Fortunato Lib. 3. carmine 7.

In eadem tamen Ecclesia sexto sæculo addita est dies sacra Natalis Domini, & Joannis Baptistæ. Ita colligimus ex Avito Viennensi Episcopo Epistola 41. ex Gregorio Turonensi Lib. 8. Hist. c. 9. Eundem morem ostendit miraculum quod Ebroduni in Natali Domini & in Cœna Dominica quotannis circa Baptisterium à S. Marcellino in ea Urbe erectum, teste Gregorio Turonensi Lib. de gloria confessorum cap. 6. contingebat.

Baptisandi in Natalitiis Christi, Apostolorum ac Martyrum festivitatibus praxis, sexto labente sæculo à Patribus alterius Concilii Matisconensis anno 581. abrogata est, quæ abrogatio extra Gallias vim non habuit.

Apud Hibernos & Anglos solemnior Baptismus olim traditus fuit in Paschate, Pentecoste, Natali Domini & Epiphania. Constat ex Synodo altera S. Patricii c. 19. ex S. Gregorio Magno L. 7. Epistolarum Epistola 30.

Apud Hispanos præter Pascha & Pentecosten, Natalis dies Domini Baptismo consecratus fuit. Patet ex Walafrido L. de divinis Officiis c. 26.

Disciplinam quam hactenus indicavimus, ante duodecimum sæculum apud Occidentales desiisse fidem facit Rupertus Abbas, qui anno 1135. obiit, Lib. 4. de divinis Officiis c. 18. *Postquam*, inquit, *Christianitas crevit . . . quia periculosum erat tantam multitudi-* Tom. 2. p. 791. col. 1. *nem differre, propter occasiones mortis . . . visum est sanctæ Ecclesiæ, passim indulgentia baptisandi concessa, imò oblata, cuncta antevenire pericula.*

In Ecclesia Orientali dies solemnis Baptismi erant Pascha, Pentecostes, & Epiphania Domini. Constat ex sancto Hieronymo Epistola 61. ex sancto Chrysostomo Sermone 36. de Pentecoste, sancto Gregorio Nazianzeno Oratione 39 Lege Goarium in suis ad Euchologium Græcorum notis, eo præsertim loco quo majoris aquæ benedictæ in sanctis Theophaniis ritum describit.

Omni porrò tempore validè posse Baptismum conferri, observat Tertullianus L. de Baptismo c. 19. *Cæterorum*, inquit, *omnis dies Domini est, omnis hora,* Pagina 232. B. *omne tempus habile Baptismo: si de solemnitate interest, de gratia nihil refert.*

Tertia cæremonia est nominis impositio.

Quarta, ut essent susceptores qui baptisatum de sacro Fonte levarent, & posteà diligentiùs eum de fide instituerent. Tertullianus L. de Baptismo eos appellat *sponsores*, quia fidem suam pro baptisato obligant. Vide sanctum Basilium Epistola 128. Sanctum Chrysostomum Hom. 12. in primam ad Corinthios c. 4. S. Augustinum Sermone 116. de tempore.

Quinta, est trina immersio, vel infusio aquæ, de qua superius satis dictum fuit.

Cæremoniæ quæ sequuntur Baptismum.

Prima videtur fuisse osculum pacis, in signum unio-

nis

nis ac fraternitatis cum baptisato, S. Cyprianus Epistola ad Fidum.

Secunda, est unctio chrismatis in vertice, Damasus in vita Sylvestri, Innocentius I. Epistolæ 1. c. 3. S. Ambrosius Lib. 3. de Sacramentis. cap. 1. S. Hieronymus Dial. contra Luciferianos.

Tertia, est cereus accensus, qui datur baptisato in signum fidei & gratiæ acceptæ, & translationis ipsius à potestate tenebrarum ad lumen & sortem Sanctorum. S. Gregorius Nazianzenus Oratione in S. Lavacrum, S. Augustinus in Psalm. 65.

Quarta, est vestis candida, quam ferre solebant à Sabbato sancto usque ad Dominicam in albis. Illius mentionem faciunt S. Dionysius, aut quisquis auctor est Libri de Ecclesiastica Hierarchia c. de Baptismo, S. Ambrosius L. de iis qui initiantur c. 7. S. Augustinus Serm. 157. de tempore.

Ultima, fuit delibatio lactis & mellis, quæ jam in usu non est. Illius cæremoniæ meminere Tertull. L. de corona militis c. 3. & S. Hieronymus Dial. adversùs Luciferianos, ubi ait id fieri solitum in signum novæ infantiæ in Christo. Unde in Missa Dominicæ in albis legitur propter Neophytos istud ex Epistola S. Petri, *Quasi modò geniti infantes lac concupiscite.*

Quæres, an si cogente necessitate Baptismi cæremoniæ omissæ fuerunt, illa recedente supplendæ sint.

Resp. Mentem ac praxim Ecclesiæ semper fuisse, ut supplerentur; habent enim illæ omnes utilitatis plurimum ac pietatis, nec frustra eas Ecclesia instituit ac jussit observari.

Dices: Nonnullæ ex illis, v. g. exorcismi, inutiles prorsus videntur post Baptismum, omnique sensu & effectu carere. Ad quid enim illi instituti sunt, nisi ad expellendum ac fugandum dæmonem? *Exi ab eo, immunde spiritus, & da locum Spiritui sancto paracleto,* ait minister. Atqui per Baptismum jam expulsus fuit dæmon, jam in baptisato Spiritus sanctus inhabitat: quam ergo efficaciam, quam significationem habere possunt illi exorcismi? Nonne Spiritui sancto injuriam inferre potius videri possunt, quasi cum ipso dæmon in homine baptisato cohabitaret? *Quid iniquius, quàm exorcisare Spiritum sanctum?* inquiebat Optatus L. 2. de Schismate Donat. n. 21.

Resp. 1. Ecclesiæ imperanti prompto animo obsequendum esse, tametsi causas & rationes rei imperatæ ignoremus. Velle autem Ecclesiam ut exorcismi suppleantur, ex Rituali Romano cæterisque aliis ferè omnibus particularium Ecclesiarum Libris, ac Provincialibus statutis, ita compertum est, ut negari non possit.

Resp. 2. S. Thomam propositæ objectioni sic respondere 3. p. q. 71. art. 3. ad 3. *Ea,* inquit, *quæ aguntur in exorcismo, ordinantur ad removendum impedimenta; & ideo sine eo potest aliquis consequi effectum Baptismi. Non tamen sunt hujusmodi prætermittenda, nisi in necessitatis articulo; & tunc cessante periculo debent suppleri, ut servetur uniformitas in Baptismo. Nec frustra supplentur post Baptismum: quia sicut impeditur effectus Baptismi, antequam percipiatur; ita potest impediri postquam fuerit perceptus.* Et in 4. Lib. Sentent. dist. 6. q. 2. art. 3. ad 4. *Dicendum,* inquit, *quòd ad hoc quòd uniformitas Baptismi observetur, oportet quòd exorcismus, si prætermissus fuerit, post Baptismum suppleatur; & tunc tantum signat, vel forte additur etiam aliqua cohibitio ab impugnatione diaboli. Nec hoc est inconveniens, cum etiam per aquam benedictam, quæ post Baptismum aspergimur, aliqua potestas dæmonis reprimitur.* Hæc S. Thomas. Sicut igitur gratia virtute Baptismi collata, non obstat quin per cæremonias quæ Baptismum sequuntur, beneficii aliquid spiritualis percipiamus: ita etiam tametsi jam per Baptismum expulsus sit ac conjuratus dæmon, nihilominus cùm accedunt subinde exorcismi, qui omissi fuerant, inutiles omninò ac superflui non sunt; licèt enim dæmonem non expellant, qui jam expulsus est, vires tamen ipsius reprimunt, vim elidunt tentationis, & ardorem concupiscentiæ temperant. Adde quòd quemadmodum iis, qui ex charitate perfecta jam sanctificati accedunt ad Baptismum, inutilis non est Baptismus, imò cùm percipi potest, necessarius, quia nonnisi per ordinem ad illum, & ex voto illius gratia concessa fuit; ita & expulsio dæmonis jam facta, exorcismo subsequenti, quem respiciebat, suo modo tribuenda est.

Optatus loco citato ne verbum quidem habet de Baptismo, & exorcismis illi annexis. Unicè invehitur in audaciam & furorem Donatistarum, qui Catholicos Episcopos & Sacerdotes de gradu suo, infando ac sacrilego ritu, contra jus omne dejecerant; sicque vel ipsimet Spiritui sancto, à quo illi ordinati fuerant, injuriam intulerunt, seu, ut loquitur Optatus, ipsum *Spiritum sanctum exorcisarunt quo nihil iniquius. Perfecti fuerant illi,* ait Optatus, *opere scilicet Dei, qui in ejus nomine fuerant ordinati; & vos contra opus Dei hostiliter militatis .... Quid iniquius, quàm exorcisare Spiritum sanctum, altaria frangere, Eucharistiam animalibus projicere? Docete ubi vobis mandatum est radere capita Sacerdotum, cùm è contrario sint tot exempla proposita fieri non debere.*



TRA-

TRACTATUS
DE
SACRAMENTO
CONFIRMATIONIS.


Uinque de Sacramento Confirmationis Quæstiones proponemus,

Prima, erit de natura & partibus quibus constat.

Secunda, de necessitate.

Tertia, de causis.

Quarta, de effectibus.

Quinta denique, de cæremoniis Sacramenti Confirmationis.

In ipso vero harum Prælectionum limine mora nostro præmittimus Canones Tridentinos circa Confirmationem Sess. 7.

Can. 1. *Si quis dixerit Confirmationem baptisatorum cærimoniam esse, & non potius verum & proprium Sacramentum; aut olim nihil aliud fuisse, quàm Catechesim quandam, qua adolescentiæ proximi fidei suæ rationem coram Ecclesia exponebant, anathema sit.*

Can. 2. *Si quis dixerit, injurios esse Spiritui sancto eos qui sacro Confirmationis chrismati virtutem aliquam tribuunt, anathema sit.*

Can. 3. *Si quis dixerit, sanctæ Confirmationis ministrum non esse solum Episcopum, sed quemvis simplicem Sacerdotem, anathema sit.*

QUÆSTIO I.

De natura, seu partibus quibus constat Sacramentum Confirmationis.

UT natura, & partes quibus constat Confirmationis Sacramentum, rectè, ut par est, intelligantur, quatuor sunt totidem Articulis expendenda.

I. Nomen & definitio Sacramenti Confirmationis,

II. An Confirmatio verum sit & propriè dictum novæ Legis Sacramentum,

III. Quæ sit ejus materia,

IV. Quæ ejusdem forma.

ARTICULUS I.

De nomine & definitione Sacramenti Confirmationis.

VAria sunt apud Auctores Ecclesiasticos hujus Sacramenti nomina: alia petuntur ab ejus materia, alia à forma, alia denique ab ejus effectu.

A materia.

Dicitur 1. *Manus impositio.* Fundamentum habet in Actibus Apostolorum c. 8. v. 17. *Imponebant* (nempe Apostoli) *manus super illos, & accipiebant Spiritum sanctum.* Ita passim Veteres, sanctus Cyprianus Epistola 73. ad Jubajanum, S. Hieronymus Dial. adversùs Luciferianos, S. Augustinus L. 3. de Baptismo contra Donatistas c. 16. & alii.

Dicitur 2. *Sacramentum chrismatis & unctionis*, nempe ab unctione & chrismate, quod solet in illo usurpari. Ita S. Augustinus L. contra Litteras Petiliani c. 104. *Unguenti mysterium*, à S. Dionysio L. de Ecclesiastica Hierarchia c. 4. *Chrisma spiritalis unguenti*, à Theodoreto ad caput 1. Cantici Canticorum, *Chrisma sanctum, & supercœleste*, à Concilio Laodiceno Can. 7. & 48. Denique, *Chrisma salutis*, à S. Leone Serm. 4. de nativitate Domini c. 5.

A forma, aut quasi forma qua administretur, dicitur *Signaculum*, à Cornelio S. Pontifice in sua ad Fabium Antiochenum Epistola apud Eusebium L. 6. Hist. cap. 43. ubi loquens de Novato, qui in lecto baptisatus, Sacramentum Confirmationis subinde percipere neglexerat, ait; *Hoc autem signaculo minimè percepto, quo tandem modo Spiritum sanctum potuit accipere?* Ita pariter appellatur à S. Cypriano Epistola 73. ad Jubajanum, à S. Ambrosio Lib. de Mysteriis seu de Initiandis c. 7. à S. Leone Sermone 4. de nativitate. Communis est apud Græcos præsertim hæc nuncupatio, à quibus Confirmatio σφραγὶς, *signaculum* dicitur. Hinc ista solemnis apud eos inter unguendum forma usurpata, *Signaculum doni Spiritus sancti.* Pagina 294.B.

Ab effectu dicitur *perfectio*, à Concilio Eliberitano c. 38. à S. Ambrosio L. 3. de Sacramentis c. 2. Ratio est, quia homo baptisatus fit perfectè ac planè Christianus per accessionem gratiæ roboratus ac confortatus, quæ propria est Sacramenti Confirmationis. Dicitur 2. *Consummatio*, à Cypriano Epistola citata. Unde S. Th. 3. parte q. 72. art. 1. ad 2. appellat Confirmationem, Sacramentum *plenitudinis gratiæ.* Et in 4. dist. q. 1. art. 1. q. c. ad 1. *Est*, inquit, *plenitudo gratiæ Christianæ sufficiens ad salutem, & hæc datur in Baptismo; & plenitudo gratiæ ad fortiter resistendum, & hæc datur in Confirmatione.*

Dicitur 3. usitato & communi nomine, *Confirmatio*, quia robur & vires subministrat ad fidem Christi intrepidè profitendam. Ita Catechismus conc. Trident. parte 2. n. 17 *Chrismatis Sacramento*, inquit, *adversùs omnes carnis, & mundi & diaboli impetus robustiores fiunt* (baptisati;) *& eorum animus fide omnino confirmatur ad confitendum & glorificandum nomen Domini nostri Jesu Christi, ex quo etiam nomen ipsum inventum esse, nemo dubitat.* Ita quoque Conc. Senonense an. 1528.

Recens non est istud Confirmationis nomen, sed jam pridem à Veteribus usurpatum: à Concilio I. Arausicano an. 442. à tertio Arelatensi an. 455. à S. Hilario Arelatensi, qui subscripsit Concilio I. Arausicano, Homil. de Pentecoste, quæ vulgò cum cæteris sub nomine Eusebii Emisseni laudari solet. Et antea an. 311. à Synodo Romana sub Sylvestro, si fides habeatur Actis quæ Sylvestri nomine circumferunt. Unde Beda qui an. 735. extremum diem obiit, Commentario in Ps. 26. testatur suo tempore unctionem, quæ per manuum impositionem datur ab Episcopis, vulgò Confirmationem appellari solitam fuisse; quo etiam nomine à Conciliis Florentino & Tridentino, & à tota Ecclesia solet appellari. To. 8. p. 558. n. 70

Definitur aut potius describitur Confirmatio, Sacrum

ctum & sensibile signum à Christo Domino institutum, à solis Episcopis tanquam ordinariis ministris collatum, in Religione perpetuum, ad conferendam homini baptisato gratiam roborantem ac confirmantem, qua Christi fidem constanter & intrepidè profiteatur.

Nihil in hac descriptione continetur, quod ad fidem Catholicam non pertineat; ac consultò abstinuimus à facienda mentione vel materiæ, vel formæ, de quibus litigant inter se Scholæ Theologi.

Omnes hujus definitionis partes facilè constant ex iis quæ generatim diximus de definitione Sacramenti. Aliæ quippe tenent locum generis, & communes sunt omnibus Sacramentis nempè quod sit signum sacrum sensibile à Christo Domino institutum, perpetuum in Religione, gratiæ productivum; aliæ verò locum tenent differentiæ, nempe quòd producat gratiam roborantem & confortantem, ad fidem Christi constanter profitendam.

Breviùs Confirmatio definitur: Sacramentum à Christo Domino institutum, quo baptisatis datur Spiritus sanctus, ad fidem Christi constanter & intrepidè profitendam.

ARTICULUS II.

An Confirmatio sit verum & propriè dictum novæ Legis Sacramentum.

ERRORES.

INter veteres Hæreticos soli Novatiani veniunt in suspicionem negati Sacramenti Confirmationis: dico in suspicionem; res enim satis explorata non est, ut pro certa & judicata habeatur. Cornelius quidem S. Pontifex in sua ad Fabium Antiochenum Epistola apud Eusebium L.6.c.43. narrat Novatum, postquam

Pagina 124. D.

à morbo liberatus est, ab Episcopo consignatum non fuisse; an verò ex errore, aut ex sola negligentia omittens ille percipere Sacramentum Confirmationis, non exprimit sanctus Pontifex. Solus Theodoretus Lib. 3. hæreticarum fabularum, de Novatianis ait: *Iis quos baptisant sanctissimum Chrisma non præbent. Quapropter eos qui ex hac hæresi corpori Ecclesiæ conjunguntur, laudatissimi Patres inungi præceperunt.* Verùm alii Scriptores qui de Novatianis locuti sunt, ut Philastrius, S. Epiphanius, S. Augustinus, S. Damascenus, S. Pacianus, de hoc illorum errore prorsus silent; nisi velis S. Pacianum Epistola 3. ad Sympronianum hunc Novatianorum errorem indigitare, cùm ait: *Vestra plebi unde Spiritus, quam non consignat unctus Sacerdos?* Et ante hos omnes Concilium Nicænum I. Can. 8. Novatianorum errores perstringens, omnino silet errasse illos circa Confirmationem.

To.4.p. 129.D.

Biblioth. PP. To.4. par 309. G.

Dallæus Lib. 3. de Sacramento Confirmationis c.17. non altiùs originem, veritatem & præsidium sententiæ Lutheri circa Confirmationem repetit, quàm à Valdensibus, Wiclefitis & Hussitis. Præclara verò antiquitas, quæ undecimum sæculum non antecedit! Præclarum præsidium, quod à Novatoribus rogatur! tales Dallæo antecessores ac patronos non invidemus.

Quamquam neque Valdenses, neque Wiclefitas, neque Hussitas eo in errore Novatoribus nostris præivisse facilè concedimus.

Non Valdenses, qui in sua solemni professione fidei Uladislao Regi Hungariæ oblata, agnoscunt *septem numero Sacramenta*; & de nostro Sacramento Confirmationis ajunt: *Fide ex divinis Scripturis sumpta profitemur temporibus Apostolorum illud observatum fuisse.* Et apud Reinerum c. 5. gloriantur Valenses, quod per manus impositionem Spiritum sanctum conferat. Itaque non circa veritatem Sacramenti Confirmationis errarunt illi, sed 1. circa ejus ministrum, quem ordinarium volebant esse Presbyterum. Ita colligitur ex Reinero. 2. circa consecrationem chrismatis & aquæ Baptismalis, quam dicebant omnino superfluam. Ita Philchdorfius. 3. circa unctionem, quam humanum esse inventum asserebant. Ita Æneas Sylvius. Adde quod apud Reinerum non legi, Valdenses Sacramentum Confirmationis reprobant: sed, *non curant.* Ait quidem eos *omnia Sacramenta damnare*: non quòd omnia rejiciant, nisi velit Dallæus eos & Baptismum, & Eucharistiam pariter rejecisse, quod ille haud dubiè non fatebitur; damnant verò in iis multa quæ immeritò inducta esse contendunt, v. gr. in Baptismo Catechismum, susceptores, & alia hujusmodi.

Biblioth. PP. To. 10. pag. 265. E.

Non Wiclefitas, à Wiclefo sic dicti, Lollardi volgò nuncupati, qui circa annum Christi 1370. exorti sunt. Namque inter articulos Wiclefi in Concilio Constantiensi Sessione 8. damnatos, semel tantùm mentio fit Confirmationis, articulo nempe 28. in quo non veritas hujus Sacramenti, sed minister tantùm impetitur. Tom. 12. Conc. p. 46. E.

En verba hujus articuli, *Confirmatio juvenum, locorum consecratio reservantur Papæ & Episcopis propter cupiditatem lucri temporalis & honoris.* Quapropter Guillelmus Widefordus qui ex professo errores Wiclefi confutavit, istum dumtaxat 28. articulum circa Confirmationem carpit & impugnat.

Non etiam Hussitas, qui & Thaboritæ dicti sunt: quia, teste Ænea Sylvio, isti eadem cum Wiclefo docuere: at Wiclefus non circa substantiam Sacramenti Confirmationis, sed ejus tantùm ministrum, quem volebat esse simplicem Sacerdotem, erravit.

Petrus Vallecernensis Monachus Cistersiensis eum errorem ascribit Albigensibus, Historiæ suæ Albigensium c. 2. sicut & Alanus ipsi coætaneus.

Itaque inter Novatores, Lutherani & Calvinistæ aperta fronte veritatem Sacramenti Confirmationis aggressi sunt, quam dicunt meram esse ac otiosam Baptismi cæremoniam; seu Catechismum quemdam, quo baptisati ab Episcopo interrogati, fidei suæ rationem reddere tenentur.

Ex Canone 1. Conc. Trid. Sess. 7. apertè cognoscitur quis sit error Novatorum circa Confirmationem. Institut. L.4.c.19. p.538.

Inverecundè omninò ac impiè Calvinus *oleum Confirmationis pollutum* appellat *diaboli mendacio*; *abortivam Sacramenti larvam*; *atque inter exitiales satanæ præstigias recensendum esse* contendit. Novatoribus ea quoque in parte adhæsit Antonius de dominis L. 5. de Republ. Eccles. c. 5.

Inter recentiores Calvinistas nullus majori doctrinæ apparatu adversùs Confirmationis Sacramentum scripsit, quàm Joannes Dallæus, editis eam in rem tribus Libris, in quorum primo totus est ut probet Sacramentum Confirmationis nulla arte posse ex sacris Litteris inferri; in duobus verò postremis, omnia Catholicorum argumenta ex SS. Patribus & constanti Traditione Ecclesiæ deprompta, elevare, & alio planè inflectere nititur; sed conatu planè infelici, ut in decursu hujus Tractatus ostendemus. Quod ut distinctiùs exequamur, duo hic sejunctiùs exponenda sunt.

Primum, utrum veritas Sacramenti Confirmationis possit efficaciter probari ex Scripturis.

Secundum, utrum possit probari ex constanti & perpetua Ecclesiæ totius Traditione.

Utrum veritas Sacramenti Confirmationis efficaciter probari possit ex Scripturis.

Opiniones Scholasticorum.

Inter Scholæ Magistros qui existimant Sacramentum Confirmationis non fuisse à Christo, neque ab Apostolis institutum, sed ab iis rem Sacramenti sine Sacramento fuisse collatam, ii consequenter putant, ex

Scripturis colligi non posse veritatem Sacramenti Confirmationis. Ita Alexander Alensis Summæ parte 4. q. 9. membro 1. *Sine prejudicio*, inquit, *dicendum quod Dominus neque hoc Sacramentum, ut est Sacramentum, instituit, neque dispensavit, neque Apostoli. Intelligendum est igitur, quod post Ascensionem Domini congruebat Apostolos confirmare, & illis Spiritum sanctum dari ad robur .... unde Apostoli confirmati sunt à Spiritu sancto immediatè, sine ministerio, & Sacramento; & ipsi deinde confirmabant sine Sacramento .... Sed postquam Apostoli .... defecerunt, institutum fuit hoc Sacramentum Spiritus sancti instinctu in Concilio Meldensi, quantùm ad formam verborum, & materiam elementarem, cui etiam Spiritus sanctus contulit virtutem sanctificandi.* [To.4.p. 198.col.1.]

Hujus opinionis (certè improbabilis, ne quid amplius dicam) meminit S.Th.3. parte q.72. art. 1, ad 1. *Circa institutionem hujus Sacramenti*, inquit, *triplex est opinio. Quidam enim dixerunt, quod hoc Sacramentum non fuit institutum nec à Christo, nec ab Apostolis, sed postea processu temporis in quodam Concilio. Alii vero dixerunt, quod fuit institutum ab Apostolis. Sed hoc non potest esse: quia instituere novum Sacramentum pertinet ad potestatem excellentiæ, quæ competit soli Christo. Et ideo dicendum est, quod Christus instituit hoc Sacramentum, non exhibendo, sed promittendo ..... & hoc ideo quia in hoc Sacramento datur plenitudo Spiritus sancti, quæ non erat danda ante Christi Resurrectionem & Ascensionem,*

Inter eos verò qui existimant Confirmationis Sacramentum fuisse à Christo institutum, alii negant id posse ex sacris Litteris demonstrari, sed ad unam confugiunt Ecclesiæ Traditionem, ut Scotus in 4. dist. 7. ad 1 Gabriel eadem distinctione q. unica. Alii putant ex Scripturis colligi id quidem posse, sed inefficaciter, ut Dominicus Soto in 4. dist. 7. art. 1. Gregorius de Valentia Tom. 4. disput. 5. q. 1. puncto 1.

Inter illos autem qui contendunt probari posse efficaciter ex Scripturis veritatem Sacramenti Confirmationis, alii probant ex c. 19. S. Matth. v. 15. ubi Christus pueris manus imponit. Alii ex cap. 1. v. 21. 2. ad Corinth. ubi Apostolus ait: *Qui autem confirmat nos vobiscum in Christo, & qui unxit nos Deus, & qui signavit nos & dedit pignus Spiritus in cordibus nostris.* Verùm dissimulandum non est, infirmum admodum esse genus hoc argumenti ex istis testimoniis depromptum, atque adversariis nostris cavillandi ac triumphos agendi locum subministrare: tùm quia manus illa impositio qua usus est Christus erga pueros nondum baptisatos, confirmatoria non erat, sed simplex benedictio, quæ hoc ritu solebat à Judæis impendi: tum quia verbum, *confirmare*, &, *ungere*, apud S. Paulum usurpatur pro interna gratiæ Confirmatione & unctione, ut 1. Corinth. 1. v. 6. Coloss. 2. v. 7. Hebr. 2. v. 3. Quamquam dici non immeritò posset, Apostolum citato c. 1. 2. ad Corinth. alludere ad externam unctionem, sicut reverà interpretantur aliqui è SS. Patribus; sed cùm argumentum istud efficax non sit ac peremptorium, omittendum duximus. Alii denique utuntur aliis Scripturæ testimoniis quæ mox proferemus.

Neque est quòd Dallæus nobis objiciat hanc nostrorum Theologorum discordiam. Namque illi omnes unanimi consensu fatentur Confirmationem verum esse Legis novæ Sacramentum, licet disputent de materia & forma & de ministro, & de genere probationum quibus confirmari potest dogma Catholicum. Deinde verò fides Ecclesiæ Romanæ non æstimari debet ex placitis Doctorum particularium, sed ex publicis fidei professionibus ab Ecclesia universa probatis & ubique receptis; atque in hoc luto semper hæret Dallæus, quod privatas nonnullorum Scholasticorum opiniones, tanquam placita & definitiones Ecclesiæ Romanæ nobis obtrudat. His præmissis, sit

CONCLUSIO.

Veritas Sacramenti Confirmationis efficaciter probatur ex sacris Litteris.

Ex cap. 8. Actorum v. 14. & sequentibus: "Cùm "audissent Apostoli qui erant Jerosolymis, quia recepisset Samaria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum "& Joannem; qui cùm venissent, oraverunt pro ipsis, "ut acciperent Spiritum sanctum; nondum in quem-"quam illorum venerat, sed baptisati tantum erant in "nomine Domini Jesu. Tunc imponebant manus su-"per illos, & accipiebant Spiritum sanctum.

Ex cap. 19. v. 5. "His auditis, baptisati sunt in no-"mine Domini Jesu. Et cùm imposuisset illis manus "Paulus, venit Spiritus sanctus super eos, & loqueban-"tur linguis, & prophetabant,

Inde sic efficaciter arguimus: Ad verum & propriè dictum novæ Legis Sacramentum quatuor potissimum requiruntur conditiones. 1. ut sit signum sensibile, 2. ut sit à Christo Domino institutum. 3. ut vim habeat producendi seu conferendi gratiam. 4. ut sit perpetuum in Christiana Religione. Atqui quatuor illæ conditiones apprimè conveniunt Sacramento Confirmationis, & rectè inferuntur ex duplici citato Scripturæ testimonio.

I. Habemus signum sensibile, scilicet *manus impositionem, & orationem.*

II. A Christo Domino institutum esse ritum hunc sensibilem, ipso facto & exemplo Apostolorum constat: neque enim illi nisi jussi, talem ritum usurpassent, & Ecclesiis quas fundarunt, reliquissent. Ut enim rectè ait Tertullianus Lib. de Præscriptionibus c. 21. *Ecclesia ab Apostolis, Apostoli à Christo, Christus a Deo accepit.* [Pagina 209.B.]

III. Signum illud sensibile vim habet conferendi gratiam: *imponebant manus, & accipiebant Spiritum sanctum*, ait sacer Textus. At nemo est in sacris Litteris vel tantisper versatus, qui nesciat per *Spiritum sanctum* intelligi (ubi de effectibus Sacramentorum agitur) gratiam sanctificantem, cujus productio per quamdam appropriationem Spiritui sancto tribuitur.

IV. Denique, signum illud non transitorium & ad tempus institutum fuisse, sed permanens atque perpetuum in Ecclesia, invictè demonstratur ex praxi & usu Ecclesiæ nusquam interrupto, atque ex SS. Patribus inferiùs laudandis, qui testantur idem ætate sua conferri per *impositionem manuum*, quod in Actibus Apostolorum collatum legimus ab Apostolis.

Ritum autem hunc non meram fuisse Baptismi cæremoniam, ut placet Novatoribus, vel ex hoc uno satis declaratur, quòd solis Apostolis ejus administratio concessa fuerit, ut iis nempe, qui à Philippo fuerant baptisati, darent per manus impositionem Spiritum sanctum. At si mera fuisset Baptismi cæremonia, quare Philippus, qui Baptismum dederat Samaritanis, eam cæremoniam non usurpasset? An majus quidquam est cæremoniam alicujus Sacramenti celebrare & administrare, quàm Sacramentum ipsum?

Solvuntur Objectiones Dallæi adversus probationem ex Scripturis.

Objicit 1, Dallæus Lib. 1. cap. 6. se in laudatis Scripturæ locis nullum oleum sentire, nullum adorari balsamum, quibus tamen nostra constat Confirmatio.

Resp. 1. de fide non esse, oleum & balsamum, sed unctionem, esse materiam essentialem Sacramenti Confirmationis; satis ergo est ad astruendam veritatem hujus

hujus Sacramenti, quod ex Scripturis habeamus signum aliquod sensibile, quale profecto reperitur in manus impositione; & quamquam nostri Theologi disputent inter se de illa materia essentiali, omnes tamen consentiunt esse aliquam determinatam.

Resp. 1. argumentum illud negativum nullius esse ponderis; certum quippe est multa fecisse & usurpasse Christum & Apostolos, quæ litteris consignata non sunt, ut testatur S. Joannes c. 20. v. 30. Ergo licet nulla fiat in Scripturis mentio chrismatis, non tamen bene infertur eam ab Apostolis usurpatam non fuisse, nec ab Ecclesia usurpari debere, cum Traditio, quæ altera est fidei nostræ regula, doceat constantem fuisse illius usum in Ecclesia, sicut constabit ex dicendis infra, ubi de materia Confirmationis.

Objicit 2. eodem Lib. c. 9. Per Spiritum sanctum quem Apostoli imponendo manus conferebant, intelligi non debet gratia interior sanctificans, sed tantum donum linguarum, charismatum, & miraculorum, quod primis illis temporibus necessarium erat ad confirmandam fidem, & primordia Ecclesiæ dilatanda. Probat ex c. 2. Joelis ubi dicitur: Effundam de spiritu meo super „omnem carnem, & prophetabunt filii vestri." Et ex c. ultimo S. Marci: "Signa autem eos qui crediderint, „*inquit*, hæc sequentur; in nomine meo dæmonia „ejicient." Et ex Actibus Apostolorum, ubi passim observatur quod ii, in quos descendebat Spiritus sanctus, loquerentur linguis &c.

Resp. nego ant. Uterque enim designatur effectus Spiritus sancti, & gratia gratum faciens seu sanctificans, & gratia gratis data, seu donum linguarum, miraculorum: atque in eo perpetuo versatur Dallæi fallacia, quæ à falso supponente dicitur, ut utrumque aut dividat, aut rejiciat effectum; interiorem à donis separat in primis Christianis, à nobis vero utrumque excludit. Sed immerito prorsus. Prior effectus, præcipuus est, permanens ac perpetuus, id est Sacramento semper annexus, si cum legitima præparatione percipiatur; posterior vero transitorius fuit & ad tempus concessus, ad commendationem rudis fidei, & primordia Ecclesiæ dilatanda. Ita diserte S. Augustinus L. 3. de Baptismo c. 16.
Tom. 9. p. 116. F. „Neque enim, *inquit*, temporalibus & sensibilibus „miraculis attestantibus, per manus impositionem „modo datur Spiritus sanctus, sicut antea dabatur ad „commendationem rudis fidei, & Ecclesiæ primordia „dilatanda. Quis enim nunc hoc expectat, ut ii quibus „manus ad accipiendum Spiritum sanctum imponitur, „repente incipiant linguis loqui? Sed invisibiliter & „latenter intelligitur propter vinculum pacis eorum „cordibus divina charitas inspirari." Igitur ex S. Augustino, etsi jam desierint dona illa linguarum & miraculorum, quæ primis Fidelibus simul cum gratia sanctificante per Sacramentum Confirmationis conferebantur, ipsa tamen charitas latenter, id est sine signis illis conspicuis in cordibus diffunditur: quæ signa, ait idem S. Doctor Tract. 6. in Joannis Epistolam primam,
Tom. 3 p. 2. pag. 868. C. erant tempori opportuna. "Oportebat enim, *inquit*, „ita significari in omnibus linguis Spiritum sanctum, „quia Evangelium Dei per omnes linguas cursurum „erat toto orbe terrarum. Significatum est illud, & „transiit." Male igitur infert Dallæus, aut primis Fidelibus sola dona linguarum & miraculorum data esse per impositionem manuum Apostolorum sine interiore ac sanctificante gratia, aut jam sanctificantem illam gratiam per eandem impositionem manus non conferri; quia donis illis conspicuis destituta est. Si distinxisset ille inter effectus Confirmationis permanentes ac perpetuos, & fluentes, transitorios & tempori accommodatos, objectionem hanc tanta pompa non amplificasset.

Ipsis vero primis Fidelibus cum donis linguarum, etiam interiorem seu sanctificantem gratiam concessam esse per impositionem manuum Apostolorum constat: tum quia eundem acceperunt Spiritum sanctum qui datus erat Apostolis, teste S. Petro Act. 11. v. 15. „Cum autem, *inquit*, cœpissem loqui, cecidit Spiritus „sanctus super eos, sicut in nos in initio." At Spiritus sanctus datus Apostolis complectabatur non sola charismatum dona, sed præcipue interiorem gratiam qua subito mutati sunt in viros alteros, & intrepidi redditi ad fidem Christi profitendam. Tum quia est ille ipse Spiritus quem Christus promiserat Joan. 14. v. 16. „Ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis, „ut maneat vobiscum in æternum." Atqui ejusmodi Spiritus non consistit in solis illis donis linguarum, quæ diuturna non fuere. Tum quia ejusmodi dona & gratiæ gratis datæ etiam peccatoribus dari possunt: at isti manentem in se non habent Spiritum sanctum. "In male- Sap. 1. v. 4 „volam enim animam non introibit sapientia, nec habi„tabit in corpore subito peccatis. Spiritus enim sanctus „disciplinæ effugiet fictum." Habere igitur donum linguarum, & habere in se Spiritum sanctum, duo sunt maxime distincta. Tum denique, quia in novo Testamento nusquam dona Spiritus sancti, seu gratiæ gratis datæ, simpliciter & absolute vocantur Spiritus sanctus; ergo ubi legimus datum simpliciter Spiritum sanctum, non sola illa dona intelligenda sunt, sed præsertim gratia interior sanctificans.

Instat 1. Baptisati à Philippo in Samaria, eum Spiritum sanctum acceperunt per impositionem manus Apostolorum, quo antea caruerant: atqui non caruerant Spiritu sancto, prout importat gratiam sanctificantem, qua proculdubio in Baptismo donati fuerant; ergo acceperunt tantum gratiam gratis datam.

Resp. dist. min. Atqui non caruerant gratia sanctificante regenerante, qua omnia peccata, originale & actualia, perfecte mundantur, concedo: gratia roborante & confortante & intrepidam & constantem fidei professionem ordinata, nego. Hanc enim gratiam, sive specie distincta sit à gratia baptismali, sive tantum gradu & intensione, quod hic non inquirimus, ante illapsum Spiritus sancti non perceperunt Apostoli, neque primi Fideles ante impositionem manus Apostolorum. De illa autem gratia singulari loquitur Christus Act. 1. v. 8. „Accipietis virtutem supervenientis Spiritus sancti in „vos, & eritis mihi testes in Jerusalem & in omni „Judæa.

Instabat. 2. Adventus Spiritus sancti in Samaritanos exprimitur voce græca *ἐπέπεσεν*, quæ significat, *irruere, illabi, incidere*; at Spiritus sanctificantis donatio nusquam in Scripturis iis verbis exprimitur, quæ propria sunt Spiritus prophetici.

Resp. non immerito S. Lucam eo verbo usum fuisse, ut nempe utrumque gratiæ genus Apostolis datum, nempe gratis datæ, & gratum facientis, significaret. Verbum quippe quo utitur, significat *irruere, illabi*, seu *descendere*; utrumque autem apptime illis donis congruit. Irruere quippe idem est ac cum impetu descendere; Spiritus enim sanctus dicitur per modum venti vehementis advenisse; illabi vero est leniter ac sine strepitu descendere, quod gratiæ gratum facienti recte adaptatur. Unde Jacobi 1. v. 17. dicitur: „Omne „donum perfectum desursum est, descendens à Patre „luminum.

Instabat 3. Spiritus ille sanctus à Philippo nec datus est, nec dari potuit, ut Chrysostomus, Oecumenius & alii contendunt; atqui nulla idonea ratio & causa fingi potest, cur ab ordinario, eoque excellenti Christi servo, dari non potuerit ordinarium Spiritus sancti donum.

Resp. nego min. Ratio est, quod Philippus Episcopus non erat sed tantum Diaconus; soli vero Episcopi à Christo instituti sunt ministri ordinarii Sacramenti Confirmationis; quapropter missi sunt Petrus & Joannes, qui manus imponerent iis qui à Philippo baptisati fuerant.

Instat 4. Qui ab Apostolis dabatur Spiritus, movit Simonem magum oblata pecunia cuperet talem sibi ab Apostolis conferri facultatem: at si nihil alidd actum esset quàm quod in Confirmatione fieri vulgo videmus, non ita fuisset affectus Simon,

Resp. argumentum istud fallaciam esse, quæ dicitur à falso supponente; supponit enim nos concedere primis Fidelibus solam interiorem gratiam, ut modo fit, sine donis conspicuis datam fuisse, quod certè falsum est; agnoscimus enim utrumque gratiæ genus primis illis Fidelibus concessum. Simon autem magus avaritiæ & turpis lucri stimulis agitatus, ubi vidit mira illa linguarum & miraculorum dona per impositionem manus data, ea sibi oblata pecunia comparare cogitavit; nihil sollicitus de gratia interiori.

Instat 5. Act. 19. Apostoli dabant dona linguarum & prophetiæ; ergo erat ille solus effectus impositionis manuum.

Resp. Eodem vitio laborare argumentum istud: quasi dona illa linguarum & prophetiæ excluderent interiorem gratiam sanctificantem; utrumque gratiæ genus, & gratis datæ, & gratum facientis, agnoscimus datum per Apostolos, cùm baptisatis manus imponebant,

Utrum veritas Sacramenti Confirmationis possit efficaciter probari ex constanti & perpetua Ecclesiæ Traditione.

Traditionem hanc duobus Libris integris impugnat Dallæus, in quibus totus est, ut ostendat illam tùm manus impositionem, tum unctionem, cujus tam frequentem apud Veteres mentionem occurrere non dissimulat, post annum dumtaxat Christi 160. inductam esse, tanquam meram Baptismi appendicem, seu ritum & cæremoniam, E contra ex perpetua & constanti Ecclesiæ Traditione ac praxi demonstramus, ritum hunc ab Apostolis ad subsequentes ætates derivatum pro vero Sacramento habitum semper fuisse, Traditionem vero nostram ex quinque fontibus hauriemus,

1. Ex Conciliis,
2. Ex SS. Pontificibus.
3. Ex SS. Patribus.
4. Ex praxi & usu Ecclesiæ non interrupto.

CONCLUSIO.

Veritas Sacramenti confirmationis invictè probatur ex perpetua & constanti totius Ecclesiæ praxi & Traditione.

PRIMA PROBATIO EX CONCILIIS.

Ex Elberitano in Hispania versùs annum 305. duobus in Canonibus meminit Sacramenti Confirmationis. Canone 38. *Peregrè navigantes*, inquit, *aut si Ecclesia in proximo non fuerit, posse Fidelem qui lavacrum suum habet integrum, nec sit bigamus, baptisare in necessitate infirmitatis positum Catechumenum; ita ut si. supervixerit, ad Episcopum eum producat, ut per manus impositionem perfici possit.* Tom. 1. Conc. p. 974. E.

Can. 77. *Si quis Diaconus regens plebem, sine Episcopo vel Presbytero aliquos baptisavit, Episcopus eos per benedictionem perficere debebit. Quod si antè de sæculo recesserint, sub fide qua quis credidit, poterit esse justus.* Ibid. p. 978. F.

Habemus in hoc duplici Canone, baptisatos debere ad Episcopos duci, ut per manus impositionem & benedictionem perficiantur; idest perfecti Christiani fiant per accessionem gratiæ confortantis & roborantis, qua instructi possint firmi & intrepidi stare adversùs omnes carnis, mundi & dæmonis tentationes: at hoc ipsum est Sacramentum Confirmationis.

Reponit 1. Dallæus Lib. 2. c. 9. ejusmodi baptisatos, etiam antequam manus ipsis impositæ fuissent, justos fuisse; adeoque illam manus impositionem fuisse tantùm meram cæremoniam, non vero Sacramentum necessarium ad obtinendam justitiam.

Refellitur. Quia justi illi quidem erant justitia & innocentia baptismali quæ sufficit ad vitam æternam; at non justitia illa perfecta, quæ necessaria est ad fortiter sustinendas tentationes omnes & impetus contra fidem, de qua solùm hic agimus.

Reponit 2. in illis Canonibus altum esse de unctione silentium.

Ita est: verum aut ignorat aut dissimulat Dallæus, non esse apud nos rem ex fide certam, illam unctionem partem esse essentialem Sacramenti Confirmationis, de qua liberè & salva fide inter se disputant Theologi. Satis est ad rationem Sacramenti, quòd signum aliquod sensibile cum effectu gratiæ interioris habeamus ex duplici illo Canone.

Reponit 3. citato Can. 77. innui Presbyterum, imò & Diaconum in necessitate: absente Episcopo, posse manus imponere, quod certè non permitteret Concilium, si de vero & propriè dicto Confirmationis Sacramento loqueretur.

Verùm ne levissimum quidem est talis licentiæ Presbyteris vel Diaconis concessæ vestigium in citato Canone.

Addit Spalatensis Lib. 5. c. 5. no. 53. ista verba Canonis 38. *Qui lavacrum integrum habet*, non obscurè significare Confirmationem esse ritum seu cæremoniam & complementum Baptismi,

Verùm aberrat ille; verba enim citata referuntur ad laicum, qui in necessitate Baptismum administrat, in quo requirit Canon ut Baptismum integrum habeat; idest, ut nec inter pœnitentes publicos recenseatur, nec sit bigamus: erat enim hæc duplex causa irregularitatis quæ laicum à sacris Ordinibus arcebat.

Ex Concilio generali Nicæno I. an. 318. Can. 8. & ex Laodiceno an. 363. Can. 48.

Concilium Nicænum I. Canone 48. decernit: *Novatianos ad Ecclesiam redeuntes recipiendos esse per manus impositionem.* Hanc verò verè confirmatoriam fuisse colligi potest, quia, teste Theodoreto antea citato, ubi de erroribus circa veritatem Sacramenti Confirmationis, Novatiani Sacramentum confirmationis non conferebant: inde jubet Concilium ipsis redeuntibus manus esse imponendas. Tom. 2. Conc. p. 31. E.

Concilium Laodicenum Canone 48. juxta versionem Dionysii exigui sic decernit: *Oportet eos qui baptisantur, post lavacrum chrisma Ecclesia accipere, & Regni Christi participes inveniri.* Non potest Confirmationis Sacramentum clarioribus verbis designari. Tom. 1. Conc. p. 1514. A.

Atque vana & futilis profectò est Dallæi observatio, Canonem scilicet agere de baptisando, non de baptisato; unde infert unctionem illam esse Baptismi cæremoniam: namque agit Canon de unctione conferenda post Baptismum; ergo homini baptisato.

Ex Arausicano I. an. 441. Can. 2. juxta lectionem doctissimi Sirmondi Tom. 1. Conciliorum Galliæ. *Nullum*, inquit Canon, *ministrorum qui baptisandi recepit officium, sine chrismate unquam debere progredi, quia inter nos placuit semel chrismari. De eo autem qui in Baptismate quacunque necessitate faciente non chrismatus fuerit, in Confirmatione Sacerdos commonebitur. Nam inter quoslibet chrismatis ipsius nonnisi una benedictio est, non ut præjudicans quidquam, sed ut non necessaria habeatur repetita chrismatio.* Scio quidem graves excitatas esse contentiones inter Jacobum Sirmondum & Petrum Aurelium, circa particulam negantem in ultima parte apponendam

ponendam vel tollendam, tùm circa sensum illius, de qua controversia suo loco inferiùs, ubi de materia confirmationis disseremus: verum sepositis jam his contentionibus, ex ipso Canone manifestè colligitur, confirmationem esse ritum à Baptismo distinctum, quod unum hic contendimus.

Ex Hispalensi II. an. 619. cap. 7. ubi enumerans ea quæ Presbyteris simplicibus non libet administrare, ait, *Nec per impositionem manus Fidelibus baptisatis, vel conversis ex hæresi Paracletum Spiritum tradere, nec chrisma conficere, nec chrismate baptisatorum frontes signare.*

Tom. 5. Conc. p. 1666. B.

Ex Cabillonensi II. an. 813. Can. 27, *Dictum nobis est*, inquiunt Patres, *quòd quidam de plebe bis aut ter ab Episcopis, ignorantibus eisdem Episcopis, confirmentur. Unde nobis visum est, eandem Confirmationem sicut nec Baptismum iterari minimè debere.*

Tom. 7 Conc. p. 1278. A.

Ex Parisiensi VI. an. 829. Lib. 1. cap. 33. sic legitur; *Perlatum est ad nos, quod in quibusdam Provinciis plerique Episcopi post perceptionem cibi & potus soleant per impositionem manuum tradere Spiritum sanctum, quod tam excellenti ministerio prorsus non convenire, & ita deinceps fieri non debere omnibus nobis visum est . . . . . Sicut enim Baptismus, excepta infirmorum causa, nonnisi à jejunis celebratur Sacerdotibus; ita etiam traditio Spiritus sancti . . . . nonnisi à jejunis celebranda est Pontificibus.*

Ibid. p. 1621. D. E.

Denique ex Tridentino Sess. 7. Can. 1. *Si quis dixerit Confirmationem baptisatorum otiosam esse ceremoniam, & non potius verum & proprium Sacramentum; aut olim nihil aliud fuisse, quàm catechesim quamdam, qua adolescentiæ proximi fidei suæ rationem coram Ecclesia exponebant, anathema sit.* Ita Lutheri & Calvini figmenta sancta Synodus. Eadem Sessione can. 1. de Sacramentis in genere, definit septem esse numero Sacramenta, inter quæ secundo loco Confirmationem recenset.

Tom. 14. Conc. p. 779. C.

Secunda probatio ex Summus Pontificibus.

Obiit an. 251. p. 244. C. D.

Ex Cornelio in Epistola ad Fabium Antiochenum apud Euseb. Lib. 6. c. 43. de Novato ait, *cum postquam à morbo liberatus fuit*, [propter quem in lectulo jacens baptisatus fuerat] *reliqua non percepisse quæ juxta Ecclesiasticam regulam percipi debent, neque ab Episcopo consignatum fuisse. Hoc autem signaculo minimè percepto, quomodo*, inquit, *Spiritum sanctum potuit accipere?* Signaculum autem illud quod ab Episcopo confertur, & Spiritum sanctum confert, nonne est ipsummet confirmationis Sacramentum, quod, si fides Theodoreto habeatur, Novatiani suis non administrabant?

At reponit Dallæus, Ecclesiasticam regulam laudat Cornelius, non Christi institutionem; igitur non de vero Sacramento loquitur, sed de mera cæremonia Baptismi. Præclara verò consecutio! Quasi ea quæ Christus præscripsit, Ecclesia suis canonibus ac Legibus non commendaret ac præscriberet. Præterea verò, Ecclesiastica illa regula ad quam provocat Cornelius, non spectat institutionem, sed perceptionem Sacramenti confirmationis, quod primis temporibus ex lege & usu Ecclesiæ cum Baptismo simul & Eucharistia administrabatur; atque conqueritur S. Pontifex, quod Novatus neglexisset illud percipere. Figmentum autem Dallæi est planè absurdum, ea nempe quæ Novatus percipere neglexit, fuisse lactis & mellis degustationem: de hac enim ne verbum quidem in Epistola Cornelii, sed de signaculo duntaxat, quod Episcopus baptisatis imponit, ut accipiant Spiritum sanctum, & quod quidem Novatus neglexit.

At, reponit iterum Dallæus, non obscurè colligitur

Tournely Tomi III. P. II. *De Baptis. & Confirm.*

ex eadem Cornelii Epistola, Novatum in Presbyterum ordinatum fuisse à Fabiano Cornelii prædecessore: probabile autem non videri, Fabianum Novato Sacramentum illud Confirmationis non contulisse, si illud pro vero Sacramento agnovisset.

Verùm, unde habet Dallæus 1. Fabianum cognovisse Novato in lecto baptisato administratum non fuisse Sacramentum Confirmationis? Nonne id potuit ignorare, simulata hominis pietate deceptus? 2. Si cognovit, unde habet ipsa Fabianum illud Novato non dedisse, antequam eum in Sacerdotem ordinaret? Cornelius enim de duobus tantùm expostulat, quod nempe statim à morbo liberatus cætera non percepisset, quæ juxta regulam Ecclesiasticam percipi debebant; & quod contra canones fuisset ad sacrum Presbyteratus Ordinem promotus, utpote irregularis propter Baptismum in lecto perceptum.

Ex Innocentio I. Epist. ad Decentium Eugubinum Episcopum c. 3. ubi sic loquitur: "De consignandis "verò infantibus manifestum est, non ab alio quàm ab "Episcopo fieri licere. Nam Presbyteri, licèt sint Sa"cerdotes, Pontificatus tamen apicem non habent. Hæc "autem Pontificibus solis deberi, ut consignent, vel "Paracletum Spiritum tradant, non solùm consuetudo "Ecclesiastica demonstrat, verum & illa lectio Actuum "Apostolorum, quæ asserit Petrum & Joannem esse di"rectos, qui jam baptisatis traderent Spiritum sanctum. "Nam Presbyteris, seu extra Episcopum, seu præsente "Episcopo baptisent, chrismate baptisatos ungere licet, "sed quod ab Episcopo fuerit consecratum; non tamen "frontem ex eodem oleo signare, quod solis debetur "Episcopis, cùm tradunt Spiritum Paracletum.

Obiit an. 417. Tom. 2. Conc. p. 1246 B.

Ex quo S. Pontificis præclaro testimonio tria colligi possunt. Primum, unctionem baptismalem planè diversam esse à confirmatoria: illa enim fit in vertice, hæc in fronte; illam Sacerdotes conferunt, istam soli Episcopi. Secundum, manus impositionem, de qua mentio fit in Actibus Apostolorum, eandem esse cum confirmatoria, quæ frequentabatur sub finem quarti & initio quinti sæculi. Tertium, per illam manus impositionem & unctionem dari Spiritum sanctum.

Ex S. Leone Serm. 4. de Nativitate, cujus hæc verba sunt: "Permanete stabiles in ea fide quam confessi estis "coram multis testibus, & in qua renati per aquam & "Spiritum sanctum, accepistis chrisma salutis & signa"culum vitæ æternæ. Duplex ibi S. P. Sacramentum distinctè commemorat, Baptismum scilicet & Chrismum, seu Confirmationem.

Obiit an. 461. Tom. 2. p. 1279. C D.

Ex S. Gregorio Magno Lib. 14. Epistolarum, Epist. 17. aliàs Lib. 12. Epistolarum Epist. 32. *Nos*, inquit, *ab antecessoribus nostris traditum accepimus, ut quoties tam de Baptismo aliquorum vel Confirmatione, quàm de Ecclesiarum consecratione dubitatio habetur, utrum baptisati vel confirmati, sive Ecclesia consecratæ sint, ut baptisentur tales ac confirmentur, atque Ecclesiæ canonicè dedicentur, ne talis dubitatio ruina Fidelibus fiat: quoniam non monstratur iteratum, quod non certis indiciis ostenditur ritè peractum.*

Obiit an. 604. Tom. 2. p. 1279. C. D.

Ex Homil. 17. in Evangelia, *Per nos*, inquit, *fideles ad sanctum Baptisma veniunt, nostris precibus benedicuntur, & per impositionem nostrarum manuum à Deo Spiritum sanctum percipiunt.*

Libro verò Sacramentorum, in ordine Sabbati sancti, describit idem Summus Pontifex ritum administrandæ Confirmationis.

Tertia probatio ex SS. Patribus.

Infiniti essemus, ac plus æquo cresceret volumen istud, si vellemus singulos SS. Patres avitæ fidei testes ac vindices per ætates singulas percurrendo hic proferre. Nonnullos tantùm ex primis sæculis appellabimus,

mus, ex quibus catholicum de Sacramento Confirmationis dogma adversus vanos Dallæi impetus asseremus ac vindicabimus.

Obiit Martyr an. 202. P. 284. n. 2. P. 96. n. 3. Ex S. Irenæo L. 4. adversus hæreses c. 38. alias 75. ubi ait, *Apostolos per manus impositionem dedisse Spiritum sanctum*. Et c. 8. Libri primi referens impium quoddam Gnosticorum dogma, dicit eos solitos esse ungere baptisatos opobalsamo. Si conjecturæ locus hic esse potest, Gnostici, cæterorum Hæreticorum more, qui omnes fere Ecclesiæ ritus sacrilega imitatione ad se trahebant, hanc unctionem, in similitudinem unctionis confirmatoriæ tunc temporis apud Catholicos usurpatæ, usurparunt.

Floruit an. 215. P. 226. D. Ex Tertulliano L. de Baptismo c. 7. sic loquitur. "Exinde egressi de lavacro perungimur benedicta unctione de pristina disciplina, qua ungi oleo de cornu in sacerdotium solebant .... In nobis carnaliter currit unctio, sed spiritualiter proficit; quomodo & ipsius Baptismi carnalis actus, quod in aqua mergimur; spiritalis effectus, quod delictis liberamur. Dehinc manus imponitur per benedictionem, advocans & invitans Spiritum sanctum.

P. 330. B. Lib. de Resurrectione carnis c. 8. "Caro, *inquit*, abluitur, ut anima emaculetur. Caro ungitur, ut anima consecretur. Caro signatur, ut anima muniatur. Caro manus impositione adumbratur, ut & anima spiritu illuminetur. Caro Corpore & Sanguine Christi vescitur, ut & anima de Deo saginetur.

P. 256. D. Lib. de Præscriptionibus c. 40 observat dæmonem in idolorum mysteriis æmulari res Sacramentorum nostrorum. "Tingit, *inquit*, & ipse quosdam utique credentes & fideles suos; expiationem delictorum de lavacro reprommittit, & si adhuc memini, Mithra signat illic in frontibus milites suos: celebrat & panis oblationem.

Aperte inde colligitur, Tertullianum agnovisse Sacramentum Confirmationis à Baptismo plane distinctum, quod gratiam conferret; ejusque materiam esse, vel impositionem manus, vel unctionem, vel utramque simul; de hac enim quæstione nondum disputamus, ac satis nobis est ad revincendum Dallæum, nos ex Tertulliano habere signum aliquod sensibile distinctum à Baptismo, cui annexa sit gratiæ productio.

P. 114. Ex S. Cypriano, (Martyr occubuit an. Christi 258.) Ep. 73. apud Jubajanum loquens de manus impositione à Petro & Joanne Apostolis facta supra recens baptisatos, idem apud nos quoque fieri testatur: "Quod nunc quoque, *inquit*, apud nos geritur, ut qui in Ecclesia baptisantur, Præpositis Ecclesiæ offerantur, & per nostram orationem ac manus impositionem Spiritum sanctum consequantur, & signaculo Dominico consummentur.

P. 117. Et Ep. 7. ad Januarium sic loquitur: "Ungi quoque necesse est eum qui baptisatus sit, ut accepto chrismate, id est, unctione, esse unctus Dei, & habere in se gratiam Christi possit.

P. 145. Ex Firmiliano in Epistola ad S. Cyprianum, inter Cyprianicas 75. "Quando omnis potestas, *inquit*, à gratia in Ecclesia constituta sit, ubi præsident majores natu, qui & baptisandi, & manum imponendi, & ordinandi possident potestatem. Hæretico enim sicut ordinare non licet, nec manum imponere, ita nec baptisare." Et postea significat se loqui de Confirmatione, cum ait se loqui de illa manus impositione, quam Paulus imposuit eis quos baptisaverat.

Ex S. Cyrillo Hierosolymitano. (floruit 4. sæculo) Catecheses scripsit cujus terna mystagogica tota est de Confirmatione, sicut duæ præcedentes totæ sunt de Baptismo, & aliæ duæ sequentes de Eucharistia, quia tunc temporis ex recepto usu tria hæc Sacramenta simul conferebantur. In illa itaque terna Catechesi fuse exponit S. Doctor Sacramentum chrismatis seu Confirmationis. "Vobis, *inquit*, postquam ex aquis sacri lavacri ascendistis, datum est chrisma, quod imaginem gerit illius quo unctus est Christus: hoc autem est Spiritus sanctus.... Et sicut Christus vere crucifixus & sepultus est, atq; resuscitatus, nos vero per Baptismum in similitudine quadam, una crucifigi, consepeliri, simulque secum voluit resurgere; ita sic & in hoc chrismate. Ille spiritali oleo exultationis unctus est, hoc est Spiritu sancto; qui idcirco oleum exultationis vocatur, quia est auctor & causa exultationis. Vos vero uncti estis unguento, facti participes & consortes Christi. P. 234. C.

Plura alia ex eodem S. Doctore prætermittimus: satis etenim ex citatis verbis compertum habemus, unctionem illam, cui effectus spiritalis annexus est, à Baptismo distingui, nec meram esse illius cæremoniam, sicut Dallæo placet, nisi pariter velit ille Eucharistiam Baptismi cæremoniam esse.

Ex S. Ambrosio.

Lib. de Initiandis c. 7. "Repete, *inquit*, quia accepisti signaculum spiritale, spiritum sapientiæ & intellectus, spiritum consilii atque virtutis, spiritum cognitionis atque pietatis, spiritum sancti timoris, & serva quod accepisti. Signavit te Deus Pater, confirmavit te Christus Dominus, & dedit pignus Spiritus in corde tuo, sicut Apostolica lectione didicisti. Tom. 1. p. 339. A.

Et L. 2. de Sacramentis c. 7. "Ergo mersisti; *inquit*, venisti ad Sacerdotem: quid tibi dixit? Deus, inquit, Pater omnipotens qui te regeneravit ex aqua & Spiritu sancto, concessitque tibi peccata tua, ipse te ungat in vitam æternam. Ibid. p. 356. D.

Et Lib. 3. 1. "Accipit autem, *inquit*, mysterium, hoc est unguentum supra caput. *Et c.* 2. Sequitur spiritale signaculum quod audistis hodie legi; quia post fontem superest ut perfectio fiat, quando ad invocationem Spiritus sanctus infunditur." Nihil certe clarius & expressius potest proferri. Ibid. p. 361. B. Ibid. p. 363. E.

Ex S. Hieronymo. Dialogo adversus Luciferianos Luciferianum sic loquentem inducit: "An nescis Ecclesiarum hunc esse morem, ut baptisatis postea manus imponantur, & ita invocetur Spiritus sanctus? Exigis ubi scriptum sit in Actibus Apostolorum? Etiamsi Scripturæ auctoritas non subesset, totius orbis in hanc partem consensus instar præcepti obtineret." Istud autem ultro fatetur & concedit S. Hieronymus; "Non quidem abnuo, *inquit*, hanc Ecclesiarum consuetudinem, ut ad eos qui longe in minoribus urbibus per Presbyteros & Diaconos baptisati sunt, Episcopus ad invocationem Spiritus sancti manum impositurus excurrat..... Quod si hoc loco quæris, quare in Ecclesia baptisatus, nisi per manus Episcopi non accipiat Spiritum sanctum, quem nos asserimus in vero Baptismate tribui, disce hanc observationem ex ea auctoritate descendere, quod post ascensum Domini, Spiritus sanctus ad Apostolos descendit. Et multis in locis idem factitatum reperimus, ad honorem potius sacerdotii, quam ad legis necessitatem. T. 4. p. 2. p. 294. Ibid. p. 295.

Ex S. Chrysostomo Hom. 18. in Acta, de Philippo ait: "Ideo baptisans Spiritum sanctum non dabat, neq; facultatem habebat: hoc enim donum solorum Apostolorum erat. *Et postea:* Virtutem quidem acceperant faciendi signa, non autem dandi aliis spiritum sanctum. Igitur hoc erat in Apostolis singulare, unde & præcipuos, & non alios videmus hoc facere ..... Vides (*ad hæc verba*, oraverunt pro eis) quod non simpliciter hoc fit, sed multa opus est virtute, ut detur Spiritus sanctus? Non enim idem est assequi remissionem peccatorum, & accipere virtutem illam. Edit. Comm. p. 580. B. Ibid. P. 581. A.

Denique ex S. Augustino. Multis in locis de Sacramento Confirmationis mentionem facit sanctus Doctor, quod quidem modo per manus impositionem, modo per unctionem designat.

De impositione manuum loquitur L. 3. de Baptismo cap. 26. verba supra laudavimus in responsione ad

secun-

secundam Objectionem adversùs probationem ex scripturis. Eadem ferè repetit Tractatu sexto in primam Epistolam S. Joan. *Si vis nosse*, inquit, *quia accepisti Spiritum sanctum, interroga cor tuum: ne forte Sacramentum habeas, & virtutem Sacramenti non habeas.*

To. 3. p. 2. p. 868. F.

Lib. 3. de Baptismo c. 16. *Spiritus autem sanctus*, inquit, *quod in sola Catholica per manus impositionem dari dicitur, nimirum hoc intelligi majores nostri voluerunt, quod Apostolus ait. Quoniam charitas Dei diffusa est in cordibus per Spiritum sanctum qui datus est nobis.*

Tom 9. p. 106. D.

Et Lib. 15. de Trinitate cap. 26. postquam dixit Apostolos orando & manus imponendo dedisse spiritum sanctum, ait, *eundem morem in suis Præpositis etiam nunc servare Ecclesiam.*

To. 8. p. 999. A.

De unctione verò loquitur mox citato capite Lib. 15. de Trinitate. *Unxit eum*, inquit, [nempe Christum] *Deus Spiritu sancto Non utique oleo visibili, sed dono gratiæ quod visibili significatur unguento, quo baptisatos ungit Ecclesia.*

16. B. C.

Et Lib. 2. contra Litteras Petiliani cap. 104. *In hoc unguento*, inquit, *Sacramentum chrismatis vultis interpretari; quod quidem in genere visibilium signaculorum sacro-sanctum est, ut sicut ipse Baptismus.*

To. 9. p. 293. B. To. 3. p. 2. p. 815. E.

Tract. 3. in primam Epistolam S. Joannis. *Unctio spiritalis*, inquit, *ipse Spiritus sanctus est, cujus Sacramentum est in unctione visibili.* Et infra: *Unctionis Sacramentum est, virtus ipsa invisibilis: unctio invisibilis, Spiritus sanctus, unctio invisibilis, charitas illa est.*

Ibid. p. 849. C.

Denique in Psalm. 141. *Multa*, inqoit, *Sacramenta aliter atque aliter accipimus; quædam, sicut nostis, ore accipimus, quædam per totum corpus accipimus; quædam in fronte per signum Crucis.*

To. 4. p. 1583. D.

Quarta probatio ex usu & praxi Ecclesiæ perpetua.

Usum hunc colligimus, non modò ex citatis SS. Patrum testimoniis, & aliis benè multis quæ adduci possent, sed præsertim ex iis omnibus Auctoribus qui de Officiis Ecclesiasticis scripserunt, omnibusque Libris Ritualibus. Ii scilicet omnes describunt ritus quibus administrari in Ecclesia per Episcopos debet Sacramentum Confirmationis, quam & per impositionem manus, & per unctionem designant. Ita

Sacramentarium S. Gregorii, ubi fusè describitur quomodo Pontifex protensa super infantes manu, tincto pollice in chrismate, singulos confirmat, facta oratione qua spiritum sanctum advocat.

Ordo quoque Romanus ante nonum sæculum scriptus, in sabbato sancto eumdem ritum describit iisdem ferè verbis quibus Sacramentarium S. Gregorii.

To. 8. p. 558. n. 70. Venerabilis Beda in Psalm. 26. ait, *unctionem illam, quæ per impositionem manuum fit, ab Episcopis Confirmationem appellari.*

Valafridus Strabo L. de rebus Ecclesiasticis, c. 26.

Amalarius L. 1 de Officiis Ecclesiasticis c. 27.

Rabanus Maurus Lib. de institutione Clericorum, cap. 30.

Alcuinus Epistola ad Oduinum Presbyterum, & alii repetunt & Commentariis suis illustrant, quod in Ordine Romano de ritu administrandi confirmationem præscribitur. Videntur illi hoc habere proprium & singulare, quòd velint manus impositionem non esse actionem distinctam ab ea, per quam unctio fit, quam quæstionem postea expendemus. Sufficit præsenti nostro instituto, eos omnes noni sæculi Auctores expressam mentionem facere Sacramenti confirmationis.

Solvuntur Objectiones Dallæi adversùs probationem ex Traditione Ecclesiæ.

Objicit 1. Lib. 2. c. 2. silentium veterum Scriptorum quorum genuina extant Opera ut clementis in Epistola ad Corinthios, Justini. Athenagoræ Theophili, Tatiani, Irenæi, apud quos altum de Sacramento confirmationis silentium.

Resp. 1. argumentum negativum nullius ponderis esse in quæstionibus facti, cùm alia non desunt positiva, & quidem benè multa.

2. Ad confirmandam alicujus dogmatis veritatem, necesse non est ut omnes & singuli cujuslibet ætatis Scriptores de illo mentionem faciant. Sic v. gr. Clemens Romanus, Athenagoras, Theophilus, Tatianus à Dallæo citati, de Baptismo siluerunt in his quæ nobis supersunt eorum Operibus: ad inde inferet Dallæus, Scriptores illos Baptismum pro vero Sacramento non agnovisse? non certè. Ita pariter de Confirmatione sentiendum.

3. Non ignorat Dallæus multa illorum Scriptorum Opera desiderari, quæ temporum incursu ad nos usque pervenire non potuerunt: quin & ipsa Clementis ad Corinthios Epistola de qua Irenæus L. 3. c. 3. Eusebius L. 3. c. 16. & 28. S. Hieronymus Lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis, mutila est ac imperfecta sicut fatetur ipse Junius, *qui ex laceris*, ut loquitur, *reliquiis vetustissimi exemplaris Bibliotheca Regia eam eruit, lacunas explevit, latinè vertit, notis brevioribus illustravit, & Oxonii publici juris fecit an.* 1633. Plura scripsit Irenæus, quæ periere, referente Eusebio L. 5. Hist. c. 26. & S. Hieronymo L. de scriptoribus Ecclesiasticis; & ita de aliis benè multis Veterum lucubrationibus. Qua verò arte augurari potuerit Dallæus, in illis Scriptis nullam Sacramenti nostri factam esse mentionem, vix scio: quamquam non facilè concedimus, S. Irenæum de illo tacuisse in his quæ nobis supersunt illius Libris.

4. Scopus & institutum alicujus scriptoris tale aliquando est, ut non exigat omnium nostrorum Sacramentorum mentionem ab ipso fieri. Sic v. g. qui ex Veteribus Apologias pro Christianis scripsere: in eo toti erant ut Gentilium calumnias adversùs Religionem nostram invidiosè confictas propulsarent, potius quàm singula nostra Mysteria sigillatim exponerent; quorum proinde silentium, tanquam argumentum denegati ab ipsis alicujus mysterii seu dogmatis, opponi meritò non potest. Ita est de Justino, Athenagora, Theophilo, & aliis.

Objicit 2. eodem Lib. 2. c. 17. & L. 2. de cultibus Latinorum religiosis, Græcam Ecclesiam in numero sacramentorum non recensere Confirmationem, quod probat his momentis.

I. Ex Euchologiis, ubi non duo, sed unum est Officium Baptismi & Unctionis, cui titulus est, *Ordo Baptismatis*; igitur unctio illa est cæremonia, non Sacramentum diversum.

II. Quia neminem Græci admittunt ad sacram mensam, nisi qui fuerit chrismatus: atqui certum est neminem onquam ritè baptisatum, repulsum fuisse à sacra Communione, nisi propter aliquod grave peccatum, aut infantilem ætatem; idcirco igitur Græci ad sacram mensam non admittunt eos qui chrismati non fuere, quia unctio hæc pertinet ad cæremonias Baptismi.

III. Quia Græci à quacunque hæresi conversos recipiunt per unctionem: at ista haud dubiè non est Sacramenti Confirmationis, quod iterari non posse dogma est Catholicum; est igitur mera cæremonia.

IV. Græci Presbyteri ungunt baptisatos in fronte: at simplex sacerdos non potest esse minister or-

dinarius Sacramenti Confirmationis; unctio ergo illa non est verum Sacramentum.

Resp. nego ant. Ecclesia enim Græca, sive antiqua sive recentior, semper in numero Sacramentorum habuit Confirmationem. Pro veteri testantur Concilium Laodicenum, Firmilianus, Cyrillus Hierosolymitanus, Chrysostomus antea citati, quibus & alios plures inferius, ubi de materia Confirmationis, adjungemus. Pro recentiori verò testes sunt Simeon Thessalonicensis in Libris de Sacramentis, Jeremias in sua catholica Responsione, Gabriel Philadelphiensis, Synodus Constantinopolitana an. 1642. Præside Parthenio Patriarcha, in qua Calvini errores damnantur. Numero enim 15. damnat Synodus hunc Hæresiarcham, quòd quinque Sacramenta expungeret.

Synodus Bethlemitica an. 1672. sub Dositheo Patriarcha Hierosolymitano cap. 15. ubi fidem Ecclesiæ Græcæ circa Sacramenta sic exponit: *Credimus esse in Ecclesia Legis novæ Sacramenta, eaque septem: non minorem, aut majorem numerum admittimus.* Deinde secundo loco enumeratur Sacramentum Confirmationis.

Denique ipsa Latina Ecclesia, quoties unionem tentavit aut perfecit cum Græca, nusquam ei objecit rejectum ab ipsa Sacramentum Confirmationis.

Ad singulas igitur probationes respondeo.

Ad primam, idcirco Officium seu ritum administrandi Sacramentum confirmationis sub Officio Baptismatis contineri, quia statim post Baptismum conferri solebat. Ex hoc autem inferre Confirmationem esse ritum Baptismi, quid aliud est, quàm velle quoque inferre Eucharistiam, quæ simul cum Baptismo & Confirmatione solebat antiquitus administrari, esse pariter Baptismi ritum? quo nihil posset fingi absurdius. Unctionem vero illam distinctam esse à Baptismo, nec ad illius cæremonias pertinere, manifestum est ex ipso Euchologio: tum quia peculiarem habet annexam orationem, qua invocetur septiformis Spiritus sanctus ad robur baptizati: tùm quia confertur post perfectum & absolutum Baptismum: tùm denique quia Episcopus illam unctionem ministraturus, & vestes quibus, dum baptizaret, erat indutus, & locum mutat.

Ad secundam: Ille potest à sacra mensa legibus Ecclesiæ meritò repelli, qui ea non percipit quæ ex usu & praxi Ecclesiæ debent percipi: at in Ecclesia Græca lex erat & consuetudo, simul cum Baptismo dandi Confirmationem & Eucharistiam; meritò igitur Græci à sacra mensa excludunt eos, qui sacro chrismate post Baptismum inuncti non fuerunt.

Ad tertiam: Constabit ex dicendis, unctionem illam per quam redeuntes Hæretici recipiebantur, puram fuisse cæremoniam, non Sacramentum confirmationis.

Ad quartam: Pertinet hæc Objectio ad quæstionem de ministro Confirmationis, de qua inferius suo loco.

Objicit 3. Sacramentum confirmationis incognitum est multis Ecclesiis; v. g. Æthiopicæ, ut testatur Alvares Hispanus Monachus in suo Itinerario; Armenicæ, teste Guidone Carmelita, Chaldaicæ, cæterisque Christianis longè lateque per Arabiam, Mesopotamiam, Assyriam, Persidem, ipsamque Ægyptum diffusis.

Resp. 1. Ex illis particularibus Ecclesiis, quæ schismate à Romana divisæ sunt, nihil adversùs veritatem inferri posse: error enim ex schismate plerumque nascitur.

Resp. 2. certum non esse eas omnes Ecclesias non agnoscere Sacramentum Confirmationis: imò de Ecclesia Æthiopica fidem facit Ordo mysteriorum, sive administrationis Sacramenti confirmationis secundum usum Æthiopum excusus Tom. 6. Bibliothecæ Patrum. De Ecclesia Armenorum testatur Uscanus Episcopus sancti Sergii in magna Armenia, in responsione ad varias quæstiones sibi propositas circa fidem Armenorum, data Lugduni Batavorum 21. Februarii anno 1667. testatur, inquam, apud Armenos in usu esse Sacramentum confirmationis: unde Guido Carmelita non de omnibus, sed de aliquibus dumtaxat Armenis loquitur. Quod verò spectat ad Ecclesias Chaldæorum per regiones suprà dictas dispersorum, habemus insigne testimonium fidei Cophtorum & Ægyptiorum circa omnia Sacramenta, Tomo tertio de perpetua Ecclesiæ fide circa Eucharistiam L. 8. c. 19. nimirum professionem fidei quam litteris consignatam Matthæus Alexandrinus Patriarcha ad Regem nostrum Christianissimum misit. Syros verò agnoscere Sacramentum confirmationis, testatur Jacobus de Vitriaco L. 1. Historiæ Hierosolymitanæ c. 74.

Objicit 4. L. 3. c. 14. Noni sæculi Scriptores eodem planè loco habuere unctionem quam Sacerdos adhibet in Baptismo, cum ea quam Episcopus facit in Confirmatione, & istam per aliam suppleri posse affirmant. Sic

I. Valafridus Strabo L. de rebus Ecclesiasticis c. 26. ait, *Sylvestrum S. Pontificem instituisse ut Presbyter baptisatum chrismate liniat propter occasionem transitus mortis. Quod si à Diacono vel quolibet alio homine baptisatus, casu ante Confirmationem transierit, credendum non est perire propter hoc.* Quo loco eos solùm ante Confirmationem ex hac vita transire docet Auctor ille, qui à Diacono vel quolibet alio homine, id est laico, baptisatus fuerit, & non consignatus; ergo qui sunt à Sacerdote baptisati, cùm unctionem baptismalem perceperint, non censentur sine Confirmatione recedere ex hac vita. Censet igitur unctionem illam baptismalem ejusdem esse virtutis cum ea quam confirmatoriam appellamus.

II. Idem Valafridus, Amalarius, & Rabanus tradunt præceptam à Sylvestro Presbyteris chrismationem, ne quis sine Confirmatione moreretur. *Legimus* T. 6. p.
& in gestis Patrum, inquit Rabanus Lib. 1. de insti- 9. H.
tutione clericorum c. 28. *quòd Sylvester Papa in Ecclesia Romana constituerit, ut sicut potestas & privilegium apud solum Episcopum constat quòd sacrum chrisma ipse conficiat, & baptisatum per manus impositionem cum ipso chrismate consignet propter hæreticam suasionem; ita Presbyter eodem chrismate liniat baptisatum levatum ex aqua propter occasionem transitus mortis.... Ac deinde profectò patet, quia quicunque non est Christi, Regni sui particeps fieri nequit: ideoque necessarium est, ut statim succurratur baptisato cum chrismatis unctione, ut Spiritus sancti participationem accipiens, alienus à Christo non existat.* In casu igitur necessitatis vim eandem tribuit Rabanus unctioni baptismali & confirmatoriæ.

Confirmat Dallæus objectionem hanc: 1. quia utriusque unctionis eadem est materia, & eadem consecratio. 2. quia idem est effectus, ut patet ex orationibus quibus consecratur chrisma, quibus à Deo postulatur, *ut chrisma sit omnibus perunctis propitiatio & custodia salutaris, & in adoptionem filiorum.*

Resp. nego ant. Triplex enim discrimen assignant Scriptores noni sæculi inter unctionem baptismalem & confirmatoriam. Primum, quia baptismalis fit in vertice, & confirmatoria in fronte. Ita Valafridus & Rabanus mox citati. Secundum, quia baptismalis fit per simplicem Sacerdotem, confirmatoria per Episcopum. Ita expressè mox laudatus Rabanus. Tertium, quia unctio confirmatoria adjunctam habet manus impositionem, non verò baptismalis. Ita idem Rabanus in eodem loco.

Ad primam igitur probationem ex Valafrido, quidquid sit de illo Sylvestri decreto, quod multis videtur supposititium, dico mentem illius Auctoris hanc esse, nimirum unctionem baptismalem adhibendam quidem propter occasionem mortis, ut ali-

quo

quo pacto suppleat unctionem confirmatoriam, si forte contingat aliquem morte præveniri priusquam Episcopo consignatus fuerit; nihilominus neutram necessariam esse absolute ad salutem: unde si quis ex hac vita discedat baptisatus à quocumque, nec consignatus, non idcirco perire credendus est. Falso igitur supponit Dallæus, eos qui sunt à Presbyteris baptisati, sine Confirmatione non discedere ex hac vita, quamvis non sint ab Episcopo consignati.

Ad secundam: Falso etiam supponit Dallæus, unctionem baptismalem idcirco institutam & necessariam esse, ne quis sine Confirmatione discedat ex hac vita; istud non ait Rabanus citatus, sed tantum " propter „mortis periculum necessariam esse unctionem baptis„malem, ut quis unctus seu Christi esse dici possit:" scilicet ad significationem chrismatis & unctionis alludit ibi Rabanus. Et rursus c. 30. *Signatur*, inquit L. 1. de institutione Clericorum c. 30. " baptisatus chrismate „per Sacerdotem in capitis summitate; per Pontificem „vero in fronte, ut priori unctione significetur Spiritus
7.6.p.10. C. „sancti super ipsum descensio, ad habitationem Deo „consecrandam; in secunda quoque, ut ejusdem Spiri„tus sancti septiformis gratia cum omni plenitudine „sanctitatis & scientiæ virtutis venire in hominem de„claretur." Istud autem discriminis est inter modum quo utraque unctio effectum spiritualem significat, quod unctio confirmatoria practice & ex opere operato significet effectum gratiæ spiritualis quem producit; unctio vero baptismalis significat tantum, non vero producit, saltem ex opere operato, & tanquam verum Sacramentum à Baptismo distinctum, unctionem interiorem gratiæ.

Ad primam confirmationem, dico eamdem quidem esse materiam remotam utriusque unctionis, nempe chrisma, sed non eamdem esse materiam proximam: unctio enim confirmatoria, teste ipso Rabano, adjunctam habet manus impositionem, non vero unctio baptismalis. Præterea non sufficit ad perfectam utriusque unctionis paritatem, quod sit eadem materia, sed eadem quoque deberet esse forma, & idem effectus: porro & in forma & in effectu & in ministro multum discrepant duæ illæ unctiones; unde patet responsio.

Ad secundam confirmationem: Etsi enim sit eadem utriusque consecratio, non tamen idem modus quo applicatur unctio, non eadem forma non idem effectus, neque idem minister.

Objicit 5. Magna est inter nostros Theologos discordia circa partes substantiales Sacramenti Confirmationis, nempe ejus materiam & formam; non igitur consentiunt inter se de veritate seu existentia illius: qui enim de natura seu essentia rei alicujus dubitat, ejus quoque existentiam in dubium revocare censetur.

Resp. nego conseq. Disputant v. g. quotidie Philosophi de natura Solis; an ejus existentiam in dubium revocant? absurdus esset qui id inferret. Disputant Novatores de Baptismo & Eucharistia, nec tamen duo ista Sacramenta rejiciunt. Pariter igitur nostri Theologi de partibus substantialibus Sacramenti Confirmationem inter se dissentiunt, nemo tamen unus est inter illos qui veritatem seu existentiam illius in controversiam adducat; quisque aliquam materiam & formam sensibilem assignat, licet pro varietate opinionum variam atque diversam.

Objicit 6. Patres eumdem effectum tribuunt Baptismo & Eucharistiæ, quem nostræ Confirmationi, nempe ut muniat nos, confirmet, roboret, perficiat. Ita imprimis S. Cyprianus loquens de Eucharistia Epistolis 54. & 56.

Resp. nego ant. Gratia quippe baptismalis gratia est innovationis, filiationis & regenerationis ætati infantili accommodata: gratia Eucharistica est gratia augmenti personæ spiritualiter provectæ, ad reparandas vires animæ spirituales per quotidianos lapsus imminutas & debilitatas; gratia vero confirmatoria est gratia roboris & virtutis specialis, ad omnes mundi ac dæmonis tentationes contra fidem superandas destinata. Ita S. Thomas 3. part q. 79. artic. 1. ad primum.

Objicit denique, multum immutatam fuisse subsequentibus sæculis unctionem, confirmatoriam, olim Eucharistia post confirmationem, nono sæculo plerumque ante Confirmationem conferebatur.

Resp. 1. non satis ex veteribus monumentis, antequam prodierit Liber Sacramentorum S. Gregorii & Ordo Romanus, constare, quo præcisè ordine daretur unctio, an post, an vero ante impositionem manus. 2. ejusdem mutationes leves admodum esse indifferentes, quæ rei substantiam non attingunt, sed simplicem modum seu ritum & cæremoniam; adeoque salva remanente Sacramenti hujus substantia, nonnihil mutationis induci potuit circa disciplinam seu modum illud administrandi, quod & in aliis Sacramentis, Baptismo præsertim & Eucharistia, contigisse, ne ipsi idem negare audent Novatores. Baptismus enim olim trina immersione conferebatur, nunc infusione; Eucharistia infantibus dabatur, nunc denegatur; an propterea quidquam immutatum fuit circa naturam seu substantiam illorum Sacramentorum? minime.

ARTICULUS III.

De materia Sacramenti Confirmationis.

QUæstio est, an sola manus impositio, per quam Apostoli Spiritum sanctum conferebant, sit essentialis & adæquata materia Sacramenti Confirmationis, an verò sola unctio chrismatis, an utraque simul; & quæ sit illa manus impositio, an ab unctione distincta vel separata. Circa quam controversiam errant Novatores, nostri verò Scholastici varias in partes scinduntur.

Errores & opiniones.

Novatores Lutherani & Calvinistæ, quibus nostra Confirmatio non est verum Sacramentum, sed mera Baptismi cæremonia manus impositionem, & unctionem quibus illa constat, non mendaciis modò & calumniis, sed horrendis planè ac blasphemis dicteriis turpiter deformant.

I. Lutherus Lib. de Captivitate Babylonica, miratur *quomodo in mentem nostram venire potuerit, ut Sacramentum Confirmationis faceremus ex impositione manuum.*

II. Kemnitius in examine Concilii Tridentini, ait 1. *Materiam Confirmationis nulla habere in Scriptura apparentia testimonia.* 2. *Pontificios in Confirmatione nullam adhibere manus impositionem.* 3. *Divinitus factum esse, quod non est retenta impositio manuum in Pontificia Confirmatione, sed substituta chrismatio, ut Ecclesia, animadversa palpabili differentia inter impositionem manuum & chrismationem in fronte, non tam facile seduci posset allegatione historiarum Act. 8. & 19.* 4. *Nativum balsamum cum jam defecisse constet & arbores, factitium balsamum locum ejus implere non posse.* 5. *Consecrationem chrismatis esse excantationem.* 6. *Inhalationem Pontificis in chrisma non tantùm esse quid ridiculum, sed magicum, superstitiosum, & blasphemum.*

III. Calvinus Lib. 4. Institutionis cap. 19. paragr. 6. ait 1. *Manuum impositionem quæ in confirmandis* P.537. &
Neophytis adhibetur, nihil habere simile cum ea 538.

quam

quam Apostoli usurpant. 2. *Chrismationem neque esse à Christo, neque ab Apostolis.* 3. *Eos qui oleum istud vocant oleum salutis, salutem, quæ in Christo est, abjurare, Christum abnegare, partem non habere in Regno Dei.* Unde paragr. 8. definit Confirmationem nostram, *Oleum diaboli mendacio pollutum, quod velut effusis tenebris simplicium mentes fallit.* 4. paragr. 10. ait in chrismatis consecratione inquinamentum esse & incantationem, *pinguedinem fœtore adhalitus inquinatam, verborum murmure incantatam.* P.139.

Spaltensis L. 5. de Republica Ecclesiastica cap. 5. n. 26. scribit, "Confirmationem non habere certam & fixam materiam: eam aliquando sola manus impositione, aliquando chrismatis unctione, modo in vertice, modò in fronte, modò in omnibus membris & toto corpore, modò puro oleo, modò oleo & balsamo, modo aliis odoriferis unguentis, absque oleo conferri solitam.

Dallæus L. 1. capite ultimo contendit, "manuum impositionem non esse, imò nec esse posse Confirmationis, aut cujuslibet alterius Sacramenti materiam. L. vero 2. c. 3. "chrismationem cæremoniam esse post annum Christi 160. inventam & primum usurpatam.

In his erroribus ac mendaciis propulsandis summa est Theologorum Scholæ concordia: in assignanda verò materia essentiali ac necessaria Confirmationis, summa dissensio. Alii contendunt Apostolos rem, seu effectum Sacramenti, sine Sacramento dedisse. Alii solam manus impositionem esse materiam essentialem, unctionem verò partem dumtaxat integrantem ex præcepto necessariam: alii è contra unctionem solam essentialem esse, impositionem verò manuum olim necessariam, subinde in meram defecisse cæremoniam, ejusque loco substitutam unctionem. Alii utramque tùm impositionem manus, tum unctionem, tanquam partes essentiales inadæquatas materiæ Sacramenti Confirmationis agnoscunt. Sunt etiam qui volunt manus impositionem actionem esse specialem tempore & natura distinctam ab unctione; sunt qui eam cum unctione confundunt.

I. Alexander Alensis parte 4. q. 24. membro 1. S. Bonaventura in 4. dist. 7. art. 1. qu. 1 & 2. existiment Christum immediatè per se non instituisse Sacramentum Confirmationis, & Apostolos primis Fidelibus dedisse Spiritum sanctum sine visibili Sacramento, postea Anno 845. verò Ecclesiam, auctoritate à Christo accepta, instituisse chrisma pro materia essentiali Confirmationis: quo vero tempore institutum sit illud chrisma, non consentiunt inter se. Alensis putat institutum in Concilio Meldensi; S. Boneventura, à primis successoribus Apostolorum; Joannes de Baccone, in Concilio Aurelianensi, initio sexti sæculi. Improbanda certè opinio hæc, quæ paucos reipse habet in Schola patronos; vix enim illa stare potest cum Decreto Concilii Tridentini Sess. 7. quo statuitur Christum omnia Legis novæ Sacramenta instituisse. Et vero ad eum solum pertinet auctoritas instituendi Sacramenta, qui solus potest externis signis seu symbolis vim efficacem impertiri ad gratiam sanctificantem conferendam: atqui hoc solus Deus potest, non Ecclesia.

S. Thomas 3. parte q. 72. art. 2. ad 1. docet Apostolos Spiritum sanctum sine visibili Sacramento aliquando dedisse, quando scilicet conspicua erant & visibilia dona Spiritus sancti, quibus primi Fideles exornabantur; quando verò cessarunt illa dona, eos chrismate usos fuisse ut darent Spiritum sanctum; quæ sententia, qua parte negat Apostolos per impositionem manuum, de qua mentio fit Act. 8. & 19. verum dedisse Sacramentum Confirmationis, hoc habere videtur grave incommodum, & quod eripiat nobis præcipuam & ferè unicam probationem ex Scripturis pro demonstranda adversùs Hæreticos veritate Sacramenti Confirmationis; & quod directè pugnet cum SS. Patribus, qui affirmant idem in Ecclesia Catholica fieri per impositionem manuum Episcoporum, quod gestum legimus per Apostolos. Ita SS. Cyprianus, Hieronymus, Chrysostomus, Augustinus antea laudati, cum veritatem Sacramenti Confirmationis ex Traditione demonstrabamus.

II. Inter eos Scholæ Doctores, numero certè plures, qui docent Apostolos dedisse quidem verum Sacramentum Confirmationis, non una est opinio circa materiam quam ipsi tunc usurparunt, & nunc ab Ecclesia tanquam necessaria & essentialis usurpari debet.

III. Alii quippe docent, Apostolos ab initio sola manus impositione dedisse Spiritum sanctum. Ita Scotus in 4. dist. 7. q. 1. sed omnium disertissimè Synodus Moguntina an. 1549. cap. 18. cujus hæc verba sunt: Tom. 14. Conc. p. 676. & 677. *Diligenter etiam populum instruant, cur hoc Sacramentum ab initio sola manuum impositione exhibitum, mox sub ipsis temporibus Apostolorum ex eorumdem traditione, adhibita chrismatis unctione, cœperit conferri. Nam cum initio Spiritus sanctus, ad evidentiorem recentis adhuc fidei commendationem, signo visibili influeret confirmatis, externa unctione, qua illam internam designaret, tunc non erat opus. Postea verò, adulta Ecclesia & stabilita fide, cum signa externa apparere cessaverunt, nec jam ampliùs Spiritus sanctus visibiliter descenderet, mox in locum visibilis signi unctio chrismatis adhiberi cœpit, qua his qui confirmarentur internam & spiritualem unctionem repræsentaret, ut quod intùs agatur per gratiam, foris aliquo visibili signo innotescat, & verbi fidem externi elementi similitudo confirmet.* Mens igitur hujus Synodi fuit, Apostolos initio sola manus impositione dedisse Spiritum sanctum; paulò post adhibitam ex traditione illorum chrismatis unctionem, quæ in locum impositionis manuum quasi subrogata fuit, & sola est Sacramenti Confirmationis materia essentialis & necessaria.

IV. Alii unicam & solam manus impositionem agnoscunt omni tempore fuisse, & jam esse materiam essentialem ac necessariam Sacramenti Confirmationis; unctionem verò materiam dumtaxat integrantem, ad majorem expressionem effectus hujus Sacramenti, necessariam tamen ex præcepto & usu Ecclesiæ perpetuo. Ita ex antiquis Theologis Petrus Aureolus Cardinalis, qui ante annos 300. floruit ann. 1317. in 4. dist. 7. qu. 1. Gullelmus Altissiodorensis, referente Sirmondo To. 4. 313. D. Antirrhetici secundi cap. 7. Jacobus de Vitriaco c. 37. Historiæ Occidentalis, ubi ait, *hoc Sacramentum partim institutum fuisse ab Apostolis, quantùm ad manus impositionem, partim ab Ecclesia, quantum ad unctionem chrismatis, quod non legimus*, inquit, *Apostolos fecisse.* Ex recentioribus, Sanbovius Tractatu de Sacramento Confirmationis, & maximè Sirmondus Antirrhetico secundo cap. 2. & sequentibus, ubi tres distinguit Ecclesiæ ætates, in quibus unctio confirmatoria variam fortunam passa est.

In prima usque ad tempora Constantini, id est ad quartum usque sæculum, ait unctionem ita solitam fuisse conjungi cum impositione manus, ut ab ea tamen re distingueretur, non vero tempore, quamvis eam præcederet, *sedem Spiritui sancto parans*, inquit Optatus à Sirmondo ibidem laudatus: utramque vero tum unctionem, tum manus impositionem, à solo Episcopo ministratam fuisse.

In secunda ætate usque ad Innocentium I. qui obiit an. 417. unctionem & manus impositionem non tantùm re, sed tempore sejunctam; ita ut unctio seorsim unà cum Baptismo perageretur, manus vero postea confirmans Episcopus imponeret: eam autem unctionem,

nem, quæ prima ætate à solis Episcopis conferebatur, in secunda illa ætate Presbyteris & Diaconis permissam fuisse contendit.

In tertia denique ætate, nempe à tempore Innocentii I. ad nos usque, ait morem antiquum resumptum, ac manus impositionem & unctionem simul copulatam fuisse, cum hoc tamen discrimine, quod recepta in usu fuit duplex unctio chrismatis, una in vertice, cum quis baptizatur, altera in fronte, quæ confirmatoria dicitur; olim vero unicam tantum fuisse. Ita Sirmondus, cujus opinionem fusiori stilo ac grandioribus verbis, nonnunquam duris & acerbis, insequutus est Petrus Aurelius.

V. Sunt igitur ex opposita parte Theologi, qui docent Apostolos nunquam dedisse Spiritum sanctum per solam manus impositionem, sed per adjunctam semper unctionem, quæ jam sola est adæquata & essentialis, manus vero impositio integrans duntaxat materia Confirmationis. Ita Gregorius de Valentia Tom. 4. in S. Thomam disp. 5. q. 1. puncto 1. Estius in 4. dist. 7. paragr. 6 existimat probabile esse Apostolos in administrando Sacramento Confirmationis *neque semper, neque nunquam chrismate usos fuisse.* Eos quidem in ipsis suæ prædicationis exordiis non esse communiter usos chrismate, sed postea, rebus Ecclesiæ constitutis atque ordinatis: neque silentium Scripturæ de illa unctione obstare. "Cum enim, *inquit*, ea quæ ad ritus „Sacramentorum pertinent, secretissima haberentur, ac „ferre sola voce quasi per manus traderentur, facile re-„spondetur, noluisse Lucam neque elementum, neque „verbum hujus Sacramenti scripto prodere." Paragrapho vero sequenti ait, "probabilius esse, Apostolos „initio suæ prædicationis charismate usos non fuisse; „probabile quoque videri, manus impositionem eodem „tempore materiæ locum tenuisse, & orationem locum „formæ; ita ut utraque tunc necessario adhiberetur, „donec introducto chrismatis usu simul cum forma illi „materiæ accommodata, quæ solæ sunt hujus Sacra-„menti partes essentiales, necessitas impositionis manu-„um cessaret, quantum quidem ad essentiam vel inte-„gritatem attinet Sacramenti cum sit tantum cæremo-„nia quædam sacramentalis ex Apostolica traditione „accepta, ideoque non omittenda, utpote necessaria ne-„cessitate præcepti, etsi non Sacramenti.

Tom. 2. p. 82. col. G.

Ibid. F.

Multis, iisque gravissimis incommodis obnoxia videtur hæc sententia. 1. Quia manus impositionem, & à Scriptura, & à tota Ecclesiæ traditione ac praxi commendatam, dicit meram esse cæremoniam, non partem essentialem Sacramenti Confirmationis. 2. Quia non satis intelligitur in principiis sanioris Theologiæ, quomodo manus impositio fuerit materia essentialis Confirmationis, tempore Apostolorum; deinde vero ab ista exciderit dignitate, cum introductum fuit chrisma, quasi in substantia Sacramentorum à Christo instituta & determinata quædam posset admitti mutatio. 3. denique, quia ista opinio Estii supponere videtur Christum non in specie, sed in genere duntaxat determinasse Confirmationis materiam; quam opinionem idem Estius ibidem paragrapho 4. improbat, ac contendit Christum specialiter & immediate instituisse quidquid ad substantiam hujus & aliorum Sacramentorum pertinet.

Quod de Confirmatione dixit Estius, hoc idem de Ordinatione tenuit Hallerius, de Ordinationibus sacris sect. 2. paragr. 6. in fine (pag. 468.) "Nullatenus „dubitem, *inquit*, quin eorum qui apud Græcos Latina, „(nisi ex voluntate S. Pontificis, cui in Ecclesias omnes „suprema est auctoritas) irrita sit Ordinatio. Nam „sicut quæ sufficit apud Græcos impositio manuum, „in Ecclesia Latina ad validam Ordinationem non „sufficit; ita nec forma: utraque enim, tam materia „quam forma, ad validam Ordinationem ab Ec-„clesiæ determinatione pendent: Ecclesia autem „aliam pro Ecclesia Græca formam, aliam pro Latina „determinavit; ideoque Latinorum forma apud „Græcos insufficiens, Græcorum apud Latinos.

VI. denique, sunt qui tum manus impositionem tum unctionem agnoscunt tanquam materiam partialem & inadæquatam, essentialem & necessariam Sacramenti Confirmationis; ita ut ex duplici illa parte una totalis & adæquata materia coalescat, quique contendunt Apostolos utramque semper usurpasse. Ita Aurelius & alii è Recentioribus quamplurimi.

Verùm illi rursus in varias abeunt partes, atque duplicem distinguunt in ritu administrandi Sacramentum Confirmationis, manus impositionem: unam præviam quæ antecedit unctionem, quam Episcopus facit extendendo manus versùs confirmandos, & fundendo orationem ad invocandum Spiritum sanctum; alteram, quæ indistincta est ab actione manus, per quam perficitur unctio. Alii priorem illam manus impositionem solam & essentialem, & veri nominis manus impositionem esse contendunt, quam Veteres velut singularem aliquam ac specialem actionem habuere, & *adumbrationem, extensionem, expansionem manuum* appellaverunt. Alii è contra existimant, præviam illam manus impositionem esse duntaxat cæremoniam, eamque minime necessariam ad substantiam Sacramenti Confirmationis; confundunt illi manus impositionem actione qua perficitur unctio, quæ ab illis ideo manus impositio appellatur, quia fit per manum. Hujus opinionis fundamentum est, tùm quia Græci, qui verum retinent Sacramentum Confirmationis non agnoscunt, nec habent impositionem manus confirmatoriam distinctam ac separatam ab unctione chrismatis, ut legere est apud Goarium; tùm quia Scriptores Ecclesiastici septimi, octavi & noni præsertim sæculi confundere videntur manus impositionem cum unctione, tùm denique quia in usu & praxi hodierna Episcopi nonnulli admittunt ad unctionem confirmatoriam etiam eos qui præsentes non adfuerant, quando totius ritus Episcopus extendit manus versus confirmandos, & oravit ut invocaret Spiritum sanctum. Hac opinione nihil ridiculum magis & absurdum fingi posse pronuntiat Sirmundus Antirrhetici secundi c. 7. Illam tamen sequuntur Hugo Victorinus L. 2. de Sacramentis part. 2. c. 2. Thomas Valdensis Tom. 2. de Sacramentis c. 113. Bellarminus de Sacramento Confirmationis L. 2. c. 9. Illustrissimus Petrus de Marca Notis in Concilium Claromontanum, ubi probat Veteres in unctione chrismatis etiam manus impositionem, & vicissim in manus impositione, unctionem semper complexos fuisse, Isambertus noster ad quæst. 72. tertiæ partis S. Thomæ disp. 1. art. 4. Maldonatus Tractatu de Sacramento Confirmationis q. 2. & alii fere omnes recentiores Scholæ Magistri.

Tom 10. Conc. p. 584. & seq.

Petrus Aurelius in Orthodoxo adversus c. 7 secundi Antirrhetici Sirmondi, mediam quamdam inivit viam; nempe primis sæculis manus impositionem & unctionem duas fuisse distinctas actiones, subinde tamen ab octavo sæculo & deinceps, nexu inseparabili utramque conjunctam fuisse.

P. 562. & 563.

His addi potest & alia opinio, quæ forte fuit Estii ante citati, sed non satis evoluta & distincta; scilicet Christum sic immediate pro materia Confirmationis essentiali instituisse manus impositionem & unctionem, ut vel utraque, vel adulterutra sit adæquata hujus Sacramenti materia essentialis cum forma sibi correspondente, relicta Ecclesiæ libertate, quam vellet pro temporum opportunitate usurpare. Hanc opinionem probabilem judicat Bellarminus L. de Confirmatione c. 9. Ante illum hanc insinuaverat Ruardus Tapperus art. 12. Reipsa quidem commoda foret ista opinio, & conciliando utriusque Ecclesiæ ritu in admini-

ministranda Confirmatione, aptissima: hoc unum duntaxat videtur ipsi deesse, quod conjecturis tantum subnixa sit, non certis ac solidis momentis; in figenda autem et determinanda Sacramentorum substantia, non conjecturis, sed certis ex Scriptura & Ecclesiæ traditione argumentis pugnandum sit. Quid vero nobis verisimilius videatur, sequens aperiet Conclusio.

CONCLUSIO.

Materia essentialis adæquata & totalis Sacramenti Confirmationis, est impositio manuum, & unctio chrismatis,

Probatur isto generali momento. Signum externum ac sensibile, cui & Scriptura & constans Ecclesiæ totius traditio tribuit virtutem conferendi baptisatis Spiritum sanctum, id est gratiam confortantem & roborantem ad fidem Christi constanter & intrepide profitendam; essentialis est Sacramenti Confirmationis materia totalis & adæquata; atqui talis est manuum impositio & unctio crismatis; ergo &c.

Minoris Propositionis pars utraque sigillatim probanda est.

Prima pars Conclusionis, manus scilicet impositionem essentialem esse Sacramenti Confirmationis materiam.

Probatur 1. ex Scripturis. Act. 8. v. 14. 15. 16. & 17. "Cum audissent Apostoli qui erant Jerosolymis, „quod recepisset Samaria verbum Dei, miserunt ad eos „Petrum & Joannem: qui cum venissent, oraverunt „pro ipsis ut acciperent Spiritum sanctum; nondum „enim in quemquam illorum venerat, sed baptisati „tantum erant in nomine Domini Jesu. Tunc impo„nebant manus super illos, & accipiebant Spiritum san„ctum. *Act.* 19. *v* 6. Cum imposuisset illis manus „Paulus, venit Spiritus sanctus." His in locis verum ac proprie dictum Sacramentum exprimi constat ex argumento mox adducto; & qui ex Theologis docent Apostolos per illam manus impositionem, non ipsum Sacramentum, sed rem duntaxat Sacramenti dedisse, ii nostro quidem judicio, rem catholicam, quam hic adversus Novatores propugnandam habemus, multum infirmant, quam nullo Scripturæ testimonio confirmare possunt.

Probatur 2. ex constanti Ecclesiæ utriusque Græcæ & Latinæ traditione.

Ex Latinis jam superius, ubi de veritate seu existentia Sacramenti Confirmationis, laudavimus.

Pro secundo sæculo S. Irænæum L. 4. c. 75. Tertullianum L. de Baptismo c. 7. & L. de Resurrectione carnis c. 8.

Pro tertio, S. Cyprianum Ep. 73. ad Jubajanum.

Pro quarto, Concilium Eliberitanum Can. 38.

Pro quinto, S. Hieronymum Dial. adversus Luciferianos, S. Augustinum L. 15. de Trinitate c. 26. L. 3. de Baptismo c. 16 S. Hilarium Hom. de Pentecoste, quæ vulgo sub nomine Eusebii Emisseni cum cæteris laudari solet, ubi ait: "Quod nunc in confirmandis *Biblioth.*
„Neophytis manus impositio tribuit singulis, hoc tunc *PP. T. 6.*
„Spiritus sancti descensio in credentium populo dona- *p. 649. C*
„vit universis.

Pro sexto sæculo, S. Gregorium in suo Sacramentario, ubi describit ritum administrandi Sacramentum Confirmationis: "Elevata, *inquit*, Pontifex manu su„pra capita omnium, dicit &c.

Pro septimo, Concilium Hispalense, verba supra descripsimus.

Pro octavo, Ordinem Romanum qui eadem fere præscribit, iisdemque verbis ac Sacramentarium S. Gregorii.

Pro nono, Auctores qui de rebus & Officiis Ecclesiastis scripsere, Walafridum Strabonem L. de rebus Ecclesiasticis c. 26. Amalarium Fortunatum L. 1. de officiis Ecclesiasticis c. 27. Rabanum Maurum L. de institutione Clericorum c. 30. Alcuinum L. de Ecclesiasticis Officiis cap. de Sabbato sancto, & Epist. ad Odwinum Presbyterum, quos secuti sunt alii bene multi usque ad Petrum Lombardum, qui scribens in cap. 6. Ep. Hebr. ait: "Nisi quis credat quod per manus impositionem „detur Spiritus sanctus ad remissionem & corrobora„tionem, non est fundatus.

Pro sæculo decimo sexto Concilium Senonense an. 1528. in Decretis fidei n. 10. ubi ait Christum Sacramentum Confirmationis instituisse, *cum parvulis imponeret*; & Apostolos illud promulgasse, "cum ad Sa„maritas miserunt Petrum & Joannem, à quibus illi *Tom. 15.*
„(licet à Philippo Diacono antea baptisati) per impo- *Conc. p.*
„sitionem manuum Spiritum sanctum acciperent." *451. D.*
Concilium Moguntinum an. 1549. Concilium Rhemense an. 1583. Narbonense an. 1609. in quibus dicitur, post Baptismum Spiritum sanctum dari per impositionem manuum Episcoporum. Coloniense an. 1536. parte 7. c. 8. "Omnes Fideles *inquit*, per manus impositionem „Episcoporum, Spiritum sanctum post Baptismum ac„cipere debent, ut pleni Christiani inveniantur.

Ex Græcis vero testes habemus.

Tertio sæculo, Firmilianum Ep. ad S. Cyprianum inter Cyprianicas 75. Dionysium Alexandrinum apud Euseb. L. 7. c. 2. ubi de controversia inter Cyprianum ac Stephanum ait: "Quæstio non modica tunc temporis „mota est, an deberent, qui ex quavis hæresi convertun„tur, Baptismate repurgari; cum priscus mos esset, sola „oratione erga illos cum impositione manuum uti.

Quarto sæculo, Concilium generale I. Nicænum Can. 8. S. Crisostomum in c. 19. Actorum, & in cap. 6. Epistolæ ad Hebræos: verba supra relata sunt.

Quinto sæculo, Theodoretum, qui in eundem Scripturæ locum scribit, "baptisatos per manum sacerdo„talem accipere Spiritum sanctum.

Eodem sæculo Gennadium apud Oecumenium, ubi ait, "merito ipsos primum adhortantes, ut à mortiferis
„operibus resipiscant, resipiscentes autem in Deum *Tom. 2.*
„credant, credentes vero baptisentur, baptiseti autem *418. D.*
„seipsos subjiciant impositioni manuum ad participa„tionem Spiritus.

Sexto sæculo, Eulogium, Alexandrinum L. 2. contra Novatianum apud Photium in Bibliotheca n. 280. ubi sic loquitur: "Deinde progressione facta, dignos reddi
„adventu Spiritus Sancti, qui per impositionem manu- *P. 1606*
„um Apostolorum fiebat. *n. 20.*

Nono sæculo, Photium apud Oecumenium, ubi Confirmationem explicat per "manus impositionem.

Undecimo sæculo, Oecumenium scribentem in c. 6.
Ep. ad Hebr. "Vocans quidem, *ait*, principium Baptis- *Tom. 2. p.*
„ma, & manuum impositionem ac signaculum quæ in *353. D.*
„eo sunt.

Duodecimo sæculo, Simeonem Thessalonicensem L.
de Templo, ubi sic loquitur: "Per manuum impositio- *Biblioth.*
„nem & insufflationem unguenti gratiam impartitur." *PP. T.*
Et L. de septem Sacramentis fere à principio Operis:" *p. 768 C.*
„A Philippo, *inquit*, baptisati, tanquam qui solum Ba„ptisma suscepissent, Petro ac Joanne imponentibus „manus, Spiritum sanctum accipiebant: quod sane „hoc Sacramentum est; siquidem manus impositio un„guentum præbebat, ut & in Apostolis factum est, ac „per ipsos multis aliis.

Denique sæculo decimo tertio, Nicetam à patria dictum Choniatum L. 4. Thesauri orthodoxæ fidei c. 36.
in refutatione hæresis 36. ait, "manuum impositionem *Biblioth.*
„solam divini Spiritus accessum suggerere, atque in *PP. T.*
„Apostolis tam efficacem fuisse, ut palam Spiritus san- *p. 246*
„ctus descenderet.

Eodem sæculo, Michaelem Paleologum & Episcopos

pos Orientales] in Epistola ad Gregorium X. relata in Concilio Lugdunensi II. an. 1274. ubi testantur ratum esse Sacramentum Confirmationis quod per impositionem manuum Episcopi conferunt.
Tom. 11. Conc. p. 966. *Aliud est*, inquiunt, *Sacramentum Confirmationis, quod per impositionem manuum Episcopi conferunt chrismando renatos.* Quæ verba sunt Clementis IV. in ea fidei professione, quam anno 1627. miserat ad eumdem Imperatorem Græcorum, apud Raynaldum Tom. 14. Hanc verò Ecclesiæ Romanæ fidem, ut & in aliis capitibus in eadem Epistola expressis, profitentur ac promittunt Græci se religiosè observaturos, postulata solummodo licentia retinendi eos Ecclesiæ suæ ritus, qui cum exposita fide non pugnant.

Ex illis igitur Ecclesiæ utriusque momentis ac conspirante doctrina, pro certo tenendum, manus impositionem esse partialem materiam essentialem Sacramenti Confirmationis à Christo Domino institutam.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objicies 1, auctoritatem eorum, qui asserunt loco manuum impositionis quæ olim dabatur, jam suffectam esse chrismatis unctionem; unde manifestè sequitur, manuum impositionem non amplius esse materiam essentialem Sacramenti Confirmationis. Ita porro sentiunt

Eugenius IV. S. Pontifex in Decreto seu Instructione Armenis data,
To. 13. Conc p. 536. *Secundum*, inquit *Sacramentum est Confirmatio, cujus materia est chrisma confectum ex oleo, quod nitorem significat conscientiæ; & balsamo, quod odorem significat bonæ famæ, per Episcopum benedicto.* Post laudatum locum ex Actibus Apostolorum cap. 8. sic pergit:
Ibid. *Loco autem illius manus impositionis, datur in Ecclesia Confirmatio.*

In eumdem sensum adduci potest Concilium Tridentinum Sess. 7. Can. 2. ubi solius Chrismatis mentionem facit. *Si quis dixerit, injurios esse Spiritui sancto eos qui sacro Confirmationis chrismati virtutem aliquam tribuunt, anathema sit.*

Decret. p. 279. Innocentius III. cap. *Cum venisset. De sacra unctione*, scribit, *per frontis chrismationem designari manus impositionem Apostolorum.*
To. 12. Conc. p. 676.

Innocentius verò IV. ait illam manus impositionem repræsentari *per frontis chrismationem seu Confirmationem.*

Synodus Moguntina an. 1549. c. 18. Rectoribus Ecclesiarum injungit, *ut diligenter populum instruant, cur hoc Sacramentum ab initio sola manuum impositione exhibitum, mox sub ipsis temporibus Apostolorum ex eorumdem traditione adhibita chrismatis unctione cœperit conferri.* Quo loco manifestè supponit Concilium, manus impositionem, qua usi sunt primitùs Apostoli, mutatam subinde fuisse, ejusque loco subrogatam chrismatis unctionem. An porro mutari posset illa manus impositio, si essentialis ac necessaria foret ad substantiam Sacramenti?

Morinus de antiq. Eccl. ritibus To. 1. p. 244. Adde & orthodoxam confessionem Ecclesiæ Orientalis an. 1662. à Nectario Jerusolymitano & quatuor Sedibus Apostolicis approbatam, cujus in quæst. 104. hæc leguntur. *Hæc verò unguenti inunctio, aut potius hæc unctionis ejus efficacia, avo Apostolorum per impositionem manuum fiebat, dicente ita scriptura Act. 8. v. 7. Tunc imponebant illis manus, & accipiebant Spiritum S. Postmodum in unctione unguenti fieri cœpit, teste Dionysio Areop. Eccl. Hierarch. c. 2. & 4.*

Resp. 1. nec Eugenium, nec Concilium Tridentinum circa præsentem controversiam quidquam definiisse. Cùm enim S. Pontifex in citato Decreto assignat unctionem pro materia Confirmationis, non excludit manus impositionem; quomodo cùm assignat instrumentorum porrectionem pro materia Sacramenti Ordinis, impositionem manuum pariter non excludit, quam constat in utraq; Ecclesia semper adhibitam fuisse tanquam hujus Sacramenti essentialem materiam.

2. Cùm dixit Eugenius, loco impositionis manuum quæ ab Apostolis usurpabatur, dari in Ecclesia Confirmationem, sensus non est, ait Bellarminus L. 2. de Sacramento Confirmationis c. 9. „Chrisma esse loco im- *To. 3. p. 345. co. 1. B.*
"positionis manuum, quasi Apostoli non usi fuerint "chrismate, & nos non utamur impositione manus: *sed* "*sensus est*, idipsum quod Apostoli faciebant, cùm dice"bantur imponere manus, facere nunc Episcopos, cùm "dicuntur confirmare, vel chrismare. Distinguitur enim "in his locis, non ritus à ritu, sed modus loquendi à mo"do loquendi, & personæ à personis; & denique illa "particularis impositio manuum, ab ista quæ modo est: "siquidem tunc communiter dicebatur hoc Sacramen"tum impositio manus, nunc dicitur communiter Con"firmatio... denique illa erat efficacior, quia cum effe"ctu interno dabat etiam externum, & cum gratia gra"tum faciente dabat etiam dona gratis data linguarum "& miraculorum &c. Hac ergo ratione dici potest, id "quod nunc fit, esse loco ejus, quod tunc fiebat, licèt sit "idem quoad substantiam.

Responsio Bellarmini confirmatur tum ex laudato *Decret. p. 279.*
Innocentio III. qui ait, *per frontis chrismationem manus impositionem designari, quæ alio nomine dicitur Confirmatio*, non igitur alia res est, sed tantùm aliud nomen: tum ex Concilio Senonensi an. 1528. in Decreto de Sacramento Confirmationis, ubi dicitur: *Nec* *To. 14. Conc. p. 452. D.*
obscuriùs quidem Christus Sacramentum Confirmationis instituit, cùm parvulis manum imponeret. Quod & ab Apostolis legimus promulgatum, cum ad Samaritanos miserunt Petrum & Joannem.... Unde & tunc impositionis manuum, nunc Confirmationis appellatum est Sacramentum.

Ad Synodum Moguntinam dico, nos ipsi ultrò subscribere qua parte asserit unctionem chrismatis ab Apostolica traditione dimanasse: cùm verò addit, primitùs solam manus impositionem sine unctione adhibitam fuisse ab Apostolis, cùm Spiritus S. visibiliter super confirmatos appareret, sequuta est Synodus illa sententiam quorumdam Scholasticorum, qui existimant Apostolos per dispensationem sola manuum impositione Sacramentum Confirmationis administrasse, sicut multi existimarunt eos pari dispensatione in solo Christi nomine Baptisma contulisse.

Quæ laudata est orthodoxa fidei confessio Græcorum an. 1662. & unctio quam Græci adhibent, non excludunt manus impositionem, saltem eam, quæ cum unctione chrismatis conjuncta est, sicut mox exponemus.

Objicies 2. Græci hodierni, imò nec veteres, manus impositionem in administratione Confirmationis unquam adhibuere. Fatetur id Goarius in Notis ad Euchologium Græcorum pag. 366. col. 2. agnoscit etenim eos Theologos, qui solam manus impositionem pro materia essentiali hujus Sacramenti admittunt, consequenter agnoscere debere nullum esse apud Græcos Sacramentum Confirmationis, cùm apud ipsos non manus impositione, sed sola unctione chrismatis conferatur. *Si nudam*, inquit n. 28. *& aridam manuum impositionem capitis obumbrativam Sacramenti hujus veram & germanam contendant esse materiam, cùm nullam hujusmodi in Euchologiis antiquis, aut recentibus Manuscriptis, aut editis, reperire detur, Græcos ex consequenti Confirmationis signum non habere, nec etiam ab antiquo penes se habuisse, affirment necesse erit.* Et reipsa Sirmondus Antirrhetico secundo, pagina 51. Guidonis Carmelitæ nomine id affirmat. Atqui tamen falsissimum istud est: semper quippe Græci validum habuere, & etiamnum habent Sacramentum Confirmationis; nec Latini ullam unquam circa caput istud litem cum illis habuere, quoties tentata fuit,

vel mixta cum illis unio. Multis id testimoniis confirmat loco mox citato Goarius.

Resp. itaque nego antecedens. Et quidem pro antiqua Ecclesia Græca testantur Scriptores, quos in confirmationem conclusionis nostræ mox laudavimus, usurparunt illi haud dubiè manus impositionem separatam ac distinctam ab unctione chrismatis. De recentioribus verò Græcis paulò major videtur esse difficultas. Goarius quidem in eorum Ritualibus nullam deprehendit manus impositionem separatam ac distinctam: attamen pag. 355. istam refert Orationem, *Ipse Domine, Rex omnium benigne, signaculum doni sancti & omnipotentis & adorandi tui Spiritus, & sancti Corporis & pretiosi Sanguinis Christi tui communionem ei largire, in sanctitate tua custodi illum, in vera fide confirma &c.* Quæ quidem Oratio manifestè pertinet ad Sacramentum Confirmationis; ea quippe recitata, statim baptisatus sancto unguento ungitur in fronte sub hac forma: *Signaculum doni Spiritus sancti, & communio Corporis ac Sanguinis Christi ei conceditur.* Porro ex sancto Augustino L. 3. de Baptismo c. 16. *Quid est manus impositio, nisi oratio super hominem?* Illa igitur Oratio supponit vel includit aliquam manus impositionem. Deinde verò, esto concedamus apud Græcos recentiores nullam adhiberi manus impositionem tempore vel natura distinctam ab unctione, quam Goarius appellat manus impositionem *capitis obumbrativam*: at saltem in ipsamet unctione, quæ manu fit, quædam includitur manus impositio, eam repræsentans quam Apostoli usurpavere, de qua quæstione speciatim mox dicturi sumus.

To. 9. p. 117. E.

Objicies 3. Multi ex veteribus Scriptoribus Sacramentum Confirmationis per solam unctionem chrismatis designant. Ita Cornelius apud Eusebium L. 6. cap. 43. Concilium Laodicenum Can. 48. S. Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi 3. mystagogica, S. Greg. Nazianzenus Oratione in S. Lavacrum, S. Gregorius Nyssenus Oratione in Baptismum Christi, S. Chrysostomus Hom. 1. in Epist. ad Romanos, Theodoretus in caput primum Canticorum &c.

Resp. Multos etiam ex SS. Patribus solam interdum manus impositionem appellare, sine unctione; nec inde tamen licet inferre, eos chrismatis unctionem excludere. Ita pariter, qui unctionem solam designant, manus impositionem non excludunt: pro data scilicet occasione, aut alterutram, aut utramque denotant. Frequentiùs quidem posteriores Scriptores per unctionem seu chrisma Sacramentum istud designant, quàm per impositionem manuum; quia per unctionem expressiùs, quàm per impositionem manus effectus hujus Sacramenti significatur.

Objicies 4. Duplex distingui potest in Confirmatione manus impositio: una prævia, quæ ab unctione tempore ac natura separatur & sejungitur, cùm nempe Episcopus extendens manus versùs confirmandos, Orationem fundit, qua Spiritum sanctum advocat; altera, qua Episcopus baptisatos sacro chrismate ungit in fronte. Atqui neutra dici potest materia essentialis Confirmationis. Non prima: tum quia paulò longiùs dissita est ac separatur ab unctione; tum quia multi Episcopi solent ad unctionem chrismatis admittere eos, qui absentes aderant, cùm Episcopus manus extendit seu imposuit, invocans Spiritum sanctum. Non secunda: nihil quippe absurdius ac ridiculum magis videtur Sirmondo Antirrhetico 2. pag. 39. & 58. quam unctionem idcirco appellare manus impositionem, quia fit per manum. 1. quia Veteres nomine impositionis manuum intelligunt specialem ac distinctam actionem, quam vocant *capitis adumbrationem, manus extensionem, elevationem, expansionem.* 2. quia hac ipsa ratione pariter dici posset unctionem verticalem in Baptismo, & extremam infirmorum, esse manus impositionem, quia utraque fit per manum. *At,* inquit Sirmondus, *ridiculum somnium est dicere, ungendo manum imponi, & manus impositionem in unctione ipsa inesse.*

Gravissima est, non dissimulandum, ista objectio, maximè propter Græcos posteriores, apud quos, cùm nulla sit impositio manus confirmatoria distincta ab unctione chrismatis, alterutrum concludere necesse est: vel illam impositionem manus ab unctione indistinctam sufficere, quod irridet Sirmondus; vel solam chrismatis unctionem pertinere ad materiam essentialem Confirmationis, abrogata veteri & Apostolica manus impositione; quod Scripturæ, Apostolorum & Ecclesiæ praxi non minùs adversatur, quàm evidenti rationi: materia quippe Sacramenti, ut & Sacramentum ipsum, constans ac perpetua esse debet in Religione, nec obnoxia mutationi.

Resp. itaque 1. quantùm ad latinum Confirmationis ritum, appositam non esse, nec urgere objectionem; quia distincta ac separata in eo fit manus impositio cum adjuncta Oratione, quando nempe Episcopus extendit manus versùs confirmandos, & orat; nec ulla ratio cogit ut manus impositionem confundamus cum actione Episcopi chrismate ungentis frontem. Non quia prior manus impositio paulo dissita sit ac sejuncta ab unctione: duæ quippe illæ partes moraliter uniuntur ad idem efficiendum Sacramentum, nec priùs istud operatur, quàm perfectum ac completum fuerit. Nonne Sacramentalis absolutio longo interdum temporis intervallo distat à declaratione seu confessione peccatorum Sacerdoti facta? An minùs propterea efficax est Pœnitentiæ Sacramentum? Nec urget quod ajunt, nonnullos Episcopos solere ad unctionem chrismatis eos admittere qui non aderant, cùm initio ritus Episcopus manus versùs confirmandos extendit, seu expandit, si ita est, quod ignoramus, abusus est corrigendus. In Sacramentis quippe administrandis & percipiendis nihil planè eorum quæ observat & mandat Ecclesia, omitti debet; maximè quando, nulla prælucente Ecclesiæ definitione, dubia est ac controversa inter Theologos Sacramenti alicujus materia vel forma; nisi enim hoc pendente dubio totum id observes, de quo dubitatur, periculum est, ne irritum ac nullum sit Sacramentum.

Resp. 2. quantùm ad Græcos posteriores, tria reponi posse: primum, apud illos Sacramentum Confirmationis sola unctione chrismatis cum adjuncta forma, *Signaculum doni Spiritus sancti &c.* perfici, pro data scilicet à Christo Domino Ecclesiæ libertate, vel utramque partem, vel alterutram pro temporis opportunitate usurpandi. Commoda profectò sententia, & utroque ritu conciliando aptissima, si firmis niteretur fundamentis. Secundum, Græcos simul cum Oratione paulò antè relata, specialem habere manus impositionem ab unctione distinctam. Verùm, teste Goario, reclamant omnes eorum tum veteres tum recentiores Libri Rituales, in quibus de illa manuum impositione altum est silentium. Tertium denique, manus impositionem, quæ pars est essentialis hujus Sacramenti, distinctam & separatam non esse ab unctione chrismatis, quæ rectè impositio manus dicitur, quia manu fit. Quæ opinio, tametsi ridicula videatur Sirmondo, multos nihilominus in Schola patronos habet post Bellarminum, Petrum Aurelium, & alios.

Itaque multi graves Theologi existimant, primis temporibus manus impositionem confirmatoriam distinctam & separatam quidem fuisse ab unctione chrismatis, subinde verò cum illa conjunctam & copulatam. De manus impositione distincta vel conjuncta cum unctione.

Priorem partem his momentis probant.

I. In usu & phrasi tum Scripturæ, tum veterum Scriptorum, manus impositio singularis ritus ac cæremonia est, seu specialis actio, qua Sacerdos aut alius quilibet Superior divinam in aliquem potentiam ac vis-

Primis sæculis distincta fuit.

virtutem invocat, et benedicit ac bene precatur. *Quid enim aliud est manus impositio*, ait S. Augustinus L. 3. de Baptismo cap. 16. *quàm oratio supra hominem?* In usu frequentissimo fuit ritus ille impositionis manuum apud Judæos, apud quos qui majores erant, & aliqua pollebant singulari Dei gratia, inferioribus manus imponendo benedicebant, Gen. 48. v. 14. A Judæis ad nos fluxit ritus imponendi manus. Matth. 19. v. 13. Christus pueris, ut eis benediceret, manus imposuit. Act. 8. v. 19. Apostoli baptisatis manum imposuere, ut acciperent Spiritum sanctum. Ad Titum 4. v. 14. & cap. 5. v. 22. sacri ministri eodem ritu inaugurantur; qui certe specialis erat ab alia qualibet actione distinctus & dicebatus simpliciter manus impositio seu extensio, elevatio.

II. Eodem plane sensu à Veteribus usurpatur, sive cùm in electione ministrorum suffragii signum erat: quo sensu Concilium Laodicenum Can. 5. ait, *electiones debere fieri per impositionem manus*, interprete

P. 831. E. P. 2. B.

Balzamone. Unde Zonaras ad Canonem primum Apostolorum, ait, *ipsum suffragium vocatum esse chirotaniam*, hoc est, *manus impositionem*; quo sensu aliquando ab Auctoribus propbanis sumebatur. sive cum adhibebatur ut ministri sacri inaugurarentur & consecrarentur; ita idem Zonaras loco mox citato: sive cum erat signum orationis qua divina gratia in aliquem invocabatur; quo sensu sumitur à S. Augustino jam laudato, & à Zonara ad Canonem 117. Concilii Carthaginensis; sive cum simplicem benedictionem significabat, ut in Concilio generali Nicæno I. Can. 19. sive denique cum ad materiam Sacramenti Confirmationis assumebatur. Quapropter Veteres de illa, & de unctione separatim, ac tanquam de duabus distinctis actionibus loquuntur. Ita.

Tertullianus L. de Baptismo c. 7. postquam dixit: *Exinde egressi de lavacro, perungimur benedicta unctione*; postea de novo veluti ritu loquens ait: *Dehinc*

Ib. c. 8.

manus imponitur &c, Manus ergo impositio distincta erat & tempore & natura ab unctione. Et Lib. de Resurrectione carnis cap. 8. distinctim etiam utrumque exponit, ac manus impositionem vocat adumbrationem. *Caro*, inquit, *ungitur ut anima consecretur.*

P. 330. B.

Caro signatur, ut anima muniatur. Caro manus impositione adumbratur, ut anima spiritu illuminetur.

P. 124. P. 327.

S. Cyprianus postquam Epist. 73. dixit: *Per nostram orationem & manus impositionem Spiritum S. consequuntur*. Epist. 70. ait: *Ungi quoque necesse est eum qui baptisatus sit &c.*

Adde ex Veteribus antea citatis, cùm & veritatem & materiam Sacramenti exponebamus, eos omnes, qui vel de sola unctione, vel de sola manus impositione, vel de utraque separatim & distinctim loquuntur; qui omnes clare significant se de duobus ritibus, seu duabus actionibus separatis ac distincta sermonem habere.

To. 2. p. 1267. B.

Manifestè ac disertissimè istud patet ex S. Gregorio, tùm Epist. 67. L. 11. aliàs 61. ubi loquens de vario ritu quo Hæretici ad Ecclesiam redeuntes recipiebantur, opponit manus impositionem, per quam Occidens, unctioni chrismatis, per quam Oriens recipit. Tum in suo Sacramentario, ubi describens ritum admini-

To. 2. p. 73. E.

strandi Sacramentum Confirmationis, ait: "Episco„pus elevata manu super capita omnium, dicit: Om„nipotens sempiterne Deus &c. *Idem iisdem fere ver-*

Biblioth. PP. T. 13. pag. 697. col. 1.

„*bis repetit Ordo Romanus cap. de Sabbato S.* Ponti„fex, *inquit*, veniens ad infantes, tenente Archidia„cono chrisma, involutis scapulis & brachiis ex panno „lineo, elevata & imposita manu supra caput omni„um, det orationem super eos, cum invocatione sep„tiformis Spiritus sancti gratiæ, ... Oratione expleta, „interrogantibus Diaconibus nomina singulorum, „Pontifex tincto pollice in chrisma, faciat crucem in „frontibus singulorum, ita dicendo: Confirmo te in „nomine Patris, & filii, & Spiritus S." Idem plane reperias in Pontificali Romano, ubi certe cæcus sit oportet, qui non videat manus impositionem esse ritum & actionem distinctam ab unctione; igitur valde probabile est, primis temporibus manus impositionem fuisse distinctam & tempore & natura ab unctione.

Secunda pars, nempe duas illas actiones olim distinctas & separatas in unum subinde coaluisse; adeoque illam manus impositionem præviam unctioni, quæ initio ritus Sacramenti Confirmationis peragitur, esse dumtaxat cæremoniam accidentalem, non essentialem materiam.

Probant 1. ex Græcis saltem posterioribus, qui, fatente ipsomet Goario in notis ad Euchologium pag. 366. non habent illam capitis adumbrativam, ut loquitur, manus impositionem, & tamen verum retinent Confirmationis Sacramentum, Ergo dicendum est, vel solam unctionem apud illos esse materiam essentialem hujus Sacramenti, vel in illa includi ac confundi manus impositionem. Et vero in eorum Rituali nulla fit mentio impositionis manus, sed unius dumtaxat unctionis pag. 336. & 371.

Probant 2. auctoritate Scriptorum Ecclesiasticorum ab octavo præsertim sæculo, qui unctionem fieri per manus impositionem Episcoporum declarant. Ita.

Beda in Psal. 26. *Illa unctio*, inquit, *quæ per manus impositionem fit ab Episcopo, vulgo Confirmatio dicitur.* To. 8. p. 558. v. 70.

Carolus Magnus Capitularium c. 18. *Ne quis*, inquit, *à Corepiscopis per manus impositionem consignari vel Confirmari unquam velit.*

Amalarius L. 1. de Officiis c. 27. *Ut ab Episcopis solis*, inquit, *inungatur per manus impositionem, ab Apostolis assumptum est.* Biblioth. PP. T. 14. pag. 959. F.

Haymo Hom. in feriam 2. Paschæ. *Ecclesia*, inquit, *ungit baptisatos, dum per impositionem manus Spiritus septiformis invocatur.*

Rabanus Maurus L. 1. de institutione Clericorum c. 28. refert ex Sylvestro S. Pontifice, *ad solum Episcopum pertinere, ut baptisatum per manus impositionem cum ipso chrismate consignet.* To. 6. p. 9. H.

Ratramus Corbejensis Lib. 4. contra opposita Græcorum cap. 7. "Donum, *inquit*, Spiritus sancti tri„buitur per impositionem manuum, quando frontes „baptisatorum chrismate sancto liniuntur ab Epis„copis. Dachery Spicil. To. 2. p. 142.

Hugo Victorinus L. 1. de Sacramento fidei c. 10. „Sancta Ecclesia, *inquit*, prius in aqua mundatur ba„ptismatis, & sic unctione chrismatis insignitur per „manus Pontificis.

Rupertus L. 5. de divinis Officiis c. 16. "Jam, *in*„*quit*, non soli Pontifices & Reges, sed & omnis Ec„clesia unctione chrismatis per manus impositionem „consecratur, quod solis Episcopis debetur, ut consig„nent & Spiritum S. tradant. To. 2. p. 805. col. 1.

Adde, omnes fere recentiores Scholasticos post Bellarminum in hanc conspirare sententiam: ut enim concilient, qua ratione impositio manus, per quam Apostoli tradiderunt Spiritum sanctum, reperiatur in nostro Confirmationis Sacramento, affirmant eam in ipsa unctione chrismatis, quæ per actionem manus perficitur, includi ac contineri.

Juvat hic Bellarmini verba referre L. 2. de Sacramento Confirmationis c. 2. Objicienti Kemnitio rejectam à nobis manus impositionem, ejusque in locum unctionem substitutam fuisse, respondet id falsum esse. „Bis enim, *ait*, Episcopus manus imponit confirman„dis, ut ex Pontificali Romano intelligi potest: semel „cum super eos manus extendit, atque orat; & rur„sum cum signat in fronte, atque ungit; ipsa enim „unctio & signatio cum manu fiat, manus impositio „rectissime dicitur, ut docet Hugo L. 2. de Sacramen- To. 3. p. 137. col. E.

„tis par. 7. c. 2. Unde etiam Marci 7. cum postulas- „sent quidam, ut Dominus manus imponeret lunati- „co; ille id fecit; nam digito tetigit linguam, & aures „ejus. *Idem repetit c. 9.* Alia solutio est, *inquit*, quæ „mihi longe probabilior videtur, Thomæ Waldensis

Ibid. p. 144. E. „Tom. 2. de Sacramentis c. 113. & Hugonis de S. „Victore L. 2. de Sacramentis par. 7. cap. 2. qui di- „cunt idem esse unctionem chrismatis, & manus im- „positionem: qui enim inungit, manus imponit; & „idcirco utrumque significari; etiamsi alterum tan- „tum exprimi videatur.

Ex dictis hactenus facile solvuntur quæ in quarta objectione opponit Sirmondus.

Ad primum fatemur, quod mox probatum est, primis temporibus manus impositionem confirmatoriam tempore separatam ac distinctam fuisse ab unctione chrismatis; subinde vero utramque actionem in unam coaluisse demonstrant laudati Scriptores VII. VIII. & IX. sæculi, quæ duo non satis distinxisse videtur Sirmondus.

Ad secundum: ridiculum quidem videtur Sirmondo, unctionem chrismatis ideo appellare manus impositionem, quia fit per manum; alias, & unctio verticalis in Baptismo, & extrema infirmorum unctio, pariter dici posset manus impositio, quia utraque fit per manum.

Verum non tam absonum ac ridiculum visum illud fuit Ruperto, qui Lib. 5. de divinis Officiis c. 16. sic ait:

To. 2. p. 805. col. 1. „Sylvester Papa constituit, ut baptisatum liniat Pres- „byter chrismate, propter occasionem transitus mortis, „ne propter absentiam Episcopi, & difficultatem eum „consequendi sine manus impositione baptisati „migrent.

P. 460. B. Hugo Victorinus L. 2. de Sacram. par 7. c. 3. ait pariter: " Sylvester Papa constituit, ut baptisatum „Presbyter in vertice chrismate liniat, propter occasio- „nem transitus mortis; ne forte propter absentiam E- „piscopi, & difficultatem eum consequendi, sine ma- „nus impositione baptisatum ab hac vita migrare con- „tingeret. " En unctio verticalis in Baptismo, quæ *manus impositio* appellatur à Ruperto & Hugone, atque in periculo mortis imaginem quamdam gerit impositionis manuum Episcopalis. Fatendum nihilominus, non ita usu pervulgatam ac receptam istam loquendi formam. Quid ita? quia manus impositio nunquam habita fuit pro materia, vel cæremoniæ, qua, qui baptisatur, in vertice ungitur; vel extremæ infirmorum unctionis. Atque ut libere dicam quod sentio, hoc unum ab opinione Sirmondi nos revocat, quod vix cum illa stare ac defendi possit veritas Sacramenti Confirmationis apud Græcos posteriores, quos certum est, nullam habere manus impositionem confirmatoriam distinctam ab unctione chrismatis, unde sequitur, quod jam diximus, aut nullum esse apud Græcos hodiernos Confirmationis Sacramentum, quod falsum est; aut illud sola unctione chrismatis, exclusa manus impositione, perfici, quod cum Scriptura, Apostolorum, ac Ecclesiæ praxi ac traditione conciliari non potest.

Quæres, an de fide sit, utramque manus impositionem, sive eam quæ prævia est unctioni, sive aliam quæ ipsi conjuncta est, ad Essentiam Confirmationis pertinere.

Resp. silente hic Ecclesia, & fidem ipsam quoque silere. Utramque revera manus impositionem apud nos in usu esse constat ex Ordine ac Pontificali Romano; utramque rite observandam esse postulat religio, securitas ac reverentia Sacramenti. An vero utraque essentialis sit Sacramento dubium est ac controversum.

To. 15. Conc. p. 1085. Negare videtur Concilium Bituricense an. 1584. titulo de Confirmationis Sacramento Can. 3. ubi nullam aliam in administratione hujus Sacramenti formulam præscribit, præter istam, *Consigno te signo crucis, & confirmo te chrismate salutis, in nomine Patris &c.* Affirmare è contra videtur tum Conc. Coloniense an. 1536. c. 8. tum Moguntinum an. 1549. c. 17. & 18. ubi docet 1. " Sacramentum Confirmationis ex insti- „tutione Christi & Apostolorum praxi, Ecclesiæ re- „lictum esse. 2. inde Ecclesiam Catholicam Spiritum „sanctum per manus Episcoporum fidelibus tradendi „normam accepisse. 3. hoc Sacramentum ab initio „sola manuum impositione exhibitum fuisse. 4. sub ip- „sis temporibus Apostolorum, ex eorum traditione, „adhibita chrismatis unctione cœpisse conferri. " Requirit Concilium Moguntinum eam manuum impositionem quam Apostoli usurparunt: atqui hoc ipsum Concilium docet Apostolos sola manuum impositione confirmasse. Tum denique Con. Rhemense an. 1583. c. de Confirmatione, ubi ait effectum hujus Sacramenti, *nonnisi per impositionem manuum Episcopi* conferri nulla chrismatis injecta mentione.

To 14. Conc. p. 533. Ibid. p. 676. & 677. To. 15. Conc. p. 189.

Nos affirmanti sententiæ, tanquam Antiquorum menti magis conformi, ultro adhæremus; ac manus impositionem, quæ initio ritus ab Episcopo fit, & tempore distincta est ab unctione, ad substantiam Sacramenti Confirmationis pertinere arbitramur.

Secunda pars Conclusionis, nempe unctionem chrismatis essentialem esse Sacramenti Confirmationis materiam.

Probatur ex constanti ac perpetua Ecclesiæ ac SS. Patrum traditione ab ipsis Apostolis ad nos usque derivata. Merito S. Augustinus Lib. 4. de Baptismo c. 24. ait: *Quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, non nisi Apostolica auctoritate traditum rectissime creditur.*

Cum supra probavimus veritatem seu existentiam Sacramenti Confirmationis, nonnulla laudata fuere testimonia quæ unctionis necessariæ mentionem faciunt, eique virtutem tribuunt conferendi Spiritum sanctum. Ita S. Irenæus, Tertullianus, S. Cyprianus, Cornelius S. Pontifex, Concilium Laodicenum, Concilium Arausicanum I. S. Cyrillus Hierosolymitanus, S. Ambrosius, S. Augustinus, Innocentius I. S. Gregorius. Verba superius jam relata consule, ne sæpius eadem repetamus. Narrat Eusebius Hist. L. 3. c. 23. ex Clemente Alexandrino, historiam juvenis cujusdam, quem S. Joannes Episcopo commendaverat, à quo juvenis ille *baptisatus est, & signaculo Christi communitus.* Signaculum porro illud ipsum est unctionis, seu Confirmationis Sacramentum. Tempore igitur Apostolorum unctio illa confirmatoria in usu erat.

His addi possunt.

S. Pacianus tum Epist. 1. ubi Confirmationem appellat *chrisma*, sicut Baptisma *lavacrum.* Tum Serm. de Baptismo, ubi ait *chrismate superinfundi Spiritum sanctum.* Biblio. PP. T. 4. pag. 307. A.

Theodoretus L. 1. in Cantica, ubi ait, *eos qui initiantur* (sacro Baptismate) *veluti signo ac nota quadam regia spiritalis unguenti chrismate inunctos, sub ea visibili ungenti specie invisibilem sanctissimi Spiritus gratiam suscipere.* Ibid. p. 379. A. To. 1. p. 1002. B.

To 1. p. 156. S. Leo Serm. de Nativitate Domini: *Renati*, inquit, *per aquam & Spiritum S. accepistis chrisma salutis, & signaculum vitæ æternæ.*

Gregorius Turonensis L. 2. Hist. c. 31. de Clodoveo Rege scribens, *Rex*, inquit, *omnipotentem Deum in Trinitate confessus, baptisatus est in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. delibutusque sacro chrismate cum signaculo Crucis Christi.* P. 34. B.

Synodus Hispalensis an. 656. cap. 7. *Presbyteris*, inquit, *non licet nec chrisma conficere, nec chrismate frontes baptisatorum signare.* Tom. 5. Conc. p. 1666. B.

Superfluum videtur plura congerere ad rem claram, & usu hodierno Ecclesiæ tam certam & constantem demonstrandam: quapropter & Decretum Eugenii, & Synodus Tridentina sess. 7. Can. 2. unius dumtaxat chrismatis mentionem hic faciunt.

Sol-

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objicies 1. Altum est de unctione chrismatis silentium, cum Scriptura memorat datum ab Apostolis Sacramentum Confirmationis, Act. 8. & 19.

Varia est, pro sententiarum varietate circa materiam essentialem Confirmationis, ad istud argumentum responsio.

Respondent 1. nonnulli, onctionis confirmatoriæ fieri mentionem secundæ Corinth. 1. v. 21. & 22. *Qui autem*, ait Apostolus, *confirmat nos vobiscum in Christo, & qui unxit nos Deus, & qui signavit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus nostris.* Quem textum de Confirmatione interpretantur S. Ambrosius L. de his qui initiantur c. 7. S. Chrysostomus, & Theoretus in hunc locum, & S. Hilarius. Adducunt præterea & locum ex cap. 2. v. 27. primæ Epistolæ S. Joannis, ubi dicitur: *Et vos unctionem quam accepistis ab eo, maneat in vobis*; quæ verba de Sacramento Confirmationis exponit S. Cyrillus Hierosolymitanus Catechasi mystagogica 3. & S. Aug. in hunc locum.

Respondent 2. alii cum Sirmondo, onctionem illam, de qua Apostolus, non externam esse, sed internam, per diffusam in cordibus Spiritus sancti gratiam. Responsioni favet Synodus Moguntina paulo ante laudata quæ asserit Apostolos per solam manus impositionem Spiritum S. dedisse.

Respondent 3. alii, argumentum illud negativum ex silentio Scripturæ, nullius esse ponderis, cum alia positiva suppetunt ex constanti Ecclesiæ praxi ac traditione, quæ altera est fidei nostræ regula: certum quippe est, multa Christum & Apostolos fecisse, quæ in Libris sacris exarata non sunt, teste S. Joan. cap. 20. v. 30. Et vero multa credimus & observamus in ipsa Sacramentorum administratione, quæ in Scripturis diserte ac clare expressa non legimus, v. g. inter baptisandum verba ista esse pronuntianda, *baptiso te in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S.* infantes baptisandos esse; ratum esse Baptismum ab Hæreticis datum, quæ, ut & alia bene multa sola Traditione ad nos pervenerunt. Idem quoque judicandum de unctione ab Apostolis usurpata, quamquam de illa sileat sacer Contextus; silendo enim eam non excludit; eo sæce modo quo cum eadem Scriptura refert baptisatum à Philippo Eunuchum, postquam professus fuit *se credere Filium Dei esse Jesum Christum*; alia necessaria, quæ tacet, non excludit, sed supponit. *In eo quod ait, Baptisavit eum Philippus*, inquit S. Aug. L. de fide & operibus c. 9. *intelligi voluit impleta omnia, quæ licet taceantur in Scripturis gratia brevitatis, tamen serie traditionis scimus implenda.* To. 6. p. 171. E.

Respondent 4. alii, Apostolos sola manus impositione dedisse Sacramentum Confirmationis, pro libertate sibi à Christo concessa, ut vel manus impositionem, vel unctionem, vel utramque simul pro materia Confirmationis adhiberent, cum alterutra sufficiens sit hujus Sacramenti materia. Ita Synodus Moguntina an. 1549. cap. 18. Estius, & alii.

Instabis 1. Si Ecclesiæ Traditio tam constans ac certa foret pro unctione confirmatoria, ac nos contendimus, de fide esset unctionem illam ad substantiam Sacramenti pertinere, nec cuiquam fas esset obloqui; atqui tamen multi sunt inter Theologos, qui, salva fide, volunt onctionem chrismatis integrantam dumtaxat, ipsam vero manuum impositionem solam essentialam esse materiam Sacramenti Confirmationis. Ita Petrus Aureolus, Sirmondus, Sanbovius antea citati.

Resp. vulgo quidem consentire inter se Theologos, ex Traditione Ecclesiæ perpetua necessariam esse unctionem in Confirmatione; sed non consentire de gradu, seu specie necessitatis quæ ex eadem Traditione colligi potest; alii enim necessitatem essentialem seu Sacramenti putant se in Traditione deprehendere, alii vero necessitatem duntaxat usus & præcepti Ecclesiastici, ad integritatatem quidem, sed non ad substantiam Sacramenti; circa quam controversiam Ecclesia nihil hactenus pronuntiavit, sive in Florentino, sive in Tridentino Concilio. Non in Florentino; in Decreto quippe dicitur tantum, onctionem chrismatis esse materiam Confirmationis; sed non exprimitur, an sit essentialis, an integrans: nemo vero ignorat, quæcumque de materia vel forma Sacramentorum eo in decreto præscribuntur, non pertinere ad essentiam vel substantiam eorum, aut saltem non esse fide certa & definita. V. g. quando ait, unctionem debere fieri ex balsamo; materiam Sacramenti ordinis esse porrectionem instrumentorum; an inde merito concludi potest, ea pertinere ad substantiam illorum Sacramentorum, aut saltem illud de fide certum ac definitum esse? minime profecto. Nihil pariter definitum habemus in Concilio Tridentino Sess. 7. Can. 2. Eo quippe Canone damnantur duntaxat Novatores, qui affirmant eas *esse Spiritus S. injurios*, qui chrismati vim aliquam spiritualem adscribunt: an autem chrisma illud sit necessarium necessitate Sacramenti, minime decernit Synodus, cui semper solemne istud fuit, ne controversias in Scholis agitatas dirimeret ac definiret. In præsenti igitur quæstione, salva hac, sua unicuique relinquitur sentiendi libertas.

Instabis 2. Etsi tota Traditio doceat aquam in Calice Eucharistico miscendam esse vino, non tamen bene concluditur illam esse necessariam necessitate Sacramenti; ergo idem de unctione confirmatoria sentiendum.

Qui unctionem docent necessariam tantum esse ad integritatem Sacramenti, paritatem ultro admittunt.

Alii vero respondent, disparitatem in eo esse, quod ea ipsa Traditio quæ docet aquam esse vino Eucharistico miscendam, docet etiam eam non esse necessariam necessitate Sacramenti, sed tantum præcepti; siquidem ratam & validam habet Eucharistiam in solo vino consecratam: è contra Traditio docet unctionem & adhibendam & necessariam esse ad substantiam Sacramenti, cum ipsi virtutem tribuat conferendi spiritum S.

Instabis denique: SS. Patres non raro meris Sacramentorum cæremoniis effectum spiritualem adscribunt. Sic Tertullianus L. de Baptismo c. 7. & S. Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi mystagogica 2. unctioni baptismali multam vim tribuunt. Non igitur censeri debet unctio necessaria & essentialis materia Confirmationis, eo quod SS. Patres virtutem aliquam spiritualem ipsi attribuant. Resp. negn conseq. & parit. Disparitas est, quia constanter & conceptis verbis SS. Patres affirmant, per unctionem confirmatoriam, tanquam per verum Sacramentum, Spiritum S. conferri. Consule loca superius citata. Unctioni vero baptismali hoc unum tribuunt, ut sit nota Regiæ ac sacerdotalis dignitatis, in qua virtutem aliquam spiritualem agnoscunt quidem; at non ex opere operato sed ex opere tantum operantis. De Conc. Arausicano.

Objicies 2. cum Sirmondo famosum Canonem secundum Concilii I. Arausicani an. 441. quo declaratur unctionem necessariam & essentialam non esse in Sacramento Confirmationis. Gravis circa hujus Canonis & textum & sensum controversia exarsit an. 1631. inter Sirmondum insignem è Societate Jesu Theologum, & Petrum Aurelium, seu Sancyranum Abbatem. Controversiæ occasionem dedit Censora sacræ facultatis Parisiensis, quæ inter plures alias istam propositionem notaverat, *Confirmatio Episcopalis, post institutam presbyteralem chrismationem Baptismi, non est tam necessaria, quam fuit antea.* Hanc confirmare authoritate Concilii Arausicani I. cum tentasset sub ementito nomine *Hermanni Loemelii*, unus è S. J. Theologus; Aurelius in *Vindiciis Censura Sorbonica adversus spongiam Loemelii*, falsitatem propositionis aggressus, de Canone illo Arausicano prolixe dispu-

disputare cœpit, tum de textu, an particula negativa *non* legenda foret, ut contendit Sirmondus; an delenda, ut placet Aurelio: tum de sensu ipso seu explicatione Canonis.

Lectio Sirmondi, *Tom 2. Conc. p. 1447.* Textus Canonis, juxta lectionem Sirmondi, iste est: „Nullus Ministrorum, qui baptisandi recipit officium, „sine chrismate usquam debere progredi, quia inter „nos placuit semel chrismari. De eo autem, qui in Ba„ptismate quacumque necessitate faciente non chris„matus fuerit, in Confirmatione Sacerdos commone„bitur. Nam inter quoslibet chrismatis ipsius nonnisi „una benedictio est: non ut præjudicans quidquam, „sed ut non necessaria habeatur repetita chrismatio.

Lectio Aurelii. Aurelius vero detracta particula, *non*, sic leget posteriorem Canonis partem. *Nam inter nos chrismatis ipsius nonnisi una benedictio est; non ut præjudicans quidquam, sed ut necessaria habeatur chrismatio repetita.*

Uterque vero, tum Sirmondus tum Aurelius, lectionem suam, quæ vel supponit vel detrahit particulam *non*, confirmat auctoritate Codicum manuscriptorum, vel editionum Conciliorum.

Sirmondus in utroque Antirrhetico laudat Codices, Tilianum, Lugdunensem, Rhemensem, Victorinum, editionem antiquam Coloniensem, vetera Isidori Exemplaria, in quibus legitur particula, *non*.

Aurelius è contra opponebat vulgatas omnes & antiquas Conciliorum editiones, quæ omnes particulam negativam non continent, tres Merlinianas, duplicem Binianam, Surianam, Crabbianam duplicem, quæ ad marginem rejicit particulam negativam *non*. Gratianum *De Consecratione*. dist. 4. cap *Nullus*. Porro Auctores illarum editionum procul dubio suos Codices habuerunt ac consuluerunt.

Hac porro supposita textus ac lectionis varietate & dissonantia, textus ex sensu, non sensus ex textu æstimari debet; atque æquitas & ratio postulat, ut ille sensus alteri præferatur, qui ad mores & disciplinam ætatis Concilii Arausicani, hoc est quinti sæculi magis accedere & accomodatus esse videtur. Quis autem ille est? An qui Sirmondi? an qui Aurelii? en quæstio.

Sensus igitur ac mens Sirmondi hæc est, unicam *Sensus & expositio Sirmondi.* eamque frontis chrismationem in Baptismo fieri debere; ac consequenter prohibere Concilium, ne minister baptisaturus sine chrismate progrediatur. Quod si casu aliquo contigerit baptisatum chrismate progrediatur. Quod si casu aliquo contigerit baptisatum chrismate inunctum non fuisse, de hoc monendum Episcopum à quo chrismetur, quia chrismatis una est benedictio, sive in Baptismo sive in Confirmatione: ita ut si quis in Baptismo chrismatus fuerit, necesse non sit eum iterum ab Episcopo chrismari, *non præjudicans quidquam*, id est nullum inde damnum percipiens, *quia necessaria non habetur repetita chrismatio*; sed satis est, si per manus impositionem Episcopalem recipiat Spiritum S. Ex qua Sirmondi sententia hæc sequuntur, quæ ille ultro concedit ac fatetur. 1. unctionem verticis in Baptismo nondum ætate Concilii Arausicani in usu fuisse apud Gallos, sed solam frontis unctionem. 2. frontis unctionem non pertinere ad essentiam Sacramenti Confirmationis, quod una manuum impositione essentialiter perficitur. 3. illam unctionem frontis nequidem fuisse Confirmationis cæremoniam, sed tantum Baptismi, quam idcirco minister Baptismi ordinarius, Presbyter, Diaconus, ex officio conferebat. 4. ætate Concilii Arausicani, quæ secunda est ex tribus quas distinguit Sirmondus, unctionem & re & tempore separatam fuisse ab impositione manus.

Verum multa hic Sirmondus gratis supponit, quæ prorsus falsa videntur.

I. Supponit unctionem, verticis in Baptismo quinto sæculo Gallis ignotam fuisse. Atqui tamen Concilium Valense II. an. 442. Can. 4. mandat *ut Presbyteri per singula territoria à suis propriis Episcopis per annos singulos chrismo petant, appropinquante solemnitate Paschali.... Optimum enim est ut ipse suscipiat, qui in tradendo usurus est.* Porro non in fronte, sed in vertice unctio hæc peragebatur. *Tom 3. Conc. p. 1447.*

II. Supponit unicam esse unctionem, eamque frontis, quæ à ministris Baptismi ordinariis solita esset dispensari: at id falsum, & repugnat tum Decreto Sylvestri, quod in Pontificali refertur, tum Decreto Innocentii I. quo paucis ante Concilium Arausicanum annis statuerat, *ut Presbyteris, seu extra Episcopum, seu præsente Episcopo baptisent, chrismate baptisatos ungere liceat, sed quod ab Episcopo fuerit consecratum; non tamen frontem ex eodem oleo signare, quod solis debetur Episcopis, cum tradunt Spiritum S.* *Tom. 2. Conc. p. 1246.*

III. Supponit omissam in Baptismum verticalem unctionem suppleri non debere, *quia necessaria non est repetita chrismatio.* Atqui manifeste id repugnat communi Ecclesiæ disciplinæ, quæ semper voluit omissas ex necessitate Baptismi cæremonias supplendas esse. Illustre nobis exemplum suppeditat Cornelius S. Pontifex in Epistola ad Fabium Antiochenum. Novatianum reprehendit, eo quod liberatus à morbo, propter quem in lecto baptisatus fuerat, reliqua non perceperat, quæ juxta Ecclesiasticam percipi debent; neque ab Episcopis consignatus fuisset. Apud Euseb. L. 6. Hist. c. 43.

IV. Falso prorsus supponit Sirmondus, ætate Concilii Arausicani Sacramentum Confirmationis sola manuum impositione sine ulla unctione collatum fuisse, imo chrismatis unctionem nequidem Confirmationis cæremoniam fuisse, sed tantum Baptismi, atque tunc temporis unctionem & re & tempore sejunctam fuisse ab impositione manus Episcoporum. His omnibus aperte repugnant quæ paulo ante relata sunt testimonia ex S. Irenæo, Tertulliano, S. Cypriano, Cornelio S. Pontifice, Concilio Laodicæno, quibus certo constat unctionem simul & manus impositionem adhibitam fuisse in administratione Sacramenti Confirmationis.

Hactenus de sensu seu explicatione Sirmondi: Aurelius autem detracta particula negante *non*, agnoscit unctionem frontis omnino necessariam ac essentialem esse Sacramento Confirmationis. In duobus duntaxat à communi sententia recedit. 1. asserit unctionis verticalis in Baptismo usum in Galliis non fuisse, ante Synodum Arausicanam an. 441. Verum illius meminit Innocentius I. an. 416 verba mox relata sunt, & S. Hieronymus ætate sua Presbyteris ac Diaconis præceptam fuisse testatur in Dial. adversus Luciferianos an. circiter 392. Hanc instituisse creditur Sylvester S. P. sub initio sæculi quarti. 2. Affirmat Aurelius, Episcopos nusquam solitos fuisse baptisatos ungere in vertice: quod si antequam consignent in fronte noverint omissam verticis unctionem, eam ipsi non supplent, sed remittunt ad Presbyteros, ab iis supplendam. Verum quis in animum suum facile induxerit, Episcopos, dum solemniter baptisabant, unctionem illam verticalem aut omisisse, aut conferre per se non potuisse? quasi majus quidquam foret cæremoniam perficere, quam Baptismum ipsum.

Ex Canone igitur Arausicano expungenda particula *non*, qua expuncta, sensus Canonis apertus est, facilis ac cohærens cum disciplina hujus temporis; atque objectio proposita nulla est, imo Canon ille Conclusioni nostræ pondus & auctoritatem addit.

Objicies 3. Materia Sacramenti essentialis eadem esse debet specie in utraque Ecclesia; sed unctio quam Græci adhibent, specie differt ab unctione Latinorum, Græci quippe chrisma suum componunt ex diversis herbis fragrantibus, ut legere est apud Goarium, cum olei & vini quantitate non modica, iisque omnibus simul concoctis; Latini vero ex oleo & balsamo, iisque non decoctis.

Resp.

Resp. Græcorum chrisma substantia non differre à chrismate Latinorum : immixtio enim diversorum aromatum naturam olei non immutat, in quo uno tota salva est unctionis materia essentialis ac necessaria.

Quæres 2. quonam præcisè tempore incœperit usus chrismatis in Sacramento Confirmationis.

Resp. 1. planè improbandam esse opinionem tum Alexandri Alensis, qui chrisma institutum fuisse existimat à Concilio Meldensi octavo sæculo, tum Joannis de Bacone, qui originem illam refert ad Concilium quoddam Aurelianense initio sexti sæculi: namque vel ipso secundo, tertio, quarto & subsequentibus sæculis, apud Irenæum, Tertullianum, Cyprianum, Cornelium &c. chrismatis mentionem factam legimus, per quam baptisatis Spiritus sanctus conferebatur.

Resp. 2. usum chrismatis ab Apostolis ipsis inductum fuisse: ea quippe quæ Ecclesia in administratione Sacramentorum constanter usurpat, quorum origo ac initium consignari certò non potest, ex Traditione Apostolica descendere necesse est. Ita S. Augustinus antea laudatus L. 4. de Baptismo cap. 24. An verò Apostoli inter confirmandum chrismate usi fuerint, non consentiunt Theologi. Affirmant nonnulli, negant alii; tum propter silentium Scripturæ, tum propter multitudinem eorum, quibus Apostoli manus imponebant, ut acciperent Spiritum sanctum, quos omnes inungere difficile admodum & operosum tunc temporis fuisset; tum denique, quia potuerunt illi, Christo ita permittente pro temporis necessitate, solam usurpare manus impositionem, injunctâ tamen successoribus lege, ut chrismate deinceps uterentur.

Quæres 2. qua parte corporis fieri debeat unctio confirmatoria.

Resp. in fronte. Innocentius I. in Epist. ad Decentium c. 3. duplicem distinguit unctionem, unam quæ ad Baptismum pertinet & fit à Presbyteris; alteram in fronte, quæ confirmatoria dicitur, solis Episcopis reservata. *Nam* ait S. Pontifex, *Presbyteris, seu extra Episcopum, seu præsente Episcopo baptisent, chrismate baptisatos ungere licet; sed quod ab Episcopo fuerit consecratum: non tamen frontem ex eodem oleo signare, quod solis debetur Episcopis, cùm tradunt Spiritum S.* Unctio porro baptismalis, de qua Innocentius, verticalis est, quæ nempe fit in vertice capitis, ut vulgò interpretantur Theologi. Scilicet *omnes Christiani*, ait Innocentius III. *De sacra unctione* cap. 1. *unguntur bis ante Baptismum oleo benedicto, primùm in pectore, deinde inter scapulas; & bis post Baptismum, scilicet chrismate sancto, primum in vertice, demum in fronte.*

Tom. 2. Conc. p. 1246. C.

Antiquissimum esse in Ecclesia unctionis confirmatoriæ usum in fronte, patet ex Tertulliano L. 3. cap. Marc. c. 22. ubi *signaculum frontium* inter *Ecclesiarum Sacramenta* recenset. Et L. de Præscript. c. 40. ait, *dæmonem*, ad imitationem ritus Christianorum, *signare etiam in fronte milites suos*. Patet ex Canone 7. Concilii secundi œcumenici, quo injungitur, *sancto chrismate* frontem ungendam esse. Ex S. Cyrillo Hierosolymitano Catech. 3. mystag. *Chrismate Christi*, ait, *frons & alii sensus corporis tui symbolicè inunguntur*. Patet denique, ut alia plura mittamus, ex Sacramentario S. Gregorii. *Pontifex*, inquit, *tincto pollice in chrismate, facit crucem in fronte unius, similiter per omnes singillatim.*

Pagina 410. D. Pagina 416. D.

Pagina 135. B. To. 3. p. 74. A.

Istud verò discriminis est inter utramque Ecclesiam, Græcam & Latinam, circa unctionem confirmatoriam, quòd Latini eam dumtaxat adhibent in fronte; Græci verò inungant, non tantùm frontem, sed oculos, & nares, & os, & aures, & pectus, aliqui etiam & manus & pedes. Sola autem unctio frontis essentialis est.

Quæres, cur unctio confirmatoria fiat in fronte.

Resp. cum S. Augustino in Ps. 141. n. 9. *Quia in fronte erubescitur*, (verba sunt S. Doctoris) *ille qui dixit: Qui me erubuerit coram hominibus, erubescam eum coram Patre meo, qui in Cœlis est: ipsam* [Crucis] *ignominiam quodammodo, quam Pagani derident, in loco pudoris nostri constituit.* To. 2. p. 1585. E.

S. Thomas 3. part. q. 72. art. 9. in corp. varias rationes, quibus Veteres utuntur, complexus est. „Dicendum, *inquit*, quòd in hoc Sacramento homo accipit Spiritum S. ad robur spiritualis pugnæ, ut fortiter, etiam inter adversarios fidei, Christi fidem confiteatur. Unde convenienter signatur chrismate signo crucis, in fronte propter duo: primò quidem, quia insignitur signo crucis, sicut miles signo ducis, quod quidem debet esse evidens & manifestum. Inter omnia autem loca corporis humani, maximè frons manifesta est, quæ quasi nunquam obtegitur, & ideo linitur confirmatus chrismate in fronte, ut manifestè demonstret se esse Christianum; sicut & Apostoli post acceptum Spiritum S. se manifestaverunt, quia priùs in cœnaculo latebant. Secundò, quia aliquis impeditur à libera confessione nominis Christi, propter duo, scilicet propter timorem, & propter verecundiam. Utriusque autem horum signum maximè manifestatur in fronte, propter duo, scilicet propter propinquitatem imaginationis, & propter hoc quod spiritus à corde directè ad frontem ascendunt: unde verecundati erubescunt, timentes autem pallescunt. Et ideo in fronte signatur chrismate, ut neque propter timorem, neque propter erubescentiam nomen Christi confiteri prætermittat.

S. Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi 3. mystagogica, exponit pariter, cur non tantùm frons, sed & aliæ nonnullæ corporis partes sacro chrismate liniantur. „Frons, *inquit*, & alii sensus corporis tui symbolicè inunguntur; & corpus quidem isto visibili unguento perungitur, anima verò sancto vivificoque Spiritu sanctificatur. Ac primùm quidem fronti illinitur, ut eum abstergat à vobis pudorem, quem primus homo transgressor perpetuò circumferebat; simulque efficiat, ut possitis vultu non velato gloriam Dei intueri. Deinde verò aures unguntur, ut ad audiendum divina mysteria aures accipiatis,... Postea nares, ut divinum recipientes unguentum dicatis: *Christi gratus est odor Deo in his qui salvantur*. Tum verò & pectus inungitur, ut induti thoracem justitiæ, fortiter adversus insultus diaboli consistatis. Ut enim Salvator post Baptismum, & Spiritus S. adventum egressus in prælium devicit adversarium; sic & vos post sacrum Baptismum & chrisma mysticum, induti armis S. Spiritus adversus oppositam vobis potestatem consistitis & præliamini, dicentes: Omnia possum in eo, qui me confortat, Christo. Pagina 235. B.

Quæres 3. an necesse sit unctionem ad modum seu figuram Crucis administrari, & qua necessitate; an præcepti tantùm, an etiam Sacramenti.

Resp. 1. certum esse in utraque Ecclesia unctionem confirmatoriam in formam crucis ministrari. Patet ex Ordine & Pontificali Romano, ex S. Aug. in Ps. 141. & ex S. Th. 4. p. q. 72. art. 9. &c. & certè vix ulla est Ecclesiastica cæremonia quæ absque signo Crucis perficiatur. *Quod signum*, ait S. Aug. Tract. 118. in Joan. *nisi adhibeatur, sive in frontibus credentium, sive ipsi aquæ ex qua regenerantur, sive oleo quo chrismate unguntur, sive sacrificio quo aluntur, nihil eorum ritè perficitur.* Tom. 3. p. 2. pa. 80. E.

Resp. 2. discordes esse Theologos, an hæc figura Crucis ad essentiam ritus, seu Sacramenti Confirmationis pertineat. Negat Cardinalis Aureolus L. 4. Sent. dist. 7. q. 1. E contra divus Th. 3. p. q. 72. art. 4. S Bonavent. in 4. dist. 7. art. 1. q. 1. ad 3. & 4. Alexander Alensis 4. p. q. 9. membro 2. §. 2. videntur existimare

signum illud Crucis pertinere ad substantiam Sacramenti. Ratio est, quia hæc Crucis figura continetur in formula ipsa seu significatione hujus Sacramenti, qua sublata, formula hæc seu significatio vera non esset. Quid enim significat? non debere hominem baptisatum crucem Christi erubescere, imo aperta fronte eam constanter & intrepide profiteri. *Quia vere in fronte erubescitur*, ait S. Aug. jam citatus in Psal. 141. *ille qui dixit*, Qui me erubuerit coram hominibus, erubescam eum coram Patre meo qui in cœlis est: *ipsam crucis ignominiam quodammodo, & quam pagani derident, in loco pudoris nostri constituit* & S. Th. mox citatus: *Ideo*, inquit, *in fronte signatur chrismate, ut neque propter timorem, neque propter erubescentiam nomen Christi confiteri prætermittat.* Et Eugenius in Decreto toties laudato: *Ideo*, inquit *in fronte, ubi verecundia* To. 11. Conc. p. 536. D. *sedes est, confirmandus inungitur, ne Christi nomen confiteri erubescat, & præcipue crucem ejus, quæ Judæis est scandalum, Gentibus autem stultitia secundum Apostolum; propter quod signo crucis signatur.*

De confectione, consecratione, & applicatione chrismatis,

Opiniones Scholasticorum.

Non moror hic, nec Hæreticorum blasphemiam, qui chrismatis unctionem & consecrationem, magicam excantationem, per summam impietatem appellant; nec Græcorum scismaticorum calumniam, qua nono sæculo Latinos traducebant, quasi chrisma conficerent ex aqua fluminis: quam calumniam propulsarunt Nicolaus I. Epist. 70. ad Episcopos Galliæ, & Ratramus L. 4. c. 7. Operis quod occasione ijstius Epistolæ, jussu Episcoporum Galliæ, adversus Græcos edidit. Nostrorum duntaxat Scholasticorum circa propositum articulum varias exhibeo sententias.

Sunt qui volunt balsamum necessarium esse necessitate Sacramenti. Ita Ægidius Conink, Gamachæus, Ysambertus in 3. partem S. Thomæ ad quæstionem 72.

Sunt è contra qui necessarium tantum dicunt ex præcepto & usu Ecclesiæ. Ita Cajetanus in 3. partem S. Th. q. 72 art. 2. Scotus in 4. dist. 7. art. 2. Estius dist. 4. paragr. 8.

Pariter circa benedictionem chrismatis factam ab Episcopo dissentiunt. Aliqui putant eam ad substantiam Sacramenti pertinere, ut Conink, Ysambertus: alii volunt eam duntaxat esse necessariam ex præcepto, non quidem divino, sed Ecclesiastico. Ita Paludanus in 4. dist. 7. q. 4. art. 1. Cajetanus loco citato art. 3. Dicunt alii stare Sacramentum absque omni prævia chrismatis consecratione, quam opinionem Estius tribuit Francisco à Victoria, & Emmanueli Sà. Ista vero sententia non videtur alia esse quam secunda mox dicta.

Denique circa ipsam applicationem chrismatis in signum Crucis, adhuc discordes sunt, ut jam observavimus. Aliqui videntur existimare modum illum chrismandi, et signum Crucis, necessarium esse necessitate Sacramenti, ut Soto in 4 dist. 7. art 4. Alii vero negant, ut Aureolus. Aliqui putant esse de necessitate Sacramenti, quod unctio fiat in fronte, ut Gregorius de Valentia; Franciscus vero de Victoria id negat. His ita præmissis, Articulum hunc nonnullis interrogationibus ac responsis absolvemus.

Quæres itaque 1. quid sit chrisma.

Resp. juxta vim nominis idem esse ac unguentum, derivatur enim à verbo χρίω ungo. Unde Innocentius I. in Epistola ad Decentium, materiam unctionis infirmorum, quæ solo constat oleo absque balsamo, chrisma nominat. In usu autem Ecclesiastico, chrisma significat aliquam unguenti speciem ex oleo & aliis quibusdam odoriferis conflatam, ad materiam Sacramenti Confirmationis destinatam, necessariam seu ex præcepto, seu ex natura ipsius Sacramenti.

Quæres 2. ex quibus constet chrisma apud Græcos.

Resp. Græcos præter oleum & balsamum, triginta quinque genera aromatum seu herbarum fragrantis odoris admiscere, unà cum vini non exigua quantitate, de qua mixtione legi possunt Habertus Vabrensis Episcopi, & Goarii notæ ad hunc Euchologii locum.

Quæres 3. ex quibus conficiatur chrisma apud nos.

Resp. confici *ex oleo, quod nitorem conscientiæ; & ex balsamo, quod odorem bonæ famæ significat*, ait Eugenius in Decreto. Ita S. Gregorius in suo Sacramentario & omnes Libri Rituales & Auctores qui de divinis Officiis scripsere. S. Th. 3. parte q. 72. ad 3. docet oleum illud debere exprimi ex olivis, neque sufficere oleum nucum, amygdalorum, aut aliud simile; quia solum oleum ex olivis expressum vere & proprie oleum dicitur.

Quæres 4. an balsamum sit necessarium in Confirmationis materia, necessitate Sacramenti.

Resp. negative 1. quia Veteres sæpissime solius olei mentionem faciunt, v. g. Tertullianus, Cyprianus, Concilium Laodicenum, Ambrosius, Augustinus. 2. quia chrisma, de quo tam frequenter Veteres, sæpe simplex oleum significat, ut patet ex Innocentio 1. qui oleum infirmorum appellat chrisma. 3. quia ita docet Innocentius III. cap. *Pastoralis. De Sacramentis non iterandis*, ubi consultus an iteranda foret Confirmatio solo oleo collata, absque balsamo, respondet *nihil esse iterandum, sed caute supplendum id quod incaute fuerat omissum.* Atqui si nullum fuisset Sacramentum absque balsamo, non tantum supplendum fuisset, quod defuerat, sed etiam omnino iterandum, cum parte essentiali caruisset. 4. denique, quia non magis admixtio hæc balsami videtur pertinere ad substantiam Sacramenti, quam admixtio triginta quinque specierum aromatum apud Græcos; atqui ista procul dubio non est essentialis; ergo &c.

Et certe Christus qui voluit Sacramenta prompta & facilia esse salutis nostræ subsidia, voluit consequenter ea rebus facilibus & obviis constare: atque Hæreticis, cum ad nos redeunt, vix suaderi poterit Confirmationem verum esse Sacramentum (in quo tamen uno insistendum est) si ab illis obtinere volueris, balsami & aliorum aromatum mixtionem ad essentiam hujus Sacramenti pertinere.

Neque contrarium definivit Eugenius in suo Decreto: tum quia tantum ait chrisma debere confici ex oleo & balsamo, non explicando nec statuendo eo balsamum necessarium sit necessitate Sacramenti, an vero præcepti & usus Ecclesiastici: tum quia neminem latet, quæcunque eo in Decreto præscribuntur circa materiam aut formam Sacramentorum, non esse ad substantiam Sacramentorum necessaria; v. g. aquam debere vino Calicis Eucharistici misceri, id quidem verum est, sed an pertinet ad essentialem materiam Calicis Eucharistici? minime. Similiter agendo de verbis Consecrationis, refert Eugenius ea omnia quæ in Ecclesia Latina proferri solent, quæ tamen omnia & singula verba non sunt absolute necessaria ad essentiam consecrationis.

Quæres 5. an antiqua sit illa balsami cum oleo Confirmationis mixtura.

Resp. illius apud Latinos mentionem non occurrere ante 6. sæculum quo floruit S. Gregorius Magnus qui in suo Sacramentario mixtionem hanc commendat, sicut & Gregorius Turonensis L. 4. de Gloria Martyrum, & alii subsequentes Scriptores.

Neque est quod opponas 1. Epistolam Fabiani

S. Pont.

S. Pontificis tertio ſaculo,in qua docet mixtionem hanc à Christo eſſe institutam.

Namque quis vel levitet eruditus jam ignorat, Epistolas SS. Pontificum ante Siricium, ſi quædam exceperis fragmenta à Veteribus relata, ſuppoſititias eſſe & adulterinas, quæ continent res à moribus & diſciplina ætatu in qua ſcriptæ ſuppoountur, omnino alienas?

Neque eſt 2. quòd dicas, quarto deſinente ſæculo, idolorum Sacerdotem, cùm ad votum Juliani apoſtatæ ſolita incantamenta peragere non poſſet, exiſtimaretque ſe alicujus Christiani præſentia cohiberi, Imperatori dixiſſe; *Require, Imperator ſacratiſſime, quis adeſt ablutus, balſamo unctus; & abſcedat.* Quo ſermone commotus Julianus dixit: *Quis eſt hic numinibus noſtris contrarius, ac Religionis Chriſtianæ ſocius, qui frontem chriſmatis inſcriptione ſignatam ferat?* Ita refert Gregorius Turonenſis L. 1. de Gloria Martyrum c. 41. Quarto igitur ſæculo balſamum uſurpabatur à Christianis in Sacramento Confirmationis. Gregor. Tur. p. 768. A.

Non eſt, inquam, quod hoc opponas. Namque Gregorius Turonenſis pro more ætate ſua recepto, ſacerdotem illum idolorum loquentem induxit, adeoque unctionis & balſami mentionem facit, quia, qua vivebat ætate, hoc eſt, ſexto ſæculo, balſamum oleo Confirmationis admiſcebatur. Et certè Prudentius, ex quo hiſtoriam illam hauſit Gregorius, de ſolo chriſmate loquitur, nulla de balſamo injecta mentione.

Neque dicas 3. S. Cyprianum in Sermone de unctione, illius balſami meminiſſe; namque compertum eſt apud omnes, Sermonem hunc non eſſe S. Cypriani, ſed Arnoldi Bonæ vallis, vel alterius Cypriano longè recentioris.

Reſp. 2. apud Græcos veteres altum quoque eſſe ſilentium de mixtione balſami & aliorum aromatum in oleo Confirmationis. Sanctus quidem Juſtinus Dial cum Tryphone pag. 313. mixtionis hujus meminit, ſed eò loci de Sacramento Confirmationis ne cogitat quidem, ut legenti patebit. Sanctus pariter Dionyſius, ſeu quiſquis Auctor eſt Libri de Eccleſiaſtica Hierarchia cap. 4. de illa mixtione loquitur: verùm ex hoc ipſo probant eruditi, Librum hunc non eſſe Dionyſii Areopagitæ, ſed Auctoris longè poſterioris, utpote qui contineat ritus ætate Dionyſii incognitos. Unde de illa mixtione tacent SS. Baſilius, Cyrillus Hieroſolymitanus Catecheſi quarta myſtagogica, quæ tota eſt de chriſmatis expoſitione, ſanctus Chryſoſtomus, Theodoretus, Cyrillus, Alexandrinus &c.

Quæres 6. An neceſſaria ſit chriſmatis benedictio per Epiſcopum facta, & an valeret chriſma per ſimplicem Sacerdotem benedictum.

Reſp. ad primum, benedictionem chriſmatis factam ab Epiſcopo, & neceſſariam eſſe, & antiquam, quia Veteres ſive Latini ſive Græci illam exigunt & commendant. Ita Tertullianus L. de Baptiſmo, ubi *benedictam* appellat *unctionem*, S. Cyprianus Epiſtola 70. ubi ait, *oleum in altari ſanctificari*; Optatus L. 7. Innocentius I. Epiſtola ad Decentium, S. Aug. Tract. 118. in Joan. *Quid eſt*, inquit, *quod omnes noverunt, Signum Chriſti, niſi crux Chriſti: Quod ſignum niſi adhibeatur ſive frontibus credentium, ſive ipſi aquæ, ex qua regenerantur, ſive oleo quo chriſmate unguntur, ſive ſacrificio quo aluntur, nihil eorum ritè perficitur.* Idem præcipit Eugenius IV. in Decreto. Græci pariter hanc benedictionem chriſmatis commendant: S. Cyrillus Catecheſi 3 S. Baſilius L. de Spiritu S. c. 27. & omnes eorum Libri Rituales. Tom. 3. par. 2. p. 502. E.

Reſp. ad ſecundum, conſecrationem ſeu benedictionem chriſmatis neceſſariam non eſſe neceſſitate Sacramenti, quia talis neceſſitatis nullum ſatis firmum ex Traditione proferri poteſt argumentum. Et verò licèt aqua baptiſmalis debeat priùs ex uſu Eccleſiæ conſecrari & benedici, valida tamen eſt materia Baptiſmi ſine tali conſecratione. Neque uſus Eccleſiæ contrarium evincit; namque ex ipſo uſu ac Traditione Eccleſiæ certum eſt, aquam in Calice Euchariſtico miſcendam eſſe; neque tamen hæc mixtio pertinet ad eſſentiam conſecrationis Calicis.

Reſp. ad tertium, chriſma per ſimplicem Sacerdotem conſecratum non valere, ſi prohibeat Eccleſia; accedente verò ejus licentia, valere, quia conſecratio hæc juris eſt dumtaxat Eccleſiaſtici, non divini.

Prior reſponſionis pars probatur ex L. 7. Capitularium Caroli Magni cap. 329 ubi chriſma confectum à Corepiſcopis declaratur non eſſe pro Sacramento habendum, quia Corepiſcopi non ſunt veri Epiſcopi. Idem colligitur ex Concilio Carthaginenſi II. & III. & Innocentio I.

Poſterior pars probatur ex Concilio Toletano I. Can. 20. ubi ſic legimus: *Quamvis penè ubique cuſtodiatur, ut abſque Epiſcopo chriſma nemo conficiat, tamen quia in aliquibus locis vel Provinciis Presbyteri dicuntur chriſma conficere, placuit ex hac die nullum alium niſi Epiſcopum chriſma conficere.* Quo loco Concilium non declarat irritam conſecrationem chriſmatis factam à Presbytero ante prohibitionem; neque ad jus divinum recurrit, ſed ad uſum & conſuetudinem Eccleſiæ. Tom. 2. Conc. p. 1226. D.

Quæres 7. qui ſint ritus præcipui conſecrationis chriſmatis.

Reſp. 1. prioribus ſæculis licitum fuiſſe Epiſcopis omni die chriſma conficere, ut colligitur ex Concilio Toletano I. Can. 20. poſteà verò unicam huic conſecrationi faciendæ diem aſſignavit Eccleſia, nempè feriam quintam majoris hebdomadæ, ut conſtat ex uſu Eccleſiæ hodierno.

Reſp. 2. in conſecratione chriſmatis iſtos præſertim ritus obſervari.

I. Funduntur preces, juxta iſtud Apoſtoli 1. ad Timoth. 4. v. 6. *Omnis creatura Dei.... ſanctificatur per verbum Dei & orationem.*

II. Fit ſignum crucis ſuper oleum & balſamum; ſine illo enim nihil poſſe conſecrari docent S. Chryſoſtomus Hom. 4. in Matth. & S. Aug. Serm 181. de tempore & Tract. 118. in Joan.

III. Epiſcopus halat aliquoties ſuper ampullam chriſmatis, quam cæremoniam immeritò ſugillant Novatores, quaſi quid ſuperſtitioſum contineret, eſt enim ſancta & antiqua apud S. Gregorium in Sacramentario, & in Ordine Romano; & ſignificat, ait Amalarius L. 1. cap. 12. *ipſum Spiritum ſanctum qui per confirmationem confertur.*

IV. Chriſma confectum ſalutatur ab Epiſcopo & Presbyteris in hunc modum, *Ave ſanctum chriſma.* Antiqua pariter eſt hæc ſalutatio, cujus mentio fit in Ordine Romano & apud Amalarium. Neque eſt quod Novatores ſalutationem hanc tanquam veram adorationem idolatricam traducant; ſiquidem non abſoluta eſt, neque ad ipſum chriſma in ſe phyſice ſpectatum refertur, ſed ad Chriſtum, cujus ſymbolum eſt, ad quem directè ac primario obſequium iſtud tendit. Neque vero inuſitatum eſt apud Veteres, in ſignum lætitiæ & gratulationis res ſenſu deſtitutas ſalutare. Sic B. Andreas videns Crucem ait, *Salve Crux.* Sic fortunatus ſalutat diem feſtum Reſurrectionis, *Salve*, inquit, *feſta dies, toto venerabilis ævo.* Sic ſancta Paola ſalutavit Bethlem, cum eam primo vidit, referente S. Hieronymo Epiſtola de ejus obitu.

V. Denique, Presbyteri Parochiarum à proprio Epiſcopo, non à viciniore ſacrum chriſma quotannis petere tenebantur, ita colligitur ex Conc. Liptinenſi, ex Valenſi Can. 3. & Antiſſiodorenſi Can. 6. Quod autem ſupereſt veteris chriſmatis, ex uſu & praxi Eccleſiæ comburi debet. Severe autem cautum eſt, ne quid

quid Episcopi à Presbyteris exigant aut accipiant pro balsamo emendo ad conficiendum chrisma. Ita in Conc. Cabillonensi II. Can. 16. Aquisgranensi II. Can. 5. Meldensi Can. 45. Barcinonensi c. 2. Toletan. XI. c. 8.

ARTICULUS IV.

De forma Sacramenti Confirmationis.

Certum est apud omnes, formam Sacramenti Confirmationis positam esse in verbis quæ pronuntiat Episcopus dum illud administrat. *Accedit verbum ad elementum*, ait S. Augustinus, *& fit Sacramentum.* Non omnes autem consentiunt in illis verbis assignandis. Episcopus dum manus imponit, seu extendit versus confirmandos, orat ut invocet Spiritum sanctum; Oratio autem illa his verbis concepta refertur in Pontificali Romano: "Omnipotens sempiterne Deus, „qui regenerare dignatus es hos famulos tuos ex aqua „& Spiritu sancto; quique dedisti eis remissionem om„nium peccatorum; emitte in eos septiformem Spiri„tum tuum sanctum Paraclitum de cœlis. *In Sacra„mentario S. Gregorii pag. 72. & ordine Romano hæc „adduntur*: Spiritum sapientiæ & intellectus, Spiri„tum consilii, & fortitudinis, Spiritum scientiæ & pi„etatis: adimple eos spiritu timoris tui, & consigna eos „signo crucis in vitam propitiatus æternam. Per Do„minum nostrum Jesum Christum &c." Qua expleta Oratione, Pontifex tincto in chrismate pollice, efformat in fronte signum Crucis, dicens, *Signo te signo crucis, & confirmo te chrismate salutis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S.*

Forma Confirmationis apud Latinos.

Forma Confirmationis apud Græcos.

Apud Græcos hunc ritum confirmandi refert Goarius in Euchologio pag. 355. 2. col. „Dominum "precemur. Benedictus es Domine Deus omnipo"tens..., qui & nunc recens illuminatum servum tu"um per aquam & Spiritum, peccatorum sponte at"que etiam indeliberatè commissorum remissione ei "concessa, regenerare voluisti; ipse, Domine Rex "omnium benigne, signaculum doni sancti & omni"potentis & adorandi tui Spiritus, & sancti corporis "& pretiosi sanguinis Christi tui communionem ei "largire. In sanctitate tua custodi illum, in vera fide "confirma, à maligno, & omnibus ejus astutiis erue &c. qua Oratione terminata, baptisatum sancto unguento ungit, Crucis signum faciens in fronte, & in oculis, & in naribus, & in utraque aure, & in pedibus dicens: *Signaculum doni Spiritus sancti.* Manifestum est ex isto utriusque Ecclesiæ ritu administrandi Sacramenti Confirmationis, eamdem prorsus esse quoad sensum utrobique Confirmationis formam: hoc unum discrimen est, quòd apud Latinos Oratio immediatè juncta sit cum impositione seu extensione manuum; apud Græcos verò nulla legatur manus impositio separata & sejuncta ab unctione.

Goarius ibid. p. 356.

Controversia igitur movetur inter Theologos, quibus in verbis posita sit essentialis ac necessaria forma Confirmationis. An in illa Oratione quam Episcopus manus extendens pronuntiat; an in verbis quæ profert dum frontem baptisati chrismate inungit; an in Oratione simul & illis verbis, ita ut ex duplici forma partiali & inadæquata una exurgat totalis & adæquata; sicut ex duplici materia inadæquata & partiali, manus scilicet impositione, & unctione, unam totalem componi diximus. Circa quam controversiam Novatores errant, nostri verò Theologi, salva & integra fide, in varias opiniones abeunt.

Error Novatorum.

Novatores Lutherani & Calvinistæ circa formam Sacramenti Confirmationis errant, ac nobis turpiter imponunt.

I. Ex Lutheranis Kemnitius in quarta parte examinis Conc. Trid. formam istam, *Signo te signo Crucis &c.* explodit ac sugillat tanquam novam ac recentem, cujus nulla mentio nec in Scripturis, nec in antiquis Scriptoribus; quæ tota conficta videtur à nescio quo ex istis Ambrosii verbis in Libro de iis qui initiantur c. 7. *Serva quod accepisti; signavit te Deus Pater, confirmavit te Christus Dominus.*

Calvinus L. 4. Inst. c. 19. parag. 5. „Peragitur, *ait*, P. 537. "hæc Confirmatio hac verborum formula: Consigno "te signo crucis &c. Pulchrè hæc omnia, & venustè: "sed ubi Dei verbum, quod Spiritus sancti præsentiam "hìc promittat? Ne jota quidem obtendere possunt. "Unde ergo nos certiores facient chrisma suum vas esse "Spiritus sancti? Videmus oleum, crassum scilicet & "pinguem liquorem, præterea nihil. Accedat, inquit "S. Augustinus, verbum ad elementum, & fiet Sacra"mentum. Hoc, inquam, verbum proferat, si quic"quam nos intueri in oleo volunt aliud, quàm oleum.

Idem sentit Dallæus L. 1. de Confirmat. c. 2. *Forma hæc*, inquit, *Signo te signo crucis &c. ab Evangelica majestate, gravitate atque genio tantum distat, quàm cœlum à terra.*

Marcus Antonius de Dominis insignis apostata L. 5. de Republ. Christiana cap. 5. n. 44. probat orationem non posse esse formam Sacramenti, *quia oratio impetrat gratiam ex opere, quod ajunt, operantis; at forma Sacramentorum eam conferunt ex opere operato.*

II. Novatores, ut faciliùs simplicioribus illudant ac fucum faciant, nobis imponunt, ac fingunt formam Sacramenti Confirmationis apud nos nullatenus in oratione positam esse, sed in solis istis verbis: *Signo te signo crucis &c.* idque nostris tam ex fide certum ac exploratum esse, ut ea salva nemini liceat aliter sentire ac docere; at imponunt, ut mox patebit.

Opiniones Scholæ.

Nostri verò Scholastici constanter quidem docent, aliquam esse Sacramenti Confirmationis essentialem & necessariam formam; sed in ea assignanda non una est eorum opinio.

Qui pro materia essentiali Confirmationis solam assignant unctionem, in qua manus impositionem confundunt, ii pro forma essentiali adæquata ista duntaxat agnoscunt verba, *Signo te signo crucis, & confirmo te chrismate salutis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*: vel ista apud Græcos, *Signaculum doni Spiritus sancti.* Ita S. Thom. 3. parte q. 72. art. 3. Estius in 4. dist. 7. paragr. 10. Bellarminus L. 2. de Sacramento Confirmationis cap. 10. Maldonatus Tractatu de Confirmatione q. 2. ubi ait formam istam *semper in usu fuisse, cujus origo seu initium reperiri non potest*, & alii ferè omnes quà veteres, quà recentiores Scholastici; manus verò impositionem unctionis præviam, meram dicunt esse cæremoniam. Pagina 77. C.

Inter istos verò Theologos nonnulli sunt, qui post Bellarminum, ajunt in verbis mox citatis tacitam includi orationem, quamquam verba hæc, *Signo te, confirmo te*, absoluta sint, atque ita conciliant & Scripturam & Veteres, qui formam Sacramenti Confirmationis in oratione, qua invocatur Spiritus sanctus, collocare videntur. Ita Petrus Aurelius in Orthodoxo adversus Sirmondi Antirrheticum 2. in cap. 7. pag. 568. Rursus litigant inter se de necessitate exprimendi nomen Patris, & Filii, & Spiritus sancti in forma adducta. Sunt qui cum Armacano seu Richardo Radulpho Archiepiscopo Armacano, qui obiit an. 1359. L. 9. adversus Armenos cap. 12. & Soto in 4. dist. 7. art. 4. putant id ad substantiam Sacramenti pertinere; quam opinionem tutiorem quidem, licèt oppositam probabilem, judicat Estius. Alii negant invocationem hanc Trinitatis pertinere ad substantiam formæ Confirmationis,

tionis. Sunt qui existimant necessarium esse exprimere actum personæ confirmantis & personæ confirmatæ; atque propter defectum hujus expressionis suspectam habent formam Græcorum. Ita Ysambertus ad 3. partem qu.72. dist. 4. art. 3. Sunt denique, qui existimant esse de fide formam Confirmationis esse positam in verbis adductis. Ita Suares in 3. partem S. Th. q. 72. art. 4. disputatione 33. sectione 5.

II. Qui contendunt solam impositionem manus esse materiam essentialem & necessariam Confirmationis, & unctionem esse partem dumtaxat integrantem, ii formam ejusdem essentialem reponunt in ea Oratione quam Pontifex dum manus extendit versus confirmandos, fundit ad invocandum Spiritum sanctum: ista vero verba, *Signo te, confirmo te &c.* quæ dicit Pontifex dum frontes singulorum inungit, ad integritatem solummodo accidentalem Sacramenti & ad majorem effectus ipsius significationem pertinere contendunt. Ita Sirmondus, Sanbovius, Morinus, qui L. 8. de Pœnit. c. 16. n. 5. putat antiquitus in Confirmationis administratione solam orationem in usu fuisse, postea vero, ab annis nongentis, visum fuisse in chrismatis unctione aliquid pronuntiare.

III. Qui existimant & manus impositionem, quæ initio ritus administrationis Confirmationis fit, & unctionem, esse partes essentiales, sed inadæquatas hujus Sacramenti, ii quoque volunt & orationem, quæ impositioni manus; & ista verba, *Signo te, confirmo te &c.* quæ unctioni respondent, formam esse partialem essentialem, atque ex utraque tum materia, tum forma exurgere perfectum & integrum essentialiter Sacramentum Confirmationis.

IV. Sunt qui de forma Confirmationis idem sentiunt, quod de materia; Christum nempe in genere dumtaxat, non in specie ac sigillatim designasse materiam & formam Sacramenti Confirmationis, relicta Ecclesiæ suæ libertate quam vellet pro temporum opportunitate aptiorem eligere ac usurpare; eaque libertate Ecclesiam usam fuisse cum manus impositionem & orationem exemplo Apostolorum adhibuit pro materia & forma Confirmationis, usque ad septimum vel octavum sæculum, quo unctio chrismatis pro materia, & verba ista, *Signo te, confirmo te &c.* pro forma introducta fuerunt. Jam observavimus commodam fore, ac Theologorum dissidiis circa rem præsentem componendis aptissimam istam sententiam; verum hoc habet difficile, tum quod non satis firmis nixa videatur fundamentis, tum quod substantiam Sacramentorum, in quam Ecclesia nullam potestatem habet, variis mutationibus obnoxiam faciat.

Præsens controversia ad fidem non pertinet. Ex illa porro sententiarum varietate ac discrepantia facile intelligitur præsentem quæstionem ad fidem non pertinere, quæ nullo in Concilio generali definita legitur.

Non in Tridentino, in quo materiæ vel formæ Sacramento Confirmationis essentialis, nulla prorsus mentio.

Non in Florentino. In Decreto quidem Eugenii seu Instructione Armenis data, dicitur; *Secundum Sacramentum est Confirmatio; cujus materia est chrisma &c. forma autem est, Signo te signo crucis, & confirmo te chrismate salutis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S.* (*To. 13. Conc. p. 536. A.*) Verum 1. non definit nec determinat Eugenius, an sit materia & forma essentialis, an tantum integrans, an necessaria necessitate tantum usus ac præcepti, an vero Sacramenti. 2. Fatentur omnes fere Theologi, sicut jam observavimus, nonnulla eo in Decreto contineri circa materiam Confirmationis, circa balsamum ejusque compositionem, sicut & circa materiam sacræ Ordinationis, quæ ad fidem non pertinent, sed ad Scholæ controversiam. 3. Decretum illud vim definitionis seu Decreti totius Concilii Florentini non habere; editum quippe fuit Decretum illud Florentiæ, jam dissoluto Concilio quod pro unione Latinorum & Græcorum celebratum fuerat. Armeni quippe, quos Eugenius de fide ac doctrina Latinorum instruit, Florentiam non appulerunt, nisi post absolutam & subscriptam Synodum; ac Decretum Eugenii post discessum Græcorum, anno nempe 1439. decimo Kalendas Decembris, editum fuit. Quapropter cum sub finem illius dicitur, *Datum Florentiæ in publica Sessione synodali solemniter in Ecclesia majori celebrata*: de solis duntaxat Occidentalibus Episcopis intelligi istud debet, qui Florentiæ, Præside Eugenio, congregati ferè annis duobus remanserunt. Nonnulli quidem inter nostros existimant, dictam formulam, *Signo te, confirmo te*, pertinere ad fidem, ut Scotus in 4. dist. 7. art. 1. Dominicus Sòto in 4. dist. unica art 4. Gregorius de Valentia Tom. 4. disput. 5. q. 1. puncto 1. Verum fidei nostræ doctrina, non ex privatorum placitis, sed ex publicis Ecclesiæ decretis ac definitionibus æstimari debet. His præmissis sit.

CONCLUSIO.

Oratio quæ præcedit unctionem, & verba quæ illam comitantur, sunt, tum apud Græcos, tum apud Latinos, adæquata & totalis forma Sacramenti Confirmationis.

Prima pars, quæ orationem spectat, evidenter probatur. (Oratio est forma Confirmationis.)

I. Ex Scriptura & ipso usu Apostolorum. Act. 8. *Oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum S. ..... Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum sanctum.* Habes hic simul & materiam, *manus impositionem*; & formam Confirmationis, *orationem*: erat igitur deprecatoria Confirmationis forma. Sicut enim S. Thomas ex his S. Jacobi verbis, *Orent super eum &c. & oratio fidei salvabit infirmum*, recte concludit, formam unctionis extremæ deprecatoriam esse; ita ex citatis verbis Act. 8. recte concludimus, formam Confirmationis in oratione invocante Spiritum sanctum positam esse.

II. Ex usu ac constanti & perpetua Ecclesiæ praxi idem colligitur, cujus testes sunt.

Tertullianus L. de Baptismo c. 8. *Dehinc manus imponitur, per benedictionem advocans & invitans Spiritum S.* (*Pagina 226. D.*)

S. Cyprianus Epist. 73. ad Jubajanum: *Qui in Ecclesia baptisantur*, inquit, *Præpositis Ecclesiæ offeruntur, ut per nostram orationem ac manus impositionem Spiritum S. consequantur.* (p. 124.)

S. Ambrosius L. 3. de Sacramentis c. 2. postquam disseruit de Baptismo, & unctione quæ in eo fit, *Sequitur*, ait, *signaculum quod audistis hodie legi, quia post fontem superest ut perfectio fiat, quando ad invocationem Spiritus sanctus infunditur.* (*To. 2. p. 363.*) *Invocatio* porro hæc, quid est, nisi Oratio? & *perfectio*, quid, nisi Confirmatio? per quam baptisatus perficitur seu roboratur ad fidem intrepide profitendam.

S. Hieronymus Dial. adversus Luciferianos c. 4. „An nescis [*verba sunt Luciferiani*] Ecclesiarum hunc „esse morem, ut baptisatis postea manus imponantur, „& ita invocetur Spiritus S. Exigis ubi scriptum sit? in „actibus Apostolorum. Etiamsi Scripturæ auctoritas „non subesset, totius orbis in hanc partem consensus „instar præcepti obtineret. (*Tom 4. Part 2. p. 194.*)

S. Aug. L. 15. de Trinitate c. 26. "Quomodo, *ait*, „Deus non est qui dat Spiritum S. imo quantus Deus „est qui dat Deum! Neque enim aliquis Discipulorum „ejus dedit Spiritum S. Orabant quippe ut, veniret in „eos quibus manum imponebant, non ipsi eum da„bant. Quem morem in suis Præpositis etiam nunc „servat Ecclesia ... Nos accipere quidem hoc donum „possumus pro modulo nostro, effundere autem super „alios non utique possumus; sed ut hoc fiat, Deum „invocamus. (*To. 9. p. 999. A.* *Ibid. F*)

Denique S. Leo Epist. 129. al. 79. c. 7. *Qui Baptismum.*

To. 1. p. 688. *tismum*, inquit, *ab Hæreticis acceperunt.... sola invocatione Spiritus sancti per impositionem manuum confirmandi sunt.* Ab ampliori enumeratione testimoniorum ex SS. Patribus, Summis Pontificibus & Conciliis hîc supersedeo, quòd ea jam non semel à nobis laudata fuerint, sive cùm de natura, sive cùm de materia Sacramenti Confirmationis disseruimus.

3. Orationem in Confirmatione semper usurpatam fuisse, fidem certam faciunt omnes ferè Libri Rituales, Pontificales, Sacramentarii, quorum magnum numerum repræsentant Menardus in Notis ad Sacramentarium S. Gregorii, Goarius in Notis ad Euchologium Græcorum, P. Martene, Tomo 1. de antiquis Ecclesiæ ritibus pag. 149. & sequentibus. Initio hujus Articuli Orationem retulimus qua utuntur Latini & Græci: eadem ferè est in aliis Ritualibus, saltem quoad substantiam & sensum. Imò in Sacramentario sancti Gregorii quod Romæ inter ipsius Opera editum fuit, nihil prorsus continetur præter Orationem, quæ incipit ab his verbis, *Omnipotens sempiterne Deus, qui regenerare dignatus es hos famulos tuos.* Ita nec aliud, inquit Morinus L. 8. de Pœnit. c. 16. n. 5. à Pamelio editum; nec illud antiquissimum Corbejensis Bibliothecæ à Menardo nuper donatum; nec aliud S. Eligii, cujus idem Menardus mentionem facit ibidem; nec præterea alterum Turonense antiquissimum Romanum.

P. 102. Sacrament. S. Gregorii Bibliot. PP. T. 4. p. 959. Vetus Ordo Romanus ab Amalario relatus L. 1. de Ecclesiasticis Officiis c. 27. in fine, præter Orationem nihil habet nisi hæc verba, *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Dicit Romanus Libellus, de quo sæpe commemoravimus*, ait Amalarius, *Oratione expleta facit crucem cum pollice ex chrismate in singulorum frontibus, ita dicendo: In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Pax tibi. Et cum spiritu tuo.*

Adde & Pontificale Anglicanum, quod ante annos 800. exaratum fuit, & in Ecclesia Rothomagensi asservatur, in quo etiam legitur Oratio invocans Spiritum sanctum supra eos qui confirmantur, Menardus ibidem.

Verba unctionis conjuncta formæ sunt Confirmationis. Apud Latinos. Secunda verò Conclusionis pars, quæ spectat formam unctioni chrismatis respondentem, apud Latinos istam, *Signo te signo crucis, & confirmo te chrismate salutis, in nomine &c.* apud Græcos verò, *Signaculum doni Spiritus sancti.*

Probatur pro ritu Latinorum, iis veteribus monumentis quæ proferunt Morinus L. 8. de Pœnit. c. 16. n. 5. & Menardus in Notis ad Sacramentarium S. Gregorii pag. 102. P. Martene Tom. 1. de antiquis Ecclesiæ ritibus L. 1. pag. 243. 249. & sequentibus usque ad pag. 265.

In Ordine Romano edito ita præscribitur: *Pontifex post Orationem ait: Confirmo te in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. Respondetur, Amen. Pax tecum. Respondetur, Et cum spiritu tuo.* Ordo Romanus manuscriptus isto antiquior aliquid addit: *Confirmo te*, inquit, *& consigno te in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Pax tecum. Et cum spiritu tuo.*

Antiquissimum Sacramentarium Tolosanum & præcedenti coætaneum, formulam à prædictis paulò diversam exhibet in Officio Sabbati sancti. *Post hæc*, inquit, *Pontifex facit crucem de chrismate cum pollice in singulorum frontibus, dicendo: Signat te Deus sigillo fidei suæ in consignatione fidei, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Amen. Dicit iterum, Pax tibi; & respondetur, Et cum spiritu tuo.*

Notis in Sacram. S. Gregor. p. 102. Menardus duos antiquos manuscriptos Codices refert, qui formam prioribus quàm similem tradunt, *Confirmo te & signo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Pax tecum. Et cum spiritu tuo.*

Turonensis Ecclesiæ Pontificale recentiùs vix ante 400. annos scriptum, hanc longiorem formam exhibet: *Signo te signo crucis, & confirmo te chrismate salutis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. ut replearis eodem Spiritu S. & habeas vitam æternam. Amen.* Eandem planè formam continet Pontificale aliud Tolosanum eadem ætate, vel inferiore scriptum.

Ecclesiæ Rothomejensis Codex præcedente annis circiter centum vetustior, hanc docet formam: *Consigno te signo crucis, & confirmo chrismate salutis, in nomine &c.*

In Bibliotheca Collegii Foxensis extat Ritualis Liber inscriptus, *Ordo Romanæ Ecclesiæ* observari solitus tempore Innocentii III. & aliorum Pontificum, scriptio ejus completa est an. 1365. In eo hæc refertur forma: *Oratione completa, faciat crucem in fronte singulorum cum pollice de chrismate, ita dicendo: Joannes, vel quovis alio nomine, Signo te signo crucis. Pax tecum. Et cum spiritu tuo.*

In omnium antiquissimo Petaviano Codice, quem loco mox indicato n. 5. citat Morinus in Officio Sabbati sancti legitur; *Postea signat eos in fronte de chrismate dicens: Signum Christi in vitam æternam. Amen.*

In Edicto Constantini, quod etsi spurium, attamen antiquum, Silvester dicitur Constantinum hac forma confirmasse, *Signet te Deus sigillo fidei, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. in consignatione fidei.*

Guillelmus Altissiodorensis, ubi de Confirmatione tractat, scribit hanc esse illius formam: *Confirmo te signo crucis, & chrismate salutis, in nomine &c.*

Apud Guillelmum Parisiensem Lib. de Sacramentis ita legitur; *Consigno te, & confirmo te.*

Alexander Alensis 4. parte Summæ q. 9. membro 1. *Hujus*, inquit, *Sacramenti secundum consuetudines diversarum Ecclesiarum diversæ sunt formæ verborum; habet enim quædam Ecclesia hanc formam*, Confirmo te signo crucis & chrismate sanctificationis, in nomine &c. *Alia est ista*, Confirmo & consigno te signo crucis & chrismate sanctificationis, in nomine &c. Quasdam Ecclesias secunda hac forma uti testantur præterea Durandus in 4. distinct. 7. Paludanus ibidem quæstione 1. articulo 3. Sotus ibidem quæstione unica. Albertus Magnus scribit nonnullas uti hac forma, *Confirmo te signo crucis, & confirmo te chrismate salutis*; sed generaliorem esse, *Consigno te signo crucis, & confirmo te chrismate salutis.* To. 4. p. 198.

Quamquam autem in variis illis formulis discriminis nonnihil sit quantum ad verba, sensus tamen idem est, & ad verba Apostoli expressius videtur secundæ Cor. 1. v. 21. *Qui autem confirmat nos vobiscum in Christo, & qui unxit nos Deus, & qui signavit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus nostris.* Non recens igitur, & ad arbitrium efficta videtur ista Confirmationis forma, quæ unctioni respondet, *Signo te signo crucis, & confirmo te chrismate salutis*; ad quam formulam Bellarminus putat allusisse S. Ambrosium, cùm L. de initiandis c. 7. ait: *Signavit te Deus Pater, confirmavit te Christus Dominus, & dedit pignus Spiritus in corde tuo.* Verùm quidquid sit de consilio Ambrosii verbis mox citatis, jamdiu dictam formulam apud nos obtinere ac retinendam esse certissimè constat.

Apud Græcos. Istam verò Confirmationis apud Græcos formulam *Signaculum donationis* vel *doni Spiritus sancti*, usu antiquo receptam, imò & planè necessariam esse, qua omissa, nullum foret apud ipsos Sacramentum Confirmationis, ostendit Goarius in Notis ad Euchologium, pag. 368. & 369. Ad hanc formam allusisse videntur Amphilochius, aut quisquis auctor est vitæ S. Basilii, Concilium I. Constantinopolitanum œcumenicum Can. 7 *Eos signantes dicimus, signaculum doni Spiritus sancti.* (Agitur hîc de modo, quo Hæretici ad Ecclesiam redeuntes recipiendi erant) Beatus Asterius Amaseæ Episcopus desinente tertio sæculo, in Sermone de Prodigo, quem Photius suæ bibliothecæ inseruit, *Datur*, ajebat, *Prodigo post stolam, & annulus, signum intelligibilis confirmationis Spiritus S.* Tom. 2. Conc. p. 952. B. Pagina 1499.

S. Cy-

P. 125. A. B. S. Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi 18. circa finem, de Confirmatione sic loquitur: *Quomodo signaculum vobis datum est Spiritus sancti.*

Aptissimam illam formam esse probat Bellarminus post S. Th. 3. p. q. 72. art. 4. quia ea forma maximè apta & conveniens videtur, quæ apertè explicat & causam principalem, nempe SS. Trinitatem; & causam ministerialem, Episcopum; & effectum ipsum Sacramenti, gratiam scilicet roborantem.

Solvuntur Objectiones.

Objicies 1. Forma Confirmationis est deprecatoria, *Orabant pro eis ut acciperent Spiritum sanctum*, Act. 8. Atqui verba ista: *Signo te signo Crucis, confirmo te chrismate salutis*, indicativa sunt, non deprecatoria; ergo &c.

Resp. 1. Cùm duplex sit partialis forma Confirmationis respondens duplici partiali materiæ, nihil obstat quin forma correspondens impositioni manuum, sit deprecativa; forma verò respondens unctioni sit indicativa. Quamobrem distingui potest major propositio: forma partialis Confirmationis respondens impositioni manuum, est deprecativa, concedo: forma totalis & adæquata, nego.

Resp. 2. Sacramentorum formas, quantumvis indicativè exteriùs enuntientur, sensu tamen ac re ipsa deprecatorias esse; unde à SS. Patribus vocantur preces mysticæ. Quo sensu dixit S. Augustinus Lib. 3. de Baptismo c. 16. *ipsam manus impositionem esse orationem super hominem.* Et L. 15. de Trinitate c. 26. ait, *nullum Discipulorum Christi dedisse Spiritum sanctum, sed orasse ut veniret in eos quibus manus imponebant.* Ratio est, quia homo Sacramentorum minister dumtaxat est; os & manum præbet, Deus autem virtutem. *Hic est qui baptisat*, Joan. 1. v. 33. *Numquid in nomine Pauli baptisati estis?* ajebat Apostolus primæ Cor. 1. v. 13. *Sic nos existimet homo ut ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei*, primæ Cor. 4. v. 1. In ipsa igitur Sacramentorum forma etiam absoluta & indicativa, tacita semper oratio includitur, quia minister divinam opem invocat.

To. 9. p. 117. To. 8. p. 999.

Objicies 2. Forma Sacramenti à Christo debet institui, nec tot mutationibus esse obnoxia; atqui talis non est ista forma: *Signo te signo crucis &c.* cujus institutionis nulla mentio in Scriptura, varietas autem, inconstantia & mutatio multiplex, vel ipso referente Alensi antea citato.

Resp. dist. maj. Forma Sacramententi debet à Christo institui, quoad substantiam, speciem & sensum, concedo: quoad singula verba, nego. Illud enim Ecclesiæ libertati reliquit, ut verba effectui Sacramentorum significando idonea seligeret. Dist. pariter propositionem istam, forma Sacramenti constans esse debet, nec obnoxia mutationi, quæ sensum corrumpat, concedo: quæ sensum integrum servet, nego. Porrò varietas illa & mutatio in verbis, quæ unctionem confirmatoriam comitantur, sensum formæ non adulterant, sed integrum retinent ac servant, ut legenti facilè videbitur.

Objicies 3. Istorum verborum, *Consigno te signo crucis, & confirmo te chrismate salutis*, altum est in Scripturis, & tota retrò antiquitate usque ad octavum sæculum, silentium. In Sacramentario S. Gregorii, ubi exponitur ritus Confirmationis cap. de Sabbato S. hoc tantùm legitur: *Pontifex tincto pollice in chrismate, facit crucem in fronte unius, similiter per omnes singillatim; quibus expletis jussi incipiunt in Ecclesia Litaniam.* De chrismate quidem hîc mentio fit, sed de forma quæ comitetur unctionem nulla mentio.

Amalarius L. de Officiis c. 27. circa finem sic loquitur: *Dicit Romanus Libellus, de quo sæpe commemoravimus, Oratione expleta, facit crucem cum pollice ex chrismate in singulorum frontibus, ita dicendo: In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Pax tibi. Et cum spiritu tuo.* Alia Ritualia citat Sanbovius pag. 277. Pontificale vetus Ecclesiæ Remensis, quod in Abbatia S. Theodorici extat; aliud Anglicanum ante annos 800. exaratum, & in Rothomagensi Ecclesia servatum. Eadem à Morino laudata & opposita fuisse, paulò antè vidimus.

Resp. 1. ex silentio Scripturæ nihil concludi posse: quippe non omnia refert; & quæ omittit, non excludit. Vide, quæ antea respondimus ad simile argumentum negativum contra unctionem chrismatis.

2. In nonnullis quidem Ritualibus ac Pontificalibus nulla fit mentio istorum verborum, *Consignate signo crucis, & confirmo chrismate salutis*: at multò plures sunt Libri Rituales & Pontificales, qui mentionem hanc faciant, quàm qui omittant. In nonnullis Liturgiis, quas repræsentat P. Mabillonius, omittitur forma consecrationis; & P. Martene L. 1. de antiquis Ecclesiæ ritibus cap. 2. art. 3. non dissimulat in plerisque antiquissimis Ritualibus manuscriptis ab annis octingentis & nongentis exaratis, ubi describitur ritus Confirmationis, nullam fieri mentionem impositionis manuum, sed solius & nudæ Orationis, quæ incipit ab his verbis, *Omnipotens sempiterne Deus, qui regenerare dignatus es &c.* imò in aliquibus Codicibus formam Baptismi desiderari. An inde meritò concludi posset, nec manus impositionem, nec formam Baptismi apud Veteres in usu fuisse: absit. Idem planè judicandum de forma Confirmationis: idem quippe Scriptor addit, in omnibus Pontificalibus Libris, quos ingenti numero evolvit, in quibus habetur ordo Confirmationis separatim ab ordine Baptismi descriptus, in omnibus, inquam, illis Libris, unctionem sub certa verborum formula faciendam describi. Quamvis autem quædam sit in verbis diversitas, sufficit eumdem esse sensum, quoad substantiam & significationem effectus sacramentalis.

Duplex autem proferri potest hujus silentii in veteribus Scriptoribus causa & ratio.

Prima, quia sæpissimè contingit, ea quæ vulgata magis sunt ac usu communi trita, prætermitti; quia scilicet propter usum quotidianum & vivam traditionem ignorari non possunt: unde cum primum scripto tradita leguntur, nova non videntur, nec quemquam movent, quibus omnes sunt assueti; quorum tamen originem antiquam & apostolicam esse (maximè ubi de Sacramentis agitur) docet Augustinus jam superiùs laudatus Lib. 4. de baptismo cap. 24. *Quod*, inquit, *universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi Apostolica auctoritate traditum rectissimè creditur.* To. 9. p. 140.

Altera ratio petitur ex lege silentii, de non evulgandis fidei nostræ mysteriis, ne fortè Gentilium & Judæorum irrisioni & prophanationi objicerentur. Quanta fuerit in præsenti negotio Innocentii I. religio, testatur ejus Epistola ad Decentium cap. 3. ubi postquam de unctione in Confirmatione adhibenda disseruit, sic tandem concludit: *Verba autem dicere non possum, ne magis prodere videar, quàm ad consultationem respondere.* Et cap. 8. de Sacramento Extremæ Unctionis; *Reliqua verò quæ scribi fas non erat, cùm adfueris, interrogati, poterimus edicere.* Tom. 2. Conc. p. 1246. D. Ibid. p. 1248. B.

Objicies 4. Oratio, quam recitat Pontifex ante unctionem, non videtur pertinere ad essentialem formam Confirmationis. 1. Quia in Euchologio quod refert P. Martene Tom. 1. L. 1. de Ritibus pag. 227. sic legitur: *Benedictus es Domine Deus &c. Et Oratione hac finita, ornatu Baptismatis exuitur Patriarcha, & assumit eum, qui Missis inservit. Tum vadit ad S. Petrum, Cantore dicente*, Quotquot in Christo baptisati estis, *unguento sancto baptisatos ungit, faciens signum Crucis in fronte, oculis, naribus, fronte, ore, &* dua-

duabus auribus, dicens; Signaculum doni Spiritus sancti. Porrò si Oratio prævia essentialis foret Confirmationi, & non tantum præparatoria, ut quid in uno Templo illa funderetur, & in altero fieret unctio? 2. Idem P. Martene ibidem p. 229. exhibet ex Euchologio ritum baptisandi & confirmandi puerum morti proximum; & juxta quem post Orationem, qua precatur Sacerdos infanti, *Gratiam redemptionis ei largire*, additur, *& confestim oleum in aquam mittit, deinde puerum baptisat, dicens*: Baptisatur servus Dei. *Et continuò induit illum, & sacro ungit chrismate dicens*: Signaculum doni &c. *Et post hæc, juxta ordinem, girat illum cantans*, Quotquot in Christo baptisati estis, *ut supra, & fit dimissio.* Ex quibus patet, Orationem, *Benedictus es Domine Deus omnipotens*, spectatam non fuisse ut essentialem à Græcis, utpote quæ omittatur ubi periculum mortis urget.

Resp. hæc duo parum momenti ac ponderis habere, nec urgere.

Non primum. Namque licèt Oratio in una Ecclesia pronunietur, & in altera fiat unctio, una tamen est moralis actio ad unum & idem Sacramentum perficiendum, si ut jam observatum à nobis fuit.

Non secundum. Quamvis enim in illo Euchologio non legatur Oratio ad unctionem prævia, quæ fortè ex alio Rituali repetenda erat, nonne dici potest Orationem quam tunc Sacerdos fundit, cùm baptisat & ungit, supplere, propter instans mortis periculum, alteram præviam Orationem? Adde quòd hujusce Ritualis tanta non videtur esse authoritas, ut tot momentis, quæ adduximus, præponderare possit.

Objicies denique cum Spalatensi: Sacramentum ex nobis producit gratiam ex opere operato; atqui oratio eam non producit nisi ex opere operantis; ergo oratio non est pars essentialis Sacramenti Confirmationis.

Resp. dist. min. Oratio non producit gratiam ex opere operato, sed ex opere operantis, extra Sacramentum, quando scilicet oratio non est pars Sacramenti, concedo: in Sacramento, & quando est pars Sacramenti à Christo Domino instituta, ab Apostolis & tota Ecclesia usurpata, nego. Oratio porrò in Sacramento Confirmationis est pars essentialis Sacramenti à Christo Domino instituta, ab Apostolis totaque Ecclesia semper usurpata.

QUÆSTIO SECUNDA.

De necessitate Sacramenti Confirmationis.

DUobus modis considerari potest Confirmationis necessitas, vel per ordinem ad effectus quos producit, vel per ordinem ad Fideles, qui ejus præcepto astringuntur; atque inde duæ suboriuntur quæstiones hic expendendæ.

Prima, utrùm Confirmatio ita sit necessaria ad consequendam gratiam in fide roborantem, ut suppleri non possit per unctionem verticalem, quæ fit in Baptismo.

Secunda, quæ sit necessitas Sacramenti Confirmationis respectu Fidelium, an absoluta & medii, ut dicitur; an tantùm præcepti divini vel Ecclesiastici.

ARTICULUS I.

Utrùm Sacramentum Confirmationis suppleri possit per unctionem verticalem Baptismi.

DAllæus Lib. 3. de Confirmatione capite 14. ut ostendat Scriptores noni sæculi non distinxisse Confirmationem à Baptismo, ait constanter eos docere, Sacramentum Confirmationis perfectè suppleri posse in casu necessitatis, per unctionem verticalem Baptismi.

Sunt quidem inter Recentiores, qui cum Sirmondo existimant, unctionem confirmatoriam omissam aliquando fuisse propter unctionem verticis baptismalem, quia juxta illos, necessaria non erat *repetita chrismatio*; verùm non docent illi, unctionem verticis supplevisse, seu locum aliquando tenuisse Sacramenti Confirmationis. Itaque sit

CONCLUSIO.

Unctio verticis in Baptismo usurpata supplere non potest Sacramentum Confirmationis.

Probatur 1. ex usu & praxi Ecclesiæ perpetua, quæ & unctionem verticis adhibuit in Baptismo, & Sacramentum Confirmationis postea administravit. Constat ille usus, tum ex SS. Patribus, qui utriusque mentionem faciunt; tum ex omnibus Libris Ritualibus ac Pontificalibus, in quibus uterque distinctus ritus præscribitur. Unctionis verticalis mentionem faciunt Damasus in vita Sylvestri. Innocentius I. Epist. 1. cap. 3. S. Ambrosius L. 3. de Sacramentis capite I. S. Hieronymus Dial. contra Luciferianos, S. Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi prima mystagogica, S. Gregorius in Sacramentario, Ordo Romanus & alii. Iidem verò SS. Patres efficaciam & necessitatem Sacramenti Confirmationis probant ad obtinendam gratiam roborantem & confortantem, ut constat ex eorum testimoniis suprà relatis: igitur non existimant Sacramentum Confirmationis suppleri per unctionem verticalem Baptismi.

Probatur 2. Quia quod est institutionis humanæ non potest supplere Sacramentum, quod à Christo institutum est: atqui unctio verticis in Baptismo institutionis est humanæ seu Ecclesiasticæ, Sacramentum verò Confirmationis à Christo institutum est; ergo &c.

Dices 1. Scriptores noni sæculi, imprimis Walafridus Strabo L. de rebus Ecclesiasticis c. 26. & Rabanus L. de institutione Clericorum c. 28. docent unctionem verticis institutam fuisse à Sylvestro propter *transitum mortis*, idest, ut in periculo mortis suppleret unctionem confirmatoriam.

Quin duodecimo sæculo Hugo Victorinus L. 2. de Sacramentis par. 7. cap. 3. & S. Thomas decimo tertio sæculo 3. par. q. 72. art. 3. ad 4. idem docere videntur.

Resp. nos suprà, solvendo objectiones Dallæi adversus probationem ex Traditione pro veritate seu existentia Sacramenti Confirmationis, in responsione ad quartam objectionem, diluisse illud momentum ex Scriptoribus noni sæculi propositum. Consule quæ ibi diximus.

Ad Hugonem, dico eum nihil aliud eò loci docere, nisi tantam esse Sacramenti Confirmationis necessitatem, ut unctio baptismalis, quodam modo, idest, valde imperfectè in casu necessitatis, ad illud repræsentandum fuerit instituta.

S. Thomas docet quidem unctioni verticali aliquem spiritualem effectum annexum esse, sicut & aliis Sacramentalibus, id est, cæremoniis Sacramentorum; at nusquam docuit hunc effectum produci ex ipso opere operato, atque per eum Sacramenti Confirmationis effectum suppleri.

Dices 2. Qui uncti sunt in vertice, sunt perfectè Christiani, teste Rabano Lib. 1. capite 28. ergo unctio illa supplet effectum Sacramenti Confirmationis.

Resp. dist. ant. Sunt perfectè Christiani, quantum ad gratiam regenerantem in Baptismo perceptam

ptam, concedo: quantùm ad gratiam roborantem necessariam ad superandas tentationes contra fidem, nego. Id certè volunt SS. Patres, cùm ajunt 1. non accepto Confirmationis signaculo Spiritum sanctum non dari: ita Cornelius S. Pontifex. 2. per hoc signaculum Christianos *consummari & perfici*: ita S. Cyprianus Epist. 73. 3. in Confirmatione dari *plenitudinem Spiritus sancti*; ita S. Th. 3. par. q. 72. art. 1.

ARTICULUS II.

Quæ sit necessitas Sacramenti Confirmationis respectu Fidelium.

NOvatores Lutherani & Calvinistæ suggillant necessitatem Confirmationis, eamque tanquam Spiritui sancto injuriosam traducunt, quasi ipsa iners & ignavus foret in Baptismo, neque sufficientes vires subministraret ad superandas omnes contra fidem tentationes. Hos damnat Concilium Tridentinum Sess. 7. Can. 2.

Omnes Catholici consentiunt necessariam esse Confirmationem, non quidem absolutè, & necessitate, ut ajunt, medii, sed ex præcepto tum divino, tum Ecclesiastico: quamquam sunt aliqui, qui referente Suares in 3. p. q. 72. art. 12. disp. 38. lectione 1. putant, nullo præcepto divino aut Ecclesiastico sub pœna peccati mortalis teneri hominem baptisatum ad percipiendum Confirmationis Sacramentum, modò nullus sit contemptus; si enim adesset, reus homo fieret peccati mortalis. Ita de Valentia, Dominicus Soto, & Conniuk de Sacramentis quæstione 72. articulo 9. dubio 1. Itaque sit,

PRIMA CONCLUSIO.

Sacramentum Confirmationis non est simpliciter & absolutè necessarium, seu, ut dicitur, necessitate medii ad salutem.

Probatur: Quia sine illo potest salus obtineri per solum Baptisma. Patet

Tom. 1. Conc. p. 978. E. Ex Concilio Eliberitano Can. 77. ubi dicitur: „Si "quis Diaconus regens plebem, sine Episcopo vel "Presbytero aliquos baptisaverit, eos Episcopus per "benedictionem perficere debet. Quòd si antè de sæ"culo recesserint, sub fide qua quis credidit, poterit esse justus.

Ex sancto Hieronymo Dial. adversus Luciferianos. *T. 4. p. 2. 295.* "Multis, *inquit*, in locis idem factitatum reperimus, "ad honorem potiùs Sacerdotii, quàm ad necessita"tem legis. Alioqui si ad Episcopi tantùm impreca"tionem Spiritus sanctus defluit, lugendi sunt, qui in "lectulis, aut in castellis, aut in remotioribus locis per "Presbyteros & Diaconos baptisati antè dormierunt, "quàm ab Episcopis inviserentur.

Biblioth. PP. To. 6. Pag. 649. D. Ex Hilario Arelatensi Hom. de Pentecoste: „con"tinuò transituris, *inquit*, sufficiunt regenerationis be"neficia: victuris autem necessaria sunt confirmationis "auxilia.

Ratio est aperta, quia ex dictis ubi de Baptismo, omnia peccata perfectè delentur per Baptismum; igitur homo baptisatus, in quo nihil damnationis remanet, sine confirmationis Sacramento potest vitam æternam assequi.

Dices: Necessarium est necessitate medii, ut homo sit perfectus & consummatus Christianus: sed in doctrina SS. Patrum hoc habetur per Sacramentum confirmationis.

Resp. dist. maj. Perfectus christianus per Baptismum, ea scilicet perfectione quæ regenerationem & perfectam involvit justificationem, concedo: perfectus christianus per Sacramentum confirmationis, perfectione scilicet accidentali, quæ sit ad robur & augmentum gratiæ, nego.

Instabis: Necesse est necessitate medii, ut homo superet tentationes contra fidem; sed gratia destinata ad superandas illas tentationes datur per Sacramentum confirmationis; ergo istud Sacramentum est necessarium medii necessitate.

Resp. dist. min. Gratia secundùm augmentum & robur considerata datur per confirmationem, ad faciliùs & promptiùs superandas tentationes contra fidem, concedo: gratia secundùm se simpliciter considerata, cum qua potest absolutè homo tentationes illas superare, nego. Baptismi enim gratia absolutè atque ex se ad hoc sufficere potest: quia tamen Christus eum in finem Sacramentum confirmationis instituit, ut esset medium ordinarium, quo gratia roborans necessaria conferretur, ideo necessarium est ex præcepto tum divino tum Ecclesiastico, non verò absoluta necessitate ad salutem. Dici quoque posset, id quod necessarium est necessitate præcepti divini, fieri quoque necessarium necessitate medii, quando præceptum urget, quod si non observatur, reus homo fit mortis æternæ: sed talis necessitas, ut alias observavimus, impropriè dicitur medii; propriè enim illud dicitur necessarium necessitate medii, quod continet & confert eum gratiæ gradum, qui per se necessarius est ad salutem: porro talis non est gratia, quæ datur per Sacramentum confirmationis, quæ gratiam baptismalem supponit ad salutem ex sese sufficientem.

SECUNDA CONCLUSIO.

Sacramentum confirmationis necessarium est Fidelibus adultis in re vel in voto, necessitate præcepti divini & Ecclesiastici.

Probatur prima pars, quia tenetur quilibet christianus ad eam perfectionem contendere, quæ necessaria est, ut securitati suæ consulat, & pericula adversus fidem constanter superet. *Adversarius enim vester diabolus*, ait S. Petrus primæ Epistolæ c. 5. v. 8. *tanquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret: cui resistite fortes in fide.* Et Ephes. 6. v. 11. *Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias diaboli.* Atqui ad hoc necessarium est sacramentum confirmationis; ut constat ex sanctis Patribus antea citatis, qui ajunt, sine illo non dari Spiritum sanctum, hominem non perfici, non consummari, non habere plenitudinem gratiæ. Unde S. Thomas 3. part. q. 72. art. 1. ad 3. docet sacramentum hoc *cooperari ad perfectionem salutis, & hoc modo esse de necessitate salutis*; & articulo 8. ad 4. infert sacramentum hoc *moribundis conferri debere, ut in Resurrectione perfecti appareant.*

Probatur secunda pars auctoritate conciliorum & sanctorum Patrum, qui passim necessitatem confirmationis ex usu & consuetudine seu præcepto Ecclesiæ commendant. Ita concilium Eliberitanum can. 38. concilium Laodicenum can. 48. concilium Parisiense VI. c. 33. Senonense an. 1524. Remense anni 1583. S. Cyprianus Epist. 72. *Necesse est ungi eum qui baptisatus sit.* S. Hieronymus Dial. adversus Luciferianos. S. Gregorius Magnus Lib. 12. Epist. 31. Jonas Aurelianensis Lib. 1. cap. 7. Petrus Damianus serm. 1. in Dedicatione Ecclesiæ, & alii bene multi, quorum verba in re facili & obvia exscribere superfluum videtur. Hinc meritò damnata est ab Academia Parisiensi anno 1631. cujusdam Auctoris sub nomine Danielis à Jesu hæc propositio, „ chrismate uncti in Baptismo, licèt "ab Episcopo non confirmati, perfecti sunt christiani "in sensu Patrum. Quæ propositio," *ait Censura*, "falsa est, temeraria, contra sensum unanimem Pa"trum; & in contemptum confirmationis, & in er"rorem inducens.

TERTIA CONCLUSIO.

Præceptum divinum suscipiendi Sacramentum Confirmationis maximè obligat vel tempore persecutionis contra fidem, vel quando instant graves circa Religionem tentationes, vel in præsenti mortis periculo.

Probatur ex fine, ad quem institutum à Christo fuit Sacramentum Confirmationis, nempe ad præmuniendos Fideles contra omnes tentationes adversus fidem, ejusque impugnatores superandos per firmam & constantem Christianæ Religionis professionem. Tum igitur maximè urget hujus Sacramenti percipiendi mandatum, cùm instant illæ tentationes, ac fidei nostræ hostes arte, dolo, minis, suppliciis vel præmiis Fideles à fide sua dejicere conantur. Obligat etiam istud præceptum in articulo mortis, quo tenetur quilibet, quantum potest, ad perfectionem Christianam aspirare, totisque viribus contendere: per Sacramentum autem Confirmationis homo perficitur & consummatur in fide christiana, ut docent sancti Patres.

QUARTA CONCLUSIO.

Præceptum Ecclesiasticum percipiendi Sacramentum Confirmationis obligat, cùm baptisatus pervenit ad annos discretionis, & eo præsertim tempore, quo præsens est ac paratus Episcopus illud administrare, nullamque baptisatus habet legitimam causam differendi illius perceptionem.

Probatur ex Canonibus secunda conclusione indicatis, præsertim verò Senonensi, *Confirmationem*, inquit, *omnes Christiani tam viri quàm mulieres, usum rationis habentes, obligantur suscipere, aut saltem non contemnere. Contemni autem dicitur, quando Episcopus est præsens paratus dare, & persona hoc sciens negligit.* Inde eadem mox dicta Censura Sorbonica meritò istam propositionem confixit, *Omnes Theologi dicunt Confirmationem non præcipi, nisi cùm commodè haberi potest; vel (ut alii dicunt) commodissimè; quando sine ullo vel minimo prorsus incommodo.*

Quæres 1. Utrùm parentes filios, domini servos suos teneantur vi præcepti Ecclesiastici adducere confirmandos ad Episcopum.

Resp. affirmativè, quia parentes filiorum, & domini servorum suorum salutis curam gerere tenentur; ergo invigilare debent, ut omnia pietatis christianæ officia, quantùm eorum patitur conditio, adimpleant, adeoque & ipsum percipiant Confirmationis Sacramentum.

Quæres 2. An sint ad Tonsuram Clericalem admittendi, qui confirmati non sunt.

Resp. negativè. Ita Concilium Tridentinum Sess. 23. capite 4. de Reformat. *Prima*, inquit, *Tonsura non initientur, qui Sacramentum Confirmationis non susceperint.* Si tamen ea omissa, fuerint Tonsura initiati, non sunt irregulares, quia nullo jure, nullo Canone pœna hæc imposita legitur: odia autem restringenda sunt, & favores amplificandi.

Tom. 14. Conc. p. 866. F.

Ex his satis intelligitur, Episcopos teneri ex officio Sacramentum Confirmationis, cujus ministri sunt ordinarii, suis conferre, aut providere, ut conferatur; reciproca enim obligatio est, tum in Episcopo, ut conferat, tum in baptisato, ut istud Sacramentum percipiat.

QUÆSTIO TERTIA.

De causis seu auctore, ministro, & subjecto Sacramenti Confirmationis.

ARTICULUS I.

De auctore Sacramenti Confirmationis: An & quando fuerit à Christo institutum.

Duo exhibet titulus hujus Articuli. Primum, an Christus Sacramentum Confirmationis instituerit. Secundum, quandonam illud instituerit.

Opiniones Scholæ.

Misso Novatorum nostrorum errore, qui confirmationem nostram ex numero Sacramentorum expungunt, ac consequenter negant Christum illius auctorem esse, Scholastici in varias abeunt sententias, tum circa institutionem, tum circa tempus institutionis.

Circa primum, S. Thomas 3. part. q. 72. art. 1. ad 1. tres recenset opiniones.

Prima est eorum, qui docent Sacramentum hoc neque à Christo, neque ab Apostolis institutum fuisse, sed ab Ecclesia.

Ita Alexander Alensis quem non semel eam in rem laudavimus, part. 4. q. 24. membro 1. ubi ait institutum ab Ecclesia in Concilio Meldensi an. 845. Magistrum sequitur S. Bonaventura in 4. dist. 7. art. 1. q. 1. & 2. ubi docet institutum hoc Sacramentum à primis temporibus Apostolorum: nonnulli dicunt in Concilio Aurelianensi.

Hanc Alensis opinionem falsam & hæreticam esse post tot Ecclesiæ declarationes, pronuntiat Gregorius de Valentia Tom. 4. in S. Thomam dist. 5 q. 1. part. 1. sed non videtur ille satis attendisse ad mentem Alensis & aliorum: cùm enim negent illi Sacramentum confirmationis à Christo institutum fuisse, de immediata institutione intelligi possunt, non de mediata, expressè quippe asserit Alensis, *Spiritus sancti instinctu institutum esse hoc Sacramentum, à quo virtutem omnem suam accepit*: quibus certè verbis innuit se loqui tantùm de institutione immediata, cùm negat illud à Christo Domino institutum fuisse. Quamquam autem vera sit eorum sententia, qui docent christum immediatum esse omnium Sacramentorum parentem & auctorem, non tamen est de fide, etiam post Concilium Tridentinum, ut in Tractatu de Sacramentis in genere ostendimus, multò minùs ætate Alensis & sancti Bonaventuræ, quorum iste obiit anno 1274. ille 1245. Hinc est quod sanctus Thomas citato loco, modestè, ut solet, hanc opinionem refellens, eam ut erroneam aut hæreticam non traducit.

Cardinalis de Vitriaco Histor. Occidentalis capite 37. ait, Sacramentum istud institutum esse partim ab Apostolis, quantùm ad manus impositionem, partim ab Ecclesia, quantùm ad unctionem chrismatis.

Ad hanc sententiam accedunt, quotquot existimant christum nonnullorum sacramentorum materiam & formam in genere tantum determinasse, facta Ecclesiæ potestate determinandi in specie singularem materiam & formam: multos hujus opinionis patronos appellat Morinus L. 8. de Pœnitentia cap. 17. atque inde concludunt, Apostolos modò impositione manus, modò unctione usos fuisse pro materia confirmationis, pro libertate sibi à christo concessa.

Secunda opinio eorum est, referente sancto Thoma, qui dicunt hoc sacramentum fuisse ab Apostolis institutum.

Tertia

Tertia denique eorum qui contendunt illud, perinde ac cætera novæ Legis Sacramenta, fuisse à Christo Domino institutum.

Circa secundum, nempe tempus institutionis, longè major est opinionum varietas. Sunt qui volunt institutum Confirmationis Sacramentum, cùm Christus Matth. 19. manus imposuit infantibus. Ita Patres Concilii Senonensis an. 1528. Alii in nocte Cœnæ; ac maximè nituntur hi Auctores testimonio Fabiani S. Pontificis Epist. 2. cap. 1. Ita Suarez in 3. part. quæst. 72. disp. 32. sect. 2. Alii dicunt promissione, non exhibitione, fuisse institutum, quando nempe promisit Christus se daturum Spiritum S. Ita S. Thomas 3. part. qu.
To. 2. p. 2. p. 79. col. 1. C. 72. art. 1. ad 1. *Verum*, ut rectè arguit Estius in 4. dist. 7. paragr. 4. *si propterea Sacramentum hoc instituit Christus promittendo, quia promisit Discipulis Spiritum S. igitur & exhibendo, quia ipse Spiritum S. quem promiserat, mittendo exhibuit.* Alii dicunt institutum post Resurrectionem, cùm Apostolis dedit Christus Spiritum S. Joan. 20. Ita sentire videtur Scotus in 4. dist. 7. quæst. 1. ad primam objectionem. Alii denique institutum affirmant in die Pentecostes, cùm primùm Apostoli fuerunt confirmati. Ex ista autem sententiarum varietate satis apparet, valde incertum & obscurum esse tempus institutionis Sacramenti Confirmationis. Itaque sit

CONCLUSIO.

Christus immediatè per se instituit Sacramentum Confirmationis, quo præcisè tempore, planè incertum est.

Prima pars probatur. Tum quia solus Christus potuit Confirmationem instituere tanquam verum Sacramentum, quia nempe solus habuit potestatem excellentiæ, ad quam pertinet Sacramentorum institutio; solus etiam potuit gratiam infallibiliter annectere signis sensibilibus. Tum quia probavimus in Tractatu de Sacramentis in genere Quæst. 3. Art. 1. Conclusione 2. Christum immediatum esse omnium nostrorum Sacramentorum auctorem. Consule, si vacat, quæ ibi adducta sunt momenta.

Et verò jam suprà observavimus, opinionem Alensis planè improbabilem esse: tum quia Catholicis eripit efficax ex Scripturis argumentum, ad revincendos nostros Novatores qui negant Confirmationem esse verum & propriè dictum Sacramentum; siquidem, juxta opinionem hanc, nulla in Scripturis extat hujus Sacramenti institutio, nulla mentio; tum quia in Concilio Meldensi, in quo putat ille fuisse institutam Confirmationem, nulla planè fit mentio hujus institutionis. Duo enim tantùm extant Canones de isto Sacramento, scilicet quadragesimusquintus, & quadragesimus sextus: in priori statuitur, ut Episcopi nihil à Presbyteris accipiant pro chrismatis confectione; in posteriori, ut singulis annis feria quinta Cœnæ Domini novum accipiant: quid verò inde colligi possit pro institutione Confirmationis in hoc Concilio facta, facile non est intelligere. Tum denique quia tot extant illustria & certissima apud veteres Scriptores, ante tempus, quo celebratum est illud Concilium Meldense, pro Confirmationis Sacramento testimonia, ut mirum videri debeat, viros aliunde doctos & perspicaces, aut ea non legisse, aut ad ea non satis attentos fuisse.

Secunda pars probatur, quia id planè incertum haberi debet, quod neque ex Scripturis, neque ex Traditione certò potest colligi: atqui quo tempore præcisè institutum sit Confirmationis Sacramentum, neque ex Scripturis, neque ex Traditione colligi certò potest; siquidem nulla hujusce determinati temporis mentio apud Veteres occurrit: neque etiam ex communi Theologorum sententia, cùm tanta sit inter eos ea de re opinionum varietas.

Quod enim nonnulli laudant ex Epistola Fabiani, nullius planè momenti est apud eruditos, qui Epistolam hanc, ut & alias Decretales SS. Pontificum ante Siricium, inter supposititia & apocrypha Opera rejiciunt.

ARTICULUS II.

De Ministro Sacramenti Confirmationis.

Duplex hîc minister distinguitur: unus ordinarius ex officio, alter extraordinarius ex dispensatione. Minister ordinarius Confirmationis plenam ac completam habet, vi sui Ordinis seu characteris, Sacramentum illud validè conferendi potestatem, quæ nulla superiori auctoritate impediri potest: talis est solus Episcopus. Minister verò extraordinarius, simplex nempe Presbyter, virtute quidem sui Ordinis inchoatam & incompletam habet potestatem; sed quæ, ut validè exerceatur, perfici ac compleri debet per legitimam dispensationem; eo ferè modo quo potestas absolvendi à peccatis, quæ Sacerdoti dum ordinatur, conceditur, incompleta & ligata est, nec exerceri validè potest (extra casum extremæ necessitatis) nisi accedat jurisdictio ab Episcopo concessa.

De utroque ministro Confirmationis hîc controversia movetur, de ordinario quidem cum Hæreticis, de extraordinario autem cum Scholæ Theologis.

Minister ordinarius Confirmationis.

De ministro Confirmationis ordinario ita statuit Concilium Tridentinum Sess. 7. Can. 3. *Si quis dixerit, sanctæ Confirmationis ordinarium ministrum non* Tom. 14.
esse solum Episcopum, sed quemvis simplicem Sacer- Conc. p.
dotem, anathema sit. 779. D.

Adversus hanc Ecclesiæ fidem ac doctrinam errarunt

Quinto sæculo nonnulli Presbyteri in Ecclesia Eugubina, qui id sibi juris assumpserunt, ut Sacramentum istud quasi propria & ordinaria potestate conferrent. Audaciam hanc repressit Innocentius I. in Epistola ad Decentium Episcopum c. 3.

Labente sexto sæculo, Ecclesiæ Calaritanæ Presbyteri, jus idem usurparunt. In eos insurrexit Gregorius Magnus, data ad Januarium Epistola n. 9.

Sæculo septimo, Agapius in Hispania Cordubensis Episcopus frequenter Presbyteris facultatem administrandi Sacramenti Confirmationis concessisse legitur. Abusum hunc repressit Conc. Hispalense II. c. 7. anno 619.

Sæculo nono, Græci Schismatici, duce Photio Patriarcha Constantinopolitano, contenderunt jus ordinarium confirmandi baptisatos, non ad solos Episcopos, sed etiam ad simplices Presbyteros pertinere. Errorem non tulit nec dissimulavit Nicolaus I. Summus Pontifex, atque Bulgaros à Photianis Presbyteris confirmatos, iterum jussit confirmari. Prætensam injuriam impatienter tulit Photius, atque scripta ad omnes Orientis Episcopos Epistola de Nicolao graviter expostulat. *Unde venit*, inquit, *hæc lex, & quisnam legis conditor: Apostolorum ne unus aliquis, an verò Petrus? Num etiam aliqua ex Synodis? Sed ubi & quando congregata est hujusmodi Synodus? Et quorum calculis confirmata?* ut nempe solis Episcopis reservetur jus ordinarium administrandi Confirmationem. Photii doctrinam adoptarunt Græci schismatici, quos inter Joannes Nathanael Presbyter & magnus Oeconomus Cretensis, qui obiit sub initium sæculi decimi septimi: contendit ille consecrationem quidem chrismatis à solis Episcopis perfici posse, simplices verò Presbyteros jure

ordinatio unctionem conferre. Non omnes tamen Græci schismatici ita sentiunt, siquidem Simeon Thessaloniensis in L. de Sacramentis, chrismatis consecrationem & unctionem solis Episcopis tribuit; Matthæus verò Blastrius in suo *Nomocanone*, negat Chorepiscopos quamvis multis præ simplicibus Presbyteris ornati fuerint privilegiis, Spiritum S. baptisatis dare posse, & Gabriel Philadelphiensis in Tract. de Sacramentis, quærens quibusdam propriè concessum fuerit officium dispensandi Confirmationem, sic respondet: „Videtur mihi "meritò Pontificibus antecedenter hoc datum esse, qui"bus & solis hoc licet conficere secundùm sextum Ca"nonem Concilii Carthaginensis. Ecclesia verò Orien"talis non tantùm Pontificibus, sed etiam per ipsos "Presbyteris post sacram Baptismatis cæremoniam be"nignè annuit, atque concedit citra ullam culpam un"ctionem chrismatis.

Eodem nono sæculo, nonnulli Chorepiscopi quasi proprium sibi assumpserunt confirmandi officium. Hos compescuit Synodus Parisiensis VI. an. 829.

Posterioribus sæculis, Valdenses, Wiclefitæ, Hussitæ, Lutherani, Calvinistæ, invidiosè Ecclesiæ Catholicæ exprobrant, quòd solis Episcopis nostri Sacramenti administrationem reservet. Fundamentum erroris istud est, Episcopum à Sacerdote nihil differre quoad potestatem sacramentalem.

Richardus Radulphus, vulgò dictus Archiepiscopus Armachanus, qui obiit anno 1359. Lib. 11. c. 14. *adversus errores Armenorum*, docet munus & officium confirmandi commune esse Episcopis & Presbyteris, si potestas Ordinis attendatur; nihilominus illud Ecclesiastica lege Episcopis reservatum fuisse, quam reservationem ille approbat, adeo ut existimet peccare, graviterque puniendos esse Presbyteros, qui Episcopis invitis confirmant, tametsi valida sit, virtute Ordinis, ab ipsis collata Confirmatio: quam Radulphi sententiam videntur non improbare Scotus in 4. dist. 7. qu. 1. ad 3. Gabriel in 4. dist. 7. qu. unica concl. 3. Durandus in 4. dist. 7. qu. 4. n. 9. ubi sic loquitur: "Supposito, „quòd Confirmatio sit verum Sacramentum à Christo „institutum, & minister ejus sit omnis Sacerdos, quantùm est ex institutione, licèt ex prohibitione Ecclesiæ „reservata sit ejus collatio solùm Episcopis; tunc facile „est dicere, quòd ex commissione Papæ simplex Sacer„dos possit confirmare, cui tamen liceret, si non esset „prohibitio Ecclesiæ. Commissio autem Papæ, si eam „faceret simplici Sacerdoti, tolleret prohibitionem, „quantùm ad illum cui fieret commissio. Si tamen Sa„cerdos sine tali commissione confirmaret, verum Sa„cramentum esset, sed ipse peccaret, quia gradus Epi„scopalis non esset de necessitate Sacramenti, sed de ne„cessitate præcepti." Hæc Durandus. Opinionem hanc ab errore Wiclefi distinguit Arcudius L. 2. c. 10. in eo, quòd Wiclefus jure communi ac proprio, & potestatem & licentiam conferendæ Confirmationis Presbyteris non minùs quàm Episcopis competere diceret.

CONCLUSIO.

Solus Episcopus institutione divina ordinarius est Sacramenti Confirmationis minister.

Probatur ex cap. 8. Act. Apostolorum, ubi refertur Petrum & Joannem missos fuisse Samariam, ut iis, qui à Philippo baptisati fuerant, manus imponerent, ac traderent Spiritum S. Quare autem Philippus manus eis non imposuit? Quare Spiritum S. non dedit? quia Episcopus non erat, sed tantùm Diaconus. Hoc Apostolorum exemplo edocta Ecclesia, solis Episcopis, Apostolorum in Episcopali dignitate ac gradu successoribus, jus ordinarium Confirmationis conferendæ reservavit, quod quidem perpetua & nusquam interrupta demonstrat Ecclesiæ praxis ac Traditio.

Primò ex Conciliis.

Elibertano Can. 38. quo jubet baptisatos à Laicis aut Diaconis duci ad Episcopum, *ut per impositionem manuum & benedictionem eos perficiat*. Idem repetit Can. 77. *Episcopus*, ait Canon, *eos per benedictionem perficere debet.* Te. 1. Conc. p. 974.

Arelatensi III. an. 455. quo sancitum est, ut Monachi Lirinenses, si Neophyti fuerint, nonnisi ab Episcopo Forojuliensi confirmentur. Hispalensi II. ann. 619. in quo inter illa quæ Presbyteris non licent, recensetur dispensatio Confirmationis. *Quædam*, inquit Concilium, *novellis, & Ecclesiasticis regulis sibi prohibita noverint, sicut Presbyterorum & Diaconorum ac virginum consecratio; sicut constitutio altaris, benedictio vel unctio: siquidem nec licere eis Ecclesiam vel altarium consecrare, nec per manus impositionem fidelibus baptisatis, vel conversis ab hæresi paracletum Spiritum dare, nec chrisma conficere, nec chrismate baptisatorum frontem signare.* Tom. 1. Conc. p. 1024. To. 5. Conc. p. 1666. B

Nec te moveat quòd *novellis & Ecclesiasticis regulis* ista prohibita dicat Concilium: per novellas quippe regulas, non novas seu recenter inductas intelligit; aliàs Ordinatio seu consecratio Presbyterorum, novo duntaxat jure solis Episcopis reservata dici posset, quod absurdissimum foret. Novellas igitur regulas appellat, quia in novo Testamento à Christo præscriptæ sunt; facta scilicet allusione ad Legem veterem, in qua soli Summo Sacerdoti licitum erat altare erigere, consecrare &c. Hunc esse Concilii sensum patet ex serie citati Canonis, in quo comprimitur Agapius Episcopus Cordubensis, qui cùm à sæculari militia statim ad Sacerdotium fuisset assumptus, Disciplinæ Ecclesiasticæ non satis peritus *frequenter Presbyteros destinabat altaribus erigendis, & Basilicis consecrandis*. Id autem vetat Synodus, ac confirmat ex veteri Testamento. *In divinis Litteris*, ait, *præcipiente Domino, solus Moyses in tabernaculo Dei erexit altare, solus ipse unxit; utique quia summus Sacerdos Dei erat.... ideoque id quod tantùm facere principibus sacerdotum jussum est, quorum typum Moyses & Aaron tenuerunt, Presbyteri, qui filiorum Aaron gestant figuram, accipere non præsumant. Nam quamvis cum Episcopis plurima illis ministeriorum communis sit dispensatio, quædam novellis & Ecclesiasticis regulis sibi prohibita noverint.* Novellas igitur regulas appellat Synodus, eas quæ in novo Testamento à Christo Domino præscriptæ sunt, Ecclesiasticas etiam dicit, quia institutioni ac præcepto divino, etiam Ecclesiæ lex ac præceptum accedit; eadem quippe res utroque jure, divino & Ecclesiastico, necessaria esse potest, sicut in præsenti negotio contingit. Ibid. A.

Parisiensi VI. an. 829. L. 1. c. 27. ubi Chorepiscopis prohibet, ne deinceps per impositionem manuum donum Spiritus S. tradere præsumant. Rationem reddit, quia Chorepiscopi exemplum & formam tenent 70. Discipulorum, quorum nullus legitur donum Spiritus sancti per manus impositionem dedisse, quia istud solis Apostolis eorum successoribus reservatum est, quod probat ex c. 8. & 19. Actuum Apostolorum. To. 7. Conc. p. 1617.

Tridentino denique Sess. 7. Can. 3. *Si quis dixerit, sanctæ Confirmationis ordinarium ministrum, non esse solum Episcopum, sed quemvis simplicem Sacerdotem, anathema sit.* Novatores Lutheranos & Calvinistas directè ferit iste Canon, intacta prorsus quæstione de ministro extraordinario, an simplici Sacerdoti committi possit hujus Sacramenti administratio vel non. Erroris radicem excidit Concilium, cùm docet Episcopos Presbyteris superiores esse. Sess. 23. Can. 7. "Si quis dixerit „Episcopos non esse Presbyteris superiores, vel non ha„bere potestatem confirmandi & ordinandi; vel eam, „quam habent, illis esse cum Presbyteris communem, „anathema sit. *Eadem Sess. c. 4.* Sacrosancta Synodus „declarat, præter cæteros Ecclesiasticos gradus, Episco„pos, qui in locum Apostolorum successerunt, ad hunc Tom 14. Conc. p. 779. Ibid. p. 864. C Ibid. p. 863 B.

hie-

„hierarchicum ordinem præcipue pertinere; & positos, „ut Apostolus ait, à Spiritu S. regere Ecclesiam Dei, „eosque Presbyteris superiores esse, ac Sacramentum „Confirmationis conferre, ministros Ecclesiæ ordinare, „atque alia pleraque peragere ipsos posse quarum „functionum potestatem reliqui inferioris ordinis nul- „lam habent.

Secundo, ex SS. Pontificibus,

Fulob. Hist. p. 144. D. Cornelio in Epistola ad Fabium Antiochenum apud Euseb. L. 6. c. 43. ubi reprehendit Novatum, quod post perceptum in lecto Baptismum, ab Episcopo consignatus non sit.

Tom. 2. Conc. p. 1246. B. C. Innocentio I. in Epistola ad Decentium c. 3. " De „consignandis infantibus manifestum est, *inquit*, non „ab alio quam ab Episcopo fieri licere. Nam Presbyte- „ri, licet sint Sacerdotes, pontificatus tamen apicem „non habent. Hæc autem solis Pontificibus deberi, ut „vel consignent, vel paracletum Spiritum tradant; non „solum consuetudo Ecclesiastica demonstrat, verum & „illa lectio Actuum Apostolorum quæ asserit Petrum „& Joannem esse directos, qui jam baptisatis trade- „rent Spiritum S. Nam Presbyteris, seu extra Episco- „pum, seu præsente Episcopo baptisent, chrismate ba- „ptisatos ungere licet, sed quod ab Episcopo fuerit con- „secratum; non tamen frontem ex eodem oleo signare, „quod solis debetur Episcopis, cùm tradunt Spiritum S.

To. 2. p. 633. S. Leone Epistola 88. ubi loquens de officiis Chorepiscoporum ait, *ipsis non licere nec erigere altaria, nec per impositionem manuum fidelibus baptisatis, aut ab heresi conversis paracletum Spiritum dare, nec chrismate baptisatorum frontes signare, quia hæc solis Episcopis conveniunt.*

To. 2. p. 889. A. B. S. Gregorio Magno L. 4. Epist. 9. aliàs L. 3. Epist. 9. ad Januarium: *Episcopi*, inquit, *baptisatos infantes signare bis in frontibus chrismate non præsumant: sed Presbyteri baptisandos ungant in pectore, ut Episcopi postmodum ungere debeant in fronte.* In antiquis editionibus sic habetur: *Presbyteri baptisatos infantes signare sacro in frontibus chrismate non præsumant &c.* Vide notam edit. novæ in hunc locum.

His Summis Pontificibus eos adjunge qui ex professo Photii, & aliorum Græcorum schismaticorum, qui *ordinarium, & ex veteri consuetudine*, ut dicebat Photius, Confirmationis ministerium simplici presbytero tribuebant, errorem ac temeritatem repreßerunt.

Nicolaus I. jussit iterum confirmari, quos Græci presbyteri confirmaverant. Ita colligimus ex Epistola Photii ad omnes Orientis Episcopos, ubi de hoc Nicolai facto acerbè conqueritur. Factum istud narratur in VIII. Synodo Oecumenica, in Epistola Synodali ad Adrianum directa.

Innocentius III. qui sedere cæpit an. 1199. eundem Græcorum abusum ætate sua damnavit. In sua enim ad Lucium apud Constantinopolim Legatum Epistola sic legitur: „ Pervenit ad audientiam nostram, quòd qui- "dam simplices Sacerdotes apud Constantinopolim ea *Edit. Baluz. To. 1. p. 480. col. 2.* "Sacramenta præsumant fidelibus exhibere, quæ ab A- "postolorum tempore ritè fuerunt solis Pontificibus re- "servata, ut est Sacramentum Confirmationis, quod "chrismando renatos soli debent Episcopi per manus "impositionem conferre; ad excusandas excusationes "in peccatis & sui erroris fomentum solam consuetu- "dinem prætendentes, cùm diuturnitas temporis pecca- "ta non minuat sed augmentet„. Discretioni tuæ man- "damus, quatenus omnibus Latinis Presbyteris apud "Constantinopolim constitutis districtè prohibeas, ne "talia de cætero sua temeritate præsumant, quæ licèt "non sint à fidelibus contemnenda, tutius tamen est ea "sine periculo ex necessitate, quæ legem non habet, "omittere, quàm ut ab his quibus ea conferre non li- "cet, ex temeritate, quæ lege damnatur, non sine gravi "periculo inaniter conferantur; cùm umbra quædam "ostendatur in opere, veritas autẽ non subeat in effectu.

Decret. p. 87. 64. Gregorius IX. qui sedere cæpit an. 1227. eandem Græcorum consuetudinem reprobat in Epistola ad Ravenensem Episcopum, in qua de verbo ad verbum repetit & confirmat Decretum Innocentii III. Refertur hæc Epistola Lib. 1. Decretalium, titulo *De consuetudine.*

Innocentius IV. qui sedere cæpit an. 1243. consultus de ritibus Græcorum, in Epistola ad Ottonem Cardinalem Tusculanum Legatum suum in Regno Cypri, de Confirmatione sic respondet: *Soli Episcopi consignent chrismate in frontibus baptisatos; quia hujus modi* *Tom. 13. Conc. p. 613. B.* *actio non debet nisi per Episcopos exhiberi; quoniam solis Apostolis, quorum vices gerunt Episcopi, per manus impositionem, quam Confirmatio vel frontis chrismatio repræsentat, Spiritum S. tribuisse leguntur.*

Denique Clemens VIII. qui sedere cæpit an. 1592. in Constitutione quam edidit pro instructione Græcorum, vult iterari sub conditione Sacramentum Confirmationis, quando probabiliter dubitari potest, an fuerit ab Episcopo datum. Unde Marcus Ephesiorum Episcopus, qui unioni Latinæ Ecclesiæ cum Græca in *Vid. Tom. 13. Conc. p. 790.* Concilio Florentino sancitæ subscribere recusavit, in Epistola encyclica ad omnes Orbis Christianos data, refert sua ætate Latinos solitos fuisse, iterum eos confirmare, qui à Græcis dumtaxat presbyteris fuerant confirmati.

Accedit & Ecclesia nostra Gallicana, quæ Græcorum abusum improbavit, atque Ratramno Monacho Corbejensi provinciam demandavit refellendi calumnias Græcorum; quod ille perfecit quatuor Libris, qui extant in Spicilegio Dacheriano Tom. 2. L. 4. cap. 7. observat, Græcos Latinis objecisse, *quòd eorum Presbyteri frontes baptisatorum chrismate non liniant: quod* *Spicil. To. 2. p. 141.* *objectum*, inquit Ratramnus, *sicut & reliqua, magis levitate, quàm ratione propositum est; siquidem Ecclesiæ suæ consuetudinem sequentes, ista proponunt, non aliquam divinæ legis auctoritatem.* Ostendit deinde Ratramnus ex Actis Apostolorum, ad solos Episcopos pertinere per unctionem frontis Spiritum sanctum conferre.

Tertiò ex SS. Patribus: nonnullos ex veteribus appellasse sufficiet. *P. 124.*

S. Cyprianus Epistola 73. ait, *eos, qui in Ecclesia baptisantur, Præpositis Ecclesiæ offerri, ut Spiritum S. consequantur.* *Ib. 146.*

Firmilianus in sua ad sanctum Cyprianum Epistola ait, *majores natu* (id est Episcopos, qui in Ecclesia præsident) *manus imponendi & ordinandi possidere potestatem.*

Sanctus Hieronymus adversus Luciferianos ait, *hanc esse Ecclesiarum consuetudinem, ut Episcopi ex-* *T. 4. p. 2. p. 295. Edit. Comel. p. 580. C.* *currant ad eos, qui in minoribus urbibus sunt baptisati, ut eis manum imponant.*

S. Chrysostomus Hom. 18. in caput 8. Actuum Apostolorum, *Hoc erat*, inquit, *in Apostolis singulare* (nempe Spiritum S. dare per impositionem manuum) *unde & præcipuos, & non alios videmus hoc facere.*

Denique S. Augustinus L. 15. de Trinit. c. 26. *Neque enim*, inquit, *aliquis discipulorum ejus dedit Spi-* *T. 8. p. 999. A.* *ritum S. Orabant quippe ut veniret in eos quibus manus imponebant, non ipsi eum dabant: quem morem in suis Præpositis etiam nunc servat Ecclesia.*

Si rationem hîc quæsieris, cur solis Episcopis datum sit jus administrandi Confirmationem, non aliam dabimus, quàm Christi voluntatem nobis in Scriptura & Traditione declaratam: cujus quidem congruentem causam adferunt Theologi, quòd homo baptisatus per Sacramentum Confirmationis perficitur ac consummatur; cùm autem Episcopatus sit Ordo *perficientium*, ad Episcopos spectat fideles perficere.

Constitutum illud est, ait S. Hieronymus, *ad honorem Sacerdotii, potiùs quàm ad legem necessitatis.*

Solvuntur Objectiones.

Objicies 1. Ananias Episcopus non erat, sed unus dumtaxat ex discipulis, Act. 9. v. 10. atqui ibidem v. 17. missus est ad Saulum, seu Paulum, cui *manus imposuit, ut impleretur Spiritu S.*

Resp. dist. maj. manus imposuit ut visum ei restitueret, ad Spiritum sanctum in Baptismo percipiendum præpararet, concedo: manus imposuit ut conferret Sacramentum Confirmationis, nego. Nondum quippe baptisatus erat Paulus, quomodo igitur eum Ananias confirmasset? Solutio manifesta est ex sacro Contextu v. 17. & 18. *Abiit Ananias, & introivit in domum; & imponens ei manus, dixit; Saule frater, Dominus misit me Jesus, qui apparuit tibi in via qua veniebas, ut videas, & implearis Spiritu S. Et confestim ceciderunt ab oculis ejus tanquam squamæ, & visum recepit: & surgens baptisatus est.*

Instabis: qui potest majus potest & minus: atqui potuit Ananias, possunt & simplices Sacerdotes Baptismum conferre qui necessitate ac dignitate præstantior est Confirmatione.

Resp. nego ant. In rebus hujusmodi sola audienda est voluntas Christi instituentis, & Ecclesiæ obsequentis traditio: porro ex utraque certissimum est, solum Episcopum à Christo institutum esse ordinarium Confirmationis ministrum. Quod si valeret ratio in objectione proposita, etiam laici, qui baptisant, possent & confirmare: imo simplices Presbyteri, qui ordinarii sunt Baptismatis ministri, possent & alios Presbyteros creare seu ordinare &c. at nihil absurdius.

Objicies 2. auctoritatem S. Hieronymi duplici in
To. 2. p. 2. pag. 803. loco. 1. Epistola 101. aliàs 85. ad Evangelium, *Quid,* inquit, *facit excepta ordinatione Episcopus, quod non faciat Presbyter?* 2. Dial. adversus Luciferianos plura scribit ex quibus inferri potest, Episcopum nonnisi ab humana & Ecclesiastica auctoritate habere, ut ordinarius sit Confirmationis minister. 1. Jus illud repetit à consuetudine Ecclesiarum. *An nescis,* ait Luciferianus
Ibid. p. 294. & seq. alloquens Orthodoxum, *Ecclesiarum hunc esse morem, ut baptisatis postea manus imponantur? .... Non abnuo,* ait Orthodoxus, *hanc esse Ecclesiæ consuetudinem.* 2. fatetur hanc esse Ecclesiæ legem: *Sed quale est,* inquit, *ut leges Ecclesiæ ad hæresim transferas?* At multis in locis id factitatum: *multis in locis,* inquit, *idem factitatum reperimus.* 4. Addit id *ad honorem potius Sacerdotii factum, quam ad legem necessitatis.* 5. denique, quia, inquit, *si ad Episcopi tantum imprecationem Spiritus sanctus defluit, lugendi sunt qui in remotioribus locis per Presbyteros baptisati, ante dormierunt, quam ab Episcopis inviserentur.*

Resp. ad 1. ex Epistola 101. Hieronymum non asserere nihil prorsus facere Episcopum, quod Presbyter non faciat; agnoscit enim manifeste in Dial. adversus Luciferianos, Episcopum manus imponere, consignare ac dare spiritum sanctum, quod non facit Presbyter: Episcopus pariter Presbyteros creat seu ordinat, non item Presbyter. Mens igitur Hieronymi est, excepta Ordinatione, nihil fere Episcopos facere, quod non faciant & Presbyteri; & reipsa multa isti faciunt, quæ cum Episcopis communia ipsis sunt; baptisant; absolvunt à peccatis; Christi corpus consecrant, nihilominus hæc omnia, Hieronymi ætate, præsente Episcopo, nonnisi de ipsius licentia & concessione perficere poterant.

Ad secundum ex Dial adversus Luciferianos, falso supponit Dallæus, cujus est hæc objectio, mentem Hieronymi esse, Episcopos ex sola Ecclesiastica regula & institutione ordinarios esse Confirmationis dispensatores. *Disce,* inquit loco citato, *hanc observationem ex ea auctoritate descendere, quod post ascensum Domini Spiritus sanctus ad Apostolos descendit,* Divinæ autem instituto 1, & humanam seu Ecclesiasticam regulam addit sanctus Doctor; sicut præcepto divino de percipienda Confirmatione & Eucharistia accedit & præceptum Ecclesiæ, quæ Sponsi sui Christi voluntati semper obsequitur; nihil autem vetat rem eandem jure divino simul & Ecclesiastico necessariam esse, quo uno observato in fumos abit tota Dallæi objectio; & aperta est ad 1. & 2. responsio. Ad 3. *multis in locis id factitatum quidem,* ait Hieronymus, non *in omnibus.* At *per multos,* vel omnes intelligit; vel tacite carpit nonnullorum ætatis suæ Episcoporum negligentiam, qui ad remotiora loca baptisatis manus impositurí non excurrebant. Ad 4. duplex est interpretatio, una Baronii, ad an. Christi 594. n. 15. altera Bellarmini de Confirmatione c. 12. Baronius istorum Hieronymi verborum, *ad honorem potius Sacerdotii, quam ad legem necessitatis,* hunc sensum reddit: Cum potestas essentialis administrandi Confirmationem ad solum Episcopum non pertineat, sed Presbyteris etiam committi possit, *ad honorem potius Sacerdotii Episcopis reservata est, quam ad legem necessitatis,* quia absolute à Presbyteris dispensari Confirmatio potest; nec essentiale est huic Sacramento, ut ab Episcopo conferatur. Bellarminus vero hæc verba, *quam ad legem necessitatis,* non refert ad legem ministrandi Confirmationem, sed ad legem consequendæ salutis, ut sensus sit: Solis Episcopis reservata est potestas ordinaria confirmandi, *ad honorem Sacerdotii potius quam ad legem necessitatis,* quia nempe Sacramentum hoc absolute ad salutem necessarium non est; quem sensum aperte innuunt verba quæ sequuntur apud Hieronymum, *Si ad Episcopi tantum imprecationem Spiritus sanctus defluit, lugendi sunt qui in remotioribus locis per Presbyteros baptisati, ante dormierunt, quam ab Episcopis inviserentur,* Duplici ergo de causa solus Episcopus institutus est ordinarius Confirmationis minister, tum ut major dignitati Episcopali honos conciliaretur; tum ut declararetur Sacramentum istud absolute, seu necessitate medii necessarium non esse ad salutem, Unde S. Edit. Comel. p. 180.
Joannes Chrysostomus Hom. 18. in c. 8. Act. apost. quærens quare philippus Samaritanis, quos baptisaverat, Spiritum sanctum non dedisset, duas affert causas & rationes; nempe quia Philippus Apostolos honorare voluit, & quia ipse non acceperat facultatem dandi Spiritum S.

Aliam responsionem, quæ ad mentem Baronii accedit, proponit idem Bellarminus loco citato, *Dici potest,* inquit, *loqui Hieronymum de lege quæ sumatur ex natura rei, ut sensus sit; id esse tributum solis Episcopis,* non ob legis necessitatem; *idest, non quod id necessario requirat natura rei, quasi aliter fieri non posset; sed quia voluit Dominus hac re honorare Episcopalem dignitatem.* To. 3. p. 149. B. C

Objicies 3. Conc. Regiense an. 439. Can. 5. Sacerdoti licentiam tribuit consecrandi virginem, & neophytum confirmandi, en verba: *Visum est, omni Presbytero per familias, per agros, per privatas domos, pro desiderio fidelium, facultatem benedictionis aperire .... in Ecclesia quisque in qua ordinatus fuerit, consecrandi virginem, sicut confirmandi neophytum, jus habebit.* Tom. 3. Conc. p. 1247.

Et Conc. Barcinonense II. Can. 2. statuit, *ut cum chrisma Presbyteris diœcesanis datur pro neophytis confirmandis, nihil pro liquoris pretio accipiatur.* Supponit igitur Concilium, licitum esse Presbyteris confirmare neophytos chrismate, quod ab Episcopo consecratum fuit. Tom. 5. Conc. p. 1605. D.

Resp. ad Conc. Regiense, non unum & eundem esse Sacerdotem, cui in prima Canonis parte datur facultas *benedicendi,* & in posteriori parte, *consecrandi virginem, & neophytum confirmandi:* siquidem in ista posteriori parte agitur de Armentario Episcopo deposito, cui una permittitur Parochia in qua

consecrare virginem, & neophytum consignare possit, non tamen extra istam Parochiam; imo nec in illa istud ei conceditur, si præsens adfuerit Episcopus. Cum vero Armentarius Episcopali charactere donatus esset, potuit legitime deputari ad confirmandos neophytos Parochiæ, cui præpositus fuerat.

Ad Conc. Barcinonense: Non aliud decernit, quam ut à Presbyteris nihil exigatur pro chrismate quod ab Episcopo percipiunt, & quo neophyti confirmantur; non quidem à Presbytero [neque enim id Concilium asserit] sed ab Episcopo: quamquam non desunt inter nostros, qui verbo, *confirmandis*, eo in Canone intelligunt unctionem baptismalem verticis, quæ latiori quodam sensu confirmatio dici potest. Ita Walafridus Strabo; quo sensu verbum idem adaptatur & Eucharistiæ, & cæremoniæ per quam olim Hæretici ad Ecclesiam redeuntes recipiebantur, sicut ex dicendis paulo post manifestum erit.

Objicies 4. Synodum II. Carthaginensem an. 390. & tertiam item Carthaginensem an. 397. quibus chrismatis confectio Presbyteris prohibetur. Ergo, concludit Dallæus, antea licita ipsis erat: quidni & usus hujus chrismationis?

Resp. nihil hac objectione levius proferri posse, ex qua hoc unum extrudi potest, nonnullos simplices Presbyteros confectionem chrismatis sibi aliquando arrogasse, quorum temeritatem repressit utraque laudata Carthaginensis Synodus. Qua vero machina inde cum Dallæo concludi possit, aut illam chrismatis confectionem, ante prohibitionem, illis Presbyteris permissam ac licitam fuisse; aut illos eo chrismate usos, ut impune baptisatos confirmarent, fatemur non satis nos intelligere.

Objicies 5. Ex Pontificali Damasi in vita Sylvestri, Sylvester istud Episcopis privilegium concessit, ut baptisatum consignent *propter hæreticam suasionem*, excepto casu periculi mortis, quo potestas fit Presbyteris consignandi infantes, *propter occasionem*, inquit, *transitus mortis*. Porro, ait Dallæus, si Sylvester hoc privilegium Episcopis indulsit, ut baptisatos consignent; ergo ante Decretum istud Presbyteris cum Episcopo communis fuit potestas baptisatos consignandi.

Resp. nego ant. Liber quippe ille Damasi eruditis suppositionis ac falsitatis merito suspectus videtur: recentior est, quam ut fidem certam faciat. Baronius & Bellarminus scriptum ajunt ab Anastasio Bibliothecario, qui anno 858. vel etiam paulo serius scripsit. Alii Anastasio antiquiorem putant, quia laudatur à Walefrido L. de exordiis & incrementis rerum Eccles. c. 26. & ab Amalario L. 1. de Officiis Ecclesiast. c. 27. & à Rabano L. 1 de instit. Clericorum. Walafridus autem vivere desiit anno 849. Amalarius vero scribebat anno 830. & Rabanus anno 810. Præterea verisimile non videtur, Sylvestrum initio quarti sæculi jus illud seu privilegium administrandæ Confirmationis Episcopis primum contulisse, cujus originem ex Apostolorum exemplo ac traditione repetunt, Cyprianus, Firmilianus, Innocentius I. Hieronymus, Ambrosius, Chrysostomus, Augustinus, & alii quos antea laudavimus.

Tom. 3. Conc. p. 1447. Tom. 4. Conc. p. 1579. Objicies 6. Canonem 1. Synodi I. Arausicanæ an. 441. quo decernitur, *Hæreticos in mortis discrimine positos, si desit Episcopus, à Presbyteris cum chrismate & benedictione consignari, si se Catholicos esse desiderant.* Et Can. Conc. Epaonensis ad an. 517. *Presbyteros propter salutem animarum, quam in cunctis optamus, desperatis & decumbentibus hæreticis, si conversionem subitam petant, chrismate permittimus subvenire. Quod omnes conversuri, si sani sunt, ab Episcopo noverint expetendum.* Inde concludit Dallæus, Presbyteris licitum fuisse conversos ab hæresi in mortis periculo chrismate ungere, multo magis neophytos.

Resp. 1. incertum plane esse, utrum illa unctio seu chrismatio per quam Hæretici ad Ecclesiam redeuntes olim recipiebantur, verum fuerit Sacramentum Confirmationis; an mera cæremonia, cujus ritus valde affinis erat ritui Confirmationis: de qua controversia paulo post dicturi sumus.

Resp. 2. hoc unum ad summum inde concludere posse Dallæum, in casu necessitatis simplices Presbyteros delegatos fuisse ministros Confirmationis extraordinarios, quod quidem fieri posse mox ostendemus.

Objicies 7. Venerabilem Bedam in Psal. 26. ad hæc tituli verba, *Priusquam liniretur David &c. Sciendum est*, inquit, *quod illa unctio, qua per manus impositionem ab Episcopis, quasi alia à duabus prædictis* [olei nimirum & chrismatis, quarum prior Baptismum præcedit, posterior subsequitur] *& vulgo Confirmatio dicitur, eadem est cum secunda*, [nempe verticali] *propter arrogantiam tamen non concessa est singulis Sacerdotibus, sicut & multa alia.* Ergo, concludit Dallæus, frontis unctio, quæ Confirmatio dicitur, re ipsa eadem est cum unctione verticis: attamen propter *arrogantiam Presbyterorum*, istis prohibita fuit, & solis Episcopis reservata. T. 8. p. 558 n. 70

Suspicantur nonnulli, textum hunc Bedæ corruptum esse ac mutilum, cujus prior pars sensum obscurum & imperfectum exhibet: sed quidquid sit,

Resp. Bedam triplicem eo loci distinguere unctionem: unam quæ fit ante Baptismum, qua illuminamur oleo Catechumenorum; alteram, qua neophiti post Baptismum unguntur in vertice; tertiam, quæ fit in Cœlo. *Rectè*, inquit, *in titulo dictum est*, *Priusquam liniretur: quia videlicet vox est perfecta anima dicto desiderantis veram unctionem, qua in fine in nobis perficietur. Nunc autem in Sacramenta olei & chrismatis ungimur, per quod Sacramentum quiddam mirum & ineffabile, quod in fine futuri sumus, significatur.* Et paulò pòst: *Potest quoque*, ait, *si cui libuerit, illuminatio ad primam tantum unctionem, in qua simpliciter abrenunciamus satanæ, referri; salus verò ad secundam, in qua magis firmamur, quia & nomen Christi in ea profitemur, & ab eo nomen accipimus*, quibus certè verbis distinctè Beda exprimit verum Confirmationis Sacramentum. Cùm igitur verbis in objectione relatis ait unctionem, quæ per manuum impositionem fit ab Episcopo, eamdem esse cum secunda, quæ fit in vertice, intelligendum est, eamdem esse, tum ratione materiæ, tum ratione significationis, quia utraque & oleo constat, & gratiam christianismi significat, non verò eamdem natura & effectu; unctio enim baptismalis in vertice pura est cæremonia, unctio verò frontis verum Sacramentum, quod gratiam ex se seu ex opere operato producit. Ad primam *abrenunciatio satanæ*, ad secundam *salus* pertinet. Primam administrant Presbyteri; alteram soli Episcopi, non Presbyteri, ne fortè isti arrogantiùs superbirent, & Episcopis se coæquales esse jactarent, si eodem cum ipsis ordinario jure confirmandi neophytos donati fuissent. Ibid. n. 30 Ibid. n. 60.

Objicies 8. Ambrosiastrum Comment. in c. 4. ad Ephes. ubi ait apud Ægyptum Presbyteros consignare, si præsens non fuerit Episcopus.

Resp. hujusce Scriptoris nomine, quem Luciferianum fuisse ajunt, parum Catholicos moveri, cùm nullum ille testem proferat, vadem nullum facti quod narrat. Esto apud Ægyptios Presbyteri consignent: dubium est 1. an consignatio hæc seu unctio verum fuerit Confirmationis Sacramentum; an mera cæremonia. 2. quo jure consignaverint; an ordinario, an ex delegatione tantum; si ordinario; an mos ille approbatus fuerit, vel improbatus: si ex delegatione; à quo facta illa fuerit, an à privatis Episcopis, vel à Romano Pontifice. Hæc omnia in suspenso relinquit Dallæus: nihil igitur certi ex testimonio tam incerto ac dubio concludere ille potest.

Obji-

Objicies 9. Græci Presbyteri non tantum ex delegata & extraordinaria; sed etiam propria & ordinaria potestate dispensant Sacramentum Confirmationis, non tantum à tempora inducti schismatis per Photium, sed etiam ante: ipse siquidem Photius in Epistola ad omnes Orientales Episcopos, Nicolaum dura exagitat, eo quod jussisset iterum confirmari, quos Græci Presbyteri in Bulgaria confirmaverant; contenditque hanc esse Ecclesiæ suæ omni memoria superiorem consuetudinem: imo ad jus ipsum primævum recurrens, quærit „unde venerit ista lex, quod soli Episcopi confirment? „Quis illius auctor? Quis Apostolorum? An Petrus? „An ex Synodis aliqua? sed ubi & quando habita, & „quorumnam confirmata sententia? Non licet, *inquit*, „Sacerdoti baptisatos oleo signare? certe tum nec baptisare." Atqui tamen valet apud Græcos etiamnum datum à Presbyteris jure ordinatio Sacramentum Confirmationis.

Inde est quod Nicolaus I. Græcos non damnat simpliciter ob istam præcise causam, quod confirmassent; sed tum quod in ea regione id sibi assumpsissent, in qua nullum jus habebant, nempe in Bulgaria, quæ subjecta non erat Patriarchæ Constantinopolitano; tum quod propter inductum schisma suspensi essent ab omni Ordinum suorum exercitio. Ita factum Nicolai explicat Adrianus II. S. P. in Epistola ad Ignatium verum ac legitimum Patriarcham Constantinopolitanum, quo adhuc vivente Photius Sedem hanc vi ac dolo invaserat. Refertur hujus Epistolæ fragmentum in VIII. Synodo Oecumenica. " Quod si dicas, *inquit Adrianus „alloquens Ignatium*, prius à nobis Constantinopolitanæ Diœceseos Presbyteros in ea ragione [*Bulgaro„rum*] sacrificare prohibitos, haud inficiasimus. E„rant Photiani, illiusque symmistæ, quibus non solum „in Bulgarorum Provincia, sed ubique gentium sacer„dotali munere interdiximus, interdicimusque.

Tom. 8 Conc. p. 1286. A.

Inde quoque est, quod Innocentius III. antea citatus, solis Presbyteris Latinis Constantinopoli commorantibus prohibuerit, ne Confirmationis Sacramentum ministrare attentarent.

Resp. errare inter Græcos, quotquot existimant simplices Presbyteros institutione divina ordinarios esse Sacramenti Confirmationis ministros. Id quidem contendisse videtur Photius schismatis auctor, qui ad veterem Ecclesiæ suæ consuetudinem provocat, nullamque contrariam legem esse in Scripturis aut Traditione tam confidenter supponit. Sed quam facilis ac proclivis est à schismate ad hæresim lapsus! quam istud omnibus Novatoribus familiare, & errores suos præsidio Scripturæ ac SS. Patrum confirmare, & Catholicus onerare mendaciis! Nonne Photius ipse in citata Ep. multa manifeste falsa Latinis imponit? v. g. eos *abominari nuptias, quia Presbyteros sortiri conjuges prohibent; chrisma ex aqua fluminis conficere; agnum in Pascha more Judæorum super altari pariter cum dominico corpore benedicere & offerre &c.* Verum quid aliud reportavit Photius? nisi quòd à Romanis Pontificibus constanter damnatus ac proscriptus fuit; ac iterata Confirmatio à suis Presbyteris sine legitima dispensatione collata.

Reipsa vetus est in Ecclesia Græca consuetudo, quæ etiamnum obtinet, ut nempe simplices Sacerdotes statim post Baptismum confirment, neque legimus Ecclesiam in Concilio Florentino nullum & irritum declarasse illud Sacramentum. Unde necesse est inferre, quod ex Goetio jam observavimus, Romanam Ecclesiam tacito saltem consensu approbasse, ut Græci Presbyteri ex delegata & extraordinaria auctoritate ministri sint Sacramenti Confirmationis.

Ad factum Nicolai I. resp. merito improbatum ab eo fuisse quod à Sacerdotibus Græcis gestum fuerat in Bulgaria. 1. quia illi Photiani Sacerdotes in eodem, cùm duce suo Photio, errore versabantur, nempe simplices Presbyteros, jure ordinario, non ex dispensatione, ministros esse Confirmationis. 2. quia jus illud usurpaverant in ea regione Bulgarorum, in quam nullam auctoritatem habebant. 3. quia etsi supponeretur, cum illis ante inductum schisma dispensatum fuisse ut confirmarent, ab illa tamen gratia exciderant, tum vitio schismatis, tum pœna excommunicationis qua percussi fuerant à Nicolao I. Adrianus autem II. S. Pontifex una aut altera adducta ratione, alias non censetur negare & excludere.

Ad constitutionem Innoc. III. dico revera illum Latinis dumtaxat Presbyteris Constantinopoli commorantibus prohibuisse administrationem Sacramenti Confirmationis, quia nulla ipsis concessa fuerat dispensatio; atque postulabat ratio & æquitas, ut moribus Ecclesiæ suæ Latinæ viverant, consuetudinem verò Græcorum, tametsi dispensatione aliqua suffultam, non sequerentur.

Minister extraordinarius Confirmationis.

Quæritur, utrum simplex Presbyter possit ex delegatione, tanquam extraordinarius minister, Sacramentum Confirmationis validè conferre. Circa quæstionem hanc duplex generatur ast Scholæ opinio, negans una, affirmans altera.

Negant Robertus Pullus Cardinalis parte 5. Sententiarum c. 13. Hugo Victorinus Lib. 2. de Sacram. p. 7. c. 2. Altissiodorensis L. 4. c. 3. Durandus in 4. dist. 7. q. 3. & 4. Gabriel in 4. dist. 7. art. 2. concl. 3. Inter recentiores Estius in 4. dist. 7. parag. 21. 22. Aurelius in Anæratico pag. 453. & in Orthodoxo pag. 531. Sanbovius Tract. de Sacramento Confirmationis &c. Inter istos Scriptores sunt, qui cum Durando existimant contrariam opinionem non solùm falsam, sed etiam fidei ac Ecclesiæ periculosam esse.

Affirmant verò Jacobus à Vitriaco Cardinalis Serm. in Vigilia Pentecostes, Alensis parte 4. q. 9. memb. 5. art. 1. S. Th. 3. p. q. 72. art. 11. ad 1. Suares, Bellarminus, de Valentia Tom. 4. disput. 5. q. 2. punct. 1. ubi contendit opinionem istam post Concilium Florentinum ad fidem pertinere, Sylvius & alii inter recentiores bene multi, quorum sententia in Scholis communior jam videtur. Divisi tamen sunt in varias partes: sunt enim qui volunt ab uno solo S. Pontifice posse ministerium illud Presbyteris committi; alii etiam ab Episcopis in suis Diœcesibus; alii non tantùm Presbyteris, sed & Diaconis provinciam hanc demandari posse existimant; alii denique putant, etiam absque ulla dispensatione posse simplices Presbyteros validè, tametsi non licitè, Sacramentum Confirmationis ministrare. Rem istam in Concilio Florentino definitam asserunt nonnulli; de illa multùm in Concil. Trid. disputatum narrat Card. Pallavicinus L. 9. Hist. Conc. Trid. c. 7.

Utrum Ecclesia in Conciliis Florentino, vel Tridentino, quidquam definierit circa ministrum extraordinarium Confirmationis?

Affirmant Baronius, Gregorius de Valentia &c. propter auctoritatem vel Concilii Florentini, vel Tridentini, vel utriusque.

In Concilio Florentino, seu Decreto Eugenii ad instruendos Armenos dicitur: „Confirmationis ordina- *Conc. Flor.*
"rius minister est Episcopus. *Et paucis interjectis*: *Tr. 13.*
"Legitur tamen aliquando per Sedis Apostolicæ dispen- *Conc. p.*
"sationem ex rationabili & urgente admodum causa, *536.*
"simplicem Sacerdotem chrismate per Episcopum con-
"fecto, hoc administrasse Confirmationis Sacramentum.

In Conc. verò Trid. Sess. 7. Can. 3. sic definitur. *Si* *Conc.*
quis dixerit, Confirmationis ordinarium ministrum *Trid.*
non esse solum Episcopum, sed quemvis simplicem Sa- *Tr. 14.*
cerdotem, anathema sit. *Conc. p. 779.*

Verùm

Verum, neque Florentinum, neque Tridentinum Concilium quidquid hic velut fide certum definivit.

Non Florentinum, seu S. Pontifex Eugenius in Decreto seu instructione Armenorum.

I. Quia, qui dicit Episcopum esse ministrum ordinarium Confirmationis, non continuo definit simplicem Presbyterum esse posse ministrum extraordinarium. Prius, quia certum est, Concilium definivit; de altero, quia incertum, silet; esto istud subobscure insinuet, aperte tamen non declarat; neque unum ex alio necessario sequitur. Quemadmodum, cum ait Eugenius Episcopum ordinarium esse consecrationis, qua Presbyteri & Diaconi ordinantur, ministrum: an recte inferes, ex mente ipsius simplicem Sacerdotem esse hujus consecrationis ministrum extraordinarium? *Sic locuti sunt utriusque Concilii Patres*, ait Estius in 4. dist. 7. parag. 22. ad 2. *quod quæstionem inter doctores controversam definire nollent: quomodo & locuti sunt de ministro Sacramenti Ordinis, propter controversiam de minoribus Ordinibus.*

Pa. 92. col. 2. F.

II. Recte observat alia in occasione Bellarminus L. de Confirmatione c. 9. in responsione ad primam Kemnitii objectionem, *non omnia quæ habentur in Decretis, aut Conciliis ad fidem pertinere, sed solum ea, quæ definiuntur.* Quod autem spectat ministrum extraordinarium Confirmationis hic non definitur, sed obiter tantum innuitur.

To. 3. p. 145. B.

III. Multa eo in Decreto dicit Eugenius circa materiam Confirmationis, confectionem chrismatis ex balsamo; item circa porrectionem instrumentorum*, quam velut essentialem sacræ Ordinationis materiam assignat, quæ tamen gravissimorum Theologorum judicio ad fidem non pertinent, sed ad meram Scholæ disputationem; circa quam secutus est Eugenius Armenos instruens, quam probabiliorem putabat Scholasticorum sententiam.

IV. Jam superius, ubi de forma Sacramenti Confirmationis, observatum à nobis fuit, Decretum illud Eugenii, post dissolutam Synodum ac Græcorum discessum, latum fuisse, non à tota Synodo. Quapropter cum sub finem hujus Synodi, Decretum illud datum dicitur *Florentiæ in publica Sessione Synodali solemniter in Ecclesia majori celebrata*; de solis dumtaxat Occidentalibus Episcopis intelligi istud debet, qui Florentiæ, præside Eugenio congregati, tribus fere annis remanserunt. Quod quidem non eo animo dicimus, ut quidquam detractum velimus hujus Decreti auctoritati, absit; sed ut intelligas quæcumque in eo continentur, à toto Concilio, tanquam ad fidem pertinentia, definita non fuisse.

V. Observat Estius in 4. dist. 7. parag. 22. ad 2, *Concilium non affirmare id aliquando factum esse*, [*nam revera*, inquit, *factum esse probari non potest*] *sed id legi vel in decreto Gratiani, vel apud Scholasticos Doctores, qui factum Gregorii juxta suam opinionem sunt interpretati, eamque ob causam se addidisse ordinarium, quod ita opinantibus præjudicare nollet.* Fallitur, nostro quidem judicio, Estius, cum ait, probari non posse aliquando re ipsa dispensatum à Summis Pontificibus cum Presbyteris, ut Sacramentum Confirmationis ministrarent: contrarium mox patebit.

Pag. 39. col. 1. A.

Quantum vero ad Concilium Tridentinum, certum est rem inter Scholasticos controversam pro more suo definire noluisse, ut ulli opinioni præjudicium inferret: declaravit quidem, tanquam fidei caput, solum Episcopum ministrum esse ordinarium Sacramenti Confirmationis, nulla prorsus facta mentione ministri extraordinarii. Vide Pallavicinum Hist. Concilii Tridentini L. 9. c. 7. Præsens igitur controversia una ex iis est quæ salva fide in utramque partem agitari possunt.

Itaque sit.

CONCLUSIO.

Possunt simplices Presbyteri, ex delegata auctoritate seu dispensatione administrare Sacramentum Confirmationis.

Probatur 1. auctoritate Eugenii S. Pontificis in Decreto seu instructione Armenorum, quod si non à toto Florentino Concilio, saltem ab omnibus Latinis adhuc Florentiæ, post Græcorum discessum, congregatis, probatum fuit. Qua de causa Cardinalis à monte Præses Concilii Tridentini in Congregatione generali die 26. Aprilis an. 1547. Episcopo Clodiensi, qui contendebat Bullam unionis Jacobitarum idcirco non pertinere ad Concilium Florentinum, quia dissolutum jam fuerat anno 1439. cùm tamen Bulla illa data esset anno 1441. dixit, hallucinari, eos qui putant finem impositum fuisse Concilio, quando unio Græcorum facta est; cùm illud per tres fermè annos ab unione facta duraverit, Occidentalibus cum Eugenio Florentiæ remanentibus. Ita referunt Spondanus ad annum 1439. n. 18. & Pallavicinus Hist. Conc. Trid. L. 6. c. 11. Sua igitur firma stat huic Decreto auctoritas, ac debetur reverentia; tametsi ex certa fidei lege non teneantur Theologi, ea omnia sequi quæ circa materiam & formam nonnullorum Sacramentorum in eo continentur.

Concilium igitur, seu Eugenius, postquam eo in Decreto dixit, *solum Episcopum ordinarium esse Confirmationis ministrum*, statim addit: *Legitur tamen aliquando per Apostolicæ Sedis dispensationem ex rationabili & urgente admodum causa, simplicem Sacerdotem, chrismate per Episcopum confecto hoc administrasse Confirmationis Sacramentum.*

Exempla illa dispensationum non refert quidem S. Pontifex, sed supponit, eaque approbare censendus est, cùm ait eas *ex rationabili & urgente admodum causa* concessas fuisse: neque dubitandi locus est, quin Occidentales Episcopi exempla illa sedulò & accuratè perpenderint. Præcipua hic referenda.

Vim non faciemus in testimonio Ambrosiastri, seu Hilarii Diaconi asserentis, apud Ægyptum, ac per totam Alexandriam Presbyteros, absente Episcopo, consignare; plus enim ex illo atque aliis hujuscemodi testimoniis, quæ Dallæus objicit, efficeretur, quàm permittat Catholica doctrina: nempe simplices Presbyteros, non tantùm ex delegatione, sed proprio & ordinario jure ministros esse Confirmationis.

I. Igitur licentiam administrandæ Confirmationis in casu necessitatis concessisse videtur Concilium Arausicanum I. anno 441. Can. 1. *Hæreticos*, inquit, *in mortis discrimine positos, si Catholici esse desiderant, si desit Episcopus, à Presbyteris cum chrismate & benedictione consignare placuit.* Tom. 3. Conc. p. 1447.

Idem & placuit Concilio Epaonensi anno 517. cap. 16. *Presbyteros*, inquit, *propter salutem animarum, quam in cunctis optamus, desperatis decumbentibus hæreticis, si conversionem subitam petant, chrismate permittimus subvenire. Quod omnes conversuri, si sani sunt, ab Episcopo noverint expetendum.* Tom. 4. Con. p. 1578.

Non ignoramus ex nostris multos existimare, his in Canonibus designari meram cæremoniam, per quam olim redeuntes ab hæresi in Ecclesia recipiebantur, non autem verum Sacramentum Confirmationis: aliàs, inquiunt, sæpius iteratum fuisse Sacramentum illud, dicendum foret.

Verùm, multos aliter sentire fatendum est, imprimis doctissimum & Illustrissimum Petrum de Marca in notis ad Concilium Claromontanum anni 1095. Neque sequitur, sæpius iteratum fuisse istud Sacramentum: namque verisimile prorsus est, illos Hæreticos, de quibus mox laudati Canones, verum apud suos Confirmationis Sacramentum, sive ex errore, sive ex negligentia, non percepisse. To. 10. Conc. p. 585.

Cùm

Cum S. Gregorius Magnus anno 593. Epistola 9. To. 2. p. 619. B. L. 4. Presbyteris Calaritanis prohibuisset, *ne baptisatos infantes signare in fronte chrismate præsumerent, sed eos ungerent in pectore, ut Episcopi postmodum ungerent in fronte*; anno proxime sequenti cum accepisset hac sua prohibitione multos offensos & scandalisatos fuisse, Epistola 26. respondet: *Et nos quidem secundum usum veterem Ecclesiæ nostræ fecimus; sed si omnino hac de re aliqui contristantur, ubi Episcopi desunt, ut Presbyteri etiam in frontibus baptisatos chrismate ungere debeant concedimus.* Ibid. p. 705. Atqui juxta editionem Parisiensem anni 1533. legunt *baptizandos*, non *baptisatos*: unde inferunt loqui S. Gregorium de unctione ante Baptismum, seu verticis, quam illi Presbyteri contra usum Ecclesiæ Romanæ in fronte faciebant; non vero de unctione confirmatoria, quæ Baptismum sequitur. Verum evanescit penitus hæc observatio, si Epistola illa 26. per quam S. Pontifex licentiam restituit, quam prius abstulerat, conferatur cum Epist. 9. in qua certum est mentionem fieri de unctione facienda *baptisatis*, non *baptisandis*.

Ad istud S. Gregorii exemplum respondebant nonnulli, ætate ipsa S. Thomæ, ipsomet referente in 4. dist. 7. q. 3. art. quæstiunc. 3. in corp. sanctum Gregorium non dedisse facultatem conferendi Sacramentum Confirmationis, *sed aliquid sacramentale, simile illi Sacramento, sicut alicui porrigitur panis benedictus loco Eucharistiæ*: id est S. Pontificem non Sacramentum, sed meram cæremoniam, administrandi licentiam indulsisse; quam solutionem secuti sunt Adrianus VI. in 4 dist. 7. art. 3. Petrus de Marca dissertatione ad Canonem 28. Concilii Claromontani an. 1095. Licet enim doctissimus auctor existimet, ex gravi causa posse simplicem Sacerdotem ex dispensatione Sacramentum Confirmationis conferre; negat tamen ex eo loco; id est facto Gregorii Magni, confici istud posse. Assentitur Estius in 4. dist. 7. parag. 22.

Verum responsio hæc gratis ficta videtur. 1. Quia id concessit S. Gregorius per Epistolam 26. quod negaverat per Epistolam 9. atqui per Epistola. 9. conceptis verbis prohibuerat, *ne Presbyteri baptisatos infantes* Ibid. p. 689. *signare sacro chrismate in frontibus præsumant, sed eos ungant in pectore, ut Episcopi postmodum ungere debeant in fronte*, quæ sane unctio frontis verum erat Confirmationis Sacramentum; neque enim aliter apud Veteres solebat designari. 2. Si de una duntaxat cæremonia quæstio fuisset, quare illam in absentia duntaxat Episcopi Presbyteris S. Gregorius permisisset, An non jure ordinario Presbyteri omnes Baptismi cæremonias observabant? Unde tanta Calaritanorum offensio, scandalum tantum, si de una cæremonia duntaxat actum fuisset?

Objectio. At inquies I. Si de vero Confirmationis Sacramento egisset S. Gregorius, illud haud dubiè, quod sine legitima licentia & auctoritate contulerant Presbyteri Calaritani, nullum & irritum declarasset, iterumque eos jussisset confirmari, quod factitatum à Gregorio non legimus.

II. Cur S. Pontifex unum opponit Ecclesiæ suæ Romanæ usum, non verò institutionem Christi, quæ longè majoris ponderis ac momenti fuisset?

Resp. ad primum, ex œconomia & prudenti dispensatione sic egisse sanctum Gregorium, ne Calaritanos graviùs adhuc offenderet ac perturbaret. Quin & conjici non immerito potest, supposuisse Pontificem, ex consensu saltem tacito Ecclesiæ Romanæ, datam Calaritanis Confirmationis administrandæ facultatem; onde judicavit necesse non esse, ut juberet eos iterum confirmari. Revera quidem facultatem hanc revocaverat ipsemet Gregorius: at re maturius expensa, brevi, anno nempe sequenti eam restituit, non improbatis iis, quæ ab illis Presbyteris gesta fuerant.

Ad secundum: institutionem quidem Christi non opponit Gregorius, at nec etiam negat; imò hunc Ecclesiæ suæ usum, quem objicit, supponit haud dubiè in ea divina Christi institutione subnixum esse.

III. Vel Græci non habent verum Confirmationis Sacramentum, quod planè absurdum & falsum esse demonstrant Goarius, Arcudius, & alii; quia revera Latini, cùm de unione restituenda quæstio fuit, nusquam ipsis objecere nullum esse apud illos Sacramentum Confirmationis: vel fatendum est, posse simplices Sacerdotes, ex dispensatione Ecclesiæ, Sacramentum hoc administrare; certum enim est Græcos Presbyteros illud dispensare. Qui ergo paulò antè laudati fuere SS. Pontifices, improbaverunt quidem Græcorum abusum, qui videbantur duce Photio sibi arrogare ordinarium hujus Sacramenti administrandi jus & officium: at tandem, tacito saltem consensu & lapsu temporis, permiserunt eos in antiquo suo usu permanere. Rem ita explicat Goarius in suis notis ad Euchologium Græcorum. *Quæstio est*, inquit, *solvenda, utrùm solus Episcopus Sacramenti Confirmationis sit minister? Sa-* P. 367. *tis sit*, pergit ille, *nobis difficultatem abrumpere, & nodum præscindere vel sic in levi. Cum puerorum & adultorum confusa plebs, non amplius solemnibus Paschatis, Pentecostes, & Theophaniorum festis sacro Baptismatis fonte lustraretur ab Episcopis, cum individua comes ex antiquo instituto chrismatis consignatio seu perfectio & manus ejus ultima haberetur, ne forsan pueri morte immatura prærepti, sanctis illius mysteriis fierent exortes, ita consentientibus primo totius Orientis Episcopis, Sacerdotes confirmandi officium vel arrogarunt, vel sibi concessum ad hunc usque diem retinuerunt.* Ita Goarius, qui in hanc rem laudat ibid. testimonium Gabrielis Philadelphiensis Episcopi.

Et verò novimus ex Historia Concilii Florentini, inter quæstiones undecim, quæ Græcis post unionem à Latinis propositæ sunt, istam fuisse, *Quare Pontifices* Tr. 15. *non inungunt sacro chrismate, sed Sacerdotes, cum hoc* Conc. p. *Pontificibus sit datum?* Cui quæstioni Mytilinensis 323. D. Præsul Græcorum nomine satisfecit: sic enim leginos post undecim illas quæstiones, *Hæc à Latinis objecta, Mytilinensis Præsul legitimè & canonicè omnia dissolvit, præterquam duo, scilicet separationem Matrimonii, & creationem Patriarchæ extra Constantinopolim.* Ignoramus quidem præcisè, quid ad propositam quæstionem responderit dictus Præsul; sed legitimè & canonicè ab illo solutam esse, generatim saltem discimus ex historica Concilii narratione.

Quin Gregorius Protosyncellus, qui adfuit Concilio Florentino tanquam Legatus Patriarchæ Alexandrini, & qui postea creatus est Patriarcha Constantinopolitanus, scribens adversus Epistolam Marci Ephesini testatur ritum Græcorum probatum fuisse à Patribus Concilii Florentini. Sic enim loquitur: *Verum Latini etiam nostros consignabant, & chrismates appellabant.* Ibid. p. 790. A. *Sed hæc non fuisse ex æquo & bono facta constat ex eo, quod in nostra unione nihil habuerunt quod nobis objicerent; sed cùm essemus orthodoxi, habiti sumus ab orthodoxis orthodoxi.*

Probatur denique ex multis SS. Pontificum Diplomatibus, in quibus confirmandi licentia simplicibus Presbyteris concessa est. Arcudius L. 2. de Confirmatione cap. 15. ait se accepisse à Patre Fonseca Societatis Jesu, eum Diplomate Pontificio facultatem accepisse Christianis Brasilianis conferendi Sacramentum Confirmationis: idem pariter plurimis Franciscanis concessum fuisse testatur Vadingus in Annalibus Fratrum Minorum, affertque eam in rem Diploma Joannis XXI. quod confirmatur Diplomate Nicolai IV. ad an. 1447. Diploma Eugenii IV. ad annum 1444. Diploma Leonis X concessum duobus Confessariis Caroli V. Diploma Urbani V. quæ omnia authentico Diplomate con-

confirmavit Adrianus VI. quod in Cœnobio Franciscanorum Hispali asservatur. Quamquam idem Adrianus in Scriptis suis Theologicis, antequam ad supremum Pontificatum assumeretur, docuisset, non posse simplices Presbyteros, etiam ex dispensatione, Sacramentum illud administrare. Vide Pallavicinum L. 9. Hist. Conc. Trident. c. 7. n. 12.

Solvuntur Objectiones.

Objicies 1. Summos Pontifices, Nicolaum I. Innocentium III. Gregorium IX. Innocentium IV. Clementem VIII. qui omnes tanquam pravam & abusivam damnarunt consuetudinem Græcorum Presbyterorum, qui Sacramentum Confirmationis communiter apud suos administrant. Imo nullum ac irritum sic collatum censuit Sacramentum Nicolaus I. jussitque iterum confirmari eos qui à Presbyteris Photianis confirmati jam fuerant; idem ut saltem sub conditione fieret, jussit Clemens VIII. Verba summorum illorum Pontificum paulo ante relata sunt, ubi de ordinario Confirmationis ministro; ea consule. Porro si posset simplex Presbyter ex delegatione saltem ministrare istud Sacramentum, ea non accedente, illicite quidem at valide saltem Sacramentum istud perficeret; quemadmodum valide corpus Christi consecrat Sacerdos, tametsi illicite, cum à functione sui Ordinis suspensus est. Ergo non debuisset Nicolaus I. irritam declarare Confirmationem à Presbyteris Græcis collatam: eam autem declarando nullam, manifeste significat non posse simplices Presbyteros ad id munus ullo pacto deputari.

Resp. his Summorum Pontificum Decretis, præsertim Nicolai I. directe ac primario impeti errorem Photii, qui ut antea vidimus, contendebat nullo Scripturæ testimonio, nullave lege constare solos Episcopos ordinarios esse Confirmationis ministros; atque officium illud pari jure commune esse tum Episcopis tum Presbyteris: quo errore supposito, nullaque præeunte publica Ecclesiæ dispensatione, merito Nicolaus I. judicavit nullam esse Confirmationem, quam Græci Presbyteri tanquam proprio & ordinario jure dispensabant; maxime in ea regione, in qua nihil auctoritatis ac jurisdictionis habebant Græci. Nec urget quod addit objectio: licet enim inchoatam & incompletam potestatem habeat simplex Presbyter, ut aptus & capax esse possit Confirmationis minister; ligata nihilominus illa est, nec libera, plena & completa, donec accedat legitima dispensatio. Si quæras unde istud; respondeo, ex institutione Christi quam ex Traditione ac usu Ecclesiæ certam & exploratam habemus. Exemplum autem Eucharistiæ hic aptum non videtur: habet quippe Sacerdos, vi suæ Ordinationis, plenam & completam potestatem, ut valide corpus Christi perficiat; quamquam illicite, si spretis Ecclesiæ legibus ac censuris, vel cum alicujus alterius peccati mortalis conscientia, tremendum illud ministerium exerceant.

Ad Innocentium vero III. dico 1. eum Latinis duntaxat Presbyteris, qui Constantinopoli tunc versabantur, ac Græcorum sequebantur consuetudinem, interdicere ne confirment, non vero Græcis. Patet illud ex verbis Innocentii III. in Epistola ad Lucium Legatum suum, qualem habemus in Editione Balusiana,
Tom. 1. p. 480. col. 2. „Dilectioni tuæ mandamus, *inquit*, quatenus omnibus „Latinis Presbyteris apud Constantinopolim constitutis districte prohibeas, ne talia de cætero sua temeritate „præsumant &c." Et vero Latinis dispensatum non fuerat, ac Ecclesiæ suæ Latinæ ritum observare illi tenebantur. Dico 2. Pontifices Innocentio III. posteriores, qui usum Græcorum improbarunt, aut non satis attendisse, aut forsan ignorasse dispensationem concessam ipsis fuisse à Gregorio Magno, ut Confirmationem tanquam extraordinarii ministri dispensarent. Clemens vero VIII. dubitans an Græci, qui in quibusdam Italiæ partibus versabantur, legitimam ac sufficientem dispensationem & licentiam percepissent, sub conditione jubet eos iterum confirmari, qui confirmati ab illis fuerant.

Objicies 2. Potestas confirmandi Episcopis convenit, vel ratione Ordinis, vel ratione Jurisdictionis, vel utriusque simul. Si ratione Ordinis, nulli alteri quam Episcopo concedi valide potest; sicut concedi non potest Diacono, v. g. potestas consecrandi Eucharistiam, & absolvendi à peccatis. Quare? quia quæ sunt essentialiter annexa Ordini alicui, non possunt nisi iis concedi, qui eo Ordine seu charactere instructi sunt. Si ratione Jurisdictionis, sequitur 1. Episcopum electum & non consecratum, posse Sacramentum Confirmationis administrare, quia ipse Ordinem habet Presbyteralem, & jurisdictionem Episcopalem. 2. invalidam fore Confirmationem, quam Episcopus extraneis, in quos nullam habet jurisdictionem, conferret. 3. posse Episcopum in sua Diœcesi, virtute jurisdictionis qua fruitur, licentiam confirmandi concedere, non tantum Presbyteris, sed etiam Diaconis, Subdiaconis, Clericis, in quos jurisdictionem suam exercere potest. Atqui hæc omnia falsa & absurda sunt. Si ratione utriusque, tum Ordinis, tum Jurisdictionis, utriusque mox exposita incommoda recurrunt.

Idem plane objici potest, ut efficias non posse simplicem sacerdotem, etiam ex dispensatione, valide Sacramentum illud administrare. Namque vel illa potestas valide confirmandi essentialiter pendet à charactere sacerdotali, vel non pendet. Si prius; ergo etiam sine dispensatione valide confirmaret simplex Sacerdos, quamquam non licite: quemadmodum valide Eucharistiam perficit, quamquam illicite, Sacerdos suspensus & excommunicatus. Si posterius; ergo Diacono & Subdiacono concedi similiter poterit licentia valide confirmandi. En angustiæ & incommoda sententiæ quam propugnamus.

Resp. miram esse nostrorum Scholasticorum in eo dissolvendo nodo industriam & fœcunditatem. Verum iis omnibus tricis & argutiis hic prætermissis, uno verbo sic dissolvi objectio potest, nempe ex institutione Christi habere Episcopum ut sit ordinarius; simplicem vero Presbyterum, ut esse possit extraordinarius Confirmationis minister. Hærere hic merito possemus; neque enim in factis hujusmodi alia quærenda ratio, quam Christi voluntas nobis per Ecclesiam declarata.

Si tamen pro more Scholæ aliquid amplius volueris,

Dicam 1. esse in Episcopo ratione Ordinis, ordinariam, plenam & completam facultatem administrandi jure ordinario sacramentum Confirmationis; unde sequitur eam validam non esse ab Episcopo electo, & non consecrato; è contra validam esse datam ab eodem extraneis, in quos nullam habet jurisdictionem. An vero possit Episcopus in sua Diœcesi cum Presbyteris, vel Diaconis aut Subdiaconis dispensare ut confirment dubitare nonnulli videntur: quia, inquiunt, id potest sua in Diœcesi Episcopus, quod potest Summus Pontifex in tota Ecclesia, nisi obstet lex aut reservatio contraria. Verum longe verisimilior est aliorum negans opinio, propter hanc ipsam contrariam legem, ac reservationem: quia nempe usus ac consuetudo Ecclesiæ non Episcopis privatis, sed solis Summis Pontificibus jus reservat dispensandi cum simplicibus Presbyteris ut confirment, quando gravis aliqua ratio & urgens necessitas postulat.

Dicam 2. simplicem Presbyterum, ratione sui Ordinis, habere quidem radicalem, inchoatam & incompletam potestatem confirmandi, sed legatam & impeditam, quæ nonnisi per legitimam dispensationem libera, completa & expedita evadere potest: eo fere modo

modo quo licet Sacerdos in Ordinatione sua recipiat potestatem absolvendi à peccatis, ea tamen uti valide non potest, nisi accedente jurisdictione, quam ipsi Episcopus concedit. Frustra objicitur, Sacerdotem vi suæ Ordinationis posse valide consecrare Eucharistiam, licet per suspensionem vel excommunicationem prohibeatur. Namque, ut jam dictum est in responsione ad primam objectionem, Sacerdos ille vi suæ Ordinationis, plenam ac completam habet potestatem valide perficiendi Eucharistiam; non vero plenam & completam, ut valide confirmet independenter à licentia seu legitima dispensatione.

Non pigebit hic exscribere responsionem Bellarmini ad propositam difficultatem, unde Conclusio nostra lucis plurimum mutuabitur, L. 2. de Confirm. c. 12.
Tom. 3. p. 148. G. sic ait: "Respondeo, confirmare esse actum Ordinis, ,,& eum Ordinem esse etiam in Presbytero, saltem in- ,,choatum & imperfectum. Observandum est enim, ,,characterem Episcopalem, sive sit alius à Presbytera- ,,li, sive idem extensior & major, esse potestatem abso- ,,lutam, & perfectam, & independentem conferendi ,,Sacramenti Confirmationis & Ordinis; & ideo non ,,solum posse Episcopum sine alia dispensatione confir- ,,mare & ordinare, sed etiam non posse impediri ab ulla ,,superiori potestate, quin revera Sacramenta ista confe- ,,rat, si velit, licet peccet, si id faciat, prohibente Summo ,,Pontifice: characterem autem Presbyteralem quidem ,,potestatem absolutam, perfectam & independentem, ,,quoad Sacramenta Baptismi & Eucharistiæ; esse au- ,,tem potestatem inchoatam, imperfectam & depen- ,,dentem à voluntate superioris, quoad Sacramentum ,,Confirmationis. Quocirca nisi perficiatur per dis- ,,pensationem Superioris ea potestas, Presbyter confir- ,,mando nihil ageret: at si perficiatur, jam ex ipso suo ,,charactere confirmabit: id quod minus mirum vide- ,,bitur, si cogitemus characterem non esse physicam ali- ,,quam potentiam, quæ physice aliquid operetur, (tunc ,,enim difficile esset intelligere quomodo posset perfici ,,per dispensationem Pontificiam) sed esse signum di- ,,vini cujusdam pacti, quo Deus concurrit ad effectum ,,Sacramentalem producendum cum eo qui habet cha- ,,racterem, & non cum aliis; facile enim est intelligere, ,,unum characterem esse signum pacti absoluti, alium ,,autem esse signum pacti conditionati." Hactenus Bellarminus.

Objicies 3. Non potest Summus Pontifex, imo nec Ecclesia universa, conferre Diaconis licentiam consecrandi Eucharistiam, & absolvendi à peccatis; ergo nec simplici Presbytero potestatem administrandi Confirmationem.

Resp. nego paritatem. Disparitas est, quia potestas consecrandi Eucharistiam & absolvendi à peccatis essentialiter pendet à charactere sacerdotali; qua propter Diaconis communicari illa non potest, in quibus ne inchoata quidem & incompleta inest ad hæc sacerdotalia munia valide obeunda potestas; è contra vero habent simplices Sacerdotes, ratione sui Ordinis inchoatam saltem & incompletam facultatem administrandæ Confirmationis, quæ, accedente legitima dispensatione, perficitur & completur.

ARTICULUS III.

De Subjecto Sacramenti Confirmationis.

QUæres 1. quodnam sit idoneum hujus Sacramenti subjectum.

Resp. esse omnem hominem baptisatum. Tum quia Ecclesia Latina per duodecim sæcula etiam infantibus Confirmationem administravit simul cum Baptismo; qui mos adhuc apud Græcos observatur. Ratio est, quia, inquit S. Thomas hic art. 8. ad 2. *etiam in puerili ætate homo potest consequi perfectionem spiritualis ætatis; & inde est*, inquit, *quod multi in puerili ætate, propter robur Spiritus sancti perceptum, usque ad sanguinem fortiter certaverunt pro Christo.* Tum quia Baptismus aditum aperit ad omnia Christi Sacramenta.

Quæres 2. an fuerit aliquando baptisatis denegata Confirmatio.

Resp. affirmative: sic enim colligitur ex Can. 39. Concilii Eliberitani. *Gentiles*, inquit, *si infirmitate desideraverint sibi manum imponi, si fuerit eorum ex aliqua parte honesta vita, placuit eis manus imponi, & fieri Christianos.* Ergo si non fuisset eorum vita omnino ex parte probata, denegata ipsis fuisset Confirmatio, Tom. 1. Conc. p. 975. A.
quæ ibi designatur per manus impositionem, ait doctissimus & illustrissimus Albaspinæus.

Quæres 3. qua ætate percipi debeat Sacramentum Confirmationis.

Resp. Si spectetur institutio Christi, omnem ætatem huic Sacramento idoneam esse; si vero jus attendatur Ecclesiasticum, varia fuit disciplina. Olim, ut mox dictum est, infantibus simul cum Baptismo dabatur; nunc variis Conciliorum Canonibus statutum est, ut pueris, postquam discretionis annos attigerint, id est, post septimum ætatis annum, administretur. Ita Synodus Lingonensis an. 1404. Senonensis 1524. Parisiensis 1557. Conventus Melodunensis an. 1599. Bituricensis an. 1584. Aquensis an. 1585. Mediolanensis I. sub S. Carolo an. 1565. Sunt tamen qui ad duodecimum usque ætatis annum expectandum esse volunt; cujus utriusque disciplinæ meminit Catechismus Romanus part. 2. de Sacramento Confirmationis nu. 15. quia in re quisque Ecclesiæ in qua vivit, usum & morem sequi debet, juxta istud S. Ambrosii, quod S. Augustinus oraculi loco habuit, *Ad quam forte Ecclesiam veneris, ejus morem serva, si cuiquam non vis esse scandalo, nec quemquam tibi.* Unde ipse S. Augustinus Ep. 54. alias 118. ad Januarium. *Quod*, inquit, *neque* Tom. 2. p. 124. D.
contra fidem, neque contra bonos mores esse convincitur, indifferenter est habendum, & propter eorum inter quos vivitur societatem, servandum est.

Quæres 4. an nusquam licitum sit prævenire septimum ætatis annum.

Resp. maxime licere & expedire quando urget mortis periculum. Ita S. Thomas 3. part. q. 72. art. 8. ad 4. quam doctrinam hausit in Concilio Parisiensi VI. in cujus L. 1. c. 33. dicitur: "Sicut à duobus tempori- Tom. 7.
,,bus, Pascha videlicet & Pentecoste, Baptismus; ita Conc. p.
,,etiam Spiritus sanctus per impositionem manus Fide- 1612. A.
,,libus tradatur, exceptis infirmis & morte periclitantibus." Ita quoque Hugo Victorinus L. 2. de Sacramentis parte 7. c. 3.

Quæres 5. quæ requirantur dispositiones ad percipiendum Sacramentum Confirmationis.

Resp. aliquas requiri ex parte corporis & animæ.

I. Ex parte corporis. Duodecim prioribus Ecclesiæ sæculis sacramentum hoc nonnisi jejunis dabatur; sæculo undecimo Gratianus *De Consecratione* dist. 5. & duodecimo Magister Sententiarum mentionem faciunt istius consuetudinis. Post duodecimum sæculum etiam non jejunis data est Confirmatio, ut testatur S. Thomas part. 3. q. 73. art. 12. ad 2. Laudabilis tamen est ea consuetudo, & quantum fieri potest observanda, ut si Confirmatio mane administretur, & à jejunis detur, & à jejunis percipiatur. Ita Catechismus Romanus. 2. Requiritur ut frontem apertam & nitidam habeant qui confirmandi sunt. Ita Concilium Aquense an. 1575. ut quisque vittam seu fasciolam linteam habeat, qua frons sacro chrismate illita, contegatur. Hanc tegendæ confirmatorum frontis consuetudinem perantiquam esse testantur Ordo Romanus, & Amalarius Libro de divinis Officiis. 3. Requiritur ut mares, tam ii qui confirmandi sunt, quam qui confirmandis pa-

dis patrini dantur, veste simplici, & ad modestiam composita accedant: ita feminæ sint sina fuco & pigmento, non immoderato capitis corporisve ornatu decoratæ.

II. Ex parte animæ, requiritur 1. ut confiteantur sacramentaliter, si gravium peccatorum conscii sunt. Ita statuit Concilium Aurelianense quod laudat Gratianus *De Consecratione* dist. 5. & Concilium Rothomagense an. 1581. & Burdigalense an. 1583. Requiritur 2. ut bonis operibus ac pietatis officiis, præsertim oratione & secessu, ad recipiendum Spiritum sanctum sese disponant: Act. 1. v. 14. & Apostolos imitentur, de quibus dicitur, *Erant permanentes in oratione.*

QUÆSTIO IV.

De effectibus Sacramenti Confirmationis.

Duplex distinguitur hujus Sacramenti effectus; gratia nempè roborans & confortans, ac character. De utroque hic disserendum.

ARTICULUS I.

De gratia quæ per Sacramentum Confirmationis confertur.

Catholicorum communis ac trita sententia est, per Sacramentum Confirmationis gratiam sanctificantem conferri, quæ dicitur gratia perficiens, roborans & confortans ad fidem intrepidè profitendam, & superandas omnes, quæ contra illam insurgunt, dæmonis ac mundi tentationes.

Doctrinam hanc irrident Novatores Lutherani & Calvinistæ, ac contendunt 1. Apostolos per manus impositionem contulisse dumtaxat gratias gratis datas seu charismata spiritus sancti, non gratiam ipsam sanctificantem. 2. Post tempora Apostolorum, quibus necessaria non fuerunt ampliùs ea conspicua dona *ad fidem confirmandam & primordia Ecclesiæ dilatanda*, Confirmationem nihil fuisse aliud quàm Catechesim, in qua Christiani fidei suæ rationem coram Ecclesia reddebant. 3. Denique, confirmationem nostram meram jam esse, eamque planè otiosam, omnisque effectus spiritualis expertem cæremoniam, imò Baptismo injuriosam & contumeliosam, quæ illius virtuti detrahit, quasi gratia baptismalis ex se perfecta non foret, atque per nostram Confirmationem perfici ac consummari deberet, ut homo baptisatus fidei defendendæ ac profitendæ P. § 8. idoneus esse possit. *Dicunt Unctores*, ait inverecundè Calvinus L. 4. Instit. c. 19. n. 8 *Spiritum sanctum in Baptismo ad innocentiam dari; in Confirmatione, ad gratiæ augmentum. In Baptismo nos regenerari ad vitam, in Confirmatione nos ad pugnam instrui; & ideò nihil eos pudet, ut negent Baptismum ritè sine Confirmatione perfici posse ..... Hæc Satanæ doctrina est, quæ promissiones Baptismi proprias à Baptismo abscissas alio derivat & transfert* Verum more suo nos protervè calumniatur Hæresiarcha. Neque enim dicimus, *Baptismum ritè sine Confirmatione perfici non posse*; sed hoc unum, per Confirmationem novam gratiam, aut novum gratiæ gradum ad robur & firmitatem fidei baptisatis accedere: habet enim quodlibet sacramentum suam propriam gratiam, qua sacramentalis dicitur, ad proprium suum effectum destinatam. Tr. 13. Conc. p. 534. E. *Per Baptismum*, ait Eugenius S. Pontifex in Decreto, *spiritualiter renascimur; per Confirmationem augemur in gratia, & roboramur in fide; renati autem & roborati nutrimur divina Eucharistiæ alimonia. Quod si per peccatum incurrimus ægritudinem animæ, per pœnitentiam spiritualiter sanamur &c.*

Inde nata inter Theologos controversia, quid sit gratia illa sacramentalis; an essentialiter distincta à gratia sanctificante habituali, quæ per Sacramentum confertur; an tantùm jus addat ad obtinenda, cum opus est, auxilia gratiæ necessaria ad proprios uniuscujusque Sacramenti effectus consequendos; an novus duntaxat ejusdem gratiæ gradus, novaque intensio seu perfectio, de qua quæstione diximus, ubi de sacramentis in genere, ad Quæstionem quartam pag. 215. & seq. Eadem hic recurrit quæstio circa gratiam Confirmationis, an essentia differat à baptismali, an tantùm gradu. S. Thomas 3. part. q. 72. art. 7. ad 3. quæstionem solvit his verbis: *Dicendum quod gratia sacramentalis addit super gratiam gratum facientem communiter sumptam, aliquid effectivum specialis effectus, ad quod ordinatur Sacramentum. Si ergo consideretur gratia in hoc Sacramento collata, quantùm ad id quod est commune, sic per hoc Sacramentum non confertur aliqua alia gratia, quàm per Baptismum, sed quæ priùs inerat, augetur. Si autem consideretur quantum ad illud speciale quod superadditur, sic non est ejusdem speciei cum ipsa.* Idem S. Doctor eadem parte q. 62. art. 2. tria distinguit in effectibus Sacramentorum; gratiam sanctificantem, virtutes & dona; & gratiam sacramentalem, seu quoddam divinum auxilium ad finem Sacramenti consequendum. *Et sicut*, inquit, *ab essentia animæ fluunt ejus potentiæ, ità à gratia fluunt quædam perfectiones ad potentias animæ, quæ dicuntur virtutes & dona, quibus potentiæ perficiuntur in ordine ad suos actus.* Sic fides intellectum perficit ad credendum, charitas voluntatem ad amandum &c.

Rursus observa, gratiam, quæ per Sacramenta confertur, vel primam esse quæ justificat; vel secundam, quæ adeptam justitiam auget ac perficit. His præmissis sit

PRIMA CONCLUSIO.

Sacramentum Confirmationis confert sanctificantem gratiam, non quidem primam, saltem per se, sed secundam.

Probatur prima pars. Quia istud omnibus Sacramentis commune est, ut sanctificantem conferant gratiam iis omnibus, qui eo, quo par est, pietatis ac religionis sensu ea percipiunt. Vide quæ eam in rem diximus, ubi de Sacramentis in genere.

Secunda pars non minùs certa & evidens est. Quia Confirmatio ex se instituta non est ad remissionem culpæ, sed ad augmentum & firmitatem justitiæ; neque est, ut ajunt Sacramentum mortuorum, sed Sacramentum viventium. Unde concludit S. Thomas 3. qu. 72. art. 7. ad 2. illam dandam non esse iis qui non habent gratiam, sive per Baptismum, sive per Pœnitentiam.

SECUNDA CONCLUSIO.

Gratia propria Sacramenti Confirmationis, ast gratia roboris ac virtutis ad fidem intrepidè ac fortiter propugnandam, & superandas, quæ adversùs eam insurgunt, dæmonis ac mundi tentationes.

Communis est ista Traditionis Ecclesiæ doctrina, quæ ad nos usque serie non interrupta defluxit; unde à Scriptoribus Ecclesiasticis dicitur gratia roboris, virtutis, perfectionis, consummationis, seu augmenti spiritualis; ad discrimen gratiæ baptismalis, quæ est spiritualis infantiæ, propria scilicet infantium, de quibus S. Petrus Epistolæ primæ c. 2. v. 2. *Sicut modò geniti infantes, rationabile sine dolo lac concupiscite, ut in eo crescatis in salutem. Ex ipso nomine* [Confirmationis] *apparet*, ait S. Thomas 3. part. quæst. 72. art. 7. ad 2. *hoc Sacramentum dari ad confirmandum quod prius invenerit.* Ita Veteres. Tom. 1. p 975. & 978.

Patres Concilii Elliberitani Can. 38. & 77. gratiam

hanc *perficientem* appellant, non quod imperfecta sit, aut quidquam desit illi, quæ in Baptismo datur; absit hunc esse Catholicorum sensum: sed quod novus gratiæ gradus accedit homini baptisato, ad robur & firmitatem justitiæ jam adeptæ. Idem asserit S. Ambrosius L. 3. de Sacramentis c. 2. "Post fontem, Tom. 2. p. 364. E. „*inquit*, superest ut perfectio fiat, quando ad invocatio„nem Sacerdotis Spiritus sanctus infunditur.

S. Cyprianus gratiam *consummantem* appellat, P. 124. Epist. 73. "Ut, *inquit*, per nostram orationem ac „manus impositionem Spiritum sanctum consequan„tur, & signaculo Dominico consummentur.

Tertullianus, gratiam munientem de L. de Resurrectione Carnis c. 8. *Caro ungitur, ut anima conse-* P. 330. *cretur*; *Caro signatur, ut & anima muniatur*. Et L. de Præscriptionibus c. 26, loquens de Romana Eccle- P. 215. sia, *Fideles*, inquit, *aqua signat, sancto Spiritu vestit*, *Eucharistia pascit.*

Alii vulgo gratiam roborantem ac confortantem dicunt. Ita imprimis.

S. Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi 3. mysta- P. 235. C. gogica. "Ut enim Salvator, *inquit*, post Baptismum „& illum Spiritus sancti adventum egressus in prælium, „devicit adversarium; sic & vos post sacrum Baptisma „& chrisma mysticum, induti armis Spiritus sancti ad„versus oppositam vobis potestatem præliamini, di„centes: Omnia possum in eo qui me confortat, „Christo. Hujus sancti chrismatis dono accepto, „merito appellamini Christiani, veram efficientes „appellationem in ipsa regeneratione; ante enim quam „hæc gratia vobis donata esset, non eratis proprie digni „eo nomine, sed pergentes eo usque progressi estis, ut „efficeremini Christiani.

Eucherius Lugdunensis Hom. de Pentecoste, "Forte, Biblioth. PP. Tom. 6. p. 649. C. „*inquit*, cogitat sibi aliquis: Quid mihi prodest post „mysterium Baptismatis, ministerium confirmantis? „Attendat charitas vestra, ... Sic enim exigit militaris „ordo, ut cum Imperator quemcumque in militum re„ceperit numerum, non solum signet receptum, sed „eum armis competentibus instruat pugnaturum. Ita „in baptisato benedictio illa, munitio est .. *Et postea*: Er„go Spiritus sanctus, qui super aquas Baptismi salutifero „descendit illapsu, in fonte plenitudinem tribuit ad in„nocentiam, in Confirmatione augmentum præstat ad „gratiam; & quia in hoc mundo tota ætate victuris in„ter invisibiles hostes & pericula gradiendum est, in Ba„ptismo regeneramur ad vitam, post Baptismum con„firmamur ad pugnam; in Baptismo abluimur, post „Baptismum roboramur. Ac sic continuo transituris „sufficiunt regenerationis beneficia, victuris autem ne„cessaria sunt Confirmationis auxilia.

Solvuntur Objectiones.

Objicies 1. cum Kemnitio in examine Concilii Tridentini: Gratia quam Sacramento confirmationis tribuimus injuriam & contumeliam infert gratiæ baptismali, quasi vires illa non præberet pares & idoneas ad fidem intrepide propugnandam adversus omnes dæmonis ac tyrannorum insultus; quasi sine Confirmatione rite perfici Baptismus non posset. Ad quid enim tot interrogationes quibus baptisandus pulsatur, an credat in Deum Patrem &c. an renuntiet diabolo & pompis ejus, nisi supponeretur conferri per Baptismum spiritum sanctum ad pugnam diabolo?

Resp. nego ant. cujus probatio mera est Kemnitii ignorantia vel malitia. Nemo quippe nostrum negavit unquam, in Baptismo gratiam dari ad fidem propugnandam; nemo dixit unquam, Baptismum sine Confirmatione rite non perfici, quasi aut nullus foret, aut ipsi ad proprium effectum assequendum quidquam deesset: sed contendimus gratiæ baptismali novam & uberiorem addi per Sacramentum Confirmationis, per quam recto sensu gratia baptismalis perfici ac compleri dici potest. Nonne ipsimet Lutherani & Calvinistæ ista duo simul fatentur, & Baptismi gratiam per Eucharistiam augeri & perfici, & Baptismum sine Eucharistia rite perfici? Cur igitur ægre ferunt nos idem de Confirmatione affirmare?

At, inquies, ita confunditur utriusque Sacramenti effectus. Minime: effectus quippe proprius Baptismi, est gratia regenerans; Confirmationis, roborans & confortans; sicut Eucharistiæ, nutriens. Gratia baptismalis est, sine qua nemo salvus esse potest; non ita gratia Confirmationis, quæ tantum integrans est; illa est gratia infantiæ spiritualis, *Quasi modo geniti infantes*; hæc quasi virilis ætatis. *Sicut Baptismus*, ait S. Thomas 3. part. quæst. 72. art. 5. in corp. "est quæ„dam spiritualis regeneratio in vitam Christianam, ita „etiam Confirmatio est quoddam spirituale augmen„tum promovens hominem in spiritualem ætatem per„fectam. Manifestum est autem ex similitudine corpo„ralis vitæ, quod alia est actio hominis statim nati; & „alia actio quæ competit ei, cum ad perfectam ætatem „pervenerit &c. *Et in resp. ad* 2. Pugna spiritualis, *ait*, „contra hostes invisibiles, omnibus competit. sed con„tra hostes visibiles, id est contra persecutores fidei „pugnare, nomen Christi publice confitendo, est con„firmatorum, qui jam sunt perfecti spiritualiter ad viri„lem ætatem, secundum quod dicitur primæ Joan. 2. „scribo vobis, juvenes, quoniam fortes estis, & verbum „Dei in vobis manet, & vicistis malignum. Et ideo „character Confirmationis est signum distinctivum, „non Infidelium à Fidelibus; sed spiritualiter prove„ctorum, ab his quibus dicitur, Sicut modo geniti in„fantes.

Objicies 2. cum Calvino L. 4. Inst. c. 19. n. 8. ea scripturæ testimonia quæ Baptismo vim efficacem ad justitiam, & pugnam contra fidei hostes tribuunt. Rom. 6. v. 4. ubi asseritur, eos qui omnes "qui baptisati sunt „in Christo Jesu, in morte ipsius baptisatos esse & „consepultos cum illo per Baptismum, ut quomodo „Christus surrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & „nos in novitate vitæ ambulemus," Quid est instrui ad pugnam, ait Calvinus, nisi hoc? Galat. 3. v. 27. *Quicumque in Christo baptisati estis, Christum induistis*; utique cum suis donis, inquit Calvinus. Addit & hunc Canonem Milevitanum, "Quicumque dicit Baptismum „in remissionem peccatorum dari tantum, & non ad „adjutorium futuræ gratiæ, anathema sit.

Resp. Calvinum aerea verberare. Quis enim nostrum hæc negat? nemo certe. An gratia Baptismi excludit gratiam Confirmationis? An si hæc alteram perficit, idcirco injuriosa ipsi dicenda? Nonne, ut jam observatum est, agnoscunt Calvinistæ gratiam Baptismi per Eucharisticam alimoniam quodammodo compleri ac perfici? An idcirco virtuti & efficaciæ Baptismi detrahitur? neutiquam. Ergo nec gratia quæ Confirmationis propria est, quidquam detrahit, imo potius auget gratiam Baptismatis. Canon Milevitanus hic certe ad rem non est: oppugnat enim eos qui omnem Baptismi virtutem in sola peccatorum remissione collocabant, exclusis interioris gratiæ auxiliis. An ita Catholici? absit.

Objicies 3. cum Dallæo L. 1. de confirmatione c. 2. S. Cyprianum, qui vim efficacem ad pugnandum contra hostes fidei, Eucharistiæ tribuit, non confirmationi, Ep. 54. ad Cornelium. "Quomodo docemus, *inquit*, P. 76. „aut provocamus eos in confessione nominis Christi „sanguinem suum fundere, si eis militaturis Christi „sanguinem denegamus? aut quomodo ad martyrii „poculum idoneos facimus, si non eos prius ad biben- P. 77. „dum in Ecclesia poculum Domini jure communica„tionis admittimus? ... Idoneus esse non potest ad „martyrium, qui ab Ecclesia non armatur ad prælium; „& mens deficit, quam non recepta Eucharistia erigit & „accendit.

Resp.

Resp. 1. neminem ex nostris usquam dubitasse, quin digna Eucharistiæ perceptio vires & robur adderet baptizato & confirmato, ad fidem coram tyrannis generoso ac intrepido animo profitendam; atque distortè ad modum inferretur, inutilem & otiosam esse Confirmationem. An non ipsemet Dallæus vim eamdem tribuit Baptismo & Eucharistiæ? neque tamen inutilem alterutrius virtutem affirmat. Quidni ergo idem licebit Catholicis, cùm vim eandem, velint propriam Sacramento Confirmationis attribuunt?

Resp. 2. S. Cyprianum loco citato non excludere virtutem Baptismi & Confirmationis ad ferendum martyrium; sed agit dumtaxat S. Doctor de lapsis in persecutione, quibus post deperditam gratiam Baptismi & Confirmationis, unum superest Pœnitentiæ & Eucharistiæ subsidium, quo deperditas vires recuperare possint ad mortem pro Christo fortiter sustinendam.

ARTICULUS II.

De charactere quem imprimit Confirmatio, & de ritu quo redeuntes ab hæresi olim recipiebantur; an verum esset Confirmationis Sacramentum.

Errores & opiniones.

IN Tractatu de Sacramentis in genere, diximus Novatores Lutheranos & Calvinistas irridere characterem illum quem Orthodoxi per tria Sacramenti imprimi contendunt.

Dallæus L. 1. cap. 3. de Confirmatione, reponit istam fidei propositionem inter somnia Catholicorum. Adversùs errorem hunc Concilium Tridentinum Sess. 7. nonum edidit Canonem his verbis conceptum: *Si quis dixerit, in tribus Sacramentis, Baptismo scilicet, Confirmatione & Ordine, non imprimi characterem in anima, hoc est, signum quoddam spirituale & indelebile, unde ea iterari non possunt, anathema sit.*

Tom. 14. Conc. p. 777. C.

Nono sæculo nonnulli ex plebe homines ad Sacramentum confirmationis accedere sæpius deprehensi sunt, quos repressit Synodus Cabillonensis II. anno 813.

Arcudius L. 2. de Confirmatione c. 18. & seq. narrat quosdam ex Græcis recentioribus existimare confirmationem iterari posse.

Inter Veteres, qui contendebant nulla & irrita esse Sacramenta ab Hæreticis data, quales erant Cyprianus cum suis Africanis, & Firmilianus cum suis Orientalibus, ii cum redeuntes ab hæresi baptisabant, Baptismum propriè non iterabant, quem nullum judicabant. Quippe, ait S. Greg. Magnus L. 14. Epist. 17. aliàs L. 12. Epist. 32. *non iteratur, quod ostenditur non ritè peractum.* Sed primum legitimè illos baptisabant.

To. 2. p. 1279. D.

Verùm, præcipuum dubium ac momentum quod proponi solet contra veram & communem inter Orthodoxos doctrinam de charactere per Confirmationem impresso, quo fit ut non possit iterari, petitur ex veteri ritu per quem redeuntes Hæretici in Ecclesiam recipiebantur, per impositionem scilicet manus & unctionem. De vario illo ritu sic loquitur S. Gregorius L. 11. Epist. 67. aliàs L. 9. Epistola 61. *Ab antiqua*, inquit, *Patrum traditione didicimus, ut quilibet qui apud hæresim in Trinitatis nomine baptisantur, cùm ad sanctam Ecclesiam redeunt, aut unctione chrismatis, aut impositione manus, aut sola professione fidei ad sinum matris Ecclesiæ revocentur. Unde Arianos per impositionem manus Occidens, per unctionem verò sancti chrismatis ad ingressum sanctæ Ecclesiæ Catholicæ Oriens reformat. Monophysitas vero & alios ex sola vera confessione recipit.* Græci verò simul cum unctione chrismatis verba hæc adjungunt, *Signaculum doni Spiritus sancti*, in quibus positam esse apud ipsos Sacramenti Confirmationis formam, suprà ostendimus, Inde gravis inter Theologos controversia, an nempe ritus ille per quem conversi ab hæresi recipiebantur, fuerit verum Confirmationis Sacramentum.

Ibid. p. 1167. B.

Sunt qui cum Sirmondo in secundo Antirrhetico c. 5. & Illustrissimo Petro de Marca in notis ad Concilium Claromontanum, affirmare videntur. *Tom. 10. Conc. p. 381.*

Alii verò distinguunt inter Hæreticos, eos nempe qui fuerant baptisati in hæresi, & eos, qui baptisati in Ecclesia, per apostasiam in hæresim subinde deflexerant; istos, cùm ad Ecclesiam redibant, receptos dicunt per impositionem manus in pœnitentiam; illos verò per Confirmationis Sacramentum, quod tamen idcirco propriè iteratum dici debere negant, quia nempe arbitrantur apud Hæreticos verè & validè non conferri Sacramantum Confirmationis, ob defectum scilicet conditionis ab Ecclesia appositæ, qua non observata, nullum habent ab Hæreticis collatum Sacramentum: conditio vero illa hæc est, ut fidelis sit & orthodoxus Sacramenti minister; eò ferè modo quo Ecclesia nullum declaravit & irritum, Matrimonium sine præsentia Parochi & testium contractum. Ita Maldonatus de Confirmatione q. 2. in fine, Morinus Lib. 9. de pœnitentia c. 11. Goarius in Euchologio pag. 888.

Alii denique volunt, quoslibet Hæreticos (modò antea confirmati fuissent) receptos esse per manus impositionem & unctionem purè cæremonialem, quæ dicebatur in Spiritum sanctum, quia gratiam Spiritus sancti quasi suspensam & sopitam propter hæresim, excitabat per reditum ad Ecclesiam. His præmissis, sit

PRIMA CONCLUSIO.

Sacramentum Confirmationis characterem imprimit, unde iterari non potest.

Probatur 1. ex cap. 6. Epistolæ ad Hebr. v. 1. ubi sic loquitur Apostolus: *Non rursus jacientes fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis, & fidei ad Deum Baptismatum doctrinæ, impositionis quoque manuum.* Quo loco per manus impositionem designari ab Apostolo Confirmationem, censent Interpretes Græci, Chrysostomus, Theodoretus Oecumenius, Theophilactus, quorum verba exscribit Arcudius L. 2. de Confirmatione c. 23. unde Estius ad hunc locum addit, *magno consensu interpretes Græcos & Latinos locum hunc exponere de Sacramento Confirmationis.* Subjungit autem ibid. Apostolus v. 4. *impossibile esse eos qui semel illuminati sunt Spiritus sancti, & prolapsi sunt, rursus renovari ad pœnitentiam*; quorum verborum hunc esse sensum iidem referunt Interpretes, nempe: fieri nulla ratione posse, ut homo per Baptismum illuminatus, manuum impositione consignatus, & Spiritus sancti factus particeps, si lapsus fuerit & in peccatorum profundum demersus, iterum Baptismo, & ea, quæ baptismum antecedit pœnitentia, purgetur ac renovetur, aut denuò manuum impositione accepta, Spiritus sancti fiat particeps. Lege sanctum Chrysostomum in hunc locum.

Probatur 2. Ex SS. Patribus, tum iis qui christianos Confirmatione signati tanquam milites, dixere, quales sunt Tertullianus Lib. de Præscriptionibus, Cornelius S. Pontifex in Epistola ad Fabium Antiochenum, S. Cyprianus Epist. 73. Innocentius I. Epist. ad Decentium, S. Leo serm. 4. de Nativitate: porrò signum illud deleri non potest, quod in transfugis etiam ac desertoribus conservatur. Tum iis qui disertis affirmant, non posse Sacramentum Confirmationis iterari. Ita S. Augustinus disputans adversùs Donatistas, qui contendebant nullum esse apud Hæreticos Baptismum,

quia nullum quoque Sacramentum Confirmationis, eo quod dixit Scriptura Psalmo 140. *Oleum peccatoris non impinguat caput meum*; ostendit valere apud Hæreticos & Baptismum & Confirmationem, neque iterari debere, quia nempe Sacramenti virtus & efficacia non ea privata ministri conditione petitur, sed ex meritis Christi. Quòd si repeti propterea debent Sacramenta quæ ab Hæreticis dantur, quia non est apud illos gratia Spiritus sancti, pariter repeti debent, quæ à raptoribus, adulteris, homicidis ministris conferuntur, quia nec illi quoque possident Spiritum sanctum; & tamen neque Cyprianus ipse, neque Donatistæ rejecerunt tanquam nulla & irrita Sacramenta per malos ministros administrata. Igitur, concludit sanctus Doctor, nec Baptismus, nec Confirmatio ab Hæreticis data iteranda est. Verba S. Doctoris aliàs in Tractatu de Sacramentis in genere fusiùs retulimus.

S. Gregorius Magnus L. 14. Epist. 17. sic loquitur:
To. 2. p. 1279. C. *Hoc vos ritè tenere debetis, quod ab antecessoribus nostris traditum accepimus; id est, ut quoties tam de Baptismo aliquorum vel Confirmatione, quam de Ecclesiarum consecratione dubitatio habetur . . . utrum baptisati, vel confirmati, sive Ecclesia consecrata sint, ut baptisentur tales, confirmentur, atque Ecclesia canonicè dedicentur, ne talis dubitatio ruina Fidelibus fiat: quoniam non monstratur iteratum, quod non certis indiciis ostenditur ritè peractum.*

Concilium Toletanum VIII. an. 653. cap. 7. *Sanctum*, inquit, *chrisma collatum, & altaris honor avelli nequeunt.*
Tom. 6. Conc. p. 406 B.

Gregorius II. Epist. 13. ad Bonifacium an. 726. *De homine*, inquit, *qui à Pontifice confirmatus fuit, denuò illi talis reiteratio prohibenda est.*
Ibid. p. 144. A.

Concilium Cabillonense II. ann. 813. can. 27. *Dictum est nobis*, inquit, *quòd quidam de plebe bis aut ter ab Episcopis, ignorantibus iisdem Episcopis, confirmentur. Unde nobis visum est, eandem Confirmationem, sicut nec Baptismum, iterari minimè debere.*
Tom. 7. Conc. p. 1278. A.

His adde Canonem Concilii Tridentini initio citatum.

Dices: Confirmatio est impositio manuum in Spiritum sanctum, Act. 8. Atqui manus impositio iterari sæpiùs potest, judice S. Augustino L. 3. de Baptismo
To. 9. p. 117. B. contra Donatistas c. 16. *Manus impositio*, inquit, *non sicut Baptismus repeti non potest. Quid est enim aliud, nisi oratio super hominem?* Oratio autem iterari sæpiùs & potest, & debet.

Resp. dist. min. Manus impositio cæremonialis ac reconciliatoria quæ fit extra Sacramentum confirmationis & Ordinis, iterari sæpius potest, concedo: manus impositio confirmatoria, nego. Manus igitur impositio aliquando sacramentalis est, seu pars Sacramenti, quæ orationem tanquam formam saltem partialem adjunctam habet; & hæc, sicut oratio ipsa iterari non potest, aliquando verò est cæremonialis. De ista posteriori loquitur S. Augustinus citato capite 16. & ma-
Ibid. p. 257 C. D. ximè cap. 23. Lib. 5. ejusdem Operis, ubi ait: *Manus impositio, si non adhiberetur ad hæresi venienti, tanquam extra omnem culpam esse judicaretur: propter charitatis autem copulationem, quod est maximum donum Spiritus sancti, sine quo non valent ad salutem quæcumque alia sancta in homine fuerint, manus Hæreticis correctis imponitur.* Manus autem impositio confirmatoria distinguitur ab oratione, velut materia à forma, & reipsa Act. 8. utraque distinguitur: *imponebant manus, orabant ut acciperent Spiritum sanctum.* Oratio igitur simpliciter ut oratio, iterari sæpius potest: at oratio quæ forma est sacramenti quod non iteratur, nec iterari quoque potest.

SECUNDA CONCLUSIO.

Ritus quo Hæretici conversi recipiebantur in Ecclesiam, non erat verum & proprium Sacramentum Confirmationis, sed mera dumtaxat cæremonia institutionis Ecclesiasticæ.

Probatur: Quia duplicis ordinis Hæretici generatim distingui possunt, 1. ii qui in Ecclesia baptisati ad hæresim postea defecerant, 2. ii qui in hæresi fuerunt baptisati. Atqui nulli ex ipsis, cum ad Ecclesiam redierunt recepti sunt per Sacramentum Confirmationis.

Non Hæretici in Ecclesia baptisati, in qua etiam P. 129.
Confirmationem perceperant.

Patet 1. ex S. Cypriano Ep. 71. ad Quintum, ubi approbat Stephani consuetudinem, baptisatos in Ecclesia Hæreticos, ubi ad eam se recipiunt, admittentis per „impositionem manuum in pœnitentiam. Quod nos „quoque, *inquit*, hodie observamus, ut quod nos con„stet hic baptisatos esse, & à nobis ad Hæreticos tran„sisse, si postmodum peccato suo cognito & errore di„gesto, ad veritatem & matricem redeant, satiasit in pœ„nitentiam manum imponere, ut quia ovis fuerat, hanc „ovem abalienatam & errabundam in ovile suum „Pastor recipiat." Idem repetit in Ep. 74. ad Pompe- P. 135.
jum in fine.

Patet 2. ex Concilio Eliberitano c. 22. ubi sic statuit: Tom. 1.
„Si quis de catholica Ecclesia ad hæresim transitum Conc. p.
„fecerit, rursusque (*ad Ecclesiam*) recurrerit, placuit 973. E.
„huic non esse negandam pœnitentiam, eo quod cog„noverit peccatum suum. Qui etiam decem annis „pœnitentiam agat, cui post decem annu pœnitentiam „agat, cui post decem annos communio præstari de„bet." Unius pœnitentiæ mentio fit in isto Canone, non iteratæ Confirmationis.

Patet 3. ex S. Augustino, L. 3. de Baptismo c. 11. sic
loquitur: "Cyprianus cum cæteris statuit, ut si ab hæ- To. 9. p. 113. B.
„resibus redirent ad Ecclesiam, quicumque fuerant in „in ea baptisati, non jam per Baptismum, sed per pœni„tentiam reciperentur.

Neque etiam Hæretici baptisati extra Ecclesiam recepti sunt per sacramentum Confirmationis, in Ecclesia Romana, Africana, Orientali, & Gallicana.

Non in Ecclesia Romana, teste S. Stephano S. Pontifice, qui solemne istud emisit Decretum in famosa de Baptismo Hæreticorum controversia, *Si quis ergo*, in- Apud
quit, *à quacumque hæresi venerit ad nos, nihil innove-* Cyp. p.
tur nisi quod traditum est, ut manus illi imponatur in 129.
pœnitentiam. De omnibus indiscriminatim loquitur Hæreticis, sive qui in Ecclesia, sive qui extra Ecclesiam fuerant baptisati; atque immerito S. Cyprianus Decretum istud restrinxit ad eos qui fuerant in Ecclesia baptisati. Stephani Decretum approbarunt subsequentes Pontifices, teste S. Hieronymo Dial. adversùs Luciferianos, Julius, Malchius, Sylvester.

Unde idem S. Hieronymus eodem Dialogo testatur & multis probat constantem esse Ecclesiæ usum, Hæreticos ad Ecclesiam redeuntes recipere per pœnitentiam;
& hoc ipsum ostendere conatur ex Apocalypsi. *Num-* Tom. 4.
quid, inquit, [Angelus] *dixit: Rebaptisentur qui in fi-* part. 2.
de Nicolaitarum sunt baptisati? sed vel imponantur eis p. 504.
manus, qui eo tempore apud Pergamenos crediderunt? Quin potius, Age, inquit, pœnitentiam.

Adde Innocentium I. qui in Epistola 18. dicit *Aria-* Tom. 2.
nos baptisatos in hæresi suscipi in Ecclesia per manus Conc. p.
impositionem sub imagine pœnitentiæ: quibus verbis 1269. D.
opponit eorum pœnitentiam, gravi & luctuosæ pœnitentiæ apostatarum.

Non aliter recepti sunt in Ecclesia Africana, teste S. Augustino, qui Lib. 3. de Baptismo loquens de illa manus impositione qua recipiebantur Hæretici, quam S. Cyprianus sine Baptismo prodesse negabat, satis significat illam reconciliatoriam dumtaxat fuisse, non
confirmatoriam: *Manus autem impositio*, inquit, Tom. 9. p.
non sicut Baptismus, repeti non potest. Quid enim 117 B.
est aliud, nisi oratio super hominem? Et Lib. 5. c. 23.

"Manus

Ibid. p. 157. C. D. „Manus autem impositio, si non adhiberetur ab hæresi „venienti, tanquam extra omnem culpam esse judicaretur: propter charitatis autem copulationem, quod „est maximorum donum Spiritus sancti, sine quo non „valent ad salutem quæcumque alia sancta in homine „fuerint, manus Hæreticis correctis imponitur.

Idem S. Doctor disputans contra Donatistas, ostendit à paritate Confirmationis quæ apud Hæreticos valida est, ratum quoque esse apud eos Baptismum; atque præcipuum eorum evertit fundamentum, nempe idcirco nullum esse apud eos Sacramentum Confirmationis & Baptismatis, quia nullus esse potest eorum Sacramentorum apud Hæreticos effectus; hoc, inquam, palmare fundamentum evertit exemplo malorum & iniquorum ministrorum, qui certe non habent Spiritum sanctum, quem tamen per Sacramenta, quæ cæteris administrant, eos tradere fateri coguntur Donatistæ, qui non rebaptisant baptisatos ab adulteris, homicidis & raptoribus ministris. Ipsum vero Confirmationis sacramentum valere apud Hæreticos, multis in locis demonstrat, duo tantum seligo testimonia, unum ex L. 2. contra Litteras Petiliani c. 104. ubi Petiliano abutenti his Psalmi 132. verbis, *Sicut unguentum in capite*, ut ostenderet nullum esse Confirmationis sacramentum apud Hæreticos, sic loquitur

Ibid. p. 295. B. S. Doctor: "In hoc unguento Sacramentum chrismatis vultis interpretari, quod quidem in genere visibilium signaculorum sacrosanctum est, sicut ipse Baptismus: sed potest esse & in hominibus pessimis, in „operibus carnis vitam consumentibus, & Regnum „Cœlorum non possessuris; & ideo nec ad barbam „Aaron, nec ad oram vestimenti ejus, nec ad ullam „contextionem vestis sacerdotalis pertinentibus. *Et*

Ibid. E. „*postea*: Discerne ergo visibile Sacramentum quod „esse & in bonis & in malis potest, illis ad præmium, „illis ad judicium, ab invisibili unctione charitatis quæ „propria bonorum est." Alterum testimonium petitur ex Sermone 267. alias 5. ubi respondens Dona-

Tom. 5. p. 108. E. tistis abutentibus verbis Psalmi 140. v. 5. "Oleum „autem peccatoris non impinguet caput tuum, *sic lo*„*quitur*: Ergo oleum tuum est? Si tuum est, nolo. Si „tuum est, malum est. Si autem Dei est, & per te „malum, bonum est. Cœnum non inquinat Solis ra„dicum, & tu inquinas Dei oleum?

Ejusdem Ecclesiæ testis est Optatus Milevitanus in Africa Episcopus. Libro enim 7. increpans Parmenianum, quod dixisset Catholicos esse muscas morituras, „quæ sacrum oleum corrumperent. Numquid, *inquit*,

P. 106. n. 4. „nos exterminamus oleum vestrum, ut merito nos mus„cas morituras appelletis? Quod vestrum est, apud vos „est; & si à vobis ad nos aliquis transitum fecerit, sic à „nobis servatur, quomodo à vobis dimittitur. Quomo„do dicitis, quia nos sumus muscæ morituræ suavitatem „olei corrumpentes, cum post vos nihil tale facimus?

P. 107. „*Et postea*: Si nos exterminaremus à vobis confectum „oleum, merito nos muscas morituras appellare possetis: „sed dum quod à vobis unctum est, tale servamus, qua„le suscipimus, muscæ morituræ esse non possumus." Quibus certe verbis significat Optatus, in Ecclesia Africana ratum fuisse Sacramentum Confirmationis ab Hæreticis collatum.

Eumdem fuisse usum in Ecclesia Orientali probatur ex Concilio generali I. Nicæno Can. 8. qui jubet Novatianos redeuntes ad Ecclesiam recipi per manus impositionem, haud dubie confirmatoriam; quia, teste Theodoreto L. 3. hæreticarum fabularum, "Novatiani

Tom. 2. p. Conc. p. 51. E. Tom. 4. p. 230. A. „iis qui ab ipsis tinguntur, sacrum chrisma non præbent „Quocirca, *inquit*, etiam qui ea hac hæresi corpori Ec„clesiæ conjunguntur, laudatissimi Patres inungi præ„ceperunt." Porro si commune istud fuisset omnibus Hæreticis, ut nullum haberent Confirmationis Sacramentum, quod proinde ipsis ad Ecclesiam redeuntibus necesse fuisset administrari, quare de solis Novatianis id statuisset Concilium Nicænum? Igitur id singulare fuit Novatianis ut reciperentur per Sacramentum Confirmationis, quia illud apud suos non perceperant.

Denique in Ecclesia Gallicana sexto ineunte sæculo, eumdem usum obtinuisse testatur Alcimus Avitus Episcopus Viennensis. A Stephano Lugdunensi interrogatus quo ritu quidam Donatista in Ecclesiam admitti deberet, sic respondet Ep. 24. "Manus impositionem per

Biblioth. PP. t. 9. p. 574. H. „sonæ, de qua scribitis, adhibere..... quam constat, si re„vera in supradicti schismatis professione versata est, „cum ministerio Baptismatis etiam chrismate consig„natam.

Ex quo testimonio Aviti tria colliges. Primum, Donatistas suis administrasse cum Baptismo Sacramentum Confirmationis. Secundum, manuum impositionem quam vult illi Donatistæ concedendam, non esse verum Confirmationis Sacramentum, utpote cui opponit chrismationem jam simul cum Baptismo perceptam: fuit igitur manus impositio in pœnitentiam. Tertium denique, idcirco Sacramentum Confirmationis huic Donatistæ redeunti ad Ecclesiam dandum non esse quia eo jam donatus fuerat apud suos, quod semel rite concessum, iterari non potest.

Probatur denique conclusio rationibus Theologicis.

Prima est, quia nulla proferri potest satis firma ratio, cur Ecclesia ratum habuerit Baptismum datum ab Hæreticis, & rejecerit Sacramentum Confirmationis: par enim est ex utraque parte ratio, & quibus omnino momentis usus est S. Augustinus adversus S. Cyprianum & Donatistas, ut evinceret ratum esse ac validum apud Hæreticos Baptismum, iisdem probatur valere quoque apud ipsos Sacramentum Confirmationis. Consule illas S. Doctoris rationes alias à nobis expositas.

Secunda est; si Ecclesia catholica tempore Stephani aut S. Aug. in ea fuisset sententia Confirmationem datam ab Hæreticis nullam esse, adeoque iterandam, in victum habuissent argumentum, tum Cyprianus adversus Stephanum, tum Donatistæ adversus Augustinum, ostendendo nempe eamdem esse rationem Baptismi & Confirmationis, neque satis intelligitur quid huic argumento reponere potuissent aut Stephanus aut Augustinus. Atqui tamen non legimus eo unquam argumento usos fuisse, aut Cyprianum contra Stephanum, aut Donatistas contra S. Augustinum.

Tertia ratio est, quia manus impositio confirmatoria est in Spiritum sanctum, tanquam causa per se; Sacramenta enim novæ Legis ex se, & opere operato, ut dicitur, producunt gratiam; atqui manus impositio reconciliatoria, per quam recipiebantur Hæretici conversi, per se non conferebat Spiritum sanctum, quia illa manus impositio eodem modo operatur in his, qui ab hæresi ad Ecclesiam convertuntur, quod depositio fictionis in iis, qui ficto animo ad Baptismum accesserunt, & postmodum per sinceram pœnitentiam convertuntur: atqui in istis fictionis depositio non est causa per se gratiæ baptismalis quam recipiunt, sed tantum causa per accidens quæ obicem removet. Ita docet S. Aug. L. 1. de Baptismo cap. 12. ubi comparando baptisatum in hæresi, cum eo qui ficto animo Baptismum in Ecclesia recipit, ita loquitur: "Sicut enim in illo qui

Tom. 9. p. 89. C. „fictus accesserat, fit ut non denuo baptisetur, sed „ipsa pia correctione & veraci confessione purge„tur, quod non posset sine Baptismo, ut quod ante „datum est, tunc valere incipiat ad salutem, cum „illa fictio veraci confessione recesserit: sic etiam „iste, qui Baptisma Christi, quod non amiserunt „qui se separaverunt, inimicus charitatis & pacis „Christi in aliqua hæresi aut schismate accepit, quo „sacrilego scelere peccata ejus non dimittebantur; cum „se correxerit & ad Ecclesiæ societatem unitatemque „venerit, non iterum baptisandus est, quia ipsa ei reconciliatione ac pace præstatur, ut ad remissionem pecca-

„torum ejus unitate jam prodesse incipiat Sacramen-„tum,quod acceptum in schismate prodesse non po-„terat." Quam S. Doct. sententiam sic expressit S. Th. 3 p. q. 69. art. 10. ad 2. " Fictio, *inquit*, non „removetur per Baptismum,sed per pœnitentiam sub-„sequentem ; qua remota Baptismus aufert culpam & „reatum omnium peccatorum præcedentium Baptis-„mum .... Et sic ad Baptismi effectum consequendum „concurrit. Baptismus & pœnitentia , sed Baptismus „sicut causa per se agens , pœnitentia vero sicut causa „per accidens, id est removens prohibens.

Solvuntur Objectiones.

Objicies 1. Cyprianus & Firmilianus cum suis in celebri causa rebaptisationis, tanquam rei certam supponunt, Hæreticos recipiendos esse per Baptismum & Confirmationem, atque Stephanum revera illos recepisse per impositionem manus confirmatoriam ad accipiendum scilicet Spiritum sanctum : quin ex hac ipsa Stephani praxi, tanquam ex re concessa, validum , & ad hominem, ut dicitur, contorquent adversus illum argumentum , nempe : Si nulla est apud Hæreticos manus impositio confirmatoria, & idcirco Stephanus redeuntes ab hæresi per eam recipit , nullus quoque est apud Hæreticos Baptismus ; par enim est utriusque Sacramenti ratio. Duo hæc manifesta sunt ex S. Cypriano.

Primum, debere Hæreticos per Baptismum & Confirmationem recipi cum ad Ecclesiam redeunt, probat
P. 121. in Epistola ad Stephanum n. 72. ubi ait, "Hæreticos & „schismaticos profanæ aquæ labe maculatos , quando „ad Ecclesiam venerint baptisari oportere, eo quod pa-„rum sit eis manum imponere ad recipiendum Spiri-„tum sanctum , nisi & recipiant Ecclesiæ Baptismum. „Tunc enim demum, *inquit*, plane sanctificari & esse filii „Dei possunt ; si Sacramento utroque nascantur." Similia habet in Epistola ad Jubajanum : iisdem plane verbis utitur in Synodo Africana Nemesianus à Thubunis. Igitur in mente S. Cypriani & illorum, quorum ibi sententiam refert, manus impositio qua Hæretici ad Ecclesiam redeuntes recipiebantur, erat confirmatoria in Spiritum sanctum : præter illam autem volebat Cyprianus, necessarium esse Baptismum, *ut utroque Sacramento*, inquit, *illi renascerentur*. Per utrumque autem Sacramentum nihil aliud procul dubio intelligere potuit , quam Baptismum , & Confirmationem.

Secundum, nempe Cyprianum & Firmilianum ex illa Stephani praxi recipientis Hæreticos per manus impositionem confirmatoriam, tanquam ex re concessa, adversus ipsum disputasse, ut ostenderent , eos quoque recipi debere per Baptismum, patet 1. ex Epistola S. Cypriani ad Pompejum n. 74. ubi sic arguit adversus
P. 130. Stephanum ; " Si idcirco apud Hæreticos Ecclesia non „est, quia una est, & dividi non potest ; si ideo illic Spi-„ritus non est, quia unus est, & esse apud prophanos & ex-„traneos non potest ; utique & Baptisma, quod in ea-„dem unitate consistit, esse apud Hæreticos non potest, „quia separari neque ab Ecclesia, neque à Spiritu sancto „potest. Aut si effectum Baptismi majestati nominis „tribuunt, ut qui in nomine J. C. ubicunque & quan-„documque baptisantur, innovati & sanctificati judi-„centur, cur non in ejusdem Christi nomine illic & ma-„nus baptisatis imponitur ad accipiendum Spiritum „sanctum ? cur eadem ejusdem majestas nominis non „prævalet in manus impositione , quam valuisse con-„tendunt in Baptismatis sanctificatione ? Nam si potest „quis extra Ecclesiam natus templum Dei fieri, cur non „possit super templum & Spiritus sanctus infundi ?" En argumentum ad hominem quod S. Cyprianus adversus Stephanum contorquebat , ductum ex ipsius praxi, qua baptisatos in hæresi recipiebat per manus impositionem in Spiritum sanctum, hoc est, per Confirmationem. Igitur non tantum in sua , sed in Stephani etiam sententia , ex qua argumentatur, supponit S. Cyprianus olim Hæreticos receptos fuisse per Sacramentum Confirmationis.

Eodem fere modo arguit Firmilianus Ep. 75. inter Cyprianicas. " Quoniam, *inquit*, Stephanus & qui illi *Ibid. p. 146.*
„consentiunt, contendunt dimissionem peccatorum, & „secundam nativitatem in Hæreticorum Baptisma posse „procedere, apud quos etiam ipsi confitentur Spiritum „sanctum non esse, considerent & intelligant, spiritalem „nativitatem sine Spiritu esse non posse.

Resp. Concedimus quidem existimasse S. Cyprianum Hæreticos redeuntes recipi debere & per Baptismum & per impositionem manus confirmatoriam ; in eo quippe versabatur errore , nullum ac plane irritum esse Sacramentum in hæresi datum & acceptum sed negamus hanc fuisse sententiam, aut Stephani, aut aliorum contra quos disputat S. Cyprianus ; neque hanc ipsis affingi à sancto Martyre colligi potest ex verbis ipsius.

In citatis ad Stephanum & Jubajanum Epistolis , nondum Cyprianus impugnat sententiam Stephani , quam nondum noverat , sed improbat consuetudinem quorundam Africanorum , qui baptisatos ab Hæreticis recipiebant per solam manus impositionem ; ac contendit non sufficere hanc manus impositionem , sed opus esse conferri Baptismum simul & manus impositionem , quam quidem ipse confirmatoriam esse debere judicabat, licet illi Africani , contra quos agit , nonnisi reconciliatoriam adhiberent.

In Epistola vero ad Pompejum disputat contra Stephanum, & quidem argumento ad hominem ducto ex praxi ipsius circa Hæreticos ad Ecclesiam redeuntes recipiendos. Istos Stephanus, non per Baptismum, ut contendebat Cyprianus , sed per *impositionem manuum in pœnitentiam* ad accipiendum Spiritum sanctum, admittebat ; quo uno facto fatebatur S. Pontifex, illos Hæreticos Spiritum sanctum non accepisse cum in hæresi baptisati fuerunt : unde inferebat Cyprianus, nullum fuisse hunc eorum Baptismum, utpote qui caruit Spiritu sancto, & consequenter iterandum esse. Istud quippe erat erroris Cypriani fundamentum, nullum esse quoad substantiam Sacramentum, quod suo privetur effectu, fatebatur autem Stephanus , Baptismum in hæresi datum suo effectu privari, hoc est non dare Spiritum sanctum, & eam ob causam redeuntes ab hæresi per manus impositionem admittebat ut eum reciperent ; inde directe concludebat in sua erronea opinione S. Cyprianus, nullum quoque fuisse, adeoque de novo conferendum ipsis Baptismum : qua in disputatione, ut elatum est, quæstio non erat, an impositio manuum Stephani verum esset , vel non, Confirmationis Sacramentum ; sed unum hoc scopo Cypriani sufficiebat, Stephanum agnoscere Hæreticos illos in hæresi baptisatos Spiritum sanctum non percepisse ; ergo, inferebat Cyprianus, rebaptisandi sunt. Erat istud totius controversiæ caput præcipuum.

Ad locum igitur ex Epistola ad Stephanum ubi ait , *Hæreticos utroque Sacramento debere renasci.*

Resp. S. Doctorem loqui vel in propria sua sententia, quam fatemur talem fuisse , ut voluerit Hæreticis conferri debere Baptismum & Confirmationem ; vel in sententia Africanorum, quos impugnat , & per *utrumque Sacramentum* non intelligit Confirmationem & Baptismum, sed utramque Baptismi partem, nempe & Sacramentum exterius , & gratiam interiorem, sine qua nullum est, in mente S. Cypriani, Sacramentum : vel nomen Sacramenti in latiori significatione usurpavit , & illud manus impositioni reconciliatoriæ, qua Stephanus recipiebat Hæreticos, adaptavit.

Ad testimonium vero ex Epistola ad Pompejum, ubi arguit ex praxi Stephani, & videtur supponere in mente ipsius nullam esse apud Hæreticos Confirmationem. Dico 1. si hoc supponit sanctus Doctor , deceptus fuit & æstu disputationis longius abreptus. Dico 2. si

hoc

hoc supposuit, id factum esse ex falsa, qua laborabat opinione, nullum esse Sacramentum, ubi nullus est ipsius effectus; ex quo inferebat, in mente quoque Stephani nullam esse Confirmationem apud Hæreticos, apud quos spiritum sanctum non dari ipse fatebatur. Dico 3. & quidem ad mentem S. Cypriani aptius, eum tantum supposuisse, quod verum erat & concedebat Stephanus, nempe Hæreticos Spiritum sanctum non accepisse; unde concludebat Cyprianus, falso nixus principio, eos non tantum per manus impositionem in Spiritum sanctum recipiendos esse, sed etiam per Baptismum. Fundamentum vero erroris S. Cypriani fuisse, quod non satis distingueret inter Sacramentum & ejus effectum, atque nullum esse Sacramentum contenderet, cum nullus est ipsius effectus, ostendit S. Aug. L. 3. de Baptismo c. 10. & L. 7. c. 1. ubi sic loquitur: "Nec ob
Tom. 9. p. „aliud illis temporibus visum est quibusdam etiam
161. A B. „egregiis viris, Antistibus Christi, inter quos præcipue „beatus Cyprianus eminebat, non esse posse apud Hæ„reticos vel Schismaticos Baptismum Christi, nisi quia „non distinguebatur Sacramentum ab effectu, vel usu „Sacramenti. Et quia ejus effectus atque usus in libe„ratione à peccatis & cordis rectitudine apud Hæreti„cos non inveniebatur, ipsum quoque Sacramentum „non illic esse putabatur.

Instabis 1. Sacramentum & effectus illius nec sunt, nec in usu communi ac recepto Ecclesiæ, duo dici possunt Sacramenta, sed unum; atqui tamen S. Cyprianus, citata ad Stephanum Epistola, ait necesse esse ut Hæretici redeuntes *utroque Sacramento renascantur*; ergo per utrumque Sacramentum non intelligit Baptismum & Spiritum sanctum, sed Baptismum & manus impositionem confirmatoriam.

Confirmatur: Quia utrumque intelligit Sacramentum, de quo disputabat cum Stephano; at disputabat de Baptismo & Confirmatione; ergo per utrumque Sacramentum intelligit Baptismum & Confirmationem.

Resp. revera in usu communi & recepto Ecclesiæ Sacramentum & effectum ipsius non duo esse, nec dici posse Sacramenta; sed mirum videri non debet S. Cyprianum ab usu communi & recepto more loquendi Ecclesiæ recessisse, qui ab ejus fide ac doctrina recesserat circa veritatem Baptismi ab Hæreticis dati: Sacramentum & ejus effectum duo quasi Sacramenta esse voluit, quia nullum esse Sacramentum sine effectu contendebat. Quod autem per utrumque Sacramentum intellexerit aquam Baptismi, & Spiritum sanctum, manifeste patet ex Ep. 73. ubi sic loquitur: "Ideo, *inquit*, bapti„zari eos oportet qui de hæresi ad Ecclesiam veniunt, ut „qui legitimo & vero atque unico sanctæ Ecclesiæ Ba„ptismo ad Regnum Dei regeneratione divina præpa„rantur, sacramento utroque nascantur, quia scriptum „est, nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, „non potest introire in regnum Cœlorum." Eandem rationem eidem Scripturæ testimonio subnixam adducit in Synodo Carthaginensi Nemesianus à Thubunis.

Quod si contendas, per utrumque Sacramentum intellexisse S. Cyprianum Baptismum & manus impositionem per quam Stephanus Hæreticos redeuntes ad Ecclesiam recipiebat, dicemus Cyprianum latiori sensu nomen Sacramenti usurpasse, quando manus impositioni reconciliatoriæ illud adaptavit.

Ad confirmationem nego min. Disputabat enim præsertim S. Cyprianus de Baptismo ejusque effectu, & contendebat nullum esse apud Hæreticos Baptismum, quia nullus est ipsius effectus: in quo certe errabat ille. Fatebatur quidem Stephanus, apud Hæreticos non esse Spiritum sanctum, unde redeuntibus ad Ecclesiam manus imponebat ut illum acciperent: sed inde inferre, sicut inferebat Cyprianus, nullum esse revera quoad substantiam apud Hæreticos Baptismi Sacramentum, error erat. Igitur per utrumque Sacramentum, de quo disputat S. Martyr, intelligit Baptismum, & Spiritum sanctum, qui à Sacramento inseparabilis esse debet, ut illud ratum ac validum habeatur.

Instabis 2. Manus impositio per quam Stephanus redeuntes ad Ecclesiam Hæreticos recipiebat, ea ipsa erat cujus mentio fit c. 8. Actuum Apostolorum, ubi Petrus & Joannes leguntur manus imposuisse Samaritanis à Philippo baptisatis: sed hæc erat verum Sacramentum Confirmationis ex dictis; ergo &c. Major constat ex Ep. 73. S. Cypriani ubi sic loquitur: "Quod autem di„cunt quidam de iis qui in Samaria baptisati fuerant, *P. 124.*
„advenientibus Apostolis Petro & Joanne, tantum super „eos manum impositam esse, ut acciperent Spiritum „sanctum, rebaptisatos tamen non esse, locum illum, „frater charissime, ad præsentem causam videmus non „pertinere &c.

Resp. nego maj. Neque enim Stephanus istud exemplum ex Actibus Apostolorum ductum proferebat, sed alii quidam ignoti, qui sane male omnino arguebant, ut observat S. Aug. L. 3. contra Donatistas c. 1. exemplum illud proferendo, quod ad rem appositum non erat.

Instabis 3. Manus impositio in Spiritum sanctum est verum Confirmationis Sacramentum: atqui illa manus impositio qua Stephanus Hæreticos recipiebat, erat in Spiritum sanctum, ergo &c.

Resp. dist. maj. Manus impositio quæ per se tanquam vera causa producit Spiritum sanctum, est sacramentum Confirmationis, concedo: quæ tantum illum producit ratione alterius, nempe pœnitentiæ adjunctæ, per quam scilicet Hæreticus charitatem habere incipit, ac remoto obice gratiam Baptismi consequitur, nego. Porro talis est manus illa impositio reconciliatoria. Solutio patet ex tertia ratione Theologica inter probationes Conclusionis adducta.

Objicies 2. Ecclesia Occidentalis Hæreticos recepit per eam manus impositionem quæ fit ab Episcopo, & per quam datur septiformis Spiritus. sed illa est verum Confirmationis sacramentum.

Major probatur nonnullis testimoniis.

I. Siricii S. Pontificis in Epistola ad Himerium Tarraconensem Episcopum c. 1. ubi vetat Arianos baptizari, „quos, *inquit* nos cum Novatianis aliisque Hæreticis, *Tom. 2.*
„sicut est in Synodo constitutum, (*nempe Arelatensi* 1. *Conc. p.*
„*Can.* 8.) per invocationem solam septiformis Spiritus, *1018. A.*
„Episcopalis manus impositione, Catholicorum con- *B.*
„ventui sociamus; quod etiam totus Oriens Occidensque custodit." Porro Novatiani qui verum non contebant apud se Confirmationis sacramentum, per illud cum ad Ecclesiam redibant, recipiebantur. Ergo, cum, teste Siricio, cæteri Hæretici eodem modo, quo Novatiani, reciperentur, dicendum est, eos per Sacramentum Confirmationis receptos fuisse.

II. S. Leonis Ep. 135. alias 37. c. 2. ubi sic loquitur: „Quod ibi defuit conferatur, ut per Episcopalem manus „impositionem virtutem Spiritus sancti consequantur." *Tom. 1. p.*
Et Epistola ad Nicætam quæ numero est 129. alias 79. *727.*
c. 7. "Qui Baptismum, *inquit*, ab Hæreticis acceperunt, „cum baptisati antea non fuissent, sola invocatione Spi- *Ibid p.*
„ritus sancti per impositionem manuum confirmandi *688.*
„sunt, quia formam tantum Baptismi sine sanctificatio„nis virtute sumpserunt.

III. Idem videtur posse colligi ex synodo Arausicana I. Can. 1. ubi potestatem facit Presbyteris, *Hæreticos in* *Tom. 3.*
periculo mortis, si desint Episcopi, sacro chrismate con- *Conc. p.*
signandi. Quem Canonem supra nos de sacramento *1447. B.*
Confirmationis interpretati sumus, agendo de ministro Confirmationis extraordinario, sicut & Canonem concilii Epaonensis. Concilium quoque II. Arelatense c. 7. jubet *Bonosiacos cum chrismate & manus impositione* *Tom 4.*
in Ecclesia recipi. *Conc. p.*
1013 B.

Resp. nego min. sacramentum enim Confirmationis est causa per se gratiæ, eamque ex opere operato producit; illa autem manus impositio reconciliaria, causa est dumtaxat removens obicem, aut potius est

signum

signum, quod supponit jam per pœnitentiam & sinceram conversionem cordis obicem remotum esse. Inde est quod S. Gregorius L. 11. Ep 67. aliàs L. 9. Ep. 61. inhærens doctrinæ S. Augustini, tribuit gratiam, quam in hæresi baptisati & ab ea conversi recipiunt dum redeunt ad Ecclesiam, ipsi Baptismo, "qui tunc, *inquit*, in illis
Tom 2. p. 1167. B. C. „vires emundationis accipit, cum vel illi per impositionem manus Spiritum sanctum acceperint, vel isti per „professionem veræ fidei sanctæ & universalis Ecclesiæ „visceribus fuerint uniti.

Ad primam probationem ex Siricio, manus illa impositio qua Hæreticos recipiendos esse jubet, est tantum cæremonialis & reconciliatoria, non vero Sacramentum Confirmationis, 1. quia agit de Arianis, apud quos data Confirmatio nusquam irrita & invalida judicata fuit. 2. quia non distinguit inter Hæreticos in Ecclesia, vel extra Ecclesiam baptisatos; at certum est ex dictis, Hæreticos baptisatos in Ecclesia, receptos dumtaxat fuisse per impositionem manus in pœnitentiam. 3. quia loquitur de illo ritu, quem totus Oriens & Occidens custodiebat; atqui ritus ille communis non erat ratione impositionis manus, siquidem in Oriente, alii per unctionem; alii per solam fidei professionem admittebantur; in eo igitur consentit Occidens cum Oriente, quod baptisati in hæresi rursus non baptisentur, si in legitima forma tincti antea fuissent: atque in eo dumtaxat capite cæteros Hæreticos Novatianis comparat, quod non sint rebaptisandi. Alia porro ratio est de Confirmatione, quam apud se Novatianos non habuisse vulgo circumfertur, quamquam res non sit satis explorata & certa.

Ad secundam ex S. Leone, eadem est responsio. Nec obstat quod S. Pontifex utatur verbo *confirmandi*; per illud quippe noluit designare hujus nominis verum Sacramentum, sed ritum dumtaxat quo Hæretici Ecclesiæ reconciliantur, & in fide Catholica confirmantur. Et certe dicuntur Fideles ab Ordine Romano, Alcuino, Rabano & aliis confirmari per Eucharistiam, neque tamen inde confundi debet Eucharistia cum Sacramento Confirmationis.

Ad tertiam ex Conciliis Arausicano & Epaonensi, dico vel Canones illos interpretandos esse cum multis, de mera cæremonia seu manus impositione & unctione reconciliatoria; vel si de Sacramento Confirmationis, ut antea insinuavimus, dicendum est Hæreticos illos de quibus agit, antea confirmatos non fuisse, quos idcirco citati Canones jubent in mortis periculo & absentia Episcopi, à simplici Sacerdote confirmari. Concilium Arelatense agit de manus impositione & unctione reconciliatoria.

Objicies 3. Ecclesia Orientalis Hæreticos redeuntes ad Ecclesiam admittit per unctionem chrismatis, & ista verba, *Signaculum doni Spiritus sancti*, in quibus materia & forma Sacramenti Confirmationis consistit; ergo admittit eos per verum Confirmationis Sacramentum.

Antecedens probatur ex Canone 7. I. Concilii ge-
Tom. 2. Conc. p. 952. A. neralis Constantinopolitani, in quo sic legimus: "Eos, „qui rectæ fidei adjiciuntur .... recipimus secundum „subjectam hic consequentiam & consuetudinem. „Arianos quidem & Macedonianos, & Sabbatianos, & „Novatianos .... & Tessaresdecatitas, & Apollinaristas „recipimus, dantes quidem libellos, & omnem hæresim „anathematisantes .... signatos, sive unctos primum „sancto chrismate, & frontem, & oculos, & nares, & os, „& aures; & eos signantes dicimus, Signaculum doni „Spiritus sancti.

Eumdem ritum in recipiendis Hæreticis præscribit Synodus Trullana Can. 95. & Methodius in Euchologio circa an. Christi 841. in quo etiam multæ referuntur Orationes quibus invitatur Spiritus sanctus, ut velit gratiam suam illis ab hæresi conversis infundere; ex quibus sic arguitur: Ubi est eadem materia, eadem forma & idem effectus Sacramenti Confirmationis, haud dubie est idem Sacramentum: atqui in ritu quo Græca Ecclesia redeuntes Hæreticos recipit est eadem materia, eadem forma, & idem effectus Sacramenti Confirmationis; ergo ritus ille continet verum Sacramentum Confirmationis.

Arcudius L. 2. de Confirmatione c. 18. respondet Canonum Constantinopolitanum agere dumtaxat de illis Hæreticis, qui apud suos Sacramentum confirmationis non perceperant, quales erant Novatiani, Theodoreto teste; quos proinde redeuntes per illud Sacramentum recipi jubet; Canonem autem Methodii nullius esse auctoritatis pronuntiat, utpote qui editus sit versus an. 1240. à Methodio quodam schismatico. Vide Goarium in Euchol. p. 876. ubi integrum refert Methodii Decretum.

Verum probabilis quidem esse posset Arcudii responsio, si in laudato Canone mentio dumtaxat fieret Novatianorum; sed cum alii multi nominentur Hæretici, quos nullus veterum Scriptorum dicit rejecisse Sacramentum Confirmationis, certe ad aliam responsionem est.

Resp. itaque, ritum hunc apud Græcos solemnem verum non esse Sacramentum confirmationis, sed cæremoniam dumtaxat; quamquam enim eadem materia & forma videatur esse quæ in Sacramento Confirmationis, non tamen est idem effectus, nec idem modus quo datur Spiritus sanctus in Confirmatione & in illa reconciliatoria cæremonia. 1. non est idem effectus: namque in Confirmatione datur Spiritus sanctus ad robur, ut intrepide fides Christiana adversus omnes ejus impugnatores defendatur; in illo vero ritu datur Spiritus sanctus ad remissionem peccati hæreseos, ad pacem cum Ecclesia conciliandam, ad fidem firmius conservandam: in hunc finem minister unctionem adhibet, & verba citata pronuntiat. 2. non est idem modus operandi in illo ritu, qui in Confirmatione: namque Confirmatio per se & ex opere operato gratiam confert; ritus autem ille, seu cæremonia, ex opere operantis, ratione scilicet pœnitentiæ & sinceræ cordis conversionis.

Ex sola autem materia, vel forma Sacramenti, quam Græci nonnunquam adhibent variis in casibus, colligi non debet eos verum usurpare ac celebrare Sacramentum. V. g. materiam & formam unctionis extremæ usurpant in ungendis sanis; nec tamen pro vero Sacramento, sed pro mera cæremonia hunc ritum habent. Ita testatur Goarius contra Arcudium, qui severa nimis ac præcipiti censura ritus illos quasi totidem sacrilegia proscribit: quamquam negandum non sit, his ritibus abusos aliquando fuisse nonnullos Græcos; quin & inter Latinos nonnulli oleo extremæ unctionis sanos etiam unxisse leguntur. Ita colligitur ex Sacramento S. Gregorii juxta Codicem Remensem, quem laudat Menardus notarum pag. 67. in quo hæc verba legimus, *Benedicit oleum pro infirmis, & pro populo.*

Hinc facile solvitur argumentum sic. Distinguenda major propositio: Ibi est idem Sacramentum, ubi est idem effectus, eodem modo productus, concedo: si non sit nec idem effectus, nec idem operandi modus, nego. Porro in ritu quo Hæretici recipiebantur, erat quidem eadem materia & forma, sed non erat nec idem effectus, nec idem operandi modus.

Objicies 4. SS. Patres & SS. Pontifices discrimen hoc statuunt inter *Hæreticos* in Ecclesia, & extra Ecclesiam baptisatos, quod priores recipiunt per manus impositionem in pœnitentiam; alios vero simpliciter per manus impositionem in Spiritum sanctum: sed ista manus impositio in Spiritum sanctum, quatenus opponitur impositioni manuum in pœnitentiam, alia esse non potest quam confirmatoria.

Major certa est ex S. Cypriano Epist. 71. ex S. Aug. L. 2. contra Cresconium c. 16. & ex Innocentio I.

Epistolæ

Tom.2. Conc. p. 1274. B. Epistolæ 21. c. 4. & 5. ubi sic loquitur : *Nostra verè lex est Ecclesiæ, venientibus ab Hæreticis, qui tamen illi baptisati sunt, per manus impositionem laicam tantùm tribuere communionem. nec ex his aliquem in Clericatus honorem vel exiguum subrogare. At verò his qui à Catholica fide ad hæresim transierunt, quos non aliter oportet nisi per pœnitentiam suscipi, apud vos non solum pœnitentiam non agunt, verùm etiam honore cumulantur.* Et Postea: *Si quis*, inquit, *de Catholica ad hæresim transiens, aut fidelis ab apostasia revertens & resipiscens redire voluerit, numquid eadem ratione poterit ad Clerum admitti, cujus commissum nonnisi longa pœnitentia potest aboleri?* Ibid. p. 1275. B. C.

Denique idem patet ex Vigilio Epistola 2. ad Eutherium. De his qui semel in Ecclesia baptisati ad Arianos confugientes denuò baptisati erant, sic decernit : Tom. 5. Conc. p. 312. E. *Quorum tamen reconciliatio non per illam manus impositionem, quæ per invocationem sancti Spiritus fit, operatur, sed per illam quæ pœnitentiæ fructus acquiritur, & sanctæ communionis restitutio perficitur.*

Resp. nego min. Manus enim ille impositio in Spiritum sanctum, per quam recipiebantur Hæretici extra Ecclesiam baptisati, & quæ opponitur manuum impositioni in pœnitentiam, per quam admittebantur alii Hæretici in Ecclesia baptisati, non erat verè confirmatoria, sed erat manus impositio in pœnitentiam leviorem & mitiorem, seu potius imagine & umbra pœnitentiæ; altera vero manus impositio erat in pœnitentiam graviorem. Ratio est, quia longè majori & graviori peccato se implicant, qui ab Ecclesia in qua baptisati sunt, ad hæresim deficiunt, quàm qui in hæresi nati & educati, in ea baptisantur; unde gravior illis, quam istis injungi debet pœnitentia, quia, ut T. 9. p. 619. A. B. loquitur S. Augustinus Libro 2. contra Cresconium cap. 16. *faciliore venia quod nondum habuerunt accipiunt, quàm si habuissent, & tamen deseruissent. Et hoc discernitur apud nos, ut aliter recipiantur qui Catholicam reliquerunt, aliter qui ad illam primitus veniunt. Illos enim amplius gravat desertionis crimen.* Portò facilior illa venia qua baptisati extra Ecclesiam recipiebantur, non posita erat in eo quòd per Confirmationem reciperentur, sed quod longè mitior foret Ibid. p. 157. C. D. eorum pœnitentia, atque illius imago meliùs diceretur. Ut enim ratiocinatur idem S. Aug. L. 5. de Baptismo c. 23. "Manus impositio si non adhiberetur ab "hæresi venienti, tanquam extra omnem culpam esse "judicaretur: propter charitatis autem copulationem, "quod est maximum donum Spiritus sancti ...., manus "hæreticis correctis imponitur.

Eadem est responsio ad Innocentium I. Opponit enim ibi manus impositionem in Spiritum sanctum, tanquam leviorem pœnitentiam, alteri longè graviori, per Tom. 2. Conc. p. 1269. D. quam scilicet apostatæ recipiebantur. Sic enim seipsum exponit S. Pontifex in Epistola 18. c. 3. "Arianos præterea, cæterasque ejusmodi pestes, quia eorum laicos "conversos ad Dominum sub imagine pœnitentiæ ac "sancti Spiritus sanctificatione per manus impositionem suscipimus, non videtur Clericos eorum cum Sacerdotii aut ministerii cujuspiam suscipi debere dignitate." Porrò illa manus impositio sub imagine pœnitentiæ non est confirmatoria.

Neque est quod dicas, apostatas sæpius in Ecclesia receptos summa facilitate, & nulla fere imposita pœnitentia; ita de Cerdone testatur S. Irenæus L. 3. c. 4. de Marcione, Tertull. L. de Præscriptionibus; de quibusdam Novatianis, S. Cornelius apud S. Cyprianum Epistola 46. de Natali, quem discipuli Theodoti Coriarii seduxerunt, Eusebius L. 5. c. ultimo &c. Non est, inquam, quod istud opponas: namque ob certas prudentiæ & œconomiæ causas mitiùs aliquando egit Ecclesia cum aliquibus apostatis, qui vel seducti fuerant metu & violentia, vel maximi doloris signa demonstrabant, vel denique poterant multos exemplo suo ad gremium Ecclesiæ adducere: sed casus illi singulares generalem regulam confirmant, nedum infringunt.

Objicies denique S. Augustinum L. 3. de Baptismo cap. 16. ubi ait: *Manus autem impositio non sicut Baptismus repeti non potest. Quid est enim aliud quam oratio super hominem?* At illa manus impositio de qua loquitur, *confirmatoria*; ea ipsa scilicet, in mente S. Doctoris, per quam Apostoli Act. 8. visibiliter Spiritum sanctum conferebant. T. 9. p. 117. B.

Resp. nego min. Ibi quippe sanctus Doctor egit generatim de manus impositione, tùm confirmatoria, tum reconciliatoria. Primam negat posse repeti, ut constat ex testimoniis S. hujus Doctoris antea relatis: alteram vero repeti posse contendit. Institutum quippe ac scopus S. Doctoris eo loci postulabat, ut de utraque ille manus impositione loqueretur; vult enim probare Spiritum sanctum inhabitantem, seu charitatem quæ justificat in una sola Catholica Ecclesia haberi posse. Hoc ut essequatur, solvit 1. objectionem ductam ex eo quòd Spiritus sanctus visibiliter nunc, sicut olim, Fidelibus per impositionem manus non concedatur; docetque id tantùm necessarium fuisse ad *commendationem rudis fidei, & Ecclesiæ primordia dilatanda.* Ibid. p. 116. F 2. aliud solvit argumentum, nempe impositionem manus reconciliatoriam, per quam peccatum hæresis dimittitur, repeti non posse, perinde ac Baptismum; ac proinde impossibilem esse reconciliationem cum Ecclesia: respondet, illam manus impositionem alterius conditionis esse à Baptismo, hunc repeti quidem non posse, illam vero posse; quia manus impositio est oratio supra hominem, oratio autem repeti sæpius potest.

Ex quibus facilè intelligitur, in mente S. Doctoris, secundam illam manus impositionem, reconciliatoriam dumtaxat esse, seu meram cæremoniam, per quam redeuntes ab hæresi aliquibus in locis recipiebantur.

QUÆSTIO V. ET ULTIMA.

De cæremoniis Sacramenti Confirmationis.

NOstri non est instituti singularum illarum cæremoniarum antiquitatem, significationem, vim ac efficaciam hic expendere, de quibus Libri Rituales: nobis satis erit summatim ea delibasse quæ vel antecedunt, vel comitantur, vel sequuntur Confirmationem.

De cæremoniis quæ præcedunt Confirmationem.

Præter eas quæ pertinent ad consecrationem chrismatis, de quibus antea diximus,

Quæres 1. an sint adhibendi patrini in Confirmatione.

Resp. Affirmativè: antiqua enim est praxis illa, de qua mentio fit in Libro Sacramentorum S. Gregorii, & In Ordine Romano. Hujus consuetudinis rationem affert S. Th. 3. p. q. 72. art. 10. in corpore: quia scilicet debent recens baptisati habere à quibus erudiantur in pugna spirituali.

Quæres 2. quinam in patrinos eligi possint & debeant:

Resp. eos tantum 1. qui sunt baptisati, & confirmati: quia qui nondum est christianus per Baptismum, & perfectus christianus per Confirmationem, idoneus non est qui alios in fide christiana instruere, & ad pugnam informare possit. 2. S. Carolus exigit in patrinis ut ad minus annum decimum quartum attigerint, cùm non censeantur ante istud tempus satis apti ad alios instruendos. 3. Excluduntur parentes illius qui confirmandus est, propter cognationem spiritalem quam cum ipso essent alioqui contracturi: Ut enim ait Concilium

Trid.

Tom.14. Conc. p. 878.A. Trid. Sess. 24. c. 2. de reformatione Matrimonii, *ut cognatio quæ ex Confirmatione contrahitur, confirmantem & confirmatum, illiusque patrem & matrem, ac tenentem non egrediatur, omnibus inter alias personas hujus spiritualis cognationis impedimentis omnino sublatis.* 4. Id vult observari S. Carolus in V. Tom.15. Conc. p. 586.B. Concilio Mediolanensi, *ut ne feminis mares, nec contra, maribus feminæ, neque senioribus adolescentes, cùm minimè hoc per ætatem conveniat, compatres in Confirmationis Sacramento adhibeamur, nisi id aliter necessitas postulet.* Ritus quoque est antiquus, ut compater dextera suscipiat & teneat eum quem offert Episcopo confirmandum: si verò qui offertur adultæ est ætatis, *pedem suum super dexteram pedem compatris*, qui ipsum offert, ponit; id quod non sine mysterii significatione fit. Lege ritum hunc veterem in Libro Sacramentorum S. Gregorii, & in Ordine Romano.

Quæres 3. quid præscribant Canones circa mutationem vel additionem nominis in Confirmatione.

Resp. si nomen turpe sit, vel ridiculum, vel indignum homine Christiano, mutari debere. Ita expressè Concilium V. Mediolanense, Aquense an. 1585. Tolosanum an. 1590. quamquam nulla etiam exigente necessitate mutari nomen possit, vel aliud addi. Ita ferunt Constitutiones Odonis Parisiensis, & Decreta Synodalia Ecclesiæ Remensis.

Quæres 4. quid præscribant Canones circa ablutionem frontis.

Resp. confirmandos teneri frontem mundare seu abluere, atque aperire, antequam se sistant coram Episcopo. Ita Synodus Rothomagensis an. 1581. Aquensis an. 1585. & Mediolanensis V.

Quæres 5. quid statuatur circa vestes confirmandi.

Resp. quando confirmatio immediatè post Baptismum conferebatur, confirmandos vestibus albis indui solitos fuisse, antequam offerentur Episcopo. Ita Liber Sacramentorum S. Gregorii, Ordo Romanus, & antea S. Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi 4. S. Ambrosius L. de Initiandis c. 7. S. Chrysostomus Hom. 118. Ex quo vero perceptio Confirmationis dilata fuit in aliud tempus, non alia habita est ratio vestium, nisi ut mundæ essent ac modestæ.

De Cæremoniis quæ comitantur Confirmationem.

Quinque præsertim observari possunt, scilicet tempus quo administrari solet confirmatio, locus, ordo, & situs, alapa quæ ab Episcopo datur, pax & oratio supra confirmatos.

Tempus conferendi Confirmationem olim idem fuit ac Baptismi: unde cùm Baptismus solemniter soleret certis quibusdam diebus administrari, pariter & Confirmatio; de quibus diebus antea, uti de Baptismo, diximus. Postquam autem confirmatio separatim à Baptismo fuit administrata; pro opportunitate Episcopi, frequentiùs tamen feriis Pentecostes & Quatuor temporum fuit administrata. Qua autem hora conferri debeat si quæras, sanè quantùm commodè fieri potest, hora tertia; nam hac ipsa hora Spiritus sanctus in A[illegible] est [illegible] recensent Concilium Mediolanense V. & Aquense an. 1585.

Locus administrationis hujus Sacramenti, idem olim fuit qui & Baptismi: primò, quolibet in loco; postea verò in Templis, tum Ecclesiæ Cathedralis, tum etiam aliarum per quas Episcopus discurrere debet, ut sibi commissis Fidelibus hoc Sacramentum dispenset.

Ordinem & situm hunc esse debere refert Ordo Romanus. Primò, mares, & postea feminas esse baptizandas & confirmandas: deinde Concilium Mediolanense V. statuit, *ut mares in Ecclesia primo à parte sua, feminæ ab altera sint; sicque separatim distincti, genibus flexis, manibus ante pectus junctis, suo quisque ordine, pie & religiosè orent: imprimisque ab omni strepitu, vociferatione, & inani confabulatione caveant, sed silentio sancto muniantur.* Tom.15. Conc. p. 586.A.

Alapam in maxillam confirmati leviter infligit Episcopus. Quando verò introductus sit ritus ille, planè incertum videtur; neque enim illius apud Veteres mentio occurrit. Quem vero ob finem ritus ille sit institutus, varii variè referunt. Synodus Senonensis an. 1524. istam reddit, *ut ea percussione infantes memoriam habeant se fuisse confirmatos, ne iterum confirmentur.* Catechismus Romanus addit, *ut meminerit confirmatus se tanquam athletam paratum esse oportere ad omnia adversa invicto animo pro Christi nomine ferenda.*

Pax verò quæ datur confirmatis ab Episcopo, & oratio quam fundit super illos, antiquæ sunt, quarum mentio fit in Ordine Romano, & in Auctore Libri de divinis Officiis c. de Sabbato sancto, & ab Amalario L. 1. c. 27. Ratio hujus ritus est, ut intelligat confirmatus, inquit Catechismus Romanus, *se gratiæ cœlestis plenitudinem, & pacem quæ exuperat omnem sensum consecutum esse.*

De Cæremoniis quæ sequuntur Confirmationem.

Duæ sunt præcipuæ. Prima, frons confirmati vitta linea seu fasciola debet circumligari, tum ne chrisma facilè defluat, tum ut significetur acceptam gratiam diligenter esse conservandam. Ita mandant Ordo Romanus, Synodus Trecensis an. 1400. Lingonensis an 1404. Senonensis an. 1524. *Confirmandi*, inquit, *vittas seu bandellos mundos, latos & longos secum habeant, quos post Confirmationem per triduum die ac nocte deferant, ne chrisma possit ab eis tangi.*

Secunda est depositio vittæ lineæ, & chrismatis abstersio. Deponebatur vitta illa linea olim post septimum diem, quo frons chrismate sacro illita abstergebatur. Ita Ordo Romanus, Auctor de divinis Officiis, Hugo à S. Victore L. 2. de Sacramentis p. 7. c. 7. Deinde deposita fuit post triduum; aliquando etiam post biduum, vel etiam post horas 24. Usus tamen ejusmodi vittarum talis erat, ut in arbitrio Episcopi esset dispensare. Unde Conventus Meloduoensis an. 1579. ait: *Vitta linea ligentur confirmatorum frontes, quam triduo, quo majori honore tractetur hoc Sacramentum, portare tenebuntur, nisi frontes, præsente Episcopo, eorum panno vel bombyce abstergenda curentur.* Conc. novis. Gallia p. 93. col. 1. De abstersione ita Synodus Trecensis laudata: *Bandellos post triduum ad Ecclesiam deferant, & confirmatus in fronte ubi chrismate fuerit linitus, sale & aqua lavetur; & aqua in loco mundo fundenda est, ubi nequeat conculcari pedibus.*

Atque hæc dicta sint de Sacramento Confirmationis, in quibus, si quid minùs rectum & sanum nobis incautis excidisse deprehendatur, pro non dicto ac revocato habemus.

F I N I S.

PRÆ-

PRÆLECTIONES THEOLOGICÆ DE AUGUSTISSIMO EUCHARISTIÆ SACRAMENTO.

THEOLOGIÆ CANDIDATIS PRÆFATIO.

De venerabili ac divino Eucharistiæ Sacramento dicturi, dilectissimi Candidati, statim in admirationem rapti, cum Augustino exclamamus, *O Sacramentum pietatis! O signum unitatis! O vinculum charitatis!* [T. 26. in Joan. T. 3. p. 2. pag. 499.] O Sacramentum pietatis! in Deum scilicet Patrem, cui unigenitus filius, homo factus ac verus Sacerdos secundùm ordinem Melchisedech, proprii sui corporis & sanguinis piaculari oblatione cultum & honorem infinitum rependit. O signum unitatis! tùm Fidelium cum Christo, in quo manducatione carnis ejus, intimè uniuntur ac incorporantur, unum quid cum ipso facti, *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem*, ait ipsemet Christus, *in me manet & ego in illo.* [Joan. 6. v. 57.] Tùm Fidelium inter se, quos communi quodam vinculo fidei, spei, amoris & dilectionis arctissima connexione copulare simul & adstringere debet unius panis & calicis participatio. *Calix benedictionis cui benedicimus*, ait Apostolus, *nonne communicatio sanguinis Christi est? & panis quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est? Quoniam unus panis & unum corpus multi sumus, omnes qui de uno pane participamus.* [1. Cor. 10 v. 16.] O vinculum charitatis! tùm nostræ erga Christum, cui tanquam capiti nostro nexu indissolubili alligari nos & adhærescere necesse prorsus est; tùm maximè ipsiusmet Christi erga nos, quæ tanta est, tam immensè ac liberaliter effusa, ut satis ipsi non fuerit vilem & abjectam carnem redemptionis ac salutis nostræ causa in se suscepisse, verum etiam seipsum, & proprii corporis sui ac sanguinis substantiam, in spiritualem animorum nostrorum alimoniam communicare nobis dedignatus non fuerit, ipsomet attestante, *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus.* [Joan. 6. v. 56.] Et rursus, *Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.* [Ib. v. 52.]

Mysteriorum omnium Christi quasi summa & compendium quoddam est Eucharistia, in qua divitias omnes ac thesauros potentiæ suæ, virtutis, amoris ac benevolentiæ in genus humanum, tanta pompa explicat ac diffundit. Per incarnationem datus nobis à Deo est, *Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ac pro nobis omnibus traderet illum*; [Joan. 3. 16.] ita nos à servitute peccati & dæmonis tyrannide liberos Deo Patri æternùm asseruit, factus *propitiatio pro peccatis nostris.* [Rom. 8. v. 32.] In Eucharistia verò novo quodam incarnationis modo, novo & inaudito infiniti amoris argumento seipsum nobis intimiùs inserit & incorporat, propria sua carne animos pascit ac confortat. In Incarnatione, cùm in forma Dei esset, semetipsum exinanivit formam servi accipiens, factus *obediens* Patri *usque ad mortem.* In Eucharistia verò non tantùm in forma Dei, sed & in ipsa forma servi obducto velo ita totus tegitur & obscuratur, ut totum fidei, nihil aut fermè nihil judicio sensuum hìc relinquatur; Deo Patri non tantùm, sed & voci hominis Sacerdotis obsequens, de Cœlo in terras advolat, ut se altaribus nostris sistat præsentem & cordibus inserat.

Commune hoc quidem est SS. Eucharistiæ, cum cæteris Sacramentis, ajunt Patres Tridentini, [Sess. 13. 3.] *symbolum esse rei sacræ, & invisibilis gratiæ formam visibilem; verùm illud in ea excellens & singulare reperitur, quòd reliqua Sacramenta tunc primùm sanctificandi vim habent, cùm*

quis illis utitur. In Eucharistia ipse sanctitatis auctor ante usum est. In aliis Sacramentis adest Christus per derivatam à se interioris gratiæ ac virtutis subministrationem; in Eucharistia verò fons ipse substantialis omnium cœlestium donorum & gratiarum totum se effundit ac communicat; atque inde tanta Eucharistiæ supra cætera omnia Sacramenta dignitas & excellentia; tot & tanta quæ in nos derivantur ac defluunt divini amoris beneficia. *Sacramentum hoc*, ait idem Concilium, *sumi voluit Christus tanquam spiritualem animarum cibum, quo aluntur & confortantur viventes vita illius qui dixit*, Qui manducat me, & ipse vivet propter me, *& tanquam antidotum, quo liberemur à culpis quotidianis & a peccatis mortalibus præservemur. Pignus præterea adesse voluit futuræ nostræ gloriæ & perpetuæ felicitatis; adeoque symbolum unius illius corporis, cujus ipse caput existit, cuique nos tanquam membra, arctissima fidei, spei, charitatis connexione adstrictos esse voluit, ut id ipsum omnes diceremus, nec essent in nobis schismata.*

Ibid c. 2.

Mira profectò facundia exultant sancti Ecclesiæ Doctores in celebranda Sacramenti nostri sublimitate, virtute ac efficacia. *Nos*, ait S. Joan. Chrysostomus, *Christus secum velut in unam massam redigit, nec solùm fide, sed & reipsa corpus unum efficit.* Addit Hom. 45. in Joan. *sacrum hunc sanguinem* (qui in Eucharistia propinatur) *vivam ac spirantem in nobis regis nostri effigiem reparare: hunc sanguinem perennibus undis animam irrigare ac fovere, cujus eximiam pulchritudinem ac nobilitatem marcessere ac degenerare non sinit; hunc sanguinem dignè gustatum dæmones fugare, & longè à nobis profligare; Angelos verò, & Angelorum Dominum ad nos allicere: hunc sanguinem animarum nostrarum salutem esse; hoc recreari animum, hoc ornari, hoc inflammari, atque ipso igne clariorem reddi & auro splendidiorem. Ab hac mensa salire fontem fluvios spirituales diffundentem, juxta quem non steriles salices adnascantur, sed arbores, quæ cœlum ipsum attingunt, ac tempestivos semper, & nunquam marcescentes fructus afferunt.*

Hom. 83. in Matth.

Saluberrimum hunc gratiarum omnium fontem miserè sibi occludunt & exsiccant Novatores, verborum Christi, non minùs quàm salutis suæ immemores ac inimici. *Verbis sole ipso clarioribus Christus declarat*, Eucharistiam quam Apostolis suis in ultima Cœna distribuit, esse corpus suum & sanguinem, *Hoc est corpus meum. Hic est calix sanguinis mei.* Non ita est, pronuntiant ex adverso Novatores, Eucharistia verè non est corpus & sanguis Christi, sed mera figura, imago, typus ac symbolum corporis & sanguinis. Figuris ergo & umbris nos adhuc pascit Christus in media evangelica Lege, sicut olim veteres pascebantur Judæi, quibus omnia in figura contingebant; ergo sub nube adhuc sumus, nec figuræ veritatis, & umbræ corpus non successit?

Tantam nihilominus ac splendidam lucem verba Christi præseferunt, tam apertum præsentiæ realis sensum menti objiciunt, ut Lutherus ipse resistere ipsi non potuerit; qui verò contumaciùs obstitere, ii quasi inviti ac propria reclamante conscientia, ad deliria & impia delusæ imaginationis figmenta confugere coacti fuerint.

Lutherus in Epistola ad Argentinenses fatetur quidem se diu multùmque animo volvisse, qua via posset fidem præsentiæ realis convellere; atque se plurimùm ei debiturum pollicetur, qui viam hanc aperiret: nihilominus tamen perspicuitate verborum Christi se victum ac superatum ingenuè agnoscit; ac compulsum fateri, verè ac realiter corpus Christi præsens esse in Eucharistia, quamquam simul cum panis & vini substantia, quod *consubstantiationem* appellat: in quo specialis ejus error versabatur. Dubius quidem & anceps visus est aliquando Lutherus, utrum cum corpore Christi, simul inesset anima ejus ac divinitas, atque idcirco adorari posset vel deberet: at utrumque subinde admisit & ad mortem usque propugnavit.

Anno 1524. aut 1525. Epistola ad Pomeranum.

Zuinglius Librum quidem scripsit adversus realem Christi præsentiam in Eucharistia, quam contendit meram ac nudam esse corporis Christi figuram & imaginem: nihilominus non dissimulat se per plures annos ignorasse, ista verba, *Hoc est corpus meum*, exponi debere per ista, *Hoc significat corpus meum*, quam explicationem seu figuræ clavim didicit tantum ex Epistola Batavi cujusdam nomine Hunnii, sibi communicata per Joannem Rhodium & Gregorium Saganum.

Quin Libro de subsidio Eucharistiæ scribit, *se biduo disputasse in senatu Tigurino contra Missam & Eucharistiam, nec tamen fidem facere potuisse*, (*resistente sibi Scriba quodam*) Est, *accipi pro* significat; sed tandem nocte sequenti dormienti sibi adstitisse nescio quem (*ater*, inquit, *an albus fuerit, nihil memini*) *qui moneret, cum locum Exodi 12. arriperet*, Est enim phase, *id est transitus Domini*; *ubi verbum*, est, *accipitur pro* significat. Egregia profectò probatio, somniantis hominis delirium! Hæc tamen insulsa & putida figmenta sunt, hæ fabulæ, quibus innixi Calvinistæ apertam verborum Christi, *Hoc est corpus meum*, veritatem, ad figuratum & tropicum sensum detorquent.

Calvino non omnino arrisit cruda hæc ac jejuna nimis Zuinglii figura, quasi nihil aliud subsidii afferret Eucharistia, quàm ut passionem & mortem Christi in memoriam nostram otiosè ac steriliter revocaret. Noverat longè aliam semper fuisse Christianorum omnium mentem, atque uberiores ex cœlesti illa alimonia fructus consperare; quapropter, ut mirus erat ille fallendi artifex, verbis in speciem ita catholicis aliquando de Eucharistia loquitur,

ut à

ut à Zuinglio totus recedere, ac Bucero & Luthero consentire prorsus videretur. Bucerus quippe, vir callidus, fiosofus, ac rebus suis studens, metu Caroli V. Imperatoris, ne illum offenderet ac in se concitaret, realem Christi in Eucharistia præsentiam cum Luthero verbis clarissimis aliquando expressit: in Comitiis enim Augustanis anno 1529. ubi Lutherani celebrem suam fidei professionem ediderunt, ac Imperatori obtulerunt, formulam Argentinensem proposuit, in qua articulo 18. profitebatur Christum in Eucharistia dare Fidelibus *verum* suum corpus, *verumque* suum sanguinem, *verè* ab iis manducandum & bibendum in cibum potumque animarum: cui formulæ expositionem adjecit, in qua damnata dumtaxat capharnaitica manducatione, admittit simul cum pane dari *verum* corpus Christi. Vide Hospinianum parte 2. pag. 101. Deinde post ista Comitia eò processit ut diceret, nullam esse inter Lutheranos & Sacramentarios, nisi de nomine, controversiam, ut refert Hospinianus ibidem pag. 111. & 117. atque quidquid Lutherus per *essentialiter*, *realiter*, vel *corporaliter* intellexit, hoc totum per particulam *verè* reddi ac exprimi. Ibidem pag. 136. & pag. sequenti 137. Melanchtoni respondet, corpus Christi *verè ac substantialiter* à nobis accipi, cùm Sacramento utimur.

Calvinus ergo ut tutiùs incautos deluderet, isthæc omnia sibi quantùm ad verba adoptanda esse putavit. In confessione ad Bucerum, apud Hospinianum pag. 171. ait, *carnem Christi verè nobis esse cibum, & sanguinem ejus verè potum..... ita ut nos illa carnis ac sanguinis Domini substantia verè ad immortalitatem pascat, & eorum participatione vivificet.* Et in brevi admonitione de Cœna Domini, inter Epistolas pag. 595. dicit, *nos illic recipere corpus ac sanguinem Domini, non phantasia, aut apprehensione mentis; sed reipsa ita nobis offerri, ut vera substantialique unitate cum ipso cohæreamus.* In secunda verò defensione adversùs Westphalum asserit, *in eo à nobis distare veteres Patriarchas, quod substantialis hodie manducatio est, quæ tunc esse non potuit.... ut vitam ex ejus substantia hauriamus.* Denique Lib. 4. Inst. c. 17. n. 10. docet, *rem signatam (hoc est corpus Christi) offerri & exhiberi omnibus, qui ad illud spirituale epulum accumbunt (etiam indignis, ab iisque percipi) quamquam à Fidelibus solis cum fructu percipitur.* Eodem cap. n. 11. *Non intelligentia dumtaxat*, inquit, *aut imaginatione res transfigitur, sed participes substantiæ ejus nos fimus.* Et nu. 32. agnoscit arcanum in Eucharistia latere miraculum, quod & naturæ fines & humani ingenii captum longè superet; sublimius illud esse, quàm ut ingenio comprehendi aut verbis enarrari possit. Hinc Calviniani in Synodo Rupellensi anno 1571. agentes adversùs eos, qui non recipiunt *substantiæ* vocabulum; & adversùs eos qui à Cœna substantiam ipsam carnis Christi excludebant, *Damnamus*, inquiunt, *eos qui non recipiunt substantiæ vocabulum.*

Quapropter Calvinus Augustanam Lutheranorum Confessionem probavit an. 1529. ut patet ex ejus Epistola ad illustrissimum quemdam Germaniæ Principem, pag. 324. & anno 1536. juravit & ipse quoque in concordiam à Bucero cum Lutheranis initam Wittembergæ. Anno pariter 1549. pari flexibilitate societatem pepigit cum Tigurinis.

Ab illa speciosa verborum Calvini forma cavete vobis diligenter, dilectissimi Candidati, tota enim insidiosa est, fraudis & doli plena pro innata Hæreticorum omnium indole ac ingenio. Totus à Zuinglio se recedere dolosus ille fingit, & cum Lutheranis agnoscere Eucharistiam non nudam esse ac vacuam corporis Christi figuram, imò ipsam corporis *substantiam* unà cum symbolis nobis in ea porrigi: at fallit; substantiam quippe non intelligit realiter seu corporaliter præsentem, sed præsentem dumtaxat per fidem aut virtutem à Christo ipso diffusam. Quapropter Concilium Tridentinum ad omnem præcavendam fraudem, & ipsi occludendam quamcumque elabendi viam, docet, Christum in Eucharistia præsentem adesse *verè*, *realiter ac substantialiter*: *verè*, non per figuram & imaginem; *realiter*, non objectivè tantùm ac per fidem; *substantialiter*, non tantùm per efficaciam & virtutem à Christo diffusam.

Qua etenim fronte *substantiam* corporis Christi realiter in Eucharistia præsentem admittere se asseverare potest perfidus hæresiarcha, qui ex professo docet ac contendit,

I. Cum Zuinglio, ista Christi verba, *Hoc est corpus meum*, de figura & signo intelligenda esse; Lib. 4. Instit. c. 17. nu. 1. *eos proinde qui in solemnibus Cœnæ verbis*, Hoc est corpus meum. Hic est sanguis meus. *Præcisè litteralem sensum urgent, ejus tanquam præposteros interpretes à se repudiari, se enim extra controversiam ponere, figuratè accipienda esse, ut panis & vinum dicantur id quod significant; neque verò novum aut insolens videri debere, ut per metonymiam ad signum transferatur rei significatæ nomen, cùm passim in Scripturis ejusmodi locutiones occurrant*: sicut ipsemet loquitur in concordia cum Tigurinis inita anno 1549. apud Hospinianum pag. 212.

II. *Quòd carnis suæ esu ac sanguinis sui potione quæ hîc figurantur, Christus animas nostras per fidem Spiritus sancti virtute pascat, id non proinde accipiendum, quasi aliqua fieret substantiæ vel commixtio vel transfusio; sed quoniam ex carne semel in sacrificium oblata & sanguine in expiationem fuso vitam hauriamus.* Ibidem.

III. Christum, quatenus homo est, non alibi quàm in cœlo, nec aliter quàm in mente ac fidei intelligentia esse quærendum; atque ita Christum à nobis tanto locorum intervallo distare, quantùm cœlum abest à terra. Ibidem.

quas illis utitur. In Eucharistia ipse sanctitatis auctor ante usum est. In aliis Sacramentis adest Christus per derivatam à se interioris gratiæ ac virtutis subministrationem ; in Eucharistia verò fons ipse substantialis omnium cœlestium donorum & gratiarum totum se effundit ac communicat ; atque inde tanta Eucharistiæ supra cætera omnia Sacramenta dignitas & excellentia ; tot & tanta quæ in nos derivantur ac defluunt divini amoris beneficia. *Sacramentum hoc*, ait idem Concilium, *sumi voluit Christus tanquam spiritualem animarum cibum, quo aluntur & confortantur viventes vita illius qui dixit*, Qui manducat me, & ipse vivet propter me, *& tanquam antidotum, quo liberemur à culpis quotidianis & a peccatis mortalibus præservemur. Pignus præterea idesse voluit futuræ nostræ gloriæ & perpetuæ felicitatis ; adeoque symbolum unius illius corporis, cujus ipse caput existit, cuique nos tanquam membra, arctissima fidei, spei, charitatis connexione adstrictos esse voluit, ut id ipsum omnes diceremus, nec essent in nobis schismata.*

Ibid c. 2.

Mira profectò facundia exultant sancti Ecclesiæ Doctores in celebranda Sacramenti nostri sublimitate, virtute ac efficacia. *Nos*, ait S. Joan. Chrysostomus, *Christus secum velut in unam massam redigit, nec solùm fide, sed & reipsa corpus unum efficit.* Addit Hom. 45. in Joan. *sacrum hunc sanguinem* (qui in Eucharistia propinatur) *vivam ac spirantem in nobis regis nostri effigiem reparare : hunc sanguinem perennibus undis animam irrigare ac fovere, cujus eximiam pulchritudinem ac nobilitatem marcessere ac degenerare non sinit ; hunc sanguinem dignè gustatum dæmones fugare, & longè à nobis profligare ; Angelos verò, & Angelorum Dominum ad nos allicere : hunc sanguinem animarum nostrarum salutem esse ; hoc recreari animum, hoc ornari, hoc inflammari, atque ipso igne clariorem reddi & auro splendidiorem. Ab hac mensa salire fontem fluvios spirituales diffundentem, juxta quem non steriles salices adnascantur, sed arbores, quæ cœlum ipsum attingunt, ac tempestivos semper, & nunquam marcescentes fructus afferunt.*

Hom. 83. in Matth.

Saluberrimum hunc gratiarum omnium fontem miserè sibi occludunt & exsiccant Novatores, verborum Christi, non minùs quàm salutis suæ immemores ac inimici. Verbis sole ipso clarioribus Christus declarat, Eucharistiam quam Apostolis suis in ultima Cœna distribuit, esse corpus suum & sanguinem, *Hoc est corpus meum. Hic est calix sanguinis mei.* Non ita est, pronuntiant ex adverso Novatores, Eucharistia verè non est corpus & sanguis Christi, sed mera figura, imago, typus ac symbolum corporis & sanguinis. Figuris ergo & umbris nos adhuc pascit Christus in media evangelica Lege, sicut olim veteres pascebantur Judæi, quibus omnia in figura contingebant ; ergo sub nube adhuc sumus, nec figuræ veritatis, & umbræ corpus non successit ?

Tantam nihilominus ac splendidam lucem verba Christi præseferunt, tam apertum præsentiæ realis sensum menti objiciunt, ut Lutherus ipse resistere ipsi non potuerit ; qui verò contumaciùs obstitere, ii quasi inviti ac propria reclamante conscientia, ad deliria & impia delusæ imaginationis figmenta confugere coacti fuerint.

Lutherus in Epistola ad Argentinenses fatetur quidem se diu multumque animo volvisse, qua via posset fidem præsentiæ realis convellere ; atque se plurimùm ei debiturum pollicetur, qui viam hanc aperiret : nihilominus tamen perspicuitate verborum Christi se victum ac superatum ingenuè agnoscit ; ac compulsum fateri, verè ac realiter corpus Christi præsens esse in Eucharistia, quamquam simul cum panis & vini substantia, quod *consubstantiationem* appellat : in quo specialis ejus error versabatur. Dubius quidem & anceps visus est aliquando Lutherus, utrum cum corpore Christi, simul inesset anima ejus ac divinitas, atque idcirco adorari posset vel deberet : at utrumque subinde admisit & ad mortem usque propugnavit.

Zuinglius Librum quidem scripsit adversus realem Christi præsentiam in Eucharistia, quam contendit meram ac nudam esse corporis Christi figuram & imaginem : nihilominus non dissimulat se per plures annos ignorasse, ista verba, *Hoc est corpus meum*, exponi debere per ista, *Hoc significat corpus meum*, quam explicationem seu figuræ clavim didicit tantum ex Epistola Batavi cujusdam nomine Hunnii, sibi communicata per Joannem Rhodium & Gregorium Saganum.

Anno 1524. aut 1525. Epistola ad Pomeranum.

Quin Libro de subsidio Eucharistiæ scribit, *se biduo disputasse in senatu Tigurino contra Missam & Eucharistiam, nec tamen fidem facere potuisse*, (*resistente sibi* Scriba *quodam*) Est, *accipi pro* significat ; sed tandem nocte sequenti dormienti sibi adstitisse nescio quem (*ater*, inquit, *an albus fuerit, nihil men ini*) *qui moneret, cum locum Exodi* 12. *arriperet*, Est enim phase, *id est transitus Domini* ; *ubi verbum*, est, *accipitur pro* significat. Egregia profectò probatio, somniantis hominis delirium ! Hæc tamen insulsa & putida figmenta sunt, hæ fabulæ, quibus innixi Calvinistæ apertam verborum Christi, *Hoc est corpus meum*, veritatem, ad figuratum & tropicum sensum detorquent.

Calvino non omnino arrisit cruda hæc ac jejuna nimis Zuinglii figura, quasi nihil aliud subsidii afferret Eucharistia, quàm ut passionem & mortem Christi in memoriam nostram otiosè ac steriliter revocaret. Noverat longè aliam semper fuisse Christianorum omnium mentem, atque uberiores ex cœlesti illa alimonia fructus eos sperare : quapropter, ut mirus erat ille fallendi artifex, verbis in speciem ita catholicis aliquando de Eucharistia loquitur,

ac à

ut à Zuinglio totus recedere, ac Bucero & Luthero consentire prorsus videretur. Bucerus quippe, vir callidus, sinuosus, ac rebus suis studens, metu Caroli V. Imperatoris, ne illum offenderet ac in se concitaret, realem Christi in Eucharistia præsentiam cum Luthero verbis clarissimis aliquando expressit: in Comitiis enim Augustanis anno 1529. ubi Lutherani celebrem suam fidei professionem ediderunt, ac Imperatori obtulerunt, formulam Argentinensem proposuit, in qua articulo 18. profitebatur Christum in Eucharistia dare Fidelibus *verum* suum corpus, *verumque* suum sanguinem, *verè* ab iis manducandum & bibendum in cibum potumque animarum: cui formulæ expositionem adjecit, in qua damnata dumtaxat capharnaitica manducatione, admittit simul cum pane dari *verum* corpus Christi. Vide Hospinianum parte 2. pag. 101. Deinde post ista Comitia eò processit ut diceret, nullam esse inter Lutheranos & Sacramentarios, nisi de nomine, controversiam, ut refert Hospinianus ibidem pag. 151. & 117. atque quidquid Lutherus per *essentialiter*, *realiter*, vel *corporaliter* intellexit, hoc totum per particulam *verè* reddi ac exprimi. Ibidem pag. 136. & pag. sequenti 137. Melanchtoni respondet, corpus Christi *verè ac substantialiter* à nobis accipi, cùm Sacramento utimur.

Calvinus ergo ut tutiùs incantos deluderet, isthæc omnia sibi quantùm ad verba adoptanda esse putavit. In confessione ad Bucerum, apud Hospinianum pag. 171. ait, *carnem Christi verè nobis esse cibum, & sanguinem ejus verè potum..... ita ut nos illa carnis ac sanguinis Domini substantia verè ad immortalitatem pascat, & eorum participatione vivificet.* Et in brevi admonitione de Cœna Domini, inter Epistolas pag. 595. dicit, *nos illic recipere corpus ac sanguinem Domini, non phantasia, aut apprehensione mentis; sed reipsa ita nobis offerri, ut vera substantialique unitate cum ipso cohæreamus.* In secunda verò defensione adversùs Westphalum asserit, *in eo à nobis distare veteres Patriarchas, quòd substantialis hodie manducatio est, quæ tunc esse non potuit.... ut vitam ex ejus substantia hauriamus.* Denique Lib. 4. Inst. c. 17. n. 10. docet, *rem signatam (hoc est corpus Christi) offerri & exhiberi omnibus, qui ad illud spirituale epulum accumbunt (etiam indignis, ab iisque percipi) quamquam à Fidelibus solis cum fructu percipitur.* Eodem cap. n. 11. *Non intelligentia dumtaxat*, inquit, *aut imaginatione res transigitur, sed participes substantiæ eius nos fimus.* Et nu. 32. agnoscit arcanum in Eucharistia latere miraculum, quod & naturæ fines & humani ingenii captum longè superet; sublimius illud esse, quàm ut ingenio comprehendi aut verbis enarrari possit. Hinc Calviniani in Synodo Rupellensi anno 1571. agentes adversùs eos, qui non recipiunt *substantiæ* vocabulum; & adversùs eos quià Cœna substantiam ipsam carnis Christi excludebant, *Damnamus*, inquiunt, *eos qui non recipiunt substantiæ vocabulum.*

Quapropter Calvinus Augustanam Lutheranorum Confessionem probavit an. 1529. ut patet ex ejus Epistola ad illustrissimum quemdam Germaniæ Principem, pag. 324. & anno 1536. juravit & ipse quoque in concordiam à Bucero cum Lutheranis initam Wittembergæ. Anno pariter 1549. pari flexibilitate societatem pepigit cum Tigurinis.

Ab illa speciosa verborum Calvini forma cavete vobis diligenter, dilectissimi Candidati, tota enim insidiosa est, fraudis & doli plena pro innata Hæreticorum omnium indole ac ingenio. Totus à Zuinglio se recedere dolosus ille fingit, & cum Lutheranis agnoscere Eucharistiam non nudam esse ac vacuam corporis Christi figuram, imò ipsam corporis *substantiam* unà cum symbolis nobis in ea porrigi: at fallit; substantiam quippe non intelligit realiter seu corporaliter præsentem, sed præsentem dumtaxat per fidem aut virtutem à Christo ipso diffusam. Quapropter Concilium Tridentinum ad omnem præcavendam fraudem, & ipsi occludendam quamcumque elabendi viam, docet, Christum in Eucharistia præsentem adesse *verè*, *realiter ac substantialiter*: *verè*, non per figuram & imaginem; *realiter*, non objectivè tantùm ac per fidem; *substantialiter*, non tantùm per efficaciam & virtutem à Christo diffusam.

Qua etenim fronte *substantiam* corporis Christi realiter in Eucharistia præsentem admittere se asse vetare potest perfidus hæresiarcha, qui ex professo docet ac contendit,

I. Cum Zuinglio, ista Christi verba, *Hoc est corpus meum*, de figura & signo intelligenda esse; Lib. 4. Instit. c. 17. nu. 1. *eos proinde qui in solemnibus Cœnæ verbis*, Hoc est corpus meum. Hic est sanguis meus. *Præcisè litteralem sensum urgent, ejus tanquam præposteros interpretes à se repudiari. se enim extra controversiam ponere, figuratè accipienda esse, ut panis & vinum dicantur id quod significant; neque verò novum aut insolens videri debere, ut per metonymiam ad signum transferatur rei significatæ nomen, cùm passim in Scripturis ejusmodi locutiones occurrant*: sicut ipsemet loquitur in concordia cum Tigurinis inita anno 1549. apud Hospinianum pag. 212.

II. *Quòd carnis suæ esu ac sanguinis sui potione quæ hic figurantur, Christus animas nostras per fidem Spiritus sancti virtute pascat, id non proinde accipiendum, quasi aliqua fieret substantiæ vel commixtio vel transfusio; sed quoniam ex carne semel in sacrificium oblata & sanguine in expiationem fuso vitam hauriamus.* Ibidem.

III. Christum, quatenus homo est, non alibi quàm in cœlo, nec aliter quàm in mente ac fidei intelligentia esse quærendum; atque ita Christum à nobis tanto locorum intervallo distare, quantùm cœlum abest à terra. Ibidem.

IV. Inter opiniones, quæ rejici & repudiari debent collocat eam, quæ asserit, corpus Christi *realiter & substantialiter* adesse in Cœna. Ita in defensinne contra Westphalum, pag. 77. inter Opuscula.

V. Qua fide ac sinceritate cum Tigurinis concordiam & societatem inire Calvinus potuit, quos non ignorabat nullum in Eucharistia peculiare miraculum agnoscere, nec ferre posse ut diceretur, *substantiam* Christi in ea percipi, aut Christum substantialiter comedi? Ibidem apud Hospin.

VI. Denique, si Christum substantia corporis præsentem agnoscunt in Eucharistia, ut quid Catbolicos, qui sic credunt, ac Christum præsentem adorant, velut idololatras traducunt ac criminantur?

Agnoscite hic, dilect. Cand. quæ sit hæreseos & Hæreticorum indoles ac ingenium, quàm leve ac inconstans, quàm sibi ipsi contrarium ac malè cohærens. Si Calvinistis licuit sensum figuratum verbis Christi, *Hoc est corpus meum*, affingere; quidni pariter Socinianis, quos illi tamen tam durè exagitant & insectantur, licitum erit, hanc Christi sententiam, *Ego & Pater* [Joan. 10. v. 30.] *unum sumus*, de figurata & metaphorica unione, affectus scilicet & amoris, non naturæ atque substantiæ, interpretari? maximè cùm apud illos omnes ratum ac constitutum sit, fidei controversias non ex publica Ecclesiæ auctoritate ac judicio, sed ex privatorum spiritu ac sensu dirimenda esse; unde tot errorum monstra, tot fanaticorum hominum deliria enascuntur: nullus quippe illorum est qui non glorietur se privato illo Dei spiritu duci ac dirigi. Quis ergo inter eos judex sedebit? Quis pullulantes in dies de Religione discordias sedabit? nullus profectò; unde æternas illas esse ac interminabiles, & uniuscujusque arbitrio Religionem permitti omnino necesse erit. Quis porro sanæ mentis credat unquam, tam improvide à Christo Domino constitutam Ecclesiam suam, ut nulla sit in ea publica & aperta regula, semper subsistens, vivens ac spirans, cujus auctoritate ac imperio superbi animorum motus, & lites circa Religionem com-[Mat. 28. 20.] poni ac comprimi possint? Habemus obligatam Christi fidem ac certam promissionem, *Vobiscum sum omnibus diebus. Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi ad-*[Ib. 16. 18.]*versus eam non prævalebunt.* Suprema autem illa fidei regula, quænam est? Scriptura & Traditio. Scripturæ verò ac Traditionis sensum legitimum nobis aperire ac declarare, ad quos pertinet? Ad privatum cujuslibet hominis arbitrium? apage delirium. Ergo ad Romanum Pontificem qui visibile est Caput Ecclesiæ, qui primas partes habet in rebus fidei definiendis; ad [Act. 20. 28.] Episcopos Capiti suo adunatos & cohærentes, quos *Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei*; quos *qui audit, Christum audit, qui spernit, Christum spernit*: ad quos [Luc. 10. 16.] Christus ipse immorigeros ac contumaces, ut corrigantur, remittit. *Dic Ecclesiæ. Quod si* [Mat. 18. 17.] *Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus.* Quotquot igitur vivam hanc ac certissimam fidei nostræ regulam non audiunt nec sequuntur, ii, non alio, quàm proprio suo ac privato sensu ducuntur; & quamquam exteriori quodam vinculo corpori Ecclesiæ adhærescant adhuc, intus tamen, animo atque sententia, coram Deo, & in foro, ut ajunt, conscientiæ, ab eo præcisi sunt & alieni; quales esse Hæreticos omnes occultos, communis & trita est apud [De Ecclesia. T. 1. q. 3. p. 277. & sequ.] Theologos sententia. Verùm his obiter hìc prælibatis, de quibus fusiùs à nobis alibi disputatum est.

Observate, dilect. Candidati, Calvinistas non modò substantiam, sed & originem ipsam catholici dogmatis realis præsentiæ novo, & ad nos usque inaudito, figmento corrumpere & adulterare tentasse; quamquam discordes sint inter se in fingenda prima hujusce dogmatis apud nos origine.

I. Fingunt eorum nonnulli cum Blondello, Anastasium Sinaitam circa annum Christi 636. & Epiphanium Diaconum octavo sæculo in Concilio generali Nicæno II. Actione 6. dogma præsentiæ realis primùm invexisse. Claudius verò alus factus audacior, illius originem ducit à Paschasio Radberto Corbejensis Monasterii Abbate, in Libro quem *de corpore & sanguine Domini* scripsit versùs annum 831. Somniabat ergo sanctissimus Martyr & Episcopus Igna-[Martyr obiit an. 108.] tius, vir Apostolis coævus, qui etiam Christum ipsum in carne se aliquando vidisse testatur, somniabat, inquam, cùm scribens ad Smyrnæos contra sui temporis Hæreticos Simonianos, Menandrianos &c. ex ipsa Eucharistia demonstrabat veram, non phantasticam, non fictam [Edit. Cotel. p. 874.] & umbratilem carnem in Christo fuisse. *Ab Eucharistia*, inquit, *& oratione* (seu ut alii legunt,) *oblatione abstinent, eo quòd non confiteantur Eucharistiam carnem esse Salvatoris nostri Jesu Christi, quæ pro peccatis nostris passa est.* Somniabat & Justinus Philosophus & [Martyr an. 161.] Martyr secundo sæculo, cùm Apologia secunda pro Christianis scripta anno 150. describens Christianorum hujus ævi conventus, ait: *Alimentum hoc apud nos vocatur Eucharistia....* [Pag. 97.] *Non ut communem panem, neque communem potum ista sumimus, sed quemadmodum per verbum Dei caro factus JESUS Christus Servator noster, & carnem & sanguinem salutis nostræ causa habuit; ad eundem modum etiam eam, in qua per preces Verbi ejus ab ipso profecti gratiæ actæ sunt, alimoniam, unde sanguis & caro nostra per mutationem aluntur, incarnati illius JESU carnem & sanguinem esse edocti sumus.* Tum ostendit Christum verbis istis, *Hoc est corpus meum. Hic est sanguis meus*, panem & vinum consecrasse, ac præcepisse Apostolis ut idem ipsi subinde observarent ac facerent. Nihil profectò clarius, disertius nihil proferri potest, & quidem longè ante tempora

Anasta-

Anastasii, Epiphanii Diaconi, & Paschasii. Longè pariter antea dixerat D. Chrysostomus paulò antè hìc laudatus, *Christus nos secum velut in unam massam redigit, nec solùm fide, sed & reipsa corpus unum efficit.* Homil. 83. in Matth.

Atque ut multa hujuscemodi alia hìc prætermittam, quæ in decursu hujus controversiæ vobis exponemus, dilect. Candidati, quid, quælo, aliud, quàm Eucharistiam subindicabat vetus illa & pervulgata Gentilium in Christianos criminis infanticidii accusatio? Quid *infans ille farre contectus & occisus, cujus Christiani sitienter sanguinem lambunt, & certatim membra discerpunt?* sicut accusat Cœcilius apud Minutium Felicem in Octavio. Quid illæ Thyesteæ cœnæ, & incestunsi Oedipi concubitus, de quibus Christiani veteres à servis suis rei traducebantur, quasi suis in conventibus nocturnis promiscuè commixti carnem infantis comederent? Quid, inquam, accusatio illa designabat? nisi usum Eucharistiæ, de qua confusè ac subobscurè nonnihil à delatoribus audiverant. Ita ficti solet in iis rebus, quæ fama tantùm ac rumore quodam confuso circumferuntur, in quibus est aliquid veri falso admixtum. Fundamentum seu potius occasio intentatæ adversus Christianos infanticidii accusationis, verum supponebat, nempe à Christianis verum manducari corpus Christi & bibi sanguinem. En ipsa rei veritas, quam multis falsis ac putidis fabulis Gentiles adulterabant, asserendo vivum corpus in partes dilaniari ac modo cruento ad manducandum discerpi: qua putida calumnia nihil falsius, absurdius nihil, & à moribus Christianorum magis alienum poterat excogitari. Minut. Fel. p. 8. Apud Euseb. Lib. 5. Hist. c. 1.

II. Fingunt cum Claudio pseudo Evangelii apud Carentonenses olim Administro, rem omnium absurdissimam; Paschasium scilicet Radbertum primum dogmatis realis præsentiæ auctorem fuisse nono sæculo, ejusque doctrinam, faventibus sæculi decimi tenebris, quo scelus & ignorantia in totam Ecclesiam exundarunt, omnium Christianorum animos sensim ita occupasse, ac tam altas egisse radices usque ad initium sæculi undecimi, ut Berengarium, qui primævam fidem, ut fingit Claudius, excitare conatus est, tanquam novatorem & hæreticum hominem exagitaverint ac proscripserint. En fabella quam excogitavit & arte summa exornavit laudius, ut suos detineret ac falleret.

Verùm quàm frivola & vana illa sit, vel hoc uno aperto ac simplici argumento demonstratur. Omnis in avita fide immutatio, sua novitate semper perturbat & universam commovet Ecclesiam. Ubi primùm Arius Christo, Macedonius Spiritui sancto divinitatem detrahere; Nestorius duas in Christo personas, Eutyches unam naturam, contra publicam & receptam fidem prædicare tentarunt, universa statim insurrexit & reclamavit Ecclesia, commoti Episcopi, celebrata Concilia, divisi ab Hæreticis Catholici. Nihil porro tale contigisse legimus quando Paschasius Librum suum de corpore & sanguine Christi evulgavit; nullus adversus ipsum tumultus, nullus insurrexit Episcopus, nulla convocata, ut damnaretur, Synodus. Id verò moraliter fieri non posse (si Paschasius in fide innovavit) judicabit, quisquis vel minimum habuerit rerum humanarum usum, & ad nativam ingenii humani conditionem vel leviter attenderit; maximè verò in mysterio Eucharistiæ, quod non ad meram & simplicem fidei speculationem, sed ad usum & praxim pertinet, sumendo nempe, adorando. In hypothesi autem Calviniana, necesse est supponere Fideles ante Paschasium, novem sæculorum tractu credidisse Christum in Eucharistia realiter præsentem non adesse, sed ab illa absentem, nec consequenter adorandum: medio verò sæculo nono, de repente, promovente Paschasio, fidem illam immutatam fuisse, ac de uno extremo Fideles ad aliud extremum transiisse, à denegata scilicet præsentia reali, ad eam apertè profitendam; à non adoranda Eucharistia, ad illius adorationem. Quis verò facilè sibi unquam persuaserit, populum Christianum in rebus ad Religionem pertinentibus adeò tenacem ac fervidum, patienti ac pacifico animo sustinuisse, se ad novam fidem, novumque adorationis cultum tam subitò ac de repente transferri? Quis putet Summos Pontifices, Episcopos, Pastores, universam denique Ecclesiam siluisse & obdormiisse? Tam singulari privilegio caruit profectò Religionis christianæ prædicatio ac propagatio, contradicentibus scilicet & undequaque frementibus Paganis & Hæreticis; caruere Apostoli, virique Apostolici, tot laboribus, persecutionibus ac immanibus suppliciis ad mortem usque attriti. Unus scilicet Paschasius, simplex primùm Monachus, deinde Abbas Corbejensis, sine ullo vel miraculorum, vel armorum, pecuniarum, aut Magnatum præsidio, sine arte, coitione, prænsatione haud dubiè, in omnium Fidelium animos tacitè illapsus, tantam novitatem placidè invehere potuit, momento obliterata veteri & contraria doctrina tot sæculorum tractu confirmata. O rem incredibilem! ó inauditum prodigium! Quàm longè alia fuit Berengarii sors ac conditio! Cùm ille sæculo undecimo Paschasii doctrinam circa realem præsentiam, ab uno dumtaxat sæculo (si fabellæ Claudii locus sit) inductam, cœpit, impugnare, undequaque, vel ipsis Calvinianis fatentibus, universa reclamante Ecclesia oppugnatus, multisque in Conciliis tanquam hæreticus publicè damnatus ac proscriptus fuit. Quidni pariter reclamasset ecclesia, ubi Paschasius novum præsentiæ realis (ut putant) errorem induxit? Cur tam durè exagitatus Berengarius, qui primævam & avitam, ut Clau-

Claudio videtur, fidem ac doctrinam Eucharistiæ revocabat; è contra verò tam benignè, imò & honorificè exceptus Paschasius, qui doctrinam hanc tam strenuè oppugnabat? Verùm fabulas mittamus, dilect. Candidati, avitam, quam à Patribus accepistis præsentiæ realis fidem ac doctrinam omni explosa novitate strenuè propugnate. *In ipsa enim Catholica Ecclesia*, ait egregiè (Commonit. c. 3.) Vincentius Lirinensis, *magnopere curandum est, ut id teneamus, quod ubique, quod semper quod ab omnibus creditum est.* Et Tertullianus, *Hoc est*, inquit, *testimonium veritatis* ..... (De Præscrip. p. 213.) *ex ipso ordine manifestatur, id esse dominicum & verum, quod sit priùs traditum; id autem extraneum & falsum, quod sit posteriùs immissum.*

Unum hic ad vestram informationem prætermitti non debet, ab ipso scilicet realis Christi in Eucharistia præsentiæ capitali dogmate, tanquam à radice ac fundamento, Catholicam de incruento Missæ sacrificio, quo nihil præstantius, salubrius nihil nobis esse potest, fidem ac doctrinam pendere. Nulla unquam fluxit ætas, nulla extitit tam barbara natio, quæ non censuerit Deo sacrificandum esse; est nimirum sacrificium divinitatis census. (2. 2. q. 85. art. 1.) *In qualibet ætate, & apud quaslibet hominum nationes*, ait sanctus Thomas, *semper fuit aliqua sacrificiorum oblatio.* (T. 7. p. 241.) Et Sanctus Augustinus Lib. 10. de civit. Dei cap. 4. *Quis*, ait, *sacrificandum censuit, nisi ei quem Deum aut scivit, aut putavit, aut finxit? Quàm porrò antiquus sit in sacrificando Dei cultus, duo illi fratres Cain & Abel satis indicant, quorum majoris Deus reprobavit sacrificium, minoris aspexit.* Et cap. 19. *Nec ob aliud*, pergit, *fallaces illi* (spiritus) *superbè* (Ib. p. 255.) *sibi hoc exigunt, nisi quia vero Deo deberi sciunt.*

Denique L. 20. contra Faustum Manichæum cap. 21. *Quamvis in Memoriis Martyrum*, inquit, *constituamus altaria, quis Antistitum in locis sanctorum corporum assistens altari, aliquando dixit; Offerimus tibi Petre, aut Paule, aut Cypriane? sed quod offertur, offertur Deo qui* (T. 8. p. 347.) *Martyres coronavit*, quam doctrinam egregiè confirmavit Conc. Trid. Sess. 22. cap. 3.

Jamdiu Prophetarum oraculis Deus prædixerat abroganda fore sacrificia vetera, & novum longè præstantius substituendum illis esse. *Polluent Romani*, ait Daniel cap. 11. v. 31. *Sanctuarium fortitudinis, & auferent juge sacrificium, & dabunt abominationem in desolationem.* Et Malach. c. 1. v. 10. & 11. *Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum; & munus non suscipiam de manu vestra. Ab ortu enim solis usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus; & in omni loco sacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda.* Præsens hìc, *offertur*, pro futuro, more Prophetarum, sumitur. Ad istud Malachiæ vaticinium respexisse videtur Christus, cùm Mulieri Samaritanæ dicebat, Joan. 4. v. 21. *Mulier, crede mihi, quia venit hora, quando neque in monte hoc, neque Hierosolymis adorabitis Patrem.* Et v. 23. *Venit hora & nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu & veritate.* Manifestum certè est, Christum eò loci non loqui de sola simplici & interiori adoratione, quæ ubique licita est, nec loco alligata, sed de adoratione publica atque solemni per sacrificium, quod futurum asserit 1. non in carne & sanguine, ut apud Judæos, sed *in spiritu*. 2. *in veritate*, non in typo, figura & errore, ut apud Samaritanos.

Quæ porro est *oblatio illa munda quæ omni loco debet offerri*? An mera figura seu imago, repræsentatio & commemoratio passionis ac mortis Christi, sicut Novatores, & cum ipsis nuperus Scriptor F. le Coutayer, contendunt? non ita certè. Pronis auribus & animis excipite, dilect. Cand. verba Concilii Trid. Sess. 22. cap. 1. *Dominus noster*, inquiunt Concilii Patres, *etsi semel seipsum in ara crucis morte intercedente, Deo Patri oblaturus erat, ut æternam illic redemptionem operaretur, quia tamen per mortem sacerdotium ejus extinguendum non erat, in cœna novissima, qua nocte tradebatur, ut dilectæ sponsæ suæ Ecclesiæ, visibile, sicut hominum natura exigit, relinqueret sacrificium, quo cruentum illud semel in cruce peragendum repræsentaretur, ejusque memoria in finem usque sæculi permaneret, atque illius salutaris virtus in remissionem eorum, quæ à nobis quotidie committuntur, peccatorum applicaretur, Sacerdotem secundùm ordinem Melchisedech se in æternum constitutum declarans, corpus & sanguinem suum sub speciebus panis & vini Deo Patri obtulit, ac sub earundem rerum symbolis, Apostolis, quos tunc novi Testamenti Sacerdotes constituebat, ut sumerent tradidit; & eisdem eorumque in sacerdotio successoribus, ut offerrent præcepit per hæc verba*, Hoc facite in meam commemorationem; *uti semper Catholica Ecclesia intellexit & docuit.*

Et rursus cap. 2. *Quoniam*, ait Concilium, *in divino sacrificio, quod in Missa peragitur, idem ille Christus continetur* (aures hic arrigat F. le Coutayer) *& incruentè immolatur, qui in ara crucis semel semetipsum cruentè obtulit; docet sancta Synodus, sacrificium istud verè propitiatorium esse, per ipsumque fieri, ut, si eum vero corde, & recta fide, cum metu & reverentia, contriti ac pœnitentes ad Deum accedamus, misericordiam consequamur; & gratiam inveniamus in auxilio opportuno. Hujus quippe oblatione placatus Dominus gratiam & donum pœnitentiæ concedens, crimina & peccata etiam ingentia dimittit.* Rationem statim profert Synodus. *Una enim*, pergit, *eademque est hostia; idem nunc offerens Sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in cruce obtulit, sola offerendi ratione diversa.*

Aurea profectò verba & sole ipso splendidiora, ad errorem Novatorum confodiendum, & in perpetuas tenebras amandandum. Quippe si Christus Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech corpus & sanguinem suum sub speciebus panis & vini Deo Patri obtulit, si

idem

idem ipſe natura & ſubſtantia Chriſtus in noſtro ſacrificio continetur, & incruentè immolatur, qui in ara crucis ſemetipſum modo cruento & ſanguineo obtulit; ſi una & eadem eſt utrobique hoſtia, unus & idem offerens, ſola offerendi ratione diverſa, quàm projectæ temeritatis & audaciæ eſt F. le Courayer, cùm ſcribit ſacrificium altaris eſſe dumtaxat nudam figuram, imaginem, repræſentationem, ac commemorationem ſacrificii crucis, atque ipſa etiam ſepolita & excluſa reali Chriſti præſentia, totam & eſſentialem ſacrificii Miſſæ ſubſtantiam in integro ſubſiſtere? T. 1. c. 4. p. 160. 161 & 162. &c.

Juſſit equidem Chriſtus ut in ſui commemorationem incruentum offerremus ſacrificium: at non dixit unquam, ſacrificium illud nudam ac meram eſſe ſacrificii crucis figuram & imaginem; nuſquam dixit, commemorationem præteriti ſacrificii crucis excludere rei præſentis, id eſt oblationis Chriſti incruentæ, veritatem ac ſubſtantiam. Chriſtus in altari præſens velut in ſtatu quodam mortis conſtitutus, ſpeciebus panis & vini totus obvolutus, verbis conſecrationis, quaſi myſtico ac ſpirituali gladio immolatur, quæ immolatio ſi ſubſtantiam Chriſti ſpectaveris, eadem eſt cum immolatione cruenta quæ in cruce peracta fuit, *una enim & eadem utrobique eſt hoſtia, idem & offerens, ſola offerendi ratione diverſa.* Concludite igitur mecum, dilect. Cand. & altiùs mentibus veſtris infigite, ſacrificium Miſſæ, tametſi commemorativum ac repræſentativum crucis, verum nihilominus eſſe, reale ac propriè dictum, quo fructus ſacrificii Chriſti nobis applicatur; ac conſequenter commemorationem illam quam perpetuò Novatores nobis opponunt, eſſe quidem motivum vel finem noſtri ſacrificii, non integram ejus naturam aut ſubſtantiam.

CANONES CONCILII TRIDENTINI

De ſacroſancto Euchariſtiæ Sacramento. Seſſione XIII.

CAn. 1. *Si quis negaverit, in ſanctiſſimæ Euchariſtiæ Sacramento contineri verè, realiter, & ſubſtantialiter corpus & ſanguinem unà cum anima & divinitate Domini noſtri Jeſu Chriſti, ac proinde totum Chriſtum; ſed dixerit tantummodò eſſe in eo, ut in ſigno, vel figura aut virtute; anathema ſit.*

Can. 2. *Si quis dixerit, in ſacroſancto Euchariſtiæ Sacramento remanere ſubſtantiam panis & vini, unàcum corpore & ſanguine Domini noſtri Jeſu Chriſti, negaveritque mirabilem illam & ſingularem converſionem totius ſubſtantiæ panis in corpus, & totius ſubſtantiæ vini in ſanguinem, manentibus dumtaxat ſpeciebus panis & vini; quam quidem converſionem Catholica Eccleſia aptiſſimè tranſubſtantiationem appellat; anathema ſit.*

Can. 3. *Si quis negaverit, in venerabili Sacramento Euchariſtiæ ſub utraque ſpecie, & ſub ſingulis cujuſque ſpeciei partibus, ſeparatione facta totum Chriſtum contineri; anathema ſit.*

Can. 4. *Si quis dixerit, peracta conſecratione, in admirabili Euchariſtiæ Sacramento non eſſe corpus & ſanguinem Domini noſtri Jeſu Chriſti, ſed tantùm in uſu, dum ſumitur, non autem ante vel poſt; & in Hoſtiis ſeu particulis conſecratis, quæ poſt communionem reſervantur vel ſuperſunt, non remanere corpus Domini, anathema ſit.*

Can. 5. *Si quis dixerit, vel præcipuum fructum ſanctiſſimæ Euchariſtiæ eſſe remiſſionem peccatorum, vel ex ea non alios effectus provenire; anathema ſit.*

Can. 6. *Si quis dixerit, in ſancto Euchariſtiæ Sacramento Chriſtum unigenitum Dei Filium non eſſe cultu latriæ, etiam externo, adorandum, atque ideo nec feſtiva peculiari celebritate venerandum, neque in Proceſſionibus, ſecundùm laudabilem & univerſalem Eccleſiæ ſanctæ ritum & conſuetudinem, ſolemniter circumgeſtandum, vel non publicè, ut adoretur, populo proponendum, & ejus adoratores eſſe idololatras; anathema ſit.*

Can. 7. *Si quis dixerit, non licere ſacram Euchariſtiam in Sacrario reſervari, ſeu ſtatim poſt conſecrationem aſtantibus neceſſariò diſtribuendam: aut non licere, ut illa ad infirmos honorifice deferatur, anathema ſit.*

Can. 8. *Si quis dixerit, Chriſtum in Euchariſtia exhibitum, ſpiritualiter tantum manducari, & non etiam ſacramentaliter ac realiter; anathema ſit.*

Can. 9. *Si quis negaverit, omnes & ſingulos Chriſti fideles utriuſque ſexus, cùm ad annos diſcretionis pervenerint, teneri ſingulis annis, ſaltem in Paſchate, ad communicandum juxta præceptum ſanctæ matris Eccleſiæ; anathema ſit.*

Can. 10. *Si quis dixerit, ſolam fidem eſſe ſufficientem præparationem ad ſumendum ſanctiſſimæ Euchariſtiæ Sacramentum, anathema ſit. Et ne tantum Sacramentum indignè, atque ideò in mortem & condemnationem ſumatur; ſtatuit atque declarat ipſa ſancta Synodus, illis quos conſcientia peccati mortalis gravat, quantumcumque etiam ſe contritos exiſtiment, habita copia Confeſſoris neceſſariò præmittendam eſſe Confeſſionem Sacramentalem. Si quis autem contrarium docere, prædicare vel pertinaciter aſſerere, ſeu etiam publicè diſputando defendere præſumpſerit, eo ipſo excommunicatus exiſtat.*

CANONES CONCILII TRIDENTINI

De communione sub utraque specie, & parvulorum. Sessione XXI.

CAn. 1. *Si quis dixerit, ex Dei præcepto, vel necessitate salutis, omnes & singulos Christi fideles utramque speciem sanctissimi Eucharistiæ Sacramenti sumere debere; anathema sit.*

Can. 2. *Si quis dixerit, sanctam Ecclesiam Catholicam non justis causis & rationibus adductam fuisse, ut laicos, atque etiam Clericos non conficientes, sub panis tantummodo specie communicaret, aut in eo errasse; anathema sit.*

Can. 3. *Si quis negaverit, totum & integrum Christum omnium gratiarum fontem & auctorem, sub una panis specie sumi, quia, ut quidam falsò asserunt, non secundùm ipsius Christi institutionem sub utraque specie sumatur; anathema sit.*

Can. 4. *Si quis dixerit, parvulis, antequam ad annos discretionis pervenerint, necessariam esse Eucharistiæ communionem; anathema sit.*

Duos verò articulos, aliàs propositos, nondum tamen excussos, videlicet, An rationes, quibus sancta Catholica Ecclesia adducta fuit, ut communicaret laicos, atque etiam non celebrantes Sacerdotes, sub una tantùm panis specie; ita sint retinendæ, ut nulla ratione Calicis usus cuiquam sit permittendus: &, An, si honestis & Christianæ charitatis consentaneis rationibus concedendus alicui, vel nationi, vel regno Calicis usus videatur, sub aliquibus conditionibus concedendus sit; & quænam sint illæ, eadem sancta Synodus, in aliud tempus, oblata sibi quamprimum occasione, examinandos, atque definiendos reservat.

CANONES CONCILII TRIDENTINI

De sacrificio Missæ. Sessione XXII.

CAn. I. *Si quis dixerit, in Missa non offerri Deo verum & proprium sacrificium, aut quòd non sit aliud, quàm nobis Christum ad manducandum dari; anathema sit.*

Can. II. Si *quis dixerit, illis verbis, Hoc facite in meam commemorationem, Christum non instituisse Apostolos Sacerdotes; aut non ordinasse, ut ipsi, aliique Sacerdotes offerrent corpus & sanguinem suum; anathema sit.*

Can. 3. Si *quis dixerit, Missæ sacrificium tantùm esse laudis, & gratiarum actionis, aut nudam commemorationem sacrificii in cruce peracti, non autem propitiatorium; vel soli prodesse sumenti; neque pro vivis, & defunctis, pro peccatis, pœnis, satisfactionibus, & aliis necessitatibus offerri debere; anathema sit.*

Can. 4. Si *quis dixerit, blasphemiam irrogari sanctissimo Christi sacrificio, in Cruce peracto, per Missæ sacrificium, aut illi per hoc derogari, anathema sit.*

Can. 5. *Si quis dixerit, imposturam esse, Missas celebrare in honorem Sanctorum, & pro illorum intercessione apud Deum obtinenda, sicut Ecclesia intendit; anathema sit.*

Can. 6. Si *quis dixerit, Canonem Missæ errores continere, ideoque abrogandum esse; anathema sit.*

Can. 7. Si *quis dixerit, ceremonias, vestes, & externa signa, quibus in Missarum celebratione Ecclesia Catholica utitur, irritabula impietatis esse magis, quam officia pietatis; anathema sit.*

Can. 8. Si *quis dixerit, Missas, in quibus solus* Sacerdos *sacramentaliter communicat, illicitas esse, ideòque abrogandas; anathema sit.*

Can. 9. Si *quis dixerit, Ecclesiæ Romanæ ritum, quo summissa voce pars Canonis, & verba consecrationis proferuntur, damnandum esse; aut lingua tantùm vulgari Missam celebrari debere, aut aquam non miscendam esse vino in calice offerendo, eo quòd sit contra Christi institutionem; anathema sit.*



PRÆLECTIO.

PRÆLECTIONES THEOLOGICÆ DE AUGUSTISSIMO EUCHARISTIÆ SACRAMENTO.



SANCTUS Thomas 3. parte à qu. 73. ad 83. omnem de Sacramento Eucharistiæ controversiam complexus est, quam ad istas Quæstiones revocamus.

Prima est de nominibus, figuris, ac definitione Eucharistiæ.

Secunda, de veritate & existentia Eucharistiæ, seu de vera, reali & substantiali præsentia corporis & sanguinis Christi in Eucharistia,

Tertia, de modo hujus præsentiæ, seu de transubstantiatione,

Quarta, de natura, materia, & forma Sacramenti Eucharistiæ.

Quinta, de causis Eucharistiæ,

Sexta, de necessitate Eucharistiæ,

Septima, de effectibus Eucharistiæ.

Octava, de Sacrificio Missæ,

Hanc verò octavam Quæstionem in multos distribuemus Articulos, quibus omnem de incruento Missæ sacrificio controversiam complectemur, nihil, ut speramus, omissuri ad plenam Candidatorum nostrorum, quod unum intendimus, instructionem ac informationem,

QUÆSTIO I.

De nominibus, figuris, ac definitione Eucharistiæ.

ARTICULUS I.

De variis nominibus Eucharistiæ.

PRo varietate rerum ac circumstantiarum quæ in celebratione ac dispensatione augustissimi hujus Sacramenti occurrunt, variis insignitur nominibus, quæ repetuntur, vel ab actione per quam conficitur; vel à materia in qua conficitur; vel à re quam continet; vel à tempore institutionis; vel à loco in quo celebratur; vel à suscipientibus; vel ab effectibus quos producit, & fine ad quem destinatur.

Inter illa autem varia nomina, quædam sunt in sacris Litteris expressa, quædam ex illis deducta: plurima Patrum religio ac pietas addidit, quæ Ecclesia usu suo consecravit. De his omnibus strictim hic agendum.

Ab actione per quam conficitur Eucharistia.

Dicitur 1, Εὐλογία. In usu autem ac phrasi scripturæ, εὐλογεῖν, *benedicere, seu* εὐλογία, *benedictio, &* Εὐχαριστεῖν, *gratias agere; seu* Εὐχαριστία. *gratiarum actio*, idem significant, ut videre est in multis Scripturæ locis.

Eulogia autem ista, seu benedictio, & gratiarum actio duo respicit, Deum scilicet, & symbola sacra: Deum directè ac primariò, tanquam fontem omnium bonorum, cui pro collatis beneficiis gratias agimus, & à quo nova semper postulamus; symbola sacra secundariò & quasi indirectè, quia effectum nostræ ad Deum orationis ipsis apprecamur, postulantes ut ea Deus sanctificet, immutet, & ab usu communi ad sacrum, divinum ac religiosum traducat, ea in corpus ac sanguinem suum convertendo; quo sensu dixit Apostolus 1. Cor. 10. v. 16. *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? Benedictio quippe*, inquit Estius in hunc locum, P. 501. col. 1. *est bona precatio, qua scilicet rei alicui vel personæ bene precamur. Quæ quidem benedictio, quatenus precatio, Deum respicit: ipsum tamen benedicendi verbum transit in rem, vel personam, quæ, vel cui benedicitur.* Hinc est quod Scriptores Ecclesiastici dicant, benedictione fieri seu confici corpus Christi: in ipsa autem benedictione includunt verba quibus consecrari solet Eucharistia, partem pro toto usurpando, sed de his inferius.

Illud autem discriminis esse inter benedictionem Dei & hominum observant Scriptores Ecclesiastici, quod Dei benedictio, sicut & ejus dictio, seu verbum & imperium, semper sit efficax, *Dixit, & facta sunt.* Ps. 32. v. 9. Benedictio vero hominum, cum in precibus sit posita, non semper effectum assequitur, exceptis tamen Sacramentis quorum forma in oratione posita est: tunc enim oratio id certo efficit, quod significat. Christus autem in conficienda Eucharistia usus est benedictione supra panem & vinum, tum quia solebat eam præmittere, cum maxima edere vellet miracula, ut in multiplicatione quinque panum &c. maximum autem editurus erat in Eucharistiæ Sacramento, convertendo scilicet panem & vinum in proprium corpus & sanguinem suum. Tum quia moris erat apud Judæos, cum cibum capere vellent, precationem ante recitare morem hunc retinuere Christiani. Tum qui solebant iidē Judæi convivium illud in quo edebatur agnus paschalis, poculo claudere quod dicebatur ποτήριον εὐλογίας, *poculum benedictionis*; vel, ut loquitur S. Paulus, ποτήριον εὐχαριστίας, *poculum laudis*: quo respexit Syrus interpres, cum verba Apostoli ita vertit, *poculum laudationis*.

Aliquando verum *benedicere* accomodatur iis rebus quæ sanctificantur ad usus humanos. Sic S Paulus 1. ad Timoth. 4. v. 4. ait: *Omnis creatura Dei bona est, & nihil rejiciendum quod cum gratiarum actione per-*

percipitur; sanctificatur enim per verbum Dei & orationem.

Eusеb. p. 193. Tom. 2. Conc. p. 1247. B. Tom. 1. Conc. p. 1511. A. Tom. 3. Conc. p. 404. A. Tom. 4. p. 862. & 863.

Eulogiæ vocantur à Scriptoribus Ecclesiasticis illæ consecratæ Eucharistiæ partes, quæ in signum mutuæ communionis ac charitatis ad absentes Episcopos & Presbyteros per Parochias mitti olim solebant. Morem hunc autem à Melchiade S. Pontifice inductum fuisse, narrat in ejus vita Damasus: eum indigitat S. Irenæus apud Eusebium Lib. 5. Hist. cap. 24. Innoc. I. Epistola ad Decentium, & Synodus Laodicena, quæ illum in Oriente abrogat. *Sancta*, inquit Can. 14. *nullo modo, causa Eulogiarum tempore paschalis festi, ad alias Parochias debent destinari.* Concilium quoque Alexandrinum relatum parte prima Concilii generalis Ephesini, Eucharistiæ partes vocat *mysticas benedictiones*, græcè εὐλογίας. Ita quoque S. Cyrillus Alexandrinus Lib. 10. in Joannem.

Tom. 1. Conc. p. 496. B. Tom. 9. Conc. p. 470.

Vocarunt etiam *Eulogias*, superstites ex Fidelium oblatione partes panis, quas Sacerdos singulari benedictione sanctificabat, & expletis Sacris iis distribuebat, loco Eucharistiæ, qui ob aliquod impedimentum ad sacram mensam accedere non poterant, & ad absentes quoque in signum communionis mittebat. Talium Eulogiarum mentionem faciunt Clemens Romanus, aut quisquis auctor est Constitutionum Apostolicarum Lib. 8. cap. 31. S. Dionysius cap. 3. Hierarchiæ; Concilium Laodicenum citatum Can. 49. Concilium Namnetense Can. 9. Theophilus Alexandrinus Can. 7. Græci vocant, *antidora*, quia dantur loco doni, seu Eucharistiæ, cujus vices utcumque supplebant. Illis autem dumtaxat distribui poterat panis ille benedictus, qui jus habebant ad communionem; cæteris negabatur, quibus vel nondum patebat aditus ad Eucharistiam, vel ob aliquod crimen interclusus erat, quales erant Catechumeni, pœnitentes, & abstenti à communione. Ita expressè mandat Theophilus Alexandrinus Can. 7. Catechumenis revera aliqua Eulogia concedebatur, ut colligimus ex S. Augustino L. 2. de peccatorum meritis & remissione cap. 26. *Quod* To. 10. p. 62. E. F. *accipiunt*, inquit, *quamvis non sit corpus Christi, sanctum est tamen, & sanctius quàm cibi quibus alimur, quoniam Sacramentum est* [laxiori scilicet sensu.] Verum incertum planè est, quidnam illud fuerit, an panis benedictus, an tantùm sal quod Catechumenis dari solebat, ut ex eodem S. Augustino Lib. 1. Confess. cap. 11. & Concilio III. Carthaginensi Can. 5. colligimus, an utrumque simul.

Illarum Eulogiarum aliæ erant publicæ, quæ in publicum communionis signum à ministris publicis deferebantur; aliæ privatæ, quas amici ad se mutuò mittebant, de quibus loquitur S. Augustinus Epistola 31. Tom. 1. p. 38. C. aliàs 34. ad Paulinum.

Dicitur 2. Usitato ac communi nomine, *Eucharistia*, cujus nominis usus perantiquus est in Ecclesia, & in SS. Ignatio Epistola ad Philadelphios, Justino Apolog. 2. Irenæo L. 4. c. 34 Cypriano Epistolis 10. & 11. Cyrillo Hierosolymitano Catechesi prima mystagogica, Origene L. 8. contra Celsum, Concilio Nicæno I. Generali Can. 13. S. Augustino, & in aliis benè multis legitur.

Duo significat, nempè gratiarum actionem, & bonam gratiam: uterque sensus & græco vocabulo, & Sacramento nostro maximè accomodatus est.

I. Eucharistiæ Sacramentum rectè dicitur *gratiarum actio*, tùm quia in ejus institutione Christus gratias egit. 1. Cor. 11. v. 24. *Et gratias agens fregit & dixit, Accipite &c.* Tum quia ad gratias Deo pro universis ab eo acceptis beneficiis referendas, nihil hoc Sacramento ipsi acceptius, nihil opportunius. *Propterea*, inquit S. Chrysostomus Hom. 26 in caput 8. S. Matthæi, *reverenda ac salutaria illa mysteria, quæ in omni certè Ecclesiæ congregatione celebramus, Eucharistia (id est gratiarum actio) nuncupantur. Sunt enim* Ed. Commel. pa. 259. B. *beneficiorum recordatio plurimorum, caputque ipsum divinæ erga nos charitatis ostendunt, nosque faciunt debitas Deo gratias semper exolvere.*

II. Appositè dicitur, *bona gratia*: tum quia dignè accedentibus novam & ubetiorem gratiam infundit; tùm quia gratiarum omnium fontem, Christum continet; tùm denique, quia ad vitam æternam promovet, de qua dicitur Rom. 6. v. 23. *Gratia Dei, vita æterna.*

Dicitur 3. à Græcis, λειτουργία, *Liturgia*; ab ea scilicet Officii Ecclesiastici parte quæ Liturgia dicitur, in qua consecratur Eucharistia. Liturgia quippe generatim significat Officium publicum, sive sacrum, sive prophanum: in usu autem Ecclesiastico, usurpatur tantùm ad significandum quodcumque Officium publicum pietatis; quo sensu Rom. 15. v. 27. & 2. Corinth. 9. v. 12. ministerium quod erga pauperes exercetur, per λειτουργίας exprimitur: sed propriè usurpatur ad significandum ministerium sacrum in rebus seu mysteriis divinis celebrandis; quo sensu Hebr. 10. v. 11. Sacerdotes veteris Testamenti dicuntur λειτουργεῖν, *ministrare*. Et c. 8. v. 2. Christus dicitur, λειτουργὸς τῶν ἁγίων, *minister sanctorum*. Hinc λειτουργίαι apud Veteres dictæ sunt descriptiones quædam ordinis servandi in Sacris celebrandis. Strictè verò ac maximè propriè vox λειτουργία significat eam Officii divini partem in qua Sacramentum Eucharistiæ celebratur; unde Justinianus describens Liturgiam, duas ejus partes recenset, nempè recitationem sanctæ Cœnæ, & communionem. Apud Græcos idem significant *Mystagogia, Synaxis, Telete, Anaphora, Prosphora, Oeconomia*, id est, secreta actio, unio, seu collectio, perfectio, elevatio, oblatio, administratio, de quibus nominibus lege Cardinalem Bona, rerum Liturgicarum Lib. 1. cap. 3.

Dicitur 4. ob eamdem causam, nempè actionem per quam conficitur Eucharistia, à Latinis, *Missa, Sacrificium, Oblatio, Communio, Fractio panis, Collecta*, de quibus lege eundem, eodem Lib. cap. eodem.

Cùm vero in celebranda Missa plures essent actiones, ac plures ad Deum orationes funderentur, nec Catechumenis ac pœnitentibus fas esset integræ sacrificii incruenti celebrationi interesse, sed post quasdam Orationes ante consecrationem solerent à Diaconis foras expelli, hinc ea pars Missæ cui interesse illis permittebatur, dicta est Missa Catechumenorum, Missa pœnitentium: sed de his fusiùs Theologi, ubi de sacrificio Missæ disserunt.

A materia ex qua conficitur Eucharistia.

Dicitur 1. *panis* 1. Corinth. 10. v. 16. *Panis quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est?* Joan. 6. v. 52. *Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.* Et v. 48. *Ego sum panis vitæ.*

Dicitur 2. *panis cœlestis* à S. Augustino Epistola 120. ad Honoratum; *panis mysticus*, L. 20. contra Faustum Manichæum cap. 13. *panis Dominicus*, Tract. 39. in Joan. *panis Christi*, Tract. 6. in Joan. *panis animæ supersubstantialis*, Serm. 185. de tempore, nunc 182. in Append. *panis quotidianus*, Epistola 130. aliàs 121. ad Probam; *panis Angelorum*, ab Ecclesia in Officio corporis Christi; *panis sanctus vitæ æternæ, calix salutis perpetuæ*, ab Ecclesia in Canone Missæ &c.

Varias hujusce appellationis rationes profert Lanfrancus Lib. de Sacramento Eucharistiæ c. 20. *Corpus*, Biblior. PP. To. 18. pag. 775. C. inquit, *Christi vocatur panis, vel quia ex pane conficitur; seu quia contuentium oculis, cùm caro sit, panis videatur, sive quod corporali & visibili panis similitudine quadam conjungitur. Nam sicut iste materialis panis discretè sumptus humanam carnem nutrit & sustentat, sic spiritale & invisibile corpus Christi animam dignè sumentis alit & vegetat.*

Eadem

Eadem de causa, nempe à materia Eucharistia dicitur, *alimonia, convivium, cœna*, nempè ob analogiam quam habet Eucharistia cum convivio corporali ac nommuni.

Dicitur 3. à Græcis τὰ δῶρα, τὰ ἅγια δῶρα, *dona, sancta dona*, vel quia Eucharistia solebat olim confici ex iis donis seu oblationibus panis & vini, quas Fideles ad sacram communionem & in usum Eucharistiæ afferebant; vel quia cætera dona Christi dignitate ac præstantia superat.

A re quæ continetur in Eucharistia.

Dicitur *corpus Christi*, Matth. 26, *corpus Domini*, à Tertulliano L. de Oratione cap. ultimo; *Sacramentum corporis & sanguinis Christi*, à Theodoreto Dialogo 3. *celebratio corporis & sanguinis Christi*, à S. Augustino L. de Doctrina Christiana c. 9.

Atque ex hac radice exurgit ineffabilis hujus Sacramenti dignitas, qua factum est, ut quemadmodum olim apud Judæos locus Templi secretior & maximè venerabilis dictus fuit *Sancta Sanctorum*, ita Sacramentum Eucharistiæ, quod apud Christianos summam inter omnia mysteria venerationem meretur, dictum fuerit, *Sacramentum sacramentorum, Mysterium mysteriorum, perfectio perfectionum, Sanctum Domini*, atque etiam, *Sancta Sanctorum, Sacramentorum omnium consummatio.* Dionysius Alexandrinus Epistola Canonica Can. 2. Cyprianus Tract. de lapsis; Hesichius L. 2. in Leviticum. Hinc & volgò dicitur, *sanctum, augustissimum Sacramentum*; imò per antonomasiam simpliciter & absolutè *Sacramentum*, quasi nempe cætera ejus comparatione ad Sacramenti dignitatem non accederent. Hinc interdum plurali numero dicitur, *Mysteria*, quia infinita penè mysteria in se continet: quæ de re legi potest S. Ambr. L. de Sacramentis c. 3. & L. 5. c. 2. & 3. Quin & multa atque eximia epitheta accumulant SS. Patres; appellant enim, *sancta & impolluta mysteria, divina, admirabilia, vivifica, perfectiva, terribilia, arcana, & abscondita.* Hinc aliquando designatur Eucharistia per istas tantùm voces, *norunt Fideles*, quia nempè solis Fidelibus abscondita hujus sacramenti arcana veritas exponebatur, quam sub obscuris verbis involvebant divini Concionatores, cùm ad plebem verba faciebant, ne fortè ab impiis & infidelibus irrideretur.

A tempore institutionis.

Dicitur 1. *Cœna Dominica*: tum quia à Christo vespere in cœna fuit primum instituta & celebrata Eucharistia; tùm quia est commemoratio postremæ Cœnæ Domini; tum quia accedentes ad hoc Sacramentum, corpore & sanguine Domini reficiuntur. Hinc nonnullarum Ecclesiarum nata consuetudo, Eucharistiam sero post cœnam celebrandi, de qua lege S. Augustinum Epistola ad Januarium 54. aliàs 118. Prævaluit tamen antiquus Ecclesiæ usus, de illa ante omnem cibum & à jejunis percipienda.

Novatores *Cœnæ* præsertim nomine abutuntur, ut probent 1. nonnisi pluribus simul discumbentibus & participantibus celebrari posse ac debere Eucharistiam. 2. eam non esse ad ægrotos deferendam, 3. à quibuslibet etiam non jejunis licitè percipi posse. Inde nonnulli Catholici, ut Genebrardus in Liturgia Apostolica cap. 8. Sanctesius Repetitione 6. cap. 1. Vasques in 3. partem quæst. 73. art. 4. nomen istud rejiciendum putarunt; ne, inquit Vasques, communia sint vocabula cum Hæreticis. Negant quoque hunc Apostoli locum 1. Cor. 11. v. 20. *Convenientibus vobis in unum, jam non est Dominicam Cœnam manducare*, quo testimonio præcipuè gloriantur Hæretici, negant, inquam, de Eucharistia intelligi debere. Nonnulli etiam, ut Maldonatus in caput 26. S. Matth. negant *Cœnæ* nomen a veteribus SS. Patribus usurpatum ad designandam Eucharistiam.

Verùm neutris assentiri possumus. Non primis, quia etsi multis orthodoxis terminis abutantur Hæretici, non idcircò tamen illi ab usu Ecclesiastico removendi sunt; non postremis, quia *Cœnæ* nomen usurpatum legimus ad Eucharistiam designandam, à Tertulliano L. de Spectaculis c. 13. S. Gregorio Nysseno Orat. 2. de Resurrectione Christi; S. Chrysostomo Hom. 24. in priorem ad corinthios; S. Hieronymo in caput 11. 1. ad corinth. S. Augustino, de Sermone Domini in monte L. 2. & Epistola 54. aliàs 118. S. Basilio de Regulis brevioribus, Regula 310. Usum hunc Patribus familiarem fuisse agnoscit catechismus Romanus parte 2. de Eucharistiæ Sacramento n. 5. *Vetustissimi Patres*, inquit, *auctoritatem Apostoli secuti, Cœnæ etiam nomine sacram Eucharistiam interdum vocarunt, quod in illa novissima Cœna salutare mysterio à Christo Domino sit instituta.*

Dicitur 2. *Pascha*; tum quia christus tempore Paschatis Eucharistiam instituit, tum quia continet christum qui est Pascha nostrum. 1. Cor. 5. v. 7.

Dicitur 3. *novi Testamenti Sacramentum*, per excellentiam; quæ appellatio desumpta est ex verbis christi Lucæ 22. & 1. Cor. 11. v. 25. quatenus scilicet Testamenti nomine intelligitur dispositio qua christus moriturus postrema sua voluntate bona sua hæredibus relinquit, suoque Testamento nobis suum in Eucharistia corpus legavit.

A loco institutionis.

Dicitur 1. *Mensa Domini*, 1. Cor. 10. v. 21. *Non potestis mensæ Domini participes fieri, & mensæ dæmoniorum.* Sic autem nuncupatur, quia christus mensæ recumbens cum Apostolis, Sacramentum hoc instituit.

Græci duplicem mensam habent in celebratione Eucharistiæ, unam quam appellant *prothesim, seu, propositionis, in qua*, inquit Goarius in suis ad Euchologium Græcorum seu Rituale notis, *sacra dona primò immolanda proponuntur: & priusquam in altari consecranda deponantur, primam hic sanctificationem precibus Sacerdotis, & sacro ritu circa ea peracto, assumunt.* Alteram vocant, *Apothesim*, seu, *mensam depositionis*, In qua scilicet sacra dona deponuntur & consecrantur. P. 8uc. cola.

Dicitur 2. ob eandem causam, *Sacramentum altaris*, à S. Augustino Epistola 185. aliàs 50. & aliis passim, quia nempe in altari consecratur, & offertur in sacrificium.

Immeritò igitur Novatores citato Apostoli loco 1. corinth. 10. abutentes, contendunt Apostolos non altari, sed mensa usos fuisse; per mensam enim altare intelligit Apostolus, interprete Conc. Trid. Sess. 22. c. 1. Et certè id postulat ejus contextus: agit enim de immolatitiis; immolatio autem fieri solebat in altari. Præterea vocat eo loci Apostolus *mensam Domini*, sicut *mensam dæmoniorum*; at certum est idololatras altaribus usos fuisse.

Dicitur 3. ἀγάπη, *agape*; id est, *dilectio*. Agapæ verò erant convivia fraterna, Ecclesiastici conventus, quorum finis erat vel generalis, ut per illa foveretur inter christianos mutua dilectio, quod nomen ipsum ostendit; vel specialis, ut pauperes isto refrigerio juvarentur. Quia verò conjungebatur cum iis celebratio Eucharistiæ, ideo nomen *Agapæ* Eucharistiæ datum, præsertim cùm illa summæ Dei in nos dilectionis eximium sit argumentum, & mutuæ atque fraternæ inter Christianos charitatis symbolum. Aliquando convivia illa Christianorum præcedebant ipsam Eucharistiæ celebrationem, ut colligitur ex

S. Paulo

S. Paulo 1. ad Cor. c. 11. v. 20. ubi capit abusum Corinthiorum: aliquando & frequentius sequebantur illam, cum lex esset universæ Ecclesiæ, ut Eucharistia ante omnem cibum à jejunis sumeretur: postea tandem propter varios abusus sublata sunt & abrogata ejusmodi publica in Ecclesiis convivia, ut colligimus ex Can. 28. Concilii Laodiceni. Tom. 1. Conc. p. 1511.

A suscipientibus.

Dicitur 1. à Græcis *σύναξις*, *sinaxis*; id est, *collectio*, *congregatio*, *adunatio*. Tùm quia simul convenire ac in unum congregari solebant Christiani, ut sacræ mensæ participes fierent. Ita colligimus ex S. Justino Apol. 2. ex Tertull. Lib. de fuga in persecutione cap. 14. ex Conc. Carthagin. II. Can. 3. cui concinit illud Apostoli 1. Cor. 11. v. 20. *Convenientibus ergo vobis in unum, jam non est Dominicam cœnam manducare.* Tùm maximè quia per illam participationem Fideles cum Christo ac inter se, tanquam ejusdem corporis membra, communi charitatis vinculo colligabantur. *Quoniam*, inquit Apostolus 1. Cor. 10. v. 17. *unus panis, unum corpus multi sumus, omnes qui de uno pane participamus.* Unde meritò S. Augustinus Tract. 26. in Joan. exclamat, *O Sacramentum pietatis! ô signum veritatis! ô vinculum charitatis!* To. 3. p. 2. p. 449. E.

Eandem ob causam, à Latinis

Dicitur 2. *Collecta*, quia colligitur in unum populus, ut Sacrificio intersit. Veteres aliquando *collectæ* nomine pro quovis solemni conventu significando utebantur.

Dicitur 3. *Communio*, quod nomen à Veteribus usurpatur, tùm pro jure societatis, commercii, atque consortii Fidelium in iisdem Ecclesiæ conventibus, precibus & officiis sacris; tum maximè pro jure participandæ Eucharistiæ, quæ *communio appellatur*, inquit S. Joan. Damascenus L. 4. de fide orthodoxa cap. 13. alias 14. Tom. 1. p. 273. B. *& revera est, quia per eam Christo communicamus, ejusque carnem ac divinitatem percipimus, quia etiam alii aliis communicamus ac copulamur. Nam quia ex uno pane participamus, omnes unum Christi corpus, & unus sanguis, aliique aliorum membra efficimur, dum unius corporis sumus.* Atque hinc factum, ut qui ab Eucharistiæ perceptione ob crimen prohibebantur, excommunicati dicerentur.

Triplex generatim in veteribus monumentis occurrit communionis species, Ecclesiasticæ, scilicet, laicæ, & peregrinæ. Litigant Eruditi, quid his vocibus designare mens Veteribus fuerit; an sola cum Fidelibus societas atque commercium; an Eucharistiæ participatio: neque minor est dissensio, ut assignent rationem discriminis inter illas varias communionis species; in quo v. gr. posita foret communio laica, ad quam Clerici in pœnam criminum remitti sæpius legimus, & in quo diversa foret à communione Ecclesiastica.

Generatim communio Ecclesiastica ea dicitur, quæ Clericis & Ecclesiæ ministris propria erat; sicut laica, quæ laicis; & peregrina, quæ viatoribus ac peregrinis Clericis, non habentibus Episcopi sui Litteras commendatitias.

Missa verò eorum opinione qui asserunt, communionem laicam ab Ecclesiastica in eo distinctam fuisse, quòd Clerici utramque sumerent speciem Eucharisticam, aut secum domum asportarent, Laici verò nonnisi unam vel sumerent, vel secum deferrent; adeoque Clericos ad communionem laicam dejectos ac damnatos, in eo maximè punitos fuisse, quòd unam tantùm cum Laicis speciem sumerent: missa, inquam, hac opinione, quæ nullum habet in antiquitate fundamentum, tum quòd, quibus temporibus leguntur Clerici ad communionem laicam redacti, utraque species omnibus Fidelibus laicis porrigebatur; tum quod non legimus communionem sub unica specie punitionis ac vindictæ loco impositam unquam fuisse.

Probabilior longè est opinio Illustrissimi Albaspinæi Lib. 1. Observationum c. 4. Clericorum nimirum lapsos communione laica puniri, nihil esse aliud quàm eos clericali munere quo fungebantur, & iis officiis, quæ muneris erant, abdicatos, omnique honoris & ministerii gradu dejectos, & Laicorum statum atque conditionem dejici ac devolvi; adeoque eos non amplius ut Clericos, sed ut merè Laicos sacris conventibus, precibus, interfuisse, ac Eucharistiæ participes factos esse, ea ipsa ratione qua solebant Laici. De illa Clericorum ad communionem laicam dejectione loquitur S. Cyprianus Epistolis 52. & 68. Si quæras verò quid foret discriminis inter modum quo Clerici, & quo Laici ad sacram mensam admittebantur, respondebo discrimen fuisse maximè quoad locum ad ornatum. Clerici enim intra cancellos & septa altaris, mensæ sacræ fiebant participes, ut colligimus ex Concilio Toletano IV. cap. 8. & Orario induti debebant Sacramentum corporis Christi percipere. Ita statuit Concilium Bracarense IV. cap. 4. Lege Goarium in Notis ad Missam S. Chrysostomi, ubi discrimen illud affert & exponit.

Dicitur 4. *Sacramentum Fidelium*: tum quia solis Fidelibus dispensatur; tum quia diligenter cavebant Veteres, ne dum Sacramenti hujus fidem exponebant, alii, quàm Fideles, adessent. Ita S. Augustinus Epistola 140. alias 120. cap. 24. & Epistola 130. alias 121. cap. 11.

Dicitur 5. *fractio panis*, tum quia Christus cum Eucharistiam instituit, panem fregit, ac Discipulis distribuit; tum quia Apostoli Act. 2. vers. 42. dicuntur perseverasse in *communicatione fractionis panis*; tum denique, quia frangere panem idem est ac distribuere; frangi enim priùs ac dividi solebat eadem hostia seu panis consecratus, ut multis distribueretur. Dicitur autem panis frangi potius quàm scindi, quia Hebræi placentulis utebantur; quæ frangi potius quàm scindebantur. Fiebat autem ea panis fractio, primùm quidem à Presbyteris, deinde verò à Fidelibus Eucharistia inter manus aliquando data est, ut eam vel in ipso cœtu, vel etiam in privatis domibus distribuerent inter se: atque propter hanc fractionem & specierum divisionem factum est ut corpus Christi, quod totum & integrum est sub qualibet parte, nonnunquam à SS. Patribus appelletur *pars*. Hoc sensu loqui videtur S. Augustinus Serm. 131. aliàs 2. de verbis Apostoli.

Denique ab effectibus.

Dicitur 1. *Gratia*, *Sacramentum gratiæ*, *gratia salutaris*, à Cypriano Tract. de lapsis; Cyrillo Hierosolymitano Catechesi IV. mystagogica, Augustino Tractato 27. in Joannem. Tùm quia altum sanctissimam gratiam confert Eucharistia; tùm quia Christum fontem totius gratiæ continet; tùm quia procedit ex affectu perfectissimæ charitatis Christi in nos.

Dicitur 2. *Eucharistia*, *communio*, *pax*, *charitas &c.*

Dicitur 3. *Viaticum*. Veteres non rarò Sacramenta vocant *viatica*, quasi dicas, viæ subsidia: namque hæc vita, stylo Scripturæ, via quædam est. Ita Baptismum *viaticum* appellat S. Basilius Homil. in sanctum Baptisma, & S. Gregor. Nazianz. in Oratione ejusdem argumenti. Ita quoque in veteribus Canonibus ablutio sacramentalis quæ moribundis dabatur, *viaticum* appellatur. Sed nomen istud Eucharistiæ, inter cætera, maximè accommodatum est, eique datum à Patribus Tom. 1. Nicænis an. 325. Can. 13. & à Concilio Carthaginensi Conc. p. IV. an. 398. Can. 77. & 78. Rationem reddit S. Tho- 35. C. Ibid. p. mas 3. p. q. 73. art. 4. *Quia*, inquit, *hoc Sacramen-* 1106. D.

tum

tum præfigurativum est fruitionis Dei, quæ erit in patria: & secundum hoc dicitur viaticum, quia hic præbet nobis viam illuc perveniendi.

Dicitur denique, *Metalepsis*, à S. Justino, Apolog. 2. à S. Damasceno L. 4. de fide cap. 14. sive intelligatur per hoc verbum, cum S. Thoma, *assumptio*; & hoc sensu significat nos assumi per Eucharistiam ad unionem cum Christo: sive intelligatur *participatio*, ut vertit doctissimus Billius ad citatum S. Damasceni textum; hoc sensu significat nos fieri divinitatis participes: sive intelligatur *transmutatio*, & congruit etiam Eucharistiæ, tum ob transmutationem seu transsubstantiationem panis & vini in corpus & sanguinem Christi; tum ob eorum, qui eam recipiunt, in Christum spiritualem transformationem.

ARTICULUS II.

De variis Eucharistiæ figuris.

Immeritò Lutherus Lib. de abroganda Missa, irridet diligentiam ac pietatem Angelici Doctoris aliorumque Theologorum, in enumerandis & exponendis variis figuris quibus in veteri Lege adumbrata fuit Eucharistia; atque virulentissimis scommatibus insanit in Officium corporis Christi à S. illo Doctore tam piè ac eruditè elaboratum, & ab Urbano IV. an. 1261. approbatum, quòd præsertim in eo plures enumeret Eucharistiæ figuras. Namque

I. Totum vetus Testamentum figura fuit novi: *Omnia enim illis in figura contingebant*, inquit S. Paulus 1. Corinth. 10. v. 11.

II. In novo Testamento, Eucharistiæ tanquam veritati nonnulla accommodantur, quæ præcesserant in veteri, tanquam figuræ & umbræ. Sic 1. ad Corinth. 5. v. 7. Christus appellatur *Pascha nostrum*. Et c. 10. v. 1. dicitur: *Patres nostri omnes sub nube fuerunt .... omnes eandem escam spiritualem manducaverunt.*

III. Conc. Trid. Sess. 22. cap. 1. sub finem, lo-
Tom. 14. Conc. p. 854. B. C. quens de sacrificio Eucharistiæ, ait *illud per varias sacrificiorum naturæ & Legis tempore similitudines figuratum fuisse, ut pote cum bona omnia per illa significata, velut illorum omnium consummatio atque perfectio complectatur.*

IV. Quæ præstantissima sunt, & ad credendum difficilia, variis figuris adumbrari prius debuere, ut ad eorum fidem paulatim homines præpararentur ac disponerentur, ut veritati faciliùs ac promptiùs acquiescerent.

V. Denique ex figuris Eucharistiæ non leve ducitur argumentum pro præsentia reali corporis Christi; siquidem, ut ait S. Hieronymus in caput 1. ad Titum, *tan-*
To. 4. P. 1. p. 418. *tum interest inter panes propositionis & corpus Christi, quantùm inter umbram & corpus, inter imaginem & veritatem, inter exemplaria futurorum, & ea ipsa quæ per exemplaria figurabantur.*

Quæres igitur 1. quænam fuerint in veteri Lege figuræ Eucharistiæ.

Resp. Omnes illas figuras in quatuor classes meritò distribuit à S. Thoma hic qu. 73. art. 6. in corpore.

Ratio est, quia cùm tria sint quæ considerari possunt in Sacramento Eucharistiæ, nempe 1. id quod est Sacramentum tantùm, panis scilicet & vinum, sive illorum species. 2. id quod est res Sacramenti & Sacramentum simul, scilicet verum Christi corpus sub speciebus contentum. 3. id quod est res tantum, sive effectus hujus Sacramenti; atque hæc tria duobus modis spectari possint, vel singula seorsim ac distributivè, vel omnia simul & collectivè, hinc fit ut omnes figuræ Eucharistiæ revocentur ad quatuor capita, earum scilicet quæ petuntur ex parte panis & vini; earum quæ petuntur ex corpore & sanguine Christi; earum quæ petuntur ex effectu Eucharistiæ; & earum quæ petuntur ex istis omnibus simul spectatis.

Quæres 2. quænam fuerint figuræ Eucharistiæ ex parte panis & vini.

Resp. I. figuratam fuisse Eucharistiam per oblationem Melchisedech, qui Gen. 14. v. 18. legitur obtulisse panem & vinum, cùm esset Sacerdos Dei altissimi. Ita docent SS. Patres Chrysostomus Hom. 25. in Gen. Ambrosius L. 4. de Sacramentis c. 3. Hieronymus in cap. 26. S. Matthæi.

II. Per panes propositionis, qui solùm ab hominibus mundis & sanctificatis comedi poterant, ut legimus L. 1. Regum c. 21. Ita S. Hieronymus in caput 1. Epistolæ ad Titum, & S. Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi 4.

III. Per panes primitiarum, de quibus Levitici 23. P. 249. n. 5.
v. 10. ad quæ alludens S. Irenæus L. 4. c. 17. aliàs 32. Eucharistiam appellat panem primitiarum in novo Testamento.

IV. Per panem subcinericium quem Elias L. 3 Regum cap. 19. v. 8. manducavit, & in cujus fortitudine ambulavit per 40. dies usque ad montem Dei Horeb. Christus quippe est panis vivus è cœlo delapsus, sub cinere nostræ mortalitatis afflictionis igne coctus, in cujus fortitudine ad Dei montem, id est, cœlestem patriam pervenimus.

Quæres 3. quænam fuerint figuræ Eucharistiæ ex parte corporis & sanguinis Christi.

Resp 1. quantùm ad ipsum corpus, figuratam fuisse Eucharistiam per omnia sacrificia veteris Legis, sed præsertim per sacrificium *expiationis*, quod in Lege mosaica erat omnium maximè solemne, in quo immolabantur duo arietes in holocaustum, vitulus pro peccato Sacerdotis, & hircus pro peccato populi, ut constat ex cap. 16. Levitici. Ita Tertullianus Lib. 1. contra Judæos cap. 9. S. Augustinus Lib. 17. de Civitate Dei cap. 20. S. Leo Serm. 8. de Passione Domini. 2. quantùm ad ipsum Christi sanguinem, figurata fuit Eucharistia per *sanguinem testamenti*, de quo agitur Exodi 24. unde in instituenda Eucharistia Christus iisdem fermè verbis usus est, quibus Moyses in dedicatione veteris Testamenti, & suam Legem tunc proposuit, sicut & proposuerat Moyses. Ita Tertullianus Lib. 4. contra Marcionem cap. 40.

Neque est quòd dicant Novatores, figuras illas impletas fuisse in Passione Christi. Namque sicut unum & idem mysterium pluribus figuris potest adumbrari, ita quoque nihil vetat unam & eandem figuram ad plura mysteria secundum diversas considerationes referri. Adde quòd omnes testamenti conditiones conspirant in cœnam, nullæ in crucem. 1. enim qui testatur, vivere debet usque ad obsignatum testamentum. 2. sui juris esse debet. 3. aliqua promittit & relinquit, ac nominatim personas exprimere solet. 4. testes adhibet, ac distinctè testamentum se condere affirmat: quæ omnia egregiè conveniunt Christo Eucharistiam instituenti, non in cruce patienti.

Quæres 4. quænam fuerint figuræ Eucharistiæ, ex parte effectus.

Resp. Figuratam fuisse 1. per lignum vitæ quod plantaverat Deus in paradiso, quasi pharmacum immortalitatis. 2. per manna quod datum est Hebræis in deserto; hancque figuram disertè afferunt post Apostolum 1. Corinth. 10. SS. Patres: inter alios, sanctus Chrysostomus in cap. 6. S. Joannis, & S. Ambrosius L. 3. de Sacramentis cap. 1. Et sanè tanta est similitudo inter manna & Eucharistiam, ut res ipsa clamet illud hujus typum ac figuram fuisse, ut intelligere quisquis poterit, si attendat ad originem mannæ, ejusque suavitatem &c.

Quæres denique, quænam fuerint figuræ Eucharistiæ, quantùm ad hæc omnia simul spectata, nempè

panem, vinum, & corpus ac sanguinem Christi, ac effectum sanctificantis gratiæ.

Resp. Figuratam fuisse per agnum paschalem. Ita docent SS. Patres, S. Hieronymus in caput 26. S. Matth. S. Chrysostomus Hom. de perditione Judæ. S. Augustinus L. 2. contra litteras Petiliani cap. 37. S. Leo serm. 7. de Passione Domini, ubi observat, ideo post manducatum agnum paschalem institutam fuisse Eucharistiam, ut significaretur antiquam observationem novo Sacramento fuisse adimpletam atque sublatam.

Porro cùm in ritu agni paschalis tria sint præcipuè observanda: 1. ipsemet agnus, 2. sanguis ejus quo linebantur superliminaria postium, 3. panis azymus cum quo manducari deberet, his tribus aptè designantur tria illa de quibus agitur, & quæ potissimum elucent in Sacramento altaris. Namque 1. agnus ille significabat Christum, non tantùm ut hostiam, sed etiam ut cibum; quia necesse erat agnum illum non tantum immolari, sed etiam manducari. 2. ille agni sanguis denotabat effectum redemptionis Christi applicatæ nobis per istud Sacramentum, quo scilicet à devastante Angelo, & durissima servitute peccati, sicut olim Hebræi à jugo servitutis Ægyptiacæ, liberamur. 3. denique, panis azymus optimè repræsentat materiam nostri Sacramenti; atque eam ob causam sanctus Thomas hic articulo sexto, docet agnum paschalem omnium præstantissimam fuisse Eucharistiæ figuram.

ARTICULUS III.

Definitio Sacramenti Eucharistiæ.

EUcharistia rectè definitur: Sacramentum novæ Legis à christo Domino institutum, ad cœlestem animarum nostrarum alimoniam, in quo corpus & sanguis ejus verè, realiter ac substantialiter continentur.

Dicitur 1. Sacramentum, id est signum aliquod exterius, sensibile; signum autem illud sunt ipsæ species panis & vini sub quibus præsens latitat Christus. Tria autem potissimum significat Eucharistiæ Sacramentum. 1. Passionem Christi præteritam, dicente ipsomet Christo Lucæ 22. v. 19. *Hoc facite in meam commemorationem*. Et Apostolus 1. Cor. 11. *Quotiescunque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat.* 2. Divinam & cœlestem gratiam. *Qui manducat ex hoc vivet in æternum*..... Et, *Nisi manducaveritis carnem filii hominis & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Joan. 6. 3. Futuram in Cœlis gloriam nusquam finiendam, *Vivet in æternum.* Deinde nostri officii nos admonet, grati scilicet & memoris animi erga christum pro tanto ac ineffabili beneficio, & unionis ac charitatis servandæ cum fratribus. Unum enim corpus sumus, & de uno pane participamus.

Dicitur 2. Sacramentum novæ Legis à christo Domino institutum; quod Eucharistiæ commune est cum aliis Sacramentis.

Dicitur 3. ad cœlestem animarum nostrarum alimoniam, in qua positus est hujus Sacramenti effectus.

Dicitur 4. in quo corpus & sanguis christi verè, realiter, ac substantialiter continentur. Quibus verbis essentialis differentia Eucharistiæ ab aliis Sacramentis exprimitur. Hæc autem verba, verè, realiter, substantialiter, distinctè usurpavit Conc. Trident. Sess. 13. cap. 1. nec hic synonima sunt, sed totidem perversis Novatorum nostrorum interpretationibus refellendis ac præcavendis aptissimè opponuntur. Particula *verè*, excludit præsentiam tantùm per figuram & imaginem; particula *realiter* præsentiam tantùm per fidem; particula *substantialiter*, præsentiam tantùm per virtutem à christo diffusam. Ex quibus facile est colligere, Sacramentum Eucharistiæ his potissimùm duobus capitibus à cæteris differre. 1. Quia ipsum christum substantialiter præsentem continet. 2. Quia illa Sacramenta usu perficiuntur & in actione fluente consistunt, Eucharistia verò in se fixa & permanente.

QUÆSTIO II.

De veritate & existentia Sacramenti Eucharistiæ; seu de vera, reali & substantiali præsentia corporis Christi in Eucharistia.

QUæstionem hanc in septem Articulos distribuemus.

Primus aget de Hæreticis à quibus impugnata fuit & negata præsentia realis Christi in Eucharistia.

Secundus, an probari possit hæc realis præsentia ex verbis promissionis, Joan. 6.

Tertius, an probari possit ex verbis institutionis, Matth. 26. Marci 14. & Lucæ 22.

Quartus, an probari possit ex antiqua, constanti & universali SS. Patrum & Ecclesiæ totius Traditione.

Quintus, an probari possit impossibilis realis præsentia, ex ratione humana, sensuumque judicio.

Sextus, an facta sit in fide insensibilis mutatio circa præsentiam realem nono Ecclesiæ sæculo, ut fabulantur Novatores Albertinus, Claudius &c.

Septimus, de Paschasio, Rabano, Ratramno, Joanne Scoto.

ARTICULUS I.

De Hæreticis à quibus impugnata & negata fuit præsentia realis Christi in Eucharistia.

INter illos Hæreticos alii indirectè & ex consequenti tantum, alii directè & aperta fronte realem in Eucharistia præsentiam impugnarunt.

Inter primos recensendi sunt ii omnes qui negarunt veritatem carnis Christi. Tales fuere Simoniani, Menandriani, Manichæi &c. Illos indigitat sanctus Ignatius in sua ad Smyrnenses Epistola, *Ab Eucharistia*, inquit, *& Oratione abstinent, eo quod non confiteantur Eucharistiam carnem esse Salvatoris nostri Jesu Christi, quæ pro peccatis nostris passa est, quam Pater benignitate sua suscitavit.* Socitiani, Manichæi aliique veritatis carnis Christi hostes. Ed. Conc. tel. pa. 874. C.

Iis accensendi sunt nonnulli Manichæi, qui ex Bulgaria in Gallias decimo sæculo labente irrepserant; quique ducibus Lisojo & Heriberto, duobus Clericis Aurelianensibus, dixerunt, *non esse Sacramentum corporis & sanguinis Christi in consecratione Sacerdotis.* Ita referunt Acta Concilii Aurelianensis anni 1017. à quo damnati illi & proscripti fuere. Illos autem Hæreticos è secta Manichæorum fuisse, non verò, ut nonnullis recentioribus placet, Berengarii discipulos, colligi certò potest ex aliis eorumdem placitis quæ ibidem referuntur, & Manichæismum apertè redolent, qualia sunt ista, *Christum de Virgine Maria natum non fuisse, neque pro hominibus passum, nec verè in sepulchro positum, nec à mortuis surrexisse.* Hi sunt in Gallis nostris Calvinistarum antecessores; tales profectò parentes eis non invidimus. Conc. Aurelian. an. 1017. Tom. 9. Conc. p. 839. E. Ibid.

Neque persuadere cuiquam cordato viro poterit unquam Banagius Evangelii Pseudo administer, in Opere quod scripsit contra Historiam Variationum ab Illustrissimo Meldensium Episcopo adornatam, Tom. 1. pag. 107. Concilium illud Aurelianense multa & falsa, & planè contradictoria illis Sectariis imposuisse. Lapsus Banagii.

Quibus

Quibus enim habenda potius fides, quàm & iis qui ex professo Sectariorum dogmata expendunt, ac damnant; & ipsismet Sectariis, qui errores suos apertè declarant ac profitentur?

Gundulfiani. Anno 1025. in Synodo Atrebatensi, præside Gerardo Cameracensi simul & Atrebatensi Episcopo, damnati sunt Sectarii Gundulfiani à Gundulfo Italo sic dicti. Respuebant illi Baptismum & Sacramentum altaris. Extant hujus Synodi Acta Tomo 3. Spicilegii.

Inter illos verò qui directè fidem præsentiæ realis aggressi sunt

Joannes Scotus Herigena dictus, id est Hibernus, Hibernia enim patrio nomine dicitur Erin seu Eri. Primus occurrit Joannes Scotus Herigena, qui obiisse creditur an. 884 scripsit ille Librum de Eucharistia, qui amplius non extat; in eo docuit, referente Hincmaro Lib. de Prædest. c. 31. *Sacramenta altaris non esse verum corpus & verum sanguinem Domini, sed tantum memoriam veri corporis & sanguinis; seu,* ut ait Ascelinus Monachus in sua ad Berengarium Epistola, *Sacramenta specie tantum geri, non rei veritate.* Adversùs hunc Librum Adrevaldus Floriacensis Ordinis Benedictini Monachus, veterum Patrum sententias collegit. Extat ea collectio Tom. 12. Spicilegii pag. 30.

Joannes Cellotius Societatis Jesu, in Opusculis quæ excudi curavit in Appendice Historiæ Gotteschalchi, in notis ad Opusculum octavum sectione 4. fatetur quidem errasse Scotum illum circa Eucharistiam, sed ait incertum planè esse quodnam fuerit erroris illius caput. Pluribus in Conciliis damnatus fuit Liber Joannis Scoti: in Vercellensi an. 1050. teste Lanfranco, Lib. de corpore & sanguine Domini cap. 4. in Parisiensi circa idem tempus, teste Durando Troarnensi Abbate, Lib. de corpore & sanguine Domini; in Romano an. 1059. ubi propria manu Berengarius flammis ultricibus Librum comburere coactus est quem impensiùs laudaverat.

Berengarius. Sæculo undecimo Berengarius Turonensis, & Ecclesiæ Andegavensis Archidiaconus, haustum ex Libro Joannis Scoti venenum sparsit apertiùs, ac latiùs diffudit, unde tanquam primus Sacramentariorum parens vulgò traducitur. Multa de ejus moribus, ingenio, vitæ instituto, pœnitentia, narrant auctores coætanei, quorum Opera extant Tom. 18. Bibliothecæ Patrum Edit. Lugd. à quibus recensendis hic abstinebimus, ne plus quàm par sit, excrescat hic Tractatus. Observo tantùm, in eo fuisse Berengarii errorem, quod diceret, Eucharistiam non esse verum ac substantiale corpus Christi, sed ejus duntaxat figuram & imaginem. Ita colligimus ex tertia fidei formula, cui in Synodo Romana an. 1079. subscripsit ipse Berengarius, ex Deoduino Leodiensi Episcopo in Epistola ad Henricum I. Galliarum Regem; Durando Troarnensi, Lib. de corpore & sanguine Domini, & aliis; unde non tantum transubstantiationem negavit Berengarius, sed & præsentiam realem. Nonnulli quidem subtiliores ejus discipuli, referente Guitmundo L. 1. admissa præsentia reali, transubstantiationem negarunt tantùm, asserentes Christum latenter in pane contineri, & in eo *impanari*. Idem refert Algerus in prologo librorum de Sacramento corporis & sanguinis Domini.

Biblioth. PP. To. 18. pag. 441. H.

Damnatio Berengarii. Damnatus fuit Berengarius multis in Conciliis: in Romano, an. 1050. vel 1053. Brionensi ejusdem anni; Vercellensi, Parisiensi, Turonensi an. 1055. Romano 1059. Rothomagensi an. 1073. Pictaviensi an. 1075. duplici Romano sub Gregorio VII. an. 1078. & 1079. ubi subscripsit Formulæ fidei quæ ab his verbis incipit, *Ego Berengarius &c.*

Ejurata hæresi ac pœnitentia acta, in pace Ecclesiæ quievit Berengarius anno Domini 1088. Philippi primi Francorum Regis an. 28. Urbani Papæ an. 4. Ita colligitur ex codice manuscripto Ecclesiæ sancti Martini Turonensis.

Impugnatores Berengarii. Adversùs illum adhuc viventem stylum exacuere Adelmannus, ejus olim sub Fulberto condiscipulus, Brixiensis posteà Episcopus; Hugo Episcopus Lingonensis; Lanfrancus Prior Cœnobii Beccensis, deinde Cadomensis Abbas, & Cantuariensis demum Archiepiscopus: Durandus Abbas Troarnensis in Neustria: Guitmundus, ex Monacho Abbatiæ Crucis sancti Leufredi in Normannia, Aversanus in Italia Episcopus; Deoduinus Leodiensis Episcopus. Illorum omnium lucubrationes habes Tom. 18. Biblioth. Patrum Edit. Lugd. Post illos, & annis circiter 40. ab obitu Berengarii, in eandem hæresim scripsit Algerus, ex Leodiensis Ecclesiæ Scholastico, Monachus Cluniacensis Ordinis Benedictini. Extat ejus opus Tom. 21. ejusdem Bibliothecæ. Quidam quoque anonymus, quem publici juris fecit Pater Chiffletius Societatis Jesu, scripsit de multiplici damnatione Berengarii. Extat ejus Opus Tom. 18. citatæ Bibliothecæ.

Petrobrusiani. Sæculo undecimo & duodecimo Petrus de Bruis, à quo dicti sunt Petrobrusiani, & Henricus ejus discipulus, à quo dicti Henriciani, negarunt non tantùm veritatem corporis & sanguinis Christi in Sacramento Eucharistiæ, sed & Sacramentum istud nihil esse, nec Deo offerri debere contenderunt. Ita testatur auctor coætaneus Petrus Cluniacensis, in Epistola ad Archiepiscopum Ebrodunensem, aliosque Præsules.

Albigenses. In eundem errorem lapsi sunt Albigenses & Tolosani, à locis in quibus hæreseos virus disseminabant ita nuncupati. Illos autem è secta Manichæorum fuisse, non obscurè colligitur ex Concilio Aurelianensi jam citato anno 1017. Illorum Historiam compendio redactam lege apud Illustrissimum Meldensem Episcopum Tom. 2. Historiæ variationum &c. à pag. 162. ad pag. 212.

Ibidem ostendit Illustrissimus Auctor, Valdenses præsentiam realem corporis Christi in Eucharistia admisisse; ac in eo potissimum illos peccasse, quod affirmarent non posse à malo Sacerdote consecrari corpus Christi, posse verò à Laico, si vir probus fuerit.

Carlostadius. Anno 1525. aut 1524. Carlostadius Archidiaconus Witembergensis, Librum edidit contra Ecclesiæ fidem de præsentia reali Christi in Eucharistia, quo in capite à suo præceptore Luthero recessit: is enim in Epistola ad Argentinenses, fatetur quidem se diu multumque animo volvisse, qua via posset fidem hanc convellere; atque se plurimum et debiturum pollicetur, qui viam hanc aperiret: nihilominus tamen perspicuitate verborum Christi se superatum ingenuè agnoscit, ac compulsum fateri, verè & realiter corpus Christi præsens esse in Eucharistia, quamquam simul cum panis & vini substantia, in quo specialis ejus error versabatur.

Lutherus.

Zuinglius. Eodem anno Zuinglius Librum scripsit contra præsentiam realem, ubi contendit Eucharistiam meram & nudam esse corporis Christi figuram & imaginem: non dissimulat se per plures annos ita credidisse, licet ignoraret, ut ait in Epistola ad Pomeranum, *ista verba, Hoc est corpus meum, exponi debere per ista, Hoc significat corpus meum*, quam explicationem, seu figuræ clavim didicit tantùm ex Epistola Batavi cujusdam nomine Hunnii, sibi communicata per Joannem Rhodium & Gregorium Saganum. Quin Libro de subsidio Eucharistiæ, scribit *se biduo disputasse in Senatu Tigurino contra Missam & Eucharistiam, nec tamen fidem facere potuisse (resistente sibi scriba quodam) est*, *accipi pro*, significat; *sed tandem nocte sequenti dormienti sibi adstitisse nescio quem (ater* inquit, *an albus fuerit, nihil memini) qui moneret, enim locum Exodi 12. arriperet, Est enim Phase, id est, transitus Domini; ubi verbum, Est, accipitur pro, significat.* En quo modo ad ineptas fabulas & aberrationes

To. 2. oper. p. 29.

Oecolampadius. tiones mentis confugit Zuinglius, ut hic Christi verbis, *Hoc est corpus meum*, figuratum sensum affingat. Zuinglio comes accessit Oecolampsdius.

Bucerus. Anno 1530. Bucerus Romanæ fidei epostata, Zuingli doctrinam amplexus ast, quam tamen in multis temperavit, ne Lutheranos offenderet, cum quibus societatem inire cupiebat.

Calvinus, mirus, si quis unquam fuit, fallendi artifex, verbia in speciem ita Catholicis de Eucharistia aliquando loquitur, ut totus à Zuinglio recedere videatur, & agnoscere, Eucharistiam non nudam & vacuam esse corporis Christi figuram, sed virtute ac efficacia plenam imò ipsam eorporis Christi substantiam realiter unà cum symbolis nobis in ea porrigi, interdum asserit. Sed fallit dolosus ille, reipsa etenim non aliam quàm figuratam præsentiam, per fidem nimirum, vel virtutem à Christo diffusam agnoscit. Quaptopter, ut jam monuimus, Conc. Trid. ad omnem præcavendam & eludendam fraudem & astutiam, docet Christum *verè*, *realiter*, *ac substantialiter* in Eucharistia præsentem esse: *verè*, non per figuram; *realiter*, non tantùm objectivè per fidem; *substantialiter*, non tantùm per virtutem à Christo diffusam.

Sociniani. Sociniani à calvinistis in nonnullis diffident circa præsens argumentum. Etsi enim in eo consentiant omnes, corpus christi verè, realiter ac substantialiter præsens non esse in Eucharistia, dissentiunt tamen 1. quod Sociniani negant Eucharistiam esse verum ac propriè dictum Sacramentum. 2. finem ejus esse, ut in memoriam revocetur mors christi. 3. huic nihil aliquam annexam esse gratiæ promissionem; sed contendunt illi Eucharistiam purum esse, sterile ac vacuum signum, cujus effectus spiritualis, si quis sit, soli fidei sit adscribendus. *Eucharistia*, inquit Wolkelius L. 4. de vera Religione cap. 22. *Sacramentum non est, quia nec ullam nobis Dei gratiam donat, nec obsignat, sed jam donatæ obligationem adumbrat, & ideo instituta est ut ista Dei benignitas solemni commemoratione ac gratiarum actione commemoretur.* Idem docuerat Socinus Tractatu *De usu & fine Cœnæ Domini*. Tom. 1. pag. 753. & in Epistola ad Petrum Statorium, ibid. pag. 433. His præmissis, ad probationem catholici dogmatis accedendum est.

ARTICULUS II.

An vera, realis & substantialis præsentia corporis Christi in Eucharistia probari possit ex verbis quibus promittitur Joan. 6. capite.

PRÆNOTANDA.

COmmunis est Novatorum opinio, Joan. 6. c. non de Eucharistia, aut manducatione orali ac reali corporis Christi, sed vel de Incarnatione tantùm, vel de spirituali duntaxat carnis Christi per fidem manducatione sermonem esse. Nihilominus tamen iidem Novatores ex eodem cap. 6. S. Joannis urgent testimonium istud, *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem &c.*, ut impugnent catholicorum communionem sub unica specie, ac probent utramque speciem necessariam esse jure divino. Videant illi qua ratione hæc conciliari possint.

Ut verò istud Novatorum argumentum nonnulli ex nostris declinarent ac eluderent, contenderunt citatum cap. 6. S. Joan. de spirituali duntaxat, non de sacramentali perceptione Eucharistiæ exponendum esse. De qua opinione in utramque partem disputatum esse in concilio Trident. narrat Pallavicinus L. 17. Historiæ hujus concilii cap. 11. aliis contendentibus, necesse esse ut concilium definiret, citato in capite oralem & sacramentalem intelligendam esse carnis Christi manducationem; aliis è contra propugnantibus, talem definitionem contrariam fore multorum SS. Patrum Doctorum catholicorum expositioni, utpote quæ excluderet manducationem spiritualem: quibus ex utraque parte auditis ac perpensis, concilium rem indecisam reliquit, generatim tantum affirmando, quacumque supposita interpretatione, non posse colligi communionem sub utraque specie jure divino necessariam esse, quod unum tunc temporis demonstrandum habebat adversùs Novatores. Unde ne neutri parti præjudicium inferret, proponente ac urgente Granatensi Episcopo, ista verba, sine quibus paratum primò fuerat Decretum, *utcunque juxta varias SS. Patrum & Doctorum interpretationes intelligatur*, (nempe cap. 6. S. Joannis) addita sunt in cap. 1. Sess. 21. quibus verbis videtur concilium utramque explicationem admittere, nullam rejicere. Hinc Suares in 3. par. qu. 75. art. 1. sect. 2. Estius in 4. dist. 10. parag. 1. & alii nonnulli censent non ita certum atque efficax pro reali præsentia colligi posse argumentum ex verbo promissionis Joan. 6. quàm ex verbis institutionis, ob varias scilicet SS. Patrum ac Doctorum interpretationes. To. 3 p. 63. & seq.

Neque verò est, quòd Novatores, Albertinus imprimis Lib. 1. de Sacramento Eucharistiæ cap. 30. nostrorum Theologorum patrocinio hac in parte glorientur, suorumque invidiam inde elevent. 1. Quis nostri bono & simplici animo, sine pertinacia, ut Hussitis ac Lutheranis pro communione sub utraque specie tam acriter pugnantibus ex cap. 6. S. Joannis, resisterent, citatum caput de spirituali duntaxat carnis Christi manducatione interpretati sunt; Novatores autem animo pertinaci & in Ecclesiam rebelli. 2. Quia Ecclesiæ fides non ex paucorum hominum opinione æstimanda est, sed ex antiquorum constanti Traditione, ac conciliorum placitis; quin & inter recentiores catholicos; multò plures stant pro nostra interpretatione, quàm pro opposita, quam acriùs perstringunt. Audiatur inter alios Maldonatus commentario in caput 6. S. Joan. num. 53. *Scio*, inquit, *Catholicos, scio doctos, religiosos ac probos viros esse: sed minimè profectò utilem atque fidelem in hac re operam Ecclesiæ navaverunt, quod contra Scripturæ sensum, contra Patrum omnium interpretationem, contra tacitum, imò minimè tacitum, sed satis superque explicatum consensum Ecclesiæ, dixerint atque contenderint, hoc loco de Sacramento non agi. Quod, ut benignissimè dicam, est temerarium; gravioribusque condemnarem verbis, nisi compertum haberem, homines benè Catholicos errore magis animi quàm vitiis in Hæreticorum sententiam impegisse.* Ita Maldonatus. Edit. Muss. p. 1596. To. 2. pag. 713. E. F.

Observa quod cum Orthodoxi contendunt, Joan. 6. cap. mentionem fieri de sacramentali carnis Christi manducatione, mens illorum non sit, toto illo capite de Eucharistia sermonem esse; norunt quippe, ibidem Evangelistam loqui de miraculis panum, de fide, de Incarnatione &c. hoc unum volunt, nempe ab istis verbis versus 52. *Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita*, christum loqui de Eucharistia & sacramentali ejus manducatione; quamquam non excludant manducationem spiritualem per fidem. Itaque sit,

CONCLUSIO.

Vera, realis, & substantialis præsentia corporis christi in Eucharistia efficaciter probatur ex verbis promissionis Joan 6. cap.

Probatur triplici argumento.

I. Ex sacro Contextu.

II. Ex Traditione Ecclesiæ.

III. Ex variis absurdis quæ sequuntur ex opposita sententia.

PRIMUM ARGUMENTUM.

Ex sacro Contextu.

Quatuor potissimum observari possunt in illo sermone christi Joan. 6. ex quibus efficaciter colligimus, à v. 52. mentionem fieri oralis & sacramentalis manducationis carnis christi.

Prima circumstantia hæc est: Quoties Christus majora mysteria ac stupenda miracula, quæ vel ad omnium salutem, vel ad universam spectarent Ecclesiam, perpetrare volebat, suos priùs Discipulos monuit ac veluti præparavit, ut faciliùs ea crederent cùm adimplerentur. Hanc rationem Christus ipse suppeditat, Joan. 14. v. 29. *Et nunc dixi vobis*, inquit, *priùs quàm fiat, ut cum factum fuerit credatis.* Et cap. 16. v. 1. *Hæc locutus sum vobis, ut non scandalisemini.* Sic antequam Baptismum institueret, Joan. 3. v. 5. dixerat: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* Pariter antequam morti traderetur, Discipulis sæpius prænuntiat, *se tradendum esse Gentibus ad illudendum, flagellandum & crucifigendum; & se tertia die resurrecturum.* Matth. 20. v. 19. Ita etiam ad Ascensionem suam eos præparavit his verbis, *Modicum & videbitis me, & iterum modicum & non videbitis me, quia vado ad Patrem.* Joan. 16 v. 16. Ita & spiritum sanctum priùs illis promisit, quàm mitteret. *Ego*, Joan. 14. v. 16. *rogabo Patrem, & alium paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum.* Verisimile igitur est, idem observasse Christum circa institutionem Sacramenti Eucharistiæ, quæ inter omnia prodigia & miracula summum est haud dubiè ac præstantissimum, tantò ad credendum difficilius, quantò supra omne rationis ac sensuum judicium positum est. Præcessit ergo hujus Sacramenti quædam promissio: at nullibi profectò, nisi capite 6. S. Joannis.

Secunda circumstantia colligitur ex loquendi ratione quâ usus est Christus, cum promisit se daturum carnem suam. 1. ait, *Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.* At si loqueretur vel de sua Incarnatione, vel de spirituali dumtaxat per fidem carnis manducatione, non dixisset in futuro, *panis quem dabo*; sed potiùs, *panis quem dedi*: jam enim incarnatus erat, jam multi in eum crediderant, & spiritu per fidem carnis ejus facti fuerant participes. Loquitur igitur de carne sua in sacramento Eucharistiæ nobis verè ac substantialiter tradenda. 2. Christus distinguit ibidem carnem suam & sanguinem per modum veri cibi & potus. V. 56. *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus.* At distinctio hæc in sola orali & sacramentali manducatione Eucharistiæ locum habere potest: in ipsa enim spirituali per fidem manducatione nihil interest inter cibum & potum; unde ibid. v. 54. jam dixerat Christus, *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis*; quæ certè verba non de unica dumtaxat manducatione spirituali per fidem, sed etiam de reali & sacramentali exponenda sunt; aliàs Socinianum contendentem ista verba Christi, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto &c.* non de vera, reali, & exteriori aquæ ablutione, sed de interiori dumtaxat ac metaphorica exponi debere, quomodo revinceret poterit Calvinista? 3. ait v. 59. *Hic est panis qui de Cœlo descendit. Non sicut manducaverunt patres vestri manna, & mortui sunt*: quibus certè verbis significat christus se Fidelibus aliquid eximium daturum, quod Veteribus datum non fuerat, & manna ipso vatum longè præstantius. At nisi veram & substantialem ejus carnem in Sacramento Eucharistiæ intelligas, nihil erit singulare quod Veteribus ipsis concessum non sit, quibus datum est fide & spiritu carnem Christi manducare; "Omnes enim eandem escam spiritualem manducaverunt, & eundem potum spiritualem biberunt: "bibebant autem de spiritali consequente eos petra, petra autem erat Christus. 1. Corinth. 10. v. 3.

Tertia circumstantia petitur ex persona Judæorum, ac Discipulorum Christi. De primis dicitur v. 53. *Litigabant ergo Judæi ad invicem, dicentes: Quomodo potest hic nobis dare carnem suam ad manducandum?* De postremis dicitur v. 61. *Multi ergo audientes ex Discipulis ejus, dixerunt: Durus est hic sermo, & quis potest eum audire?* Illa porrò tùm Judæorum obmurmuratio, tùm offensio Discipulorum, apertè significat eos ex his Christi verbis, *Nisi manducaveritis carnem filii hominis &c.* animo concepisse aliquid planè novum, insolitum ac stupendum: quam eorum opinionem confirmavit Christus, nedum correxit, ut constat ex v. 62. & 63. Porrò si de sola fide in Christum hic sermo fuisset, vel de sola manducatione carnis ejus per fidem, quid adeo mirum ac insolitum fuisset, unde turbari & offendi debuissent, sive Judæi, sive Discipuli Christi? Nonne centies necessitatem fidei eis commendaverat Christus?

Quarta denique circumstantia petitur ex collatione & comparatione verborum quibus hic promittitur Eucharistia, cum iis quibus postea instituitur; mirè enim consentiunt inter se. Sicut enim hic dicitur, *Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita*: ita Matth. 26. v. 26. dicitur; *Accipite & comedite, hoc est corpus meum.* Sicut promisit Christus se daturum carnem in cibum, & sanguinem in potum; ita instituens Eucharistiam utriusque distinctionem exprimit, *Manducate, Bibite.* Sicut igitur veram carnem & verum sanguinem dedit instituens hoc Sacramentum, Matth. 26. ita veram quoque carnem, verumque sanguinem promisit Joan. 6. capite.

SECUNDUM ARGUMENTUM.

Ex Traditione.

Constat hæc Traditio, 1. ex Conciliis. 2. ex SS. Patribus. 3. ex ritu veteris Ecclesiæ concedendi infantibus Eucharistiam.

I. Quotquot ex Conciliis verba hæc quæ extant 6. cap. S. Joan. v. 54. *Nisi manducaveritis carnem filii hominis &c.* laudarunt, de Sacramento Eucharistiæ dicta esse confirmarunt. Ex multis ista satis sint.

Concilium Alexandrinum Præside S. Cyrillo, in sua ad Nestorium Epistola, quæ lecta est & approbata in Concilio Ephesino, quod est generale III. an 431. cujus idcirco sententiam Oecumenica Synodus suam fecit, Concilium, inquam, Alexandrinum in citata Epistola n. 7. relata in 1. part. Concilii Ephesini, sic loquitur: *Confitemur incruentum in Ecclesia sacrificium nos celebrare, atque ad mysticas Eulogias, seu benedictiones accedere, & sanctificari; utpote participes sacræ carnis, & pretiosi sanguinis Christi.* Deinde adducto citato testimonio Joan. 6. *Nisi manducaveritis &c.* probat carnem illam propriam esse Dei carnem, vivificam &c. Tom. 3. Conc. p. 404. A.

In Concilio Nicæno II. quod fuit generale septi-

Tom. 7. Conc. p. 447. D. B. mum an. 787 Actione 6. Epiphanius Diaconus sic legit; *Nullus aliquando tubarum spiritus, sanctorum videlicet Apostolorum, aut illustrium Patrum nostrorum, incruentum nostrum sacrificium, quod in commemorationem Christi Dei nostri ac omnis dispensationis ejus efficitur, dixit imaginem corporis ejus. Neque enim acceperunt à Domino sic dicere vel confiteri, sed audiunt Evangelice dicentem eum, Nisi manducaveritis carnem*, & alia quæ referuntur cap. 6. S. Joannis. Exploratum igitur ac persuasum fuit illorum Conciliorum Patribus, sermonem Christi, qui refertur illo 6. cap. de Eucharistia & orali atque sacramentali carnis ejus manducatione intelligendum esse; neque enim alibi extant laudata verba.

Denique Conc. Trid. etsi definire noluerit, ut constat ex prænotatis antea, citato c. 6. S. Joan. sermonem esse de manducatione reali & sacramentali corporis Christi, per exclusionem manducationis spiritualis per fidem, [utramque supponit, & nullam rejicit,] tamen tum Sess. 13. cap. 2. tum Sess. 21. c. 1. ex illo cap. 6. multa testimonia ad comprobandam Eucharistiæ veritatem adducit. In priori loco ait, *Sacramentum* Tom. 11. Conc. p. 805. D. *Eucharistiæ sumi tanquam spiritualem animarum cibum, quo alantur & confortentur viventes vita illius qui dixit, Qui manducat me & ipse vivit propter me*, quæ verba extant Joan. 6. v. 59. In posteriori, adductis & simul conciliatis nonnullis ex eodem cap. testimoniis, ostendit contra Novatores, communionem sub utraque specie jure ac mandato Domini necessariam non esse, quia spiritualem Eucharistiæ effectum Christus modò uni, modò alteri, modò utrique speciei adscribit.

II. Antiqui Patres tum Græci tum Latini de Eucharistia interpretati sunt cap. 6. S. Joannis. Illos hic indicasse sufficiet.

Ex Græcis, S. Irenæus Lib. 4. c. 4. Origines Hom. 16. in Numeros; S. Basilius Lib. 1. de Baptismo cap. 3. & in Regulis moralibus, Regula 21. cap. 1. & 2. S. Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi 4. S. Chrysostomus Hom. 45. in Joan. S. Epiphanius hæresi 55. S. Cyrillus Alexandrinus commentario in Joan. Theodoretus Lib. 4. Hist. Eccles. cap. 4. S. Damascenus Lib. 4. orthodoxæ fidei cap. 14.

Ex Latinis, S. Cyprianus Lib. de Oratione Dominica; S. Ambrosius L. de initiandis c. 8. & Lib. de Sacramentis cap. 1. S. Hilarius Lib. 8. de Trinitate S. Augustinus Serm. 2. de verbis Apostoli, & in caput 6. S. Joan. S. Leo Hom. 6. de jejunio septimi mensis. Unius S. Hilarii verba hic dabimus ex L. 8. de Trinitate no. 13. pag. 955. ubi adversùs Arianos ostendit Filium esse in Patre secundum substantiam suam, quemadmodum est in nobis per substantiam, cùm Eucharistiæ participes sumus. *Si verè igitur*, inquit, *carnem corporis nostri Christus assumpsit, & vere homo ille, qui ex Maria natus fuit, Christus est, nosque verè sub mysterio carnem corporis sui sumimus, (& per hoc unum erimus) quomodo voluntatis unitas asseritur, cùm naturalis per Sacramentum proprietas perfectæ Sacramentum sit unitatis ,.. de naturali in nobis Christi veritate quæ dicimus, nisi ab eo didicimus, stultè atque impie dicimus. Ipse enim ait, Caro mea verè est esca, & sanguis meus verè est potus &c .... de veritate carnis & sanguinis non relictus est ambigendi locus.* Verba autem illa extant Joan. 6. v. 56.

Jam verò horum omnium antiquorum auctoritatem & consensionem in explicando c. 6. S. Joan. plus momenti ac ponderis habere, quàm Thomam Valdensem, Cajetanum, Jansenium Gandavensem & alios nonnullos recentiores, nemo Catholicus, opinor, inficiabitur.

III. Viguit usque ad duodecimum sæculum multis in Ecclesia, consuetudo dandi infantibus Eucharistiam, sicut ex dicendis inferius constabit; at non alio fundamento nixa fuit hæc disciplina, quàm isto Christi testimonio Joan. 6. v. 54. *Nisi manducaveritis &c.* Ita dilertè colligimus ex S. Augustino Lib. 1. de pecc. mer. & rem. c. 20. Innocentio I. in Epistola ad Patres Concilii Milevitani, inter Augustinianas 182. alias 93. Gelasio S. Pontifice Epistola ad Episcopos per Picænum. Verba referemus infrà ad Quæstionem II. quando de necessitate Eucharistiæ disputabimus.

TERTIUM ARGUMENTUM.

Ex absurdis quæ sequuntur ex opposita sententia.

Primum est, ex opposita sententia consequi Christum nusquam exposuisse fructum & efficaciam Eucharistiæ, cùm nullum extet eam in rem testimonium præter quàm in cap. 6. S. Joan. Quod enim ajunt nonnulli, in his Christi verbis, *Accipite, hoc est corpus meum*, contineri promissionem gratiæ, tam absurdum est, ut refelli vix mereatur: his quippe verbis, Eucharistiæ institutio designatur, non ejus promissio, aut fructus.

Secundum absurdum est, quòd in opposita sententia S. Joannes de Eucharistia nullibi in tota Evangelii Historia quam scripsit, meminerit: nusquam enim istud argumentum attingit, præterquam in laudato toties c. 6. At consequens istud absurdum esse judicat S. Augustinus Lib. 3. de consensu Evangelistarum cap. 1. ubi observat S. Joannem nihil scripsisse de postrema Christi Cæna in proprio suo loco, quemadmodum cæteri Evangelistæ, quia plura de hoc argumento scripserat antea, videlicet cap. 6. To. 3. p. 2. p. 100.

Tertium est, quia sequitur nullum à Christo expressum datum fuisse de sumenda Eucharistia præceptum, si verba illa Joan. 6. *Nisi manducaveritis &c.* non sint de reali & sacramentali manducatione intelligenda. Quod enim dixit in ultima cœna, *Accipite, manducate, bibite*, iis solis dixit qui tunc præsentes erant; quod verò addidit, *Hoc facite in meam commemorationem*, præcepti formam non habet, sed explicationem tantùm continet finis propter quem fieri debeat quotiescunque fiet.

Quartum, si liceat Calvinistis ad sensum figuratum spiritualis per fidem manducationis verba hæc Christi, *Nisi manducaveritis &c.* adducere, quidni & Socinianis licitum erit, ista de Baptismo verba, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto &c.* pariter interpretari sensu metaphorico de interiori lotione Spiritus sancti interius lavantis & abluentis per modum aquæ; non verò de lotione seu Baptismo exteriori per aquam naturalem & elementarem? Par hinc & inde videtur ratio: nec juris quidquam arrogare hic sibi potest Calvinista, quod sibi pariter Socinianus non arroget.

Solvuntur Objectiones ex Scriptura.

Multa congerit Albertinus Lib. 1. de Eucharistia cap. 32. ut probet Joan. 6. cap. de sola dumtaxat spirituali carnis Christi per fidem manducatione sermonem esse. Præcipua hic referemus ac solvemus. Itaque

Objicies 1. De illa carnis suæ manducatione agit Christus v. 52. & sequentibus, de qua jam egerat versibus antecedentibus: atqui certum est prioribus versibus c. 6. S. Joan. Christum de sola dumtaxat fide, seu manducatione spirituali per fidem, egisse. Cùm enim v. 27. dixisset: *Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam*; dixerunt Judæi: *Quid faciemus ut operemur opera Dei? Respondit Jesus & dixit eis: Hoc est opus Dei ut credatis in eum quem misit ille.* Et v. 35. *Ego sum panis vitæ*, inquit, *qui venit ad me, non esuriet; & qui credit in me, non*

sitiet

sitiet unquam, quibus certe verbis aperte declarat Christus, cibum, de quo sæpius hoc in capite, non alium esse, quam spiritualem per fidem.

Confirmatur. Quia promisit Christus se eum panem daturum, quem suis de facto obtulit auditoribus ad manducandum: atqui non obtulit Christus Capharnaitis, quos alloquebatur, veram carnem suam ad manducandum modo reali & sacramentali, sed spirituali duntaxat per fidem.

Resp. nego maj. Neque enim contendimus manducationem oralem & sacramentalem carnis Christi, unicum esse argumentum de quo sermo fit citato c. 6. S. Joannis. Triplicem in eo partem distinguimus. In primâ usque ad v. 25. agitur de cibo materiali, nempe de multiplicatione quinque panum, quibus saturati sunt in deserto quinque hominum millia. In secunda usque ad v. 52. agitur de cibo mere spirituali, nempe fide in Christum incarnatum. In tertia tandem, scilicet à v. 52. usque ad finem capitis, agitur de manducatione reali & & sacramentali carnis Christi. Unde peccat argumentum Albertini, in eo quod supponat unicum esse hujus c. 6. argumentum, & concludat à parte ad totum: nempe v. 52. & sequentibus de sola spirituali per fidem manducatione Christum loqui, quia de illa egerat versibus prioribus; quasi de utraque in prolixo illo capite non egisset. Porro verba in Objectione citata antecedunt v. 52. quo primum de Eucharistia, & sacramentali ejus perceptione mentionem fieri contendimus.

Ad confirmationem, dico reipsa Christum suditoribus suis aliquem panem obtulisse, quem promisit se daturum: sed non omnem, quem promisit, tunc dedit. Obtulit fidei gratiam, seu manducationem spiritualem per fidem, sed non manducationem realem & sacramentalem, cum nondum tunc instituta foret Eucharistia. Quamquam Christus eo loci totam alloquebatur Ecclesiam, non solos Capharnaitas, ut supponit Albertinus; neque enim dixit, Panis, *quem ego dabo vobis*; sed absolute, *Panis quem ego dabo*, absque ulla particula sermonem determinante & restringente ad personas quas præsentes alloquebatur. Porro toti Ecclesiæ dedit corpus suum instituendo Eucharistiam, Matth. 26. quod promiserat Joan. 6.

Objicies 2. Laudato cap. 6. Christus nihil dicit de symbolis Eucharisticis; nihil de fractione panis & distributione; nihil de testamento, aut passionis suæ memoria &c. non ergo de Eucharistia loquitur.

Resp. nego conseq. Necesse quippe non erat, ut in eo loco, in quo promittit tantum se daturum carnem suam, exponeret quidquid ad istud Sacramentum pertinebat: hoc enim ad ejus institutionem magis spectat, quod reipsa exposuit distinctius, cum Sacramentum Eucharistiæ Christus instituit.

Objicies 3. Multa Christus c. 6. S. Joan. dixit, quæ Eucharistiæ, ac reali & sacramentali Eucharistiæ manducationi accommodari non possunt.

I. v. 55. ait: "Qui manducat meam carnem, & „bibit meum sanguinem, habet vitam æternam." Sed ea verba intelligi non possunt absolute & simpliciter de manducatione orali, sed de spirituali duntaxat, Eucharistiæ: quam multi enim sunt, qui ore sumunt
1. Cor. 11. Eucharistiam, *& judicium sibi manducant & bibunt,*
v. 29. *non dijudicantes corpus Domini?*

II. v. 54. Christus ait: "Nisi manducaveritis car„nem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non ha„bebitis vitam in vobis," quæ verba, si de reali & sacramentali manducatione intelligantur, evincent, tum simpliciter & absolute necessariam esse ad salutem Eucharistiam, tum jure divino utramque sumendam esse speciem, quod utrumque caput negant Orthodoxi.

III. v. 57. Christus ait: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo.* At mansio hæc corporalis non est, sed spiritualis duntaxat; ergo & manducatio: talis quippe, inquit Albertinus, est manducatio, qualis mansio.

VI. Christus loquitur de illa manducatione quæ fieri poterat tum cum loquebatur, ab iis quibus loquebatur: ait quippe in præsenti, *Qui manducat.* Atqui manducari tunc temporis sacramentaliter & realiter non poterat Eucharistia, cum instituta nondum esset, sed spiritualiter duntaxat per fidem. Deinde alloquebatur Christus Judæos, quibus immediate ante dixerat; *Nisi manducaveritis carnem filii hominis &c.* præceptum vero istud comminatorium illusorium fuisset, nisi tum illi potuissent carnem Christi manducare; fieri enim poterat, ut illorum quam plurimi ante institutionem Eucharistiæ diem ultimum obiissent; imo etiam vi hujus comminationis vita privarentur prorsus ob defectum manducationis, quod iniquum prorsus foret.

V. denique, verba Christi, *Nisi manducaveritis &c.* sensum habent generaliorem & humaniorem minus durum, atque etiam intellectu factuque faciliorem, si de sola duntaxat manducatione spirituali per fidem intelligantur: quia, inquit Albertinus, si de manducatione orali & sacramentali exponantur, multas necessario patientur restrictiones. Accipienda enim erunt tantummodo de hominibus sub novo Testamento pro Eucharistiæ institutionem viventibus; item de adultis solis. & de sumptione, non actu simpliciter; sed interdum voto seu desiderio; ac etiam de manducatione digna, non vero indigna, quæ certe restrictiones locum non habent, si prædicta verba intelligantur de manducatione spirituali duntaxat per fidem.

Resp. nego antecedens.

Ad primam probationem, Verba citata intelligenda sunt cum ea cautione, de qua Apostolus 1. Cor. 11. v. 28. *Probet autem seipsum homo*; neque enim Sacramenta vim suam exerunt, cum aliquo ex parte recipientis seu subjecti obice virtus retardatur & impeditur.

Ad secundam, ergo ex citatis verbis, *Nisi manducaveritis &c.* sequi, vel simpliciter quoad substantiam necessariam esse ad salutem Eucharistiam, vel necessariam quoad modum sumendi illam sub utraque specie. Non primum, quia verba laudata continent tantum necessitatem præcepti obstringentis tanquam eos qui talis præcepti sunt capaces, nempe solos adultos, quos Christus alloquebatur, ut inferius ostendemus. Non etiam secundum: ut enim recte observat Conc. Trid. Sess. 21. cap. 1. Christus in eo cap. 6. S. Joan. vitam æternam aliquando corpori & sanguini, aliquando corpori soli tribuit: sed de hoc argumento inferius.

Ad tertiam: Christus per Eucharistiam corporaliter & spiritualiter in suscipientibus manet, unde s. Cyrillus Alexandrinus Lib. 10. in Joan. vocat eos cum Christo *concorporales*, propter scilicet *mysticas* Tom. 1. p.
Eulogias, quarum participes facti sunt, id est, pro- 862. &
pter Eucharistiam. Hinc ruit ratiocinium Albertini, 864.
& contra illum merito retorquetur. Talis enim est manducatio, qualis mansio: atqui corporis sui substantiali præsentia manet Christus in iis qui Eucharistiæ consortes fiunt, ergo ab iis vere, ore, & in Sacramento manducatur.

Quamquam merito dicere possumus, parem non esse conditionem manducationis carnis Christi & mansionis illius in nobis: ista enim illius effectus est; ac proprium illud est Sacramentis nostris, ut exteriori ac sensibili actione affectum spiritualem in anima operentur. Unde sicut omnino male ratiocinaretur qui diceret, talem esse Baptismi ablutionem, v. g. qualis est salus & mundatio per illam producta: atqui salus

illa &

illa & mundatio plane spiritualis est; ergo & ablutio. Ita profecto ineptum est istud Albertini ratiocinium. Talis est manducatio corporis Christi, qualis ejus in nobis mansio: in utroque enim Sacramento aliquid est exterius, symbolum nempe, & actio sensibilis; in Baptismo aqua ablutio, in Eucharistia species panis & manducatio; & aliquid interius ac plane spirituale, in Baptismo gratia regenerans, in Eucharistia gratia reficiens ac confortans.

Ad quartum: Christus de utraque manducatione egit; & de spirituali fidem suis verbis adhibendo, quæ tunc fieri poterat; & de reali sacramentali adimplenda post institutam Eucharistiam; non enim tantum tempore præsenti ait, *Qui manducat*; sed etiam ad futurum respiciens, *Nisi manducaveritis* .... Et, *Si quis manducaverit ex hoc pane*. Sicut igitur cum Christus dixit, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Cælorum*, non significabat eos qui ante institutum Baptismum & plene promulgatam Legem Evangelicam, Baptismum non suscepissent, à regno Cælorum excludendos fore propter defectum Baptismi, sed eos tantum qui post promulgatam Baptismi legem, ei obsequi neglexissent; ita pariter cum dixit, *Nisi manducaveritis*, non respiciebat nisi eos, qui post institutionem hujus Sacramenti, carnem suam & sanguinem in Sacramento non reciperent. Neque obstat quod ad Judæos loquatur tum in Synagoga præsentes, quorum plurimi prius ex hac vita migraturi erant, quam institueretur Eucharistia. 1. quia comminatio de qua Christus citato cap. ejusmodi homines non spectat, sed in futurum prospicit. 2. quia Christus toti Ecclesiæ loquebatur in persona Discipulorum suorum: toti enim Ecclesiæ suum promisit corpus, cui revere concessit.

Ad quintam: Verba quæ præceptum important in Scriptura sacra, non sunt semper intelligenda secundum sensum generaliorem, sed accommodate ad personas quibus datur, ad tempus pro quo datur, & maxime ad voluntatem illius qui dat præceptum. Sic v. g. verba hæc, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua &c.* sensum generaliorem habent, si de sola regeneratione per fidem intelligantur, quam si de Sacramento in exteriori per aquam ablutione consistente; an idcirco recte concludet Socinianus, Sacramentum Baptismi necessarium non esse? non consentient nostri adversarii. Restrictiones autem de quibus in Objectione Albertinus, non ab hominibus, sed à Christo ipso legislatore positæ sunt; legem vero extendere nefas est ultra voluntatem legislatoris, neque nostrum est ei obloqui, sed obsequi potius.

Objicies 4. Christus in postrema parte citati cap 6. S. Joan. aperte declarat se de spirituali dumtaxat carnis suæ manducatione loquutum fuisse. Respondens enim interrogationi Judæorum v. 53. *Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum?* eorumque carnalem cogitationem reprehendens, ait v. 64. *Spiritus est qui vivificat, caro non prodest quidquam*. Unde sic arguit Albertinus.

Quæ manducatio carnis Christi per se non prodest, ea tanquam inutilis & superflua haberi debet: at manducatio oralis Christi per se non prodest, nec vivificat, bene vero manducatio quæ fit spiritu per fidem; tum quia sic expresse declarat Christus v. 64. tum quia bruta animantes, canes, mures, imo & multi impii carnem Christi ore comedunt, quibus tamen nihil prodest ad vitam æternam.

Resp. dist. hanc propositionem, Caro non prodest quidquam, sensu Capharnaitarum existimantium Christum daturum esse carnem suam per frusta discissam ad manducandum, quomodo manducantur cæterorum animalium carnes, concedo: non prodest quidquam, sensu vero ac sacramentali quem intendit Christus, nego. Distingui adhuc potest eadem propositio, Caro non prodest quidquam, si sola sit à spiritu vivificante sejuncta, ut intelligebant carnales illi homines, concedo: si sit cum spiritu vivificante conjuncta, nego. Utraque solutio est S. Augustini Tract. 27. in Joan. Audiatur. "O Domine, magister T.3.p.2.
„bone, *inquit*, quomodo caro non prodest quidquam, p.503.D.
„cum tu dixeris, Nisi quis manducaverit carnem „meam, biberit sanguinem meum, non habebit in se „vitam? An vita non prodest quidquam; & propter „quid sumus quod sumus, nisi ut habeamus vitam æter„nam, quam tua carne promittis? Quid est ergo, Caro „non prodest quidquam? Non prodest quidquam, sed „quomodo illi intellexerunt: carnem quippe intellexe„runt, quomodo in cadavere dilaniatur, aut in macello „venditur; non quomodo spiritu vegetatur. Proinde „sic dictum est, Caro non prodest quidquam; quomo„do dictum est, Scientia inflat. Jam ergo debemus „odisse scientiam? absit. Et quid est, Scientia inflat? „sola, sine charitate. Ideo adjunxit, Charitas vero ædi„ficat. Adde ergo scientiæ charitatem, & utilis erit sci„entia, non per se, sed per charitatem. Sic etiam nunc, „Caro non prodest quidquam, sed sola caro, accedat „spiritus ad carnem, quomodo accedit charitas ad sci„entiam, & prodest plurimum. Nam si caro nihil „prodesset, Verbum caro fieret, ut inhabitaret in „nobis.

Quod autem his verbis, *Caro non prodest quidquam*. voluerit dumtaxat Christus excludere carnalem ac durum Capharnaitarum sensum, non veritatem carnis suæ in Eucharistia, multa demonstrant. 1. Occasio in qua hæc dixit Christus, ut nimirum corrigeret illorum hominum cogitationem plane carnalem; unde merito subjicit, *Spiritus est qui vivificat*. 2. Mos scripturæ, quæ nomine carnis, cogitationem seu intelligentiam carnalem; & nomine spiritus, sanam ac ex fide rectam intelligit cogitationem. Hoc sensu dicitur Matth. 16. v. 17. *Beatus es Simon Bar Jona, quia caro & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus*. Et c 26. v. 41. *Spiritus promptus est, caro autem infirma*. Multa alia congerit Maldonatus Tom. 2. de Eucharistia q. 2. 3. Quia immediate post ista verba, *Caro non prodest quidquam*, addit Christus; *Verba quæ locutus sum vobis, spiritus & vita sunt*; quibus certe declarat removendam esse interpretationem illam duram & carnalem, qua merito turbati fuerant & offensi Judæi. 4. Verba ista, *Caro non prodest quidquam*, si absque ulla interpretatione ac limitatione sumerentur, probarent nihil omnino nobis profuisse Christi carnem, nihil etiam prodesse per fidem sumptam, quæ omnia merito rejiciunt adversarii nostri, tanquam falsa & impia. Ea igitur exponere necesse est: at nulla magis est loci, temporis & personarum circumstantiis accommodata expositio, quam orthodoxa Augustini, quam adduximus. 5. denique, expositio adversariorum explicantium citata verba Christi de sola manducatione spirituali per fidem, expositio, inquam, illa nihil habet captu difficile, nihil quod sæpius non audivissent à Christo ejus Discipuli; & tamen postquam eam adduxit Christus, notat S. Joannes v. 67. *multos discipulorum ejus abiisse retro, & jam non cum illo ambulasse*. Igitur verba ista Christi, *Spiritus est qui vivificat*, non tantam præferunt lucem pro manducatione dumtaxat spirituali per fidem, quantam in illis deprehendunt Novatores.

Hinc patet solutio ad argumentum Albertini, cujus minor propositio pro sua duplici parte falsa est. Primæ falsitas ex mox dictis apparet; quod vero addit de canibus, muribus, & hominibus impiis, qui ore manducant corpus Christi, & nullum ex eo fructum reportant, futile est; quis Catholicorum ignorat, solos homines, eosque debite præparatos, posse cum fructu Eucharistiam percipere?

Solvun-

Solvuntur Objectiones, ex SS. Patribus.

Objicies 1. SS. Patres citatum caput 6. S. Joan. etiam à v. 54. exponunt de manducatione spirituali per fidem corporis & sanguinis Christi.

S. Clemens Alexandrinus L. 1. Pædagogi, per carnem & sanguinem Christi intelligit *verbum Dei, quo spiritualiter reficimur.*

S. Basilius Ep. 141. intelligit *doctrinam Christi & mysticum ejus adventum.*

S. Hieronymus in Ps. 147. exponit *de Scripturis sacris.*

S. Augustinus Tract. 26. in Joan. hunc cibum & potum interpretatur de *membris Christi; nempe Ecclesia in prædestinatis vocatis & justificatis.*

Innocentius I. Epistola ad Patres Concilii Milevitani, ista verba, *Nisi manducaveritis, &c.* sic interpretatur, *ut velit ea in parvulis, dum baptisantur, impleri.*

Resp. hæc & similia SS. Patrum testimonia, ne vel minimum quidem Conclusioni nostræ adversari. Cum enim Scripturæ verba ut plurimum litteralem simul & mysticum sensum patiantur, qui unum affert, non propterea alium negare & excludere censendus est. Igitur etsi laudati SS. Patres sensu mystico interdum exponant ea quæ Christus de carnis suæ manducatione dixit Joan. 6. non tamen veram, oralem, & sacramentalem manducationem excludunt aut rejiciunt; sed utramque simul agnoscunt. Donec autem adversarii expressa proferant testimonia, quibus SS. illi Doctores diserte excludant illam realem & oralem carnis Christi manducationem, nihil omnino proficient adversus nos qui unum sic admittimus, ut alium non excludamus.

Observabis autem solitos fuisse SS. Patres in suis publicis ad populum concionibus, morali & mystico sensu ut plurimum exponere, quæ de carnis suæ manducatione dixit Christus, Joan. 6. quia scilicet Catechumenis qui aderant, tanti mysterii veritatem aperte non expediebat, cujus nondum capaces erant. Ita S. Augustinus Tract. 11. in Joan. ubi exponens hæc verba,
T. 4. p. 2. „Jesus non se credebat eis, *ait*: Tales sunt autem om-
p. 376. D. „nes Catechumeni; ipsi jam credunt in nomine Christi „sed Jesus non se credit eis. Intendat & intelligat charitas vestra. Si dixerimus Catechumeno, Credis in „Christum? respondet, Credo, & signat se. Ecce credidit in nomine ejus. Interrogemus eum, Manducas „carnem filii hominis, & bibis sanguinem filii „hominis? nescit quid dicimus, quia Jesus non se „credidit ei.

Objicies 2. SS. Patres, Augustinus imprimis, sic spiritualem ex fide intelligunt carnis Christi manducationem, de qua Joan. 6. capite, ut plane realem, oralem & sacramentalem excludere videantur.

S. Augustinus Tract. 25. in Joan. ad illa verba,
Ibid. p. 489. E. *Operamini escam quæ non perit* ait; *Hoc est ergo manducare cibum qui non perit, sed qui permanet in vitam æternam.* (nempe credere in Christum) *Ut quid ergo,* inquit, *paras dentes & ventrem? Crede, & manducasti.*

Ex Tract. 26. exponens ista Christi verba, "Hic
Ibid. p. 499. A. B. „est panis de cœlo descendens, ut si quis manducaverit „ex ipso, non moriatur. Quod, *inquit*, pertinet ad „virtutem Sacramenti, non quod pertinet ad visibile „Sacramentum: qui manducat intus, non foris: qui „manducat in corde, non premit dente." Excludit igi„tur S. Doctor oralem & sacramentalem carnis Christi manducationem.

Et in Psalmum 98. sic Christum inducit loquentem de manducatione carnis suæ: " Spiritualiter intelli-
T. 4. p. 1066. A. „gite quod locutus sum; non hoc corpus quod vide„tis, manducaturi estis, & bibituri illum sanguinem, „quem fusuri sunt qui me crucifigent. Sacramentum „aliquod vobis commendavi, spiritualiter intellectum „vivificabit vos.

Denique Lib. 3. de Doctrina christiana, proponens generalem regulam ex qua dignosci possit, quænam litteralis, quæ vero figurata sit Scripturæ interpretatio, hanc c. 10. sic statuit. " Quidquid in sermone divino T. 3. p. 1.
„neque ad morum honestatem, neque ad fidei p. 49 D.
„veritatem proprie referri potest, figuratum esse cog„noscas.

Deinde cap. 16. hanc alteram statuit regulam;
„Si præceptiva est locutio, aut flagitium, aut facinus Ib. p. 52. B C.
„vetans, beneficentiam jubens, non est figurata: si „autem flagitium, aut facinus videtur jubere: aut „utilitatem, aut beneficentiam vetare, figurata est."
Hac posita regula sic pergit; " Nisi manducaveritis Ibid.
„carnem filii hominis &c. facinus vel flagitium vide„tur jubere: figura ergo est, præcipiens passioni „Dominicæ esse communicandum, & suaviter atque „utiliter in memoria recondendum, quod caro ejus „pro nobis crucifixa & vulnerata sit.

Mirum quantum in hoc proponendo & urgendo argumento, quod Albertinus palmarium vocat, exultent Novatores. Namque, inquit, juxta S. Augustinum, ista Christi verba, *Nisi manducaveritis &c.* flagitium jubent, adeoque figuratam continent locutionem; figura autem non est in vocabulis carnis aut sanguinis; neque enim negavit unquam sanctus Doctor, veritatem carnis & sanguinis Christi, aut carnem esse manducandam, & bibendum ejus sanguinem, cum id ad vitam necessarium esse Dominus ipse profiteatur; est igitur figura in verbis *manducandi & bibendi*, quæ metaphorice hic usurpatur, ac proinde non realem & oralem, spiritualem duntaxat significant manducationem.

Resp. nego antecedens.

Ad primum testimonium ex Tract. 25. in Joan.

Resp. 1. S. Doctorem verba Christi interpretari quidem de manducatione carnis illius spirituali per fidem, sed non excludere realem & sacramentalem; de priori autem duntaxat hic loquitur, quia nondum pervenit ad versum 52. quo primum de Eucharistia mentio fit. Exponit siquidem ibi sanctus Doctor, qua ratione Judæi, qui in deserto panibus miraculosis nutriti fuerant, alium cibum à Christo petere deberent, qui nunquam periret; hunc autem cibum seipsum esse declarat, in quem credere debent Judæi, ut vitam æternam assequantur; neque ad hanc fidem, dentibus opus esse ait, sicut opus fuit ut panem in deserto comederent, sed corde tantum, seu animo ad credendum bene præparato & affecto.

Eadem est solutio ad secundum testimonium ex Tract. 26. Ibi enim explicat S. Doctor, quomodo Patres veteris Testamenti eandem nobiscum escam spiritualem manducaverint, eandem scilicet in effectu spirituali; non vero in Sacramento & signo sensibili: sed non propterea negat fideles Christianos carnem Christi vere, & ore, & sacramentaliter comedere.

Resp. 2. S. Augustinum distinguere merito duplicem modum manducandi carnem Christi, unum tantum in signo, seu sacramento; alterum spiritu, & cum gratiæ sanctificantis fructu: ac merito docere, non satis esse ad salutem, si quis ore & sacramentaliter particeps fiat carnis Christi, sed præterea necesse esse ut cum fide intus carnem illam comedat, & anima ab omni labe peccati mortalis purgata, hujus Sacramenti spiritualem effectum percipiat. Neque enim prodest, imo nocet, oralis & sacramentalis carnis Christi manducatio, si sola sit, & ab animæ bene præparatæ sanctitate sejuncta. Duplicem illum modum expresse affert S. Doctor citato Tractatu 26. in Joan. " Nos, *inquit*, T. 3. p. 2.
„accipimus visibilem cibum: sed aliud est Sacra- p. 498. C.

mento-

„mentum, aliud virtus Sacramenti. Quam multi de „altari accipiunt, & accipiendo moriuntur? Unde dicit „Apostolus, Judicium sibi manducat & bibit." Et infra utramque manducationem carnis Christi, quæ
Ibid. p. 501. A. nempe fit ore & corde, clare adhuc exponit: "Hoc est „ergo, *inquit*, manducare illam escam, & bibere potum, „in Christo manere, & illum manentem in se habere. „Ac per hoc qui non manet in Christo, & in quo non „manet Christus, procul dubio nec manducat spiritua„liter carnem ejus, nec bibit ejus sanguinem, (licet car„naliter & visibiliter premat dentibus Sacramentum „corporis & sanguinis Christi;) sed magis tantæ rei „Sacramentum ad judicium sibi manducat & bibit, „quia immundus præsumpsit ad Christi accedere Sa„cramenta." Nihil potest afferri disertius, ut ostendatur S. Augustinum non exclusisse, sed conceptis verbis admisisse non tantum spiritualem, sed etiam oralem & sacramentalem carnis Christi manducationem.

Ad tertium testimonium in Psalm. 98. spirituale ibi opponit sanctus Doctor, non realitati & veritati carnis Christi in Eucharistiæ contentæ, sed carnali cogitationi Capharnaitarum de qua diximus paulo ante, & de qua loquitur S. Augustinus in Psalm. citatum, ut ex lectio-
Tom. 4. p. 1065. F. ne contextus certissime colligitur. "Acceperunt, *inquit*, „illud stulte, carnaliter illud cogitaverunt, & putarunt „quod præcisurus esset Dominus particulas quasdam de „corpore suo, & daturus illis, & dixerunt, Durus est hic „sermo." Quin in hoc ipso loco qui objicitur, distincte sacramentalem Christi carnis manducationem agnoscit simul cum spirituali; immediate enim post verba citata in Objectione, ait: "Etsi necesse est illud
Ibid. p. 1066. B. „Sacramentum visibiliter celebrari, oportet tamen invisi„biliter intelligi.

Ad quartum ex L. 3. de Doctrina christiana, distinguo hanc primam propositionem, Ista verba, *Nisi manducaveritis &c.* flagitium & facinus videntur jubere, in sensu Capharnaitarum, concedo: in sensu Christi & Orthodoxorum, ipsiusque adeo S. Augustini, nego. Solutio ex jam dictis manifesta est.

Secundam pariter hanc propositionem, Quod flagitium & facinus videtur jubere, figuratum est, distinguo: qua parte flagitium & facinus videtur exprimere, concedo: qua parte illud flagitium non exprimit, iterum distinguo; figuratum est, ita ut veritatem rei non semper excludat, imo sæpius præsupponat, concedo; ita ut semper excludat, nego. Itaque verba hæc Christi, *Nisi manducaveritis &c.* intellecta sensu Capharnaitarum, flagitium & facinus imperitis ac rudioribus sonare videntur, ut ait S. Augustinus L. 3. de Doctrina christiana c. 12. adeoque figuram continent omni veritate destitutam; neque enim caro Christi eo modo à nobis comedenda est, quod existimabant crassi illi & carnales homines; sed intellecta sensu Christi & Orthodoxorum omnium, nec flagitium nec facinus jubent; figuram tamen aliquam continent, tum quia Sacramentum significant, Sacramentum autem figura est seu signum; tum quia mortem & passionem Christi adumbrant; figura autem illa iners non est, vacua, & veritate rei destituta, imo potius eam supponit & includit. Quod ut intelligas.

Observabis, locutiones figuratas duplicis ordinis
Locutiones figuratæ. distingui in Scriptura.

Aliæ sunt, in quibus verba non significant id ad quod significandum sunt primitus instituta, sed ad aliud plane transferuntur, quomodo Christus dicitur *lapis angularis, leo de Tribu Juda, vitis, ostium, ovis &c.* illæ autem figuræ litteralem sensum excludunt; neque enim Christus est verus lapis, verus leo, vitis &c. sed metaphorice tantum.

Aliæ sunt, in quibus verba significant quidem id ad quod significandam sunt instituta, sed tamen id quod exprimunt, alterius rei figura est, quam non statim menti offert eorum significatio; & tales figuræ rei veritatem non excludunt. Sic v. g. Galat. 4. v. 22. Apostolus ait scriptum esse, quod Abraham duos habuerit filios, *unum de ancilla, & unum de libera ..... quæ sunt*, inquit, *per allegoriam dicta*: neque tamen sensum litteralem & historicum excludit. Sic 1. Cor. 10. v. 11. dicit idem Paulus, *omnia Judæis in figura contigisse*; non quod reipsa non contigerint eo ipso modo quo referuntur in Historia sacra, sed quod figuræ forent rerum quæ in Lege Evangelica eventuræ erant. Sic ipse S. Augustinus c. 12. citati L. 3. de Doctrina christiana, ait, "Unctionem qua mulier unxit pedes
„Christi, & matrimonium quod Oseas contraxit cum Tom. 3. p. 1. p. 50. G. & 51. A.
„muliere fornicaria, fuisse figuras rerum aliarum;" neque tamen excludit veritatem, tum unctionis, tum matrimonii.

Pariter, ut recte observat Eminentissimus Perronius, multa sunt in Scripturis mandata, quæ facinus & flagitium videntur jubere, & quæ aliquo sensu figurata sunt, quæ tamen rei præceptæ veritatem non excludunt, sed continent. Talis est immolatio Isaac, Gen. 22. spoliatio Ægyptiorum, Exodi 12. destructio Amalecitarum, 1. Reg. 15. jussio facta Oseæ, de meretrice in conjugem assumenda. Etsi igitur ista Christi verba, *Nisi manducaveritis &c.* facinus sonare videantur Capharnaitarum auribus, non tamen idcirco veritatem & realitatem manducationis carnis Christi excludunt; sed modum duntaxat manducationis, quem ex crasso errore sibi finxerant carnales illi. Figuram igitur continent hæc verba, sed figuram plenam veritate rei quam exprimunt, non vacuam & inanem.

Non alium porro esse S. Doctoris sensum inde constat, quod loco citato loquens de Patribus veteris Testamenti, ut, quam attulerat, regulam confirmet, ait: "Quidquid ibi tale narratur, non solum histo„rice, sed etiam figurate ac prophetice acceptum, „interpretandum est." Mens igitur illius non est, quod qualibet figurata Scripturæ locutio rei enuntiatæ veritatem excludat, imo potius quod sæpissime eam includat. Unde retorqueri adversus Novatores, atque in confirmationem dogmatis Catholici urgeri merito potest hoc ipsum S. Augustini testimonium, isto nempe ratiocinio: Quoties præceptiva locutio Scripturæ flagitium sonat, toties figurata est locutio: atqui ista verba, *Nisi manducaveritis &c.* in rei veritate flagitium nec sonant, nec præcipiunt; ergo in rei veritate figuratam non continent locutionem; ergo in sensu proprio, naturali & obvio debent usurpari, pro vera scilicet & reali carnis Christi manducatione, excluso duntaxat modo carnali Capharnaitico.

ARTICULUS III.

An vera, realis, & substantialis præsentia corporis Christi in Eucharistia efficaciter probari possit ex verbis institutionis Matth. 26. &c.

Constat apud omnes tam Hæreticos, quam Catholicos, Christum Dominum his verbis instituisse Sacramentum Eucharistiæ, *Hoc est corpus meum. Hic est sanguis meus*, quæ referuntur à S. Matth. c. 26. v. 26. & sequentibus; à S. Marco c. 14. v. 22. & seq. à S. Luca c. 22. v. 14. & seq. & à S. Paulo 1. ad Cor. 11. v. 23. & seq.

Orthodoxi sensu naturali & obvio quem præseferunt verba hæc interpretantur de præsentia reali, vera & substantiali corporis & sanguinis Christi in Eucharistia. Ita semper intellexit per Orbem universum diffusa Christi Ecclesia.

Lutherus nihil non tentavit, ut prædicta verba ad sensum figurativum, exclusivum præsentiæ realis inflectere posset; sed manifesta eorum evidentia victus ac supe-

ac superatus, realem Christi in Eucharistia præsentiam admittere coactus est.

Zuinglius dio quoque se ignorasse fatetur, verba ista, *Hoc est corpus meum*, idem sonare, ac, *Hoc significat*, seu, *Hoc est figura corporis mei*.

Calvinus tandem & omnes ejus discipuli summa audacia & pertinacia contendunt, in citatis verbis figuram esse exclusivam substantiæ corporis Christi: sed non consentiunt inter se, aut de ipso figurato sensu, aut de sede, seu verbo in quod cadit figura quam hic fingunt; aliis typum & figuram statuentibus in pronomine *hoc*, aliis in verbo *est*; aliis in nomine *corpus*; aliis tandem in pronomine *meum*, idque tam stupenda sententiarum discrepantia & confusione, ut quatuor vocularum interpretationes, seu potius depravationes, apud eos superiori sæculo usque ad ducentas excreverint. Lege Bellarminum L. 1. de Euchar. c. 8. Vasquesium in 3. partem S. Th. q. 75. art. 1. c. 6.

Neque est quod Albertinus L. 1. de Euch c.8. tanto fastu exaggeret nostrorum etiam Theologorum dissensiones ac pugnantes sententias, in figenda significatione pronominis *hoc*, & aliorum verborum hujus propositionis, *Hoc est corpus meum*.

Namque variæ illæ expositiones ad eundem collimant scopum, nempe ut realem Christi præsentiam in Eucharistia demonstrent ac tueantur: non ita Novatorum expositiones. Itaque adversus eos sit.

CONCLUSIO.

Ex verbis institutionis efficaciter probatur vera, realis & substantialis præsentia corporis Christi in Eucharistia.

Probatur. Quia verba illa efficaciter probant illam Christi præsentiam, quæ proprio, naturali & obvio sensu quem præseferunt, intelligenda sunt, non figurato, improprio, & metaphorico: atqui verba Christi instituentis Eucharistiam, proprio, naturali & obvio sensu quem præseferunt, intelligenda sunt, non improprio, figurato, ac metaphorico, ergo efficaciter probant realem Christi in Eucharistia præsentiam.

Tota hujus argumenti difficultas in minori propositione posita est.

Minor itaque propositio.

Probatur 1. Quia Scripturæ verba proprio & naturali sensu intelligenda sunt, quoties nihil continent *quod aut ad morum honestatem, aut ad fidei veritatem referri non poss.*: certissima est Augustini regula Lib. 3. de Doctrina Christiana cap. 10. At qui per verba ista, *Hoc est corpus meum*, sensu præsentiæ realis intellecta, nihil continent, quod non possit referri aut ad morum, honestatem aut ad veritatem fidei.

Tom. 3. p. 1. p. 49. D.

De morum honestate ac sanctitate certum est, nec diffitentur adversarii, hanc enim maxime promovet & excitat fides præsentiæ realis, cum doceat mundos esse oportere, & omni mortali peccato vacuos eos omnes qui Eucharistiæ participes fieri volunt.

De veritate fidei constabit ex solutione Objectionum, ubi ostendemus dogma præsentiæ realis nullis aliis fidei Christianæ capitibus adversari.

De rationis ac sensuum humanorum judicio nihil dixit in adducta regula S. Augustinus: noverat enim fidei nostræ mysteria non ex ratione aut sensibus æstimanda esse & dignoscenda, sed ex sola revelatione Dei, interprete Ecclesia.

Probatur 2. eadem minor propositio, ex variis circumstantiis institutionis Eucharistiæ, quæ certe omnes conspirant in sensum proprium & naturalem præsentiæ realis.

Prima circumstantia petitur ab Evangelistis qui institutionis verba referunt: nullus siquidem eorum vel minimum quidem insinuat, figurate loquutum esse Christum; quod certe in re tanti momenti, ex qua gravissimi erroris (si Calvinistas audiamus) periculum erat, & ex qua tot dissensiones orituras aliquando fore, prævidebat Spiritus sanctus, omittere non debuissent: præsertim cum, ubi subest aliqua dictionis ambiguitas, mutuam sibi lucem afferant Evangelistæ, ut quod ab uno vel obscure, vel figurate expressum est, id alius magis proprie, & plenius explicet. Sic v. g. S. Joseph non semel pater Christi appellatur: at ne falleremur dictionis ambiguitate, & naturalem patrem intelligeremus, S. Lucas addidit, *ut putabatur*. Sic quando dixit Christus, cavendum esse *à fermento Pharisæorum*, exposuit Evangelista, *de hypocrisi*. Cum pariter dixit, *Solvite templum hoc*, S. Joannes exponit de templo *corporis ejus*. Joannem quoque Baptistam, quem S. Matthæus Eliam dixerat, S. Lucas exponit talem fuisse *spiritu & virtute*. Quidni igitur idem præsenti negotio observassent Evangelistæ?

Secunda circumstantia desumitur ex parte Christi loquentis & instituentis Eucharistiam. Scilicet, si per hæc verba, *Hoc est corpus meum*, significare voluisset se corporis sui figuram duntaxat dare, non verum corpus, contra proprium & naturalem verborum sensum & receptas sermonis leges loquutus fuisset; atqui gravissimi erroris occasionem præbuisset Apostolis suis, quod certe & cum sapientia, & cum ejus bonitate ac clementia non cohæret.

I. contra proprium verborum sensum & receptas sermonis leges loquutus esset, quia cum locutio seu sermo sit institutus, ut homines sibi mutuo suas manifestent cogitationes; qui loquitur, debet ita loqui ut possit intelligi; ad hoc autem necesse est eum uti verbis quorum sensum & significationem novit auditoribus suis perfectum, & usu receptum. At nemo unus est qui hanc audiens propositionem, *Hoc est corpus meum*, figuratum hunc sensum animo concipiat, *Hoc*, id est, *panis*, *significat corpus meum*. Quid ita? quia vox ista *panis*, destinata non est ad significandum corpus Christi; & si illud significat, hoc habet tantum ex libera loquentis destinatione; & nisi velit pro ridiculo haberi & irrisore, antequam in sermone publico sensum hunc singularem usurpet, debet prius auditores suos monere. Sic v. g. qui apud se tacitus statuisset, leonem in sermone usurpare ad significandum Alexandrum magnum, nec prius de hoc suo consilio auditores monuisset, inepte admodum diceret, *Leo est Alexander magnus*; aut simpliciter, *Leo debellavit Darium*, per leonem intelligendo Alexandrum. Quid ita? quia vox ista, *leo*, ex se absoluta est, minime destinata ad significandum Alexandrum; & nemo esset qui talem sensum posset subodorari. Non ita fit in rebus quæ ex communi ac recepta hominum destinatione usurpantur ad alias significandas: tunc enim auditores in fraudem induci non possunt, cum soleant rem istam considerare ut alterius signum & figuram. Sic v. g. qui ostendens imaginem Cæsaris, aut Chartam geographicam Galliæ, diceret, En Cæsar, En Gallia, non absurde loqueretur, & facile intelligere quid ille vellet; quia scilicet tabella Cæsaris & Charta geographica Galliæ, ex usu destinantur ad præsentandum Cæsarem & Galliam. Ex solo igitur usu æstimari debet, an apta & idonea sit, an inepta & subdola locutio. Jam vero certum est, vocem hanc, *panis*, ex se, aut hominum usu, aut hominum usu destinatam non esse ad significandum corpus Christi, quam significationem si habeat, ex sola Christi loquentis voluntate ac destinatione habet: debuit igitur Christus monere prius Apostolos, se *panis* nomine uti, ad significandum corpus suum. Porro nullibi Christus Apostolos monuit de hac

de hac sua singulari destinatione ; igitur contra proprium & naturalem verborum sensum loquutus fuisset; quod certe non patitur summa ejus sapientia & æquitas.

II. Gravissimi erroris occasionem dedisset Apostolis suis Christus, si per ista verba, *Hoc est corpus meum*, significare voluisset se figuram dumtaxat & imaginem corporis sui dare : quia verba hæc ex se realis præsentiæ sensum statim menti offerunt, non vero sensum figuratum exclusivum hujus præsentiæ, qui certe sensus nonnisi per vim & oblique elici potest ex istis verbis ; pronum igitur erat ut Apostoli (qui monitu prius non fuerant) sensum hunc realitatis intelligerent & crederent, & consequenter præsentem in Eucharistia Christum adorarent ; qui error certè gravissimus est, in sententia Calvinistarum, & periculo idololatriæ exponit : porro divinam non decet bonitatem ac clementiam, iis verbis uti quæ proprio ac naturali sensu accepta in fraudem & errorem inducant.

Neque est quod dicas, sequi ex hoc nostro ratiocinio, debuisse Christum tam claris ac perspicuis verbis semper uti, ut nullam unquam dubitandi vel errandi occasionem reliquerint, quod tamen constat esse falsum; omnes enim errores ex verbis Scripturæ aut obscuris, aut oblique detortis, orti sunt ; ita imprimis hæresis Ariana maxime abusa est his Christi verbis, *Pater major me est*.

Namque aliud longe est Christum verbis tam perspicuis loqui, ut nullus supersit dubio vel errori locus ; & aliud, Christum iis verbis uti, quæ in proprio, naturali & recepto sensu accepta, in fraudem & errorem auditores ex sese inducant. Prius non semper observat Christus, nec tenetur, imo potius pertinet ad providentiæ illius leges, ut permittat hæreses esse, quibus & Catholica veritas magis illustratur, & Fidelium religio ac fides confirmatur & probatur ; at posterius nunquam fecit Christus, nec potuit. Neque exemplum adductum ex his verbis Christi, *Pater major me est*, aptum est, & ad rem nostram ; vera quippe est propositio hæc, sensu limitato quem ipse Christus intelligebat & aliis insinuabat ; scilicet, Patrem se, ut hominem, majorem esse : unde immerito Ariani hoc testimonio usi sunt in erroris sui præsidium & confirmationem.

Tertia circumstantia petitur ex ipsis Christi verbis, quæ, ut diximus, in proprio, naturali & obvio sensu debent exponi : illa autem realem præsentiam cuilibet audienti ingerunt.

Et certe extra omne dubium est, potuisse Christum nobis verum & reale corpus suum dare in Eucharistia ;
Luc. 1. v. 37. *non enim impossibile est apud ipsum omne verbum* : neque difficilius ipsi est substantiam panis in proprii corporis sui substantiam convertere, quam aut aquam in vinum mutare, aut mundum ipsum ex nihilo educere. Potuit igitur ; at forte noluit ? Sed dicant adversarii, an, si voluisset, potuisset verbis significantioribus, & expressionibus hanc suam voluntatem adimplere, quam istis, *Hoc est corpus meum*, quæ profecto æque clara sunt & invicta ad ostendendam præsentiam realem, quam ista, *Ego & Pater unum sumus*, ad comprobandum, contra Socinianos, unitatem essentiæ Christi cum Patre. Quod si prioribus verbis Calvinistæ caliginem obtendunt per figuratum suum sensum, non minori audacia & temeritate posteriora obscurare conantur Sociniani, ea de unitate affectus & voluntatis interpretando. Quod si prius Calvinistis liceat, contra naturalem & obvium verborum sensum ; quidni & posterius licebit Socinianis ? quo enim jure figuræ usum, qui apud ipsos tam frequens est in exponendis, vel potius adulterandis Scripturæ verbis, illis eripere tentabunt Calvinistæ, quo ipsimet abutuntur ut planum ac facilem istorum verborum sensum, *Hoc est corpus meum*, ad figuram & metaphoram detorqueant ?

Adde, quod nullum est in hac Christi propositione verbum, quod sensum illum figuratum pati possit, ut ex solutione Objectionum perspicuum fiet.

Quarta circumstantia petitur à materia de qua agitur. Scilicet, Christus instituens Eucharistiam, dogma fidei proposuit, Sacramentum instituit ; præceptum dedit, testamentum denique condidit ; atqui hæc omnia postulant ut verba Christi sensu proprio & naturali, non autem figurato & metaphorico sumantur.

I. Dogmata fidei, si non verbis semper clarissimis proponantur, saltem nunquam iis, quæ proprio & naturali sensu usurpata in fraudem & errorem inducant, qualia sunt laudata verba Christi, si realem præsentiam non exprimant de facto, quam tamen juxta communem verborum significationem exprimunt.

II. Eadem de causa Sacramenta institui debent per verba naturali obvio & proprio sensu accepta, ne scilicet detur occasio errandi in eorum Sacramentorum usu : hinc est quod nullum Sacramentum institutum legamus verbis figuratis & metaphoricis. Quod si contingat aliquando, Scripturam, cum de Sacramentis agit, aliquo verbo figurato uti, istud non Sacramenti institutionem spectat, sed ejus dumtaxat vel effectum, ut v. g. cum Joan. 3. Christus loquens de Baptismo, utitur verbo *renascendi* ; vel mysticam significationem, ut cum circumcisio carnis usurpatur ad significandam cordis circumcisionem ; vel denique tam clara & aperta est figura dictionis, ut nullus ea falli possit : v. g. cum S. Lucas dixit, *Calicem pro nobis effundi in remissionem peccatorum* ; quis enim tam stupidus est, qui non videat ibi continens pro te contenta usurpari, vas scilicet pro sanguine qui vase continetur ?

III. Præceptum debet claris & propriis verbis enuntiari, ne detur occasio fallaciæ & prævaricationi, ne incerta pro certis, falsa pro veris, noxia pro salutaribus observentur.

IV. Denique, testamentum debet verbis minimè ambiguis, sed maximè propriis, simplicibus ac claris concipi, ne inter hæredes litis & dissensionis detur occasio. Ita quodcunque in veteri Testamento refertur morientis testamentum, ut Jacobi Gen. 49. Davidis L. 3. Reg. c. 2. Tobiæ senioris L. Tobiæ c. 4. Mathatiæ L. 1. Machabæorum c. 2. &c. planis ac maximè propriis verbis conceptum est, nisi fortè quædam in ipso includatur prophetia, ut Gen. 49. tunc enim, quod ipsa prophetiæ conditio fert, ut plurimum nonnulla occurrit figurata expressio. Christus igitur qui suprema sua voluntate morti proximus suum nobis corpus in Eucharistia relinquere voluit, verbis non figuratis & metaphoricis usus est, sed propriis.

Quinta circumstantia quartæ affinis maximè, petitur ex tempore quo Christus Eucharistiam instituit, morti scilicet proximus, tum cùm solent homines verbis perspicuis amicos affari, & intima cordis arcana reserare : tunc, ut canit Lucretius,

Cùm veræ voces pectore ab imo
Eliciuntur, eripitur persona, manet res.

Sexta denique circumstantia ex Apostolis, quos alloquebatur Christus, desumitur : quos amicos vocat, quos ut magistros totius Orbis futuros præformabat, quibus antea Joan. 16. v. 25. dixerat, *Venit hora cum jam non in proverbiis loquar vobis*, quibus denique parabolas explicare solebat. An verò credibile est, si quis fuisset in verbis suis tropus, si quæ figura, ipsis non exposuisse Christum ! præsertim cum, ut antè diximus, verba quibus utitur ex usu suo naturali ac

recepto

recepto destinata non est ut ad figuratum sensum ingarendum ?

Solvuntur Objectiones Novatorum adversus probationem ex verbis institutionis.

Objicies 1. Illud tantum vere & realiter in Eucharistia reperitur, quod Christus accepit, benedixit, fregit, deditque Discipulis, dicens, *Accipite, & comedite, hoc est corpus meum.* Atqui quod accepit Christus, quod benedixit, fregit & dedit Discipulis, panis erat; ergo solus panis in Eucharistia tanquam signum & figura corporis Christi reperitur.

Resp. 1. istud argumentum retorqueri facile posse adversus nostros adversarios, quibus, perinde ac nobis solvendum est. Namque si valeat adductum istud ratiocinium, efficiet in Eucharistia non esse nisi panem communem & ordinarium, nulla gratia, nulla efficacia & virtute plenum; siquidem illud tantum reperitur in Eucharistia, quod Christus accepit, quod benedixit ac dedit; illud autem fuit panis communis & ordinarius; ergo &c. an vero consequentiam illam admittent Novatores?

Sicut igitur tenentur respondere, panem quidem illum quem accepit Christus communem & ordinarium fuisse ante benedictionem & consecrationem Christi postea vero illum sanctum ac divinum panem evasisse; ita & nos respondemus.

Resp. 2. dist. maj. Illud tantum est in Eucharistia, quod Christus accepit, benedixit &c. immutatum & conversum in corpus Christi per verba ipsius, concedo: non mutatum, neque conversum, nego. Pariter dist. min. Accepit Christus panem, quem mutavit & convertit in corpus suum per hæc verba, *Hoc est corpus meum*, concedo: quem non mutavit neque convertit, nego. Quæ solutio ut facilius intelligatur.

Observandum est, duplicis ordinis distingui debere propositiones; scilicet speculativas, alias vero practicas.

Propositio speculativa illa est, quæ objectum suum supponit, non facit; quales sunt istæ, "Dies est, Sol lucet. Deus est omnipotens &c.

Propositio practica seu operativa est, quæ facit id quod significat: sic cum dixit Deus, *Fiat lux*; cum alicui liber datur, dicendo, *Hic liber est tuus*; propositio practica est; quia id ipsum operatur, quod significat.

In ejusmodi vero propositionibus duplex distinguitur terminus, unus à quo, alter ad quem fit mutatio: unde uterque ille terminus in propositione exprimitur, prout illa consideratur secundum suam significationem, aut completam & perfectam; aut transitoriam tantum ac fluentem. Si propositio spectetur antequam sit perfecta & completa, tunc terminus à quo fit mutatio suam adhuc retinet naturam & denominationem; si vero spectetur ut completa & perfecta, & secundum suam significationem permanentem, tunc terminus *à quo* plane immutatus & conversus supponitur in terminum *ad quem*. Res in exemplo clarior fiet. Supponamus v. g. Christum, cum aquam in vinum converteret, dixisse, *Hoc est vinum*, propositio illa practica fuisset & operativa, cujus duplex est terminus, unus à quo, nempe aqua; alter ad quem, nempe vinum in quod mutata fuit aqua. Si propositio spectetur ut nondum completa, & secundum significationem suam fluentem & transitoriam, nondum aqua concipitur conversa in vinum, sed suam adhuc naturam habere ac denominationem supponitur; mutatio quippe non censetur fieri, nisi cum absoluta est ac completa propositio. Si quis igitur contenderet aquam non fuisse in vinum conversam, & sic argueret; Illud tantum est in hydriis, quod Christus afferri jussit: atqui jussit afferri hydrias aqua plenas; ergo in illis est tantum aqua: quid responderent Calvinistæ? non aliud profecto, nisi solam aquam fuisse quidem in hydriis, quando allatæ sunt, antequam Christus virtute sua illam in vinum convertisset; sed illam conversionem, non esse amplius aquam, sed vinum. Idem & in præsenti in miraculo Eucharistiæ respondamus. Antequam Christus dixisset, *Hoc est corpus meum*, quod præ manibus tenebat erat merus panis communis; sed post absolutam istam propositionem, vi & efficacia illius, panis ille conversus fuit & mutatus in proprium Christi corpus.

Instabis 1. Si quis tabellam Regis ostendens diceret, *Hic est Rex*, non sequeretur esse ipsum Regem, sed tantum ejus figuram & imaginem, ergo pariter, quando Christus tenens præ manibus panem dixit, *Hoc est corpus meum*, non sequitur, panem esse revera corpus Christi, sed tantum ejus figuram & imaginem.

Resp. magnum discrimen esse inter utramque propositionem. In prima qui sic loquitur, aliud non potest in animo habere, quam figuram Regis ostendere; & qui illum sic loquentem audiunt, non possunt nisi de simplici figura Regis cogitare. Quid ita? quia scilicet tabella ex se signum est ac figura personæ quam repræsentat. In altera vero propositione, panis non potest assumi ad repræsentandum & significandum Christi corpus, quia ad hoc minime factus est, nisi peculiaris accedat loquentis intentio, quam declarare prius debet, si velit auditoribus non illudere, sed ab illis intelligi. Porro nunquam declaravit aut monuit Christus, se panem assumere ut sit figura & signum corporis sui; quando igitur dixit, *Hoc est corpus meum*, dicendo, panem revera fecit corpus suum, per veram unius in alterum transmutationem seu transubstantiationem.

Instabis 2. Etiam prolata & completa ista propositione, *Hoc est corpus meum*, panis non convertitur in corpus Christi, siquidem idem omnino apparet qualis erat ante propositionem, & panis etiam vulgato nomine appellatur.

Resp. veritatem mysteriorum non ex sensibus & rationis judicio judicandam esse, sed ex verbo Dei, interprete Ecclesia: alias Sociniani adversus mysteria Trinitatis & Incarnationis tanta audacia insorgentes, quomodo refelli poterunt à Calvinistis? Apparet quidem idem panis, quia remanent eadem illius accidentia, etsi doceat fides non remanere substantiam. Et certe, juxta adversarios, quædam mutatio fit in pane per benedictionem: per illam enim enim de pane communi & prophano fit panis sanctus, divinus, sacramentalis, virtute quadam & efficacia Christi plenus. An post completam propositionem & factam benedictionem, sensibilis fit hæc immutatio? minime: idem enim omnino videtur panis, qualis antea. Pariter igitur, etsi mutatio substantialis quæ fit in pane, sensibus deprehendi non possit, non ideo tamen neganda.

Idcirco autem post ipsam consecrationem Eucharistia vocatur panis; tum quia ex pane facta est; solet autem Scriptura etiam post factam mutationem rei alicujus, nomen quod prius habebat retinere. Sic exodi 12. v. 7. virga Aaronis, etsi versa in serpentem, vocatur *virga*. Sic Marci 14. v. 3. simon vocatur leprosus, quia talis antea fuerat. Tum quia panis species & accidentia retinet; ita Scripturæ Exodi 2. & Deut. 4. vocat Deum, *ignem consumentem*, quia in specie ignis apparebat; & Abraham Angelos vocat *homines*, quia formam & speciem hominis induerant. Tum quia idem præstat Eucharistia in anima, per gratiam confortantem, quod panis materialis in corpora, per virtutem nutrientem.

Objectio ex pronomine hoc.

Objicies 2. In ista Christi propositione, *Hoc est corpus meum*, pronomen demonstrativum, *hoc*, panem ipsum quem Christus tenebat, demonstrat; atqui panis non potest dici corpus Christi, nisi per figuram; non enim est corpus naturale, duo quippe sunt valde disparata. Ubi autem, inquit Albertinus L. c. 13. disparatum de disparato prædicatur, aut figurata est, aut falsa enuntiatio; aperta igitur est in citatis Christi verbis figura, & sola terminorum apprehensione opus est, ut detegatur in ipso nomine *panis*.

Major propositio probatur. Vel enim pronomen *hoc*, nihil demonstrat, vel panem demonstrat, vel species panis, vel aliquid distinctum ab illis; atqui ridiculum foret asserere pronomen demonstrativum nihil plane demonstrare. Dici quoque non potest, eo pronomine demonstrari panis species; illæ quippe nec sunt, nec dici possunt Christi corpus; non etiam demonstratur Christi corpus, tum quia, juxta nos, pronuntiata tantum hac voce, *hoc*, nondum est corpus Christi; tum quia propositio ista, *Hoc est corpus meum*, juxta nos, practica est & operativa; at si pronomen *hoc* demonstraret corpus Christi, propositio speculativa foret. Denique, pronomen *hoc* non demonstrat aliquid distinctum à pane, aut speciebus panis, aut corpore Christi: neque enim dici potest quid sit illud distinctum ab his omnibus; ergo superest ut pronomen *hoc* demonstret in propositione Christi, panem ipsum.

Resp. 1. cum Card. Perronio L. 3. de Euchar. c. 27. ejusmodi logicarum seu sophisticarum argutiarum ineptias facile deprehendi, si ad alia exempla transferantur. Si Moyses v. g. convertendo aquas in sanguinem, aut virgam in serpentem, dixisset, *Hic est sanguis*, *Hic est serpens*; si Deus uxorem Loth in statuam salis. Christus aquam in vinum mutans, dixisset, *Hic est sal*, *Hoc est vinum*; similiter quæri posset ab adversariis, quid pronomen *hoc* demonstret in adductis propositionibus eadem quippe est difficultas quæ occurrit in præsenti Eucharistiæ argumento.

Quod vero reponit Albertinus L. 1. de Euchar. c. 8. fore, ut si vel Moyses, vel Christus voluissent tales mutationes ad ultimum instans quorumdam verborum operari, nunquam hisce loquendi modis usi fuissent, profecto vanum est ac plane fictum: ubi enim est impossibilitatis & implicantiæ ratio? Num limites habet divina virtus? An hoc ipsi difficilius est, quam lucem ex tenebris eruere per hæc verba, *Fiat lux*, aut per ista, vel similia, *Hoc est lux*? quibus enim vult, & quomodo vult, verbis suam virtutem Deus exerit & imprimit. Videant igitur quid ad propositiones factas responderent Calvinistæ, & idem nos propositæ difficultati respondebimus.

Si dicant, pronomen *hoc*, secundum significationem transitoriam, id est spectando miraculorum ut nondum factum, sed mox faciendum, aquam, virgam mulierem, demonstrare; secundum autem significationem permanentem, id est spectando miraculum ut jam completum & factum, demonstrare sanguinem, serpentem, statuam salis, vinum: similiter & nos dicimus, pronomen *hoc* in verbis Christi, demonstrare panem, secundum significationem suam transitoriam & fluentem, spectando scilicet conversionem ut nondum factam, sed mox faciendam ubi completa erit propositio; demonstrare vero corpus, secundum significationem permanentem, spectando scilicet conversionem factam & completam, post absolutam verborum pronuntiationem.

Ratio est, quia, ut antea jam observavimus, in propositionibus practicis & operativis, in quibus transitus fit ab uno termino ad alium, terminus à quo fit transitus, suam naturam & denominationem retinet, donec mutatio completa fuerit & absoluta.

Resp. itaque 2. pronomen *hoc*, in ista propositione, *Hoc est corpus meum*, spectari posse duobus nobis: scilicet, vel in eo instanti quo profertur; necdum completa est propositio; vel in instanti quo completa est propositio. Si priori modo spectetur, neque panem, neque species panis, neque corpus Christi, neque quidquam aliud ab his distinctum clare & determinate demonstrat, sed confuse tantum & indeterminate substantiam aliquam præsentem.

Ratio est, quia pronomina in eo differunt à nominibus, quod hæc per se significant; illa vero ex se & sola nihil determinate demonstrant: debent igitur cum nominibus conjungi, ut significatio clara sit, distinct & determinata. Unde in hac propositione, *Hoc est corpus meum*, si pronomen *hoc* solitarie, & quasi avulsum ab aliis ejusdem propositionis terminis, spectetur, nihil determinate significat, sed generatim tantum & confuse substantiam præsentem.

Si vero posteriori modo spectetur, nempe in eo instanti quo completa est propositio, pronomen *hoc* determinate Christi corpus demonstrat.

Ratio est, quia demonstratio individui in confuso per adjectionem nominis evadit determinata, quia tunc pronomen *hoc*, quod ex se confuse tantum demonstrat, componitur cum nomine quod significat corpus Christi.

Præterea in ista propositione Christi, *Hoc est corpus meum*, pronomen *hoc* vel sumitur substantive, vel adjectivo; atqui utroque sensu demonstrat Christi corpus.

Si enim sumatur substantive, sensus propositionis iste est. Hoc quod vobis trado, est corpus meum: istud pronomen *hoc* supponere ibi non potest pro pane. 1. quia dici non potest *hoc* in neutro genere, de re quæ cernitur & aperte cognoscitur, nisi sit genere neutra, qualis non est vox *panis* apud Græcos. 2. quia revera panis non est corpus Christi, & falsa esset Christi propositio, si pronomine *hoc*, panem vellet demonstrare. 3. quia additur, *quod pro vobis tradetur*: at panis non traditus fuit pro nobis, sed corpus Christi. 4. quia inepta foret ab usu communi plane abhorrens loquendi ratio Christi, vellent panem esse corpus suum, significatione dumtaxat; siquidem, ut ex ante dictis planum est, panis destinatus non est ad significandum corpus, nisi accedat peculiaris Christi loquentis intentio & destinatio, de qua omnino tacuit.

Si vero adjective sumatur, demonstrat id quod significat substantivum; substantivum autem in adducta propositione, non potest esse nomen *panis*, quia est generis masculini, istud vero τοῦτο neutrum est; igitur substantivum est nomen σῶμα, *corpus*, quod neutrum est. Unde sensus non est, *Hic panis est corpus meum*, sed, *Hoc corpus, est corpus meum*, seu, est illud corpus meum, quod pro vobis tradetur &c. in Græco enim habetur, τοῦτό ἐστι τὸ σῶμά μου, *hoc est illud corpus meum &c.*

Instabis 1. Pro eo instanti quo pronomen *hoc* pronuntiatur, propositione nondum completa, demonstrat aliquid præsens ad sensum, & supponit, ut ait Maldonatus, pro re distincta & determinata: at tunc non demonstrat Christi corpus.

Resp. dist. maj. Demonstrat aliquid præsens confuse, indistincte & indeterminate, concedo: clare & determinate, nego. Patet solutio ex mox dictis.

Instabis 2. Pronomen *hoc*, etiam nondum finita propositione, profertur à pronuntiante modo significativo & efficaci ad conficiendum sacramentum; ergo cum efficacia sacramentorum fundetur in verborum significatione, necesse est ut pronomen *hoc* aliquid significet pro eo instanti quo profertur.

Resp.

Resp. dist. maj. profertur à pronuntiante modo significativo, confuso & indeterminato: id est, pronomen, *hoc*, nondum completa propositione, demonstrat confuse & indeterminative substantiam aliquam præsentem, concedo: profertur modo significativo distincto & determinato; id est, significat determinate Christi corpus, nego.

Ad id quod additur de efficacia verborum sacramentalium fundata in eorum significatione,

Resp. partes formæ sacramentalis seorsim sumptas & separatas, practice non significare, sed unam simplicem esse illarum omnium significationem practicam, prout scilicet componunt unam totalem & perfectam orationem.

Instabis 3. Pronomen *hoc* distincte significat quod Christus accepit: sed accepit panem, non corpus suum; ergo &c.

Resp. dist. maj. Distincte significat quod accepit, nisi immutavit per verba sua, concedo: si immutavit quod accepit, nego Dist. min. Accepit Christus panem, quem immutavit & convertit in corpus suum, concedo: quem non mutavit neque convertit, nego. Solutio patet ex responsione ad primam Objectionem.

Instabis 4. Si pronomen *hoc*, etiam spectatum in instanti quo completur propositio, significat corpus Christi, ista Christi propositio, *Hoc est corpus meum*, est prorsus identica & nugatoria, in qua scilicet idem foret prædicatum & subjectum; & sensus esset, *Hoc corpus meum, est corpus meum.*

Resp. nego maj. Propositio enim identica ea dicitur, in qua non tantum idem est subjectum & prædicatum, sed etiam est idem significandi modus: alias istæ propositiones Scripturæ, *Hic est Filius meus dilectus*, *Hic est Jesus Propheta*, *Hic est agnus Dei &c.* identicæ forent & nugatoriæ. Pariter propositiones in quibus definitio prædicatur de definito, v. g. ista, *Homo est animal rationale*, esset identica, quia in ejusmodi propositionibus idem est subjectum & prædicatum; non tamen sunt identicæ & nugatoriæ, quia non est idem significandi modus: quod enim per pronomen *hoc* vel *hic* confuse significatur, distinctius exprimitur per sequentes voces. Adde quod cum non sit idem existendi modus corporis Christi in Eucharistia, & in statu suo naturali, recte dici potest, "Hoc corpus est corpus „meum," seu, juxta græcum, "Hoc corpus est illud „corpus meum, quod *nempe* pro vobis tradetur &c." quæ propositio minime identica est, cum innuat alium esse modum existendi corporis Christi in Eucharistia, & alium in proprio & naturali statu, licet quoad substantiam idem plane sit corpus.

Instabis denique. Catholici ipsi non consentiunt inter se de significatione pronominis *hoc*, sed in varias distrahuntur opiniones. Innocentius III. Catharinus & alii nonnulli putant quidem isto pronomine corpus Christi significari, sed negant iidem, Christum per ista verba, *Hoc est corpus meum*, consecrasse panem, sed volunt arcana benedictione factam esse consecrationem: alii volunt pronomine *hoc* demonstrari panem, ut S. Bonaventura, Bellarm. Cardinalis: alii singularem substantiam, seu rem sub speciebus Eucharisticis præsentem confuse demonstrari, ut S. Thomas, Durandus: alii denique, corpus ipsum Christi demonstrari censent, ut Richardus, Alensis, Maldonatus, Vasquez &c. Nihil igitur certum ac fixum est apud nos, circa significationem pronominis *hoc*.

Vide Forbesium L. ii. c. 8. p. 518. & Albertin. L. 1. de Euch. c. 8.

Resp. varias illas nostrorum opiniones Novatorum errori pariter infensas esse, cum omnes realem & substantialem Christi in Eucharistia præsentiam agnoscant. De prima & ultima certum est: quod vero Innocentius III. Catharinus & alii nonnulli existiment, Christum arcana benedictione, non istis verbis, *Hoc est corpus meum*, panem consecrasse, singularis est opinio, quam tamen non damnavit Synodus Tridentina, ut ex dicendis postea constabit. Alii autem qui per pronomen *hoc* ajunt significari panem, significationem ejus fluentem & transitoriam; qui vero docent significari corpus Christi, completam ac permanentem significationem considerant. Denique, qui pronomine *hoc* ajunt demonstrari singularem substantiam, ii quoque ajunt substantiam illam esse panem, si propositio consideretur ut nondum completa; esse vero corpus Christi, si consideretur ut perfecta & completa. Nihil igitur ex illis variis apud Catholicos pronominis *hoc* expositionibus consequi possunt Novatores.

Objicies 3. In ista propositione, *Hoc est corpus meum*, verbum *est* usurpatur pro *significat*; & sensus est, Hoc, id est, *panis significat*, seu, *figura est corporis mei.* Objectio ex verbo *est*, quod ponitur pro *significat*.

Antecedens probant adversarii multis Scripturæ testimoniis, in quibus verbum *est* ponitur pro *significat*.

Ex veteri Testamento.

Geneseos 17. v. 10. Circumcisio vocatur fœdus, id est, *signum fœderis*.

Et c. 41. v. 26. "Septem boves pulchræ, & septem spicæ plenæ, septem ubertatis anni sunt; *id est*, „significant.

Exodi 12. v. 11. Agnus paschalis dicitur *Phase* id est, *transitus Domini*; nempe quia erat signum transitus.

Ezech. 37. v. 11. de ossibus aridis Deus ait: "Ossa „hæc universa domus Israel est.

Danielis 2. Propheta somnium explicans Nabuchodonosoris v. 38. ait; *Tu es ergo caput aureum*; id est, significaris per illud caput aureum.

Et c. 7. v. 17. aliud explicans somnium, ait: "Hæ „quatuor sunt regna quæ consurgent de terra; id est, significant quatuor regna &c.

Ex novo Testamento adducunt,

Matth. c. 13. v. 37. ubi Christus ait: „Qui seminat bonum semen est Filius hominis: Ager autem est „mundus; bonum vero semen, hi sunt filii regni: zizania autem filii sunt nequam.

Joan. 10. v. 7. *Ego sum ostium.* Et cap. 15. v. 1. „Ego sum vitis vera, & Pater meus agricola est, *inquit Christus.*

1. Ad Cor. 10. v. 4. loquens Apostolus de veteribus Judæis ait: „Bibebant de consequente eos petra, petra „autem erat Christus;" id est, significabat christum.

Denique, Apocalypseos 17. v. 9. „Septem capita, septem montes sunt, super quos mulier sedet, Reges „septem sunt;" id est, significant. Et v. 15. "Aquæ „quam vidisti, ubi meretrix sedet, populi sunt, & gentes, & linguæ.

Resp. nego antecedens.

Ad probationem ex Scripturis,

Resp. 1. vitiosam esse admodum istam arguendi rationem; Verbum *est* in aliquibus Scripturæ testimoniis usurpatur pro verbo *significat*; ergo & in ista propositione Christi, *Hoc est corpus meum.* Namque pariter dicent Sociniani; Verbum *est* usurpatur sæpius sensu tropico & figurativo in Scripturis; ergo in istis quoque propositionibus, "Christus est Deus. Hic est Filius meus „dilectus. Verbum caro factum est." An ferrent Calvinistæ? non puto. Ad subjectum itaque argumentum, de quo sermo fit, variasque loci circumstantias attendere necesse est, ex quibus perspicuum fiet, inter adductas propositiones & istam, *Hoc est corpus meum*, summum esse discrimen.

Resp. itaque 2. in iis locis in quibus verbum *est* usurpatur pro *significat*, figuratum sensum aut diserte in iisdem scripturis exprimi, aut ex subjecta materia, variisque ejus circumstantiis tam aperte elici, ut nullus esse possit fraudi & errori locus. Constabit istud, singula testimonia strictim percurrendo.

Respondetur testimoniis ex cap. 17. Geneseos.

Geneseos 17. Circumcisio vocatur *fœdus* : tum quia est conditio fœderis, ut diserte colligitur ex his verbis versus 10. "Hoc est pactum meum quod observabitis inter me & vos, & semen tuum post te: circumcidetur ex vobis omne masculinum," Tum quia est signum fœderis, ut constat ex verbis immediate sequentibus. "Circumcidetis carnem præputii vestri, ut sit signum fœderis inter me & vos," Exponit igitur expresse sacer Contextus, cur Circumcisio dicatur fœdus, quia scilicet est signum fœderis. Porro adducant, si possint, adversarii, aliquod scripturæ testimonium in quo panis dicatur signum corporis Christi.

Ex cap. 14. Gen.

Capite vero 41, ejusdem Geneseos, agitur de exponendo somnio Pharaonis, in quo boves & spicas aliquid aliud significare & innuere noverat ipse Pharao, quarum sensum inquirit; unde apposite ad illius mentem, respondet Joseph: "septem boves pulchras & septem, spicas plenas, esse *id est*, significare septem annos ubertatis." De illa enim significatione, seu de interpretatione sui somnii sollicitus & perterritus, ut dicitur ib. v. 8. "interrogabat Rex ariolos & sapientes regni sui." Ex subjecta itaque materia & circumstantiis loci manifestum est, Josephum verbum *sunt* usurpasse pro *significant*. Quod si cuipiam alteri de somnio Pharaonis nihil cogitanti, ex abrupto dixisset Joseph: Septem boves pulchræ, sunt septem anni ubertatis, ridicule profecto & imprudenter contra sermonis leges locutus fuisset quod fecisse Christum in hypothesi adversariorum necesse est fateri: siquidem non monitis prius Apostolis de suo consilio, ac destinatione panis ad figurandum corpus suum dixit: *Hoc est corpus meum*, volens tantum innuere, *hoc*, id est, panem, *figurare corpus suum*. Istud vero fingere & cogitare de Christo, non patitur Christiana pietas.

Ex c. 12. Exodi.

Exodi 12. Agnus paschalis dicitur *Phase Domini*, id est *transitus*: quod certe & sine figura, servato sensu proprio & naturali verbi *est*, potest intelligi; & cum figura, absque ullo plane periculo, cum eodem in loco tam distincte sit expressa.

I. In hac propositione, *Agnus est phase seu transitus*, verbum *est*, in proprio & naturali sensu sumitur; subintelligi quippe debet vox *sacrificium*, vel, *victima*; ita ut iste sit sensus, *Agnus est victima transitus*, à Deo scilicet præcepta in memoriam & gratiarum actionem liberationis primogenitorum Israel, qui sensus aperte colligitur ex versu 26. & 27. ejusdem capitis. *Cum dixerint vobis filii vestri*, (inquit Deus per Moysen) *Quæ est ista religio? Dicetis eis: Victima transitus Domini est.* En explicatio hujus propositionis, *Agnus est transitus*, Porro familiare est Scripturæ, vocem sacrificii, aut victimæ, per quoddam sermonis compendium supplere. Ita Sacerdotes dicuntur *comedere peccata populi*; id est, res oblatas in sacrificium expiatorium Christus ipse dicitur *factus pro nobis peccatum*; id est, hostia pro peccato.

II. Etsi supponatur quædam esse figura in verbo *est*, in ista propositione, *Agnus est phase seu transitus*, atque usurpetur pro *significat*, quia Agnus est figura & signum transitus; tamen hæc figura adeo facilis est, conspicua, loci, rei, & personarum circumstantiis adeo accommoda, ut cœcus sit oporteat, qui eam non deprehenderit. Agebatur scilicet de magno quodam ceremoniarum apparatu in comedendo Agno paschali, quo excitari ac commoveri Judæorum curiositatem [ut assolet] pronum erat, ut statim inquirerent, quis tandem foret illarum scopus, quis finis, quæ significatio; quam eorum dispositionem non obscure indicat Scriptura his verbis v. 26. citati capitis, "Cum dixerint vobis filii vestri, Quæ est ista religio? Dicetis &c." Igitur sic animo præparati erant Judæi, ut Agnum illum tanquam figuram & signum rei alterius spectarent: unde nihil periculi fuit, ne in fraudem & errorem inducerentur, cum Moyses dixit, *Agnum esse transitum Domini*, id est, significare transitum Domini. At non ita est de propositione Christi, *Hoc est corpus meum*: neque enim Apostoli, ut diximus antea, panem tanquam figuram corporis Christi habuerunt unquam, de qua eos nunquam monuit Christus.

Ex cap. 37. Ezechiel.

Ezechielis 37. refertur visio Prophetæ, qua in patenti campo maxima ossium exsiccatorum congeries ei ostense fuit, cujus visionis mysterium explicatur; nimirum ossa illa omnia, quæ primum arida, tum spiritum vitæ resumentia vidit Propheta, futuram repræsentabant corporum resurrectionem; quod ibid. v. 12. declarat Deus; "Ecce ego, *inquit*, aperiam tumulos vestros, & educam vos de sepulchris vestris." Igitur ex subjecta materia & circumstantiis hujus visionis clarum est, in hac propositione, *Ossa hæc universa domus Israel est*, verbum *est*, poni pro *significat*; illud quippe exigit argumentum de quo sermo est.

Ex cap. 2. & 7. Dan. Ex cap. 13. S. Matth.

Daniel citato capite interpretatur somnium Nabuchodonosoris: in somnis autem res una ad aliam significandam objicitur; nihil igitur mirum, si verbum substantivum *est*, sumatur pro *significat*. Constat solutio ex responsione ad c. 41. Geneseos.

Quæ ex novo autem Testamento proponunt, facile quoque solvuntur. Matth. c. 13. proponitur parabole, ut ex sola lectione clarum est; at parabola figurata est ex se; unde v. 3. observatur, Discipulos hujus figuræ seu parabolæ sensum non intellexisse. Sed quid commune habere possunt ejusmodi loca, cum institutione Eucharistiæ? An contendent adversarii, parabolam proposuisse Christum, cum instituit Sacramentum corporis sui? non puto. Inutilia igitur sunt, neque ad rem exempla hæc.

Ex cap. 10. S. Joan.

Joan. 10. & 15. Christus dicitur, *ostium, vitis, panis* ita est: sed quis statim animo non concipiat, figuratas esse has expressiones, & per eas designari aliquam virtutem Christi, quæ analogiam quamdam habeat cum ostio, vite, pane? Ostium dicitur Christus, quia per illum nobis aditus aperitur ad vitam æternam: vitis, quia occulte gratiæ suæ subministratione animæ vitam tribuit, sicut vitis palmitibus: panis, quia animas nostras doctrinæ & gratiæ pabulo reficit, sicut panis corpus. Has proprietates ipsemet Christus exponit: "Sicut palmes, *inquit*, non potest ferre fructum à semetipso, nisi manserit in vite; sic nec vos, nisi in me manseritis ..... Per me si quis introierit, salvabitur; & ingredietur, & pascua inveniet .... Ego sum panis vitæ: qui venit ad me, non esuriet; & qui credit in me, non sitiet unquam." In his igitur propositionibus aperta est metaphora, quam ipse Christus exposuit.

Quamquam ut adductæ propositiones accommodatæ forent ad scopum & propositum adversariorum, oporteret eas invertere, & demonstrando ostium, vitem, panem, dicere, *Hoc est Christus*; sicut in Eucharistiæ institutione dixit, *Hoc est corpus meum*: at nullus est qui statim absurditatem & falsitatem illarum propositionum non sentiat. Quis enim ita stupidus est, qui putet ostium, vitem &c. esse verum Christum?

Ex cap. 10. 1. ad Cor.

Apostolus 1. Cor. 10. appellat Christum *petram*, *Petra erat Christus*, inquit: quod certe & sine, & cum figura, sed absque ullo periculo, exponi potest.

I. Si intelligatur spiritualis petra, nulla est figura in verbo *est*, sed tantum in nomine *petra*; Christus enim vere & proprie erat illa petra spiritualis, de qua biberunt Judæi veteres: omnes enim de ejus plenitudine acceperunt, & quidquid supernaturalis auxilii illis Veteribus indultum fuit, per Christum, intuitu meritorum ejus, fuit indultum. Alludit autem Apostolus ad materialem petram, ex qua fluxerunt aquæ ad potandos Israelitas in deserto, ut inde significet benignam & semper attentam in Judæos divinam providenti-

videntiam; quæ de omnibus ad salutem necessariis iis abunde semper providit.

II. Si intelligatur petra materialis, quæ sensu mystico significabat Christum, petram spiritualem, fateor figuram tunc reperiri in verbo *est*; sed figura est obvia, clara, & aperta ex circumstantiis textus sacri, ex qua nullum omnino fraudis & erroris periculum timeri potest. Nemo enim non videt, scopum Apostoli esse explicare Corinthiis quid significarent quæcunque Israelitis contigerant, (quibus, ut ipse ait, *omnia in figura contingebant*) atque eorum occasione, illos à similibus peccatis deterrere: unde animos eorum tota sermonis serie præparaverat, ut petram tanquam signum aliquod spectarent. Jam enim Christianorum Baptisma figuris maris ac nubis, in veteri Testamento adumbratum dixerat; manna & aquam de petra scaturientem exhibuerat, ut cibum ac potum spiritualem, non quidem in re, sed significatione; petram ipsam, unde profluerant aquæ, spiritualem appellaverat, ne secundum materiam dumtaxat attenderetur: necesse igitur non erat, ut diserte & in terminis diceret, petram esse signum seu figuram Christi, quod ex serie sermonis ultro audientium & lectorum menti occurrit. Facilis igitur est, plana & obvia figura in verbo *est*, citato Apostoli testimonio: verum non ita est, ut dixi sæpius, in hac Christi propositione, *Hoc est corpus meum*.

Ex cap. 17. Apocalypsis.

Denique, Apocalypsis multarum rerum obscurissimarum & symbolicarum est expositio seu revelatio facta Joanni, qui cum varias illas visiones, tanquam signa & figuras aliud designantes spectaret, nihil mirum si Angelus ad mentem illius respondens, explicando visiones dicat: " Septem capita, septem montes sunt. " Aquæ sunt gentes & linguæ.

Ex his omnibus manifestum est, adversarios nullam propositionem ex Scriptura huic similem, *Hoc est corpus meum*, attulisse, in qua verbum *est*, usurpetur pro *significat*.

Objectio ex nomine corporis.

Objicies 4. Nomen *corpus*, in hac Christi propositione, *Hoc est corpus meum*, verum & naturale Christi corpus non significat, sed figuratum dumtaxat & typicum, seu sacramentale expressum in pane; tum quia de illo ait S. Paulus 1. Cor. 11. v. 24. *quod frangitur*. Vulgatus quidem Interpres vertit, *quod pro vobis tradetur*; sed Græco textu legitur, *quod pro vobis frangitur*: [illegible]; *Hoc est corpus meum quod pro vobis frangitur*. Atqui verum & naturale corpus Christi non frangitur, sed figura tantum illius, nempe panis. Tum quia si cum vulgato Interprete legamus, *tradetur*, ut hic 1. Cor. 11. v. 24. vel loquendo de sanguine, *effundetur*, Matt. 26. v. 28. Marci 14. v. 24 Lucæ 22. v. 20. sensus est, panem esse signum corporis Christi, quod pro nobis tradendum est & patibulo crucis affingendum; similiter vinum, seu calicem signum esse sanguinis, qui pro nobis effundendus in ara crucis.

Resp. nego antecedens. Solet enim Scriptura, cum Christi corpus non naturale, sed mysticum intelligit, distinctim exprimere. Sic postquam Apostolus dixit, Coloss. 1. v. 24. *Adimpleo ea quæ desunt passionum Christi in carne mea, pro corpore ejus*; statim addit, *quod est Ecclesia*. At nihil est in propositione Christi, quod innuat corpus esse intelligendum non naturale & proprium, sed figuratum & symbolicum; imo contrarium plane ex verbis Christi eruitur; ait enim corpus illud pro nobis dari, in præsenti tempore, apud S. Lucam c. 22. v. 19. *quod pro vobis datur*. Addunt alii Evangelistæ loquentes de calice, *Qui pro vobis funditur in remissionem peccatorum*, [illegible], in præsenti: at figura corporis aut sanguinis pro nobis in remissionem peccatorum non traditur, sed verum corpus & verus sanguis.

Ad primam probationem, verbum *frangitur*, apud S. Paulum, idem significat ac *datur*, apud S. Lucam: frangere enim panem, in phrasi Scripturæ, idem est ac *dare, distribuere*. Isaiæ 58. v. 27. *Frange esurienti panem tuum*. Jeremiæ Lamentationum cap. 4. v. 4. *Parvuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis*. Act. 2. v. 24. *Perseverabant in communicatione fractionis panis*. Et 1. Cor. 10. v. 16. *Panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est?* Inanis igitur est ac puerilis hæc adversariorum objectio. Quam nec immerito corpus Christi naturale frangi seu dividi in sacramento dici potest: invaluit enim usus apud Auctores Ecclesiasticos, ut quod speciebus sacramentalibus dicitur, de ipso Christi corpore sub illis contento dicatur divisis igitur & fractis speciebus, ipsum Christi corpus dividi & frangi dicitur: ipsum vero proprium & naturale Christi corpus in se nunquam fractum fuit, nec frangitur. Joan. enim 19. v. 33. tanquam mysterium annotatur, latronibus confracta fuisse crura, Christo autem non fuisse, quid scriptum erat, *Os non comminuetis ex eo*.

Ad secundam: sive cum græco textu legamus in tempore præsenti de corpore, *quod traditur*, vel, *datur*; & de calice seu sanguine, *qui effunditur*: sive cum Vulgata in futuro, *tradetur, effundetur*, sanus est & catholicus sensus, veritati præsentiæ realis minime contrarius. Juxta enim priorem lectionem, significatur oblatio incruenta, quam in Cœnaculo Eucharistiam instituens fecit Christus: juxta posteriorem, significat cruentam & violentam Christi mactationem in ara crucis, cujus Eucharistia est commemoratio quædam ac renovatio; & ita sensus propositionis Christi iste est, Hoc corpus quod vobis trado in Sacramento, ipsummet corpus est quod brevi pro vobis in veritate cum effusione sanguinis cruentæ morti tradetur. Est quippe utrobique corpus idem, sed non idem existendi, & immolandi modus.

Objectio ex terminis Calicis, & Testamenti, qui figurati sunt.

Objicies 5. In verbis quibus usus est Christus consecrando calicem, duplex evidens occurrit figurata locutio. Referentibus enim S. Luca cap. 22. v. 20. & S. Paulo 1 Cor. 11. v. 25. dixit: *Hic est calix, novum Testamentum*; seu, *novi Testamenti*. apud S. Matth. c. 26. v. 28. sed utraque vox tum calicis, tum testamenti figurata est. calix enim ibi pro liquore, seu sanguine contento, & testamentum, pro signo supremæ voluntatis Christi usurpatur. Quidni igitur & in consecratione panis figurato sensu dixit Christus, *Hoc est corpus meum*?

Resp. nego consequentiam. Quæ enim ex voluntate & arbitrio Christi loquentis pendent, non sunt ex opinione nostra & voluptate definienda. Usus est Christus aliquibus in locis figurata loquendi ratione; non usus est in aliis, unde? Quia sic voluit. Nonnunquam enim & subjecta materia, de qua loquebatur, & receptus sermonis usus exigebat, ut vel proprio & naturali verborum sensu, vel tropico & figurato uteretur. In consecratione quidem calicis, tum *calicis*, tum *testamenti* vox figurata est, sed tam aperta & popularis figura, ut nullus de plebe tam simplex & stupidus, qui eam statim non percipiat. Quis enim nesciat calicem pro re in ipso contenta poni? & quis tam bardus, qui si ad hauriendum vini aut aquæ calicem invitetur, putet sibi vas ipsum deglutiendum esse? Quod si figura illa haberet aliquid reconditum, (quod non habet) explicatio illius petenda foret ab ipsis Evangelistis, qui sese mutuo exponunt: quem enim *calicem sanguinis* dixerunt SS. Lucas & Paulus; SS. Matthæus & Marcus simpliciter dixerunt *sanguinem*, *Hic est sanguis meus*, inquit Christus apud eos: quibus certe exponunt quid nomine *calicis* debeat intelligi, sanguis scilicet in eo contentus. Addunt de calice; *Qui pro vobis funditur*, juxta græcum, vel, *fundetur*, juxta versionem vulgatam: at certum est non vas, sed quod in eo continetur, fundi,

Pariter Eucharistia *testamentum* appellatur ; tum quia inter omnia Sacramenta præcipuum est instrumentum authenticum, quo applicatur nobis hæreditas & gratiæ in hac vita , & gloriæ in altera ; tum quia Christus suprema sua voluntate brevi moriturus nobis legavit in Eucharistia corpus suum ; tum quia continet apertam repræsentationem effusionis sanguinis Christi, quo novum fœdus , seu testamentum sancitum fuit. In hac autem figurata locutione nemo decipi potest, & in errorem induci ; at non ita est, si per ista verba, *Hoc est corpus meum*, Christus figuram dumtaxat corporis sui exprimere , & nobis relinquere voluisset ; nullum siquidem extat in universa Scriptura talis locutionis exemplum , quod omnes humani & recepti sermonis leges evertit.

Solvuntur aliæ objectiones , quas Novatores tum ex circumstantiis institutionis Eucharistiæ, tum ex aliis Scripturæ testimoniis colligunt.

Ex circumstantiis quatuor seligunt : materiem subjectam , nempe Sacramentum ; personam loquentem , nempe Christum ; eos ad quos loquitur, nempe Apostolos ; tempus denique ipsum in quo Eucharistiam instituit, nempe Paschatis celebrationem.

Objicies itaque 1. Ex natura & conditione rei à Christo institutæ istud sequi videtur , ut figuratam loquendi rationem usurpaverit. 1. Quia Sacramentum instruebat ; omne autem Sacramentum est signum & figura ; ista igitur verba quibus Eucharistiam Christus instituit , *Hoc est corpus meum* , sacramentalia sunt ; ergo sensu sacramentali , id est tropico & figurato debent intelligi. 2. Quia Sacramentum hoc instituit Christus in sui memoriam ; at memoria rerum est absentium , non præsentium. 3. denique, quia quod instituit, dedit Discipulis ut comederent, *Accipite*, inquit, *& comedite.* Atqui verum & naturale Christi corpus dentibus teri & comedi non potest , sed figuratum tantummodo & sacramentale , panis scilicet ipse qui est figura corporis Christi.

Resp. nego ant.

Ad primam probationem , distinguo hanc propositionem, Sacramentum est signum, efficax rei præsentis, concedo : signum vacuum rem absentem significans, nego. Sic columba signum fuit Spiritus sancti præsentis ; item & linguæ igneæ, quæ in die Pentecostes apparuerunt dispertitæ supra capita Apostolorum, repræsentabant Spiritum sanctum , non absentem quidem , sed præsentem : ita pariter Sacramentum Eucharistiæ signum est Christi , sed præsentis, quem vere & realiter continet. Ista igitur verba , *Hoc est corpus meum* , sacramentalia quidem sunt , & sensum habent sacramentalem , significantem & figurantem Christum realiter & vere præsentem , quamquam non modo suo connaturali ; significantem etiam mortem & passionem Christi , in quo ratio signi ad aliud cognoscendum ducentis consistit. Quod vero ratio signi in Sacramentis, rei significatæ præsentiam non excludat, imo supponat potius, seu melius eam efficiat, constat ex aliis Sacramentis, v. g. ex Baptismo : quando Christus Baptismum instituit, præcipiens Apostolis ut *baptisarent omnes gentes in nomine Patris , & Filii, & Spiritus sancti* , an sensu mere figurativo loquutus est ? An interior animæ ablutio, quæ Baptismi præcipuus effectus est, per Sacramentum significata & figurata excludit veritatem ablutionis exterioris quæ fit per veram & elementarem aquam ? non profecto. Igitur neque in Sacramento Eucharistiæ ratio signi aliud repræsentantis excludit rem ipsam quam repræsentat.

Ad secundam, dico 1. memoriam non rei absentiæ, sed oblivioni esse contrariam : rerum siquidem præsentium, v.g. Dei *in quo vivimus, movemur , & sumus*, obliviscimur. Act. 17. v. 18.

II. Sicut dantur signa instituta ad supplendam rei præsentiam , ita ad supplendam rei præsentis evidentiam seu apparentiam. Sic flamma in rubro ardenti, & columba in descensu Spiritus sancti supra Christum, supplebat non præsentiam rei , præsens enim aderat Deus in flamma , & Spiritus sanctus in columba ; sed ejus apparentiam.

III. Eucharistia rei absentis & præteritæ memoria est ac repræsentatio, scilicet mortis & passionis Christi. Ita S. Paulus 1. Cor. 11. v. 26. "Quotiescunque manducabitis panem hunc , mortem Domini annuntiabitis.

Ad tertiam , vere & realiter manducatur corpus Christi proprium & naturale, non quidem in se ipso immediate, sed in sacramento quo continetur & obvolvitur, quo mediante dentibus teri, in stomachum trajici , uno verbo, dicitur manducari.

Objicies 2. Christi loquentis circumstantia ostendit figurato sensu accipienda esse illius verba.

I. Quia separavit panem & vinum , tanquam duo symbola corporis & sanguinis : sed tunc nulla facta est realis separatio corporis à sanguine Christi.

II. Panem accepit, benedixit & fregit : at proprium suum corpus non accepit , non benedixit , non fregit.

III. De eodem pane , & eodem calice quem Apostolis porrexit , Christus comedit & bibit : at quis dixerit , Christum semetipsum & comedisse & bibisse ?

IV. Denique, Christus post consecrationem calicis appellat liquorem in eo contentum , vinum seu genimen vitis. "Dico autem vobis, *inquit Matth. 26. v. 29.* „non bibam amodo de hoc genimine vitis , usque in „diem illum cum illud bibam vobiscum novum in „regno Patris.

Resp. ad primum , nullam revera tunc factam esse realem separationem corporis & sanguinis Christi tum quia brevi futura erat in cruce : tum quia Eucharistiam in signum & memoriam perpetuam talis separationis cruentæ in patibulo crucis faciendæ instituebat , unde debuit utrumque symbolum distinguere, & separare separatione incruenta & sacramentali suum corpus à suo sanguine : hoc enim postulat ratio sacrificii quod instituebat.

Ad secundum : panem quem Christus accepit & benedixit , suum proprium corpus fecit, & sic factum Discipulis dedit : unde multiplex ibi distingui debet actio Christi, non confundi. Panem quidem communem accepit, benedixit ; sed post benedictionem & verba consecrationis , non amplius panis fuit communis , sed corpus Christi : unde benedictio quatenus est consecratio, ad panem ; distributio vero ad corpus Christi referenda est.

Ad tertium : Veteres omnes tanquam magnum miraculum spectant Christum in ultima Cœna fuisse convivam simul & convivium, comedentem & qui comedebatur , hostiam & Sacerdotem. Si vero causam postules cur Christus proprium suum corpus in Eucharistia manducaverit ? Respondeo 1. nostrum non esse voluntatis Christi rationem reddere 2. nonnullas à Theologis proferri rationes : tum quia sacrificium instituebat Christus ; in illo autem necesse est Sacerdotem participem fieri hostiæ immolatæ ; tum quia Christus primus observare voluit , quod Apostolis in mandatis dabat : tum denique quia qui alios ad manducandum invitat, debet ipse quoque manducare. Vide Hieronymum Ep. 150. q. 2. Chrysostomum Hom. 83. in Matth. S. Aug. in Ps. 33. p. 261. & seq.

Ad quartum : si cum multis Scripturæ Interpretibus, atque cum S. Fulgentio ad Ferrandum Diaconum , de quinque quæstionibus , quæst. 5. duos à Christo sumptos calices distinguamus, unum paschalem ritu judaico, alterum Eucharisticum ritu sacramentali , verba citata

ba citata

ba citata de calice paſchali interpretari facile eſt ac expeditum. Et certè Paſcha ritu judaico celebraſſe Chriſtum, antequam Euchariſtiæ Sacramentum, quod eſt novum Chriſtianorum Paſcha, inſtitueret, infrà certiſſimis argumentis demonſtraturi ſumus. In illo igitur convivio uſuali & paſchali calicem vini pro more hauſit Chriſtus, & de illo dixit, *Non bibam amodò de hoc genimine vitis*; quæ verba de calice proprii ſui ſanguinis intelligi non debere conſtat ex iis quæ ſequuntur, *donec bibam illud novum in regno Patris mei*: at ſanguinem ſuum nec propriè, nec metaphoricè in cœlo (quod eſt regnum Patris) Chriſtus bibiturus eſt; ſed vinum ſenſu metaphorico & figurato, *Ego enim*, inquit ad Diſcipulos Lucæ 22 v. 29. *diſpono vobis ſicut diſpoſuit mihi Pater regnum, ut edatis & bibatis ſuper menſam meam in regno meo*. Ita S. Fulg. q. 5. citata.

Quod ſi verba hæc, *non bibam amodò de hoc genimine vitis*, referre placeat ad calicem Euchariſticum; facilè eſt reſpondere, ſanguinem appellari vinum, quia de vino factus eſt, & vini ſpeciem, proprietates ac virtutes retinet: ſicut de pane Euchariſtico diximus antea in reſponſione ad ſecundam inſtantiam primæ Objectionis adverſus verba inſtitutionis.

Objicies 3. Ex Apoſtolorum, quos alloquitur Chriſtus, circumſtantia, colligitur eum figuratè locutum fuiſſe.

I. Quia tam frequenter parabolas eis propoſuerat, ut hoc loquendi rationi aſſuefacti eſſent.

II. Si aliam, quàm figuratum ſenſum in his verbis, *Hoc eſt corpus meum*, intellexiſſent, turbati haud dubiè fuiſſent rei novitate; atque myſterii explicationem, ut ſolebant à Chriſtu poſtulaſſent.

III. Si Chriſtum reipſa in Euchariſtia præſentem credidiſſent, quare proni in terram non adorarunt?

Reſp. ad primum: fateor multas à Chriſto propoſitas fuiſſe Apoſtolis parabolas; ſed an omnia ejus ſermo parabolicus fuit? imò, declarat Chriſtus Joan. 16. v. 25. *veniſſe horam, cum jam in parabolis non loqueretur*. Hora autem illa, ſeu tempus maximè illud eſt, quod proximè mortem ejus anteceſſit; tum certè cùm ſimplicioribus & clarioribus terminis ut ſolent homines.

Ad ſecundum; ideo turbati non ſunt Diſcipuli, quia jam Joan. 6. edocti & præparati fuerant, cum ſæpius repetiit Chriſtus ſe daturum illis carnem ſuam ad manducandum, & ſanguinem ad bibendum. Revera cum primum hoc eis propoſuit ac promiſit Chriſtus Joan. 6. turbati ſunt rei novitate: at poſtquam ea in fide confirmati fuerunt, ubi viderunt chriſtum adimplentem quod promiſerat, obloquuti non ſunt, non murmurarunt, nec momento quidem ad credendum hæſitarunt.

Ad tertium, Chriſtum in Euchariſtia præſentem adorarunt Apoſtoli, licèt genibus flexis eos procubuiſſe non legamus; neque enim in illa exteriori conformatione corporis præcipuè conſiſtit adoratio, ſed maximè in interiori reverentia ac demiſſione animi, ſive affectu voluntatis ſeſe Deo propter ſummam ejus excellentiam ſubjicientis: quem affectum in Apoſtolis erga Chriſtum in Euchariſtia præſentem, fuiſſe meritò confidimus, tametſi propter circumſtantias temporis & loci, quia ſcilicet menſæ accumbebant, ſeſe pronos in terram non dejecerint.

Objicies 4. Chriſtus in celebritate Paſchatis veteris, quod multis figuris refertum erat, ſuam Euchariſtiam inſtituit; pronum igitur fuit ut figuratè loqueretur.

Reſp. nego conſequentiam. Imò potius cum veteres figuras vellet abrogare, eiſque veritatem ſubſtituere, veteri Paſchati legali & umbratico ſubſtituit verum noſtrum Paſcha, Sacramentum ſcilicet Euchariſtiæ continens Chriſtum qui eſt Paſcha noſtrum, 1. Cor. 5. verſ. 7.

Objicies 5. Ex Apoſtolo 1. corinth. 10. v. 3. *Patres veteris Teſtamenti eandem eſcam ſpiritualem manducaverunt, & eundem potum ſpiritualem biberunt*: (nobiſcum ſcilicet (atqui illi non manducarunt ore corpus Chriſti, neque ore biberunt ejus ſanguinem, ſed fide duntaxat; ergo neque nos Chriſtiani alio modo quàm fide manducamus & bibimus corpus & ſanguinem Chriſti.

Reſp. 1. Apoſtolum non dicere, Judæos veteres eandem nobiſcum eſcam ſpiritualem manducaſſe, ſed eandem tantùm inter ſe; id eſt, tam eos qui ſervati ſunt, ut Joſue & Caleb, quàm eos qui perierunt; ſic boni & mali percipiunt Euchariſtiam, ſed eventu planè diſſimili.

Reſp. 2. Per eſcam & potum ſpiritualem Apoſtolum intelligere, non corpus Chriſti, ſed manna, & aquam quæ de petra fluxerat: ita autem nuncupatur, vel quia guſtus varios operabatur manna; vel quia erat à Deo, qui per excellentiam Spiritus vocatur, Joan. 4. v. 24. vel quia petra ſpiritualem habebat ſignificationem, unde ſubjungit Apoſtolus, *petra autem erat Chriſtus*.

Reſp. 3. Judæos veteres eandem reipſa nobiſcum eſcam ſpiritualem manducaſſe, id eſt, eandem nobiſcum Chriſti gratiam participaſſe, ſed non per eadem media ſeu inſtrumenta: neque enim nobis in illis pares ſunt ut & in multis aliis: in quibus longe melior eſt & felicior Chriſtianorum conditio.

Objicies denique: Dogma præſentiæ realis conciliari non poteſt cum multis aliis Scripturæ teſtimoniis, qualia ſunt iſta.

I. Math. 15. v. 17. Chriſtus ait: *Omne quod in os intrat, in ventrem vadit & in ſeceſſum emittitur*. Atqui corpus Chriſti in ſeceſſum emitti non poteſt; ergo ore & realiter non comeditur.

II. Ejuſdem c. 24. v. 23. idem Chriſtus ſic Diſcipulos admonet: *Si quis vobis dixerit, Ecce hic eſt Chriſtus, aut illic, nolite credere*. Ergo credendum non eſt Catholicis, cùm affirmant, Ecce in hoc & illo altari, in hac & illa hoſtia eſt Chriſtus.

III. Ejuſdem cap. 26. v. 11. *Semper pauperes*, inquit Chriſtus, *vobiſcum habebitis, me autem non ſemper habebitis*. Atqui ſi Chriſtus in Euchariſtia præſens eſt, falſa eſt Chriſti propoſitio.

IV. Marci ultimo v. 19. *Aſſumptus eſt in cœlum, & ſedet à dextris Dei*. Et Act. 3. v. 21. *Oportet illum cœlum ſuſcipere, uſque in tempora reſtitutionis omnium*. Ergo falſum eſt chriſtum ſæpius in terras deſcendere, ut præſens ſit in Sacramento Euchariſtiæ. Pugnat igitur dogma præſentiæ realis, cum dogmate aſcenſus chriſti in cœlum.

V. Lucæ 24. v. 39. *Palpate & videte, quia ſpiritus carnem & oſſa non habet, ſicut me videtis habere*, quibus verbis, inquit Calvinus, veritas carnis probatur aſpectu & contactu: at in Euchariſtia nihil videtur aut tangitur niſi panis.

VI. Act. 7. v. 48. & c. 18. v. 25. *Deus non in manufactis templis habitat*. Ergo cum Chriſtus ſit Deus, non eſt incluſus in ſingulis Templis, in quibus ſervantur conſecratæ in pixide hoſtiæ.

Reſp. nego ant. Teſtimonia quippe adducta non ſunt ad rem noſtram, nec dogma realis præſentiæ vel minimùm quidem attingunt.

Non primum: certum quippe ex ſerie contextus & inſtituto chriſti, eum loqui de cibus communibus & ordinariis, quorum hæc conditio eſt, ut quidquid craſſum ſupereſt & impurum, poſt factam corporis nutritionem, ad quæ m ordinantur, in ſeceſſum mittatur. Phariſæos ici tcet ibi inſequitur chriſtus, qui Deum labiis honorant, & cor habent ab illo longè alienum; quippe exteriorem quamdam munditiem

in frequentibus baptismatum lotionibus affectabant, dum interiùs pleni erat dolis, rapinis, homicidiis, adulteriis &c. adversùs quos meritò Christus citato cap. v. 17. 18. 19. & 20. ait; *Non intelligitis, quia omne quod in os intrat, in ventrem vadit, & in secessum mittitur? Quæ autem procedunt de ore, de corde exeunt, & ea coinquinant hominem: de corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemia; hæc sunt quæ coinquinant hominem. Non lotis autem manibus manducare, non coinquinat hominem.* Porrò Eucharistia cibus est communis, neque ad corporis, sed animæ nutritionem destinatur; obnoxia igitur non est cæterorum ciborum legi & conditioni; & si quid corruptionis accidat, totum in species, quibus involvitur Christus, recidit, non in Christum ipsum; qui, sicut incipit esse sub speciebus post consecrationem, ita desinit sub illis esse post earum corruptionem, sine ulla ex parte sui læsione aut detrimento.

Non secundum: Patet enim ex lectione, Christum eo loci præmunire Discipulos suos adversus fraudem multorum Pseudoprophetarum & Pseudochristorum, qui novissimis temporibus excitabuntur, atque tot signis & prodigiis oculis hominum illudent, ut etiam electos, si fieri posset, in errorem inducturi sint, ut ait eodem cap. Christus v. 24. quibus certè, cùm dicent, *Ecce hic Christus*, fides habenda non est. At quid commune habet cum præsentia Christi in Eucharistia locus ille? nihil profectò: nisi velint Calvinistæ, pro Pseudoprophetis & Pseudochristis habere Lutheranos, qui præsentiam illam realem cognoscunt, cum quibus tamen Religionis societate & communione junguntur.

Non tertium: Loquitur scilicet eo loci Christus de præsentia sua corporali & visibili, & secundùm eum statum in quo aliquid utilitatis corporalis ab hominibus percipere potest. Loquitur scilicet de effusione unguenti facta à Magdalena; piæ mulieris officium Judas præ avaritia indignè ferebat, *Ut quid perditio hæc?* dicebat; *Potuit enim unguentum illud venundari multo, & dari pauperibus.* Christus verò mulieris apologiam suscipiens, respondet, *Quid molesti estis huic mulieri? Opus enim bonum operta est in me; nam semper pauperes habebitis vobiscum, me autem semper non habebitis*; nempe eo ipso modo, quo pauperes, & in eo statu, in quo possitis in ma charitatis opera exercere: quæ sanè Christi responsio apta erat & accommodata facto præsenti hujus piæ mulieris, de quo Judas conquerebatur.

Non quartum: Utrumque enim fidei nostræ caput, tùm præsentiæ realis, tùm ascensus christi in cœlum, rectè simul cohæret in sententia Catholicorum.

I. Quia fatentur humanam Christi naturam cœlos ascendisse, ibique remanere usque ad diem ultimi Judicii; atque negant necesse esse, ut Christus cœlum deserat & motu locali descendat, cùm in Eucharistia præsens sistitur: quemadmodum ut appareret Paulo Act. 9. & Petro, cùm dixit, *Vado Romam iterum crucifigi*, cœlum non deseruit, sed tantùm sa constituit præsentem. Qua ratione verò fieri possit, ut idem Christus simul sit in pluribus locis, si quærant Novatores, divinam interrogent potentiam, & ei limites, si possunt, ascribant. Meminerint tantum articuli 36. *Article 36. de la Confession des Calvinistes.* Confessionis suæ, ubi disertè docent, *mysterium Eucharistiæ altitudine sua omnem sensum supergredi, omnem naturæ ordinem superare; uno verbo, esse cœleste, neque nisi per fidem apprehendi posse.*

II. Dicunt varium esse modum existendi Christi in cœlo, & in Eucharistia: in cœlo, modo sensibili, extenso, naturali, in Eucharistia verò, modo invisibili, inextenso, & sacramentali præsens est. Cùm autem res aliqua præsens non est modo suo naturali, quem habere consuevit, stylo & phrasi Scripturæ simpliciter dicitur non esse. Sic Christus post resurrectionem suam Lucæ 24. v. 44. ait: *Hæc sunt verba quæ locutus sum ad vos, cum adhuc essem vobiscum*, quasi verò tunc non esset, cum hæc dicebat; sed intelligit scilicet, se non esse eo modo quo antea, passibili nempe ac mortali. Pariter Christus dicitur non esse in terris, sed in cœlo; non quòd simpliciter non sit in terris, sed quòd non sit modo visibili, extenso, locali & naturali, sicut erat antequam cœlos repeteret.

Non quintum: Tum quia fidei mysteria ex sensibus judicanda non sunt; tum quia loquitur Christus Apostolis, quos, ut de veritate corporis sui post Resurrectionem confirmet, invitat ut tangant & palpent, nec existiment se phantasma esse aut spiritum qui carnem & ossa non habet; tum quia valet quidem hæc consequentia, *Hoc palpatur & videtur; ergo corpus est*: sed non valet ista, *Hoc non palpatur, nec videtur; ergo corpus non est*: quia nempe fieri potest ut verum sit corpus præsens, nec tamen videatur, vel quia alio corpore involutum est; vel quia Deus impedit ne videatur, quomodo Lucæ 4. v. 30. *Christus transiens per medium illorum, ibat*; à quibus tamen cognitus non fuit; vel denique, quia non est in loco præsens modo sensibili & extenso, ut contingit in Eucharistia.

Non denique sextum; Illa enim & similia testimonia intelligi debent propriè de divinitate, quæ licèt sit ubique, & peculiari modo in templis, verè tamen dicitur in templis non habitare manufactis, quia nempe habitare in loco, significat tum indigentiam loci, tum conclusionem in loco; quæ duo vero Deo repugnant, & conveniebant tantùm falsis Gentilium diis. Unde & Paulus Act. 17. v. 24. ait, *Deum non habitare in templis*, ut eum scilicet distingueret ab idolis, & S. Stephanus Act. 7. v. 48. Judæos, qui Deum Templo suo delectari, eique quasi affixum putabant, refellit, cùm ait, Deum, utpote excelsum, non habitare propriè in templo manufacto, sed in se ipso, sua divinitate, & immensitate, quamquam per suam operationem & immensitatem ubique præsens sit.

ARTICULUS IV.

An vera realis & substantialis præsentia corporis Christi in Eucharistia probari possit efficaciter ex constanti, antiqua & universali SS. Patrum & Ecclesiæ totius Traditione.

ETsi verba institutionis Eucharistiæ, à nobis Articulo præcedenti discussa, obscuritatis aliquid præseferrent, certè privatorum non esset ad arbitrium illa interpretari & exponere, sed unius Ecclesiæ, quæ concreditæ sibi à Christo sponso suo veritatis custos est ac fidelis interpres. Consulenda igitur est antiqua & universalis illius doctrina & fides: *Ex ipso enim ordine* P.13. *manifestatur*, inquit Tertullianus L. de Præscriptionibus c. 31. *illud esse Dominicum & verum, quod sit priùs traditum: illud autem extraneum & falsum, quod sit posteriùs immissum.*

Duplici via probari potest veritas Eucharistiæ: præscriptionis scilicet, & discussionis seu examinis. Via præscriptionis, ex novitate erroris oppositi, antiqua, publica & constanti veritatis professione, ac impossibili mutatione, quam in fide hujus nostri mysterii Novatores inductam fabulantur octavo & nono sæculo. Atque hoc illud est invictum ac peremptorium præscriptionis argumentum quo Catholici Novatores Lutheranos & Calvinistas debellant, de quo postea uberiùs dicemus. Sufficiat jam viam examinis seu discussionis ingredi ac discutere.

Examen istud non refugiunt, sed ultro amplectuntur Novatores, rati totam veterem Ecclesiam verba institutionis sensu figurato, exclusivo præsentiæ realis, intel-

intellexisse, oppositumque præsentiæ realis dogma serius invectum fuisse; quamquam de primo ejus auctore non consentiant inter se.

Blondellus vult Anastasium Sinaitam, circa annum Christi 636. prima hujus opinionis jecisse fundamenta, sicut & Epiphanium Diaconum octavo sæculo, in II. concilio generali Nicæno, Actione 6.

Claudius, apud Carentonenses olim Evangelii Pseudo administer, contendit primum auctorem dogmatis præsentiæ realis fuisse Paschasium Radbertum Corbejensis Monasterii Abbatem, in Libro quem circa annum Christi 831. de corpore & sanguine Domini conscripsit; ejusque doctrinam, faventibus tenebris sæculi decimi, quo scelus & ignorantia in totam Ecclesiam exundarunt, omnium animos sensim occupasse, ac jam altas egisse radices usque ad initium sæculi undecimi, ut Berengarium, qui primævam (ut Claudio placet) fidem excitare conatus est, tanquam novatorem & hæreticum hominem proscripserint. En fabella quam excogitavit Claudius, ut ostenderet nono Ecclesiæ sæculo mutari incœpisse antiquam Ecclesiæ fidem circa Eucharistiam. Commentum hoc postea exsufflabimus.

Hoc unum hic tentabimus & perficere conabimur, scilicet, constantem ac distinctam semper in Ecclesia viguisse fidem præsentiæ realis Christi in Eucharistia: quod quidem perfici melius non potest, quam si SS. Patres avitæ fidei custodes, testes, & vindices, hic appellemus. Cùm autem omnes & singulos pro qualibet Ecclesiæ ætate hic enumerare, expendere, & à conatibus Albertini vindicare, laboris foret immensi, & longioris operæ, quàm ut unius voluminis spatio concludi posset, cùm aliunde copiosè & eruditè partes illas impleverint Eminentissimi Cardinales Perronius, Bellarminus, & Auctor Operis de perpetua fide Ecclesiæ Catholicæ circa Eucharistiam, gallico idiomate conscripti; nobis hic satis erit ad Candidatos nostros informandos, si ad certa quædam argumenta compendiosè revocemus præcipuas probationes quæ ex SS. Patribus colligi possunt pro fide realis præsentiæ Christi in Eucharistia. Itaque sit

CONCLUSIO.

Vera, realis, & substantialis præsentia Christi in Eucharistia efficaciter probatur ex constanti, antiqua, & universali SS. Patrum & Ecclesiæ totius Traditione.

PRIMUM ARGUMENTUM.

SS. Patres asserunt panem Eucharisticum non esse communem, sed esse corpus Christi, quod verbis ejus perficitur, seu præsens sistitur in Eucharistia.

S. Ignatius S. Joannis discipulus & Episcopus Antiochenus [Romæ martyr occubuit an. 108.] in Epistola ad Smyrnæos quæ una est ex septem legitimis & genuinis, contra sui temporis Hæreticos sic scribit: *Ab*
Edit. *Eucharistia & Oratione*, seu, ut alii legunt, *oblatione*
Coell. *abstinent, eo quòd non confiteantur Eucharistiam car-*
p.874.C. *nem esse Salvatoris nostri Jesu Christi, quæ pro peccatis nostris passa est.* Igitur Ecclesia tunc temporis, hoc est primo sæculo, adversùs ejusmodi Hæreticos credebat Eucharistiam esse carnem Salvatoris nostri Jesu Christi. Hæretici autem illi erant Simoniani, Menandriani, & alii qui cùm non veram, sed phantasticam dumtaxat in Christo carnem admitterent, consequenter Eucharistiam veram esse Christi carnem negabant.

S. Justinus Philosophus, primò Gentilis, tum Christianus & Martyr an. 161. Apolog. 2. quæ tamen verè prima est, scripta an. 150. describens Christianorum cœtus, ac celebrationem Eucharistiæ, ait: *Alimentum hoc apud nos vocatur Eucharistia, quod nulli alii participare licitum est quam veram esse doctrinam no-* P.97. F.
stram credenti, & lavacro propter remissionem peccatorum & regenerationem abluto, & ita ut Christus didit viventi. Non enim ut communem panem, neque communem potum ista sumimus, sed quemadmodum per Verbum Dei caro factus Jesus Christus servator noster, & carnem & sanguinem salutis nostræ habuit; ad eundem modum etiam eam, in qua per preces Verbi ejus ab ipso profecti gratiæ actæ sunt, alimoniam, unde sanguis & caro nostra per mutationem aluntur, incarnati illius Jesu carnem & sanguinem esse edocti sumus. Postea ostendit Christum his verbis: *Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus*, panem & vinum consecrasse, & Apostolis præcepisse ut idem facerent.

In hoc S. Martyris testimonio hæc notanda. 1. Eucharistiam non esse panem & potum communem, sed carnem & sanguinem Christi, non quidem figuratè & symbolicè, ut placet Calvinistis, sed verè, & propriè, quod evincit comparatio Incarnationis & Eucharistiæ adducta; Eucharistiam scilicet esse carnem Christi, quemadmodum Christus per Incarnationem est caro factus, vult sanctus Doctor: at verè, propriè, & substantialiter Christus est caro factus. Qua in comparatione, terminum duntaxat mutationis, nempe veritatem carnis Christi in Eucharistia, attendit S. Doctor, (quam optime postulat ejus institutum) non modum & rationem mutationis: neque enim stat in omnibus comparatio. In Incarnatione quippe, neque Deus mutatus est in hominem, neque homo in Deum, sed utraque natura salva, integra, & inconfusa perseverat; in ipsa vero Eucharistia, panis substantia mutatur & convertitur in substantiam corporis Christi. Stat igitur in eo tantùm comparatio, quòd sicut in Incarnatione Christus veram & realem carnem & verum sanguinem assumpsit, ita in Eucharistia vera continetur illius caro, verusque sanguis. 2. Notandum, mutationem hanc panis in Eucharistia, precibus, id est, verbis Christi attribui. 3. Corpora nostra Eucharistia per mutationem nutriri, non quidem per mutationem corporis Christi, sed per mutationem nostri; quod intelligi potest, vel de mutatione per gratiam spiritualem, vel de mutatione per incorruptionem & immortalitatem corporibus nostris in communi omnium nostrum resurrectione concedendam, cujus nobis semen & quasi pignus datur in Eucharistia, ut docent SS. Patres, Irenæus imprimis mox referendus.

S. Irenæus Lugdonensis Episcopus, discipulus S. Polycarpi, [scripsit circa an. Christi 180. & obiit an. 201.] L.4. adversùs hæreses c. 18. aliàs 34. disputans adversùs Valentinianos negantes resurrectionem mortuorum, sic loquitur: *Quomodo*, inquit, *dicunt carnem in corru-* P.251.
ptionem venire, & non percipere vitam, quæ à corpo- n.5.
re Domini, & sanguine alitur? ... Quemadmodum enim qui est à terra panis, percipiens invocationem Dei, jam non communis panis est, sed Eucharistia, ex duabus rebus constans, terrena & cœlesti; sic & corpora nostra percipientia Eucharistiam, jam non sunt corruptibilia, sed spem resurrectionis habentia.

Audis corpora nostra ab corpore & sanguine Domini, & Eucharistiam post invocationem Dei, id est verba Christi, non esse communem panem. Quid igitur? corpus illud & sanguinem illum Christi quo nostra corpora aluntur. Per illam verò rem terrenam, qua constare Eucharistiam ait S. Doctor, intelligi debet non substantia panis, sed ejus species; nisi malueris interpretari de re ex qua fit Eucharistia, quæ certè panis est, qui accedente Dei verbo, fit corpus Christi. Et cap. 17. aliàs 32. *Tum*, inquit, *qui ex creatura panis est,* P.249.
accepit, & gratias egit, dicens: Hoc est meum corpus. n.5.
Et L. 5. c. 2. *Quando ergo & mixtus calix, & factus* P.294.
panis percipit verbum Dei, & fit Eucharistia sanguinis n.3.
& corporis Christi.

Tertul-

Tertullianus [floruit an. 215.] Lib. 4. contra Marcionem c. 40. P.457. D. *Acceptum*, inquit, *panem*, *& distributum discipulis, corpus illud suum fecit, Hoc est corpus meum dicendo*. Et Libro de pudicitia c. 9. loqueos de P.562.B. conversione filii prodigi, *Annulum*, inquit, *accipit tunc primum, quo fidei pactionem interrogatus obsignat, atque ita exinde opimitate Dominici corporis vescitur, Eucharistia scilicet.*

S. Cyprianus Carthaginensis Episcopus & Martyr an. 258. Epistola 63. ad Cœcilium, comparans vinum commune quod inebriat, cum vino Eucharistico, ait: P.103. *Quemadmodum vino iste communis mens solvitur, & anima relaxatur, & tristitia omnis exponitur; ita epoto sanguine Domini & poculo salutari, exponatur memoria veteris hominis, & fiat oblivio conversationis pristinæ sæcularis, & mæstum pectus ac triste, quod priùs peccatis angentibus premebatur, divinæ indulgentiæ lætitia resolvatur.* Igitur, juxta S. Doctorem, vinum Eucharisticum opponitur vino communi, tùm quia Christi sanguinem continet, & potus salutaris; tum quia non eam gignit ebrietatem & lætitiam, Ibid. quam vinum commune: *Ebrietas enim*, inquit paulò ante verba mox citata, *Dominici calicis & sanguinis non est talis, qualis ebrietas vini sæcularis.*

Et Epistola 54. ad Cornelium, ostendit imminente persecutione armandos esse & præmuniendos Fide- Pag.76. les, perceptione corporis & sanguinis Domini. *Quomodo enim*, inquit, *docemus, aut provocamus eos in confessione nominis sanguinem suum fundere, si eis militaturis Christi sanguinem denegamus? aut quomodo ad martyrii poculum idoneos facimus, si non eos priùs ad bibendum in Ecclesia poculum Domini jure communicationis admittimus?* Igitur persuasum erat S. Cypriano, Eucharistiam Christi sanguinem continere: at parum profectò roboris habuisset Eucharistia ad Christi milites ita roborandos & excitandos, si figura duntaxat sanguinis Christi esset, non verus ejus sanguis.

S. Cyrillus Hierosolymitanus creatus Episcopus circa an. Christi 356. obiit an. 386. Catechesi 4. mystagogica instituens recens baptisatos de fide Eucha- P.237. D. ristiæ, ait: "Ne consideres tanquam panem nudum & "vinum nudum: corpus enim est & sanguis Christi, "secundùm ipsius Domini verba. Quamvis enim sen- "sus hoc tibi suggerit, tamen fides te confirmet, ne ex "gustu rem judices; quin potius habeas ex fide pro "certissimo, ita ut nulla subeat dubitatio, esse tibi do- "nata corpus & sanguinem." Nihil disertius afferri potest. Non ait panem & vinum esse figuram & imaginem corporis & sanguinis, sed corpus & sanguinem Christi. Non ait sensibus hic credendum, sed unam Ib.A. audiendam fidem. Antea dixerat: "Cùm Christus "ipse sic affirmet, atque dicat de pane, Hoc est corpus "meum; quis deinceps audeat dubitare? Ac eodem "quoque confirmante ac dicente, Hic est sanguis meus; "quis, inquam, dubitet, & dicat non esse illius sangui- "nem?" His igitur verbis Christi, "Hoc est corpus "meum. Hic est sanguis meus," existimat S. Cyrillus panem & vinum fieri corpus & sanguinem Christi.

S. Ambrosius Episcopus Mediolanensis, baptisatus & ordinatus an. 374. obiit ann. 396. Lib. 4. de Sacramentis cap. 4. sic loquitur: "Tu fortè dicis: Meus pa- Tom.2. p. 368.C. "nis est usitatus. Sed panis iste panis est ante verba "Sacramentorum: ubi accesserit consecratio, de pane "fit caro Christi.... Quomodo potest qui panis est, "esse corpus Christi? consecratione. Consecratio "autem quibus verbis est, & cujus sermonibus? Do- "mini Jesu. Nam reliqua omnia quæ dicuntur in su- "perioribus, à Sacerdote dicitur: laudes Deo deferun- "tur..... Ubi venitur ut conficiatur venerabile Sacra- Ibid.p. 386.A.B. "mentum, jam non suis sermonibus Sacerdos, sed uti- "tur Christi sermonibus. Ergo sermo Christi hoc con- "ficit Sacramentum. *Et postea*: Ante consecrationem "non erat corpus Christi; sed post consecrationem dico "tibi quòd jam est corpus Christi.

Et Lib. de initiandis cap. 9. *Ipse clamat*, inquit, Ibid.p. 339.E. *Dominus Jesus, Hoc est corpus meum. Ante benedictionem verborum cœlestium alia species nominatur, post consecrationem corpus Christi significatur. Ipse dicit sanguinem suum. Ante consecrationem aliud dicitur, post consecrationem sanguis nuncupatur. Et tu dicis, Amen, hoc est, verum est. Quod os loquitur, mens interna fateatur; quod sermo sonat, affectus sentiat.*

Denique S. Gregorius Nyssenus frater S. Basilii, floruit an. 395. Oratione catechetica cap. 37. sic loquitur: Tr.2.p. 536.C. *Rectè Dei verbo sanctificatum panem in Dei Verbi corpus transmutari credo.... Et hic similiter panis, sicut ait Apostolus, sanctificatur per verbum Dei & orationem, non eo quidem quod cibo mediante in Verbi corpus evadat; sed quod statim per verbum in corpus transmutetur, sicut dictum est à Verbo, Hoc est corpus meum.*

Ex his & similibus aliis testimoniis quæ brevitatis causa prætermitto, duplex & quidem efficax argumentum eruimus.

Primum est; SS. Patres, cum agunt de Eucharistia, asserunt eam non esse panem & potum communem, sed corpus & sanguinem Christi: sed si verba institutionis sensu figurato, exclusivo præsentiæ realis intellexissent, non dixissent Eucharistiam esse corpus Christi, sed potius esse figuram & imaginem corporis Christi, quod certè postulabat tum oppositio illius cum pane communi, tum rei necessitas, ac periculum erroris. Nemo enim est qui ex his loquendi formulis statim de reali præsentia locutos esse SS. Patres non percipiat; qui sensus si falsus est, ut placet Novatoribus, incautos fallit, & in errorem inducit; at solent SS. Patres, cum aliquod Scripturæ testimonium versant, quod figurato sensu debeat intelligi, illud exponere, ac de illo auditores monere.

Secundum: Ajunt S. Patres citati, panem fieri, seu mutari in corpus Christi, & vinum in sanguinem, per hæc Christi verba, *Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus*. Atqui non mutaretur in corpus & sanguinem, si panis & vinum essent tantum figura corporis & sanguinis; neque ad talem mutationem summa Dei virtute & potentia opus est, sicut ajunt opus esse, ut convertatur panis in corpus, & vinum in sanguinem.

SECUNDUM ARGUMENTUM.

SS. Patres asserunt Eucharistiam verum esse ac proprium Christi corpus, & hoc ipsum quod ex B. Virgine Maria, natum est, passum, mortuum pro nobis, & à morte suscitatum.

Id manifestè ostendit S. Ignatius argumento primo laudatus. Probat enim veritatem carnis Christi incarnati ex veritate carnis ejus quæ in Eucharistia continetur. Unde Hæretici quos refellit, ne cogerentur fateri cum Catholicis Christum veram & propriam, non umbratilem ac phantasticam habuisse carnem, consequenter ab Eucharistia & oblatione abstinebant; adeo nempe persuasum erat hujus ætatis Fidelibus, Eucharistiam continere veram & propriam Christi carnem. Quapropter S. Irenæus nonnullos alios Hæreticos, qui P.251. n.5. simul & veram Christo carnem negabant, & Eucharistiam celebrabant, contradictionis arguit. *Ergo*, inquiebat, Lib. 4. adversus Hæreses cap. 18. aliàs 34. *aut* P.294. n.2. *sententiam mutent, aut abstineant offerendo quæ prædicta sunt, Nostra autem consonans est sententia Eucharistiæ; & Eucharistia rursus confirmat sententiam nostram;*

nostram. Et L. 5. c. 2. *Eum calicem,* inquit, *qui est creatura, suum sanguinem qui effusus est (proprium) & eum panem, qui est à creatura, suum [proprium] corpus confirmavit.* Hoc ipsum testantur qui subsecuti sunt SS. Ecclesiæ Doctores.

P. 954. D. S. Hilarius Lib. 8. de Trinit. n. 13. *Si verè,* inquit, *Verbum caro factum est, & nos verè Verbum carnem cibo dominico sumimus, quomodo non naturaliter manere in nobis existimandus est?* Quemadmodum igitur Verbum veram, propriam & naturalem assumpsit, ita veram, propriam & naturalem ejus carnem in Eucharistia sumimus.

To. Ro. 379 A. S. Ambrosius L. 6. de Sacramentis c. 1. *Sicut,* inquit, *verus est Dei Filius, Dominus noster Jesus Christus, non quemadmodum homines per gratiam sed quasi Filius ex substantia Patris, ita vera caro, sicut ipse dixit, quam accipimus.*

Edit. Com. p. 704. S. Joannes Chrysostomus Hom. 83. in Matth. *Quis,* inquit, *pastor unquam membris suis oves nutrivit post partum? Multa matres post partum aliis mulieribus infantes dederunt; quod ipse facere noluit, sed proprio corpore nos alit.*

S. Cyrillus Alexandrinus in Epistola ad Nestorium, quæ synodica est Concilii Alexandrini cui præfuit S. Cyrillus, de carne Christi quæ sumitur in Eucharistia

Tom. 3. Conc. p. 404. B. sic loquitur. *Non illam ut carnem communem suscepimus ..... sed tanquam verè vivificam, ipsiusque Verbi propriam ..... Quamvis ergo ad nos dicat: Amen, amen dico vobis, nisi manducaveritis &c. neutiquam tamen illam communem, hoc est, hominis cujuspiam nostra conditionis carnem esse existimare debemus, (quomodo enim hominis caro secundùm suam ipsius naturam vivificatrix esse queat?) sed verè illius propriam, qui nostri causa filius quoque hominis & factus & appellatus est.*

S. Aug. serm. 71. aliàs 11. de verbis Domini, eodem sensu ait, *impios ipsam carnem manducare, & bibere ipsum sanguinem*; quod idem est ac si diceret verum ac proprium corpus & sanguinem. Ex quibus istud necessariò consequens est, corpus Christi quod in Eucharistia continetur esse hoc ipsum corpus individuale quod ex Maria Virgine natum est, passum, mortuum &c. neque enim duplex est, sed unicum ac individuale corpus Christi proprium ac naturale; sicut unus est Christus; unum & idem numero sacrificium, una & eadem hostia seu victima in singulis hostiis consecratis, quæ quidem nec numero, nec individuali natura, sed sola Sacerdotis consecrantis actione externa, variæ sunt ac multiplices.

Tom. 2. p. 339. S. Ambrosius L. de initiandis c. 9. *Hoc,* inquit, *quod conficimus corpus ex Virgine est .... Vera utique caro Christi quæ crucifixa est, quæ sepulta.*

P. 34. S. Isidorus Pelusiota Epistola 109. Lib. 1. panem mensæ appellat *proprium Incarnationis Verbi corpus.*

P. 190. S. Petrus Chrysologus serm. 67. "ipse est panis, *in-* "*quis*, qui satus in Virgine, fermentatus in carne, in "cruce confectus, in fornace coctus sepulchri, in Ec- "clesiis conditus illatus, altaribus, cœlestem cibum quo- "tidie fidelibus subministrat.

Edit. Comp. 532. S. Chrysostomus Hom. 24. in 1. ad Corinth. "Id "quod est in calice, est id quod fluxit è latere, & illius "sumus participes." Verus autem ac proprius sanguis de latere fluxit.

S. Augustinus L. 12. contra Faustum c. 20. vocat Eucharistiam Sacramentum spei, quo in hoc tempore consociatur Ecclesia, quamdiu bibitur quod de Christi latere manavit.

Tom. 10. Conc. p. 378. Denique in formula fidei cui Berengarius subscripsit an. 1079. dicitur, "panem & vinum per mysteri- "um sacræ orationis & verba nostri Redemptoris sub- "stantialiter converti in veram & propriam ac vivifica- "tricem carnem & sanguinem Jesu Christi Domini no- "stri, & post consecrationem esse verum Christi corpus "quod natum est de Virgine, & quod pro salute mun- "di oblatum in cruce pependit, & quod sedet ad dexte- "ram Patris, & verum sanguinem Christi, qui de latere "ejus effusus est, non tantum per signum & virtutem "Sacramenti, sed in proprietate naturæ & veritate sub- "stantiæ.

Publicam illam fuisse Ecclesiæ fidem testantur quotquot ex Veteribus formam, referunt verborum quibus tùm minister porrigens, tùm Fidelis accipiens Eucharistiam utebantur. Dicebat minister, *Accipe Christi*, vel, *Est verum & proprium corpus Christi*: respondebat Fidelis; *Amen*, idest, verè ita est. Sic testatur Tertullianus L. de spectaculis. S. Ambrosius L. de initiandis c. 9. Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi 5. myst.

Ex his omnibus invictum argumentum conficitur. Srilicet, docent SS. Patres Eucharistiam non tantum esse corpus Christi, sed etiam verum, proprium, & illud ipsum quod ex Maria Virgine natum est, quod passum & mortuum. Ergo sensu proprio & naturali verba institutionis, *Hoc est corpus meum*, non autem figurato & improprio intellexerunt.

Revera nono Ecclesiæ sæculo disputatum fuit an idem omnino foret corpus Christi in Eucharistia, quod ex Maria Virgine natum fuit & in cruce suspensum; sed patebit ex dicendis inferius, controversiam non fuisse de substantia corporis Christi, sed tantum de modo quo enstit in Eucharistia.

TERTIUM ARGUMENTUM.

SS. Patres asserunt Eucharistiam ita esse verum & proprium Christi corpus, ut negent esse tantùm figuram & imaginem illius.

Omnis figuræ ac signi ratio excludi ab Eucharistia non potest, siquidem Eucharistia Sacramentum est, adeoque signum aliquod externum: porrò signum in re nostra præsenti nudum non est, nec inane ac vacuum, sed plenum ea ipsa re quam significat. *Quomodo,* ait S. Chrysostomus Hom. 83. in Matth. *dicunt aliqui. Vellem formam & speciem ejus, vellem ipsa vestimenta, vellem calceamenta videre? Ipsum vides, ipsum tangis, ipsum comedis .... seipsum tibi tradit, non ut videas solùm, verum etiam ut tangas & in te habeas.* Designat eo loci sanctus Doctor veritatem & realitatem corporis Christi per pronomen *ipsum*, & opponit figuræ & imagini. Censet igitur Eucharistiam non nudam & simplicem continere corporis Christi figuram, sed verum, proprium ac reale corpus.

Epiphanius Diaconus Actione 6. Synodi VII. sic loquitur: "Nullus aliquando tubarum spiritus, san- "ctorum videlicet Apostolorum, aut illustrium Patrum "nostrorum, incruentum sacrificium nostrum, quod in "commemorationem Christi Dei nostri, ac omnis dis- "pensationis ejus efficitur, dixit imaginem corporis ejus. "Neque enim acceperunt à Domino sic dicere & confi- "teri, sed audiunt evangelicè dicentem eum, Nisi man- "ducaveritis &c..... Et non dixit, Accipite & comedite "imaginem corporis mei. Tom. 7. Conc. p. 447. D. E. Ibid. p. 450. A.

Anastasius Sinaita, Monachus sancti montis Sina, in Tractatu, quem inscripsit, *Via Dux*, circa annum Christi 635. cap. 23. sic respondentem Gajanitam inducit; *Absit, ut dicamus sacram communionem esse tantùm figuram corporis Christi, aut nudum panem; sed ipsum corpus & sanguinem Christi Filii Dei incarnati....,* Orthodoxus reponit; *Sic credimus, & sic confitemur juxta dictum Christi ad Discipulos in Cœna mystica dantis illis vivificum panem, Accipite, comedi-* Bibl. PP. Tom. 9. p. 855. E. F.

te,

te, *Hoc est corpus meum ....* *Hic est sanguis meus.* *Non dixit, Hoc est figura, seu quid vices gerens corporis & sanguinis mei.* Nihil disertius afferri potest, neque hanc doctrinam primus excogitavit Auctor ille, quidquid dicant Novatores, sed quam à majoribus acceperat, eandem exposuit ac propugnavit.

Synodus Iconomachorum coacta adversùs imagines an. 754. & reprobata à Synodo Nicæna II. generali an. 787. etsi Eucharistiam Christi imaginem, imò & unicam esse imaginem sæpius affirmet, tamen sic imaginem esse ait, ut veritatem contineat; adeoque negat
Tom. 7. Conc. p. 447. B. simplicem esse & nudam figuram seu imaginem. In definitione sic loquitur: *Sicut carnem quam suscepit* (Christus) *propria secundum naturam sanctificatione ex ipsa unitione deificavit, similiter & Eucharistiæ panem, non ut falsam imaginem naturalis carnis, per sancti Spiritus adventum sanctificandum, divinum corpus fieri voluit mediante Sacerdote.*

Tom. 1. p. 271. A. B. S. Joannes Damascenus Lib. 4. de fide orthodoxa cap. 13. aliàs 14. *Nec verò*, inquit, *panis & vinum, Christi corporis & sanguinis figura sunt, (absit) sed ipsum Domini corpus deitate donatum.*

Referri huc possunt & illa SS. Patrum testimonia, quibus asserunt tantum interesse inter Eucharistiam & panes propositionis, quantùm inter umbram & corpus, inter imaginem & veritatem. Ita S. Hieronymus Comm. in c. 1. Epist. ad Titum, S. Augustinus Lib. 17. de Civit. Dei cap. 20. S. Isidorus Hispalensis Lib. 1. de Officiis Ecclesiasticis cap. 18. & alii.

Ex his sic arguimus.

Qui asserunt Eucharistiam non esse simplicem, nudam, inanem & falsam corporis Christi figuram, seu imaginem, sed esse verum Christi corpus, illi verba institutionis sensu non figurato & tropico, excludente præsentiam realem, sed vero & proprio, illam præsentiam importante, interpretati sunt: atqui ita SS. Patres; ergo &c.

QUARTUM ARGUMENTUM.

SS. Patres iis exemplis utuntur in probanda veritate Eucharistiæ, quæ realitatem corporis & sanguinis Christi necessariò important.

I. Utuntur exemplo mysterii Incarnationis, in quo Verbum divinum veram & propriam assumpsit naturam humanam. Ita

S. Justinus Apolog. 2. antea laudata in primo argumento.

P. 954. D. S. Hilarius: *Verè*, inquit Lib. 8. de Trinit. nu. 13. *Verbum caro factum est, & nos verè Verbum carnem cibo dominico sumimus.*

Tom. 2. p. 339. C. S. Ambrosius L. de initiandis cap. 9. *Incarnationis exemplo*, inquit, *astruamus mysterii veritatem.* Deinde probat; quod antea citavimus, *illud ipsum Christi corpus esse in Eucharistia, quod ex Virgine natum est.*

Ibid. p. 379. A. Et Lib. 6. de Sacramentis c. 1. comparationem ducit ex veritate divinitatis Christi. *Sicut*, inquit, *verus est Dei Filius Dominus noster Jesus Christus..... ita vera est ejus caro quam accipimus.* Eadem comparatione usus est S. Irenæus Lib. 5. cap. 2.

Edit. Comm. p. 533. S. Chrysostomus Hom. 24. in 1. ad Corinth. *Quemadmodum*, inquit, *corpus illud unitur Christo, sic & nos ei per panem hunc unimur.*

Tom. 2. p. 516. C. D. S. Gregorius Nyssenus Oratione Catechetica cap. 37. asserit panem Eucharisticum transire per verbum Dei in corpus Christi, sicut panis quo Christus in terris degens alebatur, transibat in naturam ipsius corporis.

II. Utuntur exemplo rerum quas Christus pro sua suprema potestate in alias commutavit. Ita

S. Cyrillus Hierosolymitanus catechesi 4. mystagogica. *Aquam*, inquit, *aliquando mutavit in vinum*, P. 237. B. *quod est sanguini propinquum, in Cana Galilæa sola voluntate; & non erit dignus cui credamus, quod vinum in sanguinem suum transmutasset? Si enim ad nuptias corporeas invitatus stupendum miraculum operatus est, an non multò magis corpus & sanguinem suum filiis sponsi dedisse illum confitebimur?*

S. Ambrosius L. de initiandis c. 9. jam citato, postquam panem & vinum Eucharisticum cum manna & petra, tanquam veritatem cum umbra & figura contulit, sic interrogantem inducit: "Quomodo tu mihi asse- Tom. 2. p. 338. D.
"ris quod Christi corpus accipiam? *Sic respondet*: Hoc "nobis adhuc superest ut probemus..... non hoc esse "quod natura formavit, sed quod benedictio consecravit; majoremque vim esse benedictionis, quam naturæ; quia benedictione etiam natura ipsa mutatur. "Virgam tenebat Moyses; projecit eam, & facta est "serpens. Rursus apprehendit caudam serpentis, & in "virgæ naturam revertit. Vides igitur prophetica gra- "tia bis mutatam esse naturam serpentis & virgæ?" Et post alia multa exempla tùm sanguinis ex fontium venis erumpentis, tum cruoris ad priorem aquæ naturam reversi; aquarum Maris rubri, quæ solidæ instar murorum constiterunt ex utraque parte divisæ, sic per- Ibid. p. 339. B.
git: "Quod si tantum valuit humana benedictio, ut "naturam converteret, quid dicimus de ipsa consecra- "tione divina, ubi verba ipsa Domini Salvatoris operan- "tur?... Quòd si tantum valuit sermo Eliæ, ut ignem "de Cœlo deponeret, non valebit Christi sermo, ut species mutet elementorum?... De totius mundi ope- "ribus legisti. Quia ipse dixit, & facta sunt; ipse man- "davit, & creata sunt; sermo ergo Christi qui potuit ex "nihilo facere quod non erat, non potest ea quæ sunt in "id mutare quod non erant? Non enim minus est novas "rebus dare, quàm mutare naturas.

Clariora sunt ista S. Doctoris verba, quàm ut commentario indigeant.

Ex quibus sic arguimus: Tam verè corpus Christi est in Eucharistia, juxta SS. Patres, quàm verè corpus in Incarnatione assumpsit, quàm verè mutata est aqua in vinum in Cana Galilææ, virga in serpentem &c. Atqui Christus verum corpus assumpsit in Incarnatione, aqua verè conversa est in vinum, sicut virga in serpentem; ergo quoque in Eucharistia verum est Christi corpus, & panis verè in illud mutatur, seu, ut loquitur, transubstantiatur.

QUINTUM ARGUMENTUM.

SS. Patres asserunt mysterium Eucharistiæ stupendum esse, inaccessum sensibus, sola fide credendum; ac Fidelium circa illud dubia, proposita summa Dei virtute ac potentia, resolvunt.

Nihil tam obvium ac frequens occurrit apud SS. Patres, ubi de mysterio Eucharistiæ loquuntur, quàm illud stupendum esse virtutis divinæ miraculum, altum, reconditum, ad credendum difficile, supra omnem rationem ac sensum positum &c. ex quo certè duo sequi necesse est: primum, dubia quædam in animis Fidelium suboriri circa veritatem Eucharistiæ, quid nempe illa sit, an verum Christi corpus, an illius figura dumtaxat & imago; alterum, debuisse SS. Patres dubia ille expugnare, ac clarè & distinctè exponere, an reipsa Eucharistia Christi corpus contineat, vel tantùm ejus figuram; an sensibus hic credendum, an sola sit audienda fides: quæ duo revera contigerunt. Dubitarunt Fideles, & dubia illorum non alia ratione expugnarunt ac solverunt SS. Patres, quàm proponendo summam Dei virtutem & potentiam, ac distinctè probando veram

& realem

& realem præsentiam Christi in Eucharistia; ac consequenter non sensuum judicio, sed uni fidei hic adhærendum esse.

S. Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi 4. mysta-
P. 257. A. gogice jam citata, "cum Christus ipse, *inquit*, sic affirmet atque dicat de pane, Hoc est corpus meum; quis deinceps audeat dubitare? Ac eodem quoque confirmante & dicente, Hic est sanguis meus; quis, inquam, dubitet, & dicat non esse illius sanguinem?" En dubium, quod deinde solvit divinæ potentiæ consideratione, & exemplis à nobis ex S. illo Doctore laudatis in argumento quarto. Postea asserit ibidem, non ex sensibus, sed ex Dei verbis de hocce mysterio judican-
Ibid. D. dum esse, "Ne ergo, *inquit*, consideres tanquam nudum, & vinum nudum; corpus enim est sanguis Christi, secundum ipsius Domini verba. Quamvis enim sensus hoc tibi suggerit, tamen fides te confirmet, ne ex gustu rem judices: quin potius habeas ex fide pro certissimo, ita ut nulla subeat dubitatio, esse tibi donata corpus & sanguinem.

S. Hilarius L. 8. de Trinit. n. 14. postquam de Eucharistia n. 13. dixit quæ nos retulimus in argumento secundo, rationis & sensuum obloquentium judicium sic
P. 955. B. impugnat & reprimit: "Non est humano aut sæculi sensu in Dei rebus loquendum: neque per violentam atque imprudentem prædicationem, cœlestium dictorum sanitati, alienæ atque impiæ intelligentiæ extorquenda perversitas est. Quæ scripta sunt legamus." Deinde ostendit, satis esse ad fidem tanti hujus mysterii faciendam, quod Christus Deus sit, adeoque nihil ipsi sit impossibile.

S. Chrysostomus Hom. 83. in Matth. post medi-
Edit. Comm. p. 703. D. um, sic loquitur: "Credamus ubique Deo nec repugnemus, etiamsi sensui & cogitationi nostræ absurdum esse videatur quod dicit; superet & sensum & rationem nostram sermo ipsius, quod in omnibus & præcipue in mysteriis faciamus, non illa quæ ante nos jacent solummodo aspicientes, sed verba quoque ejus tenentes. Nam verbo ejus defraudari non possumus, sensus vero noster deceptu facillimus est: illa falsa esse non possunt, hic sæpius atque sæpius fallitur. Quoniam ergo ille dixit, Hoc est corpus meum, nulla teneamur ambiguitate; sed credamus & oculis intellectus id perspiciamus."

Obiit an. 418. Gaudentius Brixiensis, Tract. 2. in Exodum: "Quod annuntiatum est, *inquit*, credas: quia quod accipis, corpus est illius panis cœlestis, & sanguis est illius sacræ vitis. Nam cum panem consecratum, & vinum discipulis suis porrigeret, sic ait: Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus. Credamus, quæso, cui credidimus; nescit mendacium veritas.

Unde sic arguimus.

I. Mysterium Eucharistiæ stupendum est miraculum quod difficile creditur, quod non sensuum judicio, sed sola fide & Dei loquentis auctoritate cognosci potest & æstimari: atqui si esset tantum figura corporis Christi, excludens ejus veram, realem & substantialem præsentiam, nihil haberet captu difficile; quis enim facile non intelligat, qua ratione v. g. Agnus paschalis figura fuit Christi? nullus esset fidei locus, cum ex sensibus feratur judicium, juxta adversarios; nullum denique stupendum hic occurreret miraculum, cum nulla fieret substantiæ mutatio, sed sola Christi destinatione panis assumatur ut sit figura & imago corporis sui.

Neque est quod regenerant adversarii, miraculum in eo esse, quod magna sit panis eucharistici virtus & efficacia.

Namque 1. in eorum mente tota efficacia & virtus à fide oritur, quam externum symbolum dumtaxat movet & excitat. 2. Laudati hactenus SS. Patres in eo præsentis mysterii altitudinem ac stupendam magnitudinem reponunt, quod per verba Christi, panis fiat, seu mutetur in corpus ejus, non figuratum & symbolicum, sed verum, proprium & naturale, quale ex B. Virgine natum est, passum & mortuum; quod aliarum mutationum exemplo illustrant, in quibus res una in aliam transit & commutatur, sicut audivimus ex S. Cyrillo Hierosolymitano, Ambrosio & aliis citatis in argumento quarto. non igitur de sola virtute & efficacia loquuntur, sed de vera mutatione panis in corpus Christi; neque vero aliunde tanta Eucharistiæ virtus hic oritur, quam ex ipso Christi corpore.

II. Juxta SS. Patres tam arduum est ac captu difficile illud mysterium, ut proclive fuerit nonnulla dubia Fidelium animis occurrere circa veritatem illius. At ejusmodi dubium minime potuit excitari circa virtutem & efficaciam Eucharistiæ, sed circa unam dumtaxat realem Christi præsentiam; quid ita? quia quos alloquuntur SS. Patres erant, Fideles erant jam baptisati, quibus apprime perspecta erat Baptismi & aliorum Sacramentorum vis & efficacia: sæpius enim audiverant, non solam aquam exterius lavantem attendi debere, sed internam præsertim Spiritus sancti virtutem & operationem. Unde igitur circa Eucharistiam dubium? ex præsentia reali, quæ certè nullius in mentem venire unquam posset, adeo captum omnem superat, nisi expressa esset Christi revelatio.

III. SS. Patres, ut illud Fidelium dubium solvant, non ajunt Eucharistiam esse figuram & imaginem corporis Christi, quod certe reponere debuissent, in sententia adversariorum; hoc enim postulabat occasio subjecta, & unico verbulo, quidquid obscuri est, ac difficile hic concipitur, illustrassent ac diluissent. Præterea debuissent hortari Fideles, sicut faciunt nostri Calvinistæ, ut à sensuum judicio non recederent: attamen iidem SS. Doctores continuo inculcant Eucharistiam verum & proprium esse Christi corpus, non meram ejus figuram & imaginem reali præsentia vacuam; utque fidem tanti prodigii faciant, non sensibus, à quibus mens hic revocanda est, sed uni Christi verbo & auctoritati adhærendum, atque ad summam Dei potentiam confugiendum esse docent, ut ex sola fide credamus Eucharistiam esse verum Christi corpus, & verum ejus sanguinem: longius igitur aberant illi, ut existimarent verba institutionis sensu tropico & figurato esse exponenda.

SEXTUM ET ULTIMUM ARGUMENTUM.

Ex supposita reali Christi præsentia in Eucharistia, multa necessariò sequuntur, quæ cum admittant SS. Patres, necesse est eos realem hanc præsentiam agnovisse.

Si Christus realiter & substantialiter est in Eucharistia, ut revera est, hæc sequuntur.

I. Cùm Christus Deus sit, adorari debet præsens in Eucharistia; & reipsa ita docent SS. Patres, Chrysostomus Hom. 61. ad populum Antiochenum, & Lib. de Sacerdotio c. 6. Theodoretus Dialogo 2. Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi 5. mystagogica; Gregorius Nazianzenus, Oratione funebri sororis suæ Gorgoniæ; Ambrosius L. 3. de Spiritu sancto c. 12. Augustinus Ep. 120. & in Ps. 98.

II. Cùm præsens exhibetur nobis Eucharistia, oportet corpus & sanguinem nobis esse proposita, & in altari residere: at illud ipsum fatentur & docent SS. Patres. S. Chrysostomus Oratione de S. Philogonio, "Hæc Tom. 1. p. 493. A.
mensa, *inquit*, vicem implet præsepis. Nam & hic ponetur corpus dominicum.

Optatus Milevitanus L. 6. contra Parmenianum, "Quid enim est altare, *inquit*, nisi sedes corporis & P. 91. n. 1.

„sanguinis Christi ?... Quid vos ostenderat Christus, „cujus illic, per certa momenta corpus & sanguis ha- „bitabat ;

III. Si præsens est Christus substantiali præsentia sub symbolis eucharisticis, debuere summa cura & diligentia Fideles præcavere, ne quid irreverenter & indecore fieret cum manibus exciperent Eucharistiam, ne forte quid in terram decideret ; at de hoc maxime sollicitos eos fuisse testantur.

P. 102. A. Tertullianus L. de corona militis c. 3. " Calicis, „*inquit*, aut panis nostri aliquid decuti in terram anxie „patimur.

Tom. 1. p. 13. B. Origines Hom. 13. in Exodum. " Nostis, *inquit*, „qui divinis mysteriis interesse consuevistis, quomodo „cum suscipitis corpus Domini, cum omni cautela & „veneratione servatis, ne ex eo parum quid decidat, ne „consecrati muneris aliquid dilabatur. Reos enim vos „creditis, & recte creditis, si quid inde per negligentiam „decidat.

P. 144. C. S. Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi 5. mystagogica, " Accedens, *inquit*, non expansis manuum volis „accede, neque cum disjunctis digitis, sed sinistram, ve- „luti sedem quamdam, subjicias dextræ, quæ tantum „Regem suscepturæ est, & concava manu suscipe corpus „Christi, dicens, Amen. Sanctificatis ergo diligenter „oculis, tam sancti corporis contactu, communica. „Cave autem, ne quid inde excidat tibi ; quod enim „amittas, hoc tanquam ex proprio membro amiseris.... „Tum vero post communionem corporis Christi, acce- „de & ad calicem sanguinis illius, non extendens manus, „sed pronus adorationis in modum & venerationis, di-
P. 245. A „cens, Amen. Sanctificeris eo sanguine Christi, quem „assumis ; & cum adhuc est humiditas in labiis tuis, „manibus stringens, & oculos, & frontem, & reliqua „sensuum organa consecra.

IV. Si vere & substantialiter præsens est Christus in Eucharistia, sequitur nos vere & realiter manducare corpus Christi, nos fieri cum illo *concorporales*, corpus ejus intra viscera nostra admitti & recipi. Atqui hæc omnia agnoverunt SS. Patres.

P. 131. n. 5. S. Irenæus L. 4. contra hæreses c. 18. alias 34. citato antea argumento primo, ait nos corpore & sanguine Christi ali & nutriri.

P. 330. B. Tertullianus Libro de resurrectione carnis c. 8. „Caro, *inquit*, corpore & sanguine Christi vescitur, ut „anima de Deo saginetur.

Tom. 5. Com. p. 404. A. S. Cyrillus Alexandrinus in Epistola ad Nestorium ait, " nos per Eucharistiam sacræ carnis & pretiosi „sanguinis Christi participes fieri & sanctificari.

P. 256. B. S. Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi 4. mystagogica, " Sub specie panis *inquit*, datur tibi corpus, „& sub specie vini sanguis, ut sumpto corpore & san- „guine Christi, efficiaris ei comparticeps corporis & „sanguinis. Sic Christophori erimus, hoc est, ferentes, „cum ejus corpus & sanguinem in membra nostra „receperimus.

Tom. 2. p. 534. B. Denique S. Gregorius Nyssenus Oratione catechetica c. 37. " Oportet, *inquit*, sicut exitiale, ita etiam „salutare medicamentum admitti intra viscera hominis, „ut per illa distribuatur in universum corpus virtus
Ibid. D. „ejus quod fert opem .... Et fieri non potest, *ait ibid.* „ut sit aliquid alter intra corpus, nisi per esum & po- „tionem misceatur visceribus.

V. denique, si Christus realiter & substantialiter præsens est in Eucharistia, sequitur 1. Christum, cum hoc Sacramentum instituit, semetipsum propriis portasse manibus, quod expresse docet S. Augustinus in Psalm. 33. Sequitur 2. nos manibus Christum ipsum contrectare ; & istud quoque docent S. Chrysostomus Hom. 51. & 83. in Matth. & 24. in Epistolam ad Corinthios, & L. 3. de sacerdotio ; & S. Cyrillus Alexandrinus Commentario in Joan. Sequitur 3. vasa ipsa quibus continetur corpus Christi, contacto ipso sanctificari quodammodo, quod docet S. Hieronymus Epistola ad Theophilum. Sequitur denique, Christum corpore in terris præsentem esse, & id docet S. Chrysostomus locis mox citatis.

Ex istis porro argumentum efficax eruere facile cuique est. Argumenta autem sex adducta mutuam sibi lucem & opem subministrant, atque unam veluti totalem & integram, eamque invictam demonstrationem in præsenti nostro argumento evidentissimam efficiunt.

Solvuntur Objectiones Novatorum ex SS. Patribus.

Infiniti essemus, si quas Albertinus grandiori volumine de Eucharistia, & alii passim Novatores ex SS. Patribus objectiones colligunt, hic recensere singulas vellemus : quamquam & superfluum illud ac plane inutile videtur, centies enim & ad fastidium usque eadem illi semper recoquunt ac repetunt, quibus una & eadem solutione occurrendum est. Sufficiet igitur nobis, eorum SS. Patrum se legisse testimonia, quæ Calvinistæ causæ suæ potissimum favere gloriantur, & adversus nos urgere vehementius solent.

Solvuntur Objectiones ex S. Irenæo.

Albertinus à pag. 297. ad pag. 314. disputat de mente S. Irenæi, quem totum suum esse perperam ille contendit.

Objicies itaque 1. Scopus & institutum S. Irenæi, Lib. 4. c. 34. nunc 18. postulat ut velit panem & vinum Eucharisticum figuram esse duntaxat & signum corporis & sanguinis Christi, non verum & proprium ejus corpus & sanguinem.

Impugnat scilicet Valentinianos qui negabant 1. Christum esse Filium Dei creatoris mundi. 2. illum terrestre habuisse corpus. 3. Deum Patrem creasse panem & vinum. Adversus illos ostendit S. Doctor, ex oblatione Eucharistica panis & vini quæ Deo Patri fit in Ecclesia, & ab ipsis quoque Valentinianis usurpatur, Deum Patrem condidisse panem & vinum, & christum ejus esse filium ; probat autem, quia Christus Patri suo obtulit panem & vinum ; non possunt autem offerri Deo nisi quæ ejus sunt. Atqui si per panem & vinum quæ in Eucharistia offeruntur, intelligat S Doctor substantiam ipsam panis & vini quæ sit figura corporis & sanguinis Christi, intentum suum assequitur : non ita si intelligat verum Christi corpus & sanguinem. Namque panis & vinum creaturæ sunt terrenæ, quæ si Deo offerantur, necesse est ut ab illo sint conditæ ; neque enim aliena ipsi offerri possunt [alias, inferebant Valentiniani, inops esset & indigus.] Christus aliunde, juxta illos Hæreticos, non terrestre, sed cœleste corpus habebat ; ex oblatione igitur talis corporis non recte probasset Irenæus, Deum Patrem conditorem esse rerum terrenarum. Ut ergo scopum & intentum suum obtineat, necesse est ut supponat, in Eucharistia offerri Deo Patri terrestrem panis & vini substantiam, quæ sit figura duntaxat & imago corporis & sanguinis christi.

Resp. 1. ex praxi Valentinianorum circa oblationem Eucharistiæ, inferri manifeste eos realem admisisse Christi præsentiam, quam sententiam ex Ecclesia, unde discesserant, hauserant. Namque certum est ex S. Irenæo citato L. 4. c. 34. Valentinianos Eucharistiam obtulisse : certum est ex eodem, ejusmodi Hæreticos existimasse terrenas panis & vini creaturas non debere Deo Patri offerri, cum ab eo non sint conditæ ; nihil autem extraneum Deo debet offerri. Existimabant igitur panem & vinum transire & mutari in corpus & sanguinem Christi ; ut possent Deo offerri, quod quidem in eis non reprehendit S. Irenæus ; sed tantum advertit, ut

mox

sed tantum advertit, ut mox referemus, parum secum cohærere Valentinianorum praxim & sententiam.

Resp. 2. S. Irenæum optime intentum suum assequi adversus Valentinianos. Namque duo maxime probanda suscepit; primum, Deum Patrem conditorem esse creatorarum panis & vini; alterum, Christum esse Filium Dei conditoris rerum omnium: utrumque vero recte demonstrat ex Eucharistia, quam ipsimet Valentiniani Deo offerebant. Primum quidem; quia Eucharistiam ex pane & vino illi (sicut Ecclesia Catholica) conficiebant, & sic confectam seu consecratam offerebant Deo; atque ita factis ipsis comprobabant, quod tamen ex errore non fatebantur, Deum conditorem esse panis & vini; unde recte observat loco citato S. Irenæus eos non sibi constare. "Ergo, *inquit*, aut

P. 251. n. 3. „sententiam mutent aut abstineant offerendo quæ prædicta sunt. Nostra autem consonans est sententia Eucharistiæ, & Eucharistia rursus confirmat sententiam „nostram. Offerimus enim ei quæ sunt ejus." Præterea, cum Christi corpus quod in Ecclesia offertur, sit quid terrenum, recte adhuc ostendit sanctus Doctor, ex rebus terrenis fieri Deo oblationes. Nec refert quod Valentiniani negarent Christum habere corpus terrenum: namque cum id invicte alibi probasset sanctus Doctor, merito hic supponit.

Alterum quoque recte demonstrat. Namque Christus panem & vinum assumpsit, ut suum efficeret corpus & sanguinem, Deoque Patri offerret: at si Christus panis & vini conditorem, tanquam sibi adversarium, (ut putabant Valentiniani) habuisset, quomodo ex pane & vino suam perfecisset Eucharistiam? Eum igitur non ut adversum sibi, sed ut Patrem suum hoc facto agnovit & professus est. Deinde non minoris est virtutis ac potentiæ, ex pane & vino corpus suum & sanguinem efficere, quam ex nihilo mundum creare: prius fecit Christus; ergo & posterius; adeoque verus est Filius Dei conditoris rerum omnium, imo & conditor ipse seu creator rerum omnium simul cum Patre. Ita contra Valentinianos disputare S. Doctorem, facile deprehendet qui ejus Opus evolverit.

Instabis 1. Eodem citato c. 34. L. 4. S. Irenæus asse-

P. 250. n. 3. rit sacrificia non sanctificare hominem. "Non enim, „*inquit*, indiget Deus sacrificio: sed conscientia ejus „qui offert, si pura est, sanctificat ipsum sacrificium." Atqui intelligi istud non potest de corpore & sanguine Christi, si vere & realiter continerentur in Eucharistia: corpus enim Christi sanctum est, nec sanctitatem ab alio externo trahere potest, sed hanc ex unctione hypostatica cum persona Verbi mutuatur & contrahit; igitur de panis & vini substantia, quæ sit figura duntaxat corporis & sanguinis Christi, id dixit sanctus Doctor.

Resp. generatim ibi S. Doctorem loqui de dispositionibus necessariis in eo qui sacrificium offert, ut Deo gratum & acceptum esse possit, & homini utile; nempe, ut ipse ait, "offerri debet in sententia pura, & fide

P. 252. n. 4. „sine hypocrysi, in spe firma, in dilectione ferventi," talem autem oblationem puram sola Ecclesia Catholica offert Deo creatori suo; non vero Judæi, quorum manus sanguine plenæ sunt, neque Hæreticorum synagogæ. Distinguo igitur hanc propositionem: Sacrificia non sanctificant hominem, si absque fide & ea quæ par est pietate ac religione offerantur, concedo: secus, nego.

Pariter distinguo hanc aliam propositionem: Conscientia pura sanctificat sacrificium, respectu offerentis qui fructum spiritualem ex eo percipit, concedo: sanctificat sacrificium in seipso spectatum sanctitate absoluta, saltem si de Eucharistia sermo sit, nego.

Instabis 2. Eodem c. S. Irenæus ait hanc oblationem, nempe Eucharistiam, Deo offerri per Christum.

Ibid. „Judæi, *inquit*, non receperunt Verbum, per quod „offertur Deo." Atqui absurdum est dicere Christum offerri Deo per Christum: de pane autem & vino recte id dici potest.

Resp. S. Doctorem de omni oblatione loqui, non de sola Eucharistia; meritoque dicere quamlibet oblationem Deo per Christum offerri: non habemus enim accessum ad Deum, nisi per Christum qui mediator est Deum inter & homines; nihil ergo absurdi habet S. Irenæi propositio. Constans quippe est SS. Patrum sententia, Christum in sacrificio crucis & Missæ, simul esse sacerdotem & hostiam, adeoque Christum Deo per Christum offerri; sicut Christus homo in cruce pendens pro nobis Patri suo & sibi ut Deo satisfecit, quod recte conciliatur in ipso propter diversas, quibus constat, naturas, divinam scilicet & humanam. Et mirum est istud non vidisse Albertinum, qui post adductum argumentum quasi triumphum agens, ait: "Ad hoc „argumentum ita conceptum non vidi responsionem „adversariorum.

Objicies 1. S. Irenæus tum L. 4. c. 34. tum L. 5. c. 2. ait "corpora nostra nutriri, augeri, consistere cor- Ib. n. 5. & „pore & sanguine Christi." Atqui de vero & naturali p. 294. Christi corpore dici illud non potest, recte autem de 2. & 3. pane & vino, figuris corporis & sanguinis illius.

Resp. 1. solemne esse Auctoribus Ecclesiasticis, ut dicant corpora nostra nutriri corpore & sanguine Christi, quæ loquendi ratio ex manducatione reali & orali corporis Christi, adeoque ex reali ejus sub symbolis Eucharisticis præsentia, quasi sponte nascitur. Sic enim comparati sumus, ut iis cibis nutritionem fieri dicamus, qui ore in stomachum demittuntur; talis igitur censenda est nutritio facta per corpus Christi, qualis ejus manducatio. Cum autem proprie & accurate loquendo, corpus Christi in se ac immediate non teratur dentibus neque manducetur, sed tantum ratione specierum quibus involvitur, & cum quibus intime conjungitur, pariter ratione earumdem specierum dicitur nutrire, augere corpora nostra; species enim illæ retinent vim nutriendi, qualem habebant ante consecrationem ipsamet panis & vini substantia. Si vero quæras qua ratione id fieri possit, ignorantiam facile confitebor; est enim mysterium à sensibus & ratione longius remotum. Neque sane Deo modus deest, quo supplere possit vim nutriendi quæ substantiæ panis & vini propria est: qui enim potuit res omnes ex nihilo educere, & res alias in alias commutare, quidni poterit sine panis & vini substantia, remanentibus solis accidentibus, corpora nostra nutrire & augere?

Idcirco vero Eucharistiæ, seu speciebus panis & vini, vim nutriendi, quæ propria est substantiæ panis & vini, consecravit Christus, quia nullum hic sensibile miraculum voluit operari, sed totus latere voluit in mysterio, ac fidem nostram exercere.

Resp. 2. cum Cardinali Perronio, corpora nostra nutriri corpore & sanguine Christi, non quidem nutritione & augmento transitoriis, quæ ex vulgaribus cibis fiunt, sed nutritione & augmento permanente, quibus scilicet justorum corpora ex conjunctione reali cum Christi corpore in Eucharistia manducato, incorruptionis & gloriosæ immortalitatis semina recipiunt. Hoc illustrat doctissimus Cardinalis, exemplo auri, quod licet inconsumptibilis materiæ sit, ægrotorum tamen infusum jusculis nutrire dicitur: non quod in eorum substantiam converti existimetur, sed quod in illorum corporibus qualitatem quam imprimat idoneam ad reparandam & roborandam virtutem vitalem, corruptionique resistendum. Pariter caro Christi dicitur nostra corpora nutrire, non quod in eorum convertatur substantiam, ut cibi communes; sed quod contactu suo occultam vitæ impressionem in nobis efficiat, ratione cujus non vivificare & ad vitam æternam nutrire dicitur.

Objicies 3. Citato Lib. 4. cap. 34. expresse ac P. 251. conceptis terminis S. Irenæus ait, *Eucharistiam ex* n. 5.

duabus rebus constare , terrena & cœlesti. At res illa terrena est panis & vini substantia ; res autem cœlestis , est virtus & efficacia huic substantiæ impressa.

Resp. nego min. Res enim terrena est id quod sensu percipitur, nempe accidentium congeries ; res vero cœlestis, est corpus Christi , quod per modum spiritus inextense continetur sub speciebus. Quod autem res illa terrena non sit, in mente S. Irenæi , ipsa panis & vini substantia, constat evidenter , quia panem & vinum ait esse proprium Christi corpus & sanguinem ; quod intelligi non potest, nisi propter conversionem seu mutationem substantiæ panis & vini ; quamdiu enim suam propriam substantiam retinent , nunquam proprium Christi corpus & sanguis dici possunt. Res vero illa cœlestis non est sola virtus & efficacia distincta à corpore & sanguine Christi, tum quia plane ficta est ejusmodi virtus sejuncta & separata , tum quia de illa ne vel levissimum quidem apud S. Irenæum vestigium : tum denique , quia virtus illa separata non sufficit , ut Eucharistia ex re terrena & cœlesti constare dicatur : alias , & aqua Baptismi, & oleum Confirmationis , quod per benedictionem virtutem quamdam spiritualem contrahunt , dici possent constare ex duabus , terrena & cœlesti ; quam loquendi rationem nullus usurpasse legitur.

Claudius Sanctesius & Card. Perronius , per rem terrenam ajunt ab Irenæo intelligi substantiam corporis Christi, quod terrestre vocat sanctus Doctor, ut directe explodat Valentinianorum figmentum de corpore Christi cœlesti ; per rem vero cœlestem , intelligi spiritum Christi.

Instabis 1. cum Albertino : Si per rem terrenam S. Irenæus intellexisset accidentia panis & vini, sine propria eorum substantia, haud dubie Valentino insultandi occasionem dedisset , gravissimumque istud ei suppeditasset argumentum , nempe ideo substantiam panis & vini ab Eucharistia abesse, ac in illorum locum substitui corpus & sanguinem Christi , quæ (ut loquebantur Valentiniani) *ex defectione, & ignorantia , & passione illa facta sunt* , eaque de causa Patri offerri non debent.

Resp. nego sequelam maj. Ipsi siquidem Valentiniani ex pane & vino Eucharistiam suam conficiebant & consecrabant ; & Deo Patri offerebant ; existimabant igitur panis & vini substantiam mutari & converti in corpus & sanguinem Christi : alias numquam Deo Eucharistiam obtulissent. In eorum enim principiis non debet offerri Deo , nisi quod ab illo est ; panis autem & vinum non sunt à Deo Patre condita , ergo &c. Unde , ut antea observavimus , secum non cohærebant illi Hæretici , ac factis confitebantur, quod ex errore negabant.

Instabis 2. cum eodem Albertino pag. 322. Si Catholici disputantes adversus Valentinianos supposuissent corpus Christi vere contineri in Eucharistia , quomodo corpus illud spiritale , quod Valentiniani Christo affingebant , improbare & refellere potuissent , cum Christi corpus quod est in Eucharistia , sit per modum spiritus , non localiter , non extensive & quantitative ?

Resp. veritatem corporis Christi naturalis & terreni non probasse Catholicos ex Eucharistia directe , sed ex iis Scripturæ testimoniis quibus Christus homo dicitur , passus, mortuus &c. neque illa duo confundi debent, sicut confundit Albertinus. Utrumque mysterium , veritas nempe corporis Christi naturalis & terrestris , & illius præsentia in Eucharistia , suas habet ex scriptura probationes ; prius , ut dixi, ex testimoniis quæ affirmant Christum esse hominem ex Virgine natum , omnibus humani corporis infirmitatibus , doloribus , siti , fami morti ipsi fuisse obnoxium ; posterius vero , ex verbis institutionis Eucharistiæ : unde mirum non est , si Valentiniani doctrinam Catholicorum circa realem præsentiam non traxerint ad probandum figmentum suum de corpore Christi spiritali & cœlesti ; ipsi siquidem Orthodoxis consentientes erant circa dogma realis præsentiæ.

Solvuntur Objectiones ex Tertulliano.

Objicies 1. cum Albertino pag. 321. Tertullianus L. 1. adversus Marcionem probat Dominum nostrum Jesum Christum contrarium non esse Deo creatori ; quia in suis perficiendis mysteriis usus est rebus ab eo creatis. " Usque nunc, *inquit* c. 14. nec aquam repro- P. 372.
„bavit creatoris, qua suos abluit ; nec oleum , quo suos B.
„ungit ; nec mellis ac lactis societatem, qua suos infan-
„tat ; nec panem, quo ipsum corpus suum repræsentat ;
„etiam in Sacramentis propriis egens mendicitatibus
„creatoris." Ex quibus sic arguit Albertinus : Repræsentatio rei non est idem cum ea quam repræsentat ; signum enim non potest dici proprie res signata ; atqui ex Tertulliano, panis Eucharisticus est repræsentatio corporis Christi ; ergo non est verum illius corpus.

Resp. dist. majorem argumenti. Repræsentatio sumpta pro signo, figura & imagine vacua rei alicujus , non est quid idem cum reipsa quam repræsentat , concedo ; repræsentatio sumpta pro rei exhibitione & præsentia, nego. Dist. min. ad sensum majoris.

Itaque verbum *repræsentare* , in quo vim facit Albertinus , apud Auctores tam prophanos tum Ecclesiasticos usurpatur aliquando pro nuda & simplici rei alicujus imagine & figura , atque frustra laboret iste , ut hoc probet, quod ultro fatemur ; sed fateatur etiam necesse est, verbum *repræsentare* sæpius significare , rem præsentem sistere, exhibere. Sic apud Jurisconsultos repræsentare pecuniam, idem est ac præsentem numerare ; repræsentare se ad pœnam , idem ac se præsentem numerare ; repræsentare se ad pœnam, idem ac se præsentem sistere ad pœnam. Sic Ecclesia in Miss. pro defunctis oret ut Archangelus Michael " repræsentet ani-
„mas in lucem sanctam, " id est , ut Deo sistat & reipsa præsentes exhibeat.

Hoc posteriori sensu verbum *repræsentare* multis in locis usurpasse Tertullianum colligitur ex L. de Ora- P. 371. C.
tione c. 5. ubi ait nos in Oratione dominica regni dominici *repræsentationem* postulare ; id est adventum & P. 333. C.
præsentiam regni cœlestis. Et L. de resurrectione carnis
c. 14. ait , " plenitudinem perfectionemque judicii P. 437. A
„nonnisi de totius hominis repræsentatione constare ; "
id est, totius hominis exhibitione atque præsentia. Et L. denique 4. contra Marcion. c. 22. ait, *Deum* Patrem *repræsentasse* filium quem promiserat , in monte Thabor ; id est, revera præsentem exhibuisse, cum dixit,
„Hic est filius meus.

Porro citato in Objectione loco Tertullianum verbum *repræsentare* usurpasse pro præsentem reipsa fa- P. 458. A
cere, certo inde debet colligi, quod L. 4. contra Marc. c. 40. expresse asserat , " Christum panem fecisse corpus
„suum, dicendo, Hoc est corpus meum. " Non igitur est tantum figura & imago corporis.

Instabis 1. cum Albertino : Si panis repræsentat , id est exhibet reipsa præsens corpus Christi ; ergo remanet panis substantia simul cum Christi corpore.

Resp. nego conseq. Christus enim , ex mox dictis , panem suum corpus fecit ; id est , mutavit & convertit in corpus suum ; ergo non remanet amplius panis substantia.

Sed , inquit Albertinus , quid igitur per panem intelligit Tertullianus, cum ait illum repræsentare corpus Christi? An panis accidentia ? An panis substantiam ?

Resp. Utrumque sub diverso respectu : panis substantiam intelligit , antecedenter ad consecrationem ; panis vero accidentia , post consecrationem. Sed contra.

Instat Albertinus.

I. Accidentia panis, non sunt panis ipse.

II. Nulla est ratio cur per panem accidentia illius potius designet, quam per aquam, oleum, mel & lac, de quibus ibidem loquitur Tertullianus, intelligat eorum accidentia: imo in exemplis adductis, in quibus verbum *repræsentare* significat præsentem exhibere, non rerum accidentia, sed ipsa substantia intelligitur; v. g. cum Pater cœlestis filium repræsentavit, non ejus duntaxat imaginem, & similitudinem quamdam, sed veram ejus exhibuit substantiam præsentem.

III. Quia Tertullianus ex permanentia accidentium subjecti alicujus substantialis, perpetuo supponit contra Marcionem subjecti illius permanentiam & veritatem: v. g. ex apparentia carnis in Christo, veram carnis illius substantiam probat L. 3. contra Marc. cap. 8. at supposita nostra explicatione facile repoluisset Marcion, ex apparentia & appellatione carnis Christi, non melius probari carnis illius veritatem, quam ex appellatione & apparentia panis in Eucharistia, probetur veritas substantiæ panis.

IV. denique quia si Tertullianus existimasset post consecrationem panis substantiam ab Eucharistia abesse, Marcioni locum dedisset hypothesi suæ congruenter inferendi, panis substantiam ex Eucharistia fuisse à Christo eliminatam, quod illam malam esse sciret, & à malo principio productam: probabile vero non est ita stupidum fuisse Tertullianum, ut Marcioni arma suppeditaret & occasionem insultandi. Ita Albertinus.

Resp. nullius plane momenti esse hæc Albertini argumenta.

Ad primum, dico accidentia panis non quidem esse panem ipsum, recte tamen appellari & dominari panem, quia illius sunt species & accidentia, substantiam autem ab ejus accidentibus denominare solemus.

Ad secundum, mirum est disparitatem horum exemplorum non vidisse, aut saltem dissimulasse Albertinum. An unquam de aqua, oleo, lacte aut melle dixit Christus, *Hoc est corpus meum*, sicut dixit de pane? An unquam Tertullianus scripsit, Christum fecisse aquam, oleum &c. *corpus suum*, sicut de pane scripsit? Igitur ex subjecta materia recte inferimus, per panem Tertullianum intelligere, non panis substantiam, sed species & accidentia. Exemplum vero Christi à Patre repræsentari in ipsa substantia, non in figura tantum, imprudenter omnino & incaute commemorat Albertinus, causæ enim illius jugulum petit. Sicut enim Pater verum & naturalem filium præsentem exhibuit, cum dixit, *Hic est filius meus*; ita Christus vere & proprie corpus suum panis specie præsens fecit, cum dixit, *Hoc est corpus meum*.

Neque est quod regerat Albertinus, panis substantiam præsentem esse debere in Eucharistia, sicut præsens fuit Christi substantia in monte Thabor. Quam enim ista distant! Christus enim in se immediate non in signo aliquo & Sacramento videri voluit præsens in monte: at in Eucharistia præsens quidem quoad substantiam voluit esse, sed modo quodam insensibili, totus signo & Sacramento obvelatus; quod ut obtineret, necesse fuit remanere panis species, quibus tanquam velo tegi posset & oculis nostris subduci. ut enim antea dictum est, nullum sensibile miraculum in Eucharistia voluit Christus operari, sicut operatus est, quando in monte tanta gloria circumfusus apparuit.

Ad tertium, dico recte quidem Tertullianum ex apparentia carnis Christi, veritatem illius inferre L. 3. contra Marc c. 8. ab exemplo autem Eucharistiæ immerito argumentum contra duxisset Marcion, tum quia, juxta Orthodoxos, corpus Christi modo invisibili & inextenso præsens est in Eucharistia: at Marcion visibile ei, licèt simulatam & phantasticam, in Christo carnem admittebat: tum quia in Libro primo contra Marc. cap. 14. unde testimonium in Objectione citatum petitur, institutum Tertulliani non est ut probet veritatem carnis Christi, sed tantùm Christum non esse contrarium Deo creatori, cujus creaturas in usus suorum Sacramentorum assumpsit: tum denique, quia ideo ex apparentia seu permanentia accidentium panis in Eucharistia non potest inferri ipsius substantiæ panis permanentia, quia Christus panem corpus suum fecit; at fieri non potest, ut panis substantia, quamdiu talis remanet, fiat proprium Christi corpus; ergo necesse est eam mutari in corpus Christi, solis remanentibus accidentibus. At verò ex apparentia carnis Christi rectè probatur ejus veritas, quia & Scriptura & ratio id ostendit: *Palpate & videte*, inquit Christus ad Apostolos Lucæ 24. v. 39. *quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere.* Adde, quòd id Marcion non objecit, quod fingit Albertinus; & si objecisset, non minùs firma stetisset orthodoxa veritas.

Ad quartum, nego id sequi, quod infert Albertinus. Quòd si istud Marcion intulisset, immeritò & contra sua propria intulisset principia: [quod Hæreticis satis familiare est] tum quia ipse Marcion, ut postea dicemus, existimabat Christum pro vero corpore assumpsisse panem; igitur hoc ipso fateri videbatur, Christum non spectasse panem, tanquam rem malam: tum quia in Eucharistia Christum assumpsisse panem, ille non negabat.

Objicies 2. Tertullianus vult panem Eucharisticum esse duntaxat figuram absentis, non verò exhibitionem præsentis corporis Christi. Namque Lib. 3. adversus Marc. cap. 19. insurgens adversus figmentum illius circa contrarietatem Scriptorum veteris & novi Testamenti, ostendit utriusque perpetuum consensum, atque in his veteris Testamenti verbis, *Venite, mittamus lignum in panem ejus*, per panem figuratè designatum esse corpus Christi: Christum autem filium auctoris novi Testamenti, hancce figuram in nostro Testamento exposuisse, & implevisse assumpto reipsa pane in corporis sui figuram; quod certè non fecisset, nisi novum Testamentum cum veteri consentiret. Sic loquitur: *Hoc lignum & Jeremias tibi insinuat, dicturis prædicans Judæis, Venite, mittamus lignum in panem ejus, utique in corpus. Sic enim Deus in Evangelio quoque vestro* [id est in Evangelio secundùm Lucam, quod solum admittebant Marcionitæ] *revelavit, panem corpus suum appellans, ut & hinc jam eum intelligas corporis sui figuram pani dedisse, cujus retro corpus in panem Prophetes figuravit, ipso Domino hoc Sacramentum postea interpretaturo.* P. 408. C. Jer. 11. v. 19.

Ex quo testimonio duo infert Albertinus, quæ pugnare existimat cum reali præsentia Christi in Eucharistia.

I. Dominum in Evangelio panem appellasse corpus suum; ergo, inquit, interprete Tertulliano, pronomen, *hoc*, panem indigitat.

II. Dominum pani dedisse corporis sui figuram; ergo, inquit, non est proprium Christi corpus.

Resp. ad primum, dist. propositionem: Christus panem appellavit corpus suum, eumque revera fecit corpus suum, concedo: & eum non fecit corpus suum, nego. Seipsum sic explicat Tertullianus Lib. 4. contra Marc. c. 40. Adde quòd institutum & scopus Tertulliani in L. unde Objectio sumitur, hunc sensum postulet. Ostendere quippe vult, utrumque Testamentum secum consentire ac rectè conciliari; panem siquidem, quem Propheta Jeremias assumpsit ut Christi corpus designaret, Christus ipse in novo Testamento assumpsit quoque ad Sacramentum Eucharistiæ: assumpsit autem, ut

ipse ait loco sæpius citato Lib. 4. contra Marc. cap. 40. illum corpus suum afficiendo.

Ad secundum, dist. propositionem: Dominus dedit pani figuram corporis sui in veteri Testamento per Jeremiam Prophetam, & veritatem in novo per semetipsum, concedo; dedit figuram corporis sui in novo Testamento, nego. Verba quippe ista in textu Tertulliani, *ut hinc jam eum intelligas corporis sui figuram pani dedisse*, referuntur ad tempus veteris Testamenti, & sumenda sunt in sensu præteriti plusquam perfecti, quasi diceret alloquens Marcionem, Ut intelligas novum Testamentum rectè cum antiquo consentire, jam olim panem elegit Christus ut esset figura corporis sui, quando dixit Jeremias, *Venite, mittamus lignum in panem ejus*; quem panem in novo fecit reipsa corpus suum.

Instabis cum Albertino: Si his verbis, *ut hinc jam eum intelligas &c.* respexit Tertullianus ad tempora Jeremiæ, sequitur eum absurdè omnino & tautologicè locutum fuisse; idem enim per idem dixisset, siquidem verbis immediatè sequentibus idem repetit, *Cujus*, inquit, *retro corpus in panem Prophetes figuravit*; & sensus foret, jam à tempore Jeremiæ panem fuisse figuram corporis christi, cùm Jeremias corpus in pane figuravit, quæ sanè absurda est repetitio.

Resp. Albertinum Tertulliani mentem assecutum non fuisse, neque satis distinguere inter istas duas ejus propositiones; in quarum prima ait, voluisse Christum ut vel ipso Jeremiæ tempore panis significaret suum corpus; in secunda verò ait, Jeremiam reipsa per panem designasse corpus Christi. Prior significat, Christum tanquam Dominum ea quæ facta sunt in veteri Testamento statuisse: posterior, Jeremiam tanquam Christi ministrum ejus voluntatem fuisse executum, quæ subordinatio Jeremiæ ad Christum, rectè ostendit consonantiam & concordiam veteris & novi Testamenti.

Objicies 3. celebre ex Lib. 4. contra Marcionem c. 40. testimonium, ubi conceptis terminis Eucharistiam
P. 417. D. vocat figuram corporis Christi. Sic loquitur: *Professus itaque se concupiscentia concupisse edere Pascha, ut suum, (indignum enim ut quid alienum concupisceret Deus) acceptum panem & distributum Discipulis corpus suum illum fecit, Hoc est corpus meum dicendo, idest, figura corporis mei. Figura autem non fuisset, nisi veritatis esset corpus.*

Quibus verbis patet, inquit Albertinus, sensum horum verborum, *Hoc est corpus meum*, in mente Tertulliani esse, *Hic panis est figura corporis mei.*

Confirmat ille ex scopo & instituto Auctoris. Scilicet adversùs Marcionem phantasticam in Christo carnem agnoscentem, veram & naturalem esse probare aggreditur, argumento ducto ex Eucharistia, in hunc ferè modum: Rei phantasticæ non datur imago & figura, sed tantum rei veræ ac subsistentis: atqui datur imago & figura carnis Christi, nempe Eucharistia; ergo caro Christi vera est ac subsistens, non umbratilis tantum & phantastica.

Resp. triplicem afferri posse huic celeberrimo testimonio solutionem, eamque accommodatam triplici errori Marcionis, quem perstringit Tertullianus.

I. Asserebat Marcion, christum contrarium esse auctori veteris Testamenti: hoc verò refellit Tertullianus, quia figuras veteris Testamenti Christi adimplevit in novo; quare verba hæc, *idest, figura corporis mei*, referenda sunt ad tempus veteris Testamenti, per figuram quam Rhetores vocant hyperbaton, ita ut sit hic sensus, Panis qui sub Lege figura fuit corporis mei, in Evangelio est corpus meum. Hunc esse Tertulliani sensum constat

I. Ex ejus scopo & instituto mox exposito.

II. Ex modo loquendi: *figura enim non fuisset*, inquit, *nisi veritatis esset corpus*; verbum autem præteriti temporis, *fuisset*, apertè innuit respicere Tertullianum ad tempus veteris Testamenti, in quo panis fuit figura corporis Christi, & ista, *Panem corpus suum fecit dicendo, Hoc est corpus meum*, clarissimè probant Christum panem, qui in veteri Testamento fuit figura corporis sui, in novo reipsa fecisse corpus suum per benedictionem seu consecrationem, dicendo, *Hoc est corpus meum.*

III. Verba quæ subjungit ibidem Tertullianus, ut ostendat Marcionem veterem non intellexisse figuram corporis Christi, decretoria sunt pro hac nostra prima responsione, *Non intelligens*, inquit, *veterem fuisse* P. 458. A
istam figuram corporis Christi, dicentis per Jeremiam, Venite, conjiciamus lignum in panem ejus, scilicet crucem in corpus ejus. Itaque illuminator antiquitatum, quod tunc voluerit significare panem, satis declaravit, corpus suum vocans panem. Et paulò post, sicut per Jeremiam corpus Christi in pane præfiguratum, sic Genes. 49. per vinum præfiguratum esse sanguinem in benedictione Judæ, ostendit. *Lavabis*, inquit, *in vino* ibid. B.
stolam, & in sanguine uvæ amictum suum; stolam & amictum carnem demonstrans, & vinum sanguinem, inquit Tertullianus. *Ita & nunc sanguinem suum in vino consecravit, qui tunc vinum in sanguine figuravit.* Ex quibus sane perspicuum est, Tertulliani sensum eo loci hunc esse, nempe vinum, quod in veteri Lege figura fuit sanguinis Christi, nunc, id est in nova Lege, fieri revera seu consecrari sanguinem Christi; & panem qui in veteri Lege figura fuit corporis Christi, in nova fieri revera corpus illius, ut umbra in corpus, & figura in veritatem transiret. Panem igitur figuram corporis Christi appellavit Tertullianus, non Evangelicam, sed Legalem; non christi instituentis Eucharistiam, sed Jeremiæ illam præfigurantis; uno verbo, figuram appellavit respiciens ad tempus veteris, non novi Testamenti.

Secunda responsio opposita errori Marcionis hæc est, scilicet Tertullianum per figuram corporis, idem intelligere quod Orthodoxi per Sacramentum corporis. Sicut igitur per Sacramentum corporis intelligimus speciem externam quæ sensibus observatur, non quidem vacuam & inanem, sed plenam ipso præsente christi corpore, ita Tertullianus figuram intellexit plenam. Idcirco autem Eucharistiam figuram appellavit, denominatione sumpta à parte exteriori & sensibili Sacramenti, potius quàm corpore Christi, quia refellendum habebat Marcionis errorem de phantastica Christi carne, quem, ut directè explodat, argumentum petit ab Eucharistia, quæ cum sit figura, seu symbolum & Sacramentum corporis Christi, supponit christum habere verum corpus; umbræ enim & phantasmatis non datur figura, sed rei veræ ac subsistentis. *Cæterum* P. 458. A
inquit Tertullianus loco in Objectione citato, *vacua res, quod est phantasma, figuram capere non posset.* Argumentum autem istud, ut concluderet, debuit ex symbolis externis seu figura & Sacramento corporis christi desumi, non verò ipso corpore Christi in Eucharistia revera inexistente: à veritate enim proprii & naturalis corporis Christi in Eucharistia existentis, quam negabat Marcion, rectè non intulisset Tertullianus veritatem corporis christi in se; hanc igitur etsi supponat, non tamen ex ea, sed ex ejus figura & Sacramento meritò arguit: unde Lib. 5. adversùs eundem Marcionem cap. 8. idem Tertull. ait: *Panis & calicis* P. 470.
Sacramento jam in Evangelio probavimus corporis & sanguinis dominici veritatem, adversùs phantasma Marcionis. D.

Tertia solutio est, Tertullianum appellasse panem Eucharisticum figuram corporis Christi, per exclusionem sensus erronei Marcionis, qui panem esse proprium & naturale Christi corpus per summam dementiam affirmabat, concedo, per exclusionem sensus orthodox,

doni, præsentiæ scilicet realis, nego. Scilicet cum Marcion vellet Christum veram non habuisse carnem, sed loco veri & naturalis corporis, adoptasse sibi panem, consequens erat ut in Eucharistia verum agnosceret corpus Christi, verum, inquam, non natura, sed adoptione; nullumque hujus corporis signum, nullam figuram, nullum Sacramentum esse vellet. Quæ enim fuisset? Panis? ad ille, juxta Marcionem, erat ipsummet verum Christi corpus. Non igitur illius erat figura & symbolum. Merito igitur Tertullianus ad hoc erroris Marcionis caput respiciens, dicebat panem esse figuram, id est Sacramentum corporis Christi, non vero corpus Christi sensu Marcionis: sensu enim orthodoxo dicebat, Christum fecisse panem corpus suum consecratione. Ita posse Tertulliani mentem exponi, colligitur ex errore Marcionis quem ita refellit citato L. 3. c. 40.

Ibid. p. 458. A. „Si propterea, *inquit*, panem corpus sibi finxit, quia „corporis carebat veritate; ergo panem debuit tradere „pro nobis. Faciebat ad vanitatem Marcionis, ut panis „crucifigeretur:" quod certe figmentum risu potius excipi debet, quam serio refelli.

Ex triplici hac responsione patet solutio ad argumentum Albertini, ejusque confirmationem antea adductam.

Solvuntur Objectiones ex Origine.

Objicies 1. cum Albertino pag. 349. celebre testimonium Origenis depromptum ex illius Commentario in caput 15. S. Matth. quod extat Tomo 1. editionis Huetianæ, ubi multa congerit dogmati præsentiæ realis omnino adversa.

I. ait Eucharistiam ex se non sanctificare comedentem, sed totam sanctificationem ex pura & munda conscientia oriri. "Quemadmodum, *inquit*, inquinato

Edit. Huet. T. 1. p. 253. E. „& incredulo nihil purum est, non quidem per se, sed „propter illius contaminationem & incredulitatem, ita „id quod sanctificatum est per verbum Dei & orationem non ex se utentem sanctificat." At qui falsa esset hæc propositio, si Eucharistia vere & substantialiter contineret Christi corpus.

II. Asserit neque comedendo, aliquo bono nos augeri, neque non comedendo, aliquo bono privari. "Sic

Ibid. p. 254. A. „autem, *inquit*, neque bono aliquo privamur, ex eo „quod non comedamus de pane per verbum Dei & „orationem consecrato, nempe propter ipsam ab esu ab„stinentiam; neque ex eo quod comedamus, bono „aliquo abundamus: nam causa privationis, malitia est, „& peccata; abundantiæ causa, justitia est & recte „facta.

III. Asserit panem illum sanctificatum per verbum Dei & orationem, retinere suum esse naturale, id est à propria sua substantia non discedere, ac in secessum

Ibid. B. mitti. "Cibus ipse, *inquit*, per verbum Dei & oratio„nem consecratus, secundum illud quidem ipsum quod „materiæ constat, in ventrem abit, & in secessum ejici„tur; secundum orationem autem quæ illi accessit, jux„ta proportionem fidei, utilis est.

IV. Panem illum consecratum appellat corpus Christi typicum & symbolicum, "Et hæc quidem, *inquit*, „typico & symbolico corpore.

Ibid. C. V. Diserte corpus illud Christi typicum & symbolicum distinguit à vero & naturali. Postquam enim dixit: "Et hæc quidem de typico symbolicoque corpo„re, *addit*: Multa autem dici queant de ipso Verbo „quod caro factum est;" id est, de naturali & substantiali corpore Christi; ergo verbis antecedentibus agendo de Eucharistia, non verum & naturale intellexit corpus Christi.

Resp. 1. cum doctissimo Huetio, Origenianorum L. 2. q. 14. pag. 179 partis primæ, frustra Sixtum Senensem, Bibliothecæ L. 6. annotatione 66. suspicatum fuisse textum citatum Origenis ab Hæreticis fuisse depravatum; frustra ab Erasmo interprete corruptum conjectatos Genebrardum & Perronium, cum integritatem loci manuscriptorum Codicum Græcorum consensus aperte probet.

Resp. 2. nihil ex citato testimonio inferri posse à Novatoribus contra dogma catholicorum realis præsentiæ.

Ad primum, dist. Eucharistia non sanctificat ex se comedentem, si male sit affectus ac reus alicujus mortalis peccati, concedo; secus, nego. Non aliam esse Origenis mentem demonstrant evidenter hæc illius verba in loco citato, "Quod sanctificatum est, *inquit*, per „verbum Dei & orationem, non ex se utentem sancti- Ibid. p. 253. E. „ficat. Nam si ita esset, sanctificaret & illum qui indigne „Domino comedit, nec ullus propter cibum hunc in„firmus factus fuisset, aut imbecillis, aut mortuus ... Ac „proinde in pane Domini utilitas est ei qui utitur, cum „intemerata mente & pura conscientia panis fit parti„ceps.

Ad secundum, distinguo. Abstinentes ab Eucharistia, quia vel satis non sunt præparati, vel alicujus peccati sibi sunt conscii, non fraudantur aliquo bono, concedo; qui simpliciter abstinent, nego.

Pariter qui ad illam accedunt, aliquo bono non abundant, si minus præparati, aut peccati conscii accedant, concedo; qui simpliciter ea privantur, nego. Solutionem in mente Origenis sic exponit doctissimus Huetius loco mox indicato; "Quia, *inquit*, cum homo „nondum satis sibi probatus, vel alicujus criminis sibi Ibid. p. 2. „conscios, si ad altaris Sacramentum accedat, judicium p. 178. A. „sibi manducet & bibat, atque ex hoc esu & potu mortem animæ suæ consciscat, nedum fructum aliquem „inde percipiat, sequitur ut si hæc reformidans Sacra„mento abstineat, bono aliquo non privetur, dum non „sumit corpus Christi, cum malum tantum fuisset nacturus, si sumpsisset.

Ad tertium, distinguo. Panis sanctificatus retinet suum esse naturale, id est species visibiles, seu accidentia quæ in hoc Sacramento habent rationem materialis, & quæ corrupta à stomacho, & in novam conversa substantiam, vel in secessum abeunt, vel humani corporis formam induunt, concedo; retinet suum esse naturale, id est propriam substantiam, seu formam panis, quasi non mutetur in substantiam corporis Christi, nego. Species igitur visibiles, ut observat Bellarminus, habent rationem materialis, non quidem respectu formæ naturalis sed respectu sanctificationis & significationis; & præterea ex accidentibus eucharisticis præcipuum est quantitas, quæ ad materiam potius, quam ad formam pertinet.

Ad quartum, symbola panis & vini recte dicuntur corpus Christi typicum & symbolicum, quia sunt Sacramentum, signum, imago, figura corporis Christi, „non quidem absentis, sed præsentis; nomen autem rei significatæ sæpius datus ipsi signo. "Præterea, ip- Multiplici de causa Eucharistia dicitur figura corporis Christi. „sum verum Christi corpus, *ait ibid. Huetius*, ut est in „Eucharistia, est typus ac symbolum sui ipsius extra Sa„cramentum, ut fuit olim in cruce, & nunc est in Cœlo; „vel typus dicitur resurrectionis nostræ, juxta Nicænum „Concilium; vel unius illius corporis, cujus ipse (Salva„tor) caput existit, cuique nos tanquam membra, ar„ctissima fidei, spei & charitatis connexione adstrictos „esse voluit, juxta Patres Tridentinos Sess. 13. cap. 3. „& 8. vel denique fidei & promissionis, juxta S. Cle„mentem Alexandrinum L. 1. Pædagogi.

Atque ita facile solvuntur ea SS. Patrum testimonia quæ tanta pompa congerunt Novatores, in quibus Eucharistia dicitur Sacramentum corporis & sanguinis Christi, signum, figura, typus, symbolum, imago &c. quibus certe terminis, non Veteres modo ante exortam Berengarii hæresim usi sunt; sed etiam ii qui, fatentibus adversariis, Berengarium data opera impugnarunt, ut Paschasius, Lanfrancus &c.

Hanc expositionem Origenis exceptis ab eo similibus quibusdam loquendi formulis confirmat illustris-

ſimus Huetius ; & oſtendit Origenem ſæpe res quaſdam ſymbolicas appellare , non quod veritatem non contineant, ſed quia rerum inſuper aliarum ſunt ſymbola.

Ad quintum. Origines diſtinguit corpus typicum à vero & naturali Chriſti corpore, quoad exiſtendi modum,& extra Sacramentum , concedo: quoad ſubſtantiam, quaſi vellet non eſſe idem corpus, nego.

Inſtabis cum Albertino: Loco citato negat Origenes corpus Chriſti ab impiis manducari in Euchariſtia ; at ſi reipſa præſens illud ſupponeret , proculdubio non negaret ab iis manducari , licèt indignè manducarent non dijudicantes corpus Domini.

Reſp. nego ant. Negat enim tantùm impios cum fructu manducare corpus Chriſti. Imo cùm ibidem Origines agnoſcat impios indignè manducare Chriſti corpus, neceſſe eſt ut, ipſo fatente Albertino , agnoſcat verè præſens eſſe illud corpus ; aliàs quomodo impii illud manducare indignè poſſent ?

Urgebis cum eodem : Si diceret impios non participare Spiritum ſanctum, ſenſus non foret eos non utiliter eum participare , ſed ſimpliciter & abſolutè non participare : cum igitur dixit Origenes , impios non manducare corpus Chriſti , voluit eos nullatenus manducare.

Reſp. nego conſequens & paritatem. Diſparitas eſt, quia cùm unus ſit modus accipiendi Spiritum ſanctum, nempe per inhabitationem ipſius in cordibus noſtris , nec ſub aliquo Sacramento ſecundùm ſubſtantiam ſuam ac perſonam realiter contineatur, neque corporaliter accipi poſſit, qui totus eſt ſpiritus,hinc fit quòd non poſſit quis eum habere, niſi cum fructu ; non enim haberi poteſt & poſſideri, niſi per gratiam quam vel diffundit primo in cordibus , vel jam diffuſam auget : at caro Chriſti poteſt duplici modo manducari , corporaliter tantum, & corporaliter ſimul ac ſpiritualiter, ore & corde , dignè & indignè, ad vitam vel ad judicium & condemnationem.

To.1.p. 85. Objicies 2. Idem Origenes Tom. 32. in Joan. ait, buccellam, quam Chriſtus Judæ porrexit , ejuſdem fuiſſe conditionis cum ea quam dedit cæteris Apoſtolis dicens , *Hoc eſt corpus meum*. Atqui buccella Judæ porrecta, fuit merus panis.

Reſp. nego min. In mente enim ac ſententia Origenis, ſicut & multorum aliorum, buccella illa fuit verum Chriſti corpus : quamquam id negant alii, exiſtimantes Chriſtum Apoſtolis corpus ſuum dediſſe , non verò Judæ, qui è menſa diſceſſerat eum traditurus , priùs quam inſtituta fuiſſet Euchariſtia.

Objicies 3. Hom. 7. in Leviticum, exponens præceptum Aaroni cæteriſque Sacerdotibus traditum , ne ad altare acceſſuri vinum biberent, ait, Chriſtum, cum ad altare , id eſt crucem eſſet acceſſurus, non bibiſſe vinum , juxta illud , *Non bibam amodo de hoc genimine vitis &c.* Apoſtolos vero bibiſſe vinum, quia nondum ad altare crucis erant acceſſuri. Cenſet igitur Origenes, Chriſtum apoſtolis ſuis in ultima Cœna dediſſe vinum, cum accipiens calicem benedixit, & dedit dicens, *Accipite & bibite ex hoc &c.* iſta enim verba refert Origenes , quibus ſignificat ſe de vino Euchariſtico loqui.

Reſp. nego conſequens. Supponit quidem ex privata ſua opinione Origines , Chriſtum non bibiſſe vinum in poſtrema quam cum Apoſtolis ſuis celebravit, Cœna ; ſed cum ait Apoſtolos vinum bibiſſe, vel intelligi debet de calice uſuali cœnæ communis, vel ſi de calice Euchariſtico, vinum appellat, quod ejus proprietates & accidentia, etiam poſt conſecrationem retineat, liceat revera vinum illud in Chriſti ſanguinem ſit converſum. Neque enim ejus conſilium eſt in hac Homilia de Euchariſtia diſſerere, & Scripturam exponere, ut ipſe profitetur, ſed Eccleſiam ædificare ; unde comparatio vini, cujus uſus prohibitus fuit Aaroni aliiſque Sacerdotibus cùm ſacra munia obire deberent, ipſis Apoſtolis cæteriſque Sacerdotibus adaptata , valet & obtinet quantùm ad prohibitionem vini,non quantum ad conditionem illius.

Objicies 4. Eadem Hom. ſic ait ; *Si litteram ſequaris , hoc ipſum quod dictum eſt , Niſi manducaveritis carnem meam , & biberitis ſanguinem meum, occidit hæc littera.* Ergo non credidit Origines, Chriſti carnem & ſanguinem verè ac realiter manducari & bibi. Ibid. p. 1. F.

Reſp. diſt. ant. Occidit hæc littera, ſenſu carnali Capharnaitarum, de quo antea diximus , concedo: ſenſu orthodoxo realis præſentiæ , nego. Porro declarat ibidem Origines , ſe loqui in ſenſu eorum qui dicebant, *Quomodo dabit nobis hic carnem ſuam ad manducandum?* Ibid.

Objicies 5. Idem Origines Lib. 8. contra Celſum ſic loquitur: *Nos qui rerum omnium conditori placere ſtudemus, cum precibus & gratiarum actione pro beneficiis acceptis oblatos panes edimus*. Ergo Euchariſtia eſt tantum panis. Tom. 2. p. 324. K.

Reſp. nego conſeq. 1. quia fatetur ipſe Albertinus , probabile non eſſe Originem eo loci agere de Euchariſtia. Propoſitum enim illi erat impugnare Celſum affirmantem panem & vinum & ſimiles alios terræ fructus nobis à dæmonibus adminiſtrari ; adeoque illis referendas eſſe gratias : quem his verbis refellit , *Celſus Deum neſciens , vota perſolvit dæmonibus : Nos vero qui rerum omnium*, & alia ut in Objectione.

II. Locus ille Origenis dogma Catholicum quod hic propugnamus confirmat. Namque poſt adducta verba ſic ille pergit : *Oblatos panes edimus ; corpus jam per precationem factos ſanctum quoddam, & ſanctificans utentes eo cum ſano propoſito.* Quod vero eſt corpus illud ſanctum , quod ſanctificat eo utentes , niſi corpus Chriſti ? Revera indefinite & indiſtinctè appellat ibi Origenes corpus quoddam ſanctum , diſtinctè non exponens cujus illud ſit ; quia nimirum cum Pagano diſputabat , cui Religionis noſtræ altiora myſteria aperire nefas erat , ne irriſioni ac contemptui exponerentur.

Objicies denique. Hom. 16. in Numeros , Origenes ait *nos bibere Chriſti ſanguinem, cum ſermones ejus recipimus.* Tom. 2. p. 348. K.

Reſp. hoc in loco & aliis ſimilibus non excludere Origenem oralem & ſacramentalem corporis Chriſti manducationem ; ſed hoc unum vellere, nempe corporis & ſanguinis Chriſti fructum animo percipi poſſe, ſi quis mandata ejus obſervet & ſermones ſequatur. Manducatio porro hæc ſpiritualis non excludit oralem & ſacramentalem , ut diximus antea , cum de verbis promiſſionis Euchariſtiæ ageremus, in ſolutione Objectionum.

Solvuntur Objectiones ex S. Auguſtino.

Objicies 1. Sermonem S. Auguſtini ad recens baptiſatos, quem integrum refert S. Fulgentius Epiſt. 12. ad Ferrandum c. ultimo, ex quo tria inferri poſſunt contra dogma realis præſentiæ.

Primum, *Hoc*, inquit ſanctus Doctor, *quod videtis in altare Dei, etiam tranſacta nocte vidiſtis ; ſed quid eſſet, quid ſibi vellet , quam magnæ rei Sacramentum contineret, nondum audiſtis. Quod ergo videtis, panis eſt & calix ; quod vobis etiam oculi veſtri renuntiant. Quod autem vobis fides veſtra poſtulat inſtruenda, panis eſt corpus ; calix, ſanguis Chriſti.* Atqui , inquit Albertinus, panis non poteſt eſſe corpus Chriſti per naturam, neque per ſua accidentia ; ſupereſt igitur ut ſit corpus Chriſti per figuram & repræſentationem. Ope. S. Fulg. p. 166. [illegible]

Secundum, Proponit ibidem objectionem S. Auguſtinus, quomodo ſcilicet panis ſit corpus Chriſti. *Poteſtis*, inquit, *dicere mihi : Præcepiſti ut credamus ; expone ut intelligamus. Poteſt enim in animo cujuſquam* Ibid. p. 217.

quam hac cogitatis oberiri, Dominus noster Jesus Christus novimus unde acceperit carnem, de Virgine Maria . . . In Cœlo est modo sedens ad dextram Patris. Quomodo est panis corpus ejus; & calix, vel quod habet calix, quomodo est sanguis ejus ; En objectio, cui sic respondet S. Augustinus. *Ista, fratres, ideo dicuntur Sacramenta, quia in eis aliud videtur, aliud intelligitur. Quod videtur, speciem habet corporalem; quod intelligitur, fructum habet spiritalem.*

Jam verò, ait Albertinus, si credidisset S. Augustinus panem & vinum per consecrationem fieri propriè & realiter corpus & sanguinem christi, ad propositam quæstionem clarè & distinctè proculdubio respondisset, maximo miraculo fieri ut panis & vini substantia mutetur in corpus & sanguinem Christi, manentibus utriusque proprietatibus & accidentibus, adeoque simul esse in Cœlo & in terra ; atqui tamen nihil horum respondet S. Doctor, licet & proposita quæstio, & auditorum instructio id postularet.

Ibid. Tertium, Explicans quid intelligendum sit per corpus Christi, sic loquitur : *Corpus ergo Christi si vis intelligere, Apostolum audi dicentem fidelibus : Vos estis corpus Christi, & membra. Si ergo vos estis corpus Christi & membra, mysterium vestrum in mensa Domini positum est, mysterium Domini accipitis. Ad id quod estis, Amen, respondetis, & respondendo subscribitis. Audis ergo, corpus Christi, & respondens, Amen. Esto membrum corporis Christi, ut verum sit, Amen. Quare ergo in pane? Nihil hic de nostro adferamus, ipsum Apostolum item audiamus. Cùm ergo de isto Sacramento loqueretur ait ; Unus panis, unum corpus multi sumus, Intelligite, & gaudete, Unitas, pietas, veritas, charitas. . . . Recolite enim quia panis non fit uno grano, sed multis.* Ex quibus manifestum est, S. Augustinum non aliud in Eucharistia Christi corpus agnovisse, quàm mysticum & spiritale, quod in unione Fidelium, tanquam membrorum cum Christo, tanquam capite, positum est.

Resp. ad primum, panem esse corpus Christi per consecrationem, seu per sui conversionem & mutationem in corpus christi, non verò per suam substantiam aut accidentia. Cum enim impossibile planè sit panem verum & naturalem esse corpus christi, necesse est ut si corpus illud sit, mutetur & convertatur ejus substantia in substantiam corporis Christi : atqui verbis citatis expressè ait S. Aug. panem esse corpus Christi, *Quod fides vestra*, inquit, *postulat instruenda panis est corpus Christi.* Ergo supponit panis substantiam converti in substantiam corporis Christi: unde primum istud argumentum Albertini causæ Catholicæ multum favet, nedum nocet.

Ad secundum, dico noluisse S. Doctorem distinctè respondere, quia non erant auditores capaces : tum quia sermonem habebat ad recens baptisatos, quibus lac doctrinæ propinandum erat, non abstrusiora mysteria referanda, quorum altitudinem assequi non potuissent ; satis igitur erat, si nudè ac simpliciter exigeretur ab iis fides in Christum præsentem in Eucharistia, hanc enim simul cum Baptismo, pro disciplina hujus temporis susceperat : sed plenior expositio & explicatio hujus mysterii, seu modi quo panis fit corpus Christi, in aliud tempus reservabatur, cùm scilicet in fide ac bonis operibus crevissent; hinc est quod sanctus Doctor transeat à corpore naturali Christi, ad mysticum. Tum quia solebant Veteres in publicis ad populum concionibus, involutis & subobscuris verbis de difficilioribus fidei nostræ Sacramentis loqui, ne fortè adesset aliquis Paganus & non initiatus qui ea irrideret, & Christianis vitio verteret. Hinc sæpius S. Augustinus mysterium alteris his tantum verbis designat, *Norunt fideles quod dico.*

Ad tertium, propter rationem mox adductam, postquam S. Augustinus à recens baptisatis hoc postulavit, ut crederent panem Eucharisticum esse corpus Christi, in quo mysterii hujus summa posita est, statim convertit se ad explicationem corporis mystici Christi, ut recens illos baptisatos instruat de significatione mystica & spirituali symbolorum Eucharistiæ, hincque occasionem habeat eos ad unionem inter se, tanquam omnes & ejusdem corporis membra, fovendam & conservandam : mystica autem hæc expositio non excludit veram & literalem, imò hanc ibidem supponit manifestè S. Doctor verbis in responsione ad primum citatis, quamquam ibi eam clariùs & explicatiùs non evolvat, ob rationem mox adductam. Unde incassum laborat Albertinus, ut ostendat scopum & subjectam materiam, de qua S. Doctor, postulare ut realem hanc corporis Christi in Eucharistia præsentiam exponeret : imò & conditio eorum quos alloquitur, & temporis ac loci circumstantia exigebat, ut strictim proposita fide realis præsentiæ, ad morales & mysticas expositiones sermonem suum converteret, ex quibus instrui & informari faciliùs poterant recentes illi Christiani. Probent igitur, si possunt, adversarii, S. Augustinum ad moralem corporis Christi mystici expositionem confugisse, quia literalem exclusit & negavit. Nisi hoc probaverint, nihil efficient ; ut enim antea diximus, qui inter multas explicationes rei ejusdem, unam assumit, alias non censetur excludere, nisi disertis verbis id declaraverit.

Objicies 2. S. Augustinus Epistola 98. aliàs 23. ad Bonifacium, docens qua ratione infantes dici possunt fideles, ac possint susceptores eorum nomine respondere, *Credo* ; sic obiter de Eucharistia loquitur : *si Sacramenta quandam similitudinem earum rerum, quarum Sacramenta sunt, non haberent, omnino Sacramenta non essent. Ex hac autem similitudine plerumque etiam ipsarum rerum nomina accipiunt. Sicut ergo secundùm quemdam modum Sacramentum corporis Christi corpus Christi est, Sacramentum sanguinis Christi sanguis Christi est, ita Sacramentum fidei fides est. Nihil autem est aliud credere, quam fidem habere. Ac per hoc cùm respondetur parvulus credere, qui fidei nondum habet affectum, respondetur fidem habere propter fidei Sacramentum, & se convertere ad Deum, propter conversionis Sacramentum.* To. 2. p. 267. F.

Ex quo testimonio triplex istud argumentum videtur posse elici adversùs dogma realis præsentiæ Christi in Eucharistia.

Primum est, S. Augustinum affirmare Eucharistiam esse corpus Christi *secundum quemdam modum* ; non igitur censet esse verè & substantialiter corpus Christi.

Secundum est, quia exponens quis sit ille modus secundum quem Sacramentum corporis & sanguinis Christi dicitur corpus & sanguis ejus, non aliunde eum desumit, quàm ex generica signorum & Sacramentorum natura, quæ vulgo dicuntur esse res illæ, quas significant ; non quòd res illas natura & substantia verè contineant, sed quia earum signa sint, & similitudinem quamdam cum iis habeant.

Tertium est, quia se habet sacramentum corporis & sanguinis Christi ad corpus & sanguinem, sicut sacramentum fidei ad fidem ; atqui sacramentum fidei non est signum fidei actualis præsentis ; ergo nec sacramentum corporis Christi signum præsentis corporis.

Resp. ad primum ; His verbis, *secundum quemdam modum*, non excludit S. Augustinus realem & substantialem præsentiam Christi, sed tantum innuere vult sacramentum secundùm speciem externam quam ingerit sensibus, non esse propriè ac substantialiter corpus Christi, sed tantum secundum quemdam modum, nempe denominativè, quia scilicet signa earum rerum nominibus appellantur sæpius, quarum sunt signa. Probatur autem 1. ex scopo & instituto S. Doctoris citata Epistola ad Bonifacium ; nempe vult probare qua

qua ratione infantes dici possint credere, hanceque adducit, quia nimirum recipiunt Sacramentum fidei, nempe Baptismum; Sacramentum autem seu signum fidei, dicitur fides, dando rei significatæ nomen ipsi signo. Pariter Sacramentum corporis Christi, idest, symbolum & signum exterius, dicitur corpus Christi, licet non sit severa corpus Christi, sed illud sub se contineat. 2. ex aliis ejusdem S. Doctoris locis, in quibus simili loquendi ratione, *secundùm quemdam modum*, utitur, nec tamen rei veritatem excludit, sed supponit. Sic v. g. Epistola 137. aliàs 3. ad Volusianum cap. 3. n. 12.
Ibid. p. ait, *Verbum divinum voluisse suscipere hominem, &*
407. A. *eum illo uniri quodammodo*. Et Epistola 166. alias 28.
ibid. p. ad Hieronymum cap. 2. initio ait, *animam hominis*
584. A. *esse secundum quemdam modum immortalem*, neque tamen mens illius fuit, negare tùm veram & hypostaticam Verbi divini cum humanitate conjunctionem, tùm animæ rationalis veram immortalitatem; sed tantùm innuere voluit, ex multis unionis modis, ac rationibus, eam selegisse Verbum, quæ personalis est, nullamque suppositi mutationem importat: similiter certam quamdam immortalitatis speciem animæ rationali tantùm convenire, videlicet eam quæ excludit mortem physicam & realem ex pugna contrariorum provenientem, non verò eam quæ aut mortem spiritualem & mysticam, quæ est à peccato, non admittit, aut absolutam destructionem & annihilationem, Deo, si vellet, concursum suum subtrahente. Pariter igitur cùm dixit sanctus Doctor, Sacramentum corporis christi esse corpus Christi *secundum quemdam modum*, non excludit veram & substantialem corporis Christi ab Eucharistia præsentiam, sed hoc unum intendit, Sacramentum ipsum seu signum exterius ac visibile non esse corpus Christi, nisi secundum quemdam modum; quatenus scilicet nomen rei significatæ tribuitur ipsi signo. Neque enim, ut diximus, symbolum exterius verè & propriè est corpus Christi; licèt illud contineat sub se, illiusque sit signum, & eam ob causam dicatur corpus Christi; quemadmodum Sacramentum fidei dicitur fides, non quòd revera sit fides, sed quia illius est signum, & quidem efficax & practicum. Hinc facilis est solutio ad secundum & tertium.

Ad secundum, dico consilium & institutum S. Augustini citato in loco, hoc unum ab eo postulasse, ut secundùm genericam signi rationem exponeret quomodo sacramentum corporis Christi sit corpus Christi, quia nempe illius est signum: neque instituti ratio exigebat, ut fusiùs ibi declararet qua ratione corpus Christi est in sacramento.

Ad tertium, dist. maj. se habet sacramentum corporis Christi ad corpus, sicut Sacramentum fidei ad fidem, in aliquibus, ac in eo præsertim quod intendebat S. Augustinus, nempe utrumque sacramentum denominari à re quam significat, sacramentum scilicet fidei, fidem; & sacramentum corporis Christi, corpus appellari, concedo: in omnibus, nego. Neque enim comparationes quas adducunt SS. Doctores in omnibus accuratæ sunt & urgendæ, sed ex eorum scopo ac instituta disputatione pensandæ sunt & æstimandæ. Sic v. g. comparatio transfusionis peccati originalis, cum infusione fidei in parvulis, quam adhibet S.
To. 10. p. Augustinus Lib. 3. de peccatorum meritis ac remissio-
72. C. D. ne c. 8. in omnibus æqua & accurata non videtur; aliàs colligere quis posset, peccatum originale merè imputari parvulis, non autem verè in illis esse; sicut fides actualis Ecclesiæ per quam dicuntur credere, verè in illis non est, cujus sunt incapaces, sed tantùm iis quasi imputatur, dum habitualem saltem fidem per Baptismi Sacramentum recipiunt. Cùm igitur comparet S. Doctor Sacramentum corporis Christi cum sacramento fidei, certum est similitudinem ac paritatem omni ex parte non esse; siquidem sacramentum corporis continet sub se actu, verè & realiter corpus Christi, sacramentum autem fidei in parvulis non supponit fidem actualem, in eo igitur tantùm attendi debet & stat comparatio, ad quod probandum fuit adducta. Porrò ad hoc unum à S. Doctore fuit adducta, ut ostenderet signa seu sacramenta sæpè appellari earum rerum nominibus, quarum signa sunt & Sacramenta; atque ita sacramentum corporis Christi dici corpus Christi, sicut sacramentum fidei dicitur fides; unde concludit S. Doctor, infantes propter sacramentum fidei quod suscipiunt, meritò posse fideles appellari, de quo uno fuerat à Bonifacio interrogatus.

Objicies 3. Idem S. Augustinus Enarratione in Psal. Tom. 4.
3. expressè asserit tantam fuisse Christi Domini patien- p. 7. F.
tiam, ut etsi perversas Judæ traditoris cogitationes non ignoraret, eum tamen admiserit ad convivium, in quo Discipulis suis corporis & sanguinis sui figuram commendavit & tradidit. Porrò, inquit Albertinus, figura non est veritas, sed imitatio veritatis.

Resp. distinguo propositionem: Dedit figuram plenam ipsa veritate, quæ destinata tantùm erat ad supplendam rei apparentiam & visibilitatem, concedo: dedit figuram vacuam, ac destinatam ad supplendam rei absentiam, nego. Utriusque figuræ naturam & exempla lege superiùs in responsione ad primam Objectionem Novatorum contra realem præsentiam, ductam ex circumstantiis institutionis Eucharistiæ. Vide etiam paulò suprà in solutione Objectionum ex Origene ad 1. n. 4. quibus de causis Eucharistia dicitur figura.

Instabis 1. cum Albertino: Absurdum est dicere rem unam & eandem sui ipsius figuram esse & imaginem; est quippe inter imaginem & rem cujus imago est, relativa oppositio, ad quod probandum nonnulla profert SS. Patrum testimonia, ut Tertulliani Lib. 2. contra Marc. cap. 9, & L. contra Praxeam c. 26. S. Athanasii L. contra hypocrisim Meletii; S. Gregorii Nysseni L. de anima & resurrectione; S. Ambrosii L. 1. de fide c. 4. S. Augustini L. 7. de Trinit. c. 1.

Resp. dist. ant. Absurdum est rem unam & eandem sub eodem planè respectu ac statu sui ipsius esse figuram & imaginem, quo sensu loquuntur SS. Patres laudati, concedo: sub diverso respectu, nego. Sic, juxta S. Augustinum Tractatu 31. in Joan. Christus in cruce unum latronem justificans eique paradisum promittens, alterum verò reprobans, sui ipsius in supremo Judicio imago erat, cum electos à reprobis secernet. Nihil igitur incommodi est, Christum in Eucharistia præsentem sui ipsius ut in cruce pendentis &c. esse figuram.

Instabis 2. Imago debet sub aspectum ducere id cujus est imago; hoc autem non potest signum exterius Eucharistiæ. Quomodo enim corpus sub accidentibus panis latens, demonstrare potest illud ipsum corpus in cruce pendens? Quis unquam audivit, rei visibilis invisibilem esse imaginem?

Resp. Rem invisibilem, cum per formam exteriorem cui conjuncta est, fit visibilis, alterius rei seu visibilis, seu invisibilis signum esse posse, quamvis ex invisibili, quamdiu manet invisibile, cognitio visibilis effici non possit. Sic conceptus nostri natura sua sunt invisibiles, sed cum vocibus induuntur, ingenii ac morum conditionem repræsentant & oculis veluti subjiciunt: sic igitur corpus Christi signo sensibili in Eucharistia circumvestitum, seipsum in cruce expansum repræsentat & exhibet oculis nostris, non quidem corporis, sed animæ per fidem elevatæ.

Objicies 4. S. Augustinus Lib. contra Adimantum To. 8. p.
Manichæum cap. 12. ait Christum non *dubitasse di-* 124. E.
cere, Hoc est corpus meum, cum signum daret corporis sui, Ergo, inquit Albertinus, Eucharistia, in mente S. Augustini, est tantum signum corporis, non corpus ipsum Christi.

Resp. 1. dist. cùm signum daret corporis sui, plenum,

conti-

continens revera corpus Christi, concedo: vacuum & excludens corpus Christi, nego. Quod vero eo in loco clarius non expresserit S. Doctor, quale signum esset corporis Christi Eucharistia, nihil mirum est, cum hanc expositionem non postularet ejus instituti ratio; sed tantum ut proferret exempla in quibus nomen rei significatæ sæpius ipsi signo & figuræ tribuitur, quod unum ostendendum habebat adversùs Adimantum.

Scilicet, ille è secta Manichæorum, duo prima principia, seu duas naturas æternas admittebat, unam boni, alteram mali. A principio mali dicebat datam esse Legem Moysis; à principio vero boni, Legem Evangelicam: ut autem probaret opposita esse ac contraria inter se ejusmodi duo principia, Legem cum Evangelio pugnare multis testimoniis confirmare nitebatur. Varias ejusmodi antitheses & oppositiones expendit S. Doctor Lib. contra illum Adimantum Manichæum: in citato verò cap. 12. expendit hunc locum Deuteronomii cap. 12. v. 23. in quo dicitur: *Hoc solum cave ne sanguinem comedas, sanguis enim eorum pro anima est; & idcirco non debes animam comedere cum carnibus*, quem locum contendebat Adimantus adversari hisce Christi Domini verbis quæ referuntur à S. Matthæo c. 10, v. 28. *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere, Quomodo enim*, inquiebat Hæreticus, *si sanguis est anima, non potest hominis interfector nocere animæ, cum tantam habeat in sanguinem ejus potestatem?*

Ibid. p. 123, D.

Huic Adimanti objectioni duobus modis respondet S. Augustinus.

I. In Deuteronomio sermonem esse de anima pecoris; in Evangelio de anima hominis: hanc esse immortalem, adeoque humanum sanguinem non esse pro anima; illam verò mortalem, quæ in sanguine posita est.

II. Præceptum illud in signo esse positum; hoc est, sanguinem appellari animam, non quòd propriè sit anima, sed quia signum est animæ, nomen vero rei significatæ sæpius tribuitur per quamdam accommodationem ipsi signo: quod ut probet, adducit exemplum Eucharistiæ, in quo signum exterius ac visibile dicitur corpus Christi, non quod revera propriè sit corpus Christi, sed quia illius est symbolum, & illud reipsa sub se continet. Unde comparatio illa sanguinis cum anima, & Eucharistiæ seu symboli exterioris cum corpore Christi, adversarius nocet maximè, sicut enim sanguis est signum animæ præsentis, ita Sacramentum Eucharistiæ signum est præsentis corporis Christi.

Neque est quòd regerat Albertinus, hanc loquendi formam, *Non dubitavit &c.* non solere usurpari in locutionibus propriis, sed figuratis dumtaxat, quando id quod datur reipsa tale non est natura & substantia, sed tantùm repræsentatione & figura. V. g. nemo dixerit, *Non dubitavit Dominus dicere, Hoc est aurum, Hoc est aqua* si verè aurum daret vel aquam.

Namque hæc loquendi forma rectè usurpatur, quando res quæ datur eam non habet figuram & conformationem exteriorem quam naturaliter debet habere. Porrò corpus Christi latens sub symbolis Eucharisticis non habet naturalem suam speciem ac existendi modum; neque unquam suspicari potuissent Apostoli, sub speciebus panis & vini latere verum Christi corpus; potuit igitur Christus meritò asserere, signum illud esse corpus suum, quia illud in se continet.

Resp. 2. cum Cardinali Perronio, dici posse S. Augustinum non ex propria sua sententia, sed ex hypothesi Manichæorum locutum fuisse: scilicet, ut ostenderet sanctus Doctor quod sibi proposuerat, posse sanguinem animam idcircò appellari, quia illius signum est, arguit ex ipsa Manichæorum sententia, ducto ab Eucharistia exemplo. Quasi diceret, Juxta vos, ô Manichæi, panis est figura corporis Christi, & tamen panem illum non dubitavit Christus appellare suum corpus; ergo potuit Moyses sanguinem appellare animam, quia illius signum est. Quam doctissimi cardinalis solutionem ut intelligas.

Observabis 1. Manichæos veram in Christo carnem non admisisse, sed simulatam tantùm & phantasticam, ludificandis humanis sensibus idoneam. Ita S. Augustinus hæresi 46.

Ibid. p. 16. F. Ibid. p. 341, D.

Observabis 2. ex eodem sancto Doctore L. 20. contra Faustum cap. 1, Manichæos duplicem Christum distinxisse, alium impassibilem, cœlestem & spiritualem per Solem & Lunam distentum, qui corpus habuit tantum umbratile & phantasticum in quo visus est pati, mori, licet reipsa nec passus, nec mortuus fuerit; alterum verò passibilem eumque terrenum & elementarem, qui singulis momentis virtute Spiritus sancti producitur in pomis, herbis, & similibus, ita ut ejusmodi rebus incorporetur & cum illis simul comedatur, *Dicitis*, inquit S. Augustinus Lib. de fide contra Manichæos c. 34. *magno errore, sed tamen dicitis, Christum quotidie nasci, quotidie pati, quotidie mori in cucurbitis, in pomis &c.*

Ib. Append. p. 32. A.

Observabis 3. juxta eosdem Manichæos corpus Christi patibilis, quod erat quilibet terræ fructus, ac proinde etiam panis secundùm eorum fabulas, signum esse corporis apparentis, sub Pontio Pilato crucifixi, ejusque in cruce suspensionem repræsentasse pendendo ex omnibus arboribus quasi ex totidem crucibus; unde citato Libro contra Faustum cap. 11. notat S. Augustinus Manichæos asseruisse omnes arbores esse crucem Christi.

Ibid. p. 140. B.

Observabis 4. Manichæos Catholicis objecisse, suam cum ipsis doctrinæ consonantiam circa panem Eucharisticum. *Quapropter*, inquiebat Faustus, *& nobis circa universa, & vobis similiter erga panem & calicem par religio est, quamvis eorum acerrimè oderitis auctores*, id est; sicut nos Manichæi credimus patibilem Jesum esse realiter in omni ligno, eumque ibi adoramus ita & vos Christi corpus & sanguinem in pane & calice Eucharistiæ revera contineri creditis, ibique adoratis.

Neque verò S. Augustinus reponit, Manichæos falsum Catholicis imponere, sed duplex tantùm affert discrimen.

Primum est, Manichæos abhorrere à communione sub specie vini, quòd assererent fel esse principis tenebrarum.

Secundum est, quia nascebatur apud illos, consecrabatur corpus Christi; non verò ita est apud Catholicos, Ita S. Augustinus L. 20. contra Faustum cap. 13.

Ibid. p. 142 B.

Ex quibus ita observatis, facile est colligere S. Augustinum appellasse Eucharistiam signum corporis Christi, non in propria sua sententia, sed in hypothesi Manichæorum.

Et certè, ut optimè urget Card. Perronius, si mens S. Doctoris hæc fuisset, Christum dedisse nudum signum corporis sui, facilè satisfecisset Fausto objicienti parem esse Catholicis cum Manichæis religionem circa panem & calicem, dicendo non in duobus tantum discrepare Catholicos à Manichæis, in usu scilicet vini & consecratione, sed in eo etiam maximè, quod Manichæi censerent verum Christi sui patibilis corpus ore comedi, quando panis comeditur; contra verò Catholicos nonnisi figuram & signum corporis christi comedere; quam rationem discriminis cum non adduxerit S. Augustinus, sequitur eum hac in parte Manichæis assensisse, nempe corpus Christi verè & realiter percipi in Eucharistia.

Objicies denique. S. Augustinus existimavit corpus Christi in Cœlo gloriosum non habere sanguinem; igitur non credidit vinum Eucharisticum converti in verum & proprium sanguinem christi.

Anta-

Antecedens probat Petrus Alix, olim Carentoni Pseudominister, in sua de sanguine Christi Dissertatione, ex Epistola S. Augustini 205. aliàs 146. ad Consentium qui ab illo quæsierat, *Utrum nunc corpus Domini ossa & sanguinem habeat, aut reliqua carnis lineamenta*: cui sic respondet sanctus Doctor; *Ego Domini corpus ita in cœlo esse credo, ut erat in terra, quando ascendit in cœlum ..... Nisi fortè de sanguine requirendum est, quia cum dixisset,* (Christus) *Palpate & videte, quia spiritus carnem & ossa non habet, non addidit, sanguinem. Non ergo & nos addamus inquirere, quod ille non addidit dicere, & de compendio, si placet, finita sit quæstio. Fortassis enim, accepta occasione sanguinis, urgebit nos molestior perscrutator, & dicet, Si sanguis cur non & pituita, cur non & fel flavum & fel nigrum, quibus quatuor humoribus naturam carnis temperari etiam medicina disciplina testatur? Sed quodlibet quisque addat, corruptionem addere caveat, ne sua fidei sanitatem castitatemque corrumpat.* Ex his sic arguit Calvinista.

Tom. 2. p. 767. F. Ibid. p. 768. A.B.

Qui requisitus à Consentio, an corpus Domini in Cœlo degens haberet sanguinem, respondet de hac quæstione inquirendum non esse, quia nihil de illa dixit Christus, ille certè aut negat, aut saltem dubitat corpus Christi jam sanguinem habere; atqui ita respondet S. Augustinus.

Resp. nego ant. Ad probationem dist. maj. argumenti. Qui requisitus à Consentio an corpus Domini haberet sanguinem secundum substantiam, ac respondet de illa quæstione non esse inquirendum, ille aut negat aut saltem dubitat christum jam habere sanguinem, concedo: qui requisitus an Christi corpus haberet sanguinem tantum secundum easdem qualitates seu humores quos habebat dum Christus in vivis hic esset, nego. Distinguo min. atqui Consentius quæsivit à S. Augustino, an christi corpus haberet sanguinem secundum easdem qualitates & humores, quos, cùm in hac vita degeret, habebat, concedo: sanguinem secundum substantiam, nego.

Itaque, neque Consentius absolutè dubitavit utrum corpus Christi ossa & sanguinem haberet secundum substantiam, neque id in dubio reliquit S. Augustinus, sed utrum haberet in Cœlo sanguinem iisdem qualitatibus, seu humoribus permixtum, quibus hac in vita mortali permiscebatur. Ratio dubitandi erat, quam satis subindicat S. Augustinus citata Epistola, quia ex illis humoribus contrariis nascitur corruptio: certum autem est corpus Christi gloriosum in Cœlis nulli omninò corruptioni obnoxium esse, Unde S. Doctor hæc Apostoli verba, *Caro & sanguis regnum Dei non possidebunt*, quæ Consentius exponebat de operibus carnis & sanguinis docet aptius intelligenda esse de corruptione carnis & sanguinis, *Hoc ergo loco*, inquit S. Doctor, *nomine carnis & sanguinis corruptionem mortalitatis intelligi voluit.* Idem probat Lib. 1. Retract. cap. 17. *Constat*, inquit, *Apostolum non carnis substantiam negasse in regno Dei futuram, sed aut homines qui secundum carnem vivunt, carnis & sanguinis nomine nuncupasse, aut ipsam carnis corruptionem, quæ tunc utique nulla erit.*

Ibid. p. 771. E.

Tom. 1. p. 28. B.

Igitur non negat S. Doctor, Christi corpus in Cœlo gloriosum habere sanguinem secundum substantiam, sed dubius est an habeat qualitates illas & humores contrarios quibus hac in vita permixtus erat. Quòd si quis morosus vellet contendere, ejusmodi qualitates & humores à sanguine secundum substantiam sumpto inseparabiles esse, adeoque eos in sanguine christi perfusos esse ac permixtos, si verus est quoad substantiam sanguis, non renueret S. Augustinus, modò inde quis non inferat, Christi sanguinem jam corruptioni obnoxium esse, quod unum ea in Epistola probandum susceperat. *Quodlibet*, inquit, *quisque addat, corruptionem addere caveat, ne sua fides sanitatem castitatemque corrumpat.* Unde refellit ibid. istud nonnullorum argumentum, *Si caro est, & sanguis est; si sanguis, & cæteri humores; ergo & corruptio*, quam ultimam consequentiam negat S. Augustinus, & ejus falsitatem demonstrat ex simili ratiocinio, quod quis efformare posset. *Eo modo diceret quis*, inquit, *Si flamma est, & ardet; si ardet, & urit, ergo virorum trium in fornacem ignis ab impia Rege missorum corpora incendit*, quam tamen consequentiam falsam esse testatur sacer Contextus. Hinc concludit sanctus Doctor, tam posse Deum à sanguine vero & naturali ejusque humoribus auferre corruptionem, quàm ab igne vim comburendi. *Valet igitur*, inquit sanctus Doctor, *divina potentia de ista visibili atque tractabili natura corporum, quibusdam manentibus, auferre quas voluerit qualitates; ac per hoc valet etiam membra mortalia formæ lineamentis manentibus, corruptione verò mortalitatis emortua, stabili vigore firmare, ut absit labes, adsit effigies; adsit motio, absit fatigatio; adsit vescendi potestas, absit esuriendi necessitas.*

To. 2. p. 768. C

Ibid.

Quòd verò agnoverit sanctus Doctor in Eucharistia verum esse ac substantialem Christi sanguinem, constat apertè ex illius Libro 12. contra Faustum cap. 10. ubi sic loquitur: *Habet magnam vocem Christi sanguis in terra, cùm eo accepto ab omnibus gentibus respondetur, Amen. Hæc est clara vox sanguinis, quam sanguis ipse exprimit ex ore fidelium eodem sanguine redemptorum.* Ex cap. 20. Eucharistiam vocat *Sacramentum spei, quo in hoc tempore consociatur Ecclesia, quamdiu bibitur quod de Christi latere manavit.* Porrò sanguis de latere Christi manavit & quo redempti sumus, est verus & substantialis sanguis; sed ex S. Augustino talis sanguis est in terra, & bibitur à Fidelibus cum Eucharistiam percipiunt; ergo supponit Christum in Cœlis jam degentem habere verum quoad substantiam sanguinem.

To. 8. p. 231. F.

Ibid. p. 237. H.

Quæ ex eodem S. Doctore solent Novatores objicere tùm ex Lib. 3. de Doctrina Christiana cap. 16. tum ex Tractatu 25. in Joan. suprà retulimus & solvimus, ubi de verbis promissionis Eucharistiæ disputatum est.

Solvuntur Objectiones ex Facundo.

Facundus Hermianensis Episcopus in Africa floruit circa an. christi 550. Duodecim Libros scripsit pro defensione trium Capitulorum, quæ non posse absque injuria fidei, & Synodi chalcedonensis eversione condemnari, falsò persuasum habebat.

Albertinus pag. 889. ex Lib. 9 cap. ultimo ista verba excerpit, quæ pugnare contendit cum fide realis præsentiæ. *Adoptionem quoque filiorum*, inquit Facundus, *suscepisse Christum, si antiqui Doctores Ecclesiæ dixisse monstrarentur, nec ipsi, nec omnis Ecclesia, quæ tales Doctores habuit, judicari deberent hæretici. Nam Sacramentum adoptionis suscipere dignatus est Christus, & quando circumcisus est, & quando baptisatus est; & potest Sacramentum adoptionis, adoptio nuncupari, sicut Sacramentum corporis & sanguinis ejus, quod est in pane & poculo consecrato, corpus ejus & sanguinem dicimus: non quòd propriè corpus ejus sit panis, & poculum sanguis, sed quòd in se mysterium corporis ejus sanguinisque contineat. Hinc & ipse Dominus benedictum panem & calicem, quem Discipulis tradidit, corpus & sanguinem suum vocavit. Quo circa sicut Christi fideles Sacramentum corporis & sanguinis ejus accipientes, corpus & sanguinem Christi rectè dicuntur accipere; sic & ipse Christus Sacramentum adoptionis filiorum cum suscepisset, potuit rectè dici adoptionem filiorum suscepisse.*

Facund. Ed. Paris. 1676. p. 141. A.B.

Ex his itaque

Objicies 1. Faccundus Eucharistiam appellat corpus & san-

& sanguinem, sicut Baptismus adoptio nuncupatur: atqui Baptismus propriè non est adoptio, sed tantùm signum illius; ergo &c.

II. Expressis verbis affirmat, Sacramentum corporis & sanguinis in pane & vino consecratis, *non esse propriè corpus & sanguinem Christi*, sed tantùm mysterium, id est, signum, symbolum.

III. Non alia ratione Fideles accipientes Eucharistiam, corpus & sanguinem Christi censentur accipere, quàm Christus accipiendo Sacramentum adoptionis, adoptionem ipsam censetur recepisse: atqui adoptionem propriè non recepit, cùm sit filius Dei naturalis; ergo nec Fideles propriè corpus Christi recipiunt in Eucharistia.

Resp. ad primum, nego min. Baptismus enim non tantùm significativè dicitur adoptio, quia illius signum est, sed etiam verè & propriè: tum quia est signum efficax & practicum, per quod adoptamur in filios Dei; tum quia continet & producit ipsam gratiam, per quam formaliter adoptamur. Pariter Eucharistia dicitur corpus & sanguis Christi, quia verè & realiter continet corpus & sanguinem: unde tantum abest, ut hæc comparatio causæ nostræ noceat, quin favet plurimum.

Neque est, quòd dicas, loqui Facundum de Baptismo Joannis, qui veram adoptionis gratiam non conferebat. Namque 1. certum non est de illo tantùm Baptismo loqui Facundum, qui potuit cum aliis bene multis sentire, Christum non tantùm Joannis, sed etiam suo proprio Baptismo per Joannis ministerium fuisse baptisatum, ut ipse primus impleret, quod aliis præcipiebat. 2. quia si de solo Joannis Baptismo loquitur Facundus, adoptionis gratiam ei forsan tribuit, sicut Augustinus eam tribuit Circumcisioni.

Ad secundum, Non immeritò ait Facundus, Sacramentum, id est signum exterius & visibile, non esse propriè corpus Christi, sicut signum exterius adoptionis non est propriè ac formaliter adoptio; idque libenter concedunt Orthodoxi: sed sicut Sacramentum seu signum adoptionis, Baptismus scilicet, continet verè ac realiter gratiam adoptionis ... m producit, ita quoque Sacramentum, seu signum corporis & sanguinis Christi, verè ac realiter continet illud corpus & sanguinem: unde, juxta receptum loquendi modum, vocatur corpus & sanguis, dando nomen rei significatæ ipsi signo, quod unum ibi contendebat Facundus, ut nimirum excusaret Theodorum Mopsuestenum, quòd dixisset, Christum suscepisse adoptionem filiorum; satis enim est ad hanc loquendi rationem tolerandam, quòd Christus acceperit Sacramentum adoptionis, quod usu recepto vocatur adoptio. Mirum autem nemini videri debet, quòd ibi expressiùs non declaret Facundus, qua ratione corpus & sanguis Christi sint sub Sacramento; hoc enim non exigebat ejus institutum ac susceptæ disputationis ratio, quæ tantùm postulabat, ut proferret exempla rerum, in quibus datur signo, nomen rei significatæ.

Ad tertium, nego maj. Fideles quippe non tantùm signum adoptionis, sed & adoptionem ipsam recipiunt; non tantùm signum corporis Christi, sed & corpus ipsum sub signo: Christus autem, utpote Filius Dei naturalis, signum seu Sacramentum accepit adoptionis, non verò ipsam adoptionem.

Ad minorem distinguo. Christus in rei veritate non accepit adoptionem, concedo: in mente & sententia Facundi, nego. Sicut igitur in illius sententia Christus veram accepit adoptionem, ita Fideles ad sacram mensam accedentes, verè accipiunt corpus Christi. Quòd autem in ea fuerit opinione Facundus, circa adoptionem

Ibid. Christi, certò constat ex verbis quæ subjungit, *Alioqui*, ait, *neque de nobis dicendum est, quoniam adoptionem suscepimus filiorum, aut quia redempti sumus atque salvati, quoniam Apostolus dicit Rom. 8. Nos ipsi primitias spiritus &c.* Plurimas subinde rationes adducit, ex quibus conficere se putabat Christum suscepisse adoptionem filiorum Dei; ut inde ostenderet, immeritò damnandum esse Theodorum Mopsuestenum, quòd hanc in Christo adoptionem admisisset. Neque certè mirum videri debet, Facundum in eam inclinasse opinionem, quæ etsi Nestorianis favere, & cum filiatione Christi naturali pugnare videretur, non erat tamen tunc temporis ab Ecclesia eliquata & definita, sicut fuit postmodum ab Adriano I. S. Pontifice, & à Patribus Concilii Francofordiensis, quorum definitioni tota per Orbem sparsa subscripsit Ecclesia. Quin & post Francofordiensis Concilii definitionem, probabilis adhuc nonnullis Theologis visa est, ut Durando in 3. dist. 4. q. 1. Richardo ibidem, & quibusdam aliis, existimantibus Christum ratione humanitatis assumptæ posse dici filium Dei adoptivum: quamquam propter hæreses Arii & Nestorii potent ab hac loquendi ratione abstinendum esse. Excusari igitur potest hæc in Facundo opinio, ex cujus comparatione cum Sacramento Altaris, quam ipse instituit, sequitur evidenter eum existimasse Christi corpus & sanguinem verè contineri sub Sacramento, sicut adoptio filiorum Dei verè sub illius Sacramento continetur & confertur.

Solvuntur Objectiones ex Synodo Iconomachorum.

Suprà ad argumentum tertium ex SS. Patribus & Traditione totius Ecclesiæ pro fide præsentiæ realis, laudavimus testimonium excerptum ex Synodo Iconomachorum, ut probaremus, Eucharistiam non esse simplicem & vacuam imaginem corporis Christi. ex eadem tamen Synodo nonnulla nobis opponunt Novatores.

Objicies itaque 1. Iconomachi dicebant *Christum imaginem materiam præcipuam, id est, panis substantiam offerri præcepisse, non figurantem hominis formam, ne idololatria subintroduceretur.* Atqui Eucharistiam panis substantiam non vocassent, si credidissent panem in Christi corpus verè ac propriè transmutatum esse. Tom. 7. Conc. p. 447. A.

Resp. dist. min. Eucharistiam panis substantiam non vocassent post consecrationem Sacerdotis, concedo; ante illam consecrationem, ad designandam materiam, ex qua fit, seu consecratur Eucharistia, nego. Porro Iconomachi Eucharistiam *panis substantiam* vocabant, respectivè ad tempus præcedens consecrationem Sacerdotis, ut nempe designarent materiam, ex qua fit Eucharistia; non verò illam appellant *panis substantiam* post consecrationem, ad designandum, quid sit Eucharistia, quæ responsio in ipsa Objectione exprimitur; idcirco enim ajunt, *Christum præcepisse offerri materiam præcipuam, nempe panem sui imaginem, ne subintroducatur idololatria*: atqui si post consecrationem superesse panis substantiam existimassent, tanquam nudam & vacuam figuram corporis Christi, periculum idololatriæ Christus non declinasset, exhibendo scilicet pro objecto adorationis, panis substantiam tanquam figuram sui corporis.

Instabis. Si existimassent illi Antistites, Christi corpus verè & realiter præsens esse sub specie panis, nullum timendum eis fuisset idololatriæ periculum, quod tamen videntur timere.

Resp. Illos Antistites nullum idololatriæ periculum timuisse ex adoratione Eucharistiæ, quæ non falsa & vacua est imago corporis Christi, sed verum ejus corpus continet, adeoque nostram meretur, & quidem sola, juxta illos, adorationem. Scilicet omnem Christi imaginem, præter Eucharistiam, rejiciebant illi, hoc principio (quamquam falso) nixi, nullam imaginem veritate destitutam coli posse &

adorari sine peccato idololatriæ. Existimabant enim illi, cultum qui Imaginibus impenditur, absolutum esse, in illis hærere ac terminari, nec tendere ulterius: inde inferebant 1. abolendas esse omnes Imagines. 2. Christum sub specie humana apparenter ac visibiliter noluisse corpus suum dare, ne talis imaginis cultus occasio foret idololatriæ. 3. Christum panem sui corporis figuram & imaginem fecisse, & quidem solam imaginem, & quæ idcirco potest adorari sola, quia imago est non vacua, sed plena, continens veritatem rei, cujus imago est; aliàs hanc imaginem, perinde ac cæteras, rejecissent illi Episcopi. Nullum igitur, juxta illos, periculum est idololatriæ ex adoratione Eucharistiæ, utpote quæ imago sit juncta cum veritate; periculum autem fuisset, in eorum mente, si Christus sub humana specie visibili sese nobis objecisset in Eucharistia, quod unum volunt in citato testimonio.

Instabis 2. Iconomachi asserebant Eucharistiam esse imaginem corporis Christi; ergo &c.

Resp. asserebant esse imaginem junctam cum veritate, idcirco solam hanc imaginem admittendam esse & adorandam illi contendebant, concedo: esse imaginem nudam & vacuam, nego.

Instabis 3. Si ita existimassent illi Episcopi, quare igitur à Patribus VII. Synodi reprehensi & damnati sunt? Quare Epiphanius Diaconus Actione 6. legens refutationem illorum, ait *nullum inter sanctos appellasse Eucharistiam imaginem*, sicuti fecerant ipsi Iconomachi? Ibid. E.

Resp. jure ac merito reprehensos fuisse à Nicænis Patribus Iconomachos: cùm enim imago, juxta eorum mentem, significaret rei figuram, quæ nihil haberet cum prototypo commune, (ex quo, nullo cultu eas honorandas esse inferebant) atque ter aut quater in eadem fere periodo Eucharistiam appellassent Christi imaginem, durior visa est Nicænis Patribus hæc loquendi ratio, meritoque apud ipsos venerunt in suspicionem, ne nomen *imaginis* secundum popularem significationem, in sensu exclusivo veritatis usurparent: quem tamen seorsim cum subinde disertis verbis rejecerint illi Iconomachi, atque ut loquuntur Patres Nicæni, *dimisso mendacio pauxillum quid tetigerint veritatem, dicentes divinum corpus fieri*, [nempe panem qui illius est imago] eos citati Nicæni Patres contradictionis quidem arguunt, non tamen negatæ realis Christi in Eucharistia præsentiæ. Ibid. p. 450. D.

Objicies 2. Iconomachi asserebant, panem Eucharisticum imaginem esse veram non falsam mysterii Incarnationis atqui esset falsa imago, si panis substantia consecratione destruitur ac convertitur in substantiam corporis Christi, remanentibus solis accidentibus; siquidem in Incarnatione caro Christi non destruitur, cum assumitur ad unionem personalem cum Verbo.

Resp. nego min. In eo enim stat comparatio Incarnationis cum Eucharistia, quam frequenter adducunt Veteres, quod sicut in Incarnatione Verbum veram assumpsit carnem, ita in Eucharistia verum sumimus Christi corpus: quam comparationis partem suo instituto idoneam & accomodatam assumunt Iconomachi, ut nempe ostendant, idcirco Eucharistiam veram esse, non falsam Christi imaginem, quia adjunctam habet veritatem: alteram vero partem comparationis, nempe in Eucharistia non remanere panis substantiam, in mysterio vero Incarnationis remanere carnis Christi veritatem, non attingunt Iconomachi, neque id necesse erat, tum quia non postulabat eorum institutum; tum quia satis per sese disparitas apparet: eo enim ipso quo asserunt, panem fieri corpus Christi, fatentur illius substantiam mutari in corpus Christi; impossibile enim est ut panis, quamdiu panis est, sit naturale Christi corpus; aliunde vero ipsis compertum erat & exploratum, Christum veram in Incarnatione carnem assumpsisse; manifesta igitur erat & evidens ea ex parte comparatio Incarnationis cum Eucharistia.

Solvitur objectio novatorum ducta ex silentio Paganorum.

Objicies: Si dogma realis præsentiæ Christi in Eucharistia primis Ecclesiæ sæculis adeo constans & pervulgatum fuisset, quomodo Gentiles, qui animo tam curioso & maligno omnia Christianorum mysteria rimabantur & crimini vertebant, illud non objecissent tanquam absurdum, sensibus & rationi contrarium: facile quippe iis fuit, vel per se ipsos sese Fidelium cœtibus immiscendo, vel per desertores & apostatas Religionis nostræ, qui ad castra Hæreticorum aut Paganorum deficientes, facile poterant ea detegere mysteria, quorum ipsi testes fuerant & conscii, qualis imprimis fuit Julianus Apostata, qui ex professo Christianam Religionem Scriptis impugnavit; vel per servos Christianorum, qui vel oblata pecunia, vel intentatis tormentis omnia arcana detegere poterant: attamen, quod certe mirum videri debet, altum est apud illos veteros Paganos fidei nostræ obtrectatores, de mysterio Eucharistiæ silentium, nullam ex eo Christianis accusationem moverunt; ergo argumentum est tale mysterium eos plane latuisse, quod intelligi vix potest, si tunc temporis adeo recepta fuisset illius fides, ac nunc est.

Resp. 1. argumentum istud retorqueri facile posse adversus Novatores, quibus in sua hypothesi solvendum est, sicut & nobis. Namque veteres illi Pagani non leguntur quidquam Christianis objecisse circa virtutem & efficaciam panis Eucharistici, quam tantam esse & tam stupendam prædicant Novatores: an inde sequitur nullam esse, ac plane veteribus Christianis fuisse virtutem hanc incognitam? Consequentiam haud dubie illi non admittent, neque etiam nos.

Resp. 2. tam accurate fuisse à veteribus Christianis legem silentii observatam in occultandis fidei Christianæ mysteriis, ut mirum videri non deberet, si Paganis omnem aditum præclusissent ad cognoscendum altaris mysterium. De hac disciplina arcani Dissertationem adornavit apologeticam Emmanuel à Schelestrate, Romæ typis editam an. 1695. quam munivit Veterum eam in rem testimoniis bene multis, ut Tertulliani cap. 7. Apologetici, Origenis L. 1. contra Celsum, Julii S. Pontificis Epistola tertia ad Orientales, ubi Eusebianos maxime redarguit, quod *sub externo Judice, præsentibus Catechumenis, & quod pejus est, Ethnicis & Judæis Christianismum blasphemantibus, quæstionem de sanguine & corpore Christi habuerint*. S. Gregorii Nazianzeni, Oratione 42. S Cyrilli Hierosolymitani Catechesi 6. illuminatorum, ubi ait, ministros Christi *multa sæpe loqui obtecte seu obscure, ut fideles qui rem tenent, intelligant, & qui non tenent, non lædantur*. S. Cyrilli Alexandrini L. 7. contra Julianum. *Plurima*, inquit, *de his alia & vera dicerem .... nisi profanorum aures metuerem*. S. Chrysostomi Hom. in 1. ad Corinth. *Volo quidem*, inquit, *aperte dicere: non audeo vero propter eos qui non sunt initiati; ii enim difficiliorem nobis faciunt expositionem, ut qui nos cogant vel non aperte dicere, aut eis arcana enuntiare*. S. Aug. Sermone 4. de Jacob. & Esau, Epistola 120. c. 19. in Psal. 33. Theodoreti Dialogo 1. ubi Orthodoxus ait: *Aperte dicendum non est: verisimile enim est adesse aliquos mysteriis non initiatos*. Eranistes reponit; *Respondeatur ænigmatice*.

Tom. 2. Conc. p. 507. D.

P. 61. D.

To. 2. p. 249. A. Ed. Commel. p. 638.

To. 4. p. 85. A.

Hinc Pagani affectatam hanc obscuritatem Christianis exprobrabant: *Latebrosa & lucifugax natio*, inquit apud Minucium Felicem Cæcilius *in publicum muta, in angulis garrula ...... Cur occultare & abscondere quidquid colunt magnopere nituntur? cum honesta semper publico gaudeant scelera secreta sint ...* Idem objiciebat Celsus apud Origenem L. 1. adversus eum.

Minut. Fel. p. 7. P. 8. D.

Verum

Verùm immeritò Gentiles hanc accusationem Christianis intentasse probant veteres Religionis nostræ Apologistæ, ex ipsa Gentilium praxi & disciplina, qui non initiatos à mysteriorum suorum cognitione & participatione tanta severitate semovebant, ut qui oculos curiosos in Sacra immisisset, non tulisset impunè.

Hinc nata solemnis illa formula in mysteriis peragendis usurpari solita, *Procul hinc; procul ite prophani.* De hac Gentilium praxi diximus aliàs in Tractatu de Sacramentis in genere, exponendo nomen mysterii.

Resp. 3. Rem non esse ita certam & exploratam ac putant adversarii, nihil scilicet audivisse, nec Christianis objecisse Paganos de mysterio Eucharistiæ: facile enim fuit ipsis non una via ad notitiam hujus arcani pervenire.

Et certè vel ipsi apostatæ rem totam declarare poterant, vel ipsi Christianorum famuli. De hoc conqueritur Julius S. Pontifex antea citatus; & Oecumenius narrat, Commentario in 3. Epistolam S. Petri capi-
T. 2. p. 498. B. te 3. in fine, se ex S. Irenæo didicisse, *quod cum Græci servos Christianorum in divinis mysteriis edoctorum apprehendissent, ipsisque vim inferrent, ut videlicet arcanum quidpiam ab his de Christianis discerent; hique servi non haberent, quomodo vim inferentibus ad delectationem & gratiam loquerentur, præterquam quod à dominis audierant, divinam participationem esse sanguinem & corpus Christi, existimantes ipsi, quòd verè sanguis & caro esset, hoc responderint inquirentibus, illi verò*, pergit Oecumenius, *id sumentes, tanquam reipsa hoc perageretur à Christianis, id aliis quoque manifestabant Græcis; & martyres Sanctum & Blandinam tormentis id fateri co-*
Euseb. Hist. p. 156. D. *gebant.* Idem ferè narrat Eusebius Lib. 5. Histor. capite 1.

Ex quo Oecumenii testimonio duo colligo. 1. servos illos Christianorum aperuisse illis Græcis quodnam esset Eucharistiæ mysterium apud Christianos, nempe corpus & sanguinem Christi. 2. Græcos illos existimasse esse sanguinem & corpus humanum, quod pro more aliorum ciborum discerperetur & coqueretur ad manducandum.

Atque hinc famosa illa & pervulgata Gentilium in Christianos criminis infanticidii accusatio, cujus mentionem faciunt quotquot pro Christiana Religione Apologias adornarunt ex Veteribus, Justinus, Athenagoras, Tertullianus, Minucius Felix, Arnobius. Non aliud enim videtur fuisse hujus accusationis fundamentum, quàm Eucharistiæ mysterium. Quid enim aliud
Minut. Fel. p. 8. B. designasset *infans ille farre contectus & occisus, cujus Christiani sitianter sanguinem lambunt, & certatim membra dispertiunt*, sicut accusat Cæcilius apud Minucium Felicem in Octavio? Hinc apud Euseb. L. 5. Hist. cap. 1. servi Christianorum ipsis objiciunt & exprobrant Thyesteas quasdam cœnas, & incestos Oedipi concubitus. Thyesteæ autem illæ cœnæ, in quibus fingebant infantis carnem à Christianis comedi, non aliud quàm Eucharistiam designabant. Scilicet, ut fieri solet in iis, quæ fama tantum & rumore quodam confuso cognoscuntur, est aliquid veri falso admixtum; fundamentum enim accusationis, aut potiùs occasio, verum supponebat, nempe à Christianis manducari & bibi Christi corpus & sanguinem; sed illud multis falsis & putidis fabulis adulterabant Gentiles, cùm vivum corpus mactari, discerpi, & cruento modo comedi mentiebantur. Igitur falsum est nihil Paganos audivisse, nec objecisse Christianis de mysterio Eucharistiæ.

Instabis 2. Si mysterium Eucharistiæ cognoverunt Pagani, quare illud perabsurdum esse, horrendum, in quo Deus manducatur; ridiculum, in quo panis Deus est &c. non objecerunt Christianis?

Resp. Inde factum esse, quòd confusè tantùm & perobscure hujus mysterii naturam & rationem cognoverint. Audiverant scilicet ex rumore quodam, Christianos solitos in mysteriis suis corpus Dei sui comedere: modum autem illius manducationis, & modum, quo Christus est in Eucharistia, cùm abstrusior foret & maximè reconditus, planè ignorabant. Hinc Maximus Madaurensis apud sanctum Augustinum Epistola 16. aliàs 43. incertus & dubius dicebat: *Quis* T. 2. p.
est iste Deus, quem vobis Christiani quasi proprium 50. E.
vindicatis, & in locis abditis præsentem vos videre componitis? Hinc ipse S. Augustinus Lib. 20. contra Faustum cap. 13. ex illa confusa Eucharistiæ Christianorum notitia ait, *nonnullos existimasse apud Chri-* T. 8. p.
stianos Cererem & Liberum coli, adeo confusa erat 342. D.
& perturbata mysteriorum nostrorum apud Paganos notitia.

Instabis 2. Quare Julianus Imperator apostata, qui mysterii Eucharistiæ particeps & conscius fuerat, dum inter nos degeret, de illo nihil dixit in suis adversus Christianam Religionem Libris?

Resp. Incertum planè esse, an nihil contra istud mysterium objecerit Julianus: ex tribus enim Libris, quos adversus Christianam scripsit Religionem, unus dumtaxat, & ne integer quidem, superest apud S. Cyrillum Alexandrinum, qui eum ex professo confutavit. Certè in primo illo Libro doctrinam Eucharistiæ Julianus impugnandam sibi non sumpserat, sed in secundo potius, in quo falsa, ut impius loquitur, Evangeliorum prodigia, & præstigias erat impugnaturus.

Deinde, etiamsi Julianus aliquid oblatrasset contra mysterium Eucharistiæ, verisimile est S. Cyrillum, qui ex illo primo Libro multa se resecasse testatur, illud silentio præteriturum fuisse, ne Ethnicis tantum mysterium prodere cogeretur. Sic enim cùm Julianus baptismum Christianorum irrisisset, ut planè inefficacem purgandis animis, cùm nec corpora quidem ab illo morbo liberare posset, sanctus Cyrillus non expli- T. 6. p.
cat, quidquid Ecclesia credit de virtute Baptismi, at- 247. E.
que se idcirco silere significat, quia mysteria prophanis nefas est aperire.

Instabis 3. Accusatio infanticidii in Christianos à Paganis intentata, non ex Eucharistiæ mysterio, sed ex abominandis Gnosticorum (qui se Christianos dicebant, undè in omnes Fideles rejecta calumnia) flagitiis orta videtur. Ii nempe, referente sancto Epipha-
nio hæresi 26. *infantem in mortario pistillo tundebant & manducabant.* Et Eusebius L. 4. Hist. cap. 7. T. 1. p. 87. B.
ait, ex Hæreticis, Simonianis, Basilidianis, Carpocratianis, factum esse, *ut absurda quædam & impia de Christianis opinio spargeretur, quasi execrandis dapibus vesci illi solerent.* Tale fictile ad ductæ accusationis fundamentum testantur præterea Origenes L. 2. contra Celsum, S. Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi 16. S. Epiphanius citata hæresi 26.

Resp. Nefanda Gnosticorum & aliorum Hæreticorum, qui se Christianos esse gloriabantur, flagitia, auxisse quidem in animis Gentilium suspicionem criminis, de quo postulabantur Christiani; sed ea jam confusa quadam mysterii Eucharistiæ notitia, fundamentum habuerat ejusmodi accusatio. Quin ipsi Gnostici non alio consilio infantem inter Sacra trucidabant, ac manducandum porrigebant, quàm ut Christianorum Eucharistiam, in qua vera Christi caro manducatur & sanguis bibitur, sacrilega & horrenda imitatione repræsentarent: adeo verum est, accusationi Gentilium occasionem primò dedisse confusam quamdam ac perturbatam mysterii Eucharistiæ cognitionem.

ARTICULUS V.

An probari possit impossibilis realis præsentia ex humana ratione sensuumque judicio.

CONCLUSIO.

Probari non potest impossibilis realis præsentia Christi in Eucharistia, ex humana ratione sensuumque judicio.

Probatur 1. Quia neque naturalis ratio, neque sensus humani idonei judices esse possunt in dignoscenda & exploranda mysteriorum fidei veritate: illis igitur silentium imponi debet, ne obloquantur, cùm de mysteriis fidei nostræ agitur.

Antecedens ex professo probavimus in nostro de divinis Attributis Tractatu, ubi de sacra doctrina, Quæstione 1. Art. 4. & constat tum ex natura sensuum humanorum, qui res spirituales à materia segregatas attingere non possunt; tum ex natura fidei, quæ essentialiter rerum est non apparentium, Hebr. 11. v. 1. tum ex conditione nostra viatorum, qui videmus nunc per speculum & in ænigmate, 1. Cor. 13. v. 12. tum ex imperfectione ac tenuitate rationis humanæ, *Animalis enim homo*, inquit S. Paulus 1. Cor. 2. v. 14. *non percipit ea, quæ sunt spiritus Dei: stultitia enim est illi; & non potest intelligere*, unde concludit Scriptura, sola Dei revelatione cognosci posse fidei mysteria, atque in ejus obsequium captivandum esse intellectum, Matth. 16. v. 17. *Beatus es Simon Bar Jona*, inquit Christus ad S. Petrum, *quia caro & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui in Cælis est*. Et cap. 11. v. 27. dixerat Christus: *Nemo novit Filium, nisi Pater: neque Patrem quis novit, nisi Filius, & cui voluerit Filius revelare*. Hinc S. Paulus 2. Corinth. 10. v. 4. sic loquitur: *Arma militiæ nostræ non carnalia sunt, sed potentia Deo ad destructionem munitionum, consilia destruentes, & omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei, & in captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi*. Qui plura eam in rem legere voluerit, adeat locum à nobis mox indicatum.

Probatur 2. De possibilitate vel impossibilitate rerum judicandum non est ex infirmo & angusto naturæ lumine, ac Philosophiæ humanæ placitis, sed ex summa Dei virtute & potentia, cujus abyssos rimari & tentare non possumus, qui multo plura facere potest, quàm mente assequi valeamus. *Apud homines*, inquit Christus Matth. 19. v. 26. *hoc impossibile est; apud Deum omnia possibilia sunt. Dandum*, inquit S. Augusti-

To. 2. p. 405 B. — nus Epistola 137. aliàs 3. ad Volusianum, *Deo aliquid*

T. 2. App. p. 51 B. — *posse, quod fateamur nos investigare non posse. In talibus rebus, tota ratio facti, est potentia facientis.*

Hinc docent SS. Patres, Deo loquenti statim habendam esse fidem, quidquid obloquatur humana ratio. *Magni meriti est apud Deum*, inquit S. Ambrosius Commentario in Epistolam ad Romanos cap. 4. *qui contra sententiam suam Deo crediderit, non dubitans posse illum, utpote Deum quod scit secundùm mundi rationem fieri non posse, Pro certo enim habet Deum ultra mundi rationem esse.* Et S. Chrysostomus Hom.

Ed. Commel. p. 41 A. — 6. in Joan. „De Deo loquimur, *inquit*, & quonam „pacto interrogas? Nonne times? Nonne exhorrescis? „Quòd si abs te quispiam quærat, quomodo immortalem vitam & corpore, & nostræ habituræ sint animæ, „nonne ridicula esset quæstio? quia non humani est ingenii ejusmodi inquirere; sed credere tantum oportet: „neque curiosiùs est investigandum, quod sufficientem „habet sui demonstrationem, immensam promittentis „potestatem.

Et Concilium Tridentinum Sess. 13. cap. 1. loquens de ratione qua Christus est in Eucharistia, ait eam, *etsi* — Tom. 14. Conc. p. 805. B.
verbis exprimere vix possimus, possibilem tamen esse Deo, nosque, cogitatione per fidem illustrata, assequi eam posse, & constantissimè credere debere.

Denique S. Hilarius Libro 1. de Trinit. n. 13. à rebus fidei excludendas esse Philosophiæ argutias optimè monet. *Respuit*, inquit, *captiosas & inutiles Philosophiæ quæstiones fides constans, neque humanarum ineptiarum fallaciis succumbens spolium se præbet veritas falsitati; non secundùm sensus communis intelligentia Deum retinens, neque de Christo secundùm mundi elementa decernens.* — Pagina 773. D.

Hinc quoque ex ignorantia rerum naturalium, quæ quotidie oculis nostris obversantur, sæpiùs arguunt SS. Patres, ad reprimendam humani ingenii superbiam, quæ supra res divinas attollere se præsumit, eas captu suo metiendo ac definiendo. Quis enim hactenus rectè exposuit aut concepit, quæ sit lucis natura, quæ unio omnis animæ cum corpore, & sexcenta alia, quæ animo revolvens Ecclesiastes c. 3. v. 11. ait: *Mundum tradidit (Deus) disputationibus eorum, ut non inveniat homo opus, quod operatus est Deus ab initio usque ad finem.* Et c. 8. v. 17. *Intellexi*, inquit, *quòd omnium operum Dei nullam possit homo invenire rationem, eorum quæ fiunt sub sole, & quantò plus laboraverit ad quærendum, tantò minùs inveniat.*

Si igitur in rebus naturalibus cognoscendis adeo cæci & ignari sumus, quæ ista temeritas est, velle res divinas sensu nostro metiri easque, nisi capiamus, negare? Etsi igitur præ tenuitate nostra prætensas impossibilitatis rationes, quas adversus realem Christi in Eucharistia præsentiam opponunt Novatores, solvere non possemus, an idcirco neganda veritas? minimè; sed nostra potius confitenda tenuitas, ac divinæ potentiæ magnitudo prædicanda, In hoc quippe totum est fidei nostræ meritum, quòd ea credamus, quæ non intelligimus.

Etsi igitur abstineremus ab illis difficultatibus, quas ratio & sensus suggerunt, solvendis, non idcirco causam obtinerent Novatores: sed ne hac in parte quidem vinci se patiuntur Orthodoxi, ac facilè apparentes illas contradictionum & implicantiæ causas explicant.

Hærere hic possemus, & Novatores nostros ad humanam Philosophiam sensuumque judicium provocantes ad divinam virtutem ac potentiam remittere: verùm ut Scholæ mori serviamus, eorum ex humana ratione sensuumque judicio excipiendæ sunt ac dissolvendæ Objectiones.

Solvuntur Objectiones ex rationis & sensuum humanorum judicio.

Ex dogmate realis præsentiæ Christi in Eucharistia quatuor sequuntur, quæ Novatores maximè offendunt, ac cum sana ratione ac sensuum judicio conciliari nunquam posse falsò illi existimant.

Sequitur 1. idem corpus Christi simul esse in pluribus locis, in Cœlo, & in omnibus hostiis consecratis.

Sequitur 2. corpus Christi veras non habere corporis proprietates, non videri, non palpari, non esse quantum, locum non occupare.

Sequitur 3. accidentia panis & vini remanere post factam consecrationem, sine proprio subjecto, cùm supponatur facta conversio seu mutatio totius substantiæ panis & vini in corpus & sanguinem Christi.

Sequitur 4. illa accidentia habere omnes proprietates substantiæ; ex illis enim fit nutritio, alteratio, generatio &c.

Atqui hæc omnia planè absurda sunt ac evidenter pugnant cum sana ratione ac sensuum humanorum judicio; sunt itaque totidem invicta argumenta impossibilitatis realis & substantialis præsentiæ Christi in Eucharistia. Ita Novatores.

Ne confusio fiat, distinctè quodlibet difficultatis pro-

posita

positæ caput expendemus; etsi verò duo priora capita realem præsentiam, duo autem posteriora transubstantiationem propiùs attingant, de qua sequenti Quæstione disseremus, tamen in eundem locum referenda & congerenda duximus, ne lectoris animus distrahatur; atque unico veluti spiritu omnes implicantiæ & impossibilitatis causas, à Novatoribus toties decantatas, pervideat atque dissolvat.

Solvitur Objectio ducta ex impossibili præsentia ejusdem corporis in pluribus locis.

Objicies 1. Non potest unum & idem corpus simul esse in pluribus locis: atqui, posito dogmate realis præsentiæ Christi in Eucharistia, unum & idem Christi corpus foret in pluribus locis, nempe in Cœlo, & in terra, ac in omnibus terræ angulis, in quibus sunt hostiæ consecratæ; ergo &c.

Resp. dist. maj. Non potest unum & idem corpus naturaliter esse in pluribus locis, concedo: divinitus, iterum distinguo: non potest esse in pluribus locis circumscriptivè, in sententia saltem S. Thomæ ejusque discipulorum, esto: non potest esse in uno loco circumscriptivè, & in aliis definitivè seu sacramentaliter, nego. Distinguo pariter min. Atqui corpus Christi foret in pluribus locis simul, divinitus & per summum divinæ virtutis miraculum, & quidem circumscriptivè in Cœlo, in hostiis verò consecratis definitivè & sacramentaliter, concedo: naturaliter & circumscriptivè tum in Cœlo, tum in terra, nego.

Dico igitur 1. Si ratio habeatur naturalis ordinis, non posse quidem idem corpus esse in pluribus locis; at in mysterio Eucharistiæ, ut & in aliis Religionis nostræ, naturam & rationem non consulimus, sed Dei potentiam ejusque voluntatem nobis verbo ejus declaratam; ac Deo loquenti statim acquiescunt Christiani, quantumvis reluctetur ac contradicat humana ratio. An in mysterio Trinitatis, v. g. Calvinistæ ferrent Socinianum sic arguentem: Non potest una esse & indivisa natura in tribus distinctis personis, istud enim omnibus naturæ legibus videtur adversari: atqui in mysterio Trinitatis [quod agnoscunt nobiscum Calvinistæ] una esse supponitur & indivisa natura in tribus personis. Quod huic argomento reponent Novatores, hoc ipsum & nos difficultati mox propositæ. Sicut igitur tenentur Calvinistæ in mysterio Trinitatis recusare humanæ rationis ac Philosophiæ judicium, & ad Dei revelationem atque infinitam potentiam confugere, ut apparentes implicantiæ rationes, quas perpetuò opponunt Sociniani, dissolvant & explicent, ita & nos idem facimus in vindicando mysterio altaris contra inanes impossibilitatis & contradictionis causas, quas Calvinistæ nobis obtrudunt.

Et certè SS. Patres tanquam summum ac stupendum miraculum semper habuere, præsentiam unius & ejusdem corporis Christi in Cœlo simul & in terra, atque in omnibus hostiis consecratis. *O miraculum!*
To. 2. p. 382. D. exclamat S. Chrysostomus Lib. 3. de Sacerdotio, *O Dei benignitatem! Qui cum Patre sursum sedet, illa hora omnium manibus tenetur, seseque volentibus dat complectendum & accipiendum.*

Et S. Gregorius Nyssenus Oratione Catechetica
To. 2. p. 534. D. cap. 37. *Cum autem*, inquit, *solum illud corpus, quod Deum suscepit, hanc gratiam acceperit... oportet considerare quomodo fieri potuerit, ut unum illud corpus, quod tam multis fidelium millibus in universo orbe terrarum semper distribuitur, totum per partem sit in unoquoque, & ipsum in se totum maneat.*

Eo dilucidè proposita quæstio, quomodo fieri possit ut idem sit corpus, quod tot millibus hominum in locis tam divisis & dissitis distribuitur. An verò impossibile istud esse judicarunt SS. Doctores? An tam esse difficultatem hanc censuerunt, ut propterea realem Christi in Eucharistia præsentiam negaverint? minimè certè; sed ad miraculum, ad summam Dei virtutem ac benignitatem confugiunt ut id credant & explicent.

Multi inter Catholicos Doctores, ut suadeant posse divinitus unum & idem corpus simul esse in pluribus locis, adducunt id quod refertur Act. 9. & 22. Christum scilicet, qui Cœlum nunquam deserit (juxta Novatores) in terris apparuisse S. Paulo dum iret Damascum, & ab ipso visum fuisse, ut testatur ipse Apostolus 1. Corinth. 15. v. 3. *Christus*, inquit, *mortuus est pro peccatis nostris, & sepultus est, & resurrexit tertia die, & visus est Cephæ, & post hoc undecim. Deinde visus est plusquam viginti fratribus simul: deinde visus est Jacobo: deinde Apostolis omnibus: novissimè autem omnium tanquam abortivo, visus est & mihi.* Inde concludunt nonnulli Orthodoxi Christum simul in Cœlo fuisse & in terris.

Scio Novatores contendere, vel Christum in propria forma non apparuisse, sed in aliena, Angelorum ministerio; vel si in propria forma, divisos esse & apertos Cœlos ut videret S. Paulus Christi humanitatem, qua ratione vidit S. Stephanus; vel visionem hanc non corporis oculorum fuisse sed mentis, quomodo Prophetæ sæpius dicunt se vidisse Dominum.

Verùm, etsi res ita contingere potuerit, ut Novatores volunt, (neque enim id dissimulare possumus) non tamen ita de facto contigisse certò possunt illi affirmare, nisi quamdam & apertam in sacro textu causam deprehenderint, quæ certè nulla est. Quamdiu igitur manifestè ostenderint, fieri non potuisse, ut Christus in propria sua specie apparuerit & locutus fuerit S. Paulo, tamdiu meritò contendere poterunt Orthodoxi, revera Christum, etsi in Cœlo degentem, in terris tamen in propria forma gentium Apostolo apparuisse; præsertim cùm innuat Apostolus, sibi visum esse Christum, quomodo visus est aliis post resurrectionem; at certum est, aliis visum esse visione corporis in propria specie & forma.

Dico 2. duplicem distingui à Theologis modum, quo corpus potest esse in loco: unum circumscriptivum; sacramentalem alterum, & definitivum. Corpus est circumscriptivè seu quantitativè ac dimensive in loco, cùm secundùm varias sui partes applicatur variis loci partibus: hoc modo Christus erat in terris, antequam Cœlos repeteret, & jam est in Cœlo. Corpus verò dicitur esse in loco sacramentaliter & definitivè, quod non localiter, non quantitativè, non dimensivè & per partes, sed totum est in toto loco, & totum in qualibet illius parte, quomodo substantia tota est in toto, & tota in qualibet parte; quomodo etiam anima tota est in toto corpore, & tota in qualibet ejus parte; quomodo Christi corpus est in Eucharistia, totus in tota hostia, & totus in qualibet ejus parte. Vocatur ille modus sacramentalis, quia Sacramento proprius est & singularis.

Sunt inter Theologos, qui contendunt fieri posse, nequidem divinitus, ut idem corpus sit in pluribus locis circumscriptivè, ut S. Thomas, ejusque Sectatores, à qua controversia hic nos supersedemus, cùm non sit nostri instituti, ac satis nobis sit, ostendere, nihil implicare, quo minus idem corpus sit in pluribus locis definitive; quod etsi naturæ vires, ac rationis nostræ captum superet, illustratur tamen à Catholicis Doctoribus nonnullis exemplis naturalibus, 1. verbi seu conceptus humani, qui cùm voce quasi circumvestitur, unus & idem eodem tempore totus est in mente concipientis, & totus in auribus atque animis multorum auditorum. 2. animæ rationalis, quæ tota est in toto corpore, & tota in qualibet ejus parte. Ita Guitmundus Aversanus Archiepiscopus in Italia (flor. sæculo undecimo) L. 1. de veritate corporis Christi in Eucharistia.

Neque est quòd reponant adversarii, animam non

Bibliot. PP. T. 18 p. 44, G. esse in corpore tanquam in loco, sed tanquam formam in materia: pariter enim dicimus, Christi corpus non esse in Eucharistia tanquam in loco, sed tanquam in Sacramento, qui modus singularis est, sicut modus quo anima est in corpore.

Instabis 1. Non potest, nequidem divinitus fieri, quod internam & essentialem involvit contradictionem: atqui idem corpus esse in pluribus locis definitivè, involvit internam & essentialem contradictionem. Namque esse unum & non unum, divisum & indivisum, apertam involvit contradictionem: atqui si corpus idem foret in pluribus locis, etiam definitivè, simul esset unum & non unum: unum, ex hypothesi; non unum autem, quia multiplici in loco: esset indivisum, & divisum: indivisum, ex hypothesi; divisum verò, quia separatum in variis locis; corpus enim, quod esset v. g. Parisiis, separatum foret ab eo quod esset v. g. Lugduni: si separatum, ergo distinctum; ergo non unum & indivisum.

Resp. nego min. ad cujus probationem distinguo majorem: esse unum & non unum, divisum & indivisum, ratione entitatis, involvit contradictionem, concedo: ratione tantùm loci, nego. Dist. min. ad sensum majoris. Unitas igitur entitativa corporis non desumitur ab unitate loci; priùs quippe res una concipitur, quàm in loco existens: inde idem corpus potest quidem esse in locis separatis, sed non separatum neque divisum, cùm idem omnino supponatur variis in locis reproduci secundùm suam naturam & entitatem. Non esset igitur idem corpus Parisiis & Lugduni, quoad localem præsentiam; sed esset idem quoad entitatem & substantiam.

Instabis 2. De uno & eodem corpore Christi multa absurda & contradictoria dici possent, si in pluribus hostiis & locis simul existeret. Namque de illo dici posset, quòd manducetur, & non manducetur; existat, & desinat existere: manducari siquidem potest in uno loco, & non in alio; corruptis ac consumptis speciebus hic desinit esse, & tamen alio in loco, ubi species integræ perseverant, existit.

Resp. nego ant. Ut vera enim sit contradictio, debet esse de eodem sub eodem respectu; at corpus Christi variis in locis & hostiis reproductum est quidem unum & idem, sed non habet eundem præsentiæ & locationis modum; ac ratione hujus varii modi diversa, eaque in speciem contradictoria possunt de illo enuntiari, nempe quòd manducetur & non manducetur; existat & desinat existere; sicut de eadem anima dici potest, quòd moveatur & non moveatur; moveatur in capite, dum istud movetur; non moveatur in pede, dum ille quiescit.

Instabis 3. Varia illa & contradictoria prædicata, non afficiunt ipsum locum, in quo est corpus, sed corpus ipsum Christi; ergo de uno & eodem corpore contradictoria illa dici non possunt.

Resp. varia illa & in speciem contradictoria prædicata non quidem directè afficere locum ipsum, sed corpus per ordinem ad locum; & ratione ordinis seu habitudinis quam habet idem corpus ad varium locum, posse illa varia prædicata de uno & eodem quoad entitatem corpore enuntiari.

Instabis 4. Corpus quod est circumscriptivè in aliquo loco, non potest esse extra illum; locus siquidem circumscriptivus adæquatus est: atqui corpus Christi est circumscriptivè in Cœlo; ergo non potest esse extra Cœlum.

Resp. argumentum istud, sicut & alia nonnulla, quæ urget Albertinus L. 1. de Eucharistia c. 27. directè impugnare præsentiam ejusdem corporis in pluribus locis circumscriptivè, quam controversiam hic non attingimus, nec instituto nostro necessaria est, cùm Christi corpus non sit in Eucharistia circumscriptivè, sed definitivè tantùm. Unde ad argumentum dist. maj. Corpus quod est circumscriptivè in aliquo loco, non potest esse extra illum, circumscriptivè, esto, transeat: non potest esse definitivè, nego. Dixi, transeat: neque enim omnes Theologi S. Thomæ subscribunt, docenti impossibile esse ut idem corpus sit in pluribus locis circumscriptivè, etiam divinitus; & illi facilè respondent omnibus ratiunculis & dialecticis argutiis quæ solent opponi: sed ab illis hic abstinemus, quæ ad Philosophos pertinent.

Instabis 5. Non potest idem corpus esse simul in diversis temporibus; ergo neque in diversis locis.

Resp. nego conseq. & parit. Disparit. est, quia tempus essentialiter successivum est, unde pugnat cum ejus natura rem eandem simul esse in diversis temporibus, præsens enim, præteritum & futurum simul esse non possunt: at duo loca possunt esse simul, adeoque simul continere idem corpus reproductum.

Objicies 2. Soli Deo convenit nullo loco circumscribi, sed esse ubique; atque hinc SS. Patres probant contra Macedonianos, Spiritum sanctum esse Deum, quia est ubique: similiter contra Eutichianos, humanam Christi naturam non esse confusam cum divina, quia hæc ubique, non autem illa: contra Manichæos, Christum habere verum corpus, quia loco continetur & circumscribitur; ergo corpus non potest esse in pluribus locis, & verum non est censendum corpus, quod loco non circumscribitur.

Resp. Deum per naturam nullo posse circumscribi loco; at corpus Christi hoc habet tantùm ex singulari divinæ virtutis miraculo, quòd in Eucharistia non sit circumscriptum loco, sicut est in Cœlo. Unde meritò probant SS. Patres adversus Macedonianos, Spiritum sanctum esse Deum, & contra Eutichianos humanam Christi naturam non esse cum divina confusam, quia, juxta naturæ ordinem, loco circumscripta est; Christi autem corpus in Eucharistia non est in statu naturali, sed supernaturali ac planè divino.

Solvitur Objectio ducta ex quantitate, aliisque veri corporis proprietatibus.

Objicies 1. Implicat esse verum & naturale corpus sine quantitate; hæc enim proprietas est essentialis naturæ: implicat autem esse quantitatem sine extensione, impenetratione & divisibilitate; adeoque implicat esse verum & naturale corpus, quod non sit in loco extensivè, impenetrativè & divisibiliter: atqui corpus Christi tale non est in Eucharistia, in qua esse dicitur modo inextenso, penetrativo ac indivisibili; igitur non est verum & naturale Christi corpus.

Resp. missa nonnullorum opinione, qui majorem propositionem negant, ut Durandus, Maldonatus; distinguo hanc propositionem, Implicat esse quantitatem sine extensione interna partium in ordine ad se, concedo: sine externa in ordine ad locum, nego. Corpus igitur Christi est in Eucharistia quantum, licèt non sit quantitativè & extensivè in loco: quod ut intelligas,

Tria distinguenda sunt in quantitate. 1. extensio externa & visibilis, quæ est positio partium extra partes in ordine ad locum. 2. extensio interna quæ duplex est; alia entitativa, quæ non est propria quantitatis, sed formæ materiali competit, quæ non est quanta, sed penetrativè se habet in materia; alia verò interna extensio quantitativa dicitur, quæ consistit in positione partium extra partes in ordine ad se, cum proxima aptitudine ad impenetrationem & resistentiam actualem. 3. est actualis impenetratio & resistentia, qua fit ut unum corpus alteri non cedat, sed resistat.

Ex his tribus sola extensio interna partium in ordine ad se, cum proxima aptitudine ad impenetrationem & resistentiam actualem, essentialis est quantitati, qua proinde privari non potest, & quæ corpori Christi in Eucharistia existenti competit: non enim confunduntur

& par-

& permiscentur inter se partes illius, sed unaquæque ordinem suum naturalem servat in ordine ad se. Extensio verò externa & actualis impenetratio fluit ab illa interna, tanquam à causa; autem verò actuali ista extensione privetur corpus Christi in Eucharistia, hinc fit, ut penetrativè sit, indivisibiliter, inextensè, per modum substantiæ, totum in tota hostia & totum in qualibet ejus parte.

Reipsa difficilè id concipitur, aut potius non concipitur à nobis; Sed quid mirum? mysterium est eoque nomine abstrusum, reconditum à sensibus, & ab humana ratione longè sepositum: nihilominus tamen optimè probant Orthodoxi, nullam esse internam & essentialem implicantiam, ut corpus privetur, Deo ita volente, sua actuali extensione & impenetratione.

Probant autem triplici via. 1. ratione. 2. exemplis, 3. solvando prætensas ab adversariis implicantiæ & contradictionis causas.

Ratio est, quia quod posterius est rei essentia, potest non esse, salva remanente & integra rei natura: atqui actualis extensio & impenatratio posterior est essentia quantitatis, & fluit velut affectus ab ipsa extensione interna, in qua consistit natura & essentia quantitatis; ergo &c.

Exempla sunt, Christi ex utero virginali, illæso virginitatis claustro, exeuntis; in cubiculum clausis januis penetrantis, Joan. 20. v. 19. & 26. de sepulchro grandiori lapide clauso exurgentis; quæ certè sine penetrationis corporum miraculo non contigere, quidquid tandem obloquantur adversarii, ut exempla hæc infirment, quæ nihil certè stupendi ac miri continerent, sicut contendunt SS. Patres, si naturalibus mediis, ut adversariis placet, facta fuissent.

Deinde non magis assentiale est corpori quanto locum occupare, quàm gravi ponderare, colorato videri, lucido lucere, calido calefacere; sed potest Deus efficere, & revera effecit, ut grave non ponderet; Matth. 14. super aquas ambulavit Christus; ut coloratum non videatur; Lucæ 4. Christus medius inter Judæos non videtur: ut calidum non calefaciat; Danielis 3. Ignis non consumpsit tres pueros in ardentem fornacem injectos. Præterea Matth. 19. v. 24. Christus ait, *facilius esse ut camelus transeat per foramen acus, quàm divites intrent in regnum Cælorum.* Cùm dixit, facilius esse, haud dubiâ sibi possibile significavit: at non posset camelus transire per foramen acus, nisi per penetrationem, & locum non occupando? alioqui majus esset minus suo minore.

Nec dicas id fieri posse, si camelus ad fili subtilitatem extenuetur: at quæso, ubi tunc esset miraculum, cùm non amplius camelus foret, sed filum? Et quid necesse fuisset, interrogantibus Apostolis, *Quomodo id fieri potest?* respondere Christum, *Hoc apud homines impossibile est, apud Deum omnia possibilia sunt.*

Atqua ex his intelliges, non satis tutam esse ac sanam quorumdam Recentiorum philosophandi rationem, qui essentiam quantitatis in extensione actuali partium in ordine ad locum reponunt; vix enim conciliari potest hæc opinio cum mysterio altaris.

Neque audiendi sunt cùm ajunt se Philosophos tantùm agere, & ex principiis naturalibus ratiocinari, non Theologos ex principiis fidei, quæ credunt quidem, sed non attingunt. Quasi diversa foret & multiplex veritas, ac intestinum dissidium inter fidem & Philosophiam esset excitandum ac fovendum; quasi Christianus à Philosopho separandus sit, & fides rationi, non potius ratio fidei accommodanda foret, cùm certissimi simus vera esse quæ fides docet, incerta verò ac planè dubia quæ ratio suggerit.

Neque etiam admitti potest, quod nonnulli reponunt, Christi corpus in Eucharistia habere extensionem externam partium extra partes, & occupare locum, quem panis superficies ante consecrationem replebat. Sed quis non rideat? An naturale Christi corpus quale est in Cœlo, non majus spatium occupat, quàm quod est in minima parte hostiæ? Præterea sequitur ex ea responsione, corpus Christi non esse totum in qualibet hostiæ parte; illud frangi & dividi, cùm superficies hostiæ frangitur, & dividitur, quæ tota absurda non sunt ferenda.

Instabis 1. Quantitas non potest esse sine suo effectu formali; atqui effectus illius formalis est extensio externa in ordine ad locum, & impenetratio.

Resp. dist. maj. Quantitas non potest esse sine suo effectu formali primario, concedo: secundario, nego. Effectus formalis primarius quantitatis est aptitudo proxima ad impenetrabilitatem & extensionem localem; effectus verò secundarius, est ipsamet actualis extensio exterior. Hoc posteriori effectu privari potest quantitas, non priori.

Instabis 2. Non potest spiritus esse in loco extensivè & divisibiliter, nequidem divinitus; ergo neque corpus inextensè, indivisibiliter & penetrativè.

Resp. nego consequentiam & paritatem. Disparitas est, quia spiritus nullas habet partes; impossibile igitur est, ut loco coextendatur: at corpus, etsi partes habeat distinctas in ordine ad se, non tamen necessariò & essentialiter, saltem Deo ita volente, habet illas distinctas & extensas in ordine ad locum.

Instabis 3. Impossibile est quantitatem esse sine figura, quæ intrinsecus est illius terminus; ergo impossibile est quantitatem esse sine extensione locali.

Resp. dist. maj. Impossibile est quantitatem esse sine figura organica, quæ pendet ex positione partium extra partes in ordine ad se, concedo; sine figura locali, quæ pendet à varia dispositione partium in ordine ad locum, nego.

Instabis 4. Si corpus Christi est inextensè & indivisibiliter in Eucharistia, partes ejus confunduntur ac permiscentur, siquidem omnes in puncto indivisibili continentur.

Resp. nego ant. Partes enim illæ naturalem inter se dispositionem ac conformationem retinent, etsi in ordine ad locum non habeant distinctam & diversam extensionem; hinc quà fit, ut vel in minima parte hostiæ consecratæ totum sit & integrum corpus Christi, sicut tota ratio substantiæ reperitur in singulis partibus corporis.

Objicies 2. S. Augustinus Epistola 187. aliàs 57. ad Dardanum c. 6. generatim pronuntiat. *Tolle corporibus spatia locorum, nusquam erunt corpora* T. 3. p. 683. B.

Resp. Sanctum Augustinum loqui de ordine naturali, juxta quem certum est corpus extensivè & per partes esse in loco. Interrogatus quippe fuerat de modo, quo corpus Christi est in Cœlo, & de modo quo Deus est ubique, qui uterque modus naturalis est; in corpore, ut sit in loco & illo contineatur; in Deo, ut non sit propriè in loco, à quo contineri non potest, quem potius ipse continet.

Solvitur Objectio ducta ex accidentibus, quæ non possunt esse sine subjecto proprio.

Objicies: Certum est, vel ipso sensuum testimonio, remanere in Eucharistia panis & vini accidentia seu species, quantitatem, qualitatem, figuram, colorem, saporem &c. qualia erant ante consecrationem; at certum etiam est accidentia esse non posse sine suo proprio subjecto, cui inhærent. Quid enim est accidens, nisi ens alteri inhærens? Atqui aliud esse non potest horum accidentium panis & vini subjectum, quàm ipsamet substantia panis & vini; ergo remanet in Eucharistia substantia panis & vini.

Objectio hæc Scholæ Theologos jam dudum exercuit, & modò exercet. Petrus Blesensis, Magister Sent. L. 4. dist. 12. Joan. de Ragusio in Oratione *de*

communione sub utraque specie, in Concilio Basileensi, putant accidentia illa sine ullo subjecto remanere, quæ sententia longe communior est inter scholasticos,& modo loquendi Ecclesiæ magis accomodata. Alii vero existimant his accidentibus aliquod assignandum esse subjectum; sed quodnam? non certe panis & vini substantia, quæ tota convartitur & transmutatur in substantiam corporis & sanguinis Christi. Aliqui dicunt illa esse in aera, Ita sensile. Abaelardum trestatur S. Bernardus Epistola 190. ad Innocentium II. Eandem opinionem ehis nonnullis attribuit Magister dist. 12. Ab illa oon multum recedunt Auctor Commentarii in Bedam, & Albertus Magnus qui eo inclinare videtur, ut accidentia secundum suum esse naturale destruantur, secundum vero suum esse intentionabile in aere maneant. Alii ipsum Christi corpus ajunt esse subjectum accidentium, ita ut quamadmodum panis ante consecrationem, ita fere Christi corpus post consecrationem dicatur videri, frangi, dentibus teri, Deo rem totam disponente & aptante ad ritum & usum mysterii, Ita fere Guilelmus S. Theodorici contra Abaelardum cap. 9. Guidmundus Aversanus L. 3. adversus Berengarianos qui panem & vinum etiam post consecrationem superesse contendebant. Eo revocari possunt ac debent primo ii omnes qui corpus Christi in Eucharistiæ corruptibile esse docuerunt, quæ opinio tribuitur Isidoro, Damasceno &c. secundo etiam illi quibus placuit nullum esse in Eucharistia velum, ita ut ipsum Corpus Christi non tantum crederetur intrinsecus, sed extrinsecus videretur, contra quos scripsit Retramnus.

T. 4. Bibliotb. Cisterc. p. 120.

His opinionibus nova successit philosophandi ratio in exponendis speciebus eucharisticis. Juxta nonnullos Recentiores materia corporis ab ejus magnitudine nullatenus distinguitur, nulla extant accidentia solida & absoluta quæ à materia distinguantur: quia tamen ex fide certum est, facta consecratione non remanere panis & vini substantiam, easdem tamen species superstites esse, nempe magnitudinem, colorem, figuram, saporem &c. quæ erant antea; ut hæc exponant, ajunt, Deum in sensibus nostris & in anima easdem modificationes seu impressiones per se ipsum operari ad præsentiam panis eucharistici, quas operabatur panis ipse ante consecrationem, & etiamnum operaretur si ad pristinam suam rediret naturam.

Non alia videtur mens fuisse celeberrimi Patris Maignan è familia Minimorum insignis Philosophi ac Theologi. Species sensibiles, quas intentionales vocat, non aliud esse docet, quam actionem ipsam objectorum in sensus, juxta doctrinam S Thomæ 3. q. 54. art. 1. ad 2. ubi ait; *Quod aliquid videatur, fit per actionem visibilis ad visum.* Cum autem in Eucharistia non superfit panis substantia, haud dubie agere illa in sensus non potest, cum aliunde accidentia absoluta sensu Aristotelico rejiciat dictus P. Maignan, necesse est in ejus mente Deum per se ipsum supplere actionem substantiæ panis, facta in sensibus nostris eadem modificatione ac impressione, quam panis faciebat ante consecrationem: id vero Deum posse manifeste docet S. Thomas 1. p. q. 105. art. 2. *Erraneum est dicere*, ait, *Deum non posse facere per se ipsum omnes determinatos effectus, qui fiunt per quamcumque causam creatam.* Atque hac ratione 3. p. q. 76. art. 8. explicat modum quo aliquando visa est in Eucharistia caro, visus puer; Deum scilicet oculis repræsentante carnem, puerum, in signum & argumentum veræ ac realis præsentiæ Christi in Eucharistia.

Unum hic monuisse oportet ad solvendam propositam objectionem, Concilia nempe Lateranense, Florentinum & Tridentinum, *accidentium* nomen hic non usurpasse, sed *specierum*; ex quo inferunt Recentiores nonnulli, fide Catholica certum ac definitum non esse, agnoscenda esse solida & absoluta accidentia quæ sint à materia distincta sensu peripatetico; sed hoc unum hic ad fidem pertinere, totam scilicet panis & vini substantiam converti seu transmutari in substantiam corporis & sanguinis Christi: species verò seu accidentia remanere, sensuum quidem judicio certissimum esse; verum quid sint, & in quo consistant species illæ seu accidentia, Ecclesiam non determinasse nec definisse. Quapropter quando Synodus Constant. Sess. 8. damnavit istam Wiclefi propositionem, *In Eucharistia non manent accidentia sine subjecto*, censura, inquiunt, non cadit præcisè in accidentia, quasi vellet Synodus errorem asserere illa negare, sed cadit in subjectum illorum accidentium, hoc est, in substantiam panis & vini, quam Wiclefus superesse dicebat. His præmissis, ad propositam Objectionem

Resp. dist. min. accidens non potest esse sine subjecto, lege ordinaria & naturali, concedo: extraordinaria & supernaturali, nego. At inhærentia, inquis, est essentialis accidenti; dist. inhærentia radicalis, aptitudinalis, ut vocant, & in actu primo, concedo: inhærentia actualis, nego. Idem dicendum de inhærentia respectu accidentis, quod de subsistentia respectu naturæ humanæ in Christo: sicut igitur natura humana in Christo propria sua & personali subsistentia caruit, quando hypostaticè unita fuit cum Verbo divino; ita & species, seu accidentia eucharistica, proprio suo subjecto, nempe substantiæ panis & vini, quæ non remanet post consecrationem, non inhærent. Quomodo id fiat, nescio, mysterium est. Ita fieri, sensus ipsi renuntiant, & ita fieri Christus voluit, quia, ut jam diximus, nullum sensibile voluit operari miraculum, ut nempe fidem nostram exerceret, & accenderet amorem. Hæc ast communis ac pervulgata in Scholis sententia, cui inhærendum est; licet enim expressè definitum ab Ecclesia non fuerit, accidentia illa eucharistica absoluta esse & à materia distincta; Philosophi sensu; attamen longè magis accommodata videtur modo loquendi Ecclesiæ in præsenti mysterio, quàm recentior quorumdam philosophandi ratio, vel hoc uno titulo suspecta & rejicienda, quòd non satis cohæreat cum modo loquendi Ecclesiæ, à quo nulli Catholico recedere unquam licet,

I. Quia Concilium Tridentinum ait, Christum præsentem esse *sua qualibet specie*: sed per speciem haud dubiè intelligi non debet, impressio seu sensatio in organis excitata, sed aliquid ex parte ipsius Sacramenti. Quis enim, nisi absurdè, dixerit, Christus est realiter præsens sub visu, tactu, gustu &c.

II. Eucharistia verum est Sacramentum, & quidem in re permanenti, non verò in actione transeunte positum: at juxta explicationem adductam nihil assignari potest, quod habeat extra nos rationem Sacramenti; nullum quippe est signum sensibile permanens. Species enim, cùm non sint nisi variæ sensuum nostrorum modificationes, non habent esse permanens: ex quo sequitur, Christum in sacra pixide præsentem non esse sub specie panis, quando à nemine videtur; siquidem nulla tunc fit in sensibus modificatio, nulla impressio, adeoque nulla tunc species est, sub qua Christi corpus contineri dici possit: id verò pugnare videtur cum fide orthodoxa, quæ docet, Christum præsentem esse sub specie panis, quæ asservatur in sacra pixide, tum ut adoretur, tum ut ad infirmos deferatur.

III. Posita explicatione illorum Recentiorum, sequitur corpus Christi immediatè tangi, frangi & dividi, cùm dividitur hostia, quia nihil est, quo mediante frangi & dividi dicatur; species enim non sunt aliquid reale & physicum ex parte objecti seu Sacramenti, sed tantum ex parte potentiæ, ut ipsi ajunt: at absurdum est dicere corpus Christi immediatè in se tangi, frangi, dividi.

IV. SS.

IV, SS. Patres adversus Eutichianos disputantes, supposuerunt tanquam rem certam, facta consecratione remanere aliquod ens rationale & physicum à Christi corpore distinctum; atque hinc probant duplicem in Christo naturam integram & inconfusam, etiam post unionem remansisse. Rejicienda igitur est Recentiorum illorum peregrina & nova philosophandi ratio, quæ cum Theologiæ placitis non satis cohæret, ac receptum SS. Patrum & Conciliorum loquendi morem plane evertit: adde quod non minus difficile videatur exponere quomodo ens immediate in sensus nostros operetur supplendo efficientiam causarum physicarum, quam accidentia remanere sine proprio suo subjecto, & eodem modo sensus nostros afficere ac si remaneret substantia.

Instabis 1. Accidens definitur, Ens alteri inhærens; ergo inhærentia ipsi est essentialis: quod enim definitionem rei ingreditur, ad ejus naturam & essentiam pertinet.

Resp. dist. conseq. Inhærentia radicalis & aptitudinalis, seu in actu primo, concedo; inhærentia actualis, nego. Sic substantia definitur, Ens per se subsistens; & tamen privari potest sua actuali subsistentia, ut constat in mysterio Incarnationis.

Instabis 2. Concipi non potest quomodò quantitas, color, figura &c. sint sine subjecto quanto, colorato, figurato.

Resp. hanc mysteriorum fidei naturalem conditionem, ut omnem nostrum captum superent. Non concipiunt adversarii qui fieri possit ut una sit & indivisa in tribus divinis personis distincta natura, non concipiunt quomodo in Christo duæ naturæ uniantur in unica persona. An idcirco mysteria hæc neganda sunt cum Socinianis? Idem de mysterio altaris dicendum; remanet in eo quantitas panis sine propria panis substantia, & in hoc elucet maximè divina virtus, quæ idem præstat respectu quantitatis quam conservat, quod præstaret panis substantia si adesset: cætera vero accidentia, ut color, figura &c. sunt in quantitate, tanquam in suo proprio & immediato subjecto.

Instabis 3. Non magis potest accidens esse sine subjecto, sive proprio sive alieno, quàm substantia sine subsistentia aliqua, aut propria aut aliena: atqui istud postremum fieri non potest; ergo &c.

Resp. nego maj. Disparitas est, quia substantia quæ existit, singularis est; singularis autem redditur per subsistentiam, quæcunque illa sit: at accidens singulare non redditur per subjectum cui inhæret, adeoque existere potest absolute, Deo ita volente, sine ullo subjecto.

Instabis 4. Nullum accidens recipit in abstracto prædicationem concreti, sic v. g. color non dicitur coloratus: at si in Eucharistia remanent accidentia sine subjecto, accidens recipit in abstracto prædicationem concreti; nam in eo Sacramento, non tantum est color, sed etiam coloratum. Illud porro coloratum, quid est? non corpus Christi, quod ejusmodi accidentium est incapax; non substantia panis, quæ nulla supponitur; ergo nihil esset, quod certe videtur perabsurdum.

Resp. nego maj. Nam quantitas est accidens: at concretum in quantitate dicitur in abstracto, siquidem longitudo dicitur longa, latitudo lata, profunditas profunda. Revera color non dicitur coloratus, sicut quantitas quanta; quia nempe quantitas, ut mox dixi, est primum & immediatum cæterorum accidentium subjectum, quæ prius extendit partes suas, deinde partes substantiæ; adeoque color immediate quantitatem ipsam semper afficit, unde respectu valet in concreto denominatio colorati: color autem nunquam dicitur coloratus, qui semper inhæret in proprio subjecto, nempe in quantitate.

Instabis 5. Cum hostia dividitur & frangitur, vel corpus ipsum Christi, vel accidentia, vel ipsa panis substantia frangi dicitur. Non corpus Christi quod gloriosum est, & per modum spiritus in hoc Sacramento continetur, adeoque fractionis & divisionis incapax: non accidentia, quæ nec frangi, nec dividi possunt; ergo superest panis substantia, in quam solam possit fractio & divisio cadere.

Resp. de fractione & divisione corporis Christi in Eucharistia controversiam excitatam fuisse duodecimo Ecclesiæ sæculo, occasione verborum quæ leguntur in formola fidei à Berengario subscripta, quibus tanquam erroneam damnat opinionem eorum, qui asserunt *corpus Christi non posse sensualiter nisi in solo Sacramento manibus Sacerdotum tractari, vel frangi, aut dentibus fidelium atteri*; aliis cum Petro Abaelardo contendentibus, fractionem illam in solas species cadere; aliis cum Waltero Abbate regalis Monasterii S. Victoris Parisiensis, & Abbaudo pariter Abbate, in ipsum quoque Christi corpus cadere fractionem ac divisionem affirmantibus. Verùm prior opinio, secunda rejecta prævaluit; ab annis enim quadringentis Ecclesia in Prosa sanctissimi Sacramenti ab Angelico Doctore adornata, canit, *Nulla rei fit scissura, signi tantum fit fractura.*

Instabis denique: Quod plures sensus in se bene dispositi, ac aliis omnibus ad agendum requisitis instructi, uniformiter, & in omnibus, ac perpetuò testantur, id verum esse necesse est; aliàs nunquam sensibus credere possemus: atqui plures sensus, visus, tactus, gustus, odoratus, in se bene dispositi &c. testantur in Eucharistia esse verum & naturalem panem, non tantùm ejus accidentia; ergo &c. Ita Albertinus L. 1. cap. 18.

Resp. dist. maj. nisi vel ratio, vel fides sensus corrigant & emendent, qui in rebus ad Religionem pertinentibus testes & judices idonei esse non possunt, concedo; si vel ratio, vel fides corrigant sensuum judicium, ut revera fit in præsenti mysterio Eucharistiæ, nego. Responsio patet ex probationibus Conclusionis.

Solvitur Objectio ducta ex eo quod panis Eucharisticus nutriat, corrumpatur &c. quod substantiæ proprium est, non accidentium; atque ex aliis absurdis quæ Novatores opponunt,

Objicies 1. Panis Eucharisticus retinet vim nutriendi corpus, alteratur & corrumpitur, atque ex ejusmodi alteratione & corruptione nova fit generatio: hæc omnia experientia certa sunt & explorata. Atqui substantiæ proprium est nutrire, nutritio enim fit conversione unius substantiæ in substantiam alterius: pariter generatio fit in substantia & ex substantia, igitur necesse est in Eucharistia post consecrationem remanere non sola panis accidentia, seu veram & naturalem ejus substantiam.

Resp. substantiæ quidem in suo naturali ordine consideratæ, quando remanet, proprium esse nutrire, alterari, corrumpi, generari &c. sed cum mutata rei substantia, sola remanent accidentia, & iidem tamen naturales effectus sequuntur, qui sequerentur si adesset substantia, dicendum est, vel Deum per se ipsum eosdem effectus producere, vel accidentibus dare virtutem eos producendi. Cum enim, ut jam non semel observatum fuit, Deus in mysterio altaris nullum sensibile miraculum operari voluerit, sed totus latere, ad ad fidei nostræ exercitium, necesse fuit ut permitteret, peracta consecratione simbola Eucharistica easdem omnino in sensus nostros impressiones facere, eosdemque effectus ex iis sequi, ac ante consecrationem. Porro divinæ potentiæ non deest modus eosdem effectus producendi, quos ipsa produceret panis substantia, si adesset. Namque dici potest, ut mox dictum est, vel Deum per se ad præsentiam symbolorum Eucharistiæ cor-

pora

pora nostra nutrire & sustentare: qui enim ea ex nihilo produxit, potest haud dubie ex se nutrire & conservare; vel Deum accidentibus dare virtutem nutriendi &c. vel denique, corruptis accidentibus, cùm ab iis recedit corpus Christi, Deum priorem restituere substantiam per quam fiat nutritio; neque enim difficilius est eam iterum producere, quàm de novo creare. Ut ut sit, effectus illos produci fatemur; modum productionis ignoramus, quia mysterium est.

Objicies 2. Dogma præsentiæ realis multa secum absurda trahit, quæ Deo indigna sunt, v. g. Christum in pixide concludi, manducari, conculcari, corrumpi, à muribus corrodi, igne consumi &c. quæ tot absurda planè sunt.

Resp. cum Apostolo 1. Cor. 1. v. 25. *quod stultum est Dei*, id est, quod videtur nobis stultum, *sapientius esse hominibus.* Et verò non aliis ferè argumentis Pagani olim impugnabant & irridebant mysterium Incarnationis, quòd dicerent Deo indignum esse utero mulieris includi, per varios ætatis gradus transire, unde per irrisionem Deum *bimestrem*, *trimestrem* appellabant, in cruce tanquam sceleratum interfici, unde crucis mysterium Gentibus stultitia visa est, ac Judæis scandalum fuit, *sed vocatis Judæis & Græcis*, inquit S. Paulus citato c. v. 23. *virtus Dei fuit ac sapientia.* Contemnenda igitur sunt leviora illa Novatorum argumenta, atque quod olim S. Augustinus Platonicis in causa resurrectionis Lib. 22. de Civitate Dei cap. 11.
To. 7. p. 674. E. dicebat, illis reponendum, *Ecce quibus argumentis omnipotentia Dei humana contradicit infirmitas, quam possidet vanitas.* Vel quod Arianis contra divinitatem Verbi arguentibus respondebat Lib. de Agone
T. 6. p. 253. D. Christiano c. 16. *Nesciunt quid loquuntur, & de his rebus, quas per oculos carneos videre consueverunt, vanas imagines ad disputationes suas transferunt.*

Igitur nulla omnino sunt prætensa illa absurda, quæ tanto studio adversus dogma præsentiæ realis urgent Novatores. Non enim in seipso immediatè comeditur corpus Christi, non corrumpitur &c. sed ista omnia in species sacramentales immediatè recidunt, & sicut Deo indignum non fuit, in corpore mortali includi, nasci, pati, mori; sicut nec Deus corrumpitur in rebus corruptibilibus in quibus est, sicut non inficitur nec inquinatur sordibus, quibus per immensitatem præsens est, ita corpus Christi gloriosum immediatè in se non comeditur, non frangitur, non corrumpitur.

Objicies 3. Absurdum est dicere, panem fieri seu converti in Deum, atqui si obtineat dogma præsentiæ realis & transubstantiationis, verum est dicere, panem fieri, seu converti in Deum; convertitur enim in Christum, qui verus est Deus.

Resp. dist. maj. Absurdum est dicere, panem converti in Deum, conversione formali & immediata, esto: conversione mediata quæ fiat tantùm propter naturalem concomitantiam, nego. Dist. min. ad sensum maj. Panis igitur immediatè vi verborum Christi formaliter convertitur in corpus Christi; corpus autem non est formaliter homo, sed tantùm pars hominis: quia verò corpus Christi hypostaticè unitum est Verbo divino, consequenter ac per concomitantiam & mediatè panis convertitur in Christum, adeoque in Deum, sed conversione, ut dixi, mediata, & ratione concomitantiæ naturalis, non immediata & formali. Unde falsa est ista propositio, *Panis est Christus, Panis est Deus*, tum quia non amplius remanet panis, facta consecratione; tum quia immediata & formalis conversio panis fit in corpus Christi, & in Christum tantùm per concomitantiam, seu unionē naturalem omnium partium Christi.

Objicies denique: Videtur inutilis realis Christi in Eucharistia præsentia.

I. Quia quidquid utilitatis ex ea ad homines derivari potest, per nuda signa à Deo instituta potest haberi.

II. Baptismus gratiam regenerantem confert, etiamsi aqua non convertatur in Spiritum sanctum; ergo pariter symbolum panis, fidem nostram excitando, potest animas nostras spiritualiter nutrire, quamvis non mutetur in proprium corpus & sanguinem Christi.

III. Qui sola fide in symbolo panis Christum recipiunt, in fructum passionis Dominicæ consequuntur: è contra qui Christum reipsa in Eucharistia sine fide percipiunt, nullum inde fructum reportant; nihil igitur prodest realis Christi præsentia in Sacramento.

Resp. nego antecedens.

Ad primam probationem dico simili argumento probaturum Paganum, vel Socinianum, inutilem fuisse Christi Incarnationem, passionem & mortem; superflua omnia Sacramenta, quibus veluti instrumentis ac canalibus utitur Deus, ut suam nobis communicet gratiam. Quid ita? quia, juxta propositum ratiocinium, sola sua voluntate potuit Deus ea omnia operari: ad quid igitur ea instituit? Etsi igitur potuisset Christus per nuda symbola, si voluisset, eosdem in nobis operari effectus, quos per realem sui præsentiam, non tamen ita voluit; ejus igitur voluntas in Scripturis expressa exploranda est. Adde, quòd plures, easque eximias causas enumerant SS. Patres, ob quas voluit Christus seipsum substantialiter præsentem nobis dare in Sacramento Eucharistiæ, tum in signum ardentissimi amoris; tum ad incorporationem substantialem nostri cum ipso; tum ad immortalitatis pignus, ac veluti sigillum corporibus nostris imprimendum; tum aliis ob rationes, de quibus Theologi, ubi de effectibus Eucharistiæ.

Ad secundam, disparitas est, quia Baptismus est Sacramentum regenerationis, Eucharistia verò nutritionis: at regeneratio non postulat contactum substantiæ inter generantem & genitum, sicut nutritio inter alimentum & viventem. Præterea substantia corporea nunquam mutari potest in spiritum; sunt enim è diametro opposita; at substantia una corporea potest mutari in aliam substantiam corpoream, licèt non existat modo corporeo & extenso. Atque ita aqua mutari non potest in substantiam Spiritus sancti, id est, in divinitatem: id quippe fingere, absurditas est omni sensu destituta; at substantia panis mutari potest in substantiam corporis Christi, sunt enim in eodem ordine corporeæ substantiæ, etsi corpus Christi non sit modo corporeo, visibili & extenso in Sacramento Eucharistiæ; sed modus ille naturam substantiæ non immutat.

Ad tertiam, nego consequentiam, quia etiamsi fides in Christum prosit absque sumptione reali corporis Christi, hæc verò sumptio corporis non prosit sine fide, fatendum tamen est, fidem simul & sumptionem realem corporis Christi, plus emolumenti spiritualis afferre suscipienti, sicut plus profuit B. Virgini fide & corpore Christum concipere, quàm si sola mente per fidem concepisset.

ARTICULUS VI.

An facta sit in fide circa præsentiam realem insensibilis quædam mutatio nono Ecclesiæ sæculo, ut fabulantur Novatores Albertinus & Claudius.

JAm suprà observatum fuit, non consentire inter se Novatores in assignando primo dogmatis præsentiæ realis auctore. Blondellus assignat Anastasium Antiochenum, circa annum Christi 636. sicut & Epiphanium Diaconum VIII. sæculo in Concilio generali Niceno II. Actione 6. Audacior Claudius contendit primum hujusce dogmatis parentem fuisse Paschasium Radbertum Corbejensis Monasterii Abbatem, in Libro, quem de corpore & sanguine Domini scripsit circa

annum

annum Christi 831. ejusque doctrinam, faventibus sæculi decimi tenebris, quo scelus & ignorantia in totam Ecclesiam exundarunt, omnium animos sensim occupasse, ac tam altas egisse radices usque ad initium sæculi undecimi, ut Berengarium, qui primævam fidem (ut Claudius fingit) excitare conatus est, tanquam Novatorem & hæreticum hominem exagitaverint. En fabella qua Claudius suos decepit ac decepit.

E contra omnes Catholici contendunt, doctrinam realis præsentiæ ipsi Ecclesiæ coævam esse, semper, ubique & ab omnibus admissam: unde concludunt, & Berengarium undecimo sæculo, & Lutherum ac Calvinum decimo sexto, in fide innovasse, ac meritò universam in se tanquam Hæreticos Ecclesiam concitasse.

CONCLUSIO.

Fabulosa est ac prorsus impossibilis mutatio illa insensibilis, quam in fide circa Eucharistiam nono Ecclesiæ sæculo factam fuisse Novatores somniarunt.

Probatur 1. argumento generali; sed aperto ac simplici, Scilicet. Omnis in avita fide immutatio, sua novitate semper perturbat, & universam commovet Ecclesiam. Ubi primùm Arius christo, Macedonius Spiritui sancto divinitatem detrahere; Nestorius duas in christo personas, Eutyches unam naturam contra publicam & receptam fidem prædicare tentarunt, universa statim insurrexit ac reclamavit Ecclesia; commoti Episcopi, divisi ab Hæreticis Catholici: rupta, non sine magno animorum æstu, inter illos communio; excitata odia, dissidia, jurgia; coacta denique Præsulum concilia, quibus & repressa novitas fuit, & veritas fidei asserta & vindicata. Atqui nihil tale contigisse legimus vel in Historicis, vel in aliis Scriptoribus noni sæculi, quando Paschasius Librum suum de veritate corporis & sanguinis Domini anno 831. evulgavit, & anno 844. ad Carolum Calvum direxit, cum Abbas Corbejensis electus fuit: nullus adversus illum insurrexit Episcopus; nullum Concilium, ut damnaretur, convocatum; nullæ illius occasione excitatæ turbæ, tumultus nulli; id verò moraliter impossibile esse judicabit quisquis vel minimum habuerit rerum humanarum usum, & ad nativam ingenii humani conditionem vel leviter attenderit; præsertim verò in mysterio Eucharistiæ, quod non ad meram fidei speculationem, sed ad usum & praxim quotidianam pertinet, sumendo, adorando. In hypothesi autem Calviniana necesse est supponere, Fideles novem sæculorum tractu credidisse Christum in Eucharistia realiter præsentem non esse, sed ab illa absentem, nec consequenter adorandum: medio verò sæculo nono de repente mutatam esse fidem illam, de uno extremo transitum factum esse ad aliud extremum, à neganda scilicet præsentia reali, ad illam agnoscendam; à non adoranda Eucharistia, ad illam adorandam. Quis verò facilè in animum suum induxerit, populum Christianum in rebus ad Religionem pertinentibus adeo tenacem ac fervidum, patienti ac tranquillo animo sustinuisse, se ad novam fidem novumque adorationis cultum transferri? Quis crediderit Summos Pontifices, Episcopos, Pastores, universam denique Ecclesiam tunc temporis obdormisse ac siluisse?

At, inquit Claudius, mutatio illa non simul, nec splendidè, sed per gradus, sensim ac clanculum facta est. Quis non rideat! Paschasius simplex Monachus, Librum scribit in gratiam juniorum Saxonum, qui recens ad fidem conversi fuerant: Opus suum Varino Abbati suo Corbejensi nuncupat, tum illum recognitum dirigit ad Carolum Calvum Francorum Regem. In eo Libro novum & hactenus (ut Claudio placet) inauditum dogma præsentiæ realis proponit, nemine contradicente ac reclamante, absque ullo prævio miraculo, absque præsidio Magnatum, ullo fucato doctrinæ apparatu, aut conquisito discipulorum numero, absque ulla coitione ac dolo; verbo dicam, absque illis artibus & machinationibus, quæ Novatoribus adeo familiares sunt; & tamen novum illud dogma ab anno 844. quo primùm evulgatur, usque ad annum 865. quo Paschasius vivere desiit, ac toto sæculi decimi decursu, infinitorum penè hominum animos, Græcorum, Latinorum, reclamante nemine, placidè ac pacificè pervasit & occupavit. O stupendum & nusquam auditum prodigium! Tali privilegio caruit Christianæ Religionis propagatio: caruere Apostoli virique Apostolici, tot laboribus, persecutionibus ac suppliciis ad mortem usque attriti.

Imò, quod mirandum, cùm Berengarius sæculo undecimo doctrinam Paschasii circa præsentiam realem ab uno duntaxat sæculo inductam cœpit impugnare, undequaque, fatentibus ac frementibus Calvinianis, universa reclamante Ecclesia, oppugnatus, multisque in Conciliis tanquam Hæreticus damnatus & proscriptus fuit. Quidni pariter reclamasset Ecclesia, quando Paschasius novum realis præsentiæ errorem, contra fidem novem sæculorum spatio confirmatam, juxta Calvinistas, induxit? Cur tam durè exagitatus Berengarius, qui avitam, ut putat Claudius, doctrinam revocabat; & tam benignè; imò & honorificè exceptus Paschasius, qui novum disseminabat errorem.

Obstabat, reponit Claudius, cæcitas, ignorantia & depravatio decimi sæculi, obscurum ac tenebrosum, si quod unquam fuit, Ecclesiæ sæculum. Verùm ita sit; an idcirco universa tunc temporis defecerat Ecclesia, columna illa veritatis adversus quam portæ inferi non prævalebunt; quæ errorem dissimulare non potest nec facere, judice ipso S. Augustino Epist. 55. ad Jan. aliàs 119. n. 35. *Ecclesia Dei*, inquit, *ea quæ sunt contra fidem vel bonam vitam, nec approbat, nec tacet, nec facit*, Neque porro tenebroso illi sæculo sua defuere lumina: Romæ, Stephanus VIII. Leo VII. Marinus, Agapetus II, Pisis in Tuscia, Theodoricus & Grimoaldus; Bergomi, Adelbertus; Fesulis, Zenobius; Cæsenæ, Sergius; Patavii, Petrus & Gauselinus; Veronæ, Notherius. In Germania, Coloniæ, Bruno; Moguntiæ, Willelmus; Treveris, Henricus; Hildeshemii, Bernardus & Godardus; Augustæ, S. Udalricus dictus *Gemma Sacerdotum*; Magdeburgi, Adalbertus. In Anglia, S. Dunstanus, Odo Cluniacensis. In Galliis, Fulco, & alii qui labente sæculo nono & initio decimi vixere; Fulbertus Carnotensis, qui cum aliis Episcopis interfuit Concilio Aurelianensi anno 1017. in quo damnata fuit impietas nonnullorum Manichæorum, qui negabant veram esse Christi carnem in Eucharistia, Stephanus Æduensis Episcopus circa annum 950. Librum scripsit in Canonem Missæ, ubi nitidè ac luculenter fidem Ecclesiæ circa realem præsentiam exponit. Ea ætate floruere vitæ monasticæ reparatores celeberrimi, Romualdus Camaldulensium pater; Majolus, Odilo & Odo Cluniacensium primi Abbates, & alii non pauci pietate ac zelo Religionis illustres. Denique extant egregia hujus ætatis monimenta vigilantiæ Episcoporum in servanda disciplina; extant frequentia Concilia, leges ac statuta ad fidei & morum conservationem. Lege Tomum 9. Concil. Labb. ubi hæc omnia typis exarata reperies.

Tom. 2. p. 342. F.

Tom. 9. Conc. Labbe.

Probatur 2. absurdam & impossibilem esse mutationem illam in fide circa Eucharistiam, quam Claudius excogitavit, ex perfecta consensione ac concordia Ecclesiæ utriusque, Græcæ ac Latinæ, cujus invicta & illustria monumenta reperies in Opere, cui titulus, *Perpetuité de la foi Catholique sur l'Eucharistie*, quæ testimonia auxit, amplificavit & à cavillationibus Novatorum vindicavit clarissimus Renodotius, quorum omnium summam exhibet nobis Liber, cui titulus, *Apologie pour les Catholiques*, adversus Jurieum,

ibi

ibi quænam sit fides Patriarchatus Constantinopolitani, Alexandrini, Antiocheni, Hierosolymitani, Maronitarum, Armanorum, syrorum, Cophtorum, Jacobitarum & Nestorianorum, ex certissimis illarum Ecclesiarum monumentis deprehendes. Lega & Librum Richardi Simon cui titulus, *De la creance de l'Eglise Orientale sur la transubstantiation*, nec omittendum Opus egregium Doctissimi Patris le Brun, quatuor tomis distinctum cui titulus, *Explication litterale, historique & dogmatique des prieres & des ceremonies de la Messe. Parisiis apud de Lauline.* Duos tomos, secundum & tertium, insumit Auctor in referendis ac perlustrandis ecclesiarum fera omnium Liturgiis, ostenditque Ecclesias Orientales, tametsi schismate vel hæresi à Romana divisas, imo & inter seipsas circa nonnulla fidei capita discordes, in dogma tamen transubstantiationis & realis præsentiæ Christi in Eucharistia, summa consensione omnes conspirare. Tomo tertio, dissertatione 12. integra, quasi resumens ac recolligens quæcumque antea dixerat, illarum omnium Liturgiarum, quantum ad id quod essentiale est sacrificio, conformitatem et consonantiam demonstrat. Illustre confessionis Græcorum circa dogma catholicum transubstantiationis ac præsentiæ realis argumentum profert Tomo secundo pag. 418. & sequentibus, quæ confessio à Petro Russorum Patriarcha Græcis ritibus addicto, in gratiam dumtaxat suorum popularium sub nomine *Confessionis Russorum* primo cusa fuerat, quam postea quatuor Græcorum Patriarchæ, Constantinopolitanus, Alexandrinus, Antiochenus & Jerosolymitanus cum aliis novem Episcopis aut Archiepiscopis adoptarunt suamque fecerunt anno 1643. Quapropter cum Calvinistæ, animo explorandi quænam foret Græcorum sententia circa Eucharistiam, Confessionem Augustanam ad eos misissent, illud Jeremiæ Patriarchæ Constantinopolitani responsum habuerunt an. 1570. "Multa de vobis referuntur, „quæ à nobis nullo pacto probari possunt. Ecclesiæ igi„tur sanctæ illud judicium est, in sacra Cœna post con„secrationem & benedictionem, panem in illud ipsum „corpus Jesu Christi, & vinum in illum sanguinem vir„tute Spiritus sancti transire ac immutari." Quæ fidei professio confirmata fuit à Synodo Græcorum Jerosolymitana an. 1668. & altera Bethleemitica an. 1672. quarum authentica instrumenta asservantur Lutetiæ in Bibliotheca S. Germani à pratis, & referuntur Tomo primo & secundo Perpetuitatis fidei circa Eucharistiam.

Inde facile judicabis, quam vile sit ac contemnendum testimonium Cyrilli Lucaris, qui fraudibus, quibus sedem Constantinopolitanam invasit, & illud etiam crimen eddidit, quod turpis lucri avidus, ac pecunia seductus, Batavo apud Turcas Legato hæreticam professionem privatum dederit sub nomine Ecclesiæ Orientalis: sed ipso à Sede dejecto & laqueo suffocato, successor ejus Cyrillus Beroensis in Synodo 23. Episcoporum anno 1638. anathema dixit Cyrillo dogmatisanti & non credenti panem & vinum transmutari in corpus & sanguinem Christi: quod judicium confirmavit Parthenius Cyrilli successor in Synodo 25. Episcoporum ann. 1642. cui judicio adhæserunt tres Patriarcha, Alexandrinus scilicet, Antiochenus & Jerosolimitanus.

Denique perfecta illa Græcorum & Latinorum circa dogma realis præsentiæ concordia inde magis elucescit, quod nec Latini Græcis, nec Græci Latinis, quoties inter illos pax & unio tentata fuit vel inita, seu Logduni anno 1274. seu Florentiæ anno 1439. errorem circa præsentiam realem sibi mutuo exprobaverint; nulla inter illos de hoc capite quæstio excitata, controversia nulla, nequidem à Photio schismatis, quod adhuc perseverat, auctore: unde Latini, coram Græcis, & Græci spectantibus Latinis, suo quisque ritu, sacra
P. 193. mysteria pacifice celebrarunt. Eugenius IV. S. P. Florentiæ, Græcis & Latinis astantibus & simul adorantibus, sacrificium Missæ perfecit. Jamdiu antea, referente Eusebio L. 5. Hist. cap. 24 cum Polycarpus occasione dissidii circa diem celebrandi paschatis Romam venisset, Anicetus S. P. in Ecclesia consecrandi munus honoris causa illi permisit. Pariter Joannes Papa I. Theodorici Italiæ Regis ad Justinum Imperatorem Legatus, à Patriarcha Epiphanio rogatus die ipsa solemnitatis Paschæ Constantinopoli Missam celebravit an. 525. S. P. Agapetus anno. 536. Constantinopoli Mennam Patriarcham consecravit in locum Anthimii, quem deposuit; quin & Vigilius S. P. sæpius in eadem Ecclesia Sacris operatus est. Plure hujusmodi alia exempla missa facimus: si autem divisi fuissent Latini à Græcis circa fidem præsentiæ realis, quis credat & Latinos coram Græcis & Græcos coram Latinis, nemine reclamante ac contradicente, Sacra perfecisse, omnibus simul ex utraque parte Christum realiter præsentem adorantibus?

Probatur 3. ex ipso Paschasio, quem velut Novatorem Calvinlani traducunt, & ætate sua oppugnatum fuisse contendunt à Rabano, Rattamno &c.

ARTICULUS VII.

De Paschasio, Rabano, Ratramno, Joanne Scoto.

Paschasius

ABbas Corbejensis. Profitetur ille in suo Libro se antiquam Ecclesiæ fidem propugnare; ac mirari, quod ex rumore quodam didicerat, nonnullos esse qui e contrario contrarium docerent. *Miror*, inquit Lib. 12. Commen. in Matth. "quid velint „nunc quidam dicere, non in re esse veritatem carnis „Christi vel sanguinis; sed in Sacramento virtutem „carnis & non carnem, virtutem sanguinis & non san„guinem; figuram & non veritatem, umbram & non „corpus. *Et paulo post.* Audivi quosdam me re„prehendere, quasi ego in eo Libro quem de Sacra„mentis ediderem Christi, aliquid his dictis plus tri„buere voluerim, quam ipsa repromittit veritas, ti„mentes forte, quod ipsi tunc timuerunt quibus lo„quebatur [*Christus*] partes facere voluerim & ejus „per singulos membra dividere concisa & dispertita, si„cut illi tunc putarunt qui scandalisati dicuntur, & ab„ierunt retrorsum." Ita Paschasius falsam suæ sententiæ nonnullorum interpretationem à se depellit. Biblioth. PP. T. 14. pag. 668. Ibid. H.

Et in Epistola ad Frudegardum, quam versus annum 860. scripsit, eosdem obtrectatores notat ac refellit, suamque sententiam appellat, *fidem Sanctorum*; eos vero qui illam impugnant, affirmat contra ipsum Dominum & contra Ecclesiam agere. *Videas*, inquit Exp. in illud Matth. "Cœnantibus autem &c. qui contra „hoc venire voluerit.... quid agat contra ipsum Domi„num, & contra omnem Christi Ecclesiam. *Ibidem*: „Ideo, *inquit*, quamvis quidam de ignorantia errent, ne„mo tamen est adhuc in aperto, qui hoc ita esse contra„dicat, quod totus orbis confitetur & credit. *Paulo ante* „*dixerat*: Nefarium ergo scelus est, orare cum omnibus „& non credere quod ipsa veritas testatur, & ubique „omnes universaliter verum esse fatentur." Ex ignorantia igitur sive dogmatis ipsius, sive Paschasii sententiæ, nonnulli obscuri homines, in occulto, non *in aperto* Paschasio contradicere ausi sunt; adeo scilicet pervulgata & communis erat ejus circa præsentiam realem fides ac doctrina, ut nemo publice ac impune contradicere auderet. Solus Berengarius, sæculo undecimo, Paschasium virum *ineptum, erraticum, & erraticorum ducem* appellare ausus fuit, quem Lupus Abbas Ferrariensis ea ætate vir celeberrimus, Ep. 56. & 57. appellat *dilectissimum, & bonis omnibus amplectendum*; quem Engelmodus Episcopus Suessionensis in carmine ad Rad- (Ibid. p. 711. G. — Ibid. p. 718. E. — Ibid. — Ibid. — P. 98. & seq.)

Biblioth. PP. T. 14. pag. 333. Tom. 7. Conc. p. 1848.

ad Radbertum Abbatem vocat *decus & lucem mundi*, *Ecclesiæ columen*, *fidei fortissimum umbonem*; quem Patres Concilii Parisiensis an. 845. *venerabilem fratrem* nuncupant. Scilicet convitia Hæreticorum in Catholicos, in laudem & commendationem doctrinæ illorum convertuntur.

Dices 1. Fatetur ipsemet Paschasius in laudata ad Frudegardum Epistola, sibi nonnullos adversatos fuisse; alios vero ad intelligentiam hujus mysterii à se commotos seu excitatos: tandem ibidem suum de corpore & sanguine Christi Librum examini & correctioni subjicit. *Tu autem*, inquit, *velim relegas libellum nostrum de hoc opere quem olim te legisse dicis: & si quid in eo deprehenderis aut dubitaveris, relegere non pigeat: Quia et si nihil in eo legentibus dignum scripsi, quem cuilibet puero dedicavi, tamen ad intelligentiam hujus mysterii plures, ut audio, commovi.*

P. 1555. H.

Resp. ad primum, distinguo: Nonnulli obscuri nominis homines *ex ignorantia*, rudes & imperiti, in obscuro, non in aperto adversati sunt Paschasio, concedo: viri celebres ac noti, eruditi in scientia fidei, nego. *Quidam*, inquit Paschasius Exposit. in illud Matth. *Cœnantibus illis &c. loquacissimi, magis quam docti, dum hæc credere refugiunt, quæcunque possunt, ne credant quæ veritas repromittit, opponunt, & dicunt nullum corpus esse, quod non sit palpabile & visibile.... Ecce quam bene disputant contra fidem sine fide.* Deinde adeo obscuri erant ii quibus nova videbatur Paschasii de præsentia reali doctrina, ut nonnisi ex incertis rumoribus didicisset se in aliquorum reprehensionem venisse, sicut ipsemet declarat verbis antea laudatis ex L. 12. Comment. in Matth.

Ad secundum, dist. multi Libro Paschasii excitati sunt & commoti, ad pleniorem nostri mysterii explicationem ac notitiam, concedo: excitati sunt & commoti, id est novitate doctrinæ turbati, iterum distinguo: quantum ad aliqua præsentiæ realis consectaria, quæ ad substantiam dogmatis non pertinent, concedo: quantum ad substantiam ipsam præsentiæ realis, nego. Solutio mox fiet manifesta.

Ad tertium: Laudanda potius modestia Paschasii, quam incusanda fides, eo quod Librum suum examini subjici non recuset: quam multa enim etiam maxime attentis Scriptoribus circa mysteriorum explanationem excidere possunt non satis accurata & castigata, tametsi salva sit & integra illorum fides?

Controversiæ circa Eucharistiam non fuerunt de ipsa præsentia.

Dices 2. Certum est nono Ecclesiæ sæculo, quo floruit Paschasius, nonnullas circa Eucharistiam excitatas esse controversias, atque Paschasium sibi adversantes expertum esse plerosque coætaneos viros eruditos, Rabanum Maurum, Heribaldum Antissiodorensem, Ratramnum, Joannem Scotum seu Erigenam &c.

Resp. dist. ant. Certum est nono sæculo nonnullas circa Eucharistiam excitatas esse controversias, incidentes & accidentales, quæ ad substantiam dogmatis realis præsentiæ non pertinent, concedo; essentiales, quæ pertinent ad substantiam dogmatis realis præsentiæ, nego.

Tria potissimùm capita in controversiam venerunt, tanquam consectaria realis præsentiæ: nempe

I. An idem omnino corpus esset Christi in Eucharistia, quod è Maria Virgine natum est, cruci affixum &c.

II. An sit in Eucharistia velum aliquod, signum, figura, quâ corpus Christi obtegitur; an verò ipsæ species externæ sint ipsummet corpus Christi, quod idcirco dicitur videri, tangi, dentibus atteri.

III. An corpus Christi Eucharisticum corruptioni, secessui, seu dejectioni, cæterorum alimentorum more, obnoxium sit; qui fœdus dicitur Stercoranistarum error.

Circa primum, Paschasius docuit, idem omnino corpus Christi esse in Eucharistia, quod ex Maria Virgine natum est, cruci affixum, à mortuis suscitatum: qua ex parte adversarios habuit Rabanum, duos Anonymos, unum quem Cellotius edidit ad calcem Historiæ Gothescalci, quemque Sigebertus & alii volunt esse Herigerum Abbatem Lobiensem in Belgio; alterum vero Gemblacensem: Florum Lugdunensem, Ratramnum, Herigerum &c. qui omnes contendebant aliud esse corpus Christi sacramentale, aliud vero naturale. Ratio ipsis erat. 1. quia corpus Christi naturale ex purissima beatæ Virginis Mariæ carne perfectum fuit; corpus vero Christi sacramentale fit ex pane & vino 2. quia naturale corpus Christi certam habuit molem & extensionem, minorem quidem in puero, in adulto majorem, quæ per nutritionem incremento, per spirituum vero seu subtilioris substantiæ effluxum & expirationem decremento obnoxium fuit, donec tandem in Cœlo gloriosum nulli amplius mutationi subjacet; qua profecto mole ac extensione caret corpus Christi in Eucharistia. Non ergo, concludebant, idem est corpus Christi in Eucharistia, quod ex Maria Virgine natum est, cruci affixum &c.

Sententia Paschasii de corpore Christi in Eucharistia. An idem sit quod ex Maria Virgine natū est; Sententia contra quā Paschasii impugnabant. Momenta quibus nitebantur.

Ex altera vero parte Paschasii sententia firmis nitebatur fundamentis. 1. verbis Christi dicentis, *Hoc est corpus meum quod pro vobis tradetur*, vel, *traditur. Hic est sanguis meus, qui pro vobis effundetur*, vel, *effunditur*. Ergo idem est corpus Christi in Eucharistia, quod cruci affixum fuit; idem sanguis qui effusus est. 2. auctoritate veterum SS. Patrum, quos laudavimus supra Qu. Art. 4. argumento secundo ex traditione ducto pro reali & substantiali præsentia Christi in Eucharistia, qui omnes diserte profitentur corpus quod est in Eucharistia, idem ipsum esse substantia & natura, quod natum est ex Maria Virgine, affixum cruci &c. Hoc ipsum ut profiteretur, adductus fuit ipse Berengarius subscribens formulæ fidei Concilii Romani anno 1079. 3. quia unicum est corpus Christi verum ac naturale, non duplex; sicut unus est Christus, non multiplex.

Opposita Paschasii sententia. Momenta illius

T. 10. Conc. p. 378.

Verùm tota hæc disputatio in æquivoco & quæstione de nomine hærere visa est, nempe idem esse corpus Christi quoad substantiam & naturam, non idem quoad speciem, seu modum existendi, molem, quantitatem, circumscriptionem. Concessum erat ex utraque parte, idem esse quoad substantiam corpus Christi in Eucharistia, quod ex Maria Virgine natum est, cruci affixum &c. at non idem esse quoad speciem seu modum existendi. Ita hujus controversiæ nodum solvunt.

Lanfrancus in dialogo adversus Berengarium capite 18. *Verè*, inquit, *dici potest & ipsum corpus quod de Virgine sumptum est, & tamen non ipsum: ipsum quidem, quantùm ad essentiam, veræque naturæ proprietatem & virtutem; non ipsum autem, si spectes panis vinique speciem.*

Ed. parif. 1648. p. 244. col. 2. B.

Algerus pariter L. 1. cap. 17. *Hanc*, inquit, *duplicitatem non substantiæ, sed formæ Sacramenti, Sancti notaverunt, quoties de corpore Christi ipsum & non ipsum dixerunt; ut ipsum secundum substantiam, non ipsum secundum formam.*

Biblioth. PP. T. 21. p. 269. F. Hist. Gotesc. p. 245. c. 4. Sæc 4. Bened. pars. 2. p. 596.

Idem est Anonymorum, quos indicavimus, sensus, mens eadem. *Jam credo patere*, ait Cellotianus, *quod beatus Ambrosius dixit, eandem esse*, (carnem Christi) *ut subaudiatur* naturaliter; & Augustinus, & Hieronymus, & Fulgentius, *aliud esse*, *ut subaudiatur* specialiter. Alter verò Gemblacensis dictus sic loquitur: *Sententia Ambrosii, qui dixit, quòd ista caro Christi non est alia, quàm de Maria nata est, solummodo & valet, & debet intelligi, ut subaudiatur, naturaliter non est alia, quia non sunt carnes duæ, Ipsa est caro, quæ pro mundi vita offertur; ipsa, inquam, est naturaliter, ut sit tamen alia spiritualiter.*

Verùm, inquies, si ita est, Scriptores noni sæculi, qui Paschasium impugnarunt, aerem verberabant; vana erat & otiosa prorsus, nihilque serium habebat tota eorum disputatio: neque enim voluit unquam Paschasius, corpus Christi, quod in Eucharistia continetur, idem esse, quoad speciem, seu existendi modum, cum naturali ejus corpore, sed tantùm idem quoad substantiam; propter unionem illius cum eadem anima & divinitate Christi, unde repeti debet substantialis corporis ipsius unitas.

Resp. 1. Cum nondum ex ætate plene evoluta & cognita forent omnia præsentiæ realis consectaria, & aliunde nonnulla circumferrentur ex SS. Augustino & Hieronymo testimonia, quibus asserere videbantur aliud esse corpus Christi naturale, & aliud in Sacramento, Scriptores nonnulli Paschasium reprehenderunt, quod crude ac sine ulla distinctione dixisset, idem omnino esse corpus in Eucharistia, quod ex Maria Virgine natum est &c. *In hoc peccavit Paschasius*, ait Herigerus c. 6. *quod de sententia Ambrosii non verbum de verbo, sed sensum de sensu expressit*. 2. Cum Paschasius dixit *Eucharistiam figuram esse simul ac veritatem*; nonnullis occasionem procul dubio dedit suspicandi, figuram, seu species externas panis & vini in ejus mente ipsum esse corpus Christi, quod videtur, tangitur, dentibus atteritur, non quidem in specie humana, sed in figura panis; adversus quam sententiam quæ nonnullos ea ætate defensores habuisse videtur, merito insurrexerunt nonnulli sæculi noni Scriptores, sive reipsa ita docuerit Paschasius, sive ita docuisse visus fuerit: revera etenim species illæ panis & vini non sunt corpus Christi, sed illud sub se obvelatum continent; quamquam ex dicendis paulò infrà, ubi de Ratramno, patebit, meram hanc fuisse de nomine quæstionem, ortam ex obscura nonnullorum loquendi ratione.

Apud Collet. p. 147.

Circa secundum, patet ex mox dictis responsio, & clariùs adhuc ex dicendis patebit.

Circa tertium, an corpus Christi quod in Eucharistia continetur, secessui obnoxium sit, ita ut corruptis speciebus & ipsum quoque corpus Christi corrumpatur, quæsitum aliquando fuit: quæ quidem quæstio, juxta nonnullos, videtur locum dedisse fœtido Stercoranistarum errori, cujus Amalarius Abbas primum Metensis, tum Chorepiscopus Lugdunensis accusatur à Maugui-no Tom. 2. *Vindiciarum prædestinationis & gratiæ* & ab Auctore *Perpetuitatis fidei circa Eucharistiam* T. 1. L. 8. c. 11. Fundamentum accusationis istud est. Rogatus à Guntario Amalarius, *quid fiat de corpore Domini, postquam in stomachum receptum est*, sic reposuit: *Ita sumptum corpus Domini bona intentione, non est mihi disputandum, utrum invisibiliter assumatur in Cœlum, an reservetur in corpore nostro usque in diem sepulturæ, aut exhaletur in auras, aut exeat de corpore cum sanguine, aut per poros emittatur, dicente Domino*, Omne quod intrat in os, in ventrem vadit & in secessum mittitur. *Hoc solùm cavendum est, ne corde Judæ sumatur illud, & ne contemptui habeatur: sed discernatur saluberrimè à communibus cibis.*

Amalarius.

Verùm leve admodum videtur fundamentum istud impacti Amalario erroris Stercoranistarum. Varios ille modos proponit, quibus exponi potest quid fiat de corpore Christi postquam *in stomachum receptum est*; ex illis autem nullum adoptat aut sequitur Amalarius, ratus viro pio ac catholico sufficere, si pura conscientia corpus Christi percipiat, ac credat panem Eucharisticum non esse *cibum communem*, quo ano non obscurè significat, cœlestem illam Eucharistiæ alimoniam, communi aliorū ciborum sorti ac conditioni obnoxiam non esse; atque hujuscemodi quæstiones à Guntaro propositas, plus habere noxiæ ac periculosæ curiositatis, quàm pietatis & ædificationis. Interim verò, quidquid sit de illo crasso & fœtido Stercoranistarum errore, an revera fuerit ab aliquibus nono sæculo propugnatus, vel non; certò constare debet, tum ex hac ipsa opinione, tum ex statu controversiæ quem exposuimus, falsò prorsus asseruisse recentiores Calvinianos, doctrinam Paschasii circa realem Christi in Eucharistia præsentiam, à Scriptoribus noni sæculi oppugnatam fuisse; etenim nulla inter illos de substantia dogmatis fuit quæstio, sed tantùm de modo, seu de nonnullis ex dogmate præsentiæ realis consectariis. Quin & ipsimet Stercoranistæ, si qui fuerunt, quod hic non expendimus, eo ipso corpus Christi præsens esse in Eucharistia crediderunt, quo ipsum in secessum abire turpiter arbitrati sunt.

Ut verò clariùs adhuc innotescat, impugnatam à Scriptoribus noni sæculi non fuisse doctrinam Paschasii circa realem & substantialem Christi in Eucharistia præsentiam, juvat hic aliquorum ex illis expendere sententias.

Rabanus Maurus.

Discipulus fuit Alcuini, tum Fuldensis Monachus, demum Archiepiscopus Moguntinus ab anno 847. ad annum 856. quo mortuus est.

Baronius eum *fulgentissimum Ecclesiæ sidus* appellat; & Trithemius ait virum fuisse in omni Litterarum genere excultum.

Rabanum Maurum inter adversarios Paschasii recensent, Anonymus Cellotianus, alter Gemblacensis apud Mabillonium parte secunda sæculi quarti Benedictini pag. 592. & tertius, qui extat Tom. 12. Spicilegii pag. 39.

Verùm ex mox dictis, controversia tunc temporis non versabatur circa substantiam dogmatis præsentiæ realis Christi in Eucharistia, sed circa modum duntaxat ac speciem; atque in eo recedebat à Paschasio Rabanus, quòd nollet corpus Christi Eucharisticum simpliciter & absolutè dici idem cum ejus corpore naturali, licet idem esse quoad substantiam & naturam cum Paschasio fateretur.

Id verò constat

1. Ex ipsismet Anonymis laudatis, qui suam de reali præsentia fidem declarant ac profitentur. *Quod corpus & sanguis Domini vera sit caro verusque sanguis*, ait Anonymus Gemblacensis, *unusquisque debet credere, nosse, tenere, confiteri pariter, & constanter asserere fidelis*. Eo in capite consentiebat Paschasio Anonymus ille: in quo ergo discrepabat? Exponit ipse: *In eo*, inquit, *quod ex mente S. Ambrosii dixisset, non aliam plane esse carnem quæ sumitur de altari, quam quæ nata est de Maria Virgine, & passa in cruce, & quæ resurrexit de sepulchro*. Hoc ipsum est quod in Paschasio reprehendit Anonymus, & à Rabano atque Ratramno improbatum pariter testatur; contenditque aliam esse carnem Christi in Eucharistia, utpote quæ vorari possit & manducari, aliam autem natam de Virgine & resuscitatam. *Præsertim*, inquit, *Cum illa Christi caro resurgens de sepulchro ita glorificata sit, ut jam vorari nullo modo possit*. Et ipsemet Rabanus scribens ad Heribaldum Altissiodorensem ait: *Quidam nuper de ipso Sacramento corporis Domini non rite sentientes, dixerunt, hoc ipsum esse corpus Domini quod de Virgine natum est .... idem esse quod sumitur de altari: cui errori, quantum potuimus, ad Egilonem Abbatem scribentes, de corpore ipso quid vere dicendum sit, aperuimus*, quibus certe verbis manifeste patet, discordiam tunc non fuisse de substantia corporis Christi præsentis in Eucharistia, sed tantùm de modo ac specie, seu de certa quadam loquendi ratione, an nempe simpliciter & absolutè idem dici debeat corpus Christi in Eucharistia, quod de Maria natum est, passum cruci affixum. Seipsum non obscurè exponit Anonymus Gemblacensis jam citatus: *Hæc.... Magistri* (Augustini) *dicta, ait, si, velut nimis necesse, fideliter, ferventer, diligenter, intelligenter & frequenter legeritis, manifestè*

Sec. 4. Ben. p. 2. p. 592.

Ibid. p. 593. n. 2.

Ibid.

Apud Mabill. Analect. t. 4. p. 626.

Sec. 4. Ben. p. 593. n. 5.

cognosce-

agnoscetis, non quidem [*quod absit*] naturaliter, *sed* specialiter *aliud esse corpus Domini, quod ex substantia panis ac vini pro mundi vita quotidie per spiritum sanctum consecratur, quod à Sacerdote postmodum Deo Patri suppliciter offertur; & aliud* specialiter *corpus Christi, quod natum est de Maria Virgine, in quod istud transfertur.*

II. Eadem est mens, sensus idem alterius Anonymi
Pag. 40 Tom. 12. Spicil. *Hæc Sacramenta*, inquit, *benedictione divina consecrantur, & virtute invisibili, in id quod non fuerant, convertuntur; ut olim Christo aquam in vinum convertente, & mare suis gressibus solidum reddente, quod quia spiritaliter fit, nonnisi fide cognoscitur.* Agnoscebant igitur illi Anonymi sæculi noni Scriptores cum Paschasio, idem esse quoad substantiam corpus Christi in Eucharistia, quod natum est de Maria Virgine, tametsi non sit idem quoad speciem seu existendi modum.

At inquies, Anonymus Cellotianus, ejusque auctoritate ducti Guillelmus Malmesboriensis & Thomas Valdensis, Rabanum accusant turpissimi erroris Stercoranistarum, qui certe error compati non potest cum dogmate realis præsentiæ: quis enim desipiat, ut corpus Christi dicat in secessum abire, ac cæterorum ciborum communium conditioni obnoxium esse?

Resp. 1. nego min. non potest enim supponi corpus Christi abire in secessum, nisi supponatur re ipsa præsens; ergo si qui fuerunt Stercoranistæ, præsentiæ reali non adversabantur, quam supponebant. Hujusce erroris accusationi locum forte dedit singularis opinio eorum, qui tunc temporis videbantur dicere corpus Christi in Eucharistia nullo velo esse obductum, & totum id quod videtur, tangitur, manducatur, esse ipsum corpus Christi, de qua opinione Ratramnus postea laudandus; unde facile concluditur in eorum [si vera esset] opinione, corpus Christi abire in secessum cæterorum ciborum more. Ita Humbertus, & ex eo
Biblioth. PP. T. 12. pag. 171. F. arguit Algerus: *Ex ipsa visibili & corporali comestione, qua Sacramento tenus fit*, ajebat Algerus L. 2. c. 1. *nascitur fœdissima hæresis Stercoranistarum.* Sed fallitur ille; vana enim & prorsus ficta videtur illa hæresis: species quippe panis & vini dicuntur ipsum corpus Christi, non quidem naturale ac substantiale, sed symbolicum ac sacramentale, quia illud sub se continent; unde quidquid mutationis & corruptionis accidit, in ipsum signum seu symbolum, hoc est in ipsas species externas, non in corpus ipsum Christi naturale ac substantiale immediate cadere dici debet. Quis etenim adeo bardus & absurdus est, qui dicat visis speciebus Eucharisticis, se videre, tangere, ac immediate in propria & humana forma manducare corpus Christi? Totum id vere quidem ac realiter perficitur, sed mediante signo seu Sacramento.

Resp. 2. deceptum fuisse Anonymum, nec Rabani mentem satis assecutum esse, cum errorem tam foedum Rabano affinxit. Quæstioni sibi propositæ ab Heribaldo Altissiodorensi respondit Rabanus in Epistola ad ipsum scripta, cujus partem repræsentat Mabillo-
P. 187. nius 2. parte sæculi quarti Benedictini, & quam integram refert Baluzius in Appendice ad Reginonem. Quæstio autem hæc erat, utrum Eucharistia, postquam consumitur & mittitur in secessum more aliorum ciborum, redeat in naturam pristinam, quam habuerat ante consecrationem. Respondet Rabanus, otiosam & superfluam esse hujusmodi quæstionem, cum ipse Salvator dixerit in Evang. *Omne quod intrat in os, in ventrem vadit, & in secessum mittitur*, quæ verba occasionem dedere incusandi Rabanum fœdissimi ac turpissimi erroris Stercoranistarum; at immerito prorsus: spectat enim ille duntaxat species externas Eucharistiæ, non autem ipsum corpus Christi verum & naturale quod sub illis continetur. Id vero manifeste ostenditur ex ipso statu quæstionis propositæ ab Heribaldo, nempe utrum Eucharistia redeat in naturam pristinam, quam habuerat in altari antequam consecraretur. Atqui intelligi istud non potest de corpore ipso Christi, quod ante consecrationem in Eucharistia non existit, sed tantum de eo quod per consecrationem mutatur, id est de pane & vino, quorum Symbola negat Rabanus redire in pristinam naturam, quam habuerant ante consecrationem. Duo scilicet distinguit in Eucharistia Rabanus, Sacramentum, id est species externas; & virtutem Sacramenti, seu id quod sub speciebus continetur: primum non negat secessui esse obnoxium, de altero vero id nunquam asseruit. *Aliud est*, inquit T. 6. p. 112. F. G.
L. 1. de institutione clericorum cap. 31. *Sacramentum, aliud virtus Sacramenti; Sacramentum enim ore percipitur, virtute Sacramenti interior homo satiatur. Sacramentum in alimentum corporis redigitur; virtute Sacramenti æterna vita adipiscitur.*

Ratramnus.

Corbejensis primum Monachus, tum Abbas Orbacensis, floruit sub Carolo calvo, obiitque circa annum Christi 870 Librum scripsit *De corpore & sanguine Domini*, quem alii cum illustrissimo de Marca ajunt esse Joannis Scoti, ac merito velut hæreticum reprobandum; alii cum Mabillonio, ut genuinum Ratramni fœtum agnoscunt. Hac autem in præsentiarum lite seposita, quæritur, an re ipsa Ratramnus Abbatis sui Paschasii doctrinam circa realem Christi in Eucharistia præsentiam, ut placet calvinianis, impugnaverit. Opus suum duas in partes distribuit: in prima expendit, utrum nulla sit in Eucharistia obvelatio, figura, & signum, ita ut totum id quod in sensus occurrit, sit ipsum Christi corpus; an vero aliquid in ea secreti lateat quod oculis dumtaxat fidei deprehendi possit: de qua opinione jam diximus. In altera vero parte quærit, an Eucharistia illud idem sit corpus, quod de Maria Virgine natum est; quæ duo erant tunc temporis capita controversiæ inter Theologos excitatæ, non quidem, ut non semel dictum est, circa substantiam dogmatis realis præsentiæ, sed circa speciem & modum existendi corporis Christi in Eucharistia.

Mentem suam statim initio Libri aperit Ratramnus his verbis. „Quod in Ecclesia ore fidelium sumi-
"tur corpus & sanguis Christi, quærit vestræ magni-
"tudinis excellentia, an in mysterio fiat, an in verita-
"te? id est, utrum aliquid secreti contineat, quod ocu-
"lis fidei solummodo pateat; an sine cujusque velatio-
"ne mysterii hoc aspectus intueatur corporis exterius,
"quod mentis visus inspiciat interius, ut totum quod
"agitur in manifestationis luce coruscat; & utrum ip-
"sum corpus sit quod de Maria natum est, & passum,
"& mortuum & sepultum, quodque resurgens & Cœ-
"los ascendens ad dexteram Patris consideat. *Deinde*
"*asserit*, exterius panem & vinum in specie prætendi,
"interius carnem & sanguinem Christi contineri; pa-
"nem & vinum in Christi corporis carnem, & proprii
"cruoris undam spiritualiter converti, transponi; in
"Eucharistia Christi corpus esse, non quidem visibili-
"ter, sed invisibiliter: figuram esse secundùm speciem
"visibilem, at secundùm invisibilem substantiam cor-
"pus & sanguinem Christi verè existere, „ quæ verba, & alia hujuscemodi bene multa quæ addit Ratramnus, evidenter demonstrant illum catholicè omninò sensisse de præsentia reali corporis Christi in Eucharistia.

Quid ergo, inquies, & quos tam serió refellit Ratramnus?

Resp. certissimè ab illo impugnari Paschasium, qui scripserat idem esse corpus Christi in Eucharistia, quod ex Maria Virgine natum est, passum, mortuum; aliud autem esse contendebat Ratramnus: quæ quidem controversia, ut jam observatum fuit,

tota in æquivoco & quæstione de nomine versabatur. Hinc & inde concessum erat, idem quidem esse corpus quoad *substantiam*, non idem vero quoad *speciem & modum existendi*; dubium vero est, an etiam reprehenderit Ratramnus, quod forte à Paschasio admissum putabat, nullam esse in Eucharistia figuram, nullum signum ab ipso Christi corpore distinctum, ita ut totum quod videtur externus, sit ipsummet corpus Christi, quod idcirco in se videtur, tangitur, dentibus atteritur. Si ita de Paschasio censuit Ratramnus, procul dubio deceptus fuit, non satis intellecta ac bene perspecta ejus sententia; conceptis etenim verbis docuit, Eucharistiam simul esse *figuram & veritatem*: fieri autem non potest ut sub eodem respectu idem sit sui met ipsius & figura, & veritas. Ergo Paschasius aliquam in Eucharistia figuram, species scilicet externas panis & vini, à veritate ipsa seu substantia corporis Christi distinctam agnovit.

Verum, inquies iterum, nonne constat apud omnes, nono, undecimo & duodecimo sæculis excitatam quæstionem, utrum aliqua foret in Eucharistia figura; & utrum corpus Christi quod in ea continetur, mutationi & corruptioni obnoxium foret? Nonne Haymo Halberstadensis Ratramni coævus, Tractatu *De corpore & sanguine Domini*, apud Mabillonium præfatione in secundam partem sæculi quarti benedictini n. 93. negat corpus Christi in Eucharistia ullo velo seu figura obvolvi? Nonne Abbaudus Abbas sæculo undecimo, Tractatu *De fractione corporis Christi* [Tomo 3. Analect. Mabillonii] contendit, id quod in altari frangitur, esse corpus Christi, rejicitque sententiam eorum, *qui dicunt ipsum corpus non frangi, sed in albedine ejus & rotunditate aliquid facitari*; quod refellit tanquam absurdum: *præsertim cum quivis facile videat*, inquit, *albedinem seu rotunditatem ab ipso corpore, quod vel album vel rotundum est, separari non posse*. In eadem opinione fuit Gualterius Prior S. Victoris, in Tractatu, cujus fragmentum refert idem Mabillonius eodem Tom. 3. Analect. Si ergo sæculis nono, undecimo, duodecimo & subsequentibus hæc opinio ab aliquibus propugnata fuit, nihil repugnat quominus adversarii, quos Ratramnus oppugnat, in eamdem sententiam abiisse supponantur.

Apud Mabill. Analect. To. 3. p. 449.

Resp. ex sola ignoratione sensus, & obscuro loquendi modo Scriptorum noni & undecimi sæculi, natam videri quæstionem istam, utrum in Eucharistia sit aliqua figura seu signum, vel non. Nemo, quod sciam, simpliciter & absolute negavit aliquam esse figuram; omnes etenim fatebantur Eucharistiam verum esse Sacramentum, ac consequenter verum signum, veramque figuram; at cujus rei figura & signum dici deberet, non ita clarum erat ac perspicuum. Haymo timens ne si Eucharistiam appellaret figuram corporis, illico putaretur negare illam verum esse corpus Christi, (quia, ut ipse arguebat, nulla res sui ipsius signum & figura esse potest, quandoquidem signum à re significata distinguitur; nulla vero res distinguitur à semetipsa) docuit Eucharistiam figuram & signum esse respectu sumentium, non vero respectu corporis Christi. *In corpore & sanguine Christi*, inquiebat Haymo, *propter sumentium horrorem, sapor panis & vini remanet & figura, substantiarum natura in corpus & sanguinem omnino conversa. Sed aliud renuntiant sensus carnis, aliud fides menti renuntiat*. Igitur vel ipso Haymone judice, aliqua remanet figura in Eucharistia, hoc est remanent species externæ panis & vini, *ad horrorem*, inquit, *sumentium*, id est ne forte horrori foret ipsa caro Christi, si in propria & naturali specie sine ullo velo sumeretur.

Sæc. 4. Ben. p. 2. Præf. n. 93.

Non erat autem, quòd timeret ille, ne si Eucharistiam diceret figuram, verum excluderet corpus Christi, ista levi ductus ratione, *rem nullam sui ipsius figuram & signum dici posse*. Namque mera hæc est nominis æquivocatio; nulla quidem res sub eodem respectu sui ipsius figura esse potest, sed potest sub diverso: ita species Eucharisticæ sunt signum corporis Christi invisibilis ac latentis, non autem visibilis ac conspicui.

Non erat pariter, quòd fingerent hujus ævi auctores, species ipsas Eucharisticas esse ipsummet corpus Christi, quod illis visis, disruptis, corruptis, in se videtur, frangitur, corrumpitur, quod certè ita absurdum & à communi sensu alienum videtur, ut mirum sit in mentem viri alicujus cordati venire istud potuisse.

Verùm dicamus quod res est, nobisque videtur, nondum satis ea ætate evolutæ ac explicatæ fuerant quæstiones, quæ ex dogmate præsentiæ realis emergebant; aliunde verò hujus ævi Scriptores avitæ fidei præsentiæ realis ita tenaciter addicti erant, ut objicientibus nonnisi panem & vinum, meramque figuram corporis in Eucharistia contineri, dicere maluerint, non satis quidem fateor, accuratè ac castigatè, signum illud seu species externas quæ videntur; & quarum corpus Christi quodammodo subjectum dici potest, esse ipsummet corpus Christi, quod sub hoc respectu dicitur videri, tangi, frangi, corrumpi, non quidem immediatè in se, seu propria humanitatis forma, sed in illis speciebus, sub quibus obvolutus & invisibilis Christus latitat, juxta istam Dialecticorum regulam, *Denominationes sunt subjectorum; sicut actiones suppositorum*.

Non alia certè de causa undecimi sæculi Scriptores Eucharistiam figuram appellare reformidarunt, quàm ut cum Berengario, qui meram & vacuam figuram esse asserebat, nihil sibi commune esse testarentur. Et illa porro illorum Scriptorum sententia calvinianus error invictè revincitur, nedum confirmatur.

Ut verò ad Ratramnum jam deveniamus, cùm in prima Operis sui parte sæpissimè inculcat corpus Christi esse *in figura, non in veritate*; appositè ad sententiam quam refellit, quamque à nonnullis propugnari existimabat, veritatem opponit rei visibilitati seu manifestationi, non figuræ inani ac vacuæ. *Veritas*, inquit n. 8. *est rei manifesta demonstratio nullis umbrarum imaginibus obvelata*, quo certè modo aperto & manifesto Christum in Eucharistia non esse probat Ratramnus, oppositamque opinionem tanquam ridiculam & absurdam refellit. *Namque*, inquit, *si secundum quosdam figuratè nihil hic accipiatur, sed totum in veritate conspiciatur, nihil hic fides operatur, quoniam nihil spirituale gerit, sed quidquid illud est totum secundum corpus accipitur*. Ex n. 9. & 10. *Exterius quidem*, ait, *panis, quod antè fuerat, forma prætenditur, color ostenditur, sapor accipitur; ast interius longè aliud multò pretiosius multòque excellentiùs intimatur, quia cœleste, quia divinum, id est Christi corpus ostenditur, quod non sensibus carnis, sed animi fidelis contuitu vel aspicitur, vel accipitur, vel comeditur.... Quid enim aliud in superficie, quàm substantia vini conspicitur? Gusta, vinum sapit; odora, vinum redolet; inspice; vini color intuetur. At interius si consideres, jam non liquor vini, sed liquor sanguinis Christi credentium mentibus & sapit dum gustatur, & agnoscitur dum conspicitur, & probatur, dum odoratur*. Denique n. 49. primam Operis sui partem sic claudit: *Ex his omnibus, quæ sunt hactenus dicta, monstratum est, quod corpus & sanguis Christi, quæ fidelium ore in Ecclesia percipiuntur, figuræ sunt secundùm speciem visibilem; at verò secundùm invisibilem substantiam, id est divini potentiam Verbi verè corpus & sanguis Christi existunt: unde secundùm visibilem creaturam* (id est species) *corpus pascunt; juxta verò potentioris virtutem substantiæ, fidelium mentes & pascunt & sanctificant*. Cùm igitur Ratramnus noster Eucharistiam appellat figuram, non inanem & vacuam intelligit, sed plenam ipsa veritate,

non

non quidem aperta & manifesta, sed occulta & latente.

Quantùm verò ad alteram Operis partem, ubi Ratramnus adversus Paschasium probat non esse idem in Eucharistia corpus Christi, quod ex Maria Virgine natum est, passum, mortuum; patet responsio ex iis quæ paulò antè, ubi de Paschasio, disseruimus; idem scilicet non esse corpus quoad speciem & modum existendi, sed idem esse quoad substantiam. Hanc suam mentem esse declarat ipsemet Ratramnus n. 72. *Non sunt ergo idem*, inquit, *illa namque caro, quæ crucifixa est, ossibus & nervis compacta.... at verò caro spiritualis, quæ populum credentem spiritualiter pascit, secundùm speciem, quam gerit exteriùs, frumenti granis, & artificis manu consistit, nullis nervis ossibusque compacta.* Consequenter docet corpus Christi non esse *corporaliter*, sed *spiritualiter*, eo sensu quo scribit ipse Paschasius in Epistola ad Frudegardum, *Totum spirituale est, quod celebratur in Sacramento. Spirituale* hic non opponitur vero ac reali, sed visibili ac manifesto; & *corporeum*, seu *corporaliter*, non excludit substantiam ipsam corporis, sed speciem duntaxat & modum existendi corporis.

Dices: Exempla & similitudines, quibus Ratramnus utitur, ut suam de Eucharistia sententiam confirmet, nempe Baptismi; transitus maris rubri, in quo Israelitæ baptisati dicuntur; aquæ de petra fluentis, quam biberunt; mannæ, quo nutriti sunt in deserto; exempla, inquam, illa nonnisi meram denotant in Eucharistia corporis Christi figuram; neque enim quidquam aliud in his exemplis reperire est.

Resp. verba Ratramni appositè ad ejus intentionem seu mentem interpretanda esse: *Non ex levi*
Patius 158. B. *sono verborum, sed ex intentione dicentis æstimanda sunt, quæ dicuntur*, ait Facundus Hermianensis Lib. 10. cap. 5. pro defensione Theodori Mopsuesteni. Adductis exemplis hoc unum intendit Ratramnus, esse in Eucharistia figuram & signum aliquod exterius, quod secundùm speciem seu formam visibilem non est ipsummet corpus Christi, sicut nonnulli videbantur docere, tametsi corpus illud sub se obvelatum contineat: quemadmodum in Baptismo nostro ablutio exterior, non est ipsamet interior regeneratio, sed est ipsius signum & causa; & mare rubrum, quo Israelitæ baptisati dicuntur, aqua de petra scaturiens, quam biberunt, manna, quo nutriti sunt, spiritale aliquid significabant: *Bibebant enim*, ait Apostolus, *de spiritali consequente eos petra, petra autem erat Christus*:
1. Cor. 10. v. 1. non quidem substantia & natura, sed figura & significatione.

In forma igitur sic respondeo: Ex Ratramno Eucharistia est figura, quomodo ablutio exterior in Baptismo, transitus maris rubri, aqua de petra fluens, manna, distinguo: quantùm ad speciem visibilem & sensibilem, quod unum attendit Ratramnus, concedo: quantùm ad veritatem invisibilem ac latentem, nego.

Instabis 1. Ratramnus in ea opinione fuisse videtur, Christum, & aquam de petra fluentem, & manna, in veteri Lege convertisse in proprium suum corpus & sanguinem, sicut in nova convertit panem & vinum; adeoque Judæos veteres verè ac realiter manducasse carnem Christi, etsi nondum natam, & bibisse sanguinem. Ita docere videtur in Libro suo *De corpore & sanguine Domini* n. 22. & 28.

Resp. si Ratramnus in ea tam singulari & nova fuit opinione, sicut fert Objectio, suam de præsentia reali, ac conversione panis & vini in corpus & sanguinem Christi sententiam apertissimè confirmat, nec à Calvinistis opponi nobis potest. Si enim in veteri Lege suum proprium ac naturale corpus Judæis dedit ad manducandum, & sanguinem ad bibendum, facta conversione mannæ in corpus, & aquæ de petra fluentis in sanguinem suum; quantò magis illud in nova Lege perfecisse dicendus est?

Instabis 2. Ex eodem Scriptore n. 75. non aliter vinum convertitur in sanguinem Christi, quo aqua vino mixta convertitur in sanguinem populi: atqui non existimavit haud dubiè Ratramnus aquam illam verè ac substantialiter converti in sanguinem populi. *Si vinum, illud*, inquit, *sanctificatum per ministrorum officium, in Christi sanguinem corporaliter convertitur, aqua quoque, quæ pariter admixta est, in sanguinem populi credentis necesse est corporaliter convertatur: ubi namque una sanctificatio est, una consequenter operatio; & ubi par ratio, par quoque consequitur mysterium.*

Resp. dist. maj. non aliter quoad speciem externam visibilem ac sensibilem vinum convertitur in sanguinem Christi, quàm aqua in sanguinem populi, concedo: quoad rei veritatem ac substantiam, nego. A suo scopo non discedit Ratramnus; eos impugnat quos putabat in ea esse mente, corpus scilicet & sanguinem Christi in aperto sine ullo velo ac signo, visibiliter, corporaliter, sensibiliter in Eucharistia contineri: è contra, exemplo aquæ quæ vino Eucharistico admiscetur, probat non magis vinum converti in sanguinem Christi corporaliter, quantùm scilicet ad speciem externam, visibilem ac sensibilem, quàm aqua ipsa, quæ populum adumbrat quantùm ad speciem illam externam ac visibilem, quæ certè speciem suam & externam formam non mutat; atque in hoc uno stat comparatio. *Videmus in aqua*, ait ibidem Ratramnus, *secundùm corpus nihil esse conversum: consequenter ergo & in vino nihil corporaliter ostensum*, id est, nihil quod modo visibili ac sensibili deprehendatur.

Instabis 3. Idem Ratramnus docet corpus Christi *virtute Spiritus S.* ac divini Verbi potentia esse in Eucharistia; ergo in ea non est, quantùm ad substantiam & naturam.

Resp. nego conseq. virtus enim Spiritus S. & divini Verbi potentia causa quidem est effectrix stupendæ illius conversionis panis & vini in corpus & sanguinem Christi; sed non est, ut ita dicam, causa formalis, quasi in hac sola virtute Spiritus S. Eucharistiæ veritas posita esset: virtus Spiritus S. est causa conversionis, conversio verò, seu præsentia realis, est terminus seu effectus illius virtutis.

Instabis denique: Ratramnus n. 37. ait, Eucharistiam appellari corpus Christi secundùm quamdam similitudinem.

Resp. dist. ant. Secundùm quamdam similitudinem, quæ non excludit realem præsentiam, sed tantùm manifestationem, concedo; quæ excludit, nego. Ex illa autem similitudine probat Ratramnus esse in Eucharistia & species externas seu signum aliquod corporis Christi, simul & corpus ipsum sub speciebus obvolutum; ac proinde aliquid *fieri in mysterio & sub obvelatione*, quod probandum susceperat.

Interim ut ab omni erroris suspicione liber sit Ratramnus, observa 1. eum à Berengario, sæculo undecimo, in sui erroris patrocinium adductum non fuisse. 2. Magdeburgenses Lutheranos Librum Ratramni sibi adversari confessos fuisse. 3. Doctores Lovanienses in Indice expurgatorio Belgii anno 1571. nihil in eo Libro reprehensione dignum judicasse, nisi subobscura quædam verba, similitudines quasdam non satis accuratas, & quasdam sententias inepta expositione donatas. In Indicem tamen Librorum prohibitorum rejectus est, sive quia nomen auctoris non præsefert; sive quia multi Librum hunc Joanni Scoto adjudicabant; sive denique quia à Lutheranis primùm in lucem editus fuit.



Joannes Scotus.

Scotus à Scotia, unde oriundus erat; Erigena seu Hibernus etiam dictus, quia Scotia apud veteres *Hiberniam* significat, *Eri* quippe & *Erim* patria seu vernacula illorum lingua Hiberniam designat. Librum ille scripsit de corpore & sanguine Domini, qui amplius non superest, adversus Librum Paschasii, in quo dogma realis præsentiæ Christi ec conversionis substantiæ panis & vini in corpus & sanguinem Christi, quod Paschasius tam luculenter confirmaverat, primus omnium ille impugnando aggreditur; contenditque Sacramentum altaris non esse verum Christi corpus ac sanguinem, sed solam illius corporis memoriam & figuram. Extinctam ferè Joannis Scoti memoriam & doctrinam excitavit undecimo sæculo Berengarius: hunc enim, ut jam observatum fuit, in sui defensionem laudabat, non ipsum Paschasium. Adversus Scoti novitatem insurrexerunt, Hincmarus Tract. de prædestinatione c. 31. Andrevaldus quidam, qui Librum scripsit *De ineptiis Scoti*, Tom. 12. Spicilegii; Patres Concilii Vercellensis, anno 1050. qui Librum Scoti flammis ultricibus comburendum tradi jusserunt, ac Berengarium damnarunt, quòd Libro illo uteretur in sui erroris confirmationem; Nicolaus I. S. P. qui Scotum Romam evocavit; Gallia universa, cui suspectus adeo fuit Scotus, ut ea derelicta, in Britanniam recipere se coactus fuit, ne justam erroris sui pœnam subire cogeretur.

Albertinus L. 3. de Eucharistia, & post ipsum Claudius, Joannem Scotum confundunt cum Joanne Abbate Æthelingensi, quo præceptore ac magistro, propter summam viri eruditionem ac pietatem, usus est Angliæ Rex pius Alfredus. Ex ista personarum confusione speraverunt ex fama & laude istius, doctrinam alterius velut sanam commendari posse. Æquior sanè Banagius Scotum Hybernum cum Abbate Germano, Laicum cum Monacho & Sacerdote, virum doctum & Catholicum, cum homine imperito & multis erroribus implicato, confundi non debere judicavit.

Ex dictis hactenus sexto & septimo Articulis evidens est, non Paschasium Radbertum, sed Joannem Scotum Erigenam ejus adversarium, innovasse circa fidem præsentiæ realis. Ab omnibus Catholicis summo in honore semper habitus est Paschasius: à Patribus Concilii Parisiensis anni 845 *Venerabilis frater* appellatur, in cujus gratiam privilegium Monasterii Corbejensi concedunt. In Conciliis Carisiaco I. & II. quibus Hincmarus præfuit, Valentino, Lingonensi, & Tullensi, nullus fidem Paschasii accusavit; è contra plures adversarium ejus Joannem Scotum velut Novatorem proscripserunt.

QUÆSTIO TERTIA.

De modo præsentiæ Christi in Eucharistia, seu de transubstantiatione.

SUperiori Quæstione adversus calvinistas veram, realem ac substantialem corporis christi præsentiam in Eucharistia vindicavimus; nunc convertimur adversus Lutheranos, qui hac admissa reali præsentia, nullam fieri transmutationem substantiæ panis & vini in substantiam corporis & sanguinis Christi, sed utramque substantiam simul remanere contendunt. Tam verò præsens Quæstio affinis ac cohærens est præcedenti, ut iisdem momentis stet, iisdemque ferè impugnetur argumentis. Eam in tres Articulos distribuemus.

Primus erit de nomine transubstantiationis, ejusque antiquitate & necessitate; variisque tum erroribus quibus dogma catholicum impugnatum fuit, tum opinionibus Scholæ, in eo dogmate exponendo, sine præjudicio fidei.

Secundus de veritate dogmatis catholici.

Tertius, de mente S. Chrysostomi, Theodoreti, & Gelasii S. Pontificis circa transubstantiationem.

ARTICULUS I.

De nomine transubstantiationis, ejus antiquitate & necessitate, variisque tum erroribus, quibus dogma catholicum impugnatum fuit, tum opinionibus Scholæ in eo exponendo.

PErvulgata est Novatorum calumnia, & nomen, & dogma nomine transubstantiationis expressum, recens inventum esse, ab Innocentio III. in Concilio IV. Lateranensi anno 1215. primùm excogitatum & invectum.

Verùm jam diu est, ex quo Hæretici novitatis incusare non erubescunt voces illas, quibus errores suos apertè detegi & invictè revinci sentiunt. Sic olim Ariani vocem [illegible], velut novam & peregrinam, imò tanquam periculosam rejecerunt, quibus rectè dicebat S. Athanasius L. de decretis Synodi Nicænæ, *Etiam-* Tr. 1. p.
si ipsæ voces ita in Scripturis non extent, sententia ta- 227. A.
men quam continet, verè ex Scripturis habetur.

Etsi igitur tam recens foret nomen *transubstantiationis*, ac fingunt Novatores, non idcirco tamen explodendum ec rejiciendum, cùm dogma per illud significatum antiquum sit & ipsi Ecclesiæ coævum; atque nomen ipsum dogmati exprimendo & omnibus fraudibus Hæreticorum præcavendis idoneum maximè sit & accommodatum.

Verùm, ne illud quidem concedimus, quod volunt Novatores, nomen *transubstantiationis* ante annum 1215. incognitum fuisse.

Legitur enim in antiqua fidei professione Tholosanorum hæreticorum sive Albigensium, quæ refertur in Litteris Petri Cardinalis, tituli sancti Chrysogoni, Apostolicæ Sedis Legati, datis an. 1178. quas exhibet Baronius Tom. 12. Annalium ad prædictum annum n. 28. in qua professione fidei dicitur, *per ministe-* P. 717.
rium Sacerdotis & virtutem verborum, quæ à Domino n. 31. E.
prolata sunt, panem & vinum in corpus & sanguinem Christi verè transubstantiari.

Legitur in Epistola Gaufredi ad Episcopum Cardin. Albanensem, apud eumdem Bar. eodem Tomo ad an. 1188. n. 34. p. 795.

Legitur apud Stephanum Eduensem Episcopum, qui floruit, juxta Possevinum, Bellarminum & alios, an. 950. vel, ut aliis placet anno 1160. in Tractatu de Sacramento altaris cap. 13. ubi sic loquitur; *Oramus ut* Biblio.
cibus hominum fiat cibus Angelorum, scilicet ut obla- PP. To.
tio panis & vini transubstantietur in corpus & san- an. pag.
guinem Jesu Christi. 1878.

Legitur apud Petrum Blesensem Bathoniensem in Anglia Archidiaconum, qui floruit tempore Alexandri III. circa an. 1160. obiisse creditur an. 1200. Epistu-
la 140. ait; *pane & vino transubstantiatis, virtute ver-* Ed. Pa-
borum cœlestium, in corpus & sanguinem Christi, ac- ris. 1669.
cidentia, quæ priùs ibi fuerant, sine subjecto remanere. pa. 219. col. 1.

Apud Auctores verò priorum sæculorum, etsi nomen *transubstantiationis* totidem conceptis syllabis non legatur, idem tamen sensus redditur per alias voces quas usurpant, nempe *conversionem*, *mutationem*, *transmutationem*, *transelementationem*, *substantialem transmutationem*, qui postremo loquendi modo usi præsertim sunt qui adversus Berengarianos scripsere, ut Algerus, Guitmundus, Durandus Troarnensis Abbas &c.

Apud Græcos idem significat [illegible], quod apud Lati-

Latinos *transubstantiatio*; & sicut veteres Latini nomine transubstantiationis usi non sunt, sed æquivalentibus, ita & Græci veteres non μετουσίωσιν semper dixere, sed μεταστοιχείωσιν, μεταποίησιν & similia; quæ etsi generatim quamlibet conversionem & mutationem significent, ex subjecta tamen materia Eucharistiæ, circumstantiis, ac exemplis quæ usurpantur, substantialem indicant conversionem.

Idcirco vero neque Latini *transubstantiationem*, neque Græci μετουσίωσιν dixere, quia, ut plurimum essentia & οὐσία apud illos usurpabatur non pro ipsa interiori natura & essentia, quæ primum est rei constitutivum, sed pro exterioribus ac sensibilibus proprietatibus & accidentibus, quæ cum in Sacramento Eucharistiæ post consecrationem eadem remaneant, quæ erant antea, ut ex sensibus judicari facile potest, non dicabatur facta naturæ mutatio;, ne forte hoc loquendi modo innuerentur, symbola mutata esse, quæ revera non mutantur, sed eadem remanent.

Significat igitur apud nos nomen *transubstantiationis*, conversionem, seu transmutationem unius substantiæ in alteram, adeoque totius substantiæ panis & vini conversionem in substantiam corporis & sanguinis Christi in mysterio Eucharistiæ, solis remanentibus speciebus.

Jure ac merito, imo & necessario vocem hanc usurpavit & consecravit Ecclesia, ut docet Concilium Tridentinum Sess. 13. c. 4. ad præcludendam Hæreticis Lutheranis & Calvinistis omnem elabendi & tergiversandi viam: id enim juris habet Ecclesia, ut novis erroribus, nova, non quidem dogmata, sed vocabula iis exprimendis ac revincendis maxime accomodata usurpet. Sic adversus Arianos vocem ὁμοούσιον, adversus Nestorianos Θεοτόκον, tanquam symbolum ac tesseram veræ & Catholicæ fidei, opposuit.

Errores circa transubstantiationem.

Triplex generatim modus excogitari potest quo Christi corpus vere ac realiter præsens fiat in Eucharistia.

Primò, per impanationem.

Secundo, per consubstantiationem.

Tertio denique, per transubstantiationem; qui solus verus est, & ad fidem pertinet.

Impanatores.

Impanatio est unio hypostatica Verbi cum pane, ita ut sicut Verbum æternum caro factum est uniendo sibi unione personali humanitatem, non eam mutando aut destruendo, ita quoque Christus per consecrationem, veluti per novam quamdam Incarnationem, panem assumpsit, & cum eo intime conjunctus est in Eucharistia.

Si Guitmundo credimus, nonnulli Berengarii discipuli, cum magistro suo, impanationem videntur admisisse. *Rectis*, inquit ille L. 1. de veritate corporis & sanguinis Christi. *Ecclesia rationibus cedentes, nec tamen à stultitia recedentes, ut quasi aliquo modo nobiscum esse videantur, dicunt ibi corpus & sanguinem Domini revera, sed latenter contineri, &, ut sumi possint, quodammodo [ut ita dixerunt] impanari. Et hanc ipsius Berengarii subtiliorem esse sententiam ajunt.*

Bibliot. PP. T. 18. pag. 441. H.

Algerus, primum Scholasticus Leodiensis, ac postea Cluniacensis Monachus, qui initio sæculi duodecimi floruit, in Prologo Libri de Sacramento corporis & sanguinis Domini, testatur quosdam tunc temporis fuisse Impanatores. *Alii*, inquit, *dicunt panem non solum Sacramentum, sed in pane Christum quasi impanatum, sicut Deum in carne personaliter incarnatum.*

Biblioth. PP. T. 21. pag. 251. G. To. 30 p. 236. G.

Cardinalis Bellarminus L. 3. de Sacramento Eucharistiæ c. 11. hujus impanationis primum auctorem facit Rupertum Abbatem Tuitiensem, qui initio duodecimi sæculi extremum diem obiit: sed eum ab hoc errore vindicat, edita ex professo apologia, Pater Gerberon Monachus Benedictinus.

Joannes quidam Parisiensis, hanc panis cum Verbo hypostaticam unionem impugnans, aliam excogitavit, referente Thoma Waldensi Tom. 2. de Sacramentis c. 65. Scilicet docuit ille, Christum assumpsisse panem mediante corpore humanitatis, ut parte, id est quatenus corpus accipitur pro parte hominis, non pro toto homine, ita ut panis proxime uniatur corpori humanitatis Christi, & illo mediante ipsi Verbo; quam opinionem se legisse testatur Waldensis in Opusculo illius Joannis Pariensis. Idcirco autem dixit Christum assumpsisse panem, mediante parte hominis, non mediante toto, inquit Bellarminus L. 3. de Euch. c. 11. *ne admittere cogeretur Deum esse panem.* Ibid p. 257. C.

Lutherus Lib. de captivitate Babylonica, etsi clarè ac distinctè hanc impanationem non doceat, iis tamen exemplis ac loquendi formulis nonnunquam utitur, quæ ipsam non obscurè insinuant. Aliquando enim dicit, *corpus Christi esse cum pane, sicut ignis in ferro candente*: aliquando dicit, *corpus Christi esse in pane, sub pane, cum pane*; aliquando ait, veram esse hanc propositionem, *Panis est corpus Christi*, propter unionem panis cum corpore; sicut vera est illa, *Christus homo est Deus.*

Vulgò tamen Lutherani, teste Kemnitio in secunda parte Examinis Conc. Trid. ad caput 4. Sess. 13. hanc hypostaticam panis cum Christo unionem rejiciunt. Solus ferè Oziander, famosus inter Lutheranos, eam propugnavit, cùm dixit veram esse istam propositionem, *Hic panis Deus est.* Ita refert Melancthon L. 2. Epistola 447. p. 410.

Consubstantiatores.

Consubstantiatores dicuntur ii, qui utramque panis & corporis Christi substantiam in Eucharistia consociant & conjungunt. Tales fuere.

Berengarii nonnulli, teste Guitmundo antea citato. Unde in formula fidei cui subscribere coactus est Berengarius in Synodo Romana sub Gregorio VII. an. 1079. dicitur: *Confiteor panem & vinum, quæ ponuntur in altari per mysterium sacræ orationis, & verba nostri Redemptoris, substantialiter converti in veram & propriam ac vivificatricem carnem & sanguinem Jesu Christi*; quæ sane verba, *substantialiter* converti, directè opponuntur errori consubstantiationis. To. 10. Conc. p. 378. E.

Eodem Guitmundo teste, L. 1. & 3. in fine, nonnulli inter Berengarii impugnatores existimarunt, eam Eucharistiæ partem quæ indignis & peccatoribus porrigitur, non converti in Christi corpus, sed panem merum remanere; alii dicebant, panem converti quidem tempore consecrationis in corpus, tempore verò distributionis, cùm indignus acciperet, restitui panis substantiam, ac corpus Christi recedere. Verùm, ne quid dissimulemus, non videntur ii propriè inter Consubstantiatores numerandi, uti fecit Bellarminus; sed inter eos, qui negarunt corpus Christi verè & realiter sumi ab indignis.

Durandus in 4. dist. 11. q. 3. distinguit inter formam & materiam panis Eucharistici, asseritque virtute consecrationis formam quidem panis converti in corpus Christi, non ipsam verò panis materiam, quæ subitò & virtute divina unita cum anima & divinitate Christi, fit materia corporis ipsius: eo ipso modo, quo in nutritione corporali non mutatur panis materia, sed quæ ante nutritionem erat materia panis, post nutritionem fit materia carnis hominis; non quidem recedente priore materia, sed nova duntaxat accedente forma. Quo exemplo humanæ nutritionis utitur Durandus post S. Joan. Damasc. quem laudat. Opinio Durandi. P. 519. n. 5.

Durandi ſententiam hæreticam appellare non dubitat Bellarminus L. 3. de Euch. cap. 13. maxime poſtquam Conc. Trid. Seſſ. 13. Can. 2. expreſſe definivit, *fieri converſionem totius ſubſtantiæ panis in corpus, & totius ſubſtantiæ vini in ſanguinem.* Totam ſubſtantiam dicit Concilium, non partem, non ſolam formam; ergo & materiam ipſam, quæ procul dubio ſubſtantiæ pars eſt, totam converti ſupponit. Ergo Concilio manifeſte contradicunt, qui ſententiam Durandi etiamnum tueri ac propugnare non ſine gravi temeritate aggreſſi ſunt, qualis imprimis extitit Petrus Cally Cadomenſis Paſtor, in Opere gallico cui titulum fecit, *Durand Commenté*, quod ab Illuſtriſſimo Epiſcopo Bajocenſi gravi cenſura, cui ſe ſubjecit dictus Petrus Cally, ſtatim notatum fuit die 3. Martii an. 1701. multis ex illo extractis & damnatis propoſitionibus. Nonnulli ætate S. Thomæ errorem Durando extremè oppoſitum propugnarunt, nempe poſt conſecrationem remanere formam ſubſtantialem panis. Ita refert Doctor Angelicus 3. p. q. 75. art. 6.

Denique Lutherus extinctam ætate ſua Conſubſtantiatorum doctrinam excitavit in Libro de Capt. Babyl. an. 1520. verùm in ea propugnanda varius & inconſtans fuit. Aliquando liberum unicuique permittit, quod vellet ſequi, cùm nihil ea de re credendum fides præſcribat. Aliquando verò, ut in reſponſione ad Henricum VIII. Anglorum Regem, ait tranſubſtantiationem eſſe blaſphemiam & impietatem. Subinde tamen quibusdam Eccleſiis Italiæ permiſit, ut crederent panem & vinum tranſubſtantiari in corpus & ſanguinem Chriſti. Ita colligitur ex Epiſtola Melancthonis data anno 1543. id eſt, annis 12. poſt datam ad Henricum VIII. reſponſionem. Lege de hisce variationibus eruditiſſimum Illuſtriſſimi Maldenſium Epiſcopi Opus, Tom. 1. pag. 53.

Ex intima unione panis Euchariſtici cum corpore Chriſti, & corporis cum Verbo, nata eſt opinio eorum, qui dixerunt corpus Chriſti, quemadmodum & Verbum ipſum, eſſe ubique, inde dicti Ubiquiſtæ. Quem errorem amplexi fuere Brentius, Matthias, Illyricus, & alii.

Opiniones Scholæ.

Etſi de dogmate ipſo conſentiant inter ſe Scholæ Doctores, in duobus tamen maximè diſcordes ſunt.

I. Circa vim probationis ex Scripturis. Sunt enim, qui exiſtimant dogma noſtrum ex Scripturis probari vix poſſe, ſed propter ſolam Eccleſiæ definitionem eſſe credendum: quia, juxta Durandum in 4. diſt. 11. q. 1. n. 15. vera ſignificatione verborum conſecrationis integrè ſervata, manere potuit ſubſtantia panis & vini, & reddi vera enuntiatio ratione ſolius præſentiæ corporis & ſanguinis Chriſti. Et ita licèt non eſſet vera enuntiatio, *Hoc eſt corpus meum*, demonſtrato pane & vino; eſſet tamen vera, demonſtrato corpore & ſanguine Chriſti. Neque enim neceſſe eſt, ut pronomen *hoc*, demonſtret ſubſtantiam panis & vini, ſiquidem & nunc non demonſtrat accidentia illius, ſed corpus & ſanguinem Chriſti ſub illis contentum. Durando ſubſcribunt Paludanus in 4. diſt. 11. q. 2. art. 1. n. 14. Ochamus in 4. q. 6. columna 2. Biel in Canonem Miſſæ, Scotus in 4. diſt. 11. q. 3. De Alliaco in 4. q. 6. art. 2. P. 318.

Immeritò porrò Novatores iſta noſtrorum opinione abutuntur, ut probent ſubleſtam apud illos fuiſſe dogmatis tranſubſtantiationis fidem: quaſi Eccleſiæ Traditio ac definitio apud illos vim probationis certam & invictam ad dogma confirmandum non haberet; & ſola Scriptura judex controverſiarum audienda foret.

Quòd ſi nonnulli ex noſtris hic peccarunt, ut Durandus, qui putat materiam panis remanere facta conſecratione, non omnibus Scholæ Magiſtris peccatum illud imputari debet: atque immeritò prorſus Kemnitius dubium ac incertum circa præſentem controverſiam nobis exhibere conatur Magiſtrum Sententiarum L. 4. diſt. 11. non enim de ipſo dogmate dubius eſt, ſed de modo, ſeu nomine, quo deberet appellari converſio illa mirabilis panis & vini in corpus & ſanguinem Chriſti; an formalis dicenda ſit, an ſubſtantialis: nondum quippe certum ac determinatum nomen huic dogmati exprimendo conſecraverat Eccleſia, ſicut factum eſt in Concilio Lateranenſi IV. an. 1215. Petrus autem Lombardus jam obierat an. 1164.

II. Suppoſito dogmate, de modo ſeu via illud exponendi, ſumma eſt diſcordia. Durandus loco citato non obſcure ſignificat, communem Theologorum ſui temporis ſententiam fuiſſe, "converſionem panis in P. 359.
„corpus Chriſti differre à creatione & annihilatione, & n. 2.
„tranſmutatione naturali. A creatione quidem, quia „illa fit ex nihilo, non autem iſta converſio, ſed habet „ſubſtantiam panis pro termino à quo: ab annihilatione „vero, quia illa non habet terminum ad quem poſitivum, ſed purum nihil; hæc autem habet terminum „ad quem poſitivum, ſcilicet corpus Chriſti: à tranſ„mutatione vero naturali dixerunt eam differre, quia „omnis tranſmutatio naturalis habet ſubjectum com„mune; hæc autem converſio nullum habet commu„ne ſubjectum.

Cardinalis de Alliaco ſæculo decimo quinto ſcribens in 4. diſt. 6. art. 11. varias ſui temporis circa modum quo Chriſtus in Euchariſtia præſens eſt opiniones refert. "Licet, *inquit*, Catholici concordaverint in hoc „quod corpus Chriſti ſit in Sacramento, circa modum „ponendi fuerunt diverſæ ſententiæ. Prima, quod ſub„ſtantia panis ſit corpus Chriſti; ſecunda, quod non re„manet ſubſtantia, ſed reducitur in materiam per ſe „ſtantem, vel aliam formam recipientem, & hoc ſive „in eodem loco, ſive in alio, & corpus Chriſti coex„iſtit accidentibus panis: & hæc opinio non poteſt re„probari, nec per evidentem rationem, nec per au„ctoritatem cogentem. Tertia fuit, quòd remaneret „ſubſtantia panis. Quarta & communior eſt, quòd „ſubſtantia panis non remanet, ſed ſimpliciter deſinit „eſſe." Quam poſtremam opinionem amplecti ſe fatetur ibidem De Alliaco.

Diſſentiunt non minùs, tum circa naturam actionis, per quam panis & vinum convertuntur in corpus & ſanguinem Chriſti; an ſcilicet actio illa ſit annihilatio panis, & nova reproductio corporis Chriſti; an tantùm ſimplex adductio rei jam productæ, & novus duntaxat conſervationis illius modus; tum circa terminum illius actionis; an nempe ſit ipſum corpus Chriſti, an modus aliquis ab eo diſtinctus; an intrinſecus ſit, vel extrinſecus. Ipſa ætate Magiſtri Sententiarum excitatas fuiſſe ejuſmodi ſcholaſticas opiniones, colligimus ex ipſius Lib. 4. diſt. 11. In ipſo quoque Tridentino Concilio inter Franciſcanos & Dominicanos litem de illis ſubortam fuiſſe novimus ex Hiſtoria illius Concilii, quod pro more ſuo, intactis Scholæ opinionibus, quod fidei erat tantum definivit adverſus Lutheranos & Calviniſtas. Vaſquez 3. parte qu. 75. diſp. 181. cap. 1. de ejuſmodi quæſtionibus ſapienter ait, *recentiores Scholaſticos quo magis ab iis* Tr. 4. p.
ſe extricare conati ſunt, eò majoribus difficultatibus 147.
ſe implicaſſe. Ex quo etiam, inquit, *effectum eſt, ut myſterium fidei noſtræ non modo difficilius ad explicandum, ſed etiam adverſariorum noſtrorum argutiis & cavillationibus magis expoſitum fuerit.* Sic ille liberè & candidè declarat mentem ſuam circa ejuſmodi quæſtiones Scholæ, quæ myſteriorum rationes & modos explanare volunt. Unde ſatius eſſet cum Magiſtro loco mox citato reſpondere, *Si quis modum, quo id fieri poſſit, quærit, breviter reſpondeo: Myſterium fidei credi ſalubriter poteſt, inveſtigari ſalubriter non poteſt.*

ARTI.

ARTICULUS II,

De veritate Catholici dogmatis circa transubstantiationem.

CONCLUSIO.

Mirabilis ac planè singularis fit, per verba consecrationis, totius substantiæ panis & vini in substantiam corporis & sanguinis Christi conversio seu transubstantiatio.

Probatur 1. verbis ipsis institutionis Matth. 26. v. 26. *Hoc est corpus meum.* Hæc enim verba, vel nullam mutationem important, vel metaphoricam tantùm, vel realem & substantialem; primum negant Calvinistæ, qui mutationem saltem virtutis & efficaciæ agnoscunt: secundum negant Lutherani, qui verè & realiter, non figuratè dumtaxat, christum præsentem esse in Eucharistia contra Calvinistas contendunt. Restat igitur ut realis & substantialis mutatio significetur per ista verba, *Hoc est corpus meum.* Et verò Calvinus Lutheranos premens, agnoscit verba institutionis proprio & obvio sensu intellecta necessariò transubstantiationem inferre. *De Papistis*, inquit in refutatione consensus Orthodoxorum, *non loquor, quorum tolerabilior, vel saltem magis verecunda est doctrina.... Si optio ex his duabus eligenda esset, mallem nos præsentiam Christi sub speciebus & accidentibus credere, quam cum Zuinglianis veram & realem præsentiam, contra tam aperta Christi verba negare.*

Confirmatur: Quia quod Christus sub speciebus panis & vini Apostolis suis dedit, dixit *esse corpus suum*, non aliud; igitur est solum corpus, non panis simul cum corpore.

Probatur conseq. In ista propositione, *Hoc est corpus meum*, pronomen demonstrativum *hoc* unam dumtaxat corporis Christi substantiam denotare potest, non panem. Namque si denotaret panem, id ita esset, vel quia panis est figura corporis Christi: vel quia panis est revera corpus Christi, vel quia panis unione hypostatica cum Christi corpore unitur; vel quia panis localiter in se continet corpus Christi: atqui omnes isti sensus falsi sunt; superest igitur, ut pronomen *hoc* demonstret solum corpus Christi.

Minor probatur.

I. Panem meram esse figuram corporis Christi, negant Lutherani adversus quos hic disputamus.

II. Panem revera esse naturale corpus Christi, non minùs idem negant: est enim absurditas non ferenda, quam soli Manichæi excogitare potuerunt.

III. Panem hypostaticè seu personaliter unisi cum Christo, iidem Lutherani vulgò negant, & quidem meritò: tum quia impossibilis est, ut aliàs in Tractatu de Incarnatione docuimus, unio personalis Verbi cum creaturis inanimatis: tum quia ex illa unione personali sequeretur, quemadmodum in Incarnatione, mutua idiomatum communicatio; & sicut verum est dicere, Deus est homo, & homo est Deus, loquendo de Christo; ita quoque dici posset, demonstrando panem Eucharisticum, Panis est Christus, & Christus est panis, & quidem sensu vero & proprio quem infert unio personalis; atqui nemo est qui non sentiat absorditatem portentosæ illius propositionis.

IV. Superest igitur ultimus sensus, nempe panem ideo appellari corpus, quia continet in se corpus Christi, quem revera sensum urgent Lutherani, variisque exemplis conantur illustrare: sic de ferro candente rectè dicitur, Hic est ignis, quamvis quoque hic sit ferri substantia; de dolio continente vinum, rectè quoque dicitur, Hoc est vinum. Pariter, ait Durandus antea citatus, licèt in Eucharistia, præter corpus Christi sint accidentia, tamen simpliciter vera est ista propositio: *Hoc est corpus Christi.* Ergo, inquit Lutheranus, vera quoque est illa propositio, tametsi præter corpus Christi adsit quoque panis substantia.

Verùm quartus ille sensus non minùs absurdus est ac falsus; quia nempe, ut diximus antea inter probationes præsentiæ realis, panis neque ex natura sua, neque ex hominum usu atque instituto destinatus est ut rem aliquam tamquam vas & locus contineat aut significet: communem igitur sermonis usum legemque invertisset Christus, si priùs non monitis Apostolis, ex abrupto dixisset iis, demonstrando panem, *Hoc est corpus meum*, & significare voluisset, panem esse tantùm quasi vas quoddam ac locum, in quo corpus suum inclusisset. Unde enim istud vel minimùm subodorari potuissent Apostoli? Perinde esset ac si quis in pane aurum v. g. occultè includeret, & re priùs non declarata, palam & ex abrupto diceret, *Hoc est aurum.* Quis loquentem intelligeret? aut potius quis non irrideret?

Neque dicas, satis admonitos ac præparatos fuisse Apostolos, quando Christus Joan 6. dixit: *Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.* Namque ex iis verbis inferre potius debuerunt, & reipsa intulerunt Apostoli, panem non quidem futurum esse vas aut locum, in quo corpus Christi includeretur: non enim ait, *Panis quem ego dabo*, carnem meam *continet* aut *continebit*; sed, *Panis, quem ego dabo, caro mea est*: quod certè verbum substantivum, *est*, non sumitur eò loci neque pro *significat*, neque pro sola realitate virtutis & efficaciæ, ut vel ipsi concedunt Lutherani: necesse igitur est, ut sumatur sensu realis & substantialis præsentiæ corporis Christi. Porro, ex dictis sæpius, a panis non potest esse verum natura & substantia corpus Christi, nisi per sui conversionem & mutationem in ipsum corpus.

Hinc aperta est ac manifesta disparitas exemplorum, quæ adducunt Lutherani. Ferrum candens, v. g. ignem populariter vocamus, quia omnes ejus partes ignis undequaque pervadit; & quamvis tota ferri substantia in ignem non convertatur, ita nihilominus comparati sumus, ut illud ignem appellemus, quod ignis proprietates tam altè imbibit; neque ullum inde timeri debet aut erroris aut fraudis periculum. Pariter dolium, lagena, crumena &c. ex usu recepto destinantur ad continendum vinum, aurum vel argentum: unde demonstrando dolium vel lagenam rectè dicitur, Hoc est vinum; id est, quod continetur in isto vase, vinum est; pariter demonstrata crumena, Hoc est aurum vel argentum.

Patet etiam responsio ad exemplum accidentium, quod affert Durandus. Namque 1. facilè potest retorqueri adversus Lutheranos, in hunc modum: Nulla fit mutatio in accidentibus Eucharisticis; ergo nulla omnino, nequidem per accessionem seu compræsentiam localem corporis Christi in pane. Consequentiam hanc non admittent haud dubiè Lutherani, neque etiam nos istam, etsi maneant accidentia, tamen vera est simpliciter ista propositio, *Hoc est corpus meum*; ergo non minùs vera foret, etsi remaneret panis substantia. Quid ita? quia pronomen, *hoc*, in hac propositione, *Hoc est corpus meum*, non demonstrat accidentia, quæ corpus Christi nec sunt, nec dici possunt; at si præsens esset panis substantia, pronomen *hoc* illam demonstraret; & ita demonstrando panis substantiam, dici posset, Hoc, nempe substantia panis, est corpus Christi, quod certè falsum est: substantia enim panis non est corpus Christi, sed mutatur in corpus Christi; accidentia verò nullo modo mutantur, sed remanent eadem quæ ante consecrationem.

Multa alia ex parte accidentium illorum opponunt Lutherani, quæ nos suprà retulimus & solvimus.

Probatur 2. ex SS. Patribus, ac constanti Ecclesiæ Traditione.

Necesse

Necesse non videtur, ut hic diu immoremur in describendis ac referendis SS. Patrum testimoniis; quæ enim pro fide præsentiæ realis antea laudavimus, eadem & dogma transubstantiationis invictè demonstrant. Namque

I. Illud evincunt quotquot ajunt panem Eucharisticum non esse panem communem, sed esse Christi corpus, & quidem verum, proprium, naturale, quale natum est ex B. Virgine, cruci affixum, & pro nobis mortuum. Ita SS. Ignatius Epistola ad Smyrnæos, S. Irenæus L. 5. c. 2. Justinus Apolog. 2. Tertul. L. 4. contra Marc. cap. 40. Cyprianus Epistola 63. & 54. Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi 4. mystag. Ambrosius L. 4. de Sacramentis cap. 4. & Lib. 6. cap. 1. Aug. Serm. 71. aliàs 11. de verbis Domini, Greg. Nyssenus Oratione catechetica cap. 37. Hilarius L. 8. de Trinit. Chrysostomus Hom. 83. in Matth. Cyrill. Alexandrinus Epistola ad Nestorium. Horum omnium verba laudavimus argumento primo & secundo pro fide præsentiæ realis. Consule. Porrò, non potest panis verum esse corpus Christi, nisi per sui conversionem in corpus; quamdiu etenim manet in substantia panis, nonnisi figurato ac metaphorico sensu corpus Christi dici potest: attamen Christus sensu vero, reali & substantiali dixit, *Hoc est corpus meum.*

II. Ad idem dogma transubstantiationis demonstrandum faciunt quotquot asserunt Christum de pane, vel panem fecisse corpus suum. Ita Tertullianus L. 4. contra Marc. cap. 40. S. Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi 1. mystagogica, S. Ambrosius L. 4. de Sacramentis cap. 4. S. August. Serm. 87. de diversis, quem laudat Beda in c. 10. 1. ad Corinthios. Denique omnes veteres Liturgiæ orationem continent; in qua Sacerdos à Deo postulat, ut dona sancta seu oblata corpus Christi efficiat: porro non alius esse potest sanus & legitimus sensus, quàm mutationis & conversionis; ut scilicet Deus virtute sua oblata dona, panem nempe & vinum, transmutet & convertat in substantiam corporis & sanguinis sui.

III. In eundem sensum conspirant, qui profitentur, post verba Christi non superesse naturam seu substantiam panis, tametsi aliter sensus judicent, quibus credendum non est: atque prodigium illud aliis divinæ potentiæ miraculis confirmant, in quibus mutatio reperitur, non accidentalis modò, sed substantialis. Ita S. Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi quarta mystagogica, Ambrosius Lib. de initiandis cap. 9. Chrysostomus Hom. 24. in primam ad Corinth. Hilarius Lib. 8. de Trinitate, Eusebius Emissenus Homilia 5. de Paschate, *Quando*, inquit, *benedicenda verbis cælestibus creatura sacris altaribus imponuntur, antequam invocatione summi nominis consecrentur, substantia illic est panis & vini: post verba autem, Christi corpus, & sanguis est Christi.* Lege quæ suprà retulimus argumento quarto & quinto.

Biblioth. PP. T. 6. p. 673. E.

IV. denique, sensum mutationis substantialis, seu transubstantiationis panis & vini in corpus & sanguinem Christi evidenter ingerunt, quotquot ex SS. Patribus ajunt panem & vinum converti, mutari, transmutari, transire in corpus & sanguinem. Ita

S. Cyrillus Hierosolymitanus catechesi 4. jam citata, *Aquam*, inquit, *Christus aliquando mutavit in vinum; & non erit dignus, cui credamus, quòd vinum in sanguinem suum transmutavit.*

P. 137. B.

S. Ambrosius L. de initiandis seu de Mysteriis c. 9. *Si tantum valuit*, inquit, *sermo Eliæ ut ignem de cælo deponeret, non valebit Christi sermo ut species mutet elementorum?... & qui potuit ex nihilo facere quod non erat, non potest ea, quæ sunt, in id mutare, quod non erant? Non enim minus est novas rebus dare, quam mutare naturas.* Audis loqui S. Doctorem de mutatione naturæ seu substantiæ.

To. 2. p. 330. B.

S. Gregorius Nyssenus Orat. catechetica c. 37. *Panis*, inquit, *statim per verbum transmutatur, sicut dictum est à Verbo, Hoc est corpus meum*, quod confirmat & illustrat comparatione panis materialis, qui à Christo dum in vivis esset comedebatur, atque in ejus convertebatur substantiam.

To. 2. p. 536. D.

S. Chrysostomus Hom. 83. in Matth. *Qui*, inquit, *hæc dona sanctificat & transmutat, ipse est* (nempe *Christus.*)

Ed. Com. p. 402. A. To. 1. p. 269. D.

S. Joan. Damascenus L. 4. Orthodoxæ fidei cap. 13. "Panis ipse, *inquit*, & vinum in corpus & sanguinem "Dei transmutantur. Si requiras, quonam pacto istud "fiat: sat tibi sit audire, hoc fieri per Spiritum S. quem"admodum & ex sancta Dei genetrice Dominus sibi ipsi "carnem assumpsit, quæ in seipso subsisteret: nec am"plius quidquam nobis perspectum est & exploratum, "quàm quòd Dei sermo verax efficaxque est, atque om"nia potest; modus vero investigari prorsus nequit. Audis quomodo verè fiat panis & vini substantialis mutatio in corpus & sanguinem Christi. Etsi modum hujus conversionis alloqui mens humana non valeat, exponit tamen & illustrat ibid. S. Doctor, exemplo naturalis mutationis ciborum in substantiam viventium. "Illud verò, *pergit ille*, dicere alienum non est, quem"modum naturaliter panis per comestionem, vinumque "& aqua per potionem, in corpus & sanguinem come"dentis & bibentis transmutantur, ut nec corpus fiant "aliud à corpore quod priùs exstabat: sic panem, qui in "Prothesi præpositus fuit, vinum item & aquam per "Spiritus S. invocationem & adventum, modo qui na"turæ viribus & conditione sublimior est, in Christi cor"pus & sanguinem converti, ut nequaquam duo sint, "sed unum & idem." Audis non esse duo in Eucharistia corpora, sed unum; igitur apertè profitetur S. ille Doctor, panis substantiam non remanere simul cum corpore Christi; alias duo forent corpora, non unum.

Ibid. p. 270. A. B.

Istud porro exemplum conversionis ciborum in substantiam comedentis, frequenter adducunt SS. Patres Græci, ut quomodocunque exponant qua ratione panis & vinum convertuntur in corpus & sanguinem Christi: hoc exemplo abusus fuit Durandus, ut assereret remanere in Eucharistia materiam panis, eique novam duntaxat formam accedere, quemadmodum remanet eadem materia cibi seu alimenti, quæ virtute nutritionis naturalis formam carnis humanæ acquirit; unde simpliciter post nutritionem caro dicitur, non panis. At manifestè aberrat Durandus, & auctoritate S. Joan. Damasceni abutitur; tum quia S. Doctor disertè pronuntiat non duo esse corpora, sed unum; tum quia modum conversionis panis & vini in corpus & sanguinem Christi ait esse *inexplicabilem*, atque hoc unum nobis exploratum esse, nempe verbum Dei efficax esse ac omnipotens; tum quia exemplum illud conversionis ciborum in substantiam comedentis, perfectum non esse, atque omni ex parte præsenti mysterio accommodatum, non obscurè innuit ibid. S. Doctor: utcunque igitur valet exemplum illud ad illustrandum & suadendum, non ad demonstrandum mysterium transubstantiationis. Frustra tot alia mutationum exempla, aquæ in vinum, virgæ Moysis in serpentem, & uxoris Loth in statuam salis, opponeret Durandus, in quibus commune quoddam subjectum, seu communis remanet materia, quæ ab una forma transit ad aliam: namque in hujuscemodi conversionibus non definivit Ecclesia, fieri *totius substantiæ conversionem* seu mutationem, quod de pane Eucharistico definivit. Quæ certè disparitas viro Catholico sufficere debet, nec alia ipsi inquirenda.

Denique S. Anselmus Ep. 106. L. 4. quæ est de corpore & sanguine Domini, *Nec dubitare*, inquit, *debet aliquis, quomodo panis in verum corpus Christi convertatur, ita ut panis substantia non remaneat, cùm multa alia non minùs miracula videamus.*

P. 413. col. 2. E.

Ad hanc constantem & perpetuam Ecclesiæ Traditionem attendentes Patres Synodi Rom. sub Greg. VII. an. 1079.

Tom. 10. Conc. p. 172. C. an. 1079. definiere, *panem & vinum substantialiter converti in corpus & sanguinem Christi.*

Et concilium Lateranensa IV. sub Innocentio III. anno 1215. cap. *Firmiter*, adhuc clarius rem exposuit ac definit. *Credimus*, inquiunt Patres, *ac confitemur, corpus & sanguinem Christi sub speciebus* Tom. 11. Conc. p. 143. *panis & vini veraciter contineri, transubstantiatis pane in corpus, & vino in sanguinem potestate divina.*

Concilium Flor. in Decreto seu Instructione Armenis data ait: Tom. 13. Conc. p. 537. D. *Verborum Christi virtute substantia panis in corpus Christi & substantia vini in sanguinem convertuntur.*

Sed omnium clarissimè ac disertissimè rem exponit ac declarat Concilium Trid. Sess. 13. cap. 4. & Can. 2. Tom. 14. Conc. p. 808. D. "Si quis dixerit, *inquit Can.* 2, in sacrosancto Eucharistiæ Sacramento remanere substantiam panis & vini "unà cum corpore & sanguine Domini nostri Jesu "Christi, negaveritque mirabilem illam & singularem "conversionem totius substantiæ panis in corpus, & "totius substantiæ vini in sanguinem, manentibus "dumtaxat speciebus panis & vini, quam quidem con"versionem Catholica Ecclesia aptissimè transubstan"tiationem appellat; anathema sit.

Qua in definitione tria observabis, 1. fieri conversionem totius substantiæ panis & vini in corpus & sanguinem; ergo si tota convertitur substantia, nulla ejus pars remanet: non materia, contra Durandum; non forma, contra nonnullos tempore S. Thomæ, 2. conversionem illam planè miram esse ac singularem; ergo nec ullum habet in natura exemplum, quia *singularis*; nec ab humana ratione comprehendi potest, quia *mirabilis*, hoc est, tota in mysterio recondita. Unde inferes, exemplum nutritionis naturalis, in qua sola remanente materia cibi, v. g. panis, forma dumtaxat ejus mutatur, ita ut quæ antea fuerat materia panis, vi nutritionis fiat materia carnis hominis, exemplum, inquam, illud, quo Græci non infrequenter utuntur, omni ex parte hìc accuratum non esse, in quo eadem materia remanet. 3. denique, remanere dumtaxat species panis & vini sine panis & vini substantia.

Refellitur Durandi commentator. Hanc Concilii Trid. definitionem eludere conatur Durandi Commentator Petrus Cally, quia scilicet, inquit ille, non remanet quidem in Eucharistia materia panis, quatenus est panis materia, sed quatenus per unionem illius cum anima & divinitate Christi, fit materia corporis Christi. Verùm mera hæc videtur illusio & argutia. Quomodo enim, rogo, materia, quæ ante consecrationem panis fuit, post consecrationem fit materia corporis Christi? An per sui conversionem seu mutationem in materiam corporis Christi? non certè in mente Commentatoris, qui putat eandem remanere portionem materiæ sub forma diversa. Ergo non mutatur ipsa panis materia, quæ pars est illius substantiæ; ac consequenter totius substantiæ panis non fit conversio, contra expressam Concilii Tridentini definitionem: unde melius in opinione Commentatoris transformatio panis dici debet, quàm transubstantiatio, cùm non materia, sed tantùm forma panis mutetur.

To. 11. p. 258. II. Intelligi non potest quomodo materia panis informaretur. Namque ut rectè arguit Bellarminus L. 3. de Euchar. c. 13. vel informaretur materia panis sola Christi anima, vel tota Christi humanitate: utrumque autem apertissimè falsum est. 1. Fingi non potest quomodo materia informetur à materia; materia enim potentiam habet ad formam, non ad materiam. 2. Nec dici potest materiam panis sola Christi anima informari: namque compositum illud ex materia panis & anima Christi, non esset caro, aut certè non esset illa caro, quæ de Virgine sumpta est, & in cruce suspensa; caro etenim Christi, quæ ex Virgine sumpta est, ex purissimo illius sanguine virtute Spiritus S. planè singulari formata fuit: caro verò corporis Christi Eucharistici ex materia panis conflata est. Non est igitur eadem caro, quæ sumpta est ex Maria Virgine & in cruce suspensa: atqui tamen eandem omnino esse testatur Christus Joan. 6. *Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.* Et Matth. 26. *Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur.*

III. Si remanet materia panis, ergo remanent pariter omnes ejus affectiones seu proprietates, quantitas, extensio, impenetratio, divisibilitas, corruptio &c. unde consequens est, corpus Christi Eucharisticum ex materia panis conflatum in se immediatè tangi, manducari, dividi, corruptioni obnoxium esse &c. Et reipsa Durandi Commentatorem consectaria hæc & absurda non terrent, quæ devorat: *Il ne faut pas avancer*, ait ille pag. 239. *que le corps de Jesus Christ sur nos autels soit glorieux & immortel.* Et pag. 256. *Le corps de Jesus Christ dans l'Eucharistie peut être sujet à la corruption à l'accroissement & décroissement, du moins à la façon des corps animes.* Quas propositiones, ut & alias plures ex eodem Libro excerptas, tanquam *falsas, temerarias, erroneas, scandalosas, Concilio Tridentino injuriosas, destructivas præsentiæ realis corporis Christi in Eucharistia, in hæresim circa transubstantiationem inducentes*, proscripsit antea dictus Illustrissimus Episcopus Bajocensis.

IV. ait Bellarminus, vel materia panis accedit reliquo corpori Christi, & in eo manet, vel accedit, sed non remanet, vel non accedit. Si accedit, & manet; ergo quotidie augetur & crescit corpus Domini, & jam in immensam molem excrevit: si accedit, & postea recedit; ergo quotidie crescit & decrescit, quod sanè quis ferat? Si non accedit, ergo tria sunt Christi corpora reipsa distincta, unum de Virgine sumptum; alterum conflatum ex materia panis, & Christi anima; tertium ex materia vini, & forma sanguinis Domini. Ecce, pergit Bellarminus, qualia figmenta Patribus omnibus contraria Durandi & Commentatoris ejus temeritas admittere cogitur.

V. Concilium Tridentinum Sess. 13. cap. 3. docet, vi verborum solum corpus poni sub speciebus panis; per concomitantiam verò, animam & divinitatem: porro in sententia Durandi ejusque Commentatoris, anima poneretur vi verborum consecrationis, quia nempe materia panis non fit corpus Christi, nisi propter unionem ipsius cum anima & divinitate Christi.

ARTICULUS III.

De mente S. Joannis Chrysostomi, Theodoreti, Gelasii Summi Pontificis, & Ruperti circa fidem transubstantiationis.

Tres illos inter Veteres potissimùm seligimus, ut exponantur, quia plus aliis momenti ac difficultatis præseferre videntur, & majori impetu nobis à Lutheranis opponuntur.

Solvitur Objectio ex S. Chrysostomo.

Objicies. S. Chrysostomus in Epistola ad Cæsarium Monachum, disputans adversus Synusiastas, ex eo dictos, quòd Christi carnem divinitati coæternam, & substantiæ illius insitam atque permixtam arbitrarentur, antesignano Polemo quodam, (unde Polemiana secta nuncupata est) ostendit exemplo Eucharistiæ, duas esse in Christo inconfusas & impermixtas naturas. Sic loquitur: *Unus Filius, unus Dominus, idem ipse* Edit. recent. To. 1 p. 744. B. *procul dubio unitarum naturarum unam dominationem, unam potestatem possidens, etiamsi non consubstantiales existunt, & unaquæque incommixtam proprietatis conservat agnitionem, propter quod inconfusa sunt duo. Sicut enim antequam sanctificetur panis, panem nominamus; divina autem illum sanctificante gratia,*

mediante

mediante Sacerdote, liberatus est quidem ab appellatione panis; dignus autem habitus Dominici corporis appellatione, etiamsi natura panis in ipso permansit, & non duo corpora, sed unum corpus Filii prædicamus. Sic & hic divina insidente corpori natura, unum Filium, unam personam utraque hæc fecerunt.

Ex quo testimonio sic arguunt adversarii: Qui docet naturam panis remanere in Eucharistia, ille profectò non favet dogmati transubstantiationis: atqui conceptis verbis docet S. Chrysostomus, naturam panis remanere in Eucharistia; ergo &c.

Quòd verò per naturam intelligat S. Doctor essentiam, seu substantiam panis, non ejus dumtaxat proprietates & accidentia,

Probant I. Quia rei alicujus proprietas ejus natura neque dicitur neque revera est.

II. Quia scopus & institutum S. Chrysostomi postulat, ut per natura, intelligat substantiam & essentiam. Oppugnat scilicet Sinusiastas seu Polemianam sectam; illa autem commixtam cum corpore divinitatem, & substantiarum factam fuisse confusionem contendebat; istud verò negat S. Doctor, exemplo Eucharistiæ: ut autem valeat similitudo necesse est, ut in Eucharistia panis maneat inconfusus & incommixtus cum corpore Christi.

Præterea, in illud potissimùm dirigitur argumentum S. Chrysostomi, ut probet humanam naturam Christi integram mansisse post unionem factam cum divinitate; ergo necesse est, ut valeat similitudo S. Doctoris, naturam panis in Eucharistia manere post consecrationem: unde in forma sic disputant.

Argumentum. Eodem prorsus modo contendit S. Chrysostomus, remanere in Eucharistia panis naturam post consecrationem, quo remanet in Christo post unionem factam cum divinitate, natura humana: atqui in Christo, post unionem factam cum divinitate, remanet integra & inconfusa natura humana, non tantùm congeries proprietatum & accidentium, atque hoc unum adversus Sinusiastas assequi conatur S. Doctor; censet igitur in Eucharistia remanere ipsam naturam seu substantiam panis post consecrationem.

Aliquibus supposita videtur Epistola S. Chrysostomi. Respondent aliqui, in suspicionem falsi ac suppositionis meritò venire Epistolam hanc S. Chrysostomi: tum quia à Petro Martyre omnium primo laudata est, & è tenebris eruta, non indicato neque loco, unde eam eduxisset, neque textu græco originali: tum quia stylus ab elegantia S. Chrysostomi alienus multum videtur; tum maximè quia disertè exponit & oppugnat errorem Nestorii de duplici in Christo persona: at certum est, vivente Chrysostomo, Nestorium errorem suum non sparsisse: obiit enim sanctus Doctor anno 407. Cucusi in Armenia, quò in exilium amandatus fuerat; ipse verò Nestorius creatus est Patriarcha Constantinopolitanus anno tantum 427.

Refelluntur. Verùm satis firmæ non videntur istæ suppositionis notæ. Non prima, quia clarissimus Bigotius Florentiæ in Bibliotheca PP. Dominicanorum hujusce Epistolæ versionem manuscriptam invenit, typis mandari curavit, ac quædam Græcorum Patrum testimonia ex illa Epistola decerpta, ad marginem apposuit. Deinde verò particulæ ejusdem Epistolæ quatuor græcè extant in Codice manuscripto Anastasii Presbyteri, qui annorum est septingentorum, & asservatur in Bibliotheca Collegii Parisiensis Societatis Jesu.

Non secunda, quia non habemus textum originalem græcum hujus Epistolæ, sed versionem tantùm latinam, eamque inconcinnam & barbaram, quæ græci sermonis elegantiam ac nitorem non refert.

Non tertia, quia Nestorio jam præluserant Theodorus Mopsuestenus, & alii nonnulli Hæretici, de quibus S. Athanasius in Epistola ad Epictetum Corinthiorum Episcopum, quæ extat Tom. 1. Operum S. hujus Doctoris, in recenti editione per doctissimos PP. Benedictinos adornata pag. 901. Potuit igitur S. Chrysostomus errorem, quem Nestorius subinde quidem apertiùs & latiùs disseminavit, sed jam exortum impugnare. Hac itaque missa responsione,

Resp. dist. maj. Qui docet naturam panis remanere in Eucharistia, ille non favet dogmati transubstantiationis; si per naturam intelligat substantiam & essentiam, quæ primum est rei cujuslibet constitutivum, concedo: si per naturam intelligat proprietates rei, nego. Dist. min. ad sensum maj.

Quòd autem S. Chrysostomus per naturam intelligat sensibiles rei proprietates, seu complexionem accidentium & proprietatum naturalium panis, quæ facta consecratione remanent, quales sunt v. g. color, sapor, quantitas, vis nutriendi &c. probatur

I. hoc invicto argumento. Citata in Epistola ita remanere dicit naturam panis, ut tamen expressè neget duo esse corpora, quemadmodum duo non sunt in Christo filii: atqui si per naturam intelligeret substantiam & essentiam rei, negare non posset, quin duo forent in Eucharistia corpora, nempe panem & corpus Christi; si verò per naturam intelligat solas proprietates sensibiles, seu accidentia panis, rectè concludit, unum esse corpus, non duo; accidentia enim ipsam panis substantiam ac corporalem materiam non efficiunt.

II. Quia solent non infrequenter Veteres, tum Græci tum Latini, per naturam intelligere congeriem seu complexionem sensibilium rei proprietatum seu accidentium, quæ exteriorem veluti rei naturam constituunt ac referunt, ex qua solet vulgus rem dignoscere ac denominare. Sic inter Latinos Tertullianus L. de anima cap. 32. ait, *aliud esse substantiam, aliud naturam substantiæ. Siquidem*, inquit, *substantia propria est rei cujusque; natura verò potest esse communis, V. g. substantia est lapis, ferrum &c. duritia lapidis & ferri, est natura substantiæ: duritia communicat, substantia discordat*, ubi per naturam perspicuum est, Africanum illum intelligere rei proprietates, qualis est duritia in lapide vel in ferro. **P. 182. C. D.** Sic inter Græcos Theodoretus Dialogo 2. loquens de corpore Christi, quale de sepulchro surrexit, ait, *illud priorem suam retinere formam, figuram, circumscriptionem, & ut semel dicam*, inquit, *corporis essentiam*, ubi certè per essentiam intelligit complexionem proprietatum exteriorum ac sensibilium. **T. 4. p. 82. & seq.** Quin & ipse S. Chrysostomus, de quo hìc excitatur controversia, Hom. 12. in Genesim agens de igne fornacis Babylonicæ, in quem injecti sunt tres pueri, ait, *Dominum, quando vult, elementa omnia in contrariam mutare essentiam.* **T. 4. p. 94. E.** Et tamen sacræ paginæ testantur igni solummodo ademptam fuisse vim comburendi, integra & salva remanente ignis substantia & natura. Igitur per essentiam hìc intelligit S. Doctor proprietatem comburendi quæ est in igne. Et in Psalm. 10. tum de eodem argumento, tum de leonibus loquens, quorum in fossam demissus est Daniel, ait, *elementa propria oblita natura mutata fuisse in id, quod illis pueris utile fuit; neque feras, amplius feras, neque fornacem fuisse amplius fornacem.* **T. 5. pag. 103. C.** Denique Hom. 4. ad populum Antiochenum, *Juvenum*, inquit, *pietas rerum naturam mutavit*, restricto videlicet ignis ardore, **T. 2. p. 51. C.** quibus certè in locis, *natura* nomen pro proprietatibus usurpari à Chrysostomo, cæcus sit oportet, qui non videat: quidni igitur & in Epistola ad Cæsarium Monachum, quæ hìc nobis objicitur, idem est sancti Doctoris sensus, eadem vocis *natura* seu *essentia* interpretatio?

III. Sensum hunc manifestè postulat scopus & institutum S. Doctoris adversus Sinusiastas disputantis, uti mox ostensuri sumus.

Ad primam confirmationem argumenti adversariorum,

Resp.

Resp. reipsa proprietates naturales ac sensibiles rei naturam interiorem, quam Philosophi vocant primum rei constitutivum, non constituere, ab ista siquidem illæ fluunt; sed constituunt naturam quam vocant exteriorem & sensibilem, à qua, usu communi & recepto, res talis esse dignoscitur ac denominatur: de interiori quippe substantia ne cogitat quidem vulgus. Sic apprehensis panis & vini proprietatibus sensibilibus, quæ in Eucharistia remanent, pronum est, ut judicet revera panis & vini adesse substantiam, nisi aliunde fides judicium sensuum ac rationis hac in parte corrigeret. Quid ita? quia panem vocamus, quod proprietates omnes ejus sensibiles refert ac continet.

Ad secundam, nego antecedens, scilicet scopum & institutum S. Doctoris postulare, ut per *naturam* intelligat, non proprietates rei, sed substantiam seu interiorem essentiam: imò planè contrarium exigit suscepta S. Doctoris disputatio.

Unde ad argumentum, nego maj. Exemplum enim Eucharistiæ & Incarnationis omni ex parte hîc aptum & accommodatum non videtur: neque ea quoque S. Doctoris mens est, ut velit æqualem esse paritatem. Quod ut intelligas,

Sententia Sinusiastarum exponitur.

Observandum est Sinusiastas, seu Apollinaristas, quos impugnat S. Chrysost. tria potissimùm docuisse.

I. Verbum ab æterno sibi coexistentem habuisse carnem, seu substantiam humanam; non materialem illam quidem & circumscriptam, aliisque humanæ naturæ proprietatibus circumvestitam, sed materiæ expertem, incircumscriptam, confusam, permixtam cum divinitate, & ab ea indistinctam.

II. Docebant Verbum divinum in tempore assumsisse, non quidem naturam humanam, quam juxta illos semper habuit, sed ejus formam exteriorem, effigiem, circumscriptionem, uno verbo omnes humani corporis affectiones & proprietates, in quibus, prout voluit, visus est, cum hominibus conversatus, passus, & mortuus, divinitate vices animæ humanæ ac mentis supplente, in quo præcipuus Apollinaris error positus erat: timebat scilicet ille, inquit S. Greg. Nazianz. *ne ratio humana cum divina pugnaret*, si humanam in Christo animam admisisset. Hoc eodẽ argumento ducti postea fuere Eutichiani & Monothelitæ, ut à Christo excluderent voluntatem, & operationes humanas.

III. Docebant peracto dispensationis nostræ mysterio, post Ascensionem resolutum fuisse corpus Christi, atque penitus depositam carnis effigiem, ita ut non amplius jam retineat humanam formam, nec priorem circumscriptionem, sub qua in terris visus est, sed omnino cum divina & incircumscripta natura, ut ante Incarnationem, confusa & permixta fuerit. Ita censuisse Apollinaristas & Sinusiastas testantur Veteres, S. Athanasius Epistola ad Epictetum, quam describit S. Epiphanius hæresi 77. S. Greg. Nyssenus apud Leontium Bisantinum Lib. 1. contra Nestorium & Eutychetem, Tom. 4. antiquarum Lectionum Canisii p. 28. S. Gregorius Nazianz. in Epistola ad Nectarium, Orosius Hispanus Presbyter in consultatione sive commonitorio ad Augustinum, de errore Priscillianistarum & Origenistarum, & alii.

Ex ista porro erroris Sinusiastarum expositione perspicuum est, illos non negasse esse in Christo humanam naturam, sed tantùm ejus affectiones ac proprietates naturales, animam scilicet, mentem, formam, circumscriptionem; unde consequens erat ut dicerent, naturam illam non quidem penitus deletam & extinctam in Christo fuisse, sed confusam & permixtam cum divinitate, atque ab ea absorptam.

S. igitur Chrysostomus ut directè errorem hunc impugnet, ostendit remanere in Christo omnes proprietates & affectiones naturales humanæ naturæ; & consequenter hanc confusam non esse & permixtam cum divinitate, sed ab ea planè distinctam; quod ut probet, affert exemplum Eucharistiæ, in qua panis & vini proprietates naturales post consecrationem supersunt. Quo certè in exemplo istud tantùm attendit S. Doctor, quod ad scopum & institutum suum pertinebat, nempe ut evinceret remanere in Christo proprietates naturæ humanæ: naturam enim ipsam humanam remanere non negabant, quamvis confusam ac permixtam cum divina, sed de ejus naturæ proprietatibus concertatio erat potissimùm, quas superstites esse probat exemplo Eucharistiæ. Atque ad hoc unum valet duntaxat illud exemplum: in alio enim disparitas est aperta; siquidem in Eucharistia panis & vini proprietates remanent absque propria & naturali sua substantia: at in mysterio Incarnationis proprietates naturæ humanæ supponunt ipsam humanam naturam, ex qua fluunt ac dimanant. Igitur in forma sic arguimus, in confirmationem nostræ solutionis.

Argumentum ex S. Chrysostomo, quo probatur per naturam eum intelligere proprietates naturæ

En ipso sensu *naturæ* nomen usurpat S. Chrysostomus, quo ipsi Sinusiastæ seu Apollinaristæ quos impugnat: atqui isti per *naturam* intelligebant potissimùm proprietates & affectiones naturales naturæ humanæ, quas in Christo post Ascensionem superesse negabant; naturam enim ipsam humanam, ut dixi, superesse non negabant, quamvis cum divina permixtam; ergo cùm S. Chrysostomus asserit remanere in Christo naturam humanam, & illud probat exemplo mysterii Eucharistiæ, in quo remanet natura panis & vini, per *naturam* intelligit proprietates naturales, seu accidentia panis & vini.

Instabis. S. Chrysostomus ex remanentibus Christo post Ascensionem naturæ humanæ proprietatibus, probat quoque remanere ipsam naturam humanam inconfusam, impermixtam, ac planè distinctam à divinitate; quod quidem exemplo Eucharistiæ confirmat & illustrat: at nisi velit panis & vini proprietates in Eucharistia supponere quoque propriam naturam seu substantiam panis & vini, argumentum illius planè concidit ac nihil probat.

Resp. nego min. argumentum enim S. Chrysostomi directè eò tantùm tendit, ut probet in Christo post Ascensionem naturam humanam suas habere proprietates & affectiones naturales, sicut in Eucharistia panis & vinum suas retinent, in quo uno stat comparatio; ex proprietatibus autem, quæ supersunt naturæ humanæ in Christo, probat deinde S. Doctor, superstitem quoque esse ipsam naturam, neque eam confundi cum divinitate; qua ex parte deficit exemplum Eucharistiæ, neque ad hoc à S. Chrysostomo profertur,

I. Quia satis ipsi erat ad debellandum errorem Sinusiastarum, quòd ostenderet remanere proprietates naturales humanæ naturæ in Christo, ut hinc directè probaret adversus eos, naturam ipsam humanam non confundi cum divina; illi quippe idcirco confundi dicebant eam naturam, quòd suis spoliata foret proprietatibus; ergo ex remanentibus proprietatibus naturæ humanæ rectè inferebat, in Hæreticorum ipsorum principiis, naturam humanam non permisceri neque confundi cum divina.

II. Quia in natura intelligenti ac spirituali, optimum est argumentum ex proprietatibus ad ipsam naturam, cùm esse non possint nec concipi illæ proprietates sine natura: v. g. nemo potest cogitationem & volitionem concipere, sine natura intelligente & volente. At non ita est in natura purè materiali, qualis est panis: potest quippe esse accidens panis, sine illius substantia, saltem divinitus; igitur exemplum Eucharistiæ omni ex parte accuratum non est & mysterio Incarnationis accommodatum; neque S. Chrysostomus illud in omnibus urget, sed ad hoc unum eo utitur, ut probet remanere in Christo proprietates naturales humanitatis, sicut remanent proprietates panis & vini in Eucharistia; in hoc uno stat & valet comparatio.

Solvitur Objectio ex Theodoreto.

Duo nobis ex Theodoreto testimonia opponunt Novatores, quorum prius realis præsentiæ Christi in Eucharistia, alterum transubstantiationis dogma impugnat, quæ duo hic conjungemus, ne separentur ac distrahantur, quæ ad eundem auctorem pertinent.

Objicies itaque 1. Dialogo primo, qui dicitur *Immutabilis*, duos inducit interlocutores, nempe Orthodoxum, qui causam agit Ecclesiæ, & Eranisten, seu Eutichianum, qui Eutichianorum partes tuetur: Eranistes dictus, id est mendicus; quia hæresis, quam defendit, à multis emendicatur, ut videatur similis mendici vestibus, quæ ex diversis pannis consarcinantur. In hoc autem Dialogo, inter argumenta multa, quibus probat contra Eutichianum nullam factam fuisse divinitatis mutationem, cùm Verbum caro factum est, adducit istud Gen. 49. *Lavabit in vino stolam suam, & in sanguine uvæ pallium suum*, atque inde colligit divinitatem non fuisse mutatam in naturam humanam, quia vestimentum omne distinguitur à re cujus est vestimentum: per pallium enim & stolam in citato loco, Gen. contendit debere intelligi Christi humanitatem, qua, tanquam veste seu velo quodam, obducta fuit divini-
T. 4. p. 17. A. tas. Sic itaque loquitur Orthodoxus: „ Sanguinem „ igitur uvæ Salvatoris appellavit sanguinem: si enim „ Dominus vitis appellatus est, & fructus vitis vinum „ appellatur, sanguinis verò & aquæ rivi ex latere Domini profusi per reliquum corpus deorsum manarunt, jure omnino & apposite vaticinatus est Patriarcha, Lavabit in vino stolam suam, & in sanguine uvæ „ pallium suum, Sicut enim nos mysticum vitis fructum „ post sanctificationem sanguinem Dominicum appellamus, sic veræ vitis sanguinem uvæ sanguinem no-
Ibid. D. „ minavit...... Salvator autem noster nomina permutavit, & corpori quidem, id quod erat symboli nomen imposuit; symbolo verò quod erat corporis. Sic „ vitem seipsum qui nominavit sanguinis nomen symbolo tribuit.

Ex hoc testimonio duplex istud argumentum colligunt Novatores.

Primum est: Juxta Theodoretum eodem modo vinum sanctificatum appellamus sanguinem Christi, quo Jacob sanguinem uvæ, id est, vinum, Christi sanguinem appellavit; atqui sensu dumtaxat figurato & metaphorico Jacob vinum appellavit Christi sanguinem; ergo &c.

Secundum argumentum istud est: Juxta Theodoretum, Christus nomina permutavit, & symbolo corporis, corpori verò nomen symboli dedit, cùm seipsum panem appellavit, & panem dixit esse corpus suum: atqui Christus sensu tantùm metaphorico se panem appellavit; ergo pariter sensu figurato & metaphorico dixit panem esse corpus suum.

Resp. ad primum; nego maj. Neque enim parem esse ex utraque parte in omnibus comparationem vult Theodoretus; sed tantùm quantùm ad permutationem nominum. Secundo quippe Dialogo clarè significat, in nova Lege Christum non tantùm dedisse symbolo, nempe pani, nomen sui corporis, sed etiam reipsa panem fecisse corpus suum. Quærenti enim Eranistæ seu
B. p. 85. B. Eutichiano, *quomodo post sanctificationem symbola appellentur*; respondet Orthodoxus, *corpus & sanguinem Christi*. Tum Eranistes: *Et credis*, inquit, *te corpus Christi & sanguinem percipere?* Orthodoxus
Ibid. C. respondet, *ita credo*. Et postea: *Intelliguntur autem* (nempe symbola) *ea esse, quæ facta sunt, & creduntur, & adorantur, ut quæ illa sint, quæ creduntur*. At si panis & vinum sunt tantùm figuræ vacuæ corporis & sanguinis Christi, neque fidei locus est, neque adorationi.

Istas igitur propositiones Christi; *Ego sum vitis*; *Ego sum panis*; &, *Hoc est corpus meum*, *Hic est sanguis meus*, non comparat Theodoretus quoad veritatem, vel quoad modum significandi, sed tantùm eas refert ad eundem scopum; nempe per sanguinem uvæ, in quo Jacob Messiam pallium suum lavaturum prædixit, Christi sanguinem esse intelligendum, & Christum dedisse symbolo nomen corporis sui & suo corpori nomen symboli, quamquam ratione longè diversa; in veteri enim Lege symbolo nomen tantum corporis dedit, sine veritate ipsa; in nova autem Lege symbolo, nempe pani, & nomen & veritatem corporis sui dedit, eum convertendo in corpus suum. Hinc patet solutio

Ad secundum argumentum. Alia enim ratione Christus panem appellavit corpus suum, & alia se ipsum vitem ac panem esse dixit; prius, per veram conversionem; posterius, per figuram, propter analogiam quamdam vitis & panis cum Christo, quam exposuimus supra Art. 3. Qu. 2. in solutione 3. Objectionis contra verba institutionis ex c. 10. S. Joan. Consule.

Instabis 1. Dialogo 2. Theodoretus ait, Christum *visibilia symbola corporis sui appellatione tantùm honorasse; non naturam*, inquit, *mutans, sed naturæ gratiam addens*. En clarè expressa, inquiunt adversarii, præsentia virtutis & efficaciæ Christi in Eucharistia.

Resp. particulam *tantùm*, non extare in citato Theodoreti loco: hac autem sublata, nulla superest difficultas. Cum enim Christus panem in corpus suum converterit, rectè dicitur honorasse panem: *appellatione corporis sui*: cùm verò addit, non esse mutatam naturam, intelligit accidentia sensibilia panis, quæ ejus exteriorem ac sensibilem naturam constituunt, ut constat ex antedictis, & constabit adhuc ex solutione ad secundum Theodoreti testimonium.

Instabis 2. Theodoretus ait symbolis additam quidem esse gratiam, sed non ait, additam substantiam corporis Christi.

Resp. unum ex alio sequi. Gratia enim illa vel est consecratio & benedictio, per quam panis fit corpus Christi, vel est Christus ipse, gratia substantialis, de quo Apostolus Hebr. 2. v. 9. ait, *Gratia Dei pro omnibus gustavit mortem*. Hunc autem esse Theodoreti sensum, constat ex verbis eius antea citatis, quibus asserit, symbola esse revera corpus & sanguinem Christi, illa facta esse id quod creduntur & adorantur; igitur gratia illa verum est Christi corpus, non virtus & efficacia quædam ab illo distincta & dimanans, ut fingunt Novatores.

Instabis 3. Eodem Dialogo Theodoretus ait, symbola sacra figuram esse ac typum corporis & sanguinis Christi; ergo non putat ea verum esse ac reale corpus Christi.

Resp. nego conseq. figura enim non semper excludit rei veritatem; sed eam aliquando continet. Ita columba, linguæ igneæ, Baptismus &c. simul figurabant & continebant Spiritum S. Vide quæ supra dicta sunt, ubi solvebamus Objectiones contra præsentiam realem.

Porro Theodoretum velle symbola sacra figuram esse plenam corpore & sanguine Christ, non vacuam & inanem, clarè colligimus ex verbis jam citatis in responsione ad primum argumentum.

Objicies 2. contra dogma transubstantiationis aliud Theodoreti testimonium, ex Dialogo secundo, qui dicitur *Inconfusus*, in quo adversus Eutichianum efficere nititur, naturam humanam Christi post Ascensionem non esse cum divina permixtam atque confusam: cùmque Orthodoxus, quem inducit cum Eraniste colloquentem, mentionem injecisset Sacramenti Eucharistiæ, Eranistes statim hanc occasionem arripit, ut probet exemplo Eucharistiæ, naturam humanam in Christo post Ascensionem cum divina permisceri. *Opportunè*, inquit Eranistes ad Orthodoxum, *de divinis* Ibid. p. 84. D.

myste-

mysteriis intulisti sermonem. Nam inde tibi ostendam corpus Domini in aliam mutari naturam. Responde igitur ad mea interrogata. Respondebo, inquit Orthodoxus. *Quo appellas donum quod offertur ante Sacerdotis invocationem*, quærit Eranistes? Respondet Or- Ibid. p. 85. B.
thodoxus, *Corpus Christi, & sanguinem Christi. Sicut ergo*, pergit Eranistes, *symbola Dominici corporis & sanguinis, alia sunt ante Sacerdotis invocationem, post invocationem verò mutantur & alia fiunt; ita Dominicum corpus post Ascensionem in divinam substantiam mutatum est*. Orthodoxus verò reponit. *Retibus quæ ipse texuisti captus es. Neque enim symbola mystica post sanctificationem recedunt à sua natura. Manent enim in priore substantia, & figura, & forma, & videri tangique possunt, sicut & prius.... Corpus igitur Christi priorem habet formam, & circumscriptionem, & ut semel dicam, corporis substantiam.*

Ex quo loco sic arguunt adversarii: Qui Eutichiano probanti factam esse mutationem naturæ humanæ in divinam in Christo post Ascensionem, sicut in Eucharistia post consecrationem fit symbolorum mutatio in corpus Christi, reponit, symbola non recedere à priori sua natura, sed manere in priori sua substantia, licèt contineant corpus Christi, ille profectò censet, simul cum corpore & sanguine Christi remanere in Sacramento Eucharistiæ substantiam panis & vini, atqui ita reponit Theodoretus Eranisti seu Eutichiano; ergo &c.

Confirmatur istud argumentum ex scopo & consilio Theodoreti eo in Dialogo. Mens quippe ipsius est ostendere, in Christo post Ascensionem naturam humanam integram remanere cum omnibus suis proprietatibus, non confusam neque permixtam cum divinitate; idque ostendit exemplo Eucharistiæ: atqui si supponeret in Eucharistia panis & vini substantiam non remanere, sed mutari in corpus & sanguinem Christi, non tantùm intentum suum non probaret, sed contrarium planè statueret. statim enim Eutichianus reposuisset, paritatem esse omnimodam; atque sicut in Eucharistia non remanet substantia panis & vini post consecrationem, sed tota convertitur in substantiam corporis & sanguinis Christi, ita quoque post Ascensionem, natura humana tota mutatur & convertitur in divinam. Igitur vel nihil omnino probat argumentum Theodoreti, vel supponit, post consecrationem superstitem remanere panis & vini substantiam.

Resp. 1. Si cum Cardinali Perronio textum Theodoreti sic legamus, *Manent enim in prioris substantiæ figura & forma*. nempe symbola mystica, difficultatem evanescere; sensus enim est, ante consecrationem symbola illa suam habere naturam & substantiam, facta autem consecratione, ea retinere tantùm prioris substantiæ figuram & formam, id est accidentia & proprietates sensibiles, priori substantia non amplius superstite.

Resp. 2. Theodoretum eodem planè sensu & modo exponendum esse, quo paulò ante S. Chrysostomum exposuimus; unum enim & idem est utriusque argumentum, unus & idem scopus, unus & idem error, quem impugnat Chrysostomus in Synusiastis seu Apollinaristis, & Theodoretus in Eutichianis, qui ab Apollinaristis prodiere, ut observat Facundus L. 8. cap. 4. Ergo sicut Chrysostomus per naturam intelligit sensibiles rei proprietates externas, in quibus communi hominum usu rei natura posita esse videtur, ita & Theodoretus; & sicut Synusiastæ, quos oppugnat S. Chrysostomus, non negabat remanere in Christo naturam humanam, tametsi confusam & permixtam cum divina, ita nec Eutichiani cum quibus agit Theodoretus: sed negabant tantùm remanere proprietates illius externas & sensibiles, ita & Eutichiani, cum quibus agit Theodoretus. Unde in forma ad argumentum

Resp. dist. maj. Si per naturam & substantiam intelligat Theodoretus interiorem rei essentiam, quæ primum est illius constitutivum, concedo: si intelligat tantùm proprietates naturales sensibiles & externas, nego. Porro hoc posteriori sensu naturæ nomen usurpasse Theodoretum, patet ex ipso Dialogo secundo, ubi ait, *mare & guttam mellis habere eandem naturam, humidam, fluidamque*: humor autem & fluiditas sunt materiæ qualitates, non ipsamet rei natura & substantia. Ib. p. 77. B.
Et in loco qui objicitur, postquam dixit *symbola eucharistica non recedere à priori sua natura, sed manere in priori substantia*, statim explicat, quid intelligat per illam naturam & substantiam, nempe *figuram & formam in qua videri tangique possunt*. Rursus ibidem loquens de corpore Christi post Ascensionem, ait, *illud priorem habere formam & circumscriptionem, &, ut semel dicam*, inquit, *corporis substantiam*. Igitur per *naturam & substantiam* intelligit Theodoretus proprietates naturales sensibiles & externas, in quibus, usu populari ac recepto, rei natura posita esse dicitur. Ib. p. 85. C.

Ad confirmationem, resp. ut antè, exemplum Eucharistiæ omni ex parte aptum & accommodatum non esse mysterio Incarnationis; neque etiam ad institutum Theodoreti necesse esse, ut illud in omnibus urgeat. Satis enim ipsi erat, si probaret remanere in Christo post Ascensionem proprietates naturæ humanæ, sicut remanent accidentia panis & vini in Eucharistia, in quo uno stat paritas: ex ipsis verò naturæ humanæ proprietatibus rectè ostendit, ipsam quoque naturam remanere, tum quia, ut dixi, unum ex alio rectè sequitur in natura spirituali; tum quia non negabant absolutè ac simpliciter Apollinaristæ & Eutichiani, naturam humanam remanere in Christo post Ascensionem, sed eam cum divina confundi ac permisceri contendebant: ad quod figmentum evertendum satis erat, si probaretur naturam illam suis omnibus indui & ornari proprietatibus naturalibus.

Solvitur Objectio ex Gelasio S. Pontifice.

Sedere cœpit an. 492. Ex illius Libro de duabus in Christo naturis hæc objiciunt Lutherani contra transubstantiationem. *Certè*, inquit, *Sacramenta, quæ sumimus corporis & sanguinis Christi, divina res est; propter quod & per eadem divinæ efficimur consortes naturæ..... Sicut igitur in hanc, scilicet in divinam transeunt, S. Spiritu perficiente, substantiam*, [nempe symbola sacra] *permanente tamen in sua proprietate natura; sic illud ipsum mysterium principale, cujus nobis efficientiam virtutemque veraciter repræsentant, ex quibus constat propriè permanentibus unum Christum, quia integrum verumque permanere demonstrant.* Biblioth. PP. To. 8. p. 704. E.

Recurrit hìc idem argumentum sæpiùs jam dictum, ex comparatione Eucharistiæ cum Incarnatione.

Verùm respondeo eandem etiam recurrere solutionem: est enim idem S. Chrysostomi, Theodoreti & Gelasii sensus, cùm sit idem eorum scopus, & idem error ab illis impugnetur, eodemque planè medio. Per naturam intelligit scilicet Gelasius, naturæ proprietates; quod non obscurè ipse innuit, cùm ait *naturam permanere in sua proprietate*. Accommoda Gelasio, quæ dicta modò sunt in exponenda mente S. Chrysostomi & Theodoreti.

Necesse igitur non est recurrere ad responsionem eorum, qui vel negant Librum illum, unde ducitur Objectio, esse Gelasii; vel ajunt deferendam hìc esse tum S. Chrysostomi, tum Theodoreti & Gelasii auctoritatem, quia nondum eorum ætate satis eliquatum fuerat ac clarè definitum dogma transubstantiationis. Ita Alanus Lib. 1. de Eucharistia cap. 35. & de Valentia in Opusculo de transubstantiatione.

De Ruperto.

Rupertum Abbatem Tuitiensem errasse contra catholicum transubstantiationis dogma putat Bellarminus, & multi cum illo: alii ab errore eum vendicant.

Objiciunt itaque 1. ex L. 2. de divinis Officiis c. 2. & 9. ubi Rupertus admisisse videtur unionem quamdam hypostaticam inter panem & corpus Christi, similem illi, quæ est inter Verbum & humanitatem.

Ed. Moguns. 1631. To. 2. p. 760. c. 2. Ib. p. 762. col. 2. Capite 2. sic loquitur: *Similiter unum Verbum & olim carnem de Maria Virgine sumpsit & nunc de altari salutarem hostiam accipit.*

Capite vero 9. ait: „Materia vel substantia Sacrificii quod erat tunc, & nunc est in manibus Pontificis "nostri, non simplex est, sicut nec Pontifex ipse solius "divinæ, vel solius humanæ substantiæ est. Est enim "tam in Pontifice, quam in sacrificio divina substantia "& terrena. Terrena in utroque est, id quod corporaliter vel localiter videri potest: divina in utroque Verbum invisibile est, quod in principio erat Deus apud "Deum. Nam cum diceret idem Magnus Pontifex panem & vinum tenens, Hoc est corpus meum, Hic est "sanguis meus: vox erat Verbi incarnati, vox æterni "principii, verbum antiqui consilii. Verbum quod humanam acceperat naturam, id est in carne manens, "panis & vini accipiebat substantiam, vita media, panem cum sua carne, vinum cum suo jungebat sanguine. Quemadmodum incorporeis sensibus mentis & "corpulento aeri media lingua intervenit, & utrumque "conjungens unum sermonem efficit, quo in aures demisso id quod audibile est, cito absumitur & transit, "sensus autem sermonis & in dicente, & in eo, qui audit integer permanet & inconsumptus. Sic Verbum "Patris carni & sanguini quem de utero Virginis assumpserat, & pani ac vino quod de altari assumpsit, medium interveniens, unum sacrificium efficit, quod "cum in ora fidelium Sacerdos distribuit, panis & vinum absumitur & transit.

Resp. ad primum, hoc unum citatis verbis efficere Rupertum, unum scilicet esse corpus Christi non plura, sicut unum est Verbum à quo suscepta est humanitas, & unum sacrificium quod à Sacerdotibus offertur. Ib. p. 760 col. 2. *Igitur*, ait Rupertus, *unum corpus est, & quod de Maria genitum in cruce pependit, & in sancto altari oblatum, quotidie nobis ipsam innovat passionem Domini.* Unitate autem illam corporis, probat ex unitate Verbi: *Nec duo*, inquit, *corpora dicuntur aut sunt, hoc quod de altari, & illud quod de utero Virginis; quia videlicet unum idemque Verbum, unus idemque Deus, sursum est in carne, hic in pane. Alioquin & ille panis quem heri sacrificavimus, & ille quem hodie vel cras sacrificabimus, plura sunt corpora, nec recte dicimus offerri ab Ecclesia corpus Domini, meliusque diceremus, corpora, quia quotidie pene tot offeruntur panes, quot habentur in Ecclesia Sacerdotes; sed hoc prohibet causa, convincit ratio, religio respuit; unitas enim Verbi unitatem efficit sacrificii.* Non aliud est Ruperti intentum. Quod vero agnoscat dogma conversionis seu transubstantiationis panis in corpus, & vini in sanguinem Christi, patet ex eodem ipso loco qui objicitur, bis quippe repetit *panem & vinum in verum corpus & sanguinem Domini transferri.*

Ad secundum, eadem est mens, idem consilium Ruperti; unum scilicet esse sacrificium, quia unum est Verbum, unum Christi corpus.

Cum vero ait materiam sacrificii *simplicem non esse sed constare ex duplici natura, una terrestri, & altera divina, quemadmodum & ipse Pontifex noster Christus duplici natura constat*, per terrenam sacrificii naturam, intelligit auctor materiam panis ante consecrationem; & post consecrationem species seu accidentia panis & vini, unde ait, *terrenam substantiam esse secundum id quod corporaliter vel localiter videri potest.* Deinde comparatio quam instituit inter mentem & aerem, quæ duo lingua conjungens, unum efficit sermonem, & verbum quod panem assumens, unum efficit sacrificium, comparatio, inquam, illa non eo tendit; ut probet Rupertus hypostaticam unionem esse inter panem & Christum in Eucharistia, nisi velis eo absurditatis delapsum illum fuisse, ut inter aerem & mentem, hypostaticam pariter unionem admiserit, ad eumdem mediante lingua efformandum sermonem. Hoc unum igitur intendit, unum esse sacrificium, sicut unus est Christus, & unum ejus corpus; quemadmodum unus est sermo, quem ex mente & aere percusso efformat lingua. Si comparationem illam ulterius protendas, ridiculam ac plane absurdam sententiam Ruperto affinges.

Objiciunt 2. ex L. 6. in Joan. p. 315. editionis Parisiensis Caroli Chatelin., ubi sic loquitur Rupertus: *Verbum quod est panis Angelorum caro factum est, non mutatum in carnem, sed assumendo carnem; sic idipsum Verbum jam dudum caro factum panis visibilis fit, non mutatum in panem, sed assumendo, & in unitatem personæ suæ transferendo panem. Proinde sicut de carne nostra, quam Virgo Maria peperit, vere fatemur propter unitatem personæ, quia Deus est; sic nihilominus de pane illo visibili, quem ejusdem Verbi invisibilis divinitas assumens in carnem suam transfert, vere & catholice confitemur, quia corpus Christi est.* Ed. Moguns. 1631. T. 2. p. 327. col. 1. Videtur hic Rupertus similem inter panem & Christum hypostaticam unionem agnoscere, cùm ea quæ est inter Verbum & humanitatem.

Et Lib. 7. pag. 319. *Quomodo*, inquit, *senex Abraham videre potuit, ut & arietem percuteret, & filium ara superpositum non læderet. Licèt panis iste visibilis cum invisibili Filio Dei unum factus sit, aries autem ille cum Isaac, pro quo eidem aræ impositus est, unum esse vel fieri non potuerit. Nam Filius Dei, id est Deus & homo, habet in se virtutem effectivam qua sibi uniat panem illum visibilem; Isaac autem illum sibi concorporare, salva utraque substantia, non poterat arietem. Proinde illic in figura immolatus est Isaac in ariete, hic in pane & vino immolatur Dei Filius in carnis & sanguinis sui veritate.* Ib. p. 331. col. 2.

Et pag. 321. *Sicut Deus & homo unus est Christus*, ait, *sic & iste panis visibilis consecratus, cum illa carne quæ pependit in cruce, una caro est, unum est Christi corpus. Et quia sicut in vera carnis morte divinitas nihil passa est, sic ubi in altari verum Christi corpus immolatur, frangitur, & manducatur, eadem Christi humanitas quæ semel passa est & resurrexit, nihil patitur.* Ib. p. 333. col. 1.

Resp. ad primum testimonium: hic unus est Ruperti scopus in comparatione quam instituit, inter assumptionem humanitatis à Verbo, & assumptionem panis à Christo, quòd sicut Verbum mutatum non fuit in humanitatem, ita Christus assumendo panem, mutatus non fuit in panem. Imò expressè affirmat eodem in loco Rupertus, Christum *panem terrenum in carnem suam transmutare*, quod de Verbo assumente humanitatem in unitatem personæ nusquam dixit. At quomodo stare posset illa unio hypostatica cum transmutatione unius substantiæ in alteram, siquidem in unione hypostatica utraque natura inconfusa & impermixta remanet, non autem cùm una natura seu substantia in aliam convertitur & transmutatur? Assumpsit ergo Christus & humanitatem in Incarnatione, & panem in Eucharistia, sed non eodem modo: assumpsit humanitatem, eam sibi hypostaticè uniendo; & assumpsit panem, non per unionem hypostaticam, sed per conversionem panis in corpus suum; & quemadmodum in Incarnatione unus est Christus non mutatus in humanitatem, ita in Eucharistia unum est corpus non mutatum in panem, imò panis mutatur seu convertitur in corpus. Hoc unum præ oculis habebat Rupertus,

cùm

cum hæc scribebat. Et verò ibidem conversionem panis in corpus, & vini in sanguinem diserte ille agnoscit *Ib. p. 320. col. 1.* his verbis: *Crede & hoc*, inquit, *quia panis ille visibilis, & vinum, quamvis nihil de exteriori specie mutatum sit, in alium transierint, & illum cibum potumque conversa sint, qui Angelorum victus est.* Et in ipso textu qui objicitur, *ipse panis cælestis*, ait, *panem terrenum nobis das, quem viventibus & quibus manducari potest, vitam des æternam, in carnem suam* *Ib. p. 327. col. 1.* *transmutas.* Cum vero Rupertus ait Christum *in unitatem personæ transferre panem*, non aliud intendit, nisi quod unum sit, non duo in Eucharistia corpora, sicut ipse aliis in locis declaravit, & jam observavimus: quod & in hoc ipso citato textu manifestum est, cum asserit Christum *panem in carnem suam transmutare.* Si transmutat, ergo non remanet; ergo vera fit transmutatio.

Ad secundum testimonium ex L. 7. ductum i observa dicere quidem Rupertum, panem unum quid *esse cum Christo* post consecrationem, non autem *simul esse cum Christo*: panis reipsa post consecrationem unum quid est cum Christo, quia non amplius panis est, sed Christus ipse, unde non simul est cum Christo; aliàs Christus diceretur esse simul cum semetipso. Rupertus loco citato istam diluit nonnullorum objectionem, *Si revera panis iste Christus est, ergo contra Apostoli sententiam & contra fidem, toties Christus patitur vel moritur, quoties hic panis in mensa frangitur.* Respondet Rupertus, Christum nec pati nec mori cum panis frangitur, quia fractio hæc non in substantiam corporis Christi, in quam panis mutatus fuit, sed in species duntaxat, seu in ipsa cadit accidentia: quod illustrat comparatione Isaaci, qui aræ superpositus non fuit, nec immolatus, sed ejus loco aries ab ipso plane distinctus. *Hæc in pane*, pergit Rupertus ibidem post *Ib. p. 332. col. 2.* verba quæ objiciuntur, pag. 320. *hæc* inquam, *in pane, de quo dicturus sum*, Hoc est corpus meum, *& in vino de quo dicturus sum*, Hic est sanguis meus, *invisibiliter operatur, ut vera caro mea sit, & sanguis meus, non mutata specie exteriori, sicut & in singulis hominibus spiritualiter, id est nihilo immutato de extrinsecis corporis accidentibus, hoc agunt ut membra mea sint.* In fractione igitur panis Christus nihil patitur, juxta Rupertum, quia fractio illa fit in accidentibus seu speciebus, in quas omnis mutatio & corruptio recidit.

Ad tertium, hoc unum ex citatis verbis extundi potest, quod verissimum est, unum scilicet esse corpus Christi quod est in Eucharistia, & quod in cruce pependit.

Ed. Mogunt. T. 1. p. 191. col. 2. Objiciunt 3. id quod ait Rupertus L. 2. in Exodum cap. 10. ubi sic loquitur: „Comedetis assum tantum "igni, id est, totum attribuetis operationi Spiritus S. cu"jus affectus non est destruere vel corrumpere substan"tiam, quamcumque suos in usus assumit, sed substan"tiæ bono permanenti quod erat, invisibiliter adjicere "quod non erat. Sicut naturam humanam destruxit, "cum illam ex operatione sua ex utero Virginis, Deus "verbo in unitatem personæ conjunxit; sic substantiam "panis & vini secundum exteriorem speciem quinque "sensibus subactam non mutat aut destruit, cum eidem "Verbo in unitatem corporis ejusdem quod in cruce pe"pendit, & sanguinis ejusdem quem de latere suo fudit, "ista conjungit. Item quomodo Verbum à summo de"missum caro factum est, non mutatum in carnem, sed "assumendo carnem; sic panis & vinum utrumque ab "imo sublevatum fit corpus Christi & sanguis, non "mutatum in carnis saporem, sive in sanguinis horro"rem, sed assumendo invisibiliter utriusque, divinæ "scilicet & humanæ, quæ in Christo est, immortalis "substantiæ, veritatem. Proinde sicut hominem, qui de "Virgine sumptus in cruce pependit, rectè & catholicè "Deum confitemur, sic veraciter hoc quod sumimus de "S. altari, Christum dicimus, agnum Dei prædicamus.

Statuit eo loci Rupertus, velut certum ac fixum principium, Spiritum sanctum non destruere substantiam earum rerum, quas ad aliquos usus assumit. Ita nec in Incarnatione, humanitatis, sed in Eucharistia, panis destruit substantiam; unde sequitur integram remanere panis substantiam in Eucharistia, sicut integra remanet humanitatis in mysterio Incarnationis.

Resp. Rupertum duplicem agnoscere mutationem, unam qua res sic mutaretur, ut destrueretur penitus, ac in nihilum rediret, quæ mutatio destructive dicitur; alteram vero, per quam res ita mutatur, ut simul perficiatur. Et hæc rursus duplex est, una per quam res quæ mutatur & perficitur, suam adhoc priorem retinet naturam & substantiam; altera vero, per quam nihil de priori substantia superstes remanet. Cum vero asserit Rupertus L. 2. in Joan. "Dominus, *inquit*, nec de nihilo *Ed. Mogunt. T. 2. p. 248. col. 1.* „vinum, quo convivas lætificaret, nec de nihilo vinum, „quo convivas lætificaret, nec de nihilo panem fecit, „quo turbas esurientes satiaret, nec aliquid omnino in „tota suorum serie signorum, de non existentibus fecit, „sed vel existentia in majus & melius provexit, faciendo „de aqua vinum." Mens igitur Ruperti hæc est Christum Dominum in omnibus miraculis in quibus facta est conversio, v. g. aquæ in vinum in Cana Galilææ, non destruxisse, seu non annihilasse priorem substantiam, sed perfecisse & in melius eam commutasse. Talem porrò mutationem perfectivam panis in corpus Christi agnoscit auctor in Eucharistia, non remanente quidem panis substantia, sed ea in substantiam corporis Christi commutata. „Panis & vinum, *inquit*, utrumque ab „imo sublevatum fit corpus Christi & sanguis, non mu„tatum in carnis saporem, sive in sanguinis horrorem, „sed assumendo invisibiliter utriusque, divinæ scilicet „& humanæ, quæ in Christo est, immortalis substantiæ „veritatem." Tota igitur difficultas quæ ex Ruperto nobis hic opponi potest, in eo est, an substantia panis, quam ille agnoscit converti seu mutari in corpus Christi, dicenda sit destructa vel annihilata, an tantum mutata & conversa, quæ certe quæstio levissimi momenti est ac de solo nomine.

Proponuntur & solvuntur nonnullæ quæstiones quæ sequuntur ex dogmate realis præsentiæ Christi in Eucharistia, & transsubstantiationis.

Quæres igitur 1. an Eucharistia sit adoranda cultu latriæ; & ad quid referatur talis adoratio.

Resp. adorandam esse, eamque adorationem Christum verum Deum in Eucharistia præsentem referri.

Ratio est, quia Christus adorandus est adoratione suprema, cum sit verus & substantialis Deus. Deut. 6. & Matth. 4. *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies*, Hebr. 1. v. 6. *Cum introducit primogenitum in orbem terræ, dicit Et adorent eum omnes Angeli Dei.* Atqui Christus, ex ante dictis, vere, realiter & substantialiter præsens est in Eucharistia; ergo &c.

Adoratio autem illa tota refertur ad Christum ipsum, non ad symbola & species externas, quæ, licet cultu aliquo religioso sint honorandæ, non tamen supremo & latriæ. Hinc immerito Calvinistæ nos *ἀρτολάτρας*, id est, panis adoratores, ad invidiam appellant. Neque refert, quod ante species illas procumbamus namque exterior illa corporis conformatio confirmatio ex interiori adorantis mente atque intentione dirigitur ad ipsum Christum; perinde ac ii, qui coram Christo in terris degente adorantes procumbebant, non ad vestes, quibus indutus erat, sed ad Christum ipsum suum cultum & adorationem dirigebant. Cum igitur ajunt Orthodoxi, se adorare Sacramentum Eucharistiæ, rem contentam, nempe Christum, usurpant pro re continente: neque enim ad symbolum ipsum refertur & in eo sistit adoratio, sed ad Christum verum Deum.

Sed, inquies, praxis illa exponit Fideles periculo idololatriæ: fieri enim potest ex malitia vel incuria Sacerdotum, ut hostia quæ adorando proponitur, non sit consecrata.

Resp. Probaret argumentum istud, non tantum abstinendum fore ab adoranda Eucharistia, sed etiam à sumenda. In casu igitur proposito nullum est idololatriæ periculum: namque, ex mox dictis, adoratio pendet ex intentione adorantis: at ille Fidelis bono animo existimat se adorare Christum in hostia consecrata præsentem; quamvis igitur in objecto sit error, non tamen in actione; quemadmodum qui alium à Christo, dum in terris erat, adorasset, existimans ob vultus similitudinem, esse Christum ipsum, reus profecto idololatriæ non fuisset; cultus enim ille & adoratio ex intentione adorantis ad verum Christum ordinatus fuisset.

Adorationem illam sicut & solemnem corporis Christi festivitatem ac circumgestationem sic definit Concilium Trid. Sess. 13. can. 6. *Si quis dixerit, in sancto Eucharistiæ Sacramento Christum unigenitum Dei filium non esse cultu latriæ, etiam externo, adorandum, atque ideo nec festiva peculiari celebritate venerandum; neque in processionibus; secundum laudabilem & universalem Ecclesiæ sanctæ ritum & consuetudinem, solemniter circumgestandum, vel non publice, ut adoretur, populo proponendum, & ejus adoratores esse idololatras; anathema sit.*

Tr. 14. Conc. p. 309. A.

Quæres 2. an proprie annihiletur panis & vinum, cum utriusque fit conversio in corpus & sanguinem Christi.

Resp. negative. Quia in annihilatione nullus est terminus positivus, sive à quo, sive ad quem, qualis tamen reperitur in conversione panis in corpus Christi: terminus enim à quo, est substantia panis, & terminus ad quem, est corpus Christi. Ad annihilationem proprie dictam, ait Hambertus noster pag. 512. duo requiruntur.

I. Ut res quæ dicitur annihilari, desinat totaliter secundum omnes & quascumque partes suæ entitatis, per meram suspensionem divini concursus: quia nempe annihilatio opponitur creationi; ergo quemadmodum creatio fit ex puro nihilo, ita annihilatio debet esse ad purum nihilum: quod contingeret, si res existens desineret esse commode, per suspensionem simplicem divini concursus; non autem vi & efficacia alicujus positivi quod sequatur ad ejus destructionem.

II. Requiritur ut ad ejus definitionem nihil reale & positivum producatur, ex cujus positione & efficacia ista desitio sequatur: quia nempe annihilatio distinguitur à conversionibus naturalibus, in quibus formæ quæ desinunt, non dicuntur à Philosophis propriè annihilari; eò quod illa mutatio per quam nova forma inducitur, est causa destructiva formæ prioris.

Jam verò substantiæ panis & vini non desinunt per meram suspensionem divini concursus, sed per aliam actionem positivam, nempe consecrationem, qua perfecta corpus Christi fit præsens, recedente panis & vini substantia, seu potius tota conversa & mutata in corpus & sanguinem Christi.

Sed, inquies, illud annihilatur, cujus & materia & forma tota perit ac destruitur: atqui materia & forma panis ac vini tota perit & destruitur; ergo &c.

Resp. dist. maj. Si pereat & destruatur per meram concursus divini suspensionem, neque sit aliquid positivum ex destructione resultans, concedo: si pereat per actionem positivam, sitque illius terminus aliquis realis & positivus, nego.

Quæres 3. an transubstantiatio sit actio, & qualis; an adductiva, vel unitiva, vel conservativa, vel reproductiva.

Resp. 1. transubstantiationem esse veram actionem. Colligitur ex modo loquendi SS. Patrum, & exemplis quibus utuntur. Ajunt enim *conversionem fieri* panis & vini in corpus & sanguinem, *mutationem, transitum, transelementationem*: quod illustrant exemplis conversionis aquæ in vinum in Cana Galileæ, uxoris Loth in statuam salis, virgæ Moysis in serpentem, panis, aliorumque ciborum in substantiam sumentis &c. quæ certè omnia veram & propriè dictam actionem indicant.

Resp. 2. actionem illam nobis non videri esse adductionem, ut putat Scotus. Tum quia transubstantiatio dicit formaliter conversionem: atqui adductio non dicit conversionem. Tum quia transubstantiatio debet habere pro termino formali substantiam, motus enim specificatur à termino ad quem. Tum quia dici vix potest, unde adducatur corpus Christi. An de cœlo? sed illud non deserit. An aliunde? sed non est nisi in cœlo.

Resp. 3. non esse actionem unitivam. Quia, ex mox dictis, transubstantiatio debet habere pro termino formali substantiam: atqui talis actio unitiva, quæcumque tandem foret, esset tantùm accidentalis. Deinde, actio unitiva supponit in priori naturæ extremorum existentiam; ergo & transubstantiationem.

Resp. 4. non esse actionem conservativam. Quia illæ actiones sunt distinctæ, quarum termini formales sunt distincti: atqui termini formales transubstantiationis & actionis conservativæ sunt prorsus distincti; terminus enim formalis transubstantiationis importat positionem unius substantiæ cum destructione alterius: at verò terminus formalis actionis conservativæ dicit tantùm continuationem rei jam existentis. Deinde actio conservativa supponit transubstantiationem: neque enim res alicubi conservatur, nisi priùs ibi esse incipiat.

Resp. denique, probabilius nobis videri, cum sancto Thoma ejusque discipulis, transubstantiationem esse actionem reproductivam. 1. Quia est reproductio propriè dicta, cùm res accipit idem numero esse, secundùm omnes gradus suos tum physicos tum metaphysicos: ea enim est verborum Christi vis, ut si corpus alibi non esset, jam tum inciperet esse, idemque prorsus quod est in cœlo: hinc SS. Patres & Concilia dicunt corpus Christi, *fieri, confici, creari*,, quæ verba sonant veram productionem. 2. Quia SS. Patres ajunt in Eucharistia fieri conversionem seu mutationem panis & vini in corpus & sanguinem Christi, quod illustrant exemplis conversionum tum naturalium, tum supernaturalium: atque in omni conversione, sive naturali, sive supernaturali, datur vera productio; ergo &c.

Quæres 4. quis sit proprius & formalis terminus transubstantiationis.

Resp. esse corpus & sanguinem Christi, quatenus reproducta, & sub accidentibus panis & vini realiter præsentia.

Ratio est, quia transubstantiatio est actio reproductiva & sacramentalis: sub priori respectu, debet habere pro formali termino substantiam, sub posteriori, debet habere aliquid externum & sensibile, in quo ratio Sacramenti reponi possit.

Quæres 5. an transubstantiatio fiat in instanti.

Resp. affirmativè. Quia, ut observat S. Thomas q. 75. art. 7. aliqua mutatio potest esse instantanea triplici ratione, 1. ex parte formæ, quando nimirum non suscipit magis & minus, 2. ex parte subjecti, quando est in ultima dispositione ad formam. 3. ex parte agentis, quando in instanti potest effectum suum ponere. Atqui tribus istis de causis transubstantiatio Eucharistica est instantanea: ratione formæ, quia substantia corporis Christi, ad quam terminatur, non suscipit magis & minus: ratione subjecti, quia in hac conversione non est aliquod subjectum, quod successivè præparetur: denique ratione agentis, quia hæc conversio fit per virtutem Dei infinitam.

Est autem unum & idem instans, in quo desinit substantia panis, & ponitur corpus Christi: extrinsecum quidem pani, ita ut ultimum instans desi-

tionis

tionis panis, primum sit reproductionis corporis Christi.

Quæres 6. utrum totus & integer Christus sit sub unaquaque specie.

Resp. affirmativè. Hinc S. Paulus 1. Corinth. 11. v. 27. reum facit corporis simul & sanguinis Christi, eum qui indignè sumpserit vel corpus, vel sanguinem. *Quicunque*, inquit, *manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini.* Et Conc. Trid. Sess. 13. cap. 3. ait,
Tom. 14. Conc. p. 806. A. *semper hanc fidem in Ecclesia Dei fuisse, statim post consecrationem verum Domini nostri corpus, verumque ejus sanguinem sub panis & vini specie, una cum ipsius anima & divinitate existere; sed corpus quidem sub specie panis, & sanguinem sub vini specie, ex vi verborum; ipsum autem corpus sub specie vini, & sanguinem sub specie panis, animamque sub utraque, vi naturalis illius connexionis & concomitantiæ, qua partes Christi Domini, qui jam ex mortuis resurrexit, non amplius moriturus, inter se copulantur; divinitatem porro, propter admirabilem illam ejus cum corpore & anima hypostaticam unionem. Quapropter verissimum est*, pergit Conc. *tantumdem sub alterutra specie, atque sub utraque contineri; totus enim & integer Christus sub panis specie, & sub quavis ipsius speciei parte; totus item sub vini specie, & sub ejus partibus existit.*

Ratio est 1. quia divisus non est Christus, & quæ semel assumpsit, nunquam dimisit, atque semel mortuus, non moritur amplius. Igitur ab ipso primo Incarnationis instanti, nexu inseparabili conjuncta fuit divinitas cum humanitate; & ab ipsa Resurrectione, humanitas Christi, utpote immortalis, naturali & indissolubili unione cum anima & sanguine semper conjungitur; ergo qui sub panis specie sumit corpus Christi, vel sub vini specie ejus sanguinem, ille totum & integrum sumit Christum. 2. quia Christus non est in Sacramento Eucharistiæ modo locali & circumscriptivo, sed definitivo & sacramentali, quomodo anima est in corpore, & gradus substantiæ est in tota materia: atqui anima tota est in toto corpore, & tota in singulis ejus partibus: gradus substantiæ totus est in qualibet parte materiæ; cùm igitur corpus Christi succedat in locum substantiæ panis, debet esse, ubi erat substantia panis: sed substantia illa erat ante consecrationem, in singulis partibus panis, ergo corpus Christi post consecrationem debet esse sub omnibus partibus hostiæ consecratæ. Inde est quòd tanta diligentia præcavebant veteres Christiani, ne vel minima pars donorum consecratorum in terram decideret.

Quæres 7. quæ contineantur sub qualibet specie, vi verborum; & quæ per concomitantiam; & quid sit illa concomitantia?

Resp. 1. concomitantiam esse connexionem naturalium partium Christi, qua fit ut una non possit esse sine altera. Sic non potest esse corpus sine anima, sanguine, divinitate.

Resp. 2. cum Conc. Trid. mox citato, vi verborum sub specie panis esse corpus; & sub specie vini, esse tantùm sanguinem Christi.

Ratio est, quia vi verborum immediatè & directè illud ponitur, quod per verba directè significatur; sunt enim illa practica & operativa: atqui verba, quibus consecratur panis, directè significant tantùm corpus; & ea quibus consecratur calix, tantùm sanguinem Christi; ergo &c.

Resp. 3. per concomitantiam naturalem & proximam sub utraque specie simul esse corpus, sanguinem & animam; & per concomitantiam supernaturalem ac remotam, esse divinitatem, itemque personam Patris, & spiritus sancti.

Ratio primæ partis est, quia corpus Christi ponitur in Eucharistia, quale nunc est: atqui nunc sanguinem habet & animam: habet enim perfectum & animatum corpus, sed immortale & incorruptibile: unde excludi ac removeri debet ab eo, ea humorum contrariorum pugna, ex qua rei corruptio & interitus nascitur. Ita docet S. Augustinus Epistola ad Consentium, à quo fuerat interrogatus, an Christi corpus in cœlo degens haberet ossa, sanguinem, aliosque humores. S. Doctor ait, credere se corpus Christi ita esse in cœlo, ut erat quando ascendit in cœlum; deinde probat, admisso in Christi corpore sanguine aliisque humoribus, cavendum esse ne corruptio quoque admittatur. Atque hinc inferes, quòd si Apostoli triduo mortis Christi, quo sanguis à corpore separatus fuit, Eucharistiam consecrassent, corpus sine sanguine sub specie panis, & sanguis sine corpore sub specie vini fuisset.

Ratio secundæ partis est, quia concomitantia supernaturalis petitur ex unione hypostatica Verbi divini cum natura humana: at divinitas una sola est & indivisa in tribus personis, quæ sese mutuò includunt & continent. Unde addit Concilium Trident. *divinitas porro, propter admirabilem illam ejus cum corpore & anima unionem hypostaticam.*

Quæres 8. utrum corpus Christi sit quantitativè, seu extensivè & localiter in Eucharistiâ.

Resp. negativè. Patet ex dictis antea, ubi solvebamus Objectiones Novatorum ductas ex testimonio sensuum. Corpus quidem Christi in Eucharistia quantum est, cùm habeat essentiam quantitatis, quæ posita est in extensione interna partium in ordine ad se, cum proxima aptitudine ad extensionem externam, & impenetrationem actualem: sed non est quantitativè, cùm locum dimensivè ac per partes non occupet, sed sit definitivè per modum spiritus.

Quæres ultimò, utrum remaneant in Eucharistia accidentia sine subjecto; atque ex illis nutritio fieri possit, ac nova rei generatio.

Resp. affirmativè. Responsionem exposuimus loco mox citato superius. Consule.

QUÆSTIO QUARTA.

De natura, materia, & forma Sacramenti Eucharistiæ.

Octo Articulis complectemur omnes, quæ circa naturam & essentiam, materiam & formam Sacramenti Eucharistiæ moveri solent, quæstiones.

Primus erit: an Eucharistia sit Sacramentum; & quid in ea rationem Sacramenti habeat.

Secundus: an Eucharistia posita sit in re permanenti, an in usu tantùm & actione.

Tertius: an Eucharistia sit unum specie Sacramentum; & unde repetenda sit ejus unitas numerica & individualis.

Quartus: an panis & vinum sint materia Eucharistiæ; & quæ in illis requirantur conditiones.

Quintus: de antiquitate usus panis fermentati apud Græcos, & azymi apud Latinos.

Sextus: de aqua vino Calicis admiscenda: quo jure, & qua necessitate, qua quantitate sit miscenda.

Septimus: de modo quo aqua convertitur in sanguinem Christi: an mediatè, vel immediatè.

Octavus denique, de forma Sacramenti Eucharistiæ.



ARTICULUS I.

An Eucharistia sit Sacramentum ; & quid in ea præcisè habeat rationem Sacramenti.

CUm plura distingui possint in Eucharistia, nempe verba Christi, quibus panis & vinum consecratur, species ipsæ consecratæ, corpus & sanguis Christi, quæ sub illis existunt, atque usus seu sumptio, hinc nata inter Scholasticos quæstio, quid eorum quatuor præcisè habeat rationem Sacramenti. Varias auctorum sententias legere poteris apud Vasquesium in 3. partem S. Th. disp. 157. q. 73. art. 1. cap. 2.

PRIMA CONCLUSIO.

Eucharistia verum est ac propriè dictum Sacramentum.

Probatur : Quia habet omnes conditiones veri & propriè dicti Sacramenti.

I. Est signum sensibile, per species panis & vini. Cùm autem hæc sit conditio signi, ut aliud significet, Eucharistia, quatenus signum, tria significat. 1. præteritam mortem Christi, quam in memoriam revocat. *Hoc facite in meam commemorationem. Quotiescunque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis.* 1. Cor. 11. v. 25. & 26. 2. præsens substantialiter corpus Christi. *Hoc est corpus meum.* Matth. 26. v. 26. & paratam gratiam sanctificantem. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo.* Joan. 6. v. 57. 3. futuram gloriam. Joan. 6. v. 57. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam, & ego resuscitabo eum in novissimo die.* Præterea nostri nos admonet officii, ut nempe Christiani omnes communi charitatis vinculo inter se socientur, & unum sint, sicut ex multis granis unus fit panis. *Quoniam*, inquit sanctus Paulus, 1. Corinth. 10. v. 17. *unus panis, unum corpus multi sumus.* Tria ista distinctè exprimit Ecclesia in Cantico venerabilis Sacramenti. *O sacrum*, exclamat, *convivium, in quo Christus sumitur, recolitur memoria passionis ejus, mens impletur gratia, & futuræ gloriæ nobis pignus datur.*

II. Est signum institutum à Christo, ut colligitur ex cap. 26 S. Matth. 14. S. Marci. 12. S. Lucæ.

III. Vim habet producendi gratiam sanctificantem in hac vita, & conferendi gloriam æternam in altera. Joan. 6. v. 55. & 57. Gratia autem illa, quæ propria est Eucharistiæ, datur per modum cibi seu alimenti nutrientis & roborantis, in quo à cæteris Sacramentis distinguitur.

Definiri igitur meritò potest Eucharistia, *Sacramentum corporis & sanguinis Christi, institutum à Christo ad spiritualem Fidelium refectionem & alimoniam.*

Dicitur 1. *Sacramentum*, id est, signum sensibile, permanens ; quæ vox tenet locum generis.

Dicitur 2. *corporis & sanguinis Christi*, quæ realiter & substantialiter adsunt ; ut excludatur præsentia tantùm figuræ, metaphoræ, aut virtutis & efficaciæ, quam excogitarunt Calvinistæ.

Dicitur 3. *institutum ad spiritualem Fidelium refectionem & alimoniam*, quibus verbis ejus veluti specifica differentia designatur, ac confoditur error Socinianorum contendentium Eucharistiam esse signum nudum ac vacuum, omni prorsus virtute & efficacia destitutum.

SECUNDA CONCLUSIO.

Neque consecratio, neque usus seu sumptio, neque species consecratæ solæ, neque corpus Christi solum, sed species simul cum corpore & sanguine Christi, seu corpus & sanguis Christi, prout sub speciebus panis & vini continentur, præcisè habent rationem Sacramenti in Eucharistia.

Probantur singulæ partes.

I. Nomine consecrationis vel intelligitur illa actio, qua panis & vinum convertuntur in corpus & sanguinem Christi ; vel intelligitur prolatio verborum, quibus perficitur illa conversio : atqui consecratio neutro modo esse potest Sacramentum, aut pars Sacramenti Eucharistiæ. Non primo, quia conversio illa planè insensibilis est ; Sacramentum verò debet esse signum exterius sensibile. Non secundo, tum quia SS. Patres ajunt per consecrationem fieri seu confici Eucharistiam ; igitur consecratio est quidem causa efficiens Sacramenti, sed non est ipsum Sacramentum : tum quia Sacramentum immediatè per se signum est practicum & efficax gratiæ sanctificantis : atqui consecratio immediatè corpus quidem Christi efficit, sed non ipsam sanctificantem gratiam ; tum denique quia Sacramentum Eucharistiæ in re permanenti, non fluxa & transeunte consistit, ut mox ostendemus ; atqui verba quibus fit consecratio, non permanent, sed fluunt & transeunt.

II. Neque usus seu sumptio est Sacramentum, aut pars Sacramenti Eucharistiæ, sed tantùm conditio necessaria ut Sacramentum operetur.

Ratio primæ partis est, tum quia perfectum est Sacramentum, antequam sumatur ; prolatis enim verbis consecrationis, statim corpus & sanguis Christi fiunt substantialiter præsentia : tum quia solus Sacerdos est minister conficiens Sacramentum Eucharistiæ : solus tamen Sacerdos non sumit Sacramentum, sed omnes Fideles ; ergo isti Fideles sumendo Eucharistiam dici possent eam conficere.

Ratio secundæ partis est, quia Sacramentum non operatur, nisi applicetur subjecto : alia porro non est Eucharistiæ applicatio, quàm usus illius seu sumptio, quæ conditio requisita est, ut gratiam producere possit.

III. Neque solæ species, aut solum corpus Christi habent rationem Sacramenti.

Non solæ species ; Quia Eucharistiæ Sacramentum gratiam producit, animam nutriendo ; adoratur à Fidelibus, perficitur à ministris &c. atqui solæ species non producunt gratiam, non adorantur à Fidelibus, neque à ministris per certa verba conficiuntur.

Non solum Christi corpus ; quia Sacramentum debet esse sensibile ; tale autem non est corpus Christi in Eucharistia.

Superest igitur, ut ratio Sacramenti Eucharistiæ consistat in corpore & sanguine Christi, prout sub speciebus panis & vini continentur : omnes siquidem conditiones veri & propriè dicti Sacramenti huic toti complexo ex speciebus & corpore ac sanguine Christi, apprimè conveniunt, ut patebit expendenti.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objicies 1. Forma est de essentia rei : atqui verba quibus consecratur Eucharistia, sunt forma illius ; ergo &c.

Resp. dist. maj. Forma informans ac perseverans, concedo ; forma conficiens, nego. Dist. min. verba sunt forma Eucharistiæ, conficiens, concedo : informans, ac perseverans, nego.

Obji-

Objicies 2. ex S. Th. post Innocentium III, Cap. *Cùm Martha, De celebratione Missarum*, tria distingui debent in Eucharistia, Sacramentum tantùm; res Sacramenti tantùm; res & Sacramentum simul: atqui, juxta illos, species sunt Sacramentum tantùm.

Resp. dist. min. Species sunt Sacramentum tantùm, sumendo nomen Sacramenti inadæquatè, pro eo præcisè quod significat, concedo: sumendo adæquatè, pro eo quod significat simul & producit gratiam, nego. Cùm igitur tria requirantur ad Sacramentum verum & adæquatè sumptum, nempe sensibilitas, significatio, & efficacia, ac speciebus duæ tantum priores conditiones competant, non tertia, sequitur citatos auctores sensu adæquato & perfecto nomen Sacramenti non usurpasse, cùm dixerunt, in Eucharistia species esse tantùm Sacramentum. In Eucharistia igitur species sunt Sacramentum tantùm; gratia sanctificans est res tantùm Sacramenti; corpus verò Christi sub speciebus contentum, est & res Sacramenti & Sacramentum simul.

Instabis: Quod secundùm se est Sacramentum simul & res Sacramenti, non potest junctum cum alio constituere rationem Sacramenti tantum: atqui corpus Christi est Sacramentum simul & res Sacramenti; ergo &c.

Resp. nego maj. Hoc enim fieri potest per præcisionem unius ab altero. Sic in Sacramento Pœnitentiæ, dolor interior de peccatis est Sacramentum simul & res Sacramenti; significat enim remissionem peccatorum, & significatur per externam peccatorum declarationem: atqui tamen idem internus dolor simul juncta cum externa peccatorum confessione, constituit rationem Sacramenti tantùm. Idem dicas in Eucharistia, de speciebus & corpore Christi.

Objicies 3. Concilium Trid. Sess. 13, cap. 4. ait, corpus & sanguinem Christi esse in Sacramento Eucharistiæ; ergo supponit Concilium rationem Sacramenti Eucharistiæ non consistere in corpore & sanguine Christi.

Resp. dist. conseq. non consistere in solo corpore & sanguine, concedo: in corpore & sanguine, quatenus sunt in Sacramento, hoc est sub speciebus sensibilibus, in quibus corpus & sanguis Christi, non tanquam locatum in loco, sed pars in toto, nego.

Objicies 4. Eucharistia frequenter appellatur à Veteribus Sacramentum corporis Christi; ergo corpus Christi non constituit rationem Sacramenti in Eucharistia.

Resp. nego conseq. Appellatur enim Eucharistia Sacramentum corporis Christi, quia est signum continens corpus Christi.

Objicies denique: Quælibet pars essentialis Sacramenti debet esse sensibilis, & pertinere ad materiam, vel ad formam illius: atqui corpus Christi non est sensibile.

Resp. dist. maj. debet esse sensibilis, vel per se, vel saltem per aliud, concedo: per se, nego. Sic dolor de peccatis essentialis est pars Sacramenti Pœnitentiæ, quæ tamen sensibilis non redditur nisi per externam peccatorum confessionem. Pariter corpus Christi ex se non est sensibile, fit tamen sensibile per species exteriores sub quibus continetur; & sub eo respectu ad naturam Sacramenti Eucharistiæ pertinet, quod cum spectari possit sub duplici respectu, vel in fieri, vel in facto esse, potest quoque sua materia & forma ei pro quolibet statu assignari. In fieri, habet pro materia panem & vinum, & pro forma verba consecrationis: in facto esse, dici potest species externas habere rationem materiæ; & corpus Christi, aut significationem spiritualem, habere quasi rationem formæ; neque in hoc quidquam periculi esse videtur, quod ex quæstione merè Scholastica dependet.

ARTICULUS II.

An Eucharistia consistat in re permanenti, vel in usu tantùm & actione transeunte.

Prænotanda.

Status quæstionis est, utrum statim à prolatis verbis consecrationis, independenter ab usu seu sumptione, corpus & sanguis Christi sint realiter præsentia sub speciebus panis & vini, atque sub illis tamdiu perseverent, quamdiu illæ integræ remanent: an verò fiant tantùm præsentia, cùm actu sumitur seu manducatur panis, & bibitur vinum Eucharisticum.

Illud posterius admittunt Novatores Lutherani & Calvinistæ, etsi inter se discordes sint in assignanda actione, in qua ratio Sacramenti collocanda sit.

Calvinistæ enim volunt actionem illam esse actualem actionem, qua manducatur corpus, & sanguis bibitur. Ita Calvinus L. 4. Institut. capite 17. paragrapho 37.

Lutherani verò contendunt esse omnes illas actiones quas Christus in ultima Cœna exercuit; nempe accepit panem, benedixit, fregit, dedit Discipulis, & isti acceptum manducaverunt: quæ omnes, inquiunt, actiones unam quasi totalem, integram & continuam constituunt actionem; quæ simpliciter dicitur actio cœnæ seu cœna; unde neque ante, neque post illas actiones Christus, juxta eos, realiter præsens est in Eucharistia. Ita Kemnitius 2. parte examinis Conc. Trid. cap. 3. & 6.

Non minùs dissentiunt circa asservationem Eucharistiæ.

Nonnulli dixerunt corpus Christi triduo perseverare in Eucharistia, in gratiam scilicet ægrotantium ad quos potest deferri. Ita ex Lindano refert Sanctesius, Repetitione 4. de Eucharistia cap. 12. Spalatensis verò Lib. 5. de Republica Ecclesiastica cap. 6. num. 257. scribit Sacramentum Eucharistiæ ab una publica communione ad aliam usque perseverare, pro iis scilicet, qui publicæ communioni adesse non potuerunt: *quia*, inquit ille, *unum moraliter est convivium, & nulla ratio ostendit, cur debeat evanescere consecratio.*

Rectè autem hic observat Vasques disp. 157. q. 73. cap. 3. ab hoc Novatorum errore longè alienos esse, qui ex nostris Scholasticis docent usum & sumptionem Eucharistiæ vel esse totum Sacramentum, vel saltem partem illius essentialem: siquidem illi agnoscunt, quod negant Novatores, Christi corpus verè ac realiter præsens esse post consecrationem, antequam sumatur; atque etiam post sumptionem perseverare sub illis hostiis quæ in sacrario servantur: atque hoc unum fert eorum sententia, corpus Christi & species consecratas non habere perfectam Sacramenti rationem, nisi in usu & sumptione.

Gutmundus Lib. 1. & 3. de veritate corporis & sanguinis Christi in fine, refert nonnullos inter impugnatores Berengarii existimasse, eam Eucharistiæ partem, quæ indignis & peccatoribus porrigitur, non converti in corpus Christi, sed merum panem remanere; alios verò dixisse, panem converti quidem tempore consecrationis, tempore verò distributionis, cùm indignus reciperet, restitui panis substantiam, & corpus Christi recedere.



CON-

CONCLUSIO.

Sacramentum Eucharistiæ non consistit in usu & sumptione, sed in re permanenti.

Prima probatio ex Scriptura. Probatur 1. verbis institutionis. Quia priùs Christus dixit, *Hoc est corpus meum*, &, *Hic est sanguis meus*, quàm Discipulis porrexerit corpus ad manducandum, & sanguinem ad bibendum. Ita Conc. Trid. Sess. 13. cap. 3. Ergo priùs fuit corpus sub specie panis, & sanguis sub specie vini, quàm Discipuli manducarent vel biberent; adeoque ratio Sacramenti non consistit in illa actione qua manducatur corpus & sanguis bibitur, quod enim prius est, non pendet ab eo, quod est posterius.

To. 3. p. 2. p. 705. C. Confirmatur illud consequens. Tum quia, juxta S. Augustinum Tract. 80. in Joan. *accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum.* Tum quia verba Domini statim ac prolata fuere, plenam & integram suam habere significationem & efficaciam; adeoque illud ipsum effecerunt quod significabant. Sunt etenim verba Christi ex se ipsis operativa & efficacia, etiam seposito usu seu sumptione, quæ ad effectum quidem Sacramenti percipiendum necessaria est, non ad veritatem ipsam realis præsentiæ comprobandam.

Antecedens verò quod negant adversarii, colligitur manifestè ex sacro textu. Ratio enim, qua Christus suos Discipulos invitat ad manducandum & bibendum, hæc est, quia sub pane corpus, & sub vino sanguis continetur; particulam siquidem causalem *enim* usurpat Christus apud S. Matth. c. 26. v. 27. *Dedit illis dicens, Bibite ex hoc omnes: Hic est enim calix sanguinis mei.* Unde & S. Lucas c. 22. v. 20. & S. Paulus 1. Cor. 11. v. 25, priùs dicta referunt verba, quibus calix consecratur, quàm Apostoli calicem hauserint. Quin primus ait: *Hic calix novum testamentum est in meo sanguine*, Qua loquendi ratione innuit sanguinem Christi in calice esse, non in ore sumentis. Et S. Paulus Epistolæ mox citatæ c. 10. v. 16. ait: *Calix benedictionis cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? Et panis quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est?* Antequam igitur sumatur calix, benedicitur, & per illam benedictionem seu consecrationem fit sanguis Christi. Idem de pane dicendum.

Neque est quòd dicant, S. Marcum cap. 14. v. 23. referre Apostolos priùs bibisse calicem, quàm Christus verba consecrationis pronuntiaverit; & SS. Matth. ad Lucam priùs referre mandatum Christi ad Apostolos pro sumendo corpore & sanguine, quàm verba, quibus consecratio peragitur.

Namque 1. plus probaret hæc observatio, quàm velint vel ipsimet Lutherani; scilicet probaret corpus Christi præsens esse, etiam ante pronuntiata verba consecrationis. 2. S. Marcus usus est anticipatione, nec rerum ordinem servavit: unde, ut rectè observat hic Bellarminus, non oportet attendere, quæ verba Evangelistæ prius posuerint, & quæ posterius, seu ad ordinem narrationis, sed ad sensum & significationem verborum; hæc autem postulat, ut prius prolata fuerint consecrationis verba, quàm usus & sumptio fiat. 3. denique, potuit Christus prius exponere mandatum suum, quàm consecraret, licèt non fuerit executioni demandandum, nisi post factam consecrationem: sicut prius Baptismi necessitatem & præceptum exposuit Joan. 3. quàm illum instituerit, & revera in mandatis dederit, Matth. ultimo.

Secunda probatio, ex consuetudine asservandi Eucharistiam. Probatur 2. ex antiqua & constanti praxi Ecclesiæ asservandi Eucharistiam. Praxim hanc & disciplinam Concilium Trid. Sess. 13. cap. 6. sic exponit. *Consuetudo asservandi in sacrario sanctam Eucharistiam adeo antiqua est, ut eam sæculum etiam Nicæni Concilii agnoverit. Porro deferri ipsam sacram Eucharistiam ad infirmos, & in hunc usum diligenter in Ecclesia conservari, præterquam quod cum summa æquitate & ratione conjunctum est, tum multis in Conciliis præceptum invenitur; & vetustissimo Catholicæ Ecclesiæ more est observatum. Quare hæc sancta Synodus retinendum omnino & salutarem hunc & necessarium morem statuit.*

Ex illa autem Ecclesiæ praxi sic arguimus: Ecclesia in more semper habuit asservandi sacram Eucharistiam, eamque ad infirmos deferendi, atque Eucharistiam hanc verum esse Christi corpus semper persuasum habuit; ergo ea semper fuit fides Ecclesiæ, Eucharistiæ Sacramentum verum esse ac perfectum extra usum & sumptionem.

Calvinus non ausus est veterem hanc consuetudinem inficiari: *qui sic faciunt*, [nempe servant Eucharistiam] inquit L. 4. Instit. cap. 17. paragr. 39. *habent, fateor, veteris Ecclesiæ exemplum; verum*, pergit ille, *in re tanta, & in qua non sine magno periculo erratur, nihil tutius est quam veritatem sequi.* P. 523.

Verum Magistro suo audaciores facti discipuli, doctrinam Concilii Trid. mox expositam falsi arguere non erubescunt, tam quoad factum, quam quoad jus. Negant 1. ullum extare exemplum sex prioribus Ecclesiæ sæculis, asservatæ in Ecclesia seu in sacrario Eucharistiæ. Ita Dallæus Lib. 6. de cultibus Latinorum, à cap. 2. ad 17, præsertim vero cap. 10. 2. Negant data & non concessa veteri illa consuetudine, rectè concludi Eucharistiam in re permanenti esse positam, non vero in actione transeunte, usu scilicet & sumptione: quia, inquiunt, semper ad usum & sumptionem destinata erat Eucharistia quæ asservata dicitur.

Verum, ut ab hac postrema responsione incipiam, nullus Catholicorum negaverit unquam, quin Eucharistia ad usum & manducationem, tanquam ad finem immediatum ac præcipuum, ordinaretur, ac servaretur; sed illam à manducatione seu usu suam habere veritatem ac perfectionem, absurdius est quæ in Catholicorum mentem unquam venit: tum quia semper persuasum habuere, verba consecrationis suum, statim ac prolata sunt, effectum sortiri; tum quia longo temporis intervallo distat aliquando consecratio ab ipsa sumptione; tum quia ante sumptionem corpus Christi esse in Eucharistia quæ in sacrario asservatur, atque ibidem adorandum esse, apertè significabant Fideles, qui Sacramentum illud appellant aut *corpus Domini*; vel *sanctum Domini*, *Fidelium Sacramentum*, *Dominicum corpus &c.*

Tria generatim exempla servatæ Eucharistiæ. Probandum igitur nobis superest antecedens nostri argumenti, scilicet antiquitus asservatam fuisse Eucharistiam. Illud autem facile est demonstrare certissimis veteris Ecclesiæ monumentis, quæ ad tria capita generatim revocari possunt.

I. Ad communionem domesticam, qua quisque domi asservatam Eucharistiam sumebat.

II. Ad consuetudinem deferendi Eucharistiam ad absentes.

III. Ad consuetudinem eam servandi & deferendi ad infirmos.

I. Privatim in domibus. Primò, olim asservatam fuisse privatim in domibus Eucharistiam, testantur

Pag. 169. B. Tertullianus Lib. 2. ad uxorem cap. 5. ubi hortans ipsam, ne post obitum suum maritum duceret infidelem, inter alias rationes hanc adducit, *Non sciet maritus, quid secretè ante omnem cibum gustes; & si sciverit, panem non illum esse credet qui dicitur*, nempe Corpus Christi.

S. Cypr. Tr. de lapsis refert historiam cujusdam mulieris tempore persecutionis lapsæ, *quæ cum*, inquit, *arcam suam*, P. 170.

ſuam in qua ſanctum Domini fuerat, manibus indignis tentaſſet aperire, igne inde ſurgente deterrita eſt.

Ed. nov. Tom. 2. p. 1054. S. Baſilius Ep. 289. ad Cæſaream Patriciam, ejuſdem praxis & teſtis & vindex eſt, ejuſque originem repetit ex perſecutionibus, quæ cum Fidelibus non permitterent ut ſacras ſynaxes publice celebrarent, cogebant eos in cryptis latere, & aſportare ſecum Euchariſtiam quam pramente periculo poſſent ſumere. Refert ibidem, Monachos in deſertis degentes, pro inopia Sacerdotis, habere domi ſacram communionem, eamque propriis ſumere manibus.

Idem teſtatur S. Hieronymus in ſua ad Pammachium Epiſtola; S. Greg. Nazianzenus Orat. 11. quæ tota eſt in laudes ſororis ſuæ Gorgoniæ; S. Ambroſius Oratione funebri de obitu fratris ſui Satyri; S. Gregorius Magnus Lib. 3. Dialogorum c. 36. Sed in re tam certa diutius immorandum non eſt.

Quæres tantum, quo præciſè tempore abrogata fuerit conſuetudo aſſervandi privatim Euchariſtiam.

Tom. 1. p. 495. A. Tom. 2. Conc. p. 1009. Ibid. p. 1125. Baronius ad an. Chriſti 57. n. 152. reſpondet, morem hunc perſeveraſſe in Eccleſia Occidentali uſque ad tempora Hormiſdæ Papæ, atque in Hiſpania primum abrogatum fuiſſe à Synodo Cæſarauguſtana an. 381. c. 3. quæ confirmata deinde fuit à Concilio Toletano I. an. 400 c. 14.

Verum hallucinatur Baronius: tum quia Synodus illa Cæſarauguſtana, non tempore Hormiſdæ, ſed Damaſi S. Pontificis habita eſt, an. ſcilicet 380. aut 381. ipſo non diffitente Baronio ad an. Chriſti 381. Tum quia poſt tempus illud idem mos adhuc viguit ſexto ſæculo, ut patet ex S. Gregorio Magno loco mox indicato: ordinatus autem ille fuit annis poſt Hormiſdam 67. Viguit ſeptimo & initio ſæculi octavi, ut colligitur ex Venerabili Beda L. 4. Hiſt. c. 24. vel nono ſæculo, ut colligitur ex Michaele Studita, referente ipſo Baronio ad an. Chriſti 816. n. 56. vel decimo, ut conſtat ex reſponſo Archiepiſcopi Corinthiorum in actis S. Lucæ Junioris, apud Combeficium Tom. 2. Auctuarii Biblioth. Patrum, & apud Bollandum die 7. Februarii. Quin & duodecimo, ut conſtat ex Actis vitæ Laurentii Dublinenſis in Hibernia Epiſcopi, referente eodem Annaliſta ad an. 57. n. 153. Tum denique quia prohibitio facta à Conciliis Cæſarauguſtano & Toletano I. non omnes ſpectabat Fideles, ſed tantum Priſcillianiſtas, qui tunc temporis per Hiſpanias graſſabantur quique, ut ſe Catholicos ſimularent, Fidelium ſynaxibus ſeſe immiſcebant, ac ſacram cum illis accipiebant Euchariſtiam, quam poſtea ſecreto impie abjiciebant. Ita exponit Concilii Toletani primi prohibitionem, aliud Concilium Toletanum numero undecimum an. 675. Can. 11.

Tom. 6. Conc. p. 558. Reſpondeo igitur, vix figi poſſe tempus quo ubique abrogata fuit conſuetudo aſportandi ſecum & domi privatim aſſervandi Euchariſtiam: paulatim enim, ob varios abuſus, in aliquibus locis, & tandem in tota Eccleſia extincta illa fuit.

II. Pro abſentibus. Secundo, fuiſſe olim Euchariſtiam ad abſentes delatam, teſtantur.

P. 97. E. S. Juſtinus Apolog. 2. quæ prima eſt, ubi deſcribens quid in cœtibus Chriſtianorum perageretur, poſtquam de Euchariſtia verba fecit, ait *eam à Diaconis ad abſentes deferri.*

S. Irenæus ſcribens ad Victorem S. Pontificem, occaſione excommunicationis quam tulerat adverſus Aſiaticos Paſcha celebrantes luna 14. in quamcumque incidiſſet diem, ait non ita cum illis egiſſe prædeceſſores Victoris: *Nec illi*, inquit, *ob ejuſmodi conſuetudinem rejecti ſunt. Verum illi ipſi qui te præceſſerunt* (alloquitur Victorem) *Presbyteri, quamvis id minime obſervarent, Eccleſiarum Presbyteris qui id obſervabant,* Euſeb. Hiſt. p. 193. B. *Euchariſtiam tranſmiſerunt,* nempe in ſignum mutuæ fidei & concordiæ. Apud Euſeb. L. 5. Hiſt. c. 24. in quem locum obſervat doctiſſimus Valeſius, hunc morem promiſcuum fuiſſe, & omnibus paſſim obſervatum, ut ad aliarum civitatum Epiſcopos benedictionis nomine Euchariſtiam tranſmitterent: quod probat ex Concilio Laodiceno c. 14. à quo conſuetudo illa abrogate fuit.

Metaphraſtes in Actis Luciani Martyris, apud Surium ad diem 7. Jan. & apud Baron. ad an. Chriſti 311. n. 8. narrat eum Martyrem in carcere ſupra pectus ſuum vice altaris Sacrum perfeciſſe, ac peracto ſacrificio, poſtquam Sacramentorum ipſe fuiſſet particeps, ad abſentes tranſmiſiſſe.

Concilium Laodicenum ſub Sylveſtro c. 14. prohibet ad abſentes Euchariſtiam. *Ne ſancta*, inquit, *inſtar benedictionum in feſto Paſchæ in alias Parochias tranſmittantur.* Incertum an prohibitio hæc univerſalis fuerit pro quolibet tempore, an reſtricta tantum ad tempus Paſchale. Tom. 1. Conc. p. 1499. A.

Poſtea viguit conſuetudo mittendi Euchariſtiam ad Presbyteros ejuſdem civitatis, quibus diebus cum Epiſcopo convenire illis non vacabat. Colligitur mos ille ex Epiſtola Innocentii I. ad Decentium date ano. 416. *Idcirco*, inquit, *illi fermentum à nobis confectum per Acolythos accipiunt, ut ſe à noſtra communione, maxime illa die Dominica, non judicent ſeparatos.* Per fermentum autem intelliguut plures è noſtris, Euchariſtiam, quia vice fermenti Fideles inter ſe colligit & coadunat. Tom. 2. Conc. p. 1247. B.

Sed, inquit Dallæus, Euchariſtia illa ſtatim à publica communione deferebatur ad abſentes. Id eſt; quid tum? An ideirco ob uſu & ſumptione pendebat ut eſſet corpus Chriſti? minime; ſiquidem illam ſic tranſmiſſam vocant Scriptores Eccleſiaſtici, ſanctum Domini corpus Chriſti, Sacramentum Chriſti &c.

III. Pro infirmis. Tertio, fuiſſe olim Euchariſtiam in Eccleſia ſeu in ſacrario aſſervatam ut inde ad infirmos deferretur.

Conſtat 1. ex S. Juſtino mox laudato. Nomine quippe abſentium comprehenduntur haud dubie ipſi infirmi, qui in infirmitate præſertim ſacra Euchariſtiæ eleemoſyna indigent, ut adversùs vim morbi, & dæmonis impetus præmuniantur ac confirmentur. Juſtinus.

Conſtat 2. ex Euſebio L. 6. Hiſt. c. 44 edit. Valeſianæ, ubi referens decretum Dionyſii Alexandrini de concedenda lapſis pœnitentibus communione, narrat Serapionem quemdam in extremis poſitum, miſiſſe de nocte puerum ad Presbyterum, ut ab eo Euchariſtiam perciperet: Presbyterum vero forte tunc ægrotantem, cum venire non potuiſſet, miſiſſe ad Serapionem per eundem puerum exiguam Euchariſtiæ particulam, ac juſſiſſe, ut madefactam, ſeu ut vertit Valeſius, *in aqua intinctam*, ſeni in os inſtillaret, qua ille paulatim abſorpta, continuo animam exhalavit. Serapion. Euſeb. Hiſt. p. 246.

Conſtat 3. ex Concilio Niceno I. generali an. 325. Can. 13. *De his*, inquit, *qui ad exitum veniunt, etiam nunc lex antiqua regularisque ſervabitur, ut ſi quis egrediatur è corpore, ultimo & maxime neceſſario viatico minime privetur. Quod ſi deſperatus, & conſequutus communionem, oblationiſque particeps factus, iterum convaluerit, ſit inter eos communionem orationis tantummodo conſequuntur. Generaliter autem omni cuilibet in exitu poſito, & poſcenti ſibi communionis,* ſeu, ut alii vertunt, *Euchariſtiæ gratiam tribui, Epiſcopus probabiliter*, id eſt, poſtquam probaverit, *ex oblatione dare debebit.* Concilium eo Canone novam legem non condit, ſed antiquam renovat & confirmat. Concilii Nicænum I. Can. 13. Tom. 2. Conc. p. 42 D.

S. Ambroſius. Conſtat 4. ex S. Ambroſio, qui, narrante in ejus vita Paulino, morti proximus, Euchariſtiam, adminiſtrante S. Honorato Vercellenſi Epiſcopo, accepit. Contigit iſtud an. 397.

Græci. Conſtat 5. ex ritu Græcorum, qui, referentibus

Goaro

Goario in notis ad Euchologium, & Arcudio L. 3. c. 55. feria 5. majoris hebdomadæ, pro toto anni decursu conservari Eucharistiam pro infirmis.

Constat denique, ut infinita alia omittam, ex Concilio Aurelianensi ann. 1017. in quo damnantur quidem è Manichæorum secta, *qui infantis post octavum diem ab illis trucidati, cineres tanta veneratione*, inquit Concilium, *colligebant atque custodiebant, quanta Christiana religiositas corpus Christi custodire solet ægris dandum de hoc sæculo exituris ad viaticum*. Refertur istud Concilium Tom. 2. Spicilegii pag. 670.

Concilii Aurelianense an. 1017.

Responsio Dallæi.

Quid ad hæc Dallæus? Concedit 1. pœnitentibus revera datam Eucharistiam, qualis fuit Serapion; sed negat omnibus concessam promiscue Fidelibus: quasi melior debuerit esse pœnitentium, qui lapsi fuerant, conditio, quam aliorum Fidelium, qui in exitu præsertim divino cibo indigent quo confortentur: quasi è numero pœnitentium fuerit Ambrosius, cui tamen, pro communi ac recepto Ecclesiæ usu, sacrum viaticum jamjam morituro concessum est. Præterea vero citatus Canon. 13. Nicænus duas partes habet: in priori de pœnitentibus quidem statuit; sed in posteriori, omni & cuilibet Fideli probato, poscenti Eucharistiæ communionem, dandam esse decernit; idque non ex nova lege, sed ex antiqua consuetudine. Sed esto, demus hoc adversario, citatis in locis pro solis pœnitentibus legem ferri: saltem inde sequitur, pro illis fuisse publice in sacrario asservatam Eucharistiam. Minime, reponit 2. Dallæus: tum quia facile fuit post publicam in Ecclesia communionem, partem Eucharistiæ deferre ad infirmos: tum quia facile erat Sacerdoti transferre se ad domum infirmi, & ibi Sacra celebrare; vel saltem particulam Eucharistiæ, quam domi pro more hujus temporis ad proprium usum servabat, mittere.

Verum misera sunt hæc deploratæ causæ effugia.

Refellitur.

Primum quidem: tum quia Eucharistia, etiam immediate post publicã communionem è communi mensa sic transmissa, independenter ab actione sumentis est verum corpus Christi; tum quia in subitis ac insperatis morbis, vix Fidelibus subvenire potuisset Ecclesia, nisi paratam & asservatam habuisset in sacrario Eucharistiam: nonnunquam enim ita subito premit vis morbi, ut vix crastino locum relinquat, quod exemplo Serapionis perspicuum est.

Secundum quoque effugium nullum est. Ubi enim legit Dallæus qualibet diei hora licitum fuisse Sacerdotibus, in cubiculis infirmorum Sacra facere? Quod si infirmus ipsemet fuisset Sacerdos, ut contigit in facta Serapionis, haud dubie ad domum infirmi celebraturus venire non potuisset: interim sine viatico moritur oppressus morbo, quod certe incommodum præcavere melius non potuit sapiens Ecclesia, quam si in sacrario Eucharistiam in gratiam infirmorum semper paratam haberet. Neque minus leve ac infirmum est quod addit Dallæus, potuisse Presbyterum mittere particulam Eucharistiæ, quam domi servabat: quasi satius fuerit asservare Eucharistiam in privatis domibus, quam in Ecclesia; idem enim semper incommodum sequitur contra sententiam adversariorum. Quamquam tot apud se Eucharistiæ particulas asservare non solebant Presbyteri, quod pluribus simul infirmis communicandis necessariæ fuissent.

Verum in Ecclesia, atque in loco quodam sacro solitam fuisse asservari Eucharistiam, probant columbæ illæ argenteæ, vel turres quæ suspendi solebant, & in quibus includebatur Eucharistia, de quibus mentio fit in vita S. Basilii per Amphilochium scripta [si tamen illius est,] in Testamento Perpetui Episcopi Turonensis, quod refertur Tom. 5. Spicilegii: obiit ille an. 474. & Amalario Presbytero dedit *capsulam unam communem de serico, item peristerium & columbam argenteam ad repositorium*; id est, ut reponatur Eucharistia: in

P. 106.

Concilio Constantinopolitano sub Menna an. 536. in Concilio Turonensi II. ann. 567. Can. 3. apud Gregorium Turonensem L. 1. De gloriæ Martyrum cap. 86. Denique Leo IV. ann. 847. mandavit ut sacrum Christi corpus in pixide pro infirmorum viatico custodiatur. Tom. 8. Conc. pag. 34.

Tertia probatio Conclusionis, ex discrimine Eucharistiæ ab aliis Sacramentis.

Probatur 3. Conclusio, ex discrimine quod est inter Eucharistiam ceteraque Sacramenta, & ex rationibus quibusdam theologicis.

Ac I. in aliis Sacramentis nihil præter usum, seu applicationem materiæ & formæ assignari potest, quod habeat totam & integram Sacramenti rationem: v. g. in Baptismo, aqua, quæ permanens est, non est Sacramentum, sed pars tantum illius; ac Baptismus non in aqua præcisè, sed in aquæ ablutione consistit, quæ actio est fluens ac transiens; unde S. Paulus Ephes. 5. Baptismum appellat *lavacrum aquæ in verbo vitæ*. Et certe verba ipsa formæ Baptismi, nempe, *Ego te baptiso*, non ad aquam referuntur, sed ad eum qui baptisatur. Pariter in Sacramento Confirmationis, non oleum, sed olei unctio, ut & in Unctione extrema, Sacramenti rationem habet. In Pœnitentia quoque, sola est actio transiens, tum ex parte pœnitentis peccata declarantis ac detestantis, tum ex parte Sacerdotis absolventis. Similiter in Ordine & Matrimonio: in isto, mutuus consensus & mutua acceptatio cum benedictione Sacerdotis; in illo, manuum impositio & instrumentorum porrectio. In sola igitur Eucharistia potest aliquid assignari fixum ac permanens ab usu distinctum, quod Sacramenti rationem obtineat, scilicet corpus & sanguis Christi, quatenus sub speciebus panis & vini continentur.

Ex rationibus Theologicis.

II. Idem evincunt nonnullæ rationes theologicæ.

Prima est, quia essentia alicujus rei ad usum destinatæ, non est formaliter usus ipse. Sic essentia potentiarum, ut visus; vel habituum, ut Grammaticæ, non est ipsa visio, vel loquutio: sic essentia panis, non est comestio. Atqui Sacramentum Eucharistiæ ad usum est destinatum; ergo &c.

Secunda, quia ante usum & sumptionem, verba Christi quibus consecratur panis & vinum efficiunt id quod significant, sunt enim vera, habentque sensum perfectum; ergo iis prolatis, independenter ab usu qui sequitur, corpus & sanguis Christi realiter adsunt sub speciebus & panis & vini.

Confirmatur ex ipsa Calvinistarum sententia. Ajunt enim illi, panem eucharisticum fieri sacramentalem per verba Christi, *Hoc est corpus meum*, quæ non historice tantum, sed efficaciter proferuntur: sed verba illa ante manducationem actualem proferuntur; ergo ante illam vera sunt, efficacia & operativa.

Tertio denique, quia ex adversariorum opinione sequeretur, ipsos suscipientes seu manducantes Eucharistiam, ex parte saltem esse ministros conficientes Sacramentum, quia manducatio tota se tenet ex parte manducantis: si igitur in illa ratio Sacramenti Eucharistiæ, saltem ex parte consistit, ut vult Kemnitius, sequitur ipsum manducantem ex parte conficere Sacramentum Eucharistiæ, quod certe absurdum est.

Solvuntur Objectiones.

Objicies 1. Multis variarum Ecclesiarum monumentis constat, nullam Eucharistiæ partem antiquitus asservatam fuisse; sed si quid ex communione publica superesset, vel à Clericis consumebatur, vel igne cremabatur, vel pueris innocentibus comedendum distribuebatur. Ita observatum fuisse. Tom. 1. Conc. p. 98. D.E.

In eo;

Bib. PP. To. 12. p. 86. C. Evagr. Hist. p. 411. Nicephori Hist. T. 2. p. 772. Tom. 2. Conc. p. 1009. & 1215. Tom. 6. Conc. p. 1341. D. Tom. 5. Conc. p. 982. B.

In Ecclesia Romana testis est Clemens Romanus, Epistola 2. quæ refertur *De consecratione*, dist. 2. *Tanta*, inquit, *in altario holocausta offerantur, quanta populo sufficere debeant; quod si remanserint, in crastinum non reserventur, sed cum timore ac tremore Clericorum diligentia consumantur.*

De Ecclesia Hierosolymitana idem refert Presbyter Hesic. L. 2. in Leviticum.

De Constantinopolitana Evagrius L. 4. Hist. c. 36. & Nicephorus L. 17. c. 25. qui referunt moris fuisse Constantinupoli, superfluas Eucharistiæ partes pueris innocentibus & jejunis distribuere, inter quos se aliquando fuisse ait Nicephorus.

De Hispanica constat ex Conciliis Cæsaraugustano an. 381. c. 3. & Toletano I. an. 400. c. 14. & Toletano XVI. an. 693. c. 6. ubi jubent Patres, *modica oblata esse consecranda*; nimirum ut nihil ex iis supersit.

De Gallicana colligitur ex Concilio Matisconensi II. an. 585. Can. 6. ubi præscribitur, ut quarta vel sexta feria innocentibus distribuatur quidquid post peractam Missam in sacrario superfederit.

De Ecclesia Æthiopica testatur Zagazabus Æthiops, Dissertatione de patriæ religione ac moribus, quam Damiano à Goez nobili Lusitano debemus.

His adde Udalricum, qui antiquiores consuetudines Monasterii Cluniacensis præscripsit circa an. 1070. ut censet Dacherius, à quo volumen istud editum est To. 4. Spicilegii, pag. 58. Testatur auctor ille L. 1. cap. 13. apud Cluniacenses *nihil de Eucharistia reservatum fuisse.*

Humbertus quoque Cardinalis in Disputatione de azymo & fermentato adversus Græcos, quæ extat apud Baronium in Appendice Tomi undecimi pag. 680. idem testatur apud Latinos ætate sua, hoc est undecimo sæculo, observatum fuisse.

Edit. Paris. 1519. p. 66.

Denique Gabriel Biel insignis Germaniæ Theologus, qui floruit circa an. 1490. Lectione 36. in Canonem Missæ sic loquitur: *Postquam Christus corpus suum consecravit, non sistebat in consecratione, neque dedit Discipulis ut honorifice conservarent; sed dedit in suo usum, dicens: Accipite & manducate.* Igitur non existimabat Biel, esse asservandam Eucharistiam.

Resp. nego ant. Cum enim antiquitus soleret Eucharistia ex Fidelium oblationibus consecrari, si quid residuum fuisset ex iis portionibus quæ pro publica communione destinatæ erant, post sepositas eas quæ in gratiam infirmorum reservabantur, totum consumebatur: neque aliud volunt citati auctores.

Clemens Romanus, seu quisquis auctor est citatæ Epistolæ, agit tantum de illis portionibus Eucharistiæ quæ ex quotidiana commonione superfluæ remanebant, quas jubet à Clericis consumi; non negat vero pro infirmis asservatam fuisse Eucharistiam: imo in citata illa Epistola, non procul ab initio, ait, *tribus gradibus commissa esse Sacramenta divinorum secretorum, Presbytero, Diacono, & ministro, qui cum timore & tremore reliquias fragmentorum corporis Dominici custodire debent, ne qua putredo in sacrario inveniatur; ne cum negligenter agitur, portioni corporis Dominici gravis inferatur injuria.* Supponit igitur auctor ille, quisquis sit, aliquid Eucharistiæ reservatum & custoditum fuisse.

Tom. 1. Conc. p. 91. D.

Eadem est mens Hesichii. In Ecclesia scilicet Hierosolymitana non diu servabatur, etiam pro infirmis, Eucharistia, ne fortè vitium aliquod contraheret diuturna asservatione; sed post aliquot dies renovabatur, & quod ex priori supererat, igne absumebatur. Sensum hunc innuere videntur verba Hesichii, *Videmus*, inquit, *sensibiliter in Ecclesia fieri, ignique tradi quæ quæ remanere contigerit inconsumpta, non omnino ea, quæ una die, vel duabus aut multis servata sunt.* Id est, comburuntur quidem reliquiæ panis eucharistici, quæ non sunt consumptæ, sed remanent post communionem; ita tamen ut per aliquot dies nonnullæ partes asservari possint, quæ subinde etiam comburi debent; nimirum, ut dixi, postquam ex diuturna asservatione, aut alia ex causa vitium aliquod contraxerunt, unde nemo amplius eas degustare sustineat. Quod quidem postea & apud Gallos obtinuit, statuente Concilio Aurelianensi ab Ivone citato parte 2. Can. 59. *ut omne sacrificium sordida vetustate perditum, igne comburatur, & cineres juxta altare sepeliantur.*

Biblioth. PP. T. 12. p. 89. C.

P. 60. col. 2.

Evagrius & Nicephorus narrant quidem, pueris innocentibus distributas fuisse Eucharistiæ partes, quæ ex quotidiana Fidelium communione supererant; sed non negant priùs sepositas fuisse partes aliquas in gratiam infirmorum.

Concilia Cæsaraugustanum & Toletanum I. statuunt tantùm adversus Priscillianistas, qui Eucharistiam quidem manibus sumebant, ut Catholici videntur, sed eam deinde abjiciebant. Ita colligitur ex Concilio Toletano XI. Can. 11. Concilium vero XVI. Toletanum jubet quidem modica oblata in altari poni, ne gravetur communicantium stomachus; asservari autem Eucharistiam conceptis verbis testatur, his verbis: *Ejus reliquiæ* [nempe panis Eucharistici] *aut ad conservandum modica loculo, absque aliqua injuria facilius conserventur, aut si ad consumendum fuerit necessarium, non ventrem illius, qui sumpserit, gravis sarcinimis onere premat.*

Tom. 6. Conc. p. 553.

Ibid. p. 1341. D.

Concilium Matisconense non negat pro infirmis asservandam communionem: imò cùm statuit quarta dumtaxat vel sexta feria advocandos esse pueros, qui reliquias Eucharistiæ consumant, satis innuit aliis diebus asservatas esse illas reliquias.

Æthiopicæ Ecclesiæ schismaticæ magna non debet haberi auctoritas: quamquam dici potest, idcirco non asservari ea in Ecclesia Eucharistiam, quia ut observat auctor laudatus, *omnes tam Clerici quàm laici bis ad minus in hebdomada ad Eucharistiam accedunt.*

Udalricus agit tantùm de illa Eucharistiæ portione, quæ pro die Parasceve servata fuerat, & quæ tota consumebatur hac ipsa die; sed non ait toto anni decursu nullam servatam fuisse Eucharistiæ particulam: siquidem agens idem Auctor Lib. 3. cap. 28. de infirmis, describit ritum quo debeat ipsis administrari Eucharistia.

Humbertus Cardinalis non damnat in Græcia morem asservandi Eucharistiam pro infirmis, sed tantùm Missam imperfectam celebrandi per quinque dies hebdomadæ, toto Quadragesimali tempore, ex Eucharistia jam consecrata, quæ Missa præsanctificatorum dicitur. *Quotidie*, inquit loco citato apud Baronium, *sive tertia, sive nona, sive quacunque hora fiat à nobis Missa, non fit nisi perfecta; nec reservatur ex oblatione ejus pars aliqua, ut per dies quinque agatur inde Missa imperfecta.* Missam illam ex jam præsanctificatis celebratam, vocat *imperfectam*, quia ad illius integritatem & perfectionem necessaria est tum consecratio, tum consumptio: in Missa autem illa Græcorum consecratio non fiebat.

T. 11. p. 714. D.

Denique Gabriel Biel non negat asservari posse Eucharistiam, sed tantùm contendit præcipuum illius fructum percipi ex manducatione & usu, quod certe verum est. Asservari autem illam posse, agnoscit auctor in citata Lectione, ubi comparans manducationem Eucharistiæ cum ejusdem asservatione, sic loquitur: *Non tantum prodest Christi corpus in pixide conservatum, sicut oblatum & sumptum in vera fide & devotione.* Agnoscit igitur Eucharistiam in pixide conservatam esse verum corpus Christi, independenter ab usu & sumptione.

Instabis: Saltem si vetus Ecclesia Eucharistiam aliquando asservavit, non alium in finem asservavit, quàm manducationis.

Resp. dist. ant. Non alium in finem præcipuum ac

in mediatum asservavit, quam manducationis, concedo: unicum & solum, nego. Namque veteres Eucharistiam, quam vel domi privatim, vel in Ecclesia publicè asservabant, ad multos usus retulerunt. S. Basilius, referente in ejus vita Amphilochio, cum primum incruentum sacrificium Deo obtulit, panem tres in partes divisit; unam cum magna veneratione sumpsit; alteram secum sepeliendam curavit; tertiam denique reposuit in columba quam ex auro mundo fieri jussit, & super sacrum altare suspendit: haud dubie tum in objectum adorationis, tum in viaticum infirmorum. Satyrus frater S. Ambrosii, collo Eucharistiam suspendit, ut salvus è naufragio evaderet, referente S. Ambrosio Oratione funebri de obitu fratris sui. Gregoria soror S. Gregorii Nazianzeni, usa est Eucharistia ad sanitatem corporis recuperandam. S. Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi 5. monet Fideles, ut post communionem digitis tangant labia sanctificata contactu corporis & sanguinis Christi, & deinde eodem digito sanctificent oculos, frontem &c. S. Aug. Lib. 22. de Civit. Dei c. 8. scribit à suis Presbyteris oblatum fuisse Deo sacrificium Dominici corporis ad curandam domum à vexatione dæmonum. Et L. 3. Operis imperfecti contra Julianum c. 12. narrat matronam quamdam Acacio filio suo oculis capto cataplasma ex Eucharistia fecisse, quo imposito sanatus est puer. S. Gregorius Magnus L. 1. Dialogorum c. 24. narrat S. Benedictum jussisse corpus Christi poni supra pectus alicujus Monachi mortui, qui terræ mandari non poterat.

Varii usus Eucharistiæ apud Veteres.

Tom. 2. p. 1125. D.

P. 245. A

T. 7. p. 666. F. G.

Tom. 10. p. 1814. D.

Tom. 2. p. 256. B.

Baronius ad annum Christi 648. ex Græcorum Annalibus alium usum sanguinis Christi ita narrat n. 15. *Pyrrhus* (Monothelita) *cum Roma discessisset, & Ravennam provenisset, ut canis ad vomitum suum reversus est. Quo Papa Theodorus comperto, plenitudine convocata Ecclesia, ad sepulchrum Verticis Apostolorum accessit, & divino calice expostulato, ex vivifico sanguine in atramentum stillavit, & ita propria manu depositionem Pyrrhi excommunicati fecit.*

T. 8. p. 391.

Simili modo scribit Nicetas in vita S. Ignatii Constantinopolitani, subscripsisse Episcopos damnationi Photii pseudopatriarchæ, calamo intincto in sanguine Domini, vice atramenti.

Denique Arcudius de Concordia L. 3. c. 59. asserit gentis suæ Monachos Eucharistiam secum in longioribus peregrinationibus deferre, ad propulsanda itineris longioris pericula. Constat igitur ex his & aliis bene multis exemplis, Christianos olim ad alios usus, præterquam ad manducationem, Eucharistiam retulisse.

P. 243.

Objicies 2. auctoritatem aliquorum Patrum.

Origenis Hom. 5. in caput 7. Levitici, ubi probans juxta Legem Dei oblationes primitiarum debere esse novas atque recentes, confirmat exemplo Christi Eucharistiam instituentis, atque è vestigio distribuentis. *Vides*, inquit, *ubique ea quæ ad laudes Dei pertinent* [*hoc est enim sacrificium laudis*] *nova & recentia esse debere .... Nam Dominus panem quem Discipulis dabat & dicebat eis, Accipite & manducate, non distulit, nec servari jussit in crastinum.*

T. 2. p. 79. C. D.

S. Cypriani Tract. de Cœna Domini, ubi c. 5. ait, panem eucharisticum *recipi, non includi.*

P. 331.

S. Hieronymi in caput 11. 1. ad Corinth. ubi sic loquitur: *Quæcunque de sacrificiis superfuissent, illic in Ecclesia communem cœnam comedentes, pariter consumebant.*

T. 5. p. 998.

Denique Venerabilis Bedæ L. 4. Hist. Ecclesiasticæ Anglorum cap. 14. ubi significat non fuisse in more positum sua ætate, hoc est octavo sæculo, ut Eucharistia asservaretur. Loquens enim de quodam puero infirmo, cui Apostoli apparuerant, scribit, eos puero dixisse, *ut exspectaret donec Missa celebrarentur, ut accepto Dominici corporis viatico, infirmitate & morte absolutus, ad æterna in Cœlis gaudia sublevaretur.* At si tunc temporis mos fuisset in sacrario asservandi Eucharistiam, necesse non fuisset ut puer ille expectasset tempus quo Missæ celebrarentur, ut Dominici corporis viaticum perciperet.

T. 3. p. 132.

Resp. ad singula.

Ad Origenem: Reipsa Christus panem eucharisticum nec servavit nec servari jussit: sed an inde sequitur servari non posse, nec debere? minime: quod enim Christus nec fecit, nec jussit ut fieret, Ecclesiæ suæ prudentiæ reliquit determinandum; neque consilium Origenis postulabat ut probaret, posse, vel non posse asservari Eucharistiam, quam ejus ætate servatam reipsa fuisse, colligimus ex SS. Cypriano & Dionysio Alexandrino antea citatis. Hoc unum etenim ad institutum Origenis faciebat, ut ostenderet, sacrificium laudis semper novum ac recens esse debere: quod probat tum exemplo Christi, qui consecratum panem statim distribuit; tum ex præcepto Apostolis dato, ne panes portarent in via; tum ex damnatione Gabaonitarum, eo quod panes veteres ad Israelitas detulissent.

Ad S. Cyprianum: Consentiunt omnes eruditi Tractatum hunc illius non esse, sed Arnaldi Bonævallis; quamquam Auctor ille citatis verbis non negat posse sacrum Domini corpus in pixide includi; sed vult tantum illud ita non includi, quin sit in aliis hostiis consecratis, & in qualibet earum parte.

Ad S. Hieronymum: Consentiunt etiam periti, Commentarios illos esse Pelagii hæresiarchæ, ac falsò S. Hieronymo adscribi: quamquam & exponi potest quod objicitur, eo ipso sensu quo mox Hesychium aliosque exposuimus.

Ad Bedam: Non sequitur ex facto quod narrat, servatam non fuisse pro infirmis Eucharistiam, sed tantum beatos Apostolos, quorum hic visio seu apparitio narratur, jussisse ut puer ille infirmus tempus sacrificii expectaret, ut majori zelo accensus Eucharistiam perciperet.

Objicies denique, ex ratione theologica.

I. Natura & conditio alicujus Sacramenti dignosci debet ex verbis quibus ejus refertur institutio: atqui verba quibus instituta refertur Eucharistia, significant actionem, *Accipite*, inquit Christus, *comedite*; *Hoc est corpus meum.*

II. Sacramentum verum non habetur, nisi cum ejus servatur institutio; atqui Eucharistia est ut sumatur & manducetur; ergo &c.

Resp. ad primum, dist. maj. Dignosci debet ex verbis quibus refertur ejus institutio, id est, ex verbis formæ, concedo: id est, ex omnibus verbis quæ Christus dixisse refertur cum Sacramentum instituit, nego. Quis enim dixerit verba ista, *Accipite, comedite* esse essentialia, & ad consecrationem Eucharistiæ efficienter concurrere? Continent illa quidem mandatum Christi de sumenda Eucharistia, exprimunt etiam præcipuum & immediatum ejus finem, nempe usum & sumptionem; sed formæ vim & rationem non continent.

Ad secundum, dist. maj. ubi non servatur ejus institutio, quantum ad ea quæ sunt essentialia, concedo; quantum ad alia, nego. V. g. Christus Eucharistiam instituit post cœnam, sero, post lavatos Discipulis pedes &c. an istæ omnes circumstantiæ institutionis, sunt essentiales Eucharistiæ? non profectò.

ARTICULUS III.

An Eucharistia sit unum specie Sacramentum; & unde repetenda sit unitas illius numerica & individualis.

TRia hic quærunt Scholæ Theologi.

I. An Sacramentum Eucharistiæ sit unum specie, an multiplex. Ratio dubitandi est, quia constat symbolis specie diversis.

II. An

II, An sit unum numero. Ratio dubitandi est, quia Christi corpus unum est numero, non multiplex.

III. denique, unde repetenda sit unitas illa numerica & individualis. Ratio dubitandi est, quia in Eucharistia duo sunt, nempe corpus Christi, & species sensibiles; rursus, species illæ spectari possunt, vel ut physicè inter se continuantur & conjunguntur; vel ut moraliter tantùm, prout nempe concurrunt ad unam numero refectionem spiritualem. Circa quæ, more suo, in varias abeunt Scholæ nostræ Magistri sententias; nostram sequentes aperient Conclusiones.

PRIMA CONCLUSIO.

Sacramentum Eucharistiæ est unum specie.

Probatur 1. ex S. Paulo, qui 1. Cor. 10. v. 17. Eucharistiam appellat unum panem & unum calicem, *Unus panis*, inquit, *& unum corpus multi sumus, omnes qui de uno pane & de uno calice participamus.* Et Gelasius S. Pontifex apud Gratian. *De Consecrat.* dist. 2. c. 12. refellens Manichæos, qui vinum Eucharisticum tanquam fel draconis rejiciebant, ait: *Aut integra Sacramenta illi percipiant, aut ab integris arceantur; quia divisio unius ejusdemque mysterii sine grandi sacrilegio non potest provenire.* Audis Sacramentum Eucharistiæ, quod ex pane & vino conficitur, esse unum & idem mysterium.

Decret. Grat. p. 1928.

Probatur 2. ratione: Quia formalis & specifica unitas alicujus Sacramenti repeti debet ex unitate significationis practicæ, & primarii effectus illius: licèt enim partes materiæ sint diversæ, ut panis & vinum, componunt tamen unum Sacramentum, quia illæ conspirant ad unam, totalem & integram significationem ejusdem rei sacræ & effectus sacramentalis. Atqui Sacramentum Eucharistiæ, etsi ex diversa specie materia conficiatur, nempe pane & vino, habet tamen unam formalem & totalem significationem practicam, & unum & eundem effectum producit, nempe spiritualem animæ refectionem, quæ una est. Ut enim ratiocinatur S. Thomas hic q. 73. art. 2. in corpore, Eucharistiæ Sacramentum institutum est per analogiam ad convivium & refectionem corporalem: at convivium & refectio corporalis una tantùm æstimatur, etsi ex ferculis specie distinctis componatur.

SECUNDA CONCLUSIO.

Sacramentum Eucharistiæ numero multiplicari potest, est contra Suarem in 3. part. quæst. 75. disput. 39. sect. 4.

Probatur: Quia multiplicantur numero species sacramentales, & refectio spiritualis animæ; ergo & Sacramentum. Patet consequens. Quia quoties materia & forma Sacramenti in facto esse spectati, multiplicantur numero, & refectio spiritualis, ad quam ordinantur, toties Sacramentum ipsum multiplicatur: atqui materia Eucharistiæ in facto esse spectatæ, sunt ipsæ species; significatio verò est forma: multiplicantur autem tum species, tum significatio; aliud enim significat formaliter species panis, & aliud species vini: multiplicatur quoque refectio spiritualis; multiplicatur etiam actio ministri idem Sacramentum sæpius perficientis, corpus autem Christi, nequidem numero multiplicatur, quia sejunctum à speciebus ne partialem quidem habet sacramentalem significationem, inde fit, ut pro ejus unitate numerica, non sit quoque unum numero Sacramentum.

TERTIA CONCLUSIO.

Unitas numerica & individualis Sacramenti Eucharistiæ videtur melius repetenda ex morali conjunctione specierum, & earum ad unam refectionem spiritualem ordinatione.

Probatur: Quia in convivio unitas numerica petitur ex morali conjunctione variorum ciborum ad unam & eandem refectionem: sed Eucharistia instituta est per modum convivii. Deinde, in aliis rebus arte factis & moralibus unitas numerica desumitur à conjunctione morali plurium ad eundem numero effectum. Sic v. g. in ædificio amplissimo, etsi plures sint ædes, si tamen ordinentur & inserviant ad habitationem unius familiæ, dicitur una domus &c.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objicies I. contra primam Conclusionem. Veteres frequenter Eucharistiam appellant nomine plurali, Sacramenta; ut Concilium Carthaginense 3. Can. 4. Africanum can. 8. Gelasius S. Pontifex citatus conclusione prima, & Ecclesia in Missa, *Purificent*, inquit, *nos Sacramenta quæ sumpsimus.*

Resp. Eucharistiam à Veteribus modò unum, modò plura appellari Sacramenta, pro varia respectu variaque ejus consideratione. Plura dicitur Sacramenta materialiter, propter varia symbola seu signa, ex quibus constat; signum quippe est Sacramentum: sed unum est ac dicitur Sacramentum formaliter, propter unitatem formalem, totalem & integram, quam habent species, sensu quem in probatione Conclusionis exposuimus. Sic Gelasius laudatus, eodem loco & in plurali ait, *integra Sacramenta*, propter species panis & vini; & in singulari, *unum & idem Sacramentum*, propter unitatem formalem & specificam significationis practicæ.

Instabis 1. Species panis & vini sunt signa per se distincta; ergo non constituunt unum specie sacramentum.

Resp. dist. ant. sunt signa per se distincta, physicè, & materialiter, concedo, formaliter & moraliter in ordine ad usum Sacramentum, nego.

Instabis 2. Si duæ illæ species constituunt unum & idem specie Sacramentum, sequitur eum, qui unicam tantùm sumit, non sumere totum & integrum Sacramentum.

Resp. dist. ant. sequitur eum, qui unicam tantùm sumit speciem, non sumere totum Sacramentum, ratione signi materialis continentis & significantis, concedo: ratione rei contentæ & significatæ, nempe corporis & sanguinis Christi, ac gratiæ sanctificantis ad salutem necessariæ, nego. Constat enim ex dictis, totum & integrum Christum esse sub qualibet specie, adeoque totum Sacramenti fructum ex perceptione unius speciei haberi posse.

Instabis 3. Ibi est diversum specie Sacramentum, ubi est diversa & distincta forma: atqui in Eucharistia est diversa & distincta forma; una, qua panis consecratur, altera, qua vinum.

Resp. dist. maj. ubi est distincta forma totius in facto esse considerati, concedo: ubi est distincta forma partium totius in fieri, nego. Dist. min. Atqui in Eucharistia est distincta forma partium in fieri, concedo: totius in facto esse, nego. Sacramentum enim Eucharistiæ, secundùm esse suum permanens, unicam habet formam, nempe vel corpus Christi, vel significationem practicam unius refectionis spiritualis.

Objicies 2. contra secundam Conclusionem, cum Suare: Multi è SS. Patribus, post Apostolum, appellant Eucharistiam unum panem, unam hostiam, unum Sacramentum.

Resp. ista rectè posse exponi de unitate formali specifica, non de unitate numerica & individuali.

Instabis 1. Si verbum plures humanitates assumpsisset hypostaticè & personaliter, esset unus numero homo; ergo cùm unus sit numero Christus sub variis speciebus, est unum numero Sacramentum.

Resp. nego conseq. & parit. Disp. est, quia ad multiplicationem concreti substantivi, qualis est homo, non tantùm requiritur multiplicatio formæ substantialis, nempe humanitatis, sed etiam suppositi seu personæ, porro in hypothesi adducta, una foret persona; ergo & unus homo, licèt forent plures humanitates. At in Eucharistia Christus non unitur hypostaticè cum speciebus: neque Sacramentum hoc spectatur ut ens physicum, sed morale.

Instabis 2. Si una numero substantia foret sub diversis accidentibus, unus tamen esset panis; ergo pariter cùm unus sit Christus sub diversis speciebus, unum est numero Sacramentum.

Resp. nego parit. Disp. est, quia denominatio panis petitur ab ipsa substantia panis, quæ unica est numero: at denominatio Sacramenti in Eucharistia non petitur à corpore Christi, sed à speciebus ad refectionem spiritualem ordinatis. Cùm autem numero multiplicari possint tum species, tum refectio spiritualis, numero quoque multiplicatur Sacramentum.

Instabis 3. Si corpus Christi existat sub diversis numero speciebus loco conjunctis, ut si in eadem pixide includantur, unicum numero est Sacramentum; ergo pariter si conjungatur cum diversis speciebus loco separatis; loci enim unitas aut diversitas huic Sacramento planè est extrinseca.

Resp. nego ant. & conseq. Namque unitas numerica Eucharistiæ non desumitur ex physica conjunctione vel separatione locali specierum, sed ex ordine morali ad unam refectionem animæ; ita ut ante illam refectionem species illæ non habeant esse singulare completum & perfectum, sed imperfectè tantùm & inchoatè: unde plures hostiæ in eadem pixide inclusæ, sunt unum numero Sacramentum inchoatè & imperfectè, quamdiu non inserviunt actuali animæ refectioni; cùm verò ad multiplicem numero refectionem conducunt, tunc numero multiplicatur Sacramentum; unde si quis plures species panis, v.g. sumat, non idcirco plura numero Sacramenta censetur sumere, quia plures illæ species ordinantur ad eandem spiritualem animæ refectionem.

Objicies 3. contra tertiam Conclusionem. Antequam Sacramentum Eucharistiæ inserviat ad unam vel plures animæ refectiones, supponitur constitutum in esse suo singulari & individuo: existit enim; ergo unitas numerica Eucharistiæ non desumitur ex ordine morali ad unam numero refectionem animæ.

Resp. dist. ant. Supponitur constitutum in suo esse individuali, inchoatè & incompletè, concedo: perfectè & completè, nego. Si enim Sacerdos plures hostias consecraret, & plures simul uni & eidem homini daret, non censeretur ille & plura dare, & alter plura numero accipere Sacramenta. Quid ita? quia ante sumptionem non habet suum esse singulare completum Eucharistia, sed illud desumitur ex ordine ad unam vel multiplicem animæ refectionem.

Instabis 1. Intentio Sacerdotis plures hostias consecrantis ad unam vel plures refectiones animæ, planè extrinseca est Sacramento Eucharistiæ, ergo independenter ab illa Sacramentum Eucharistiæ habet suam unitatem numericam.

Resp. dist. conseq. Ergo independenter ab illa intentione, tanquam à ratione formali distinctionis aut unitatis, repeti non potest unitas numerica Eucharistiæ, concedo: tanquam à conditione requisita, nego. Sicut enim unitas aut distinctio numerica partium aquæ petitur ab actione illius qui partes jungit aut dividit, tanquam à conditione requisita; ita unitas numerica vel distinctio Sacramenti petitur, tanquam à conditione, ab intentione Sacerdotis, ad unam vel plures animæ refectiones illud destinantis & distribuentis.

Instabis 2. Ens permanens habet principium unitatis numericæ permanens & independens ab ordinatione libera hominum: atqui Eucharistia est ens permanens; ergo &c.

Resp. dist. ant. Ens physicum, concedo: ens morale, quale est Sacramentum Eucharistiæ, nego.

ARTICULUS IV.

An panis & vinum sint materia Sacramenti Eucharistiæ: & quæ in illis requirantur conditiones.

Errores.

Circa panem Eucharisticum ex quatuor fontibus quatuor errores promanasse observat Maldonatus, de Sacramentis Tom. 1. de Eucharistia quæst. 6.

Primus ex affectatione imitationis Christi. Cùm enim Hæretici scirent, apud Christianos orthodoxos veram Christi carnem in Sacramento altaris manducari, & bibi sanguinem, veteres Gnostici, ut simile quid in suis abominandis sacrificiis imitarentur, abortivum infantem in mortario pistillo contundebant, cui ad vitandam nauseam mel ac piper cum aliis aromatibus & unguentis admiscebant: tum in unum collecti, è comminuto infantuli corpusculo digito delibabant..... *atque id perfectum esse Pascha existimabant.* Ita refert S. Epiphanius hæresi 26. n. 5. *Mal. p. 86. B.* *To. 1. p. 87. A.B.*

Par flagitium Montano & Montanistis tribuunt S. Cyrillus Hierosolymitanus, Catechesi 16. Philastrius L. de hæresibus, & S. Aug. L. de hæresibus, hæresi 26. Verùm Theodoretus hæretic. fabularum L. 3. c. 2. observat, Montanistas accusationem hanc tanquam putidam calumniam longiùs à se propulsasse; & veri auctores Montano coætanei hanc ei notam non inusserunt. In concordiam tamen adduci possunt citati auctores, si dixerimus, Montanum quidem & nonnullos ejus discipulos à tali flagitio puros & immunes fuisse, non verò cæteros ejus asseclas: & quidem S. Epiphanius hæresi 48. Montanistas & Cataphrygas distinguit à Quintilianis, Priscillianis & Pepusenis: hos verò criminis infanticidii reos facit, non Montanistas & Cataphrygas.

Secundus error ortus videtur ex affectata quadam imitatione figurarum veteris Testamenti. Scilicet quia Veteres solebant primitias frugum & pecudum Deo offerre, nonnulli dicti *Artotyritæ*, offerebant liba facta ex pane & caseo. *Artotyritas idcirco vocant*, inquit S. Epiphan. hæresi 49. *quòd ad celebranda mysteria sua panem & caseum adhibent. Fundamentum erroris fuit*, inquit S. Aug. hæresi 28. *à primis hominibus oblationes de fructibus terræ & ovium fuisse celebratas.* *To. 3. p. 10. E.*

Tertius error natus fuit ex sacrilega & pudenda singularis cujusdam sanctitatis (nefandæ potiùs & horrendæ impietatis) æmulatione. Narrat S. Aug hæresi 46. fuisse inter Manichæos nonnullos, qui Catharistæ vocabantur, id est mundatores, vel purgatores, qui Eucharistiam [horresco referens] *conspersam semine humano sumebant, ut inde*, ait S. Doctor, *sicut de aliis cibis, quos accipiunt, substantia illa divina purgetur.* *Ibid. p. 15. A.*

Quartus denique error natus videtur occasione antiquæ consuetudinis Christianorum deferentium ad altare panem & vinum, ex quibus consecraretur Eucharistia: inde enim factum est, inquit Maldonatus, aut curiositate, aut paupertate quorumdam, ut ferrent pro pane, vel fabas, vel caseum, vel aliquid ejusmodi. Hinc iterata sæpius sacrorum Canonum prohibitio, ne quid in sacrificio offeratur præter id, quod Christus instituit, nempe panem & vinum. Obtulisse verò simpliciores Fideles illa, ut singulari benedictione ex iis consecraretur Eucharistia, colligi

potest

poteſt ex Concilio Carthaginenſi III. cap. 24. cujus verba mox referemus: in illo enim non prohibantur Fideles offerre primitias, lac, mel, & alia ejuſmodi; ſed tantum ne illa omnia tanquam materiam conſecrandæ Euchariſtiæ offerant. nonnullos ſæculo 8. labente exiſtimaſſe ſalem in ſacrificio neceſſario eſſe immittendum, ſcribit Alcuinus Epiſtole 69. quæ eſt ad Lugdunenſes. Jacobitæ vero hæretici, pani oleum miſcent, ut ſcribit Anonymus apud Combeficium Tom. 2. Bibliothecæ.

Circa vero panis conditionem, Michael Cærularius Patriarcha Conſtantinopolitanus undecimo ſæculo erravit, aſſerens nullam eſſe & irritam conſecrationem quæ fit ex pane azymo apud Latinos, quos eam ob cauſam invidioſo nomine *Azimitas* appellabat: quam accuſationem proxime elapſo ſæculo renovavit Hieremias Patriarcha Conſtantinopolitanus, in cenſura Auguſtanæ Confeſſionis, Antiochenus vero Patriarcha ad Aquilejæ Presbyterum ſcribit, eos qui azymis utuntur, accedere ad errorem Apollinaris, qui Verbum æternum corpus humanum anima & mente deſtitutum accepiſſe docebat.

Circa partem alteram materiæ Euchariſtiæ nempe vinum, errarunt quotquot vel meram aquam, vel alium liquorem loco vini obtulerunt: ad quem errorem variis motivis ac rationibus ducti illi ſunt.

I. ex perſuaſione, & falſe qua laborabant opinione, vinum eſſe fel draconis à malo principio conditum. Ita Encratitæ, id eſt continentes, ab *ἐγκρατείᾳ continentia*, teſte S. Epiphanio hæreſi 47. Manichæi, referente S. Leone feria 4. de Quadrageſima. Ipſi quoque Ebionitæ, eodem teſte Epiphanio hæreſi 30. n. 16. *Ex Eccleſiæ imitatione*, inquit, *myſteria quædam quotannis celebrant in quibus panes azymos, & ad alteram myſterii partem meram aquam adhibent*. Idem uſurpaſſe Tatianum, ſcribit idem S. Epiphanius hæreſi 46. *(To. 1. p. 139. D. Ibid. p. 392. A.)*

II. Nonnulli Catholici tertio Eccleſiæ ſæculo, tum ex ſimplicitate & ignorantia, tum ex metu perſecutionis, ne forte ex odore vini facilius deprehenderentur, in ſacrificio altaris ſolam aquam offerebant. De his agit S. Cyprianus Epiſtola 63. ad Cæcilium. Alii lac pro vino ad materiam conſecrationis offerebant, quos damnat Concilium III. Carthaginenſe an. 397. cap. 24. & Concilium Bracarenſe IV. an. 675. cap. 2. Alii non vinum ex uvis expreſſum, ſed uvas integras, quos damnat idem Concilium Bracarenſe. Alii, propter penuriam vini, ſiccas uvas vel fæces vini aqua immerſas, quem abuſum in quibuſdam Daniæ Sacerdotibus reprehendit Alexander III. S. Pontifex ſcribens ad Upſellenſem Archiepiſcopum & Suffraganeos ejus. *(Tom. 2. Conc. p. 1170. E. Tom. 6. Conc. p. 562. To. 10. Conc. p. 1864.)*

III. denique, nonnulli, quinto Eccleſiæ ſæculo, ſobrietatis prætexto, puram in Euchariſtia conſecrande aquam uſurpandam eſſe contendebant, teſte Gennadio Lib. de dogmatibus Eccleſiæ cap. 75. Dicti ſunt illi Hydroparaſtatæ, id eſt oblatores aquæ, ſeu aquarii; quia, inquit S. Auguſtinus hæreſi 64. *aquam offerunt in poculo Sacramenti, non illud quod omnis Eccleſia*. Alii ex oppoſito noluerunt aquam ullatenus vino calicis immiſcendam. His ita hiſtorice prænotatis, duo probanda ſunt. *(To. 8. p. 20. G.)*

I. ſolum panem triticeum, & vinum de vite materiam eſſe idoneam ac neceſſariam ex qua perficitur, ſeu conſecratur Euchariſtia.

II. periade eſſe ad ſubſtantiam Sacramenti, ſive panis azymus ſit, ſive fermentatus; atque utrique Eccleſiæ tum Græcæ tum Latinæ ſuum eſſe permittendum uſum, qui fidem non attingit, ſed meram diſciplinam.



Tournelii Tomi III, P. III, de Sacram. Euchar.

PRIMA CONCLUSIO.

Solus panis triticeus, & ſolum vinum de vite ſunt materia idonea Sacramenti Euchariſtiæ.

Probatur: Quia illud ſolum eſt materia idonea Sacramenti Euchariſtiæ, quod fuit à Chriſto hoc Sacramentum inſtituente ac conficiente uſurpatum: atqui ſolum panem & vinum uſurpavit Chriſtus, cùm Euchariſtiam inſtituit & confecit, Matth. 26. v. 26. *Accepit Jeſus panem & benedixit, deditque diſcipulis ſuis & ait: Accipite & comedite, hoc eſt corpus meum.* Idem refertur Marci 14. v. 22. Lucæ 22. v. 19. 1. Corinth. 11. v. 24. Similiter acceptum à Chriſto & benedictum calicem teſtantur iidem Evangeliſtæ: at nomine calicis, in phraſi Scripturæ & uſu conſueto, ſignificatur vas continens vinum ſeu potum vini in calice contentum; quod conceptis verbis ipſe Chriſtus exponit Mat. 26. v. 29. immediatè enim poſt benedictum calicem Euchariſticum ait: *Dico autem vobis, non bibam amodo de hoc genimine vitis, uſque in diem illum, cum illud bibam vobiſcum novum in regno Patris mei.*

Probatur 2. ex conſtanti & perpetua Eccleſiæ praxi & Traditione, quæ non aliud unquam pro materia Euchariſtiæ aſſumpſit, quàm panem & vinum; atque uſum nonnullorum contrarium, tanquam errorem ſemper damnavit. Sic Ebioneos proſcripſit Eccleſia, & Aquarios damnavit S. Cyprianus Epiſt. 63. ad Cæcilium, Sic qui vel pro pane caſeum, aut fabas; vel pro vino lac, ut conſecraretur, offerebant, damnati ſunt à Concilio Carthaginenſi III. an. 397. cap. 24. cujus hæc verba ſunt: *Ut in Sacramentis corporis & ſanguinis Domini nihil amplius offeratur, quàm ipſe Dominus tradidit, hoc eſt, panis & vinum aqua mixtum. Primitiæ verò, ſeu mel & lac quod uno die ſolemniſſimo pro infantis myſterio ſolet offerri, quamvis in altari offeratur, ſuam habet propriam benedictionem, ut à Sacramento Dominici corporis aut ſanguinis diſtinguatur.* Eandem prohibitionem legimus factam in Can. 3. eorum qui dicuntur Apoſtolici, ſed qui ex antiquis Conciliis excerpti ſunt, & quorum tertius eſt ipſemet Canon Concilii III. Carthaginenſis mox exſcriptus. Et in Concilio Trullano ſeu Quiniſexto an. 692. can. 28. & in concilio Bracarenſi IV. an. 675. cap. 2. *(Tom. 2. Conc. p. 1170. A. Tom. 6. Conc. p. 1153. Ibid. p. 163. A.)*

Eandem veritatem apertè demonſtrant ea SS. Patrum teſtimonia quæ ſuprà argumento 1. pro fide præſentiæ realis adduximus, quibus teſtantur illi SS. Doctores, chriſtum panem feciſſe corpus ſuum, & vinum ſanguinem, conſule.

Panem autem illum ſolum triticeum eſſe, ſeu ex tritico confectum, & vinum de vite, quale communi uſui ſolet inſervire, facilè oſtenditur.

I. exemplo chriſti, qui dicitur panem accepiſſe & benedixiſſe: panis autem ſimpliciter & abſolutè ſumptus, triticeus eſt, qui communi uſui hominum inſervit, & qualis à Judæis præparatus erat, cùm chriſtus Paſcha ſuum celebravit. De vino idem expreſſè colligitur ex citato cap. 26. S. Matt. v. 29. *(Conditiones panis & vini.)*

II. ex conſtanti uſu & praxi Eccleſiæ. Hinc eſt quòd Actione 3. Concilii Chalcedonenſis, Iſchirion Diaconus Alexandrinus conqueritur in Libello adverſus Dioſcorum, *ejus avaritia factum eſſe, ut incruentum Miſſæ ſacrificium in Lybia non offerretur, defectu ſcilicet tritici, quod tùm rarum eſſet, ab illo Dioſcoro maximo pretio divendebatur*. Et in Concilio Bracarenſi IV. citato, *damnatur eorum praxis, qui pro vino expreſſo uvas integras conſecrabant*. Hinc quoque eſt, quod in Libello Presbyterorum Edeſſenæ urbis oblato contra Ibam, Actione 10. Concilii Chalcedonenſis querimonia inſtituitur, ejus culpa factum eſſe, ut vinum, ex quo confici debet Euchariſtia, purum non fuerit, *Dum memoria*, inquiunt, *fieret Sanctorum* *(Tom. 4. Conc. p. 400. Tom. 6. Conc. p. 563. A.)*

Tom. 4. Conc. p. 649. A.

Martyrum, non est datum vinum ad Sacrificium altario, ad sanctificationem & populi distributionem, nisi admodum exiguum, & vitiosum ac limosum, & quasi eo tempore vindemiatum.

Atqui hinc inferes 1. conditionem necessariam in pane, ut si materia idonea Eucharistiæ, esse, ut ex tritico conficiatur: hincque concludit S. Thomas 3. parte q. 74. articulo 3. ad 2. Eucharistiam confici non posse neque ex hordeo, neque ex Spelta, neque ex farre; quia etsi tritici figuram illa grana habeant, non tamen ejus naturam ac substantiam. *Non ita est*, inquit ille, *de siligine, quod frumenti genus ex vero tritico in malis terris seminato nascitur, adeoque potest esse materia Eucharistia.* Estius tamen in 4. dist. 8. c. 6. existimet ex omnibus mox dictis frumenti speciebus, quas non substantia sed accidentibus à tritico differre ait, posse Eucharistiam perfici. In praxi longe tutior est S. Thomæ sententia.

II. inferes, in vino tanquam necessariam conditionem requiri, ut verum sit specie vinum, quale communi usui inservire solet; atque ita vinum nondum ex uvis expressum; pariter vinum quod ex uvis acerbis & maturis exprimitur, & dicitur agrestum seu omphacium, & illud quod defrutum seu decoctum appellatur; aut illud quod acetum factum est; aut illud quod omnino induruit & congelatum est, non posse esse idoneam materiam consecrationis calicis. Ratio est, quia vinum ejusmodi vel non est verum natura & substantia vinum, quale humanis usibus solet inservire; vel non est in eo statu fluido in quo hauriri possit.

Non ita dicendum de musto, seu vino novo nondum defæcato, quia retinet veram naturam & speciem vini. Observat tamen Estius in 4. dist. 8. parag. 9. tali vino utendum non esse, nisi urgente necessitate: hincque nota expostulatio Presbyterorum urbis Edessenæ adversus Ibam de qua mox dictum est.

Quantitas panis.

Quæres 1. quæ panis quantitas necessaria sit ad consecrandam Eucharistiam.

Resp. nullam esse certam ac determinatam, ac satis esse ad veritatem consecrationis, quod sensibilis sit ea quantitas. Ex mente autem & intentione Ecclesiæ eos debere tantum consecrari panes, qui moraliter loquendo & ex prudentis judicio proportionati sunt Fidelium communioni. Ratio est, inquit S. Thomas hic art. 2. quia in omnibus habentibus materiam, ratio determinationis materiæ sumitur ex ordine ad finem; finis autem Eucharistiæ est usus Fidelium; unde inferunt nonnulli, quod si Sacerdos absque necessitate omnes panes venales, quos videt in officina pistoris, consecraret, invalidam fore consecrationem, quia non fit ex publica Ecclesiæ intentione. Alii vero validam putant, licet contra mentem & intentionem Ecclesiæ factam, sicut valet consecratio ab impiis facta Sacerdotibus, quam Ecclesia damnat & improbat.

Præsentia panis qualis esse debeat.

Quæres 2. an panis consecrandus debeat esse præsens consecranti. & qua præsentia.

Resp. præsentem esse debere moraliter & humano more, quo *videlicet*, inquit Estius in 4. dist. 8. parag. 6. *id præsens dicitur, quod velut in usum humanum assumendum demonstrari possit dicendo, Hic est.* Ex judicio itaque viri prudentis æstimari debet hæc præsentia, quæ moralis est, non physica & mathematica. Quapropter non possumus approbare nonnullorum Sacerdotum consuetudinem, qui dum proferunt verba consecrationis, solent os & labia proxime admovere, & & quasi halitum inspirare in panem & calicem, qui sane ritus indecorus est & minus honestus, in rubricis minime fundatus, quæ præscribunt tantum Sacerdoti in ea actione, *stare capite inclinato, & verba distincte, secreto, & reverenter proferre.*

Quæres 2. an panis Eucharisticus olim singulari quodam studio præparatus fuerit.

Præparatio panis Eucharistici.

Resp. nascentis Ecclesiæ tempore non alios panes consecratos fuisse, quàm quos obvios habebant Apostoli, cæterique ministri: postea tamen præparatos fuisse singulari quodam studio ac munditie. Ita sexto sæculo, Regina Radegundis, teste Fortunato, oblatas suis manibus factas sacris locis dispensabat. Et septimo sæculo Concilium XVI. Toletanum statuit c. 6. ut non alius panis in altari sanctificandus proponatur, quàm integer & nitidus, qui ex studio fuerit præparatus. Deinde summa cura ac diligentia præparatum fuisse panem hunc, selecta grana ex quibus conficeretur, legimus tum apud Lanfrancum Libro Decretorum pro Ordine S. Benedicti; tum apud Cardinalem Humbertum in disputatione de azymo, Tomo undecimo Annalium Baronii inserta. Apud Græcos panem Eucharisticum fuisse manibus virgineis præparatum, refert Goarius in notis ad Euchologium Græcorum pag. 116.

Tom. 6. Conc. p. 1345.

Biblioth. PP. Tom. 18 pag. 791. E.

Figura panis Eucharistici primis sæculis non alia fuit quàm quæ panis communis. Ita colligimus ex Durando in Rationali L. 4. cap. 53. num. 3. ex Concilio Toletano XVI. cap. 6. & Ordine Romano &c. Subinde rotundæ fuit figuræ, ut colligimus ex S. Epiphanio in Anchorato num. 57. unde à S. Gregorio L. 4. Dialog. vocantur illa oblata, *corona*. Undecimo sæculo mutata videtur figura illius panis, qui cùm antea integer & solidus offerretur, tum primùm ad imaginem nummorum, & tenuissimam quamdam ac levissimam formam redactus est, sicut conqueritur vetus interpres Ordinis Romani apud Cassandrum in Liturgicis pag. 61. De hac immutatione loquitur Honorius Augustodunensis L. de gemma animæ capite 66. Tom. 20. Biblioth. Patrum.

Biblioth. PP. To. 20. pag. 1055. F.

SECUNDA CONCLUSIO.

Ad substantiam Sacramenti perinde est, panis azymus sit, vel fermentatus: uterque verus panis; in utroque valida consecratio. Suum unaquæque Ecclesia usum retinere potest, illæsa fide.

Probatur: Quia uterque panis ex tritico conficitur, & habet veram panis substantiam. Christus quidem azymum adhibuit, sed necessitatis legem non imposuit. *Neque enim*, inquit Algerus L. 2. de Sacramento corporis & sanguinis Domini c. 10. *eo pane usus est, quia res, qua fiebat, id exigebat; sed quia Cœna, in qua hoc factum est, alium panem non exhibebat*; nempe tempore Paschali licitum non erat Judæis panem fermentatum comedere. Illæsa igitur fide & materia Sacramenti, Latini azymum, Græci fermentatum panem usurpant; neque ante sæculum undecimum quisquam ausus fuerat litem Latinis movere, quòd azymo pane uterentur in conficienda Eucharistia. Omnium primus Michael Cærularius vanam hanc accusationem intentavit. Multò semper æquiores fuere Latini in Græcos, ut observat Leo IX. in sua ad Cærularium Epistola; nunquam enim culparunt illos quòd fermentato uterentur pane. Suo utrique Ecclesiæ, pro suo retinendo usu, non contemnenda suppetunt momenta: suus igitur utrique usus permitti debet, quod quidem an. 1439. in Concilio Florentino, cui tam ipsi Græci quàm Latini subscripserunt, statutum fuit his verbis, *Definimus insuper in azymo sive fermentato pane triticeo corpus Christi veraciter confici; Sacerdotesque in alterutro ipsum Domini corpus conficere debere, unumquemque scilicet juxta suæ Ecclesiæ Occidentalis, sive Orientalis consuetudinem.*

Biblioth. PP. To. 15. pag. 183. C.

Tom. 9. Conc. p. 952. & seq.

To. 13. Conc. p. 513. A.

Et verò docet S. Augustinus Epistola 54. aliàs 118. ad Januarium, *id quod neque contra bonos mores, neque contra fidem esse convincitur, indifferenter habendum, & propter eorum, inter quos vivitur, societatem servandum esse.* Porro jam 11. sæculo ostenderat Leo IX.

To. 1. p. 142. D.

S. Pon-

S. Pontifex, controversiam de pane azymo vel fermentato fidem non spectare, sed meram disciplinam, quæ varia esse potest pro varietate locorum & personarum, integra semper & illæsa remanente fide.

Verùm longè obscurior est & intricatior quæstio, quæ antiquitatem usus panis, tum azymi apud Latinos, tum fermentati apud Græcos, inquirit, de qua Articulo mox sequenti.

ARTICULUS V.

De antiquitate usus panis azymi apud Latinos, & fermentati apud Græcos.

Variæ opiniones.

I. SAnctus Thomas in 4. Sentent. dist. 11. quæst. 2. quæstiuncula 3. Alexander Alensis parte 4. de Sacramento Eucharistiæ qu. 10. membro 4. art. 1. & alii veteres Scholastici, existimarunt utramque Ecclesiam, Græcam & Latinam, azymo pane usam fuisse, usque ad exortam Ebionitarum hæresim, qui cùm legem simul & Evangelium observandam esse contenderent, panes azymos idcirco in conficiendis mysteriis usurpabant. Occasione igitur hujus hæreseos existimant citati Scholastici, in odium illius ac detestationem, rejectis azymis, panem fermentatum utramque Ecclesiam adhibuisse; post extinctam verò illam hæresim, Latinam Ecclesiam ad priorem azymorum usum rediisse, Græcam verò usum fermenti retinuisse.

II. Azymorum originem quidam recentioris ævi Historici referunt ad Alexandrum I. S. Pontificem, qui obiit an. 130. Ita Martinus Polonus ad annum Christi 131. Platina in vita Alexandri, & Barlaamus Calaber ex Monacho Basiliano Episcopus Hieracensis, in prima ad Græcos Epistola pro unione.

III. Nicetas Archiepiscopus Nicomediæ in dial. 3. quem cum Anselmo Havelbergensi Episcopo habuit, & extat Tom. 13. Spicilegii pag. 233. docuit fermentum in Ecclesia Latina à Melchiade & Siricio RR. Pontificibus institutum fuisse; quo deleto, azymorum usus ab aliis viris Apostolicis introductus fuit.

IV. Nonnulli Græci schismatici azymorum originem revocant ad Leucium seu Felicem, nescio quem Apollinaris discipulum, quem ajunt Romam venisse & ad summum Pontificatum assumptum, qui ut probaret, Christum non habere animam & mentem humanam, utebatur exemplo panis azymi, qui fermenti expers, quasi sua anima carere censetur. Ita Simeon quidam Hierosolymitanus, apud Allatium Exercitatione 28. in Historiam Concilii Florentini.

V. Sunt inter Græcos, qui existimant ab Apostolis Petro & Paulo universæ Ecclesiæ tradita esse azyma, & modico tempore permissa, propter ingentem Judæorum multitudinem, qui Apostolorum prædicatione ad fidem conversi sunt: postea, confirmata & roborata Christiana Religione, abolita fuisse, sicut & alios ritus Judaicos. Ita Petrus Patriarcha Antiochenus Tractatu de azymo, apud Allatium loco citato, Exercitatione 24. Econtra Georgius Corcyrensis Metropolita, de quo idem auctor in Diatriba de Georgiis edita cum Historia Georgii Acropolitæ, scripsit Commentarium de S. Communione, quo probare intendit, panem fermentatum traditum Ecclesiæ ab Apostolis, & diu in Ecclesia Romana usurpatum fuisse.

VI. Alii finxerunt sextæ Synodi Canone prohibitum & damnatum usum azymorum, sicut observat Hilarion Monachus Græcus, L. de pane Græcorum mystico, & de azymo Latinorum. Sed fabulam esse manifestè colligitur: confundit enim ille Synodum sextam cum Trullana, quæ revera Canone 11. damnat azymos panes, non quidem simpliciter & absolutè, sed ritu & animo judaico oblatos. Verùm his omissis opinionibus, quæ nullos ferè jam habent in Schola patronos, tres aliæ supersunt, in quas tota dividitur peritorum natio.

Prima est Jacobi Sirmondi Societatis Jesu, viri eruditissimi, in Disquisitione brevi, sed nervosa de azymo, inserta Tom. 4. ejus Operum postremæ editionis regiæ. Ibi contendit usum fermentati octingentis & amplius annis in Ecclesia Latina solemnem fuisse: receptа verò azyma medio illo intervallo, quod à schismate Photii usque ad turbas Michaelis Cærulaniі effluxit, id est, ab anno circiter 886. ad annum 1053.

Secunda est Patris Mabillonii Benedictini, viri toti orbi ob singularem eruditionem notissimi, tum in præfatione sæculi tertii Benedictini, tum in dissertatione singulari de pane Eucharistico azymo & fermentato; & Christiani Lupi Ordinis S. Augustini, ac Doctoris Lovaniensis, Tom. 3. Scholiorum in Decreta & Canones Conciliorum, dissertatione de Actis S. Leonis IX. c. 7. & sequentibus. Contendunt illi ab Apostolicis temporibus in Ecclesia Latina perpetuum ac constantem fuisse azymorum usum, nunquam receptum fermentatum. Eandem opinionem sæculo undecimo propugnaverat Leo IX. & Cardinalis Humbertus; duodecimo, Rupertus; decimo tertio, Jacobus de Vitriaco, Innocentius III. & alii.

Tertia denique opinio inter utramque veluti media, est Cardinalis Bona, dignitate non minùs quàm pietate & eruditione eminentissimi L. 1. rerum Liturgicarum cap. 23. postremæ editionis, ubi docet 1. apud Græcos usum fermenti semper constantem & perpetuum fuisse. 2. apud Latinos primis Ecclesiæ sæculis promiscuum fuisse azymi & fermentati usum, prout temporis & locorum opportunitas postulabat; nec ante sæculi decimi initium azymum lege communi ac generali receptum. A Sirmondo in hoc discrepat, quòd ille azymum admittat, quem Sirmondus excludit.

Ex ista verò summorum virorum sententiarum varietate judicare quisque facilè potest, quàm anceps, dubia & obscura sit præsens quæstio, quæ cùm sit mera facti quæstio, sola Veterum auctoritate ac testimoniis dirimi potest, quæ si clara fuerint & certa, certò & evidenter; si verò obscura & incerta, probabiliter tantùm atque ex conjecturis solvetur. Quod ut fiat, sit

PRIMA CONCLUSIO.

Græcos azymo penè in consecranda Eucharistia primis temporibus usos interdum fuisse, probabiliter conjici, demonstrari certò non potest.

Probatur. Quia probabilis tantùm, non verò certa & invicta nobis suppetunt ex veteribus monumentis argumenta; hæc autem sunt:

I. Quia veteres Græci, Origenes Tract. 35. in Matt. S. Chrysostomus Hom. 81. 82. & 83. in Matth. Sanctus Cyrillus Alexandrinus & alii inferiùs referendi, censent Christum Pascha celebrasse tempore & ritu per Legem præscripto; adeoque azymis panibus, prout Lex mandabat, usum fuisse. Igitur non improbabile videtur veteres Græcos, propter exemplum Christi, panem azymum interdum usurpasse.

II. Verisimile videtur veteres illos Asiaticos qui tam religiosè Pascha celebrandum contendebant luna decima quarta, in quemcumque incidisset diem, propter Legis mandatum, azymos quoque panes, quos Lex eadem præscribit, adhibuisse.

III. S. Justinus Dialogo cum Tryphone pag. 159. ait *oblationem similæ pro iis qui a lepra purgabantur, fuisse figuram panis Eucharistici*: illa autem oblatio erat absque fermento, Levitici 7. v. 12.

IV. Armeni & Maronitæ in azymis consecrant. De Armenis testis est Demetrius Cyzicenus in Tractatu de Jacobitarum hæresi, quem Pater Combefisius ex Do-

 minica.

municatorum Ordine, juris publici fecit. Unde quando ad fidem Catholicam & ad concordiam cum Ecclesia Græca redeunt, tenentur anathema dicere iis, qui in panem oblationis non immittunt fermentum & sal. Ita refert doctissimus Cotelerius in notis ad Lib. 5. Constitutionum Apostolicarum. Non satis certa est origo hujus immutationis apud Armenos. Clemens Galenus Lib. 1. c. 17. refert circa tempora sextæ Synodi, postquam illi ad Eutychianam hæresim defecissent, ex Decreto Conciliabuli cujusdam à Joanne Oznienst Patriarcha coacti, statutum esse ut fermentum à sacrificio excluderetur. De Maronitis constat, tum ex Morino, præfatione in Ordinationes Maronitarum, tum ex Gulielmo Tyri Archiepiscopo L. 22. c. 8. Historiæ quam conscripsit. Porro consuetudo hæc, quam Maronitæ testantur in suis Ecclesiis esse antiquissimam, innuere videtur, saltem, ut dixi, probabiliter, olim apud Orientales frequentatum fuisse panem azymum.

V. Hinc conjici potest, quare Photius qui nono sæculo tam multa aut falsa aut levissimi momenti Latinis objecit, de azymorum usu siluerit: quia forsan noverat etiam à suis usurpatum.

VI. Cardinalis Humbertus in sua Dissertatione de azymo apud Baronium Tom. 11. Annalium pag. 691. asserit Ecclesiam Hierosolymitanam in azymis offerre sacrificium; & Michael Cærularius in Literis ad Petrum Antiochenum Patriarcham, apud Baronium eodem
P. 213. D. Tomo ad an. Christi 1054. n. 31. ait, *ad aures suas pervenisse, Patriarchas Alexandrinum & Hierosolymitanum non solum recipere in azymis vescentes, sed etiam aliquando in azymis eos sacrum conficere sacrificium.* Si autem undecimo sæculo, quo adeo confirmatus erat apud Græcos fermenti usus, nonnullæ tamen Ecclesiæ aliquando in azymo consecrarunt, quid non possumus de primis sæculis suspicari?

VII. Probari verisimiliter potest ex prisca consuetudine, quæ viguit olim in Ecclesia, ut Episcopo vel Presbytero solemniter celebranti, omnes qui adessent Episcopi & Presbyteri simul celebrarent, & ejusdem sacrificii participes fierent; sicut nunc fit cùm novi Sacerdotes inaugurantur; idemque honoris gratia, ac in signum Catholicæ communionis servari solebat, cùm Græci apud Latinos, & Latini apud Græcos hospites & advenæ diversabantur: cujus rei multa exempla suppeditat Christianus Lupus in Dissertatione de Actis Leonis IX. cap. 14. quo posito conjicere non immeritò possumus, aut nullum olim fuisse panis discrimen in Ecclesia, aut Græcos apud Latinos in azymis, & Latinos apud Græcos in fermentato indifferenter communicasse, ut ibidem observat Lupus.

VIII. denique, S. Thomas aliique antea citati veteres Scholastici, auctoritate sua saltem probabilem reddunt Conclusionem nostram. Etsi enim falsum sit fundamentum, quo illi nituntur, sequitur saltem illos in ea fuisse mente, quòd veteres Græci panibus azymis usi sint usque ad exortam Ebionitarum hæresim: falsum autem esse fundamentum istud, constabit ea mox dicenda Conclusione sequenti; & re ipsa nullus Veterum testis afferri potest hujusce opinionis.

Momenta autem mox adducta planè certa & invicta non sunt: neque etiam nos hanc ipsis vim adscribimus, novimus enim, quid responderi possit; sed probabiliter saltem atque ex verisimilibus conjecturis Conclusionem nostram firmare nobis videntur.

SECUNDA CONCLUSIO.

Antiquum esse & à primis temporibus usum fermentati panis apud Græcos, probabile est; nullum tamen extat ante finem sexti sæculi invictum & evidens ea de re testimonium.

Prima pars probatur. Quia momenta, quæ vel à Mabillonio, vel à Cardinali Bona proferuntur, invicta & decretoria non videntur, nec probabilitatis metas excedere.

Probat Mabillonius cap. 3. suæ Dissertationis, 1. ex indole Græcorum, qui Majorum suorum ritibus tenaciùs semper adhæserunt. Verùm Græcos levitate animi cæteras nationes superare notum est; eosque in pluribus à Majorum suorum placitis ac moribus recessisse, ostendit Leo Allatius Lib. 3. cap. 13. de perpetua consensione Ecclesiæ Occidentalis & Orientalis. 2. Probat ex Historia Ecclesiastica, in qua refertur nonnullas rituum varietates inter utramque Ecclesiam fuisse, salva pace & charitate, ut scribit Eusebius Lib. 5. Hist. cap. 24. inter quas varietates existimat auctor citatus, numerari posse panis Eucharistici discrimen. Verùm conjectura mera est, nullo firmo nixa fundamento, de qua ne verbum quidem apud Eusebium. Probat 3. auctoritate Origenis in caput 16. S. Matth. Tomo 12. editionis Huetianæ pag. 271. ubi agens de fermento Pharisæorum, ait, *ita etiam an fermentum super altare non offertur*: verùm ex lectione contextus incertum planè est, an de veteri, vel novo Testamento loquatur Origenes. Probat 4. ex Chronico Datii Mediolanensis Episcopi, in quo legimus S. Ambrosium in suis officiis Ecclesiam Græcam imitatum fuisse, & in præcipuis festivitatibus Græcorum fermentatum cum azymo nostro consecrasse. Verùm, inquit Cardinalis Bona, jam pridem viri eruditi observarunt, suppositiᵗium esse illud Chronicon, ex quo colligeretur S. Ambrosium simul & fermentatum, & azymum panem consecrasse, quod verisimile non videtur. Probat 5. ex Photio, qui Epistola 64. agnoscit discrimen esse per varias Ecclesias, in mysticis sacrificiis. Verùm quodnam sit discrimen illud, non exponit Photius: neque de fermentato vel azymo pane vel minimum loquitur. Accedit denique auctoritas Humberti Cardinalis in Dissertatione de azymo apud Baronium Tom. 11. ubi pag. 712. & 713. narrat tempore sextæ Synodi Latinos suo ritu Sacrum celebrasse, unde Imperator occasionem sumpsit percunctandi, quo pane uterentur Latini in sacrificio Missæ, illos verò respondisse, pane absque fermento; ex quo non obscurè colligere est, Græcos, non azymum, sed fermentatum panem tunc usurpasse. Verùm Humberti viri undecimi sæculi testimonium infirmum videtur, ad probandum usum priorum temporum; & quod ex sexta Synodo narrat, ex Archiviis quidem, ut creditur, Romanis eduxit, sed cùm non extet in Actis hujus Synodi typis excusis, fidem apud nos vix habere potest: quamquam & supposita veritate narrationis, nihil adversus Conclusionem nostram inferri posset; ad summum enim testimonium foret pro septimo Ecclesiæ sæculo, quo celebrata est sexta Synodus: Conclusio autem nostra de primis agit Ecclesiæ temporibus.

His igitur momentis rejectis, Cardinalis Bona ad alia se convertit, ut rem eandem conficiat. 1. Laudat auctoritatem veterum SS. Patrum, Justini, Irenæi, Gregorii Nysseni, Cyrilli Hierosolymitani, qui ajunt panem consecrandum esse panem communem, vulgarem & usitatum: talis autem est solus fermentatus. Verùm ipsemet Cardinalis observat, utrumque panem, tum azymum tum fermentatum, in usu fuisse apud Romanos aliosque populos. Deinde citati Patres panem consecrandum communem appellant, prout opponitur sacro & divino, non prout solet communi & ordinario hominum usui inservire: sicut eundem panem facta consecratione ajunt non esse communem; id est, non esse prophanum & naturalem, sed divinum, sacrum, supernaturalem, uno verbo, corpus Christi. Ita colligere est ex testimoniis, quæ antea laudavimus in primo argumento ex Traditione pro fide realis præsentiæ. Probat

2. ex

2. ex S. Epiphanio hæresi 30. n. 16. ubi agens de hæresi Ebionitarum, tanquam rem speciali nota dignam refert, quod mysteria in azymis celebrarent, *Ex Christiano-* Tom. 1. p. 139. D. *rum*, inquit, *& Ecclesiæ imitatione mysteria quædam quotannis celebrant in quibus azymos panes, & ad alteram mysterii partem meram aquam adhibent.* Verum ex illo testimonio oppositum plane collegit S. Thomas, nempe Ecclesiam azymis panibus usam fuisse tempore quo exorta fuit hæresis Ebionitarum. At nostro quidem judicio, neque azymi usus neque fermentati, ex illo testimonio certo & efficaciter erui potest: azymi; quia cum ait S. Epiphanius, Ebionæos ex imitatione Ecclesiæ mysteria celebrare, in quibus panes azymos offerunt, mens ejus non est Ecclesiã tunc azymos panes usurpasse, alias & dici posset Ecclesiam quoque tunc temporis solam aquam in sacrificio adhibuisse; utrumque enim ex imitatione Ecclesiæ usurpasse illos Hæreticos, scribit S. Doctor: vult igitur tantum Ebionæos in offerendo sacrificio imitatos esse Ecclesiam, hoc est, eos suum quoque habuisse sacrificium ad imitationem Ecclesiæ; imitatio ergo illa substantiam, ut ita dicam, sacrificii spectabat, non modum, in quo profecto multum distabat praxis Ecclesiæ à praxi Ebionæorum. Neque etiam erui potest ex citato testimonio usus fermentati: namque S. Epiphanius non reprehendit Ebionæos ea præcisè de causa quod azymos panes usurparent, sed quod animo & ritu judaico eos usurparent, contendendo necesse esse Legem cum Evangelio conjungi & observari. Quod vero ex Theodoro Abucara Cariæ Episcopo Opusculo 22. profertur, Conclusionem nostram non attingit: est quippe testimonium noni sæculi, non priorum sæculorum de quibus nostra intelligenda est Conclusio. Ex probabilibus igitur dumtaxat indiciis atque conjecturis colligere possumus, fermentati panis usum sex prioribus sæculis apud Græcos fuisse receptum, non ex certis & invictis argumentis, quæ tantum sexto labente sæculo primum deprehenduntur. Unde,

Secunda Conclusionis pars probatur: quia Joannes Philoponus qui scribebat sexto labente sæculo, in disputatione de Paschate edita cum ejus Tractatu de Operibus sex dierum, ideo probare nititur Christum ultimam Cœnam ante dies azymorum peregisse, quia si in azymis Eucharistiam instituisset, *hoc etiam*, inquit, *nunc fieret*: ab hoc autem tempore videmus semper constantem apud Græcos fermenti usum, ut colligimus ex omnibus Liturgiis ante schisma scriptis, in quibus legere est panem integrum & turgidum, justæque magnitudinis offerri. Hinc coacti sunt septimo sæculo Armeni, anathema dicere iis, qui in panem oblationis fermentum non immittunt, ut ex dictis antea constat.

Dices: Neque Joannes Philoponus, neque alii subsequentes Græci de fermentato pane loquuti sunt, tanquam de re nova & recenti, imo tanquam de usu antiquo & apud se constanti ac perpetuo; ergo ante sextum sæculum certum est viguisse illum usum.

Resp. reipsa Joannem Philoponum de tali usu tanquam novo ac recenti loquutum non fuisse; sed quid inde? hoc unum, quod nostra refert Conclusio, scilicet probabile esse usum hunc perantiquum esse apud Græcos: sed cum ante illum Joannem Philoponum nullum certum, evidens ac invictum exstet ea de re testimonium, hinc diximus, rem certo ac demonstrative definiri non posse.

TERTIA CONCLUSIO.

Probabile est Latinam Ecclesiam primis sæculis azymo & fermentato pane promiscue & indiscriminatim usam fuisse; neque certo potest demonstrari, in ea, excluso fermento, azymum ante nonum sæculum ubique & communi lege receptum fuisse.

Prima pars Conclusionis probatur: quia suppetunt nobis probabilia tum pro azymo, tum pro fermentato argumenta. Dico probabilia, non certa & invicta, ut ex eorum attenta consideratione, ac Scriptorum de illis ad contrarium probandum judicio intelligi facile potest: multa enim pro fermentato adhibet Sirmundus, quæ alii ad azymum & inflectunt vicissim.

Itaque, Latinos primis sæculis fermentato pane nonnunquam usos esse, probabiliter conjicimus.

I. ex primis Fidelibus qui Act. 2. v. 42. perseverantes erant *in doctrina Apostolorum, fractione panis & orationibus.* Quo per fractionem panis Eucharistiam intelligi, communis est Ss. Patrum & Interpretum sententia: at probabile est panem illum fermentatum fuisse, qualem scilicet Apostoli obvium habebant in domibus Hebræorum.

II. cum fervèrent adversus primos Christianos persecutiones, ac in carceribus inclusi, vel in privatis domibus, in cryptis aut in speluncis latere cogerentur, probabile est eos ad Sacra facienda eum adhibuisse panem, quem sors & necessitas eis offerebat; adeoque communem & usualem: præsertim cum maxime solliciti forent ne in Paganorum notitiam venirent sacræ mensæ mysteria. Hoc innuit Tertullianus L. 2. de ad uxorem c. 5. „Non sciet, *inquit*, maritus (*infidelis*) quid se P. 169. B. „creto ante omnem cibum gustes; & si sciverit „panem, non illum credit esse qui dicitur." Rescire autem illud potuisset, si panis ille non fuisset communis & usualis, sed ab eo diversus.

III. probabiliter conjicimus ex veteri ac receptissima consuetudine quæ vigebat apud Christianos, deferendi ad altare panem & vinum ex quibus consecrabatur Eucharistia. Panem autem & vinum usuale fuisse, quale communibus usibus inservire solebat, verisimile prorsus est; in omnibus enim veteribus monumentis, quæ hujusce oblationis à Fidelibus factæ mentionem P. 218. faciunt, nihil est unde concludi possit panes illos azymos fuisse, potius quam fermentatos; imo fermentatos fuisse probabiliter conjicitur ex testimoniis S. Cypriani T. 2. p. L. de opere & eleemosynis, ubi reprehendit divitem ma- 368. C. tronam quod nihil ipsa offerret, sed alienæ oblationis fieret particeps. S. Ambrosii, qui L. 4. de Sacramentis c. 4. occupans objectionem quamdam contra veritatem Eucharistiæ, ait: *Tu forte dicis, Meus panis est usitatus.* At respondet S. Doctor: " Panis iste est quidem panis „ante verba Sacramentorum; ubi accesserit consecra- „tio, de pane fit corpus Christi." Audis objicientem, *panis meus*, id est, quem obtuli, *est usitatus*; talis autem est fermentatus. Hinc, referente Joanne Diacono in vita S. Gregorii Magni L. 2. c. 41. mulier quædam interrogata cur risisset, quando communionem accipiens audivit ministrum dicentem, Corpus Domini nostri conservet animam tuam: respondit: "Quia panem quem Tom. 4. p. „propriis manibus me fecisse cognoveram, tu corpus 18. D. „dominicum perhibebas." Panis autem quem illa ignara mulier consecraverat propriis manibus, haud dubie fermentatus erat, seu communis & usualis.

Hinc denique quotquot Concilia prohibent aliud ad consecrandam Eucharistiam offerri, quam panem & vinum, ut Carthaginense III. Trullanum, Bracarense IV. quæ supra Articulo 4. Conclusione 2. ubi de materia Eucharistiæ, citavimus, nullam singularem in pane & vino conditionem requirunt, sed simpliciter panem & vinum determinant; id est, qualia solent ordinario hominum usui inservire. Non est quod plura alia ejusdem veteris consuetudinis, quæ certa est, exempla proferam, ut Libri Sacramentorum S. Gregorii, Ordinis Romani, Canonis Missæ Concilii Matisconensis II. an. 585. Can. 4. ubi jam inclinari incipientem Fidelium pietatem in oblationibus ad altare deferendis, excitat de novo; & Concilii Nannetensis II. can. 9. quo Presbytero mandat, Tom. 9. *ut de oblationibus quæ offeruntur à populo & consecra-* Con. p. *tioni supersunt, partes incisas habeat in vase mundo,* 474.

quas

quas post Missam illis distribuat, qui non communicarunt. Hinc subscribere non possumus doctissimo & illustrissimo Albaspinæo Lib. 1. Observationum cap. 5. & sequentibus, ubi contendit ex illis Fidelium oblationibus nullam fuisse partem sepositam pro conficienda Eucharistia; sed illas in duas partes divisas esse, quarum una Fidelibus præsentibus & aliquando absentibus, sub Eulogiarum nomine in signum communionis mutuæ; altera in Sacerdotum, Clericorum & pauperum alimentum distribuebatur. Verum licet hunc illarum oblationum usum fateamur, negari tamen non potest, ut ex adductis testimoniis perspicuum est, quin pars aliqua illarum oblationum prius seponeretur ad conficiendam Eucharistiam. Expresse id testantur Concilium Carthaginense III. Ordo Romanus & alii.

IV. denique, probabiliter usum fermentati apud Latinos colligimus ex SS. Pontificibus Melchiade, Siricio & Innocentio I. qui Eucharistiam appellant fermentum.

Tom. 1. Conc. p. 1394. A. De Melchiade hæc in ejus vita leguntur. *Hic fecit ut oblationes consecratæ per Ecclesias ex consecratu Episcopi dirigerentur, quod declaratur fermentum.*

Tom. 2. Conc. p. 1016. A. De Siricio hæc scripta sunt. *Hic constituit ut nullus Presbyter Missas celebraret per omnem hebdomadam, nisi consecratum Episcopi loci susciperet declaratum, quod nominatur fermentum.*

Innocentius vero I. Epistola ad Decentium Eugubinum in Umbria Episcopum capite 5. consultus an exemplo R. Pontificis fermentatum ad absentes mittentis, liceret quoque Episcopo ad rurales Ecclesias idem fermentum mittere, sic respondet: *De fermento quod* Ibid. p. 1247. B. *die Dominica per titulos mittimus, superflue nos consulere voluisti, cum omnes Ecclesiæ nostræ intra civitatem sint constitutæ, quarum Presbyteri, quia die ipsa, propter plebem sibi creditam, nobiscum convenire non possunt, idcirco fermentum à nobis confectum per Acolythos accipiunt, ut se à nostra communione, maxime illa die, non judicent separatos. Quod per Parochias fieri debere non puto, quia non longe portanda sunt Sacramenta.*

Quæstio quidem est inter eruditos, an per fermentum debeat Eucharistiæ Sacramentum intelligi. Negat Baronius, ad an. Christi 313. contenditque simplices intelligi debere Eulogias, quæ in signum mutuæ communionis & charitatis, ad absentes mittebantur. Verum opposita sententia probabilior nobis videtur. 1. quia vox ipsa *consecrationis* qua utuntur laudati SS. Pontifices, verisimiliter Eucharistiam designat. 2. id quoque innuere videtur ratio quam subjicit Innocentius I. *Quia*, inquit, *Sacramenta non sunt longius portanda.* Ibid. p. 248. B. Verisimile autem est ibi Sacramenti nomen in propria & stricta significatione usurpari, quo sensu c. 8. ejusdem Epistolæ appellat Unctionem extremam, *Sacramentum*. 3. quia etiam ante Innocentium primum obtinuisse consuetudinem mittendi ad absentes & exteros Eucharistiam, antea probavimus, ubi de asservatione Eucharistiæ, ex Litteris S. Irenæi ad Victorem Romanum, apud Eusebium L. 5. Hist. c. 24.

Si vero quæras an Presbyteri ad quos die Dominica mittebatur Eucharistia, ex illa Missam celebraverint; an vero ipsi propriam consecraverint. Respondeo rem esse valde obscuram & intricatam. Innocentius citatus immediate post verba adducta videtur significare, idcirco Missam fuisse die Dominica Eucharistiam ad illos Presbyteros, ut ex illa ipsi participarent, aliisque dividerent Fidelibus, quia licentiam non habebant Sacramentorum conficiendorum. Sic enim pergit: *Nec nos per cœmeteria diversa constitutis Presbyteris destinamus*, [nempe Sacramenta] *& Presbyteri eorum conficiendorum jus habent atque licentiam.* Ibid. p. 1047. C. Ergo alii, quibus destinabatur ea die Eucharistia, jus non habebant atque licentiam Missam celebrandi & Sacramenta conficiendi. Nihilominus Cardinalis Bona L. 1. rerum Liturgicarum cap. 23. num. 17. probabile putat illos Presbyteros simul cum Eucharistia quam solet Missarum solemnia consecrabant, eam quoque partem sumpsisse, quam Pontifex in signum pacis & communionis ad eos direxerat. Sed quidquid sit, adhuc superest difficultas, quare Eucharistia dicatur *fermentum*: an proprie, quia revera panis ex quo conficiebatur, erat fermentatus; an improprie & symbolice tantum, quia Ecclesiis, ad quas mittebatur, fermenti vicem præstabat, ejusque unionis inter se vinculum erat, sicut fermentum massæ cui commiscetur. Hunc postremum sensum defendit Mabillonius; & quia invicte ac certo demonstrare non possumus non esse verum illum sensum, idcirco sensum utrumque adoptamus, & dicimus probabile videri Eucharistiam tum proprie, tum symbolice dictam fuisse *fermentum*: hincque inferes, quatuor momenta pro usu fermenti apud Latinos à nobis adducta, non esse certa & demonstrativa, sed probabilia dumtaxat ex indiciis quibusdam & conjecturis.

Dices: Hæc nostra conclusio plus æquo Græcis favere, atque sententiæ Catholicæ, qua semper fuit persuasum Christum in azymis consecrasse, nocere videtur.

Resp. nego ant. Vera enim est Ecclesiæ Latinæ doctrina, qua putat Christum ritu à Lege præscripto cœnam legalem celebrasse, atque adeo azymo panem usum fuisse in consecranda Eucharistia; sed cum eadem Ecclesia semper quoque persuasum habuerit, exemplum Christi eo in re legis necessitatem non imposuisse, ac liberum esse & indifferentem sive fermentati, sive azymi usum, (unde nunquam Græcorum morem hac in parte reprehendit) hinc Conclusio nostra non favet opinioni Græcorum recentiorum, qui existimant aut Christum, quo anno mortuus est, non celebrasse Pascha legale, aut saltem anticipasse tempus à Lege præscriptum, de qua controversia dicemus postea.

Altera pars conclusionis, nempe Latinos à primis temporibus in azymo consecrasse, probabilibus quidem conjecturis ostendi potest, sed non certis demonstrari argumentis: magna enim, fatendum est, veterum testimoniorum penuria hic laboramus. Neque enim aut Alexandri I. in Decreto suo, aut S. Epiphanii, in hæresi Ebionæorum, aut S. Cypriani in Epistola 63. aut Dacii in chronico, aut Missæ Ambrosianæ, aut Leonis IX. & Cardinalis Humberti in suis adversus Græcos Disputationibus testimonia, invictè demonstrant usum azymi apud Latinos. De Epiphanio & Dacio constat ex dictis conclusione secunda. De Alexandro I. constat inter eruditos, suppositivum esse illud decretum, cujus toto sæculorum undecimo intervallo nullus profertur testis. S. Cyprianus nihil aliud dicit, nisi *corpus Domini non esse farinam solam, & aquam solam, sed utrumque simul adunatum, copulatum, & panis unius compage solidatum*; sed fermentum non excludit, imò his postremis verbis innuere potius videtur; quod enim *copulat, adunat & solidat panem*, est fermentum. P. 103. Missam verò Ambrosianam suspectæ admodum esse fidei, sicut & Chronicon Dacii, fatentur Critices periti. Leo verò IX. & Humbertus undecimo floruere Ecclesiæ sæculo, atque eorum auctoritas pro veteri usu demonstrando tantùm valet, quantùm momenta, quibus illi innituntur; ea porro valde infirma sunt. Quin, quod ait Leo IX. per mille & viginti annos à passione Salvatoris azyma invaluisse, defendi potest, modo non excludatur fermentum: utrumque enim promiscuè usurpatum, probabiliter conjicimus.

Igitur usum hunc Azymorum probabiliter conjiciamus Concilio XVI. Toletano an. 693. capitulo 6. ubi perstringens nonnullorum in Hispania Presbyterorum morem, qui ad consecrandam Eucharistiam ex quolibet pane sibi obvio crustulam in rotunditatem præcisam offerebant, sic decernit: *Temeritatis ejus atque inscientia* Tom. 6. Conc. p. 1341. C. D.

entia cupientes terminum ponere, ad unanimitatis nostræ delegit conventus, ut non aliter panis in altari Domini sacerdotali benedictione sanctificandus proponatur, nisi integer, & nitidus, qui ex studio fuerit præparatus, neque grande aliquid, sed modica tantum oblata, secundùm quod Ecclesiastica consuetudo retentat. Dixi, probabiliter ex illo Canone azymi usum inferri, non certò & invictè; siquidem Sirmondus in sua Dissertatione, Cardinalis Bona, cap. 23. Lib. 1. rerum Liturgicarum, ipse etiam christianus Lupus c. 8. suæ Dissertationis de Actis Leonis IX. inferunt ex eodem canone, panem fermentatum ea ætate receptum fuisse. In hoc uno discrepant, quòd Sirmondus ubique illum invaluisse existimet, excluso azymo; Lupus verò contendat abusum tantùm fuisse in aliquibus Hispaniæ partibus introductum, quo cæteræ immunes fuere Ecclesiæ, & quem Concilium laudatum tollit; Cardinalis verò Bona citato in Canone fermentum describi existimat, etsi panem azymum nolit exclusum, sed utrumque indifferenter tunc usurpatum. *Si enim*, inquit,
P. 108. *debuissent illi Sacerdotes azymum panem consecrare, de hoc ante omnia redarguti fuissent, quòd non azymum prout mos ferebat, sed panem usualem & communem, & consequenter fermentatum panem consecrarent*: atqui de hoc planè tacuit Synodus, atque negligentiam tantum carpit eorum Sacerdotum, qui sine ullo delectu, *quomodo unumquemque*, inquit, *aut necessitas impulerit, aut voluntas coegerit, de panibus suis usibus præparatis crustulam in rotunditatem auferunt & consecrant.*

Propter hanc gravissimorum auctorum in exponendo citato Canone discordiam, diximus azymi usum ex illo certè & evidenter non posse colligi, sed probabiliter tantùm, his de causis, 1. Quia juxta statutum Concilii, panis eucharisticus debet esse alius ab eo, qui usibus mensæ communis inservit; sed iste fermentatus est. 2. Debet esse panis mundus & nitidus, studio præparatus; sed ista meliùs azymum, quàm fermentatum describunt. 3. Centum annis post istud Concilium, omnes Hispani cum aliis Latinis in azymo consentiebant, ut docet Alcuinus: & anno 1050. Concilium Coyacense in Diœcesi Ovetensi, capitulo 3. panem azymum tunc apud Latinos ubique absque dubio receptum, non aliter ferè describit quàm Synodus Toletana citata, his
Tom. 9. scilicet verbis, *Hostia sit ex frumento sana & integra.*
Conc. p. Hinc facile est respondere ad ratiocinium Eminentissi-
1064. C. mi Bona, revera Toletanam Synodum dictos Sacerdotes redarguisse, quòd azymos panes non consecrarent, non quidem clarè ac distinctè sub appellatione azymi, sed panis puri, mundi seu nitidi, ut ait Synodus, & integri ac studio præparati, quod in idem revera recidit.

Probari 2. potest ex Joanne Marone apud Faustum Naironum, qui ante sextam Synodum scribens adversus Melchitas, eorum contra Maronitas sententiam profert his verbis: *Et qui in fermento offerunt, arguunt nos simul cum Occidentalibus & Armenis dicentes, azymum non esse panem.* Ex quibus inferre possumus, ante VI. Synodum Maronitas, Armenos, & Occidentales azymo fuisse usos. An verò de aliquibus, aut de omnibus Occidentalibus loquatur Auctor, non satis liquidò constat: ut probabile igitur haberi tantùm debet istud testimonium.

Probamus 3. eundem azymi usum testimonio Egberti Eboracensis Episcopi, qui suarum Exceptionum
Tom. 6. c. 98. hunc Canonem laudat & probat: *Sacerdotes Dei*
Conc. p. *diligenter semper procurent, ut panis, & vinum, & a-*
1594. D. *qua, sine quibus nequaquam Missa celebrantur, pura & munda sint.* Florebat ille Egbertus sæculo 8. probabiliter autem conjicimus panem illum purum, esse azymum.

Tom. 9. Confirmatur ex Canonibus qui sub Eadgaro Rege
Conc. p. in Anglia collecti sunt an. 967. vigente azymorum usu,
683. B. quos inter vigesimus nonus statuit, *ne quis unquam Sacerdos adeo temerarius sit, ut Missam celebret, nisi omnia habeat ad Eucharistiam pertinentia, scilicet oblationem puram, vinum purum, & aquam puram.*

Neque est quod dicas, per panem purum intelligendum esse siligineum seu primarium qui ex purissima farina, omni prorsus excepto furfure, compingitur. Namque ille debet intelligi, qui tunc in usu erat; atqui an. 967. quo Canones illi collecti sunt, & an. 1050. quo celebratum est Concilium Coyacense, azymi usus ubique apud Latinos receptus & confirmatus erat.

Tertia conclusionis pars probatur: Quia ante nonum sæculum nullum extat certum, evidens & invictum pro azymo in toto Occidente recepto testimonium, ut satis ex dictis colligi potest: obtinuisse tamen illum etiam primis temporibus probabiliter conjicimus; sed post nonum sæculum, res esse debet absque controversia.

Constat ex Alcuino, qui initio noni sæculi obiit, cujus testimonium non est tantùm, ut volunt aliqui, ad Angliam, in qua natus est, restringendum, aut ad Galliam in qua mansit; sed pro tota Occidentali Ecclesia probat, Epistola enim 69. ad Lugdunenses sic loquitur: *Audivimus aliquos in illis partibus affirmare, salem* P. 1182.
esse in sacrificium corporis Christi mittendum; quam B. C.
consuetudinem nec universalis observat Ecclesia, nec Romana custodit auctoritas ... Tria sunt quæ in sacrificio.... offerenda sunt; panis, aqua, & vinum .... Panis, qui in Christi corpus consecratur, absque fermento ullius alterius infectione debet esse mundissimus &c.

Idem confirmat Rabanus Moguntinus Archiepiscopus discipulus Alcuini, qui obiit an. 856. Libro enim 1. de Institutione Clericorum c. 31. expressè ait, *panem*
infermentatum, & vinum aqua mixtum in Sacra- T. 6. p.
mentum corporis & sanguinis sancti ficari oportere. Et 12. A.
istum ordinem, inquit, *ab Apostolis, Apostolicisque*
viris traditum Romana Ecclesia, & per totum pene P. 14 B.
Occidentem omnes Ecclesiæ eandem traditionē servant.

Inutile est plura ex nono & sequentibus sæculis proferre testimonia: certum quippe est, qua ætate Michael Cærularius, id est an. 1053. usum azymorum tanquam illicitum ac judaicum in Latinis culpavit; illum ubique in toto Occidente receptum ac firmatum fuisse, ut ex Leone IX. & Cardinalis Humberti Disputatione manifeste colligimus. A primis quoque temporibus usurpatum fuisse opinamur quidem, ac conjicimus, sed certo definire non audemus, deficientibus certis, evidentibus ac invictis Antiquorum ea de re testimoniis.

Quæres, qua occasione introductus fuerit generalis ille azymorum usus in Ecclesia Occidentali.

Resp. Cardinalis Bona loco sæpius citato n. 10. *Occasionem non sine manifestis indiciis inde natam arbitror*, inquit, *quod cum paulatim Fidelium Sacro*
assistentium, imo & Clericorum communio defecisset, P. 216.
sufficeretque modicus panis pro celebrantis & ministrorum in Missis solemnibus communione, in privatis vero pro solo Sacerdote; cumque populus alicubi vel panem non offerret, vel minus aptum ad sacrificium, sensim factum est, ut ad exiguam quantitatem idem panis redigeretur, ejusque conficiendi cura ad Sacerdotes & Clericos pertineret; & quia azymus parabatur, nec ullo Canone vetitus erat, hic fermentato capit, & per omnes Ecclesias paulatim propagari. Ita Eminentissimus Bona.

Dices 1. Usus azymorum prohibetur à Canone 7. eorum qui dicuntur Apostoli. & Canone 11. Concilii Trullani; & à sancto Epiphanio hæresi 30. ubi rejicit Ebionitarum Pascha in azymis celebratum; ab ipso denique Concilio Nicæno generali primo statuente ut Pascha non celebretur Luna 14. more judæorum, qui in azymis Pascha suum celebrabant, sed die Dominica proxime sequente Lunam 14.

Resp. prohiberi usum azymorum more judæorum & ex præscripto Legis Mosaicæ, quasi legalia simul cum Evangelio forent observanda, sicut contendebant Ebionitæ,

Ebionitæ, non verò more Christianorum. Solutio ex ipsa lectione Canonum est manifesta. Concilium verò Nicænum hoc unum dumtaxat prohibet, ne Pascha cum Judæis celebretur Luna 14. an verò in azymo vel fermentato celebrari debeat, silet.

ARTICULUS VI.

De aqua vino calicis admiscenda: quo jure, qua necessitate, & qua quantitate sit admiscenda.

Quatuor præsefert titulus, hic à nobis exponenda.

Primum est, an vino calicis admiscenda sit aqua.

Secundum, an necessaria sit illa mixtio, necessitate Sacramenti, sine qua nulla foret consecratio.

Tertium, an necessaria sit necessitate præcepti, aut divini, aut saltem ecclesiastici.

Quartum denique, in qua debeat quantitate aqua misceri; & quæ requiratur in ea conditio seu qualitas. Circa quæ, more nostro, errores & opiniones historicè sed compendiosè præmittemus.

Errores & opiniones.

Circa primum duo sunt extremè oppositi errores: primus eorum, qui aquam omnino rejiciunt in sacrificio; alter veterum Manichæorum, qui solam aquam in calice consecrabant, de quo antea diximus.

Tom. 6. Conc. p. 1156. T. 2. p. 883. C. Patres Concilii Trullani an. 692. Can. 32. declarant ad suam pervenisse notitiam, Armenos vinum purum sine aqua offerre in sacra mensa, eosque suum usum exemplo & auctoritate (quamquam immeritò) sancti Chrysostomi confirmasse.

Nicephorus verò L. 18. Hist. c. 53. causam hujus praxis ex gravissimo eorum errore circa duas in Christo naturas, repetit; nempe timebant illi, ne aquæ cum vino mixtione viderentur significare duarum in Christo naturarum, quam illi negabant, unionem. Etsi autem Trullana Synodus hunc abusum in Armenis damnaverit, non videntur tamen illi ab eo propterea recessisse, cùm ipse Eugenius IV. in suo Decreto seu Instructione an. 1439. eundem obliquè carpat, dum statuit, *ut Armeni se cum universo orbe Christiano conforment, eorumque Sacerdotes in calicis oblatione paululum aquæ admisceant vino.* Tom. 13. Conc. p. 537. C. D. Ex Cassandro quoque in Liturgicis c. 12. non obscurè colligimus, etiamnum eos in priori abusu perseverare.

Eundem errorem Græcis affingunt Innocentius III. L. 4. de sacrificio Missæ c. 32. Guido Carmelita in Catalogo hæresum, Alphonsus à Castro adversus hæreses, verbo *Eucharistia*, hæresi 7. & alii nonnulli Scholastici: sed immeritò sanè: nam Græcos aquam semper calici miscuisse colligimus tum ex Liturgia S. Chrysostomi, & notis Goari ad illam, pag. 61. 82. & 148. tum ex Theodoreto Dialogo 1. & Theophilacto in Joannem; tum ex Zonara insigni apud Græcos Canonum interprete & Scholiaste, ad Canonem 32. Conc. Trullani; tum denique ex ipso Decreto Eugenii IV. ubi expressis verbis asserit, Ibid. *S. Romanam Ecclesiam, & antiquas omnes tum Latinorum, tum Græcorum Ecclesias semper in sacrificio obtulisse vinum aqua temperatum.*

Primi Lutherani & Calvinistæ mixtionem aquæ cum vino in calice eucharistico figmentum esse purè humanum, contra Christi institutionem, ac pessimam habere significationem calumniati sunt. Ita colligimus ex Luthero in l. Scripto contra Henricum VIII. Angliæ Regem an. 1522. & in formula Missæ pro Ecclesia Wittembergensi, an. 1523. Ex Petro Richero Calvinista, qui, referente Nicol. Villagagnono L. 1. contra articulos quosdam Calvinianos c. 73. affirmat, hæreticos esse blasphemos, sacrilegos, falsarios, qui vino Cœnæ aquam admiscent, idque se à Calvino didicisse fatetur.

Hanc Novatorum audaciam reprimit Concilium Tridentinum Sess. 22. Can. 9. Hinc recentiores Lutherani & Calvinistæ magistrorum suorum dogma emollientes, aquæ mixtionem rem esse liberam & indifferentem docent, quæ nec præcipi debet, nec prohiberi. Ita Kemnitius in 2. parte Examinis Concilii Trident. Sess. 22. c. 7. & Can. 9.

Circa secundum, S. Bernardus Epistola 69. ad Guidonem Abbatem de tribus fontibus, significat ætate sua extitisse qui dicerent, tantæ necessitatis esse aquam in Eucharistiæ Sacramento: ut sine ea confici illud non possit. Tom. 1. p. 71. C. D. Eadem sententia tribuitur Armacano L. 9. de quæstionibus Armenorum cap. 9.

Circa tertium, nonnulli Scholastici existimarunt, præceptum miscendi aquam cum vino non modò ecclesiasticum esse, sed etiam divinum. Ita docuisse videntur Alexander Alensis, 4. parte q. 10. membro 4. art. 1. in solutione argumentorum; Hosius in Confessione Catholica cap. 14. & Alphonsus à Castro adversus hæreses, hæresi 7. Econtra Valdensis Tom. 3. qui est de Sacramentis, titulo 4. c. 31. n. 10. non tantùm ait nullum esse divinum mandatum de illa aquæ mixtione, sed nequidem præcessisse Christi exemplum, id est, Christum reipsa non miscuisse in vino calicis aquam: unde in illius menta, Ecclesiæ usus non ab exemplo Christi fluxit, sed ab aqua, quæ è latere Christi percusso egressa est. Durandus etiam in 4. dist. 9. qu. 5. docet incertum planè esse, an Christus aquam vino miscuerit.

Inter illas opiniones medium tenent cæteri Scholæ Magistri, quibus placet 1. aquam non esse ad substantiam Sacramenti necessariam. 2. illam tamen esse adhibendam ex præcepto, non quidem divino, sed ecclesiastico, quod fundamentum habet in exemplo & facto Christi.

Circa quartum, si quæ sit varietas, levissimi momenti est: consentiunt quippe omnes, aquam in modica quantitate & parcè infundendam esse, eamque debere esse naturalem seu elementarem.

Græci bis aquam infundunt, semel in mensa propositionis, ubi sacra dona præparantur, apud Goarium in Missa S. Chrysostomi pag. 61. & iterum post consecrationem, & quidem ferventem tunc aquam immiscent, simul cum particula panis consecrati quam injiciunt in calicem, ibidem pag. 82. de quo posteriori ritu aliquando reprehensi sunt à Latinis, & illi vicissim Latinos, quòd talem usum non haberent, redarguerunt: sed in Concilio Florentino de eodem ritu interrogati, per Mytilenensem Episcopum probabiles, atque pias & religiosas illius causas & rationes attulere, quibus auditis, usus ille permissus ipsis est, ac pax cum ipsis inita. Lege Goarium in notis ad Missam S. Chrysostomi p. 148. His historicè prænotatis, sit Mos Græcorum infundendi aquam fervidam.

CONCLUSIO.

Paululum aquæ naturalis calici eucharistico debet infundi, non ex necessitate Sacramenti, aut præcepti divini, sed ecclesiastici dumtaxat.

Probantur singulæ Conclusionis partes.

I. aquam debere calici consecrando infundi, probat antiqua & perpetua Ecclesiæ praxis & traditio; quam ex SS. Patribus priorum temporum, ac Conciliis, & hodierno usu certissimè colligimus.

Ex SS. Patribus tres appellasse sufficiat, Justinum, Irenæum & Cyprianum.

S. Justinus Apolog. 2. pro christianis sub finem, describens Christianorum cœtus, & quidquid in iis peragebatur, *A precibus finitis*, inquit, *mutuis nos osculis salutamus. Deinde ei, qui fratribus præest, offertur panis & poculum aquæ & vini, quibus acceptis &c.* P. 97. D. Deinde alimentum hoc appellat *Eucharistiam*. Ergo S. Justi-

S. Justini ætate, id est secundo sæculo, in consecranda Eucharistia solebat aqua cum vino misceri.

S. Irenæus L. 4. adversus hæreses cap. 33. alias 57. *Accipiens*, inquit, *Dominus panem, suum corpus esse* P. 270. n. 2.
confitebatur, & temperamentum calicis suum sanguinem confirmavit. Et Lib. 5. cap. 2. *Quando ergo*, in- P. 293. n. 3.
quit, *& factus panis, & mixtus calix percipit verbum Dei, & fit Eucharistia corporis & sanguinis Christi*. Quid autem est temperatus, vel mixtus calix, nisi ille in quo vinum aqua temperatur?

S. Cyprianus Epistola 63. ad Cæcilium, ex professo refellit eos qui solam aquam, excluso vino, in calice offerebant, totusque est ut ostendat ex Traditione Christi, utrumque miscendum esse ac consecrandum.
P. 100. „Admonitos nos scias, *inquit initio Epistolæ*, ut in calice offerendo Dominica traditio servetur, neque aliud „fiat à nobis, quam quod pro nobis Dominus prior fecerit, ut calix qui in commemoratione ejus offertur,
P. 101. „mixtus vino offeratur. *Et postea*: Vinum mixtum declarat, id est calicem Domini aqua & vino mixtum „prophetica voce prænuntiat, ut appareat in passione „Domini id esse gestum, quod fuerat ante prædictum. „*Deinde exponit mysticam aquæ significationem.* Vi„demus, *pergit ille S. Doctor*, in aqua populum intel-
P. 104. „ligi, in vino vero ostendi sanguinem Christi. Quan„do autem in calice vino aqua miscetur, Christo po„pulus adunatur, & credentium plebs ei, in quem cre„dit, copulatur & conjungitur: quæ copulatio & con„junctio aquæ & vini sic miscetur in calice Domini, ut „commixtio illa non possit separari.“ Legatur integra Epistola quæ tota est de hoc argumento.

Ex Conciliis idem testantur ac statuunt.

Tom. 2. Conc. p. 1170. F. Carthaginense III. an. 397. c. 24 *Ut in Sacramento, inquit, corporis & sanguinis Domini nihil amplius offeratur, quam ipse Dominus tradidit, hoc est, pane & vinum aqua mixtum.*

Tom. 6. Conc. p. 1156. Ibid. p. 1157. C. Trullanum an. 992. Can. 32 ubi ex professo Armenos aquam non miscentes in calice, damnat auctoritate Concilii Carthaginensis mox laudati, S. Jacobi, & Joannis Chrysostomi: *Si quis ergo*, ait Canon, *Episcopus vel Presbyter non secundum ordinem ab Apostolis traditum facit, & aquam vino miscens, sic immaculatum offert sacrificium, deponatur, ut imperfectè mysterium enuntians, & quæ tradita sunt innovans.*

Bracarense IV. an. 675. capitulo 2. ubi verba S. Cypriani mox citata exscribit: Aurelianense IV. an. 541. Ibid. p. 463. T. 5. Can. 4. Triburiense an. 895. Can. 19.

Conc. p. T. 9. Conc. p. 451. T. 13. Conc. p. 536 & 537. Florentinum in Decreto seu instructione Armenis data, ubi ait, antiquas omnes tum Latinorum tum Græcorum Ecclesias semper in sacrificio obtulisse vinum aqua mixtum; hujusque mixtionis causas & rationes ibidem adducit. 1. *quia juxta SS. Patrum testimonia creditur ipsum Dominum in vino aqua permixto hoc Sacramentũ instituisse.* 2. *quia convenit dominicæ passionis repræsentationi.* 3. *quia utrumque de latere Christi fluxisse legitur.* 4. *denique, quia convenit ad significandum hujus Sacramenti effectum, qui est unio populi Christiani ad Christum, aqua enim populum significat.*

T. 14. Conc. p. 814. E. Denique Concilium Tridentinum Sess. 22. c. 7. sic loquitur: “Monet sancta Synodus, præceptum esse „ab Ecclesia Sacerdotibus, ut aquam vino in calice offe„rendo miscerent: tum quod Christum Dominum ita „fecisse credatur; tum quia è latere ejus aqua simul cum „sanguine exierit, quod Sacramentum hac mixtione „recolitur: & cum aquæ in Apocalypsi B. Joannis po„puli dicantur, ipsius populi fidelis cum capite Christo „unio repræsentatur.

Ibid. p. 856. B. Et Canone 9. adversus Novatores sic decernit: *Si quis dixerit ...., aquam non miscendam esse vino in calice offerendo, eo quod sit contra Christi institutionem; anathema sit.*

Secunda Conclusionis pars, debere scilicet aquam parcè, seu in modica quantitate vino misceri, & eam quidem naturalem & elementarem.

Probatur I. Quia nomine aquæ simpliciter, naturalis & elementaris intelligitur, ut exemplo aquæ baptismalis constat.

II. eam parcè adhibendam esse statuunt leges Ecclesiasticæ. Sæculo nono Concilium Triburiense an. 895. Can. 19. *Duæ*, inquit, *sint partes vini, quia major est majestas sanguinis Christi, quam fragilitas populi; tertia aqua, per quam intelligitur infirmitas humana natura.* Sensus Canonis non est, tertiam calicis consecrandi partem necessario debere aqua constare; sed aquam non debere tertiam ejusdem calicis partem excedere. Tom. 9. Conc. p. 451. C.

Sæculo duodecimo Honorius III. S. Pontifex cap. *Perniciosus. De celebratione missarum*, nonnullos qui plus aquæ quam vini calici infundebant, his verbis perstringit: *Perniciosus inolevit abusus; videlicet, quod in majori quantitate de aqua ponitur in sacrificio, quam de vino cùm secundum rationalem consuetudinem Ecclesiæ generalis, plus in ipso sit de vino, quam de aqua ponendum.* Decretal. P. 1189. n. 40.

Sæculo quinto decimo Eugenius IV. in instructione Armenorum idem præcipit: *Vino*, inquit, *ante consecrationem aqua modicissima admisceri solet.* To. 13. Conc. p. 936. E.

Tertia pars Conclusionis, nempe aquæ mixtionem necessariam non esse necessitate Sacramenti.

Probatur I. ex silentio Scripturæ, quæ solius vini mentionem facit, ubi de consecratione calicis. S. Chrysostomus Hom. 83. in Matth. ad ista verba, *Non bibam amodo de hoc genimine vitis*, confutans Aquarios ait: *Quæ certe vitis, non aquam, sed vinum producit*. Neque Christi exemplum opponi potest: siquidem & azymum panem adhibuit, qui tamen ad substantiam Sacramenti, ut azymus est, non pertinet. F. dio. Commel. p. 700. C

Probatur II. ex Traditione Ecclesiæ & sententia SS. Patrum, qui etsi doceant aquam necessariam esse in calice eucharistico, sine illa tamen valide vinum consecrari & fieri Christi sanguinem affirmant. Inter alios S. ipse Cyprianus Epistola citata ad Cæcilium ita loquitur. *Sic autem in sanctificando calice Domini offerri aqua sola non potest, quomodo nec vinum solum potest; nam si vinum tantum quis offerat, sanguis Christi incipit esse sine nobis; si vero aqua sit sola, plebs incipit esse sine Christo.* Igitur, juxta S. Doctorem, si quis vinum solum sine aqua consecraret, sanguinem Christi efficeret, adeoque plenum & integrum, quantum ad substantiam, Sacramentum; aqua ergo necessaria tantum est ex usu seu præcepto Ecclesiæ, ad mysticam hujus Sacramenti significationem. P. 103.

Idem ac S. Cyprianus, cujus verba exscribit, docet Concilium Bracarense IV. jam citatum.

Et Eugenius IV. in Decreto assignans materiam Eucharistiæ essentialem seu necessariam, ait, *eam esse panem triticeum, & vinum de vite*. To. 13. Conc. p. 536. E.

Hinc Concilium Trid. Sess. 13. cap. 3. ait *semper hanc fidem in Ecclesia Dei fuisse, statim post consecrationem verum Domini corpus, verumque ejus sanguinem sub panis & vini specie existere.* Non ait Concilium, *sub specie vini aqua temperati.* To. 14. Conc. p. 806. A.

Concilii doctrinam expressit & secutus est Catechismus Romanus parte 2. de Eucharistiæ Sacramento nu. 17. *Quamvis*, inquit, *aquæ admiscendæ ita graves rationes sint, ut eam sine mortali peccato prætermittere non liceat; ea tamen si desit, Sacramentum constare potest.* Idem notatur in Rubricis Missalis Romani, titulo, *De defectu vini.* Idem non obscure colligi potest ex concilio Trid. Sess. 22. cap. 7. ubi ait *aquam vino calicis miscendam esse ex præcepto Ecclesiæ.* Ib. p. 8 4. E.

Probatur II. Quia nec Trullana Synodus, nec Eugenius IV. nec alii qui Armenos aquam in calice non miscentes damnarunt, unquam objecerunt nullum ideo, ab ipsis, seu irritum fieri Sacramentum, quod certe non siluissent, si persuasum eis fuisset, aquam esse necessariam ad Sacramenti veritatem & substantiam.

Quarta & ultima pars conclusionis, aquæ scilicet mixtio-

mixtionem necessariam non esse ex præcepto divino, sed ecclesiastico dumtaxat, quod fundatur in facto seu exemplo Christi,

Probatur, I. Quia nullum in Scripturis reperire est de hac mixtione facienda præceptum; atque citatæ antea SS. Patrum & Conciliorum auctoritates hoc unum efficiunt, Christum nempe vinum aqua temperasse in instituenda Eucharistia; adeoque nobis exemplum dedisse, necessitatem legis nobis non imposuisse, multa etenim fecit, quæ, ut faceremus non mandavit.

II. Quia Julius S. Pontifex & alii in jure Canonico talati, non obscure significant præceptum illud humanum esse. *Calix Dominicus*, inquiebat citatus S. Pontifex, *juxta Canonum præcepta vino & aqua permixtus debet offerri.*

T. 14. C. p. 854. A. III. Expresse Concilium Trid. Sess. 22. cap. 7. ait, *præceptum esse ab Ecclesia omnibus Sacerdotibus, ut aquam vino in calice offerendo miscerent.* Et vero si præcepto ac jure divino aquæ mixtio foret necessaria, vix intelligas quare ad Sacramenti substantiam non pertineat.

Quod vero Præceptum illud ecclesiasticum fundetur in facto seu exemplo Christi, qui pro more Judæorum, calicem vino & aqua permixtum hausit in Cœna ultima, constat ex laudatis hic testimoniis sanctorum Irenæi & Cypriani, Concilii III. Carthaginensis, Eugenii IV. in Decreto, & Concilii Tridentini Sessione 22. cap. 7. Et certe cum Judæorum Rituales libri, ut observat doctissimus Buxtorfius in historia sacræ Cœnæ num. 20. liberum relinquant unicuique vinum aqua temperandi in cœna paschali, credere non immerito possumus, Christum ad temperantiæ & sobrietatis exemplum, vino aquam miscuisse. Addit Gaufredus Monachus in Epistola ad Cardinalem Episcopum Albanensem, apud Baron. ad an. Christi 1188.
T. 12. p. 795. C. n. 34. in Judæa non solitum esse vinum purum propinari, sed aqua temperatum propter illius nimiam petulantiam.

Quæres, an sit de fide, præceptum miscendi aquam cum vino in calice consecrando, non esse divinum, sed ecclesiasticum: pariter an sit de fide, Christum in institutione Eucharistiæ revera aquam vino miscuisse.

Resp. neutrum ad fidem pertinere, Illud enim solum tanquam de fide definitum haberi debet, quod est in Canonibus Conciliorum sub anathematis pœna ad credendum propositum; atqui præceptum miscendi aquam vino, divinum esse aut ecclesiasticum; pariter Christum aqua vinum temperasse, in nullo Conciliorum canone sub anathematis pœna credendum proponitur. Hoc unum in præsenti argumento fidem spectat, quod canone 9. concilii Tridentini Sess. 22. in proba-
D. 14. Conc. p. 856. B. ibid. p. 854. E. tione primæ partis citato, definitum legimus, nempe, anathema dici iis, qui *negant aquam vino in calice offerendo esse miscendam, eo quod sit contra Christi institutionem.*

Neque obstat quod idem conc. eadem. Sess. c. 7. dicat *præceptum esse ab Ecclesia Sacerdotibus, ut aquam misceant, atque credi Christum Dominum ita fecisse.* Namque 1. ea tantum pro definitis de fide à concilio Trid. habenda sunt quæ sunt canonibus expressa & sancita, non quæ in capitibus præmittuntur ad canonum subsequentium intelligentiam & probationem. 2. Quia dicere quis posset, concilium ita præceptum Ecclesiæ designasse, ut tamen divinum noluerit excludere; imo ecclesiasticum expressisse, tanquam executionem divini. 3. Quia solemne fuit Patribus Tridentinis, nullam Scholæ Catholicæ opinionem configere: at non desunt qui mixtionem aquæ jure & præcepto divino necessariam esse contendunt. Verbum ergo *creditur*, quo utitur concilium, non pro fide supernaturali & theologica hic usurpatur, quasi vellet esse de fide, Christum vino aquam vino miscuisse, sed propia tantum credulitate, quæ, inquit Isambertus de Sacramento Eucharistiæ loquens ad quæst. 74. disput. 4. art. 7. *in gradu certitudinis est inferior fide Catholica.* Unde S. Th. hic qu. 74. art. 6. ait *probabiliter credi &c.* Etsi igitur temeritatis notam non effugeret, qui diceret christum non miscuisse aquam vino in calice eucharistico, non idcirco tamen hæreticus esset: erraret quidem ille, sed non errore contra veritatem revelatam, ac ex fide supernaturali certam & definitam.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objicies 1. adversus primam conclusionis partem, Necessaria non videtur aquæ mixtio, tum quia Isaiæ 1. v. 22. damnatur in Judæis; *Vinum tuum*, inquit exprobrans Propheta, *mixtum est aqua.* Tum quia sanctus Chrysostomus Hom. 83. in Matth. eam rejicit his verbis: *Christus Dominus, non aquam, sed vinum post resurrectionem bibit, ut radicitus evelleret perniciosam quamdam hæresim eorum qui aqua in mysteriis utuntur.* Ed. comment. p. 700.

Resp. nego ant. Ad primam probationem ex Isaia. dist. Propheta exprobrat Judæis admixtionem aquæ; quæ fiebat in fraudem ementium; cùm nempe vinum purum vendere professi, ea mixtione ipsum adulterabant, quod vitium, sicut & alia multa, ibidem redarguit Isaias, concedo: mixtionem quæ fiebat ad sobrietatem ab iis qui vinum bibunt, nego.

Ad secundam respondent Patres Concilii Trullani Tom. 6. Conc. p. 1356. Can. 32. S. Chrysostomum citato loco ex professo damnare Aquarios, seu eos hæreticos qui solam aquam, vino excluso, offerebant in calice; non autem eos, qui utrumque simul mixtum consecrant. *Ipse enim*, (ajunt citati Patres) *sua Ecclesiæ, ubi est illi pastoralis administratio tradita, aquam vino miscendam tradidit, quando incruentum peragi sacrificium oportet.*

Objicies 2. contra tertiam & quartam conclusionis partem; Aquæ mixtio necessaria est necessitate Sacramenti & præcepti divini.

Probatur antecedens, Quia illud est necessarium necessitate Sacramenti & præcepti divini, quod est à Christo institutum ac præceptum, & sine quo verè non potest consecrari calix Eucharisticus: atqui aquæ mixtio fuit à Christo instituta & præcepta, ac sine ea non potest verè consecrari calix Echaristicus; ergo &c.

Minor probatur ex S. cypriano Epistola 63. jam citata quæ est ad concilium, in qua

I. Sæpius repetit, *Christum calicem vino & aqua miscuisse: mandasse, præcepisse, exemplo & magisterio suo docuisse, miscendam esse aquam; ac nemini mortalium fas esse aliud offerre, quàm quod Christus ipse instituit & obtulit.* Constat ea omnia ex lectione Epistolæ. P. 105. & seq.

II. conceptis verbis asserit, *in sanctificando calice non posse offerri aquam solam, quomodo nec vinum solum.* Atqui certum est, calicem non posse verè consecrari in aqua sola, ergo in mente S. Doctoris non potest quoque verè seu validè consecrari in solo vino. constet igitur aquam necessariam esse ad substantiam & veritatem consecrationis. P. 103. ibid.

III. Asserit calicem *non esse aquam solum, aut vinum solum, sicut nec corpus Domini potest esse farina sola, aut aqua sola, nisi utrumque adunatum fuerit & copulatum, & panis unius compage solidatum*, verba sunt S. Doctoris, Atqui panis essentialiter & necessariò compingitur ex farina & aqua; ergo pariter calix Eucharisticus, in mente S. cypriani, necessariò ad veritatem consecrationis, mixtus esse debet vino & aqua.

IV. Tum pani ex multis granis confecto, tum calici vino & aqua temperato, suam inesse mysticam significationem contendit, & quidem Sacramento essentialem ac necessariam: nempe, sicut per multa grana in eundem panem conficiendum coeunt, significatur, Fideles unum esse cum Christo corpus;

ita

Ita & per mixtionem aquæ cum vino, significatur Fidelium cum Christo conjunctio. Porro istam mysticam significationem Sacramento essentialem esse ac necessariam, existimasse videtur S. Cyprianus, ait enim; [Ibid.] *Quando utrumque miscetur, & adunatione confusa sibi invicem copulatur, tunc Sacramentum spiritale* [P. 104.] *& cœleste perficitur.* Et in fine Epistolæ. *Sacrificium,* inquit, *verum & plenum tunc offert Sacerdos in Ecclesia Deo Patri, si sic incipiat offerre, secundùm quod ipsum Christum videat obtulisse.*

Resp. nego antecedens, ad cujus probationem nego minorem.

Ad primam ex S. Cypriano probationem, dico institutionem hanc, ac præceptum de quo loquitur, non ad aquam referri, sed ad vinum, de quo potissimùm ipsi erat quæstio adversus eos, qui, sive ex errore, sive ex ignorantia, sive ex simplicitate intempestiva temperantia, solam aquam calici infundebant, vino rejecto. Suum hunc scopum apertè declarat citata in Epistola [P. 103.] sanctus Doctor. „Miror, *inquit,* unde hoc usurpatum „sit, ut contra Evangelicam & Apostolicam disciplinam, quibusdam in locis aqua offeratur in Dominico „calice, quæ sola Christi sanguinem non possit exprimere.“ En error & abusus, ad quem evertendum omnia sua argumenta convertit S. Cyprianus. Quem finem ut assequatur, necesse non est, ut probet aquam esse offerendam; de illa enim non agebatur, & ultro id fatebantur Aquarii quos impugnat: sed in eo totus incumbere debuit, ut ostenderet vinum necessariò esse offerendum, sine quo non potest esse Christi sanguis, & consequenter nulla consecratio calicis. Et re ipsa omnia quæ colligit argumenta, ad hoc unum, tanquam ad unicum aut saltem præcipuum scopum collimant, ut legenti constabit; omnia enim tum veteris tum novi Testamenti testimonia quæ vini mentionem faciunt, ad calicem eucharisticum inflectit, qualia sunt, quæ referuntur Gen. 9. de ebrietate Noe, & cap. 14. de sacrificio Melchisedech, & cap. 49. de Prophetia Jacob; & cap. 9. Proverbiorum, ubi dicitur, *Bibite vinum quod miscui vobis*; & Psal. 22. ubi dicitur, *Calix meus inebrians quàm peroptimus*; & Matth. 26. ubi Christus ait, *Non bibam amodo de hoc genimine vitis*; & Joan. 15 ubi se *vitem* appellat. Quando igitur Christi institutionem, exemplum ac præceptum toties urget ac inculcat S. Cyprianus, non ad aquæ, sed vini necessitatem comprobandam refert; de vino enim, non de aqua, excitata erat controversia: unde Scripturæ testimonia in quibus aquæ fit mentio, refert ad Baptismum, non ad Eucharistiam.

Neque est quod dicas, nullum à S. Doctore discrimen notari inter Christi institutionem, seu præceptum quo vinum & aqua offerri debent, sed utrumque ob eandem Christi institutionem ac præceptum observandum esse, ut constat ex verbis ejus inter probationes citatis; ex quo sequitur, saltem in mente S. Cypriani, aquæ mixtionem juris esse & præcepti divini, non tantùm ecclesiastici, ut fert Conclusio nostra. Istud pro- [P. 104.] fectò clarè ostendunt hæc S. Doctoris verba, *Si,* inquit, *nec minima de mandatis Dominicis licet solvere, quantò magis tam magna, tam grandia, tam ad ipsum Dominicæ passionis & nostræ redemptionis sacramentum pertinentia, fas non est infringere, aut in aliud, quàm quod divinitus institutum sit, humana traditione mutare?*

Resp. enim, institutum S. Doctoris non postulasse, ut discrimen illud exponeret. De vini quippe necessitate in consecrando calice potissimùm agebat, quam ut probaret, ad Christi institutionem ac mandatum meritò recurrit; de ipsa verò aqua non disputat, sed supponit, quod ipsi admittebant Aquarii quos impugnat, nempe aquam esse usurpandam, non solam quidem, ut illis placebat, sed vino mixtam. An verò eadem prorsus necessitate eodemque jure sit necessaria aqua in calice Eucharistico, quo ipsum vinum, non declarat expressè S. Doctor: ex verbis tamen illius non obscurè colligimus, aliam ipsi visam esse vini & aquæ necessitatem, siquidem ait, *cum vino solo posse, mediante consecratione, fieri Christi sanguinem, non cum aqua sola.* [P. 103.] Solum igitur vinum agnoscit tanquam materiam essentialem calicis consecrandi; adeoque solum necessarium necessitate Sacramenti & juris divini.

Ad secundam probationem, dist. ant. Non potest vinum solum offerri, ut nec aqua sola, propter variam necessitatis causam & rationem, concedo: propter eandem omninò, nego. Non potest quidem offerri vinum sine aqua, quia ita fert usus & universalis praxis Ecclesiæ: suam enim aqua significationem mysticam habet, qua non debet Eucharistiæ Sacramentum privari; atque hæc est ratio seu causa cur necesse sit eam vino admisceri: at stricliori & majori necessitate vinum necessarium est, quia sine illo invalida est & nulla consecratio. *Nam,* [Ibid.] inquit S. Cypr. *si quis vinum tantum offerat, sanguis Christi incipit esse sine nobis; si verò aqua sit sola, plebs incipit esse sine Christo.* Significatio autem practica Sacramenti, magis necessaria est, quàm mystica.

Ad tertiam, dist. pariter maj. Calix non est vinum solum, sicut panis non est farina sola, aut aqua sola, quantùm ad significationem mysticæ unionis populi cum Christo, ad quam unam attendit S. Cyprianus in comparatione adducta, concedo; quantùm ad validam consecrationem, nego. Comparat igitur mixtionem vini & aquæ in calice, cum mixtione farinæ & aquæ in pane, ex quo fit corpus Christi, ratione repræsentationis seu significationis mysticæ, quæ posita in eo est, ut ipse loquitur, quòd quemadmodum grana multa in unum collecta & commolita & commixta panem unum faciunt, & significant Fideles in Christo, qui panis est cœlestis, unum corpus esse; sic quoque mixtio aquæ cum vino, eandem populi cum Christo adunationem & conjunctionem significat in calice; atque in hoc valet comparatio à S. Doctore instituta. Sed quantùm ad veritatem seu validitatem consecrationis, magna est disparitas; panis enim qui ex multis granis tritici contritis ac commolitis & aqua delibutis non constaret, panis verus non esset, adeoque nec materia sufficiens consecrando corpori Christi; è contra, vinum sine aqua, verum est vinum, unde potest solum validè consecrari.

Ad quartam, nego significationem illam mysticam, de qua mox dixi, essentialem esse Eucharistiæ. Quando igitur sanctus Cyprianus ait Sacramentum perfici, verum & plenum esse, cùm talis adest significatio, distinctione opus est: Sacramentum perficitur perfectione accidentali & integrali, concedo. essentiali, nego. Solutionem suppeditat sanctus Doctor, cùm ait, *sanguinem Christi non* [P. 102.] *offerri, si desit in calice vinum*; (en essentia sacrificii) *nec sacrificium Domini cum legitima sanctificatione celebrari, nisi oblatio & sacrificium nostrum responderit passioni*; en integritas ejus, seu perfectio accidentalis, ex perfecta repræsentatione orta.

Objicies 3. Sanctus Bernardus Epistola 69 liberum unicuique relinquit credere, sine aqua non posse [To. 1. p. 71. C.D.] validè consecrari calicem. *Aiunt,* inquit, *nescio quem alium aliud sensisse Scriptorem, non posse videlicet absque tribus, id est, pane, vino, & aqua, hoc sacrificium esse; ita ut si quodlibet horum deesse contigerit, reliqua non sanctificentur. Sed de hujusmodi unusquisque in suo sensu abundat.*

Resp. S. Doctorem ea in Epistola non improbare quidem tanquam hæreticam, sed tanquam falsam ad dictam opinionem. Quæstio erat de Sacerdote, qui cùm omisisset vinum in calicem fundere, comperta serius negligentia, vinum fuderat supra particulam hostiæ consecratæ, absque ulla vini consecratione speciali: circa quam Quæstionem nonnulli

opinabantur, nequidem eo in casu panem consecratum fuisse, nempe propter defectum vini in calice. Hos vero refellit S. Bernardus, quia panis prius, quam vinum consecratur, adeoque consecratio unius non pendet à consecratione alterius. *Non nego*, inquit, *panem & vinum aqua quidem mixtum, simul debere apponi; quin potius assero, haud aliter debere fieri: sed aliud est culpare negligentiam, aliud negare efficaciam. Aliud, inquam, est, quod causamur non bene quidpiam fieri, & aliud quod mentimur nec fieri.* Censet igitur S. Doctor, panem sine vino & vinum sine aqua posse valide consecrari; adeoque privata sua sententia improbat opinionem illorum qui asserebant, tria hæc ita simul esse usurpanda, ut si aliquod deesset, nulla fieret consecratio. Dixi, privata sua sententia: neque enim rem esse ab Ecclesia determinatam noverat; unde sic claudit prædictam Epistolam, *Hæc interim de hac re dixerim & senserim, absque præjudicio vel sanæ sententiæ, si quid melius sapit, vel cujuslibet sanius sapientis.* Ibid. E. / Ibid.

Objicies 4. Illud est de necessitate Sacramenti Eucharistiæ, per quod primum & directum ejus significatum importatur; atqui per aquæ mixtionem primum & directum Eucharistiæ significatum importatur; illud enim consistit potissimum in repræsentatione passionis & mortis Christi, è cujus latere sanguis & aqua fluxit, quem fluxum Concilia Florentinum & Tridentinum citata inter probationes primæ partis nostræ Conclusionis, docent repræsentari per aquam quæ calici infunditur.

Resp. distinguo maj. per quod importatur primum & directum significatum practicum, id est, præsentia realis & substantialis corporis & sanguinis Christi, quæ per consecrationem, concedo: significatum speculativum duntaxat, iterum distinguo: primarium, esto: secundarium, nego. Explico. In Eucharistia distingui debet ratio Sacramenti, & ratio sacrificii: ut sit Sacramentum, satis est quod vera sit panis aut vini consecratio, & conversio in corpus & sanguinem Christi; in hoc enim consistit significatio practica: potest autem una pars valide sine altera consecrari, panis sine vino, & vicissim vinum aut sine aqua, aut sine pane. Ut autem Eucharistia rationem habeat sacrificii, debet repræsentare mortem & passionem Christi, seu separationem sanguinis à corpore, quæ repræsentatio & commemoratio perficitur cum utraque species separatim consecratur, & vi verborum corpus sub specie panis, sanguis vero sub specie vini ponitur; atque dici potest necessaria & essentialis ad rationem sacrificii; significatio autem seu repræsentatio illius aquæ & sanguinis quæ ex perfosso latere Christi jam mortui fluxere, essentialis non est, neque primaria, sed accidentalis tantum & secundaria.

Objicies 5. Illud est de necessitate Sacramenti Eucharistiæ, quod Christus usurpavit, quod usurpandum esse docet Ecclesiæ traditio & praxis: atqui talis est mixtio aquæ; ergo &c.

Resp. nego maj. Quot enim sunt etiam in Eucharistia, quæ Christus fecit, neque tamen censentur ad substantiam Sacramenti pertinere? Consecravit in azymo pane, post cœnam &c. An ista necessaria dicent ad substantiam Eucharistiæ? non puto. Igitur exemplum Christi, & usus Ecclesiæ perpetuus non sufficiunt, ut quid censeatur pertinere ad essentiam Sacramenti; sed necesse est, ut aut apertum sit Christi præceptum, aut aperte Ecclesia, verborum ejus interpres, declaraverit sine hac vel illa re non posse consecrari Eucharistiam, & invalidam esse seu nullam consecrationem. Istud autem nunquam pronuntiavit Ecclesia, de aqua quæ vino in calice Eucharistico miscetur, imo potius contrarium significavit. Igitur aquæ mixtio aliquo sensu dici potest esse juris divini, propter exemplum Christi, sed non potest idcirco dici necessaria necessitate Sacramenti; sicut satisfactio in Sacramento Pœnitentiæ, juris est divini, non tamen pars essentialis Sacramenti, sed integralis duntaxat.

Objicies denique adversus quartam Conclusionis partem, SS. Patres, imprimis S. Cyprianus, & Concilia quæ adduximus in probationem primæ partis nostræ Conclusionis, manifeste insinuant aquæ mixtionem necessariam esse ex præcepto divino.

Concilium enim Carthag. III. cap. 24. ait, *id offerendum quod Dominus tradidit.* Concilium Aurelianense IV. Can. 4. ait, *vinum esse offerendum aqua mixtum, quia sacrilegum judicatur aliud offerri quam quod in mandatis sacratissimis Salvator instituit.* Conc. Trul. ait, hunc ordinem *esse ab Apostolis traditum.* Hic igitur maxime locum habet effatum S. Aug. L. 2. de Baptismo c. 7. & L. 4. c. 24. *Quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi auctoritate Apostolica traditum rectissime creditur. Apostoli autem*, ut loquitur Tertullianus, *à Christo acceperunt, sicut Christus à Deo.* Tom. 2. Con. p. 1170. E. Tom. 5. Conc. p. 581. C. Tom. 6. Conc. p. 1356. To. 9. p. 102. F. & 140. C.

Resp. nego ant. & explico. Concilium Carthaginense per verbum *tradidit*, non præceptum, sed oblationem seu rem oblatam designat; & sensus est, nihil esse offerendum, præter id quod Christus prior obtulit. Hoc sensu Christus dicitur semetipsum pro nobis tradidisse, id est obtulisse in sacrificium. Concilium Aurelianense vel mandata illa sacratissima ad solum panem & vinum refert; vel sensus est, Christum eo tempore quo mandata sacratissima dabat Apostolis de conficienda Eucharistia, eam revera consecrasse in pane & vino aqua mixto: sed sensus non est, Christum inter mandata illa istud quoque dedisse, ut aqua vino misceretur. Concilium Trullanum ait ab Apostolis traditum, non à Christo mandatum; neque Armenos unquam reprehendit tanquam violatores mandati Christi. Regulam S. Augustini ultro admittimus, & fatemur mixtionem aquæ in calice Eucharistico hoc sensu juris esse seu institutionis divinæ, quia Christus exemplo suo & facto usurpavit, sicut & azymum panem, at inde non sequitur, aut panem ipsum, ut azymus est, aut aquam, necessariam esse necessitate aut Sacramenti, aut præcepti divini.

ARTICULUS VII.

An, & quomodo aqua convertatur in sanguinem Christi, mediate, vel immediate.

Opiniones.

Circa primam præsentis Articuli quæstionem, utrum scilicet aqua vino in calice mixta convertatur in sanguinem Christi, vi verborum consecrationis, an propria natura & substantia remaneat, gravis exorta est in Galliis controversia sæculo duodecimo, de qua Gaufredus Monachus Claravalensis an. 1188. consuluit Albanensem Episcopum Cardinalem, Clementis III. Vicarium. Hujus Epistolam refert Baronius ad an. Christi 1188. n. 34. *Non mediocris*, inquit ille, *inter modernos Theologos super eadem quæstione dissensio, negantibus aliis, aliis affirmantibus, totum liquoris mixti, sicut panis, qui ex simila & aqua, similiter conficitur, unam fieri transsubstantiationem.* T. 12. p. 791.

Circa secundam & tertiam etiam quæstionem, de modo conversionis aquæ in sanguinem, an immediatus sit, vel mediatus, ita ut aqua prius debeat converti in vinum, quam in sanguinem Christi, paulo post Gaufredum tempore Innocentii III, qui sedere cœpit anno 1199. & obiit anno 1216. rursus

excitata est controversia. Quatuor opiniones refert dictus Pontifex in Epistola ad Joannem Archiepiscopum Lugdunensem, L. 5. Epistolarum, quæ à clarissimo Baluzio duobus Tomis collectæ fuerunt, Tomo 1. pag. 671. Refertur etiam L. 3. Decretalium, titulo 41. Cap. *Cum Martha, De celebratione Missarum.* Pagina 1367.

Prima, eorum est, qui dicebant, vinum & aquam converti in sanguinem & aquam, quæ fluxerunt è latere Christi.

Secunda, eorum, qui aquam cum vino in sanguinem idem converti putabant, quia vino mixta, transit in vinum; id est, mediatè eam converti existimabant; quæ certè quæstio ad Physicos meliùs, quàm ad Theologos pertinet.

Tertia, eorum, qui dicebant aquam in propria sua remanere substantia, vini accidentibus circumfusam.

Quarta denique, eorum, quibus placebat aquam in flegma converti, quam opinionem nefariam appellat Innocentius III.

Tempore S. Thomæ, qui 13. floruit Ecclesiæ sæculo, nonnulli, ut ipse refert 3. part. qu. 74. art. 8. dicebant, *aquam vino adjunctam per se manere, sola vino conversa in sanguinem: quæ opinio*, inquit, *stare non potest.*

Ex 4. his opinionibus enumeratis, prima, tertia & quarta nullos jam habent in Schola defensores. De secunda tantùm hodie movetur controversia; aliis mediatam, ut Thomistæ; aliis immediatam aquæ in sanguinem conversionem propugnantibus.

PRIMA CONCLUSIO.

Aqua vino mixta in calice, reipsâ convertitur in sanguinem Christi.

Probatur 1. quia id omne, quod in calice continebatur, & Apostolis suis Christus propinavit, erat sanguis ejus, *Hic est calix sanguinis mei*, cùm igitur aqua vino mixta foret, pro certo habendum aquam in sanguinem Christi conversam fuisse.

Probatur 2. ex SS. Patribus quorum plurima laudat testimonia Gaufredus in citata ad Card. Albanensem Epistola, & nos antea laudavimus, tum in Quæstione de reali præsentia; tum paulò antè, cùm de necessitate mixtionis aquæ cum vino in calice Eucharistico disserebamus. Ex illis enim hoc argumentum elicitur: SS. Patres Justinus, Irenæus, Cyprianus, &c. asserunt aquam esse in calice vino admiscendam; atqui iidem SS. Patres asserunt Christum, calicem id est, quod continetur in calice, convertisse in proprium suum sanguinem; ergo censent aquam converti in sanguinem.

Confirmatur. Quia iidem SS. Patres ajunt, ante consecrationem in calice esse vinum & aquam, post consecrationem verò esse Christi sanguinem; ergo &c. Hanc sententiam Innocentius III. loco citato ait esse ex quatuor enumeratis, probabiliorem. Non dixit de fide certam; quia reipsa, etsi post unanimem ferè Theologorum sententiam, temeritatis notam non effugeret, qui oppositam tueretur, non tamen formaliter hæreticus dici posset, cùm nullo evidenti Scripturæ testimonio, aut Concilii Oecumenici decreto definitum sit, aquam converti in Christi sanguinem. S. Thomas citato loco ait oppositam opinionem stare non posse. Hinc Baronius ad an. 1188. loquens de Epist. Gaufredi ad Card. Albanensem, *Quid rescripserit*, inquit, *Cardinalis, non invenimus: sed aliud rescribere non potuisse certum est, quàm quod credidit & custodivit semper Sancta Romana Ecclesia, nimirum aquam simul & vinum transsubstantiari in sanguinem Christi.* T. 12. p. 796. C.

Probatur 3. ratione. Quod est Pars potus usualis, quem Christus pro materia calicis consecrandi assumpsit, debet in sanguinem ejus converti, virtute verborum Christi: atqui aqua pars est potus usualis; ergo &c.

Confirmatur: tum quia facta consecratione nulla alia, præter sanguinem Christi, substantia remanet in calice: tum quia sicut fermentum quod Græci pani triticeo admiscent, convertitur simul cum tritico in corpus Christi, quia pars est panis usualis, licèt aliunde non sit pars essentialis & necessaria ad validam consecrationem; ita pariter aqua, etsi non sit essentialis & necessaria necessitate Sacramenti, pars calicis consecrandi, quia tamen est pars usualis potus quem Christus usurpavit, idcirco in sanguinem simul cum vino convertitur.

SECUNDA CONCLUSIO.

Probabilius longè nobis videtur, aquam immediatè, vi verborum consecrationis, converti in Christi sanguinem.

Probatur 1. ex laudatis SS. Patribus, qui cùm de consecratione calicis, & conversione in Christi sanguinem loquuntur, nullum planè discrimen afferunt inter modum, quo vinum, & eum, quo aqua convertitur; sed simpliciter affirmant vinum & aquam converti.

Et certè iidem Scriptores ajunt aquam offerri, benedici, consecrari, fieri sanguinem Christi; ergo vel non loquuntur accuratè, vel supponunt aquam ante consecrationem nondum esse in vinum conversam: aliàs non jam aqua, sed vinum solum diceretur converti in sanguinem; aqua siquidem in vinum conversa, non est aqua, sed vinum.

Probatur 2. Quia Innocentius III. citata Epistola fatetur Physicos asserere, non posse aquam vino mixtam, in illud commutari & converti, cùm possit ab eo per artem extrahi & separari.

Et verò si qua ætate, hoc est, duodecimo sæculo, excitata est de conversione aquæ in sanguinem Christi controversia, persuasum fuisset aquam in vinum converti ac transire, nullus profectò fuisset tantæ contentioni ac disputationi locus; nullus quippe Catholicus unquam dubitavit, quin vinum converteretur in Christi sanguinem per verba consecrationis: at aqua in vinum conversa, vinum est, non aqua: aerem igitur verberassent, qui tanto æstu disputabant, an aqua convertatur in sanguinem, an in sua remaneat natura & substantia. Inde igitur natam hanc controversiam probabiliter conjicimus, quòd, cùm aqua non sit absolutè necessaria materia calicis consecrandi, & aliunde res sit valde anceps & ambigua, an vino mixta in illud convertatur; valde quoque incertum illis auctoribus visum est, an convertatur in sanguinem Christi: quibus certè difficultatibus tutissimè occurrit opinio, quæ asserit aquam immediatè converti in Christi sanguinem.

Hanc tamen (ingenuè fatendum est) opinionem immediatæ conversionis aquæ in sanguinem Christi, disertè non propugnarunt aut Gaufredus, aut Innocentius III. satis sibi esse rati, si probarent aquam in sua natura & substantia non remanere post consecrationem, quod præcipuum erat illorum institutum; sed eam converti in Christi sanguinem, quocunque tandem modo fiat illa conversio, vel mediatè, vel immediatè, de quo parum illi curabant.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objicies 1. contra primam Conclusionem. Innocentius III. citata Epistola, inter quatuor opiniones quas recenset, non improbat eam, quæ dicit, *aquam non transire in sanguinem sed manere prioris vini accidentibus circumfusam, ergo &c.* Tom. 1. p. 671. col. 2.

Resp. S. Pontificem historicè & narrativè hanc opinionem recensere, non assertivè, eam calculo suo approbando: quin imò satis ibidem declarat, hanc opinionem sibi non probari, cùm ait, eam

videri probabiliorem, quæ afferit aquam converti in sanguinem.

Objicies 2. De fide est, aquam converti in sanguinem, non probabile tantum, ut ait Innocentius III.

Ant. probatur. Quia de fide est, peracta consecratione solas remanere panis & vini species, ut definit Conc. Trid. Sess. 13. Can. 2. Ergo non remanent species aquæ; quanto minus ejus substantia;

Resp. 1. dist. ant. De fide est solas remanere panis & vini & species, per exclusionem substantiæ panis & vini, quod unum adversus Lutherenos decernit Concilium, concedo; per exclusionem substantiæ aquæ, de qua nullatenus agit Canon laudatus, nego.

Resp. 2. nego conseq. Posset enim dici, remanente aquæ substantia non remanere ejus species visibiles, quia manent, ut ait Innocentius, prioris vini accidentibus circumfusæ, nec amplius per sese possunt sensus nostros affi.ce.

Instabis 1. Constat ex fide, illud omne in Christi sanguinem fuisse conversum, quod Christus consecravit in calice; atqui Christus reipsa, ex ante dictis, aquam simul cum vino consecravit; ergo certum est ex fide, aquam converti in Christi sanguinem.

Resp distinguo maj. quod Christus consecravit tanquam materiam essentialem, & sine qua non potest esse consecratio, concedo; tanquam materiam accidentalem aut integrantem dumtaxat, sine qua valida est consecratio, nego. Porro constat ex dictis, vinum solum esse materiam essentialem ac necessariam calicis consecrandi, non aquam; adeoque etsi credamus Christum aquam vino miscuisse, quia tamen illa non est essentialis materia, non tenemur ex fide credere eam in Christi sanguinem converti. Distinguo etiam minorem. Atqui Christus aquam cum vino consecravit, idque pia credimus, concedo: idque ad fidem pertinet, nego. Solutio patet ex ante dictis.

Instabis 2. Fides docet totum quod in calice consecrato continetur, objectum esse adorationis nostræ; ergo eadem fides docet totum quod fuit in calice, conversum esse in Christi sanguinem per consecrationem: alias Fideles periculo idololatriæ exponeret.

Resp. nego ant. Fides enim docet tantum sanguinem Christi qui in calice continetur, adorationis nostræ objectum esse, non vero quidquid in calice continetur; neque propterea ullum est idololatriæ periculum, si præter Christi sanguinem extranea aliqua substantia reperiatur in calice. Ex dictis enim antea, Græci, facta consecratione, aquam serventem infundunt in calicem, an propterea aquam illam adorare censentur? absit. Pariter docent Physici, in prioris sanguinis consecrati aerem misceri, an ullum inde timetur periculum idololatriæ? neutiquam. Quid ita? quia sic edocti & informati sunt Fideles, ut suam adorationem ad unum Christi sanguinem in calice contentum referant ac dirigant.

Instabis 3. Baronius, loco & verbis antea citatis, expresse ait Romanam Ecclesiam semper credidisse, aquam simul cum vino transubstantiari in sanguinem Christi.

Resp. vel deceptum esse Baronium, si per verbum *credidit*, veram intellexit fidem supernaturalem theologicam: vel potius dicendum, verbum *credidit* illum usurpasse pro pia & perpetua Ecclesiæ Romanæ sententia; quo sensu verbum idem usurpavit Conc. Trid. Sess. 22. c. 7. cum dixit: *Creditur Christum Dominum aquam vino calicis miscuisse*. Recole quæ ante diximus, ubi de necessitate aquæ in calice Eucharistico.

Tom. 14. Conc. p. 854. E.

Objicies 3. contra secundam Conclusionem. Innocentius III. citata ad Joannem Archiepiscopum Lugdun. Epistola, post quatuor à se memoratas opiniones, ait, *eam probabiliorem videri, quæ afferit aquam cum vino in sanguinem transmutari, cum sit vinum transeat mixta vino*. Censet igitur opinionem mediatæ conversionis aquæ in sanguinem, esse probabiliorem.

Tom. 13. 672. col. 2.

Confirmatur: quia idem Pontifex L. 4. mysteriorum Missæ c. 30. sic loquitur: *Quis ambigat aquam in vinum transire, cum multo vino modicum infunditur aqua?*

Ibid. p. 390.

Res. nego conseq. probabiliorem enim vocat eam opinionem, qua parte contendit aquam in sanguinem converti, quod unum volebat S. Pontifex; non autem qua parte ait aquam prius in vinum converti quam in sanguinem, de quo consultus non fuerat. Unde quando illam secundam opinionem describit, ejus quidem fundamentum refert, nempe aquam idcirco converti in sanguinem, quia (juxta defensores hujus opinionis) mixta vino, transit in vinum: quando vero in fine responsionis suæ ad hoc consultationis propositæ caput, ait, inter prædictas opiniones hanc videri probabiliorem, quæ afferit aquam cum vino in sanguinem transmutari, ne verbum quidem habet de ratione seu fundamento prius allato: quo silentio non obscure innuit S. Pontifex, hanc secundam opinionem in hoc tantum probabiliorem sibi videri, quod admittat aquæ in sanguinem conversionem, de qua una, ut dixi, fuerat requisitus: circa modum vero hujus conversionis, nihil aperte statuit S. Pontifex.

Si tamen ratiociniis & conjecturis hic locus esset, inferramus potius ex citata ejus Epistola, eum in nostram propendisse opinionem, tum quia expresse ait Physicos repugnare conversioni aquæ in vinum: tum quia ait opinionem conversionis aquæ in vinum esse probabiliorem; non ait certam, de qua dubitare non liceat: atqui si intelligeret conversionem mediatam aquæ, scilicet prius in vinum, & postea in sanguinem, non tantum probabilis, sed vera & certissima foret hæc conversio aquæ in sanguinem. Quid ita? quia aqua conversa in vinum, non amplius est aqua, sed vinum: at certissimum est vinum converti in sanguinem Christi per verba consecrationis; igitur cum probabiliorem dixit Innocentius opinionem conversionis aquæ in sanguinem, intellexit conversionem immediatam.

Ad confirmationem, dici posset Innocentium loqui de solis aquæ accidentibus, quæ vini accidentibus manent circumfusa; vel saltem illum in ea fuisse opinione antequam ad supremam Sedem assumeretur, quam postea Pontifex factus mutavit.

Instabis 1. Catechismus Concilii Trid. 2. parte n. 18. S. Thom. hic, & Sacerdotale Romanum 1. parte, docent idcirco paululum aquæ debere in calicem infundi, quia debet in vinum prius converti; quam in sanguinem.

Resp. revera, juxta præscriptum Ecclesiæ ritum, paululum aquæ infundi debere, sed non propter rationem adductam, quæ sane nulla est, quidquid in contrarium affirment tum auctores Catechismi Romani, tum editores Sacerdotalis Romani, tum S. Thomas à quibus, salva, quæ ipsis debetur, reverentia, hic recedimus. Vera autem ratio cur paululum aquæ voluerit Ecclesia misceri in calice, est, tum quia aqua non est materia necessaria & essentialis, tum quia voluit hoc temperamento consulere validitati consecrationis calicis, juxta utramque Theologorum sententiam de conversione mediata vel immediata aquæ in sanguinem.

Instabis 2. Illud tantum convertitur immediate in sanguinem Christi, quod est materia calicis necessaria à Christo instituta: atqui aqua talis non est; ergo &c.

Resp. dist. min. aqua seorsim & separatim à vino non est materia necessaria calicis, concedo: mixta vino, ex cujus mixtione fit potus usualis, iterum distinguo: non est materia necessaria necessitate Sacramenti, concedo: ecclesiastici, nego. Ista omnia patent ex ante dictis, & confirmari ac illustrari

possunt

possunt exemplo adducto fermenti, quod Græci tritico miscent, quod etsi pars non sit essentialis panis consecrandi, consecratur tamen & convertitur simul cum tritico in corpus Christi.

Instabis 3. Illud solùm convertitur immediatè in Christi sanguinem, sub cujus speciebus sanguis Christi post consecrationem continetur: atqui sanguis Christi continetur tantùm sub speciebus vini, non verò aquæ, siquidem, juxta Concilium Trid. Sess. 13. Can. 2. solæ panis & vini species remanent.

Resp. dist. min. Sanguis Christi non continetur sub speciebus aquæ, seorsim & separatim à vini speciebus, concedo: sub speciebus aquæ cum vino conjunctæ, seu speciebus aquæ mixtis & circumfusis, ut loquitur Innocentius III. accidentibus & speciebus vini, nego. Sic enim remanent accidentia totius mixti, quod fuit consecratum, quemadmodum corpus Christi manet sub accidentibus fermenti, prout hæc adjuncta sunt & permixta cum accidentibus panis triticei. Ad Canonem Tridentinum patet solutio ex responsione ad secundam objectionem.

Instabis 4. Si accidentia aquæ remaneant, & supponantur aliunde corrumpi vini accidentia, tunc Christi sanguis manebit sub solis aquæ speciebus: quod si ita est, cur non poterit aqua sola validè consecrari?

Resp. nego ant. Tum quia ficta planè videtur hæc hypothesis, in qua corrumpantur species vini, non corruptis speciebus aquæ vino admixtæ; tum quia species aquæ Christi sanguinem non continent, nisi quatenus aqua pars est usualis potus; at ubi supponuntur penitus corruptæ vini species, non est amplius potus usualis: tum denique quia solum vinum est materia essentialis calicis consecrandi; adeoque corruptis vini speciebus, desinit sanguis Christi esse præsens.

Instabis denique. Concilium Trid. Sess. 13. can. 3. definit Christum remanere sub singulis cujusque speciei partibus, facta separatione; ergo &c.

Resp. dist. Sub singulis speciei partibus materiæ essentialis & necessariæ: sic remanet Christi corpus præsens sub singulis speciebus panis qui frangitur & dividitur; pariter sub singulis vini guttis separatis, concedo: sub singulis partibus speciei materiæ dumtaxat accidentalis, qualis est aqua, facta separatione, nego. Si enim aqua ex vino consecrato extraheretur, non amplius sub se, aut suis speciebus contineret sanguinem Christi, ob rationes mox adductas.

ARTICULUS VIII.

De forma Eucharistiæ.

JAm diu est ex quo Scholæ Theologi distinguunt in Sacramentis materiam & formam; materiam in rebus vel elementis, formam in verbis collocant. Celebre est S. Augustini effatum Tract. 80. in Joannem, *Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum.* Aliqua igitur in Sacramento Eucharistiæ forma assignanda est: quænam verò sit, controvertitur. Tria igitur hìc expendenda & solvenda.

T. 3. par. 2. p. 703. C.

Primum, an Christus in consecranda Eucharistia usus sit aliquibus verbis; an sola interna, vel externa benedictione.

Secundum, quænam sunt verba, quibus usus est Christus, & quibus voluit ut uteremur; an preces, quæ antecedunt verba, *Hoc est corpus meum*, apud Latinos, vel quæ sequuntur apud Græcos, pertineant ad substantiam formæ, tanquam pars illius inadæquata, sed essentialis; ita ut ex precibus & ex verbis moraliter conjunctis coalescat forma totalis & essentialis consecrationis Eucharistiæ.

Apud nos verba sacra præcedit ista oratio, *Quam oblationem tu Deus in omnibus, quæsumus, benedictam, adscriptam, ratam, rationabilem, acceptabilemque facere digneris, ut nobis corpus & sanguis fiat dilectissimi Filii tui Domini nostri Jesu Christi.*

Apud Græcos post verba, *Hoc est corpus meum*, Sacerdos Deum rogat, ut *mittat Spiritum sanctum suum super proposita dona, & panem faciat corpus Christi, vinum verò sanguinem ejus, immutans ea Spiritu sancto suo*; quasi jam immutata non essent vi & efficacia verborum Christi.

Tertium, an singula verba quæ usurpantur in consecratione panis & calicis, essentialia sint & absolutè necessaria. Circa quæ aberrant Novatores; ex nostris verò Scholasticis, salva fide præsentiæ realis & transubstantiationis, multi in varias & oppositas abeunt opiniones.

Errores & opiniones.

I. Circa verba consecrationis, missa veterum Manichæorum dementia, qui panem Eucharisticum (vinum enim tanquam fel draconis aversabantur) apud se nasci, non consecrari delirabant, referente S. Augustino L. 20. contra Faustum Manich. cap. 13. Novatores nostri errarunt, tum quia verba illa penitus rejiciunt, ut Bucerus in caput 26. S. Matth. tum quia ea non ad consecrandum, (istud enim magicum quid delicatis eorum auribus sonare videtur) sed ad excitandam fidem referunt, ut Calvinus L. 4. Instit. cap. 17. paragr. 39. Lutherus verò Lib. *De abroganda Missa privata*, & in formula Missæ pro Ecclesia Wittembergensi, vult, non modò Evangelicis verbis, sed etiam tota & integra Liturgia opus esse ad dona consecranda. Idem sentit Kemnitius, de quibus lege Bellarminum L. 4. de Sacramento Eucharistiæ cap. 11. Alii verò recentiores, ut Chamierus, Albertinus, Dallæus, incerti ac inconstantes videntur circa præsentem controversiam; aliquando in solis precibus vim consecrandi reponi; aliquando ipsa quoque verba Christi, imò & totam Liturgiam absolutè necessariam esse opinari videntur.

Errores. To. 8. p. 342.

Inter Græcos Schismaticos Nicolaus Cabasilas, Marcus Ephesinus, & alii nonnulli, quos appellat Arcudius L. 3. concord. cap. 26. docent 1. eadem numero verba Christi, *Hoc est &c.* semel ab ipso prolata, licèt effluxerint, virtute nihilominus manere ac verè operari. 2. Sacerdotes, dum consecrant, ea verba recitare narrativè dumtaxat & historicè, non significativè seu effectivè. 3. verba quibus Christus consecravit vim suam tantùm exerere, cùm Sacerdos preces fundit. Sunt, qui cum Samona concedunt quidem verba effectivè concurrere ad consecrationem, at inadæquatè tantùm, & ut partialem formam; quæ ut sint efficacia & operativa, necesse est cum precibus subsequentibus ea conjungi.

P. 223. & seq.

II. Non consentiunt inter se Orthodoxi Theologi, an, & quibus verbis Christus consecraverit.

Sunt qui arbitrantur Christum interna & occulta benedictione, sine ullis verbis, per potestatem excellentiæ verbis non alligatam consecrasse; nihilominus formam præscripsisse, qua posteri consecrare deberent. Ita imprimis Innocentius III. S. P. L. 4. mysteriorum Missæ cap. 6. *Dici potest*, ait, *quod Christus virtute divina confecit, & postea formam expressit, sub qua posteri benedicerent. Ipse namque per se virtute propria benedixit, nos autem ex illa virtute quam indidit verbis.* Idem docuit Durandus Mimatensis L. 4. de divinis Officiis c. 41. n. 15.

Opiniones.

F. Ed. Colon. 1575. To. 1. p. 377.

Catharinus celebris à familia Prædicatorum Theologus, Episcopus primùm Minorensis à Paulo III. tum à Julio III. Archiepiscopus Compsæ creatus, eandem opinionem defendit, duobus ea de re scriptis ex professo Opusculis, & ad Concilium Tridentinum, cui per septem priores Sessiones interfuerat, transmissis. Multos in hisce Opusculis patronos ac defensores laudat, sicut & ipse Salmeron Tom. 9. Tractatu 13.

Ambrosius Catharinus Consi.

nempe Franciscum Mayronis, Gabrielem Biel, Godefridum Pictaviensem, Titelmannum, & ante istos Rupertum, Anselmum, Odonem Camerecensem, ad quos ætate Berengarii accessit Abbaudus Lib. de fractione corporis Christi, Tom. 3. Analectorum Mabillonii.

Chessontaines. Eosdem appellat ac sequitur Christophorus à Capite Fontium, primo quidem Ordinis Minorum Generalis Minister, tum Archiepiscopus Cæsariensis, in Tractatu *De necessaria correctione Theologiæ Scholasticæ*, & in Epistola ad Sixtum S. P. cui opus suum nuncupavit.

Opinio Catharini ad hæc capita revocatur. 1. Christum non verbis, sed arcana benedictione consecrasse. 2. formam nobis præscripsisse qua consecrare debemus, his scilicet verbis, *Hoc est corpus meum. Hic est sanguis meus.* 3. verba hæc à Sacerdotibus historice dumtaxat ac narrative proferri, non significative nec effective; necessaria tamen esse propter mandatum Christi. 4. consecrationem non tantum verbis perfici, sed etiam precibus, quæ antecedunt apud Latinos, & sequuntur apud Græcos verba Christi. *Fit ergo nobis*, ait Catharinus, *corpus Christi, propter orationem præmissam, & ex vi pacti; & sic defenditur mos Græcorum.* Pactum vero illud in eo est, quod promiserit Christus se toties præsentem realiter ad futurum in Eucharistia, quoties Sacerdotes verba sua, *Hoc est corpus meum &c.* debite ac ut oportet inter consecrandum pronuntiabunt.

Illud dumtaxat discriminis occurrit inter sententiam Catharini & à Capite Fontium, quod iste putet consecrasse Christum, non tantum interna, sed etiam externa benedictione, seu sacerdotali ministerio; Catharinus vero sola potestate excellentiæ, & occulta benedictione.

Juxta istam opinionem, verba ista Christi, *Hoc est corpus meum*, corpus non efficiunt præsens, sed jam præsens supponunt, virtute antecedentis benedictionis, atque dumtaxat illud declarant ac demonstrant Discipulis, quibus illud porrigebat Christus dicens: *Accipite, comedite, Hoc est corpus meum.* Dissimulari non debet, quin hæc opinio facilius exponat verba Christi, & antevertat omnes illas argutias & dialecticas cavillationes Novatorum circa significationem pronominis *hoc*, & aliorum singulorum verborum Christi, quo momento dicebat, *Hoc est corpus meum*, & dicendo illud operabatur. Verum Theologi in rebus ad Religionem pertinentibus inquirere non debent, quid ad intelligendum facilius, sed quid ad regulam Scripturæ & Traditionis sit verius.

Sunt nonnulli quibus placet Christum verbis quidem, non benedictione consecrasse, sed verba illa plane occulta esse ac nobis incognita.

Scotus L. 4. dist. 8. qu. 2. docet quidem verba Christi formam esse consecrationis, sed anceps ac dubius videtur, num illa sola sufficiant sine iis quæ præcedunt, & quæ sensum verborum Christi figere ac determinare debent. *Hic est dubium*, inquit, *utrum præmissis verbis præcedentibus, per ista sola quatuor verba consecret Sacerdos. Dicitur quod sic, quia ista sunt præcisa forma; alia sunt propter reverentiam, vel propter orationem præmittenda. Sed contra ista arguitur, quia verba sacramentalia ex vi verborum debent significare illud quod efficitur ex vi Sacramenti; sed ex vi consecrationis hujus efficitur ibi esse verum corpus Christi; ergo verba sufficientia ex vi propria debent significare illud ibi contineri: sed hæc verba*, Hoc est corpus meum, *prolata sine præcedentibus, aut non significant absolute, quia ly* meum *significat referri ad personam ipsius loquentis: quia licet minister possit intendere ut loquatur in persona Christi, non tamen propter hoc significatum illorum verborum esset, quod ly* meum *demonstraret corpus Christi, sed corpus loquentis.* Hæc Scotus, cui persuasum erat præcise ac certo sciri non

To. 8. p. 425. n. 4.

posse verba quibus Sacramentum perficitur; unde asserit Sacerdotem, ut certus ac securus sit de consecratione à se rite facta, prius certum esse debere, totum & integrum Canonem à se recitatum fuisse.

S. Thom. Fuere nonnulli ætate S. Thomæ, qui dixerunt Christum bis verba ista, *Hoc est corpus meum*, pronuntiasse, *primo quidem secrete ad consecrandum; secundo manifeste, ad instruendum.* Ita testatur S. Thomas 3. p. q. 78. ar. 1. ad 1. *Sed hoc stare non potest*, pergit S. Doctor, *quia Sacerdos consecrat proferens hæc verba, non ut a Christo in occulta benedictione dicta, sed ut publice prolata. Et ideo alii dixerunt*, addit Angelicus Doctor, *quod Evangelistæ non semper eundem ordinem in recitando servaverunt, quo res sunt gestæ; unde intelligendum est ordinem rei gestæ sic exprimi posse*, Accipiens panem benedixit, dicens, Hoc est corpus meum; & inde fregit, & dedit Discipulis suis. *Sed*, ait S. Thomas, *idem sensus haberi potest etiam verbis Evangelii non mutatis: nam hoc participium, dicens, concomitantiam quamdam importat verborum prolatorum ad ea quæ præcedunt .... ut sit sensus*, Dum benediceret, frangeret, & daret Discipulis suis, hæc verba dixit, *Accipite &c.*

Albertus Magnus To. 16. pag. 110. col. 2. Existimarunt nonnulli, quos refert Albertus Magnus de Eucharistia dist. 6. art. 8. perfectam ac plenam non esse formam qua consecratur panis, nisi cum absoluta est ac perfecta forma qua consecratur vinum: *una enim forma*, inquiebant, *aliam expectare debet*, quam opinionem sugillat Albertus Magnus.

III. Non minus discordes sunt inter se Theologi, circa verba singula quæ necessaria sunt ad substantiam consecrationis, præsertim calicis. Namque sanctus Thomas 3. part. qu. 78. art. 3. existimat ad formam consecrationis calicis isthæc omnia pertinere, *Hic est calix sanguinis mei, novi & æterni testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Scotus in 4. dist. qu. 2. vult verba hæc Canonis, *Qui pridie quam pateretur &c.* absolute necessaria esse ad consecrationem panis, quia nisi illa præmittantur, Sacerdos videbitur in sua propria persona loqui, non in persona Christi quod perabsurdum est: imo ex mox dictis existimat Scotus, ad plenam integræ consecrationis securitatem, totum & integrum Canonem à Sacerdote recitandum esse.

Præsens controversia jamdiu fere sopita, nostris his diebus excitata de novo fuit ab erudito Theologo P. le Brun Oratoriano, in Opere, cui titulus est gallicè, *Explication litterale, historique & dogmatique des prieres & des ceremonies de la Messe.* Tomo 3. pag. 212. & seq. ubi multis, tum ex Liturgiis Orientalibus, tum ex SS. Patribus congestis testimoniis efficere conatur, formam Eucharistiæ non tantum verbis Christi perfici, sed etiam precibus, quæ præcedunt apud Latinos, & sequuntur apud Græcos solemnia ista Christi verba, *Hoc est corpus meum. Hic est sanguis meus*, ita ut ex duplici illa forma partiali & inadæquata, verbis scilicet & precibus moraliter conjunctis, coalescat forma totalis & essentialis Eucharistiæ. Nihil ille pro sua exquisita eruditione omisit, ut veri speciem huic sententiæ appingeret. In eam tamen insurrexit unus è Societate Jesu doctus ac politus Theologus, quam scripto publico aggressus est.

Communis Scholæ sententia est, Christum iisdem verbis consecrasse, quibus jam consecramus atque benedictione usum illum fuisse, non tanquam forma ad consecrandum, sed oratione, seu divinæ virtutis invocatione ad consecrationem præparandam & obtinendam; adeoque preces, quas Ecclesia in Canone Missæ ad Deum fundit, necessarias quidem esse præcepto, non ex necessitate Sacramenti.

Itaque sit

PRI-

PRIMA CONCLUSIO.

Christus verbis usus est, non sola interiori & occulta benedictione; nec potestate excellentiæ, sed potestate ministeriali primaria, cùm Eucharistiam consecravit.

Probatur 1. auctoritate Scripturæ ac SS. Patrum, à quibus verba ipsa, quibus usus est Christus inter consecrandum accuratè referuntur. Testimonia dabimus conclusione sequenti.

II. Sacerdotes ea ipsa ratione jam consecrant, qua Christus primùm consecravit: atqui Sacerdotes verbis Christi utuntur, dum consecrant. Major videtur certa. 1. quia Christus nobis & exemplum dedit & præceptum, ut faceremus, quod ipse prior fecerat, *Hoc facite in meam commemorationem.* 2. Sacerdos consecrat in persona Christi, quapropter non ait, *Hoc est corpus Christi*, sed, *Hoc est corpus meum*, quasi Christus ipse loqueretur. Nostra scilicet consecratio, quid aliud est, quàm repetitio illius primæ, quæ à Christo peracta est? ut scribit S. Joannes Chrysostomus Hom. 83. in Math. Porro si Christus sola voluntate & arcana benedictione consecravit, Sacerdos qui jam verbis, non benedictione consecrat, non censetur eo ipso modo consecrare, quo primùm Christus ipse consecravit, neque in ejus persona. 3. quia Christus Sacramentum instituens ac perficiens, haud dubiè ritu sacramentali consecravit, nempe adhibita materia & forma sensibili, id est cum pane & verbis adjunctis, *Accedit verbum ad elementum*, ait S. Augustinus Tract. 80. in Joan. *& fit Sacramentum.* 4. Sacramentum Eucharistiæ, quod conficimus, ejusdem plane conditionis est ac naturæ cum eo, quod Christus celebravit; ergo iisdem verbis eodemque ritu sacramentali constare debet. 5. Christus in quantum homo, minister est Sacramentorum; & in quantum Deus, illorum auctor: atque homo dum Sacramenta perficit tanquam minister, verbis etiam utitur, quibus proposita dona, implorata divina virtute, consecrat; ergo verbis etiam usus est Christus Eucharistiam conficiens.

To. 3. p. 3. p. 703.

Ad hæc accedit auctoritas Concilii Tridentini Sess. 13. cap. 1. ubi quamquam rem apertè non definiat, non obscurè tamen significat non per, sed post benedictionem Christum verbis adhibitis consecrasse. *Hoc*, inquit, *admirabile Sacramentum in ultima Cœna instituit, cum post panis vinique benedictionem, se suum corpus præbere, ac suum sanguinem, disertis ac perspicuis verbis testatus est. Quæ verba à sanctis Evangelistis commemorata, à divo Paulo postea repetita sunt.* Porro, *si post benedictionem*, ergo non per benedictionem consecravit Christus, sed verbis quæ ab Evangelistis & à divo Paulo referuntur. Quæ autem sont illa verba? nisi ista, *Hoc est corpus meum*, *Hic est sanguis meus.*

To. 14. Conc. p. 805. B.

SECUNDA CONCLUSIO.

Verba quibus Christus consecravit, ac jussit ut consecraremus, ista sunt essentialia, quæ formæ rationem habent, *Hoc est corpus meum. Hic est sanguis meus*, vel, *calix sanguinis mei*: non preces, sive quæ præcedunt apud nos, sive quæ sequuntur apud Græcos; quæ licèt vim suam habeant ad divinam opem & virtutem supra proposita dona impetrandam, atque religiosè retinendæ sint, non tamen necessariæ sunt necessitate Sacramenti ac validæ consecrationis, sed necessitate dumtaxat præcepti.

Probatur 1. ex verbis Christi, *Hoc est corpus meum. Hic est sanguis meus*, quæ certè ex sese plenam & perfectam habent significationem, non suspensam, sed fixam & actualem, ac consequenter efficacem: id etenim efficiunt, quod significant; & nisi ita esset, vera non foret Christi propositio. Longum quippe discrimen est inter duas istas propositiones, *Hoc est corpus meum*, &, *Fac hunc panem corpus Christi*, sicut fert oratio qua utuntur Græci: prima significat, quo momento propositio enuntiatur, adesse corpus Christi; secunda non significat adesse, sed optat, & rogat ut adsit: prima determinatum habet sensum, altera suspensum & indeterminatum. Verba Christi, ait Conc. Trid. loco mox citato, *propriam suam & apertissimam habent significationem.* Ergo vi & efficacia illorum præsens realiter fit corpus Christi, transmutata substantia panis in corpus, & substantia vini in ejus sanguinem. Ergo sola Christi verba vim habent formæ, ac necessaria sunt ad validam consecrationem: cætera verò quæ ab Evangelistis referuntur, vel sunt Christi facta, *accepit panem, benedixit, fregit, dedit Discipulis*, quæ certè ex sese realem Christi in Eucharistia præsentiam non exprimunt; vel si sunt quædam Christi verba, aut tantùm exponunt præceptum faciendi quod fecerat Christus, *Accipite, comedite, bibite*; aut significant finem & effectum Eucharistiæ: finem, *Hoc facite in meam commemorationem*, effectum, *in remissionem peccatorum.* Vel denique traditionem corporis, & sanguinis effusionem; corpus, *quod pro vobis tradetur*, vel traditur: sanguis, *qui pro vobis effundetur*, vel funditur. In solis igitur verbis Christi, *Hoc est corpus meum. Hic est sanguis meus*, posita est forma essentialis ac necessaria Eucharistiæ. Sess. 13. c. 1.

Confirmetur primum istud momentum ex doctrina Conc. Trid. Sess. 13. c. 3. ubi ait, *corpus Christi esse sub specie panis, & sanguinem sub specie vini, ex vi verborum; ipsum autem corpus sub specie vini, & sanguinem sub specie panis, animamque sub utraque, vi naturalis concomitantia &c.* Verba porro illa quænam sunt? An preces? at illæ aliæ non sunt pro consecratione panis, & aliæ pro consecratione vini: è contra sunt alia verba quibus panis, nempe ista, *Hoc est corpus meum*; & alia quibus consecratur vinum, *Hic est sanguis meus.* Ergo in mente Concilii Trid. verba, quorum vi corpus est sub specie panis, & sanguis sub specie vini, non sunt verba precum, sed ipsamet toties laudata verba Christi. Tom. 14. Conc. p. 806. A.

Probatur 2. ex SS. Patribus utriusque Ecclesiæ.

I. ex Græcis, S. Justinus Apol. 2. ait, *Eucharistiam confici per preces ab ipso Verbo Dei profectas.* Preces verò quibus Sacerdos Deum orat *ut fiat*, vel *nobis fiat* corpus Christi, humanæ sunt & ecclesiasticæ, non illæ, quæ à *Verbo Dei*, id est, Christo, profectæ sunt. „Nam "Apostoli, *pergit ibidem* S. *Martyr*, in commentariis "à se scriptis, quæ Evangelia vocantur, ita tradiderunt "præcepisse sibi Jesum; eum enim pane accepto, cùm "gratias egisset, dixisse: Hoc facite in meam comme"morationem, *Hoc est corpus meum.* Et poculo simi"liter accepto, & gratiis actis, dixisse: *Hic est sanguis* "*meus.*„ Iis igitur verbis Christus Eucharistiam perfecit, judice S. Justino. Ex Græcis P. 98. A. Ibid.

S. Irenæus L. 4. adversus hæreses c. 18. aliàs 34. ait, "panem, dum percipit invocationem Dei non esse pa"nem communem, sed Eucharistiam. *Et Lib. 5. cap. 2.* "Quando ergo & mixtus calix, & factus panis percipit "verbum Dei, fit Eucharistia sanguinis & corporis "Christi. At nullum aliud in Eucharistiæ consecratione occurrit verbum Dei, quàm istud, *Hoc est corpus meum.* Lib. 4. c. 17. dixerat: *Eum, qui ex creatura panis est, accepit* (Christus) *& gratias egit dicens: Hoc est corpus meum.* P. 258. n. 5. P. 294. n. 5. P. 249. n. 5.

S. Joannes Chrysost. Hom. 1. de proditione Judæ, n. 6. „Hoc verbum Christi, *inquit*, [nempe, Hoc est "corpus meum,] transformat ea, quæ proposita sunt, "ac quemadmodum vox illa, Crescite & multiplica"mini, & replete terram, semel quidem prolata est, omni Tom. 2. P. 384. B.

"verò

„vero tempore naturæ nostræ vim præbet ad filiorum „procreationem; ita & vox hæc semel prolata in Ecclesiis ad unamquamque mensam, ab illo ad hodiernum „usque tempus & usque ad adventum ejus sacrificium „perfectum efficit.

To. 1. p. 268. D. S. Joannes Damascenus pariter Lib. 4. de fide orthodoxa cap. 13. ait. *In principio dixit* (Deus,) *Producat terra herbam virentem, & ad hanc usque diem, accedente imbre, divino præcepto impulsa & roborata, fœtus suos profert. Dixit perinde Deus*, Hoc est corpus meum; *&*, Hic est sanguis meus; *&*, Hoc facite in meam commemorationem; *idque omnipotenti ejus præcepto, donec veniat, efficitur.*

Cum Græci, tempore concilii Florentini, Latinis suspecti forent circa formam consecrationis Eucharistiæ, quasi verbis Christi eam non perficerent, à Summo Pontifice Eugenio IV. ea de re non semel interrogati ita catholice satisfecerunt, ut S. Pontifex eos tanquam *fratres in fide secum conjunctos* compellaverit. Ita narratur in Conc. Flor. Sess. 25. *Porro*, inquiunt Græci, *hoc ita dissolutum est.* [dubium scilicet quod propositum ipsis fuerat] "Fateri nos diximus, per „hæc verba transubstantiari sacrum panem, & fieri corpus Christi. sed postea, quemadmodum & ipsi (*Latini*) dicitis, Jube hæc perferri per manus S. Angeli „tui in sublime altare tuum; ita nos quoque oramus dicentes, ut Spiritus S. descendat super nos, & efficiat „in nobis panem hunc pretiosum corpus Christi tui, „& quod in calice isto est, pretiosum sanguinem Christi tui; transmutetque ipsa spiritu S. suo, ut fiant communicantibus in purgationem animæ, in remissionem „peccatorum, non fiant in judicium aut condemnationem nostram.

Conc. Flor. To. 13. Conc. p. 491. B. C. & apud Goarum p. 140.

His verbis declararunt Græci, se per preces, quas post verba Christi fundunt, non postulare ut simpliciter fiat corpus Christi sed ut nobis fiat; hoc est, fructum ejus spiritualem percipiamus ad purgationem animæ & peccatorum remissionem. Et paulo post ajunt: *De mysteriis autem fatemur ea consecrari per Domini vocem, licet nos postea invocando dicamus, Fiat corpus & sanguis Christi.*

Ibid p. 498. B.

Confirmatur amplius ex iis quæ Bessarion Cardinalis exposuit in Concilio Florentino, quæ referuntur à Mabilloneo Musæi Italici Tom. 1. pag. 243. En verba. "Die Dominica quinta Julii anni 1428. in generali "congregatione, præsidente in eadem sanctissimo Domino nostro Eugenio, divina providentia Papa quarto..... Reverendus Pater Dominus Archiepiscopus Nicænus, suo & aliorum Patrum Ecclesiam Orientalem repræsentantium nomine, publicè, alta & intelligibili voce exposuit in hæc verba, vel eis in effectu "similia. Beatissime Pater, vosque Reverendissimi Patres & Domini hic præsentes. Quoniam in præcedentibus congregationibus nostris inter alias differentias "nostras ortum est dubium de consecratione Sacramenti Eucharistiæ; & aliqui suspicati sunt, nos & Ecclesiam "nostram non credere illud pretiosissimum Sacramentum per verba Salvatoris Domini nostri Jesu Christi "confici; propter hanc causam adsumus coram vestra "beatitudine, omnibusque aliis hic astantibus, qui pro "parte S. Rom. Ecclesiæ sunt, ad certificandam vestram "beatitudinem & alios Patres & Dominos hic præsentes de hac dubitatione, & dicimus breviter. Nos usos „fuisse Scripturis & Sententiis SS. Patrum, cognoscentes & animadvertentes fragilitatem humani sensus, „volumus adhærere sententiis SS. Patrum & rationibus, spretis humanis inventis; qua quidem de re, Pater Beatissime, cùm in omnibus aliis auctoritatibus „Patrum SS. usi fumus, etiam his in præsenti dubitatione utimur. Et quoniam ab omnibus SS. Doctoribus Ecclesiæ, præsertim ab illo beatissimo Jo. Chrysost. qui nobis notissimus est audimus verba Dominica esse illa, quæ mutant & transubstantiant panē „& vinum in corpus verum Christi & sanguinem; & „quod illa verba divina Salvatoris omnem virtutem „transubstantiationis habent, nos ipsum sanctissimū „Doctorem & illius sententiam sequimur de necessitate. De hac quæstione breviter diximus & sufficienter, & vestram beatitudinem de nostra intentione certam reddimus. *Subscriptum*, Arnoldus Notarius.

Hujusce versionis autographum in thesauro Serenissimi Magni Hetruriæ Ducis asservatur, cum litteris authenticis unionis Latinos inter & Græcos factæ in Concilio Florentino.

Mabillonius post relatam illam Græcorum Confessionem, addit; "Confessio hæc non levis est momenti „ad persuadendam Græcorum de Eucharistia fidem, de „qua tot & tantæ controversiæ à Calvinistis nuper excitatæ sunt. Confessio hæc duas habet partes, nempe „consecrationem verbis Christi Domini confici, non precibus illis, quæ post verba sacra fiunt à Græcis; atque „his verbis panem & vinum in Christi corpus & sanguinem mutari & transubstantiari. Ib. p. 245.

Constat ex Turrecremata, Eugenium cum suis proposuisse ut articulus ille, qui consecrationem spectat, in definitione fidei reponeretur: at contra Græcos obstitisse, causatos & id necesse non esse, & suæ Ecclesiæ præjudicio insuper futurum, quasi diversam à nobis ea etiam in parte sententiam haberet, cum hinc & inde sit eadem; cui postulationi ac declarationi annuit S. Pontifex, & pax ac unio sancita.

Arcudius L. 3. c. 26. refert Græcos, dum consecrant, caput inclinare, & cum veneratione panem benedicere, dicendo clara voce, *Hoc est corpus meum*, quibus verbis pronuntiatis, licet tunc hostia populo non ostendatur, Fideles qui adsunt respondent, *Amen*, hoc est, *fiat, verum est.* Cujus consuetudinis meminit etiā S. Justinus. Lege Goarum in notis ad Missam S. Chrysostomi, p. 138. P. 216.

Denique Euganius IV. S. P. in Decreto seu Instructione Armenorum, "Forma hujus Sacramenti, *inquit*, „sunt verba Salvatoris, quibus hoc conficit Sacramentum. Sacerdos enim in persona Christi loquens, hoc „conficit Sacramentum. Nam ipsorum verborum virtute, substantia panis in corpus Christi, & substantia „vini in sanguinem convertuntur. Tom. 13. Conc. p. 357.

II. idem probatur ex Latinis.

Tertullianus L. 4. contra Marcionem c. 40. "Acceptum panem *inquit*, & distributum Discipulis, corpus illum suum fecit, dicendo: Hoc est corpus meum. Ex Latinis. P. 457.

S. Ambrosius L. de initiandis c. 9. n. 54. "Clamat „Dominus Jesus, *inquit*, Hoc est corpus meum. Ante „benedictionem verborum cœlestium alia species nominatur, post consecrationem corpus significatur. Ipse „dicit sanguinem suum. Ante consecrationem aliud dicitur, post consecrationem sanguis nuncupatur. Et tu „dicis, Amen; hoc est, verum est. Quod os loquitur, mens „interna fateatur: quod sermo sonat, affectus sentiat. Tom. 2. p. 339. E.

Et L. 4. de Sacramentis c. 4. n. 14 sic loquitur: „Quomodo potest qui panis est, esse corpus Christi? „consecratione. Consecratio autem quibus verbis est, & „cujus sermonibus? Domini Jesu. Nam reliqua omnia „quæ dicuntur in superioribus, à Sacerdote dicuntur. „Laudes Deo deferuntur..... Ubi venitur ut conficiatur „venerabile Sacramentum, jam non suis sermonibus „utitur Sacerdos, sed utitur Christi sermonibus. Ergo „sermo Christi hoc conficit Sacramentum. Ibid p. C. 368.

Denique, ut alios infinitos sileamus, Eusebius Emissenus Hom. in Ramis palmarum, "Dixit, *inquit*, tunc „per se, & modo per suos ministros, Hoc est corpus „meum. Et tanta est ejus verbi virtus & efficacia, ut „statim fiat quod dicitur. Conc. & Biblioth. PP. T. 6. p. 747. A.

Hanc esse Ecclesiæ Latinæ mentem atque sententiam demonstrat usus Rubricarum Missalis Romani, ubi, titulo "De defectu panis, *dicitur*: Si celebrans ante consecrationem adverterit hostiam esse corruptam, aut „non esse triticeam, remota illa hostia, aliam ponat, & „facta oblatione, saltem mente concepta, prosequatur „ab eo loco, ubi desivit.

„ Si adverterit post consecrationem, etiam post illius „hostiæ sumptionem, posita alia, faciat oblationem ut supra, & à consecratione incipiat, scilicet illis verbis,

„Qui

"Qui pridie quàm pateretur,... Quòd si hoc contingat "post sumptionem sanguinis, apponi debet rursùs no"vus panis, & vinum cum aqua, & facta priùs oblatio"ne, ut supra, Sacerdos consecrat, incipiendo ab illis "verbis, Qui pridie &c. " His in casibus non jubet Rubrica ut Sacerdos repetat orationem, *ut nobis corpus fiat &c.* & ab ea consecrationem incipiat; sed tantùm ab his verbis, *Qui pridie quàm pateretur.* Ergo judicat Ecclesia Latina validè consecrari Eucharistiam sine illa oratione. Neque dicas orationem illam, quæ à Sacerdote pronuntiata jam fuerat, moraliter perseverare, Namque in casu proposito non aderat materia sufficiens ac legitima, ad quam oratio illa, tanquam forma referri posset; ergo nullo modo potest esse forma necessaria, Neque etiam dicas, Rubricas illas, quæ nullius sunt auctoritatis, emendandas esse. Namque jam ferè à 15. sæculo in usu sunt, atque ad privatos non pertinet eas emendare: quamdiu ergo ab Ecclesia non corrigentur, (quod futurum aliquando vir cordatus sibi facilè non persuadebit) diligenter observandæ sunt.

Quæres, an de fide sit Christum verbis toties laudatis consecrasse, ac jussisse ut iis solis fieret à nobis consecratio.

Resp. negativè.

I. quia licèt ex Scripturis certum sit Christum his verbis usum fuisse, *Hoc est corpus meum*; non tamen clarè ac perspicuè constat eum per priorem benedictionem non consecrasse, & quæ nos momenta protulimus, à Theologis adversæ partis solvuntur: neque, cùm de fide agitur, ratiociniis dumtaxat indulgendum est, sed expressis Ecclesiæ definitionibus firmiter standum.

II. Nullam de re præsenti expressam definitionem habemus ex Conciliis, sive Tridentino, sive Florentino.

Non ex Tridentino, licèt enim locis suprà citatis in communem sententiam inclinare videatur, non tamen anathemate demnat eos qui contrariam tuentur, tametsi non ignoraret multos esse, Catharinum imprimis,
Catharinus. Christophorum à Capite Fontium &c. *Scito, amice lector,* ait Catharinus in fine Opusculi secundi, *misisse me hac de re lucubrationem ad Conc. Trident. & licet quidam æmulatores pro magistris vellent opinionem hanc damnare, non defuere docti & absque passione Theologi, qui contra persuaserunt, unde nihil dignum morte actum est ei.* Solemne scilicet illud semper fuit Patribus Tridentinis, ut nullam damnarent opinionem ex iis quas noverant in Scholis hinc & inde liberè agitari.

Salmeron III. Alphonsus Salmeron insignis è Soc. Jesu Theologus, qui Concilio Tridentino interfuit, Tomo 9. Tract. 13. circa finem, postquam utriusque sententiæ momenta exposuit, suam ipse suspendens sententiam, candidè fatetur nihil de illa quæstione ab Ecclesia definitum fuisse, ac posse unumquemque, salva fide, quam
Pag. 88. col. 2. voluerit partem amplecti, Sic loquitur: *Hæc sunt, quæ pro hujus sententiæ probatione adducuntur. Jam prudens lector suo fruatur judicio. Nulli præscribimus, & quam velit magis amplectatur, donec Ecclesia aliud statuat atque decernat, cujus judicio per omnia est acquiescendum. Non dissimulabo, quòd in Concilio Tridentino cùm quidam Theologi id peterent, ut explicaretur forma qua Christus confecit hoc Sacramentum, auditis hinc & inde rationibus, nihil esse definiendum prudenter Patres censuerunt.* Quamvis igitur sententia Conclusionis nostræ certa sit ac vera, non tamen fidei certitudinem hactenus assecuta est; neque, nostro quidem judicio, privatorum est, non audita priùs Ecclesiæ voce atque sententia, definire hanc vel illam opi-
P. 389. nionem hæreticam esse, aut hæresim redolere. Audiatur eam in rem gravissimi Theologi Melchioris Cani monitum Lib. 8. de Locis cap. 5. "Theologos omnes ad„monitos esse velim, ait, ut sepositis non affectibus „modò, sed opinionum etiam præjudiciis, de causis fi„dei prudenter graviterque decernant. Non enim si „quidquam in Schola bonis etiam temporibus invete„ravit, mox fidei dogma existimandum est. Sunt autem „nonnulli, qui per eas persuasiones, quibus à principio „sunt imbuti, de rebus gravissimis sententiam ferunt „temeritate quadam.,.. quòd Scholæ opiniones à cer„tis constantibusque Decretis non separant; quod duo „rerum genera confundunt, unum earum quæ ad reli„gionem pertinent, earum alterum, quæ ne attingunt „quidem." Quod quidem nonnullis exemplis ibidem confirmat prudens ac cautus Theologus. Non idcirco tamen à communi Scholæ doctrina, cujus magnam esse auctoritatem agnoscit idem Theologus, recedere licitum est.

Neque etiam ex Concilio Florentino & Decreto Eugenii ulla circa quæstionem præsentem extundi potest definitio quæ ad fidem pertineat. Concilium à Græcis postulat quidem, ut declarent, quod non negabant, verbis Christi Eucharistiam perfici, sed non definit, an illis solis, sine precibus perficiatur; neque caput istud in definitione fidei appositum fuit, ut antea observatum à nobis est. Quantùm verò ad Decretum Eugenii, agnoscunt Theologi multa in eo contineri, etiam de re sacramentaria, ad quæ de fide credenda & tenenda non adstringuntur; v. g. quæ spectant materiam & formam Sacramentorum Confirmationis & Ordinis. Deinde Eugenius ait quidem *verba Salvatoris esse formam Eucharistiæ*; sed quæ præcisè sint ista verba, & an sola exclusis precibus perficiant Eucharistiam, non determinat. Denique loquitur S. Pontifex de verbis, quibus Christus jam conficit, non verò de iis, quibus primùm Eucharistiam confecit, quæ duo distinguenda sunt; Catharinus enim & alii, qui contendunt Christum in consecranda Eucharistia sola benedictione ac potestate excellentiæ sine verbis usum fuisse, nihilominus fatentur Christum verba instituisse, quibus jussit ut Sacerdotes inter consecrandum uterentur; unde sequitur saltem, isto Eugenii Decreto definitum non fuisse, an & quibus verbis Christus Eucharistiam primùm consecraverit.

TERTIA CONCLUSIO.

Sola hæc verba, *Hoc est corpus meum*, in consecratione panis; & ista, *Hic est sanguis meus*, vel, *calix sanguinis mei*, sunt essentialia in consecratione calicis.

Prima pars probatur. Tum quia mox relati SS. Patres ea tantùm verba commemorant; tum quia sola hæc sufficienter & efficaciter significant conversionem panis in corpus, & vini in sanguinem; illis quippe prolatis, sensus propositionis integer est & completus. Unde verba ista quæ antecedunt, *Qui pridie quàm pateretur*, ad narrationem historicam rei à Christo gestæ pertinent, non ad formam consecrationis; neque verba sunt Christi, sed Evangelistæ: ista verò, *Accipite & manducate*, denotant usum Eucharistiæ, non ejus consecrationem, Et ipsa particula *enim*, quæ causalis est, & conjunctionis locum habet, ab Ecclesia fuit addita: Evangelistæ enim in consecratione panis eam non referunt, solus autem S. Matthæus ea utitur in consecratione calicis; unde ad essentiam consecrationis non pertinet: debet tamen, sicut & alia verba mox dicta, à Sacerdotibus pronuntiari, propter usum & præceptum Ecclesiæ, cui obedire tenemur.

Secunda pars eodem momento probatur. Verba ergo ista, *novi & æterni testamenti; mysterium fidei, qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum*, essentialia non sunt in consecratione calicis: tum quia Evangelistæ ea omnia non referunt, qualia sunt, *æterni, & mysterium fidei*: tum quia in pluribus Liturgiis sunt prætermissa. Sequatur igitur unusquisque ritum suæ Ecclesiæ, quoad pronuntiationem illorum verborum, quæ ad significandam & efficiendam conversionem vini in sanguinem Christi non conducunt,

SOL.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objicies 1. contra primam Conclusionem. Christus sola benedictione consecravit, non verbis.

Probatur ant. quia, referentibus Evangelistis, Christus accepto pane, *benedixit*: benedictio autem illa fuit efficax, & quidem distincta à verbis istis sequentibus, *Hoc est corpus meum*.

I. fuisse efficacem constat, Tum quia benedictio illa nihil aliud est quàm oratio seu invocatio divinæ virtutis: at ea Christi oratio efficax haud dubiè fuit, quia non minoris efficaciæ ac virtutis fuit illa benedictio supra panem eucharisticum, quàm fuit supra panes quinque quos in deserto multiplicavit, Matth. 15. v. 36. Præterea benedictio quid est? nisi rerum, super quas funditur, sanctificatio, qua ab usu communi & prophano, ad sacrum & divinum transferuntur; panis autem eucharisticus non alia ratione de communi fit divinus & sacer, quàm per benedictionem, qua mediante convertitur in corpus Christi. Denique, benedictio, de qua Apostolus ait 1. Cor. 10. v. 16. *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est*? eadem est cum benedictione de qua Evangelistæ loquuntur; atqui benedictio, de qua loquitur Apostolus, est consecratio: namque ex virtute & efficacia illius idem Apostolus infert, calicem communionem esse sanguinis Christi; talis autem esse non potest sine consecratione, hoc est sine benedictione.

II. benedictionem illam distinctam fuisse à verbis istis: *Hoc est corpus meum*, constat, Tum quia benedictio est precatio: atqui verba mox citata precationis formam non præseferunt; non enim ad Deum referuntur, sed ad dona proposita. Tum quia ea verba Christus protulit post factam benedictionem, quod apertè demonstrat textus græcus: verbum scilicet εὐλογήσας, & εὐχαριστήσας, quo utuntur Evangelistæ, est in aoristo, ac latinè verti debet, *cùm benedixisset*, *cùm gratias egisset*; non verò, sicut vertit Interpres vulgatus, *benedixit*, *gratias egit*. Quin ipsemet Interpres Joan. 6. v. 11. ubi agitur de panibus, verbum εὐχαριστήσας, sic reddit, *cùm gratias egisset*. Et Act. 27. v. 35. εὐχαριστήσας, *cùm fregisset*.

Resp. nego ant.

Ad primam probationem, fateor Christum benedictione usum fuisse, qua, si voluisset, panem in corpus suum mutasset sine ullis verbis: sed nego ita voluisse Christum, siquidem Evangelistæ clara & determinata ejus verba proferunt, quibus efficaciter significatur conversio illa seu mutatio panis in corpus, & vini in sanguinem ejus. Quid ergo fuit illa benedictio? oratio Christi, sive aliquo signo exteriori conjuncta fuerit, sive non, qua divinam opem ac virtutem supra panem & vinum invocavit, eamque ad consecrationem mox futuram & per verba perficiendam quasi disposuit ac præparavit. Hinc facile est reponere ad momenta in confirmationem antecedentis adducta.

I. enim fatemur benedictionem illam efficacem fuisse; sed quomodo, & quando voluit Christus: non enim efficax fuit immediatè & per se sola sine verbis, sed verbis ipsis vim & efficaciam impetravit; sicut quando Lazarum à morte ad vitam revocavit, Joan. 11. v. 41. dicitur elevatis sursum oculis Patrem orasse, & ei gratias egisse: en benedictio seu oratio quæ fuit duntaxat præparatoria, non verò immediatè operativa miraculi subsequentis, quod duntaxat perfectum fuit quando voce magna clamavit: *Lazare veni foras*: *& statim*, ait Scriptura, *prodiit, qui fuerat mortuus*.

II. non minùs efficax fuit benedictio Christi supra panem eucharisticum, quàm supra panes quinque quos in deserto multiplicavit: sed, ut dixi, non idem fuit efficaciæ modus; hic immediatè, illic mediatè fuit efficax, pro nutu ac beneplacito Christi.

III. per illam benedictionem panis de communi & prophano factus quidem est sacer ac divinus: at non immediatè sine verbis, sed per verba; aut si vis, præparatoriè ac dispositivè per benedictionem, effectivè autem per verba panis mutatus est in corpus Christi.

IV. Apostolus 1. Corinth. 10. nomine benedictionis, non singularem Christi actionem à cæteris distinctam intelligit, sed totam Cœnæ celebrationem, seu omnem ejus actionem in celebranda Eucharistia, inter quas est ipsa verborum prolatio seu consecratio: totam autem actionem ab aliqua ejus parte denominavit Apostolus: neque magis inferri potest benedictionem illam fuisse per se consecratoriam, quàm panis fractionem, de qua similiter ait: *Panis quem frangimus, nonne communicatio Domini est*?

Ad secundam probationem, fateor benedictionem illam à verbis istis, *Hoc est corpus meum*, distinctam fuisse: sed non sequitur eam per se immediatè & independenter à verbis fuisse efficacem & operativam. Unde tria ista, benedictio seu oratio, divina virtus, & verba Christi, ad eundem consecrationis effectum concurrunt, sed ratione dispari; benedictio tanquam causa impetrans divinam opem; virtus Dei, tanquam causa efficiens principalis; & verba Christi, tanquam causa efficiens instrumentalis applicans divinam virtutem.

Instabis 1. Si supponatur consecratio facta per benedictionem, ita ut verba ista sequentia, *Hoc est corpus meum*, rem factam demonstrent, non verò efficiant, plana erit & facilis adductæ propositionis explicatio, ac planè concidunt omnes argutiæ Novatorum circa significationem pronominis *hoc*, & verbi, *est*; secus verò si verba ista sint per se efficacia & operativa.

Resp. his difficultatibus commotum Catharinum à communi sententia recessisse: verùm, ut jam monuimus, Theologus non eam quæ facilior videtur, sed quæ verior ac Traditioni magis consentanea, sententiam debet amplecti & tueri. Practica igitur esse & operativa Christi verba contendimus, parumque movemur dialecticis illis tricis quas Novatores excitant circa significationem pronominis *hoc*, & verbi *est*, de quibus supra ad Quæstionem secundam hujus Tractatus Articulo 3. in solutione Objectionum.

Instabis 2. Nullum extat exemplum in Scriptura locutionis enuntiativæ quæ efficiat id quod significat; igitur nec toties citata Christi verba operativa sunt & consecratoria, sed supponunt consecrationem factam mediante benedictione Christi.

Resp. 1. Etsi nulla foret similis loquendi ratio in Scripturis, an idcirco tamen detrahenda ab illis Christi verbis, *Hoc est corpus meum*, sua vis & efficacia? Singulare quippe est ac prorsus ineffabile sacrum Altaris mysterium.

Resp. 2. non deesse in Scripturis exempla locutionis enuntiativæ, quæ faciat id quod significat. Sic quando Joan. 4. v. 50. Christus Regulo dixit, *Vade, filius tuus vivit*. Et Lucæ 13. v. 12. mulieri habenti spiritum infirmitatis: *Mulier, dimissa es ab infirmitate*. Et Matth. 9. v. 3. Paralitico: *Remittuntur tibi peccata tua*; haud dubiè id effecit, quod verbis significabat; perinde enim est ac si dixisset Christus: *Filius tuus est vivens*, *Peccata tibi sunt remissa*.

Instabis 3. S. Marcus cap. 14. v. 23. verba, quibus dicimus consecrari calicem, narrat à Christo prolata, postquam omnes Apostoli ex eo biberunt: *Et accepto*, inquit, *calice, gratias agens dedit eis*, *& biberunt ex illo omnes*. *Et ait illis*: *Hic est sanguis meus novi Testamenti &c.* Igitur supponit jam fuisse consecratum calicem per benedictionem seu gratiarum actionem.

Resp. verba ista, *& biberunt ex illo omnes*, per anticipationem à sancto Marco dicta esse, ante prolationem istorum, *Hic est sanguis meus*, ut nempe Christi præceptum de sumendo calice, & ejus

executionem simul conjungeret; vel ut Christi porrigentis calicem ad bibendum, & Apostolorum illum recipientium actionem referret.

Objicies 2. contra secundam Conclusionem. Communis ac trita est SS. Patrum sententia, Eucharistiam consecrari oratione, prece, gratiarum actione, Dei invocatione, benedictione. Ita SS. Justinus Apol. 2. Irenæus L. 4. c. 34. Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi mystagogica 1. & 5. Verba descripsimus, ubi de fide præsentiæ realis. S. Hieronymus Ep. 101. alias
140.2. 4.801. 85. ad Evangelum: *Ad quorum* (Sacerdotum) *preces*
T.p.2. *Christi corpus sanguisque conficitur.* S. Augustinus
98.2.E. Tract. 118. in Joan. ubi ait, *sive crucis signo quod adhibetur sive in frontibus credentium, sive ipsi aquæ ex qua regenerentur, sive oleo quo chrismate unguntur, sive sacrificio quo aluntur, nihil eorum rite perfici.* Synodus Carisiaca apud Hincmarum Opusculo 4. Tomo 2. ait, *manum chrismate sacro perunctam de pane & vino aqua mixto per orationem & crucis signum conficere corporis Christi & sanguinis Sacramentum.*

Denique in Concilio Romano sub Gregorio VII. an. 1079. Berengarius jussu & auctoritate Concilii
Tom.10. Conc.p. 378.B. subscripsit isti formulæ fidei, "Ego Berengarius corde „credo & ore confiteor, panem & vinum, quæ ponun„tur in altari per mysterium sacræ orationis & verba „nostri Redemptoris, substantialiter converti in veram „& propriam ac vivificatricem carnem & sanguinem „Jesu Christi; & post consecrationem esse verum „Christi corpus &c.

Resp. SS. Patres istis de causis merito asseruisse, Eucharistiam per preces, orationes, & invocationem Dei consecrari.

I. quia non fit sine precibus & orationibus, licet istæ vim & formam consecrationis formaliter non habeant

II. quia per orationes invocatur divina virtus, ut dignetur verbis suam vim & efficaciam imprimere, quia id re vera efficiant quod significant: neque enim ex sese verba hoc possunt, sed ex Dei potentia ac virtute.

III. quia ipsa Christi verba à Sacerdote prolata, tanquam Christi ministro, continent semper implicitam divinæ virtutis invocationem: neque enim proprio nomine agit minister, sed nomine Christi & Ecclesiæ. Sic verba quibus confertur Baptismus, implicitam orationē continent quam non obscure significant Græci, cum
Tom.9.p. 155.A. ajunt, *Baptizetur servus Christi*: quæ forma optativa est & deprecatoria, efficax tamen & operativa. Quo sensu
Tom.9.p. 798.B.C. genere etiam pronuntiavit S. Aug. L. 5. de Baptismo c.20. *Quomodo exaudit* [Deus] *homicidam deprecantem vel super aquam Baptismi, vel super oleum, vel super Eucharistiam?* Et L. 3. de Trinitate c. 4. ait nos corpus Christi *mystica prece consecratum sumere.* Per illas igitur preces intelligunt citati Scriptores verba ipsa Christi, quæ tacitam orationem involvunt, non vero preces illas quas Ecclesia vel ante, vel post consecrationem panis & calicis fundit; signum autem illud crucis, de quo Augustinus & Synodus Carisiaca, necessarium non est nisi ex institutione Ecclesiæ, & necessitate usus, non Sacramenti.

Instabis 1. Gaudentius Brixiensis Tract. 2. in Exo-
Tor. an. 418. Bib. PP. Tom.5.p. 947.E. dum ait; "Cum panem consecratum & vinum „Discipulis suis porrigeret Dominus, sic ait: Hoc „est corpus meum." Audis panem vocari consecratum ante prolationem istorum verborum, *Hoc est corpus meum,*: ista ergo verba non habent vim formæ consecrantis.

Resp. distinguo conseq. ergo panis fuit consecratus præparatorie & quasi inchoate ante verba ista, *Hoc est corpus meum*, concedo: formaliter & perfecte, nego. Solutio patet ex dictis.

Instabis 2. S. Basilius L. de Spiritu sancto cap. 27. sic loquitur: "Quis Sanctorum in scripto nobis reli„quit invocationis verba cum conficitur panis Eucha„ristiæ, & poculum benedictionis?" At Evangelistæ & S. Paulus commemorarunt laudata sæpius Christi verba; ergo supponit S. Doctor, illis vim & formam consecrationis non esse positam. Ed.Par. To.2.p. 290.D.

Resp. distinguo ant. quis scripto reliquit verba invocationis, id est preces quæ antecedunt vel sequuntur consecrationem, concedo: quæ efficiunt ipsam consecrationem, nego. Porro S. Basilius loquitur de ejusmodi precibus, ut constat ex verbis quæ sequuntur. „Nec enim, *inquit*, his contenti sumus quæ com- Ibid. „memorat Apostolus aut Evangelium: verum alia „quoque & ante & post dicimus, tanquam multum „habentia momenti ad mysterium; quæ ex Traditione „citra scriptum accepimus.

Objicies 3. antiquas Græcorum Liturgias, in quibus postquam Sacerdos hæc Christi verba, *Hoc est corpus meum*, recitavit, adhuc orat Deum ut velit sacra dona sanctificare, eaque convertere in corpus & sanguinem Christi; non supponunt igitur Græci, factam esse donorum consecrationem & conversionem per verba toties laudata.

Antecedens patet.

I. ex Liturgia S. Chrysostomi, ubi post recitata Christi verba sic orat Sacerdos: "Et rogamus te, & ob- Apud Goar. p. 77. „secramus, Emitte Spiritum sanctum tuum, super „nos, & super hæc proposita munera. *Et paulo post*: Et „fac hunc panem pretiosum corpus Christi tui: quod „autem in poculo, pretiosum sanguinem Christi tui, „transmutans Spiritu sancto tuo.

II. In Liturgia S. Basilii post eadem verba Christi, Sacerdos ait: "Confidentes appropinquamus sancto al- Ibid.p. „tari tuo, & propositis iis quæ sanctum corpus & san- 166. „guinem Christi tui repræsentant, te rogamus & te ob„secramus, sancte sanctorum, per tuæ bonitatis placi„tum, ut Spiritus sanctus tuus ad nos veniat & ad hæc „proposita dona, & ea benedicat, & sanctificet, & effi„ciat.... Panem quidem fac pretiosum corpus Domini „& Dei, & Salvatoris nostri Jesu Christi.... Hunc ve„ro calicem pretiosum sanguinem Domini & Dei, & „Salvatoris nostri Jesu Christi...., qui pro mundi vita „effusus est.

In Liturgia Armenorum perantiqua, hæc legitur oratio post verba Christi, "Hoc est corpus meum. Emitte „super nos & super hæc proposita dona consempiter„num & coæternalem sanctum Spiritum tuum, quo pa„nem & vinum hoc benedictum, corpus vere carne ipsa „& sanguinem re ipsa facias Domini nostri Salva„toris Jesu Christi, mutando illa per sanctum spiri„tum tuum." Tum dicitur in eadem Liturgia. "Et „demum perficitur corpus & sanguis Christi." Contendunt qui nobis hic adversantur, orationem illam, vel æquivalentem, ad omnes Orientales Liturgias pervasisse, atque Sectas omnes Orientales, tametsi in multis fidei capitibus à seipsis dissidentes, in hac oratione retinenda conspirasse. Ex his sic argutur.

Qui post recitata verba, "Hoc est corpus meum. „Hic est sanguis meus, postulant à Deo ut velit panem & vinum, facere, seu transmutare in corpus & sanguinem Christi, ii profecto non existimant per illa verba panem & vinum consecrari & converti in corpus & sanguinem Christi: atqui ita Græci; ergo &c.

Missis variis Catholicorum solutionibus, qui vel immutatum suspicantur Liturgiarum ordinem; vel illa oratione, non naturale Christi corpus, sed mysticum postulari existimant; vel illam proprie deprecatoriam non esse, sed gratulatoriam pro re jam obtenta; vel per eam postulari rei confirmationem & stabilitatem, & ardentissimam significari Sacerdotis Fideliumque desiderium & amorem erga præsentiam dominici

corpus, missis, inquam, his responsionibus, de quibus lege Bellarminum L. 4. c. 14. de Euchar. & Arcudium L. 3. c. 33.

Resp. 1. cum Cardinali Perronio L. 2. de Eucharistia auctore 15. orationem illam Græcorum quæ ordine sequitur in Liturgiis verba Christi, distinctam non esse ab illis ipsis verbis Christi, sed continere tantum majorem expositionem & explicationem virtualis orationis quæ implicite in illis includitur; adeoque ad ea ipsa verba, aut potius ad ipsum instans temporis quo pronuntiantur, referendam esse. Probat Cardinalis Eminentissimus, tum quia "S. Basilius hanc orationem „non refert ad modum orationis directæ, sed historialis „& relativæ, atque per consequentiæ adverbium annexæ his Domini verbis, Hoc facite in meam com„memorationem; adeoque, *inquit*, non debet illa „oratio restringi ad id solum quod post verba sacramen„talia efficitur, sed ad id omne quod fit vi mandati illius, „sive ante verba sacramentalia fiat, sive cum illis, sive „post illa. Tum quia, *pergit Cardinalis*, alioquin opor„teret executionem hujus clausulæ, Appropinquantes sa„cto altari tuo, fieri post prolationem verborum sacra„mentalium; & per consequens Sacerdotem verba sa„cramentalia proferre ante accessionem ad altare, quod „absurdum est & falsum." Tum denique quia, ut mox dicemus, constructio græci textus, tum S. Chrysostomi, tum S. Basilii, significat orationem illam ad tempus antecedens aut potius concomitans ipsam verborum sacramentalium pronuntiationem, esse referendam.

Tom. 3. p. 275. G. Resp. 2. cum Cardinali Bellarmino L. 4. de Euch. c. 14. aliisque vulgo Theologis, Græcos per orationem adductam non postulare simpliciter & absolute ut fiat corpus & sanguis Christi, sed ut fiat suscipientibus per effectum nutritionis spiritualis: "Qui enim indigne „manducat & bibit," inquit Apostolus 1. Cor. 11. v. 29. "judicium sibi manducat & bibit, non dijudicans „corpus Domini." Id est, non physicam & realem donorum in corpus & sanguinem conversionem postulant, quam factam supponunt, sed moralem duntaxat respectu sumentium, ut nempe, ait Liturgia nostra Latina, "Quotquot ex hac altaris participatione sacrosan„ctum Filii tui corpus & sanguinem sumpserimus, „omni benedictione cœlesti & gratia repleamur.

Non alium esse orationis Græcorum sensum, patet.

Apud Goar. p. 166. I. ex ipsa Græcorum declaratione seu confessione facta in Concilio Florentino, quam paulo ante retulimus.

Ibid. p. 77. II. ex Liturgia S. Basilii, quæ post verba in Objectione citata, sic pergit: "Nos autem omnes qui de uno „pane & calice participamus, junge ad invicem in unius „Spiritus sancti communionem: & fac ut nemo no„strum ad judicium vel condemnationem sit particeps „sancti corporis & sanguinis Christi tui.

III. idem legitur in Liturgia S. Chrysostomi. Postquam Sacerdos dixit, "Fac quidem panem hunc pre„tiosum corpus Christi tui .... immutans Spiritu sancto „tuo; *statim secreto ait*, ut fiat accipientibus in sobrie„tatem animæ ad remissionem peccatorum, in commu„nicationem sancti Spiritus, in regni cœlorum plenitu„dinem, in fiduciam erga te, non in delictum aut „damnationem." Cujus profecto orationis sensus idem est ac nostræ Liturgiæ Latinæ.

IV. quia Græci, etiam post sublimillam orationem in qua Recentiores nonnulli vim formæ ac consecrationis reponunt, adhuc orant pro ipsis oblatis consecratis. Sic enim precatur Diaconus, vel ipse Sacerdos, si desit Diaconus, "Pro sanctificatis pretiosis donis Dominum „deprecamur &c" qua profecto oratione non postulant consecrationem, quæ jam facta supponitur, sed tantum, "ut clemens Dominus noster qui ea in san„ctum & supercœleste intellectuale suum altare „suscepit .... nobis divinam gratiam & san„ctissimi Spiritus donum rependat." Apud Goarium pag. 79.

V. denique; mos ille Græcorum est ut quod jam factum & obtentum supponunt, adhuc postulent quasi non factum; aut potius explicent uberius. Sic in Sacramento Ordinis post ordinatum Sacerdotem, adhuc preces fundunt quibus super eum invocant Spiritum sanctum, quasi eum non supponerent advenisse, cum perfectum est Ordinis Sacramentum. Lege Goarium pag. 250. 251. 293. & 294.

Sunt qui cum Bellarmino, ad confirmationem hujus responsionis, vim multam faciunt in eo quod Liturgia S. Basilii non dicat, *fac panem*, sed, *ostende panem*, quasi vellet tantum dicere, Ostende nobis per effectum gratiæ, panem hunc consecratum esse corpus Christi. Verum non satis firma & solida videtur hæc observatio: tum quia in textu græco S. Basilii, qualem repræsentat Goarius Euchologii p. 169. legitur, *fac panem hunc &c.* [illegible] Tum quia etsi in manuscripto Isidori Pytomali Smyrnæi Monasterii S. Joannis in Insula Patmos Diaconi, quem exhibet idem Goarius p. 180. legatur *ostende*, [illegible] tamen cum verbum idem significet etiam *facere, creare* & hoc sensu ab eodem S. Basilio in Liturgia usurpetur; cum aliunde Liturgia S. Chrysostomi, certissimum sit legi verbum *fac*, non multum juvat hæc observatio ad solvendam propositam difficultatem.

Ad Liturgiam Armenorum eadem est solutio; quamquam Liturgia hæc, Romæ anno 1677. typis edita emendata fuerit, & loco verborum istorum, *vere facias*, appositum est, "panem & vinum benedicens corpus & „sanguinem fecisti Domini nostri & Redemptoris J. „C. mutando Spiritu tuo sancto," quæ lectio supponit non fieri mutationem cum oratio illa pronuntiatur, sed eam jam factam esse virtute verborum Christi; *fecisti*. Anno 1341. Benedictus XII. locum illum Liturgiæ Armenorum, antequam emendaretur, inter multos Armenorum errores recenset. Apud Raynaldum, an. 1341. n. 98. Tom. 16.

Instabis 1. in Liturgia S. Chrysostomi diserte utraque oratio distinguitur post verborum istorum prolationem *Hoc est corpus meum.* Una qua Sacerdos postulat, ut Deus faciat panem, corpus, & vinum sanguinem Christi, ea immutando; altera, qua postulat perceptionem gratiæ, seu fructus spiritualis ex hoc Sacramento. Non est igitur confundenda utraque illa oratio, sed distinguenda, ergo semper stat prior difficultas, nempe post verba sacramentalia, Græcos postulare donorum conversionem in corpus & sanguinem Christi.

Resp. si græci textus ordo & constructio consulatur, hac ratione non postulare Græcos mutationem donorum, sed eam potius factam supponere. Ut enim advertit Arcudius L. 3. c. 33. Latini male reddiderunt verba græca S. Chrysostomi per illa, "fac panem istum P. 252. col. 1. „pretiosum corpus Christi tui ..., transmutans Spiritu „sancto tuo." sic enim reddi debent, "Fac ut panis, „quem Spiritu sancto tuo transmutasti in pretiosum „corpus Christi tui, fiat suscipientibus &c. *vel*, Fac pa„nem istum, quem transmutasti, fieri vel esse suscipien„tibus ad animæ salutem &c. Quare, *inquit Arcudius*, „accusativus [illegible], panem istum, non refertur „ad verbum [illegible], fac, quasi sensus foret, Fac panem „istum corpus; sed refertur ad participium [illegible], „transmutasti, ita ut sensus sit, Fac ut panis, quem trans„mutasti, fiat accipientibus &c.

Lectionem hanc aut potius versionem confirmat Goarius in notis ad Missam S. Chrysostomi, p. 142. auctoritate Neophyti Rhodini in vernacula synopsi, ubi verba quæ expendimus sic interpretatur: "In „plerisque, *inquit*, iisdemque correctissimis Euchololo„giis, hæc verba [illegible] qui „ea transmutasti Spiritu tuo sancto, parenthesi inclusa

legun-

„leguntur, hoc pacto: Fec panem quidem istum, pretiosum corpus Christi tui; & quod est in calice, pretiosum sanguinem Christi (transmulasti enim ea Spiritu tuo sancto) esse suscipientibus ad animæ sobrietatem." Qua sane interpretatione supposita, non tantum evanescit proposita difficultas, sed etiam plane oppositum probat eo quod recentiores Græci: supponit etenim dona jam consecrata & transmutata esse.

Quod si quis vulgarem græci textus versionem morosius urgere vellet, diceremus cum Cardinali Perronio antea citato, orationem illam, etsi ordine sequatur prolationem verborum sacramentalium, ad illa tamen referri, quorum quædam est uberior & clarior explicatio.

Instabis 2. S. Basilius post verba ista, *Hoc est corpus meum*, pronuntiata, panem & vinum appellat *antitypa* corporis & sanguinis Christi; ergo non existat his verbis panem & vinum converse fuisse in verum corpus & sanguinem Christi.

Confirmatur 1. ex S. Joanne Damasceno L. 4. de fide orthodoxa c. 13 ubi disertis verbis ait, S. Basilium appellare panem & vinum *antitypa* ante consecrationem, non vero post, "Quod si nonnulli, *inquit*, panem
To. 1. p. 273. A. „vinumque, corporis & sanguinis Domini *antitypa*, seu „imagines figuralve vocaverunt, velut divinus Basilius, „non hoc post consecrationem dixerunt; sed antequam oblatio ipsa consecreretur, vocem hanc usurparunt.

Confirmatur 2. ex septima generali Synodo quæ est
Tom. 7. Conc. p. 450. Nicæna II. an. 787. Act. 6. ubi Joannes & Epiphanius Diaconi recitarunt confutationem cujusdam definitionis Conciliabuli Iconoclastarum, in qua auctor præoccupans objectionem Hæreticorum ex appellatione *antityporum* apud S. Basilium, ait, panem & vinum ante sanctificationis consecrationem *antitypa* dicta fuisse; sed post sanctificationem corpus proprie & sanguinem dici & credi.

Ex his sic arguitur: S. Basilius, testibus Damasceno, & Joanne ac Epiphanio Diaconis, apellat panem & vinum *antitypa* corporis & sanguinis Christi ante consecrationem: atqui ea sic appellat post verba Christi, *Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus*; ergo existimat verba ista consecratoria non esse.

Resp. missis variis interpretationibus nominis *antitypi*, quod pani etiam consecrato accommodari sano sensu potest, de quibus Bellarminus L. 2. de Euch. c. 15. & Arcudius L. 3. c. 34. & nos supra, ubi de fide præsentiæ realis. Respondeo, inquam, S. Basilium panem & vinum appellare *antitypa* corporis & sanguinis Christi, respective ad tempus præcedens consecrationem, licet post verba consecratoria sic ea nuncupet: verbum quippe græcum quo utitur S. Doctor, est aoristus secundus participii, & significat præteritum indeterminatum; habet enim, non *προτιθέντες*, quod est participium præsentis temporis, & redditur per *proponentes*, sed *προθέντες*, quod est aoristus secundus participii, & redditur per, *proposuimus*, seu, ut vertit Goarius pag. 169. *propositis antitypis*: ita ut sensus contextus S. Basilii iste sit, "Confidentes appropinquemus sancto altari tuo; & nos qui proposuimus antitypa corporis & sanguinis tui, te rogamus &c." ubi verbum *proposuimus* præteriti est temporis, & significat panem & vinum vocari *antitypa* ante verba consecrationis, quando scilicet in mensa propositionis dona illa sanctificabantur, sanctificatione quadam prævia & præparatoria ad consecrationem postea recipiendam. Alludit siquidem eo in loco S. Doctor ad duplicem illam mensam quæ in usu est apud Græcos, in quarum prima, quæ dicitur *propositionis*, dona præparantur & aliquo ritu sanctificantur; in altera vero, quæ dicitur *depositionis*, dona consecrantur: ac distinguit tempus propositionis *antityporum*, à tempore accessus Sacerdotis ad altare, tanquam præteritum à præsenti: siquidem tempus quo Sacerdos accedit ad altare exprimit per participium & verbum de præsenti, *Confidentes appropinquamus*; propositionem vero *antityporum* per participiũ temporis præteriti, *προθέντες proposuimus*. Quin & in eadem Liturgia pag. 188 utitur verbo *proponendi*, etiam ante verba consecrationis, in tempore præterito. "Christus, *inquit*, reliquit nobis salutaris „suæ passionis monumenta, hæc quæ ex ejus mandatis „proposuimus." Quo loquendi modo satis declarat S. Doctor, se in Liturgiæ loco agere de ipsa propositione seu oblatione *antityporum*, tanquam de re præterita, & quæ non amplius perficiebatur, sed erat perfecta, cum ita loquebatur.

Quamquam, etsi tempore præsenti dixisset S. Basilius, *Proponentes antitypa accedimus &c.* non tamen ad ipsum tempus subsequens verba sacramentalia, sed ad præteritum & antecedens referri deberet vox ista *antitypa*, pro usu & more Ecclesiæ, quæ tempore præsenti id exprimit, quod ad præteritum debet referri. Sic multo post obitum defunctorum, orat ut Deus velit eorum animas à pœnis inferni liberare; quam orationem haud dubie refert ad instans præcedens mortem, non ad tempus subsequens: novit enim in ipso mortis puncto definitam esse hominis sortem, neque posse ab inferis liberari, qui justo judicio ad pœnam æternam damnatus est.

Hinc inferes, auctoritatem S. Damasceni, Joannis & Epiphanii, nostræ solutioni favere, nedum nocere: totidem enim testes sunt & interpretes mentis S. Basilii, qui significant nobis vocem illam *antitypa* referendam esse ad tempus antecedens prolationem verborum sacramentalium, licet post illam ordine collocentur in Liturgia: illi enim Græci erant, qui haud dubie hominis græce loquentis melius nosse poterant mentem, quam quilibet alius.

Objicies 4. S. Gregorius L. 9. Epistolarum Epistola 12. alias 64. respondens nonnullorum querimoniis, Tom. 2. p. 940. D.
rationem reddit de ordine Missæ, atque inter alia, cur Oratio dominica recitatur; ait morem Apostolorum fuisse, *ut ad ipsam solam Orationem oblationis hostiam consecrarent.*

Resp. nihil inde inferri posse adversus Conclusionem nostram: non enim de verbis quibus fit consecratio agit S. Doctor, sed de precibus ac ritibus quos in Missa celebranda observandos esse statuerat, inter quas orationes locum præcipuum tenet Oratio dominica, quæ cum ab Apostolis inter Missarum solemnia recitata fuerit, minime debet prætermitti.

Objicies 5. Si consecratio verbis Christi perficitur, vel narrative tantum & historice proferuntur à Sacerdote, vel significative: neutrum dici potest. Non narrative & historice, quia alioqui non fieret applicatio formæ ad materiam præsentem; non significative, alias significarent corpus & sacerdotis, non vero Christi.

Resp. verba Christi proferri à Sacerdote recitative simul & significative: recitative quidem, ut constat ex serie ac contextu Canonis, *Qui pridie quam pateretur accepit panem &c.* significative autem, quia sacerdos per verba Christi in ejus persona loquens, intendit operari quod Christus ipse operatus est: neque urget quod additur, quia personam Christi tunc sacerdos induit.

Neque est quod dicat Vasques disp. 200. q. 78. art. 5. c. 2. fieri non posse ut eadem verba recitative simul & significative proferantur; quia, inquit, qui refert verba ab alio dicta, non utitur significatione illorum, ut iis ex se velit idem significare. Sic qui refert mendacium alterius, & eisdem verbis recitet, ipse non mentitur, neque falsum dicit; sed falsum & mendacium, quod alius dixit, refert.

Namque qui refert verba alterius, ejusque personam induens, hoc ipso non vult significare quod alter voluit, ille certè & recitativè & significativè simul verba profert: unde qui refert alterius mendacium illud approbando, & cum intentione fallendi, haud dubie mentitur, secus si narrativè tantùm & historicè referat.

Objicies 6. Multi auctores cum Ordine Romano existimant vinum quod in Missa præsanctificatorum die Parasceves calici infunditur, ipso contactu corporis christi sanctificari & consecrari sine verbis; neque enim ea die proferuntur verba consecrationis, cùm ex jam consecrata host a Missa celebretur.

Resp. dist. ant. sanctificari & consecrari consecratione quadam exteriori, concedo: propriè dicta, quæ vinum convertat in sanguinem, nego. Plenior hujusce difficultatis solutio patebit ex dicendis infrà de Communione sub duplici specie.

Objicies denique contra ultimam Conclusionem: Verba illa, *novi & æterni testamenti &c.* quæ pronuntiantur in consecratione calicis, esse essentialia docet S. Thom. q. 73. art. 3. unde S. Pius V. jussit expungi è Commentariis Caietani eam partem, in qua negabat prædicta verba esse de essentia formæ calicis. Idem affirmat Catechismus Romanus.

Resp. S. Thomam, & Auctores Catechismi Romani exponendos esse de formæ integritate & perfectione, quantum ad majorem explicationem, non quantum ad ipsam essentiam & substantiam consecrationis. Non S. Pius V. sed inquisitores Romani eam Cajetani sententiam expungi jusserunt. Isambertus ad qu. 98. disp. 2. art. 50 hujusce expunctionis conjecturam affert, nempe quòd non satis honorificè de sententia S. Thomæ locutus fuisset.

QUÆSTIO V.

De causis Eucharistiæ.

De causis externis hic agimus, nempe auctore, ministro, & subjecto Eucharistiæ.

ARTICULUS I.

De auctore Eucharistiæ; an & quando Christus Eucharistiam instituit.

Institüisse christum Eucharistiam tam apertè declarant Evangelistæ, ut nullus in dubium revocet; sed de tempore hujus institutionis, an Luna 14. primi mensis, post celebratam ritu judaico cœnam legalem, facta fuerit, concertatio est non levis inter Auctores: ad quam ut viam præmuniamus, nonnulla priùs observanda nobis videntur, variæque opiniones recensendæ.

PRÆNOTANDA

Observandum 1. nomine cœnæ legalis eam intelligi, in qua ritu à Lege præscripto comedebatur agnus paschalis. Ita præsceripserat Deus Exodi 12. v. & sequentibus. *Mensis iste*, inquit, *primus erit in mensibus anni .... Decima die mensis tollat unusquisque agnum per familias & domos suas .... & servabitis eum usque ad quartam decimam diem mensis hujus; immolabitque eum universa multitudo filiorum Israel ad vesperam .... & edent carnes nocte illa assas igni, & azymos panes cum lactucis agrestibus.* Tota hæc cæremonia vocabatur Pascha, seu Phase, idest transitus, ut dicitur ibid. v. 11. Eo ipso tempore celebrandam à Judæis voluit Deus, quo primùm fuerat ab illis in Ægypto celebrata, Deuter, 16. v. 6. *Immolabis Phase vespere ad solis occasum, quando egressus es de Ægypto.* Nulli licitum fuit tempus illud antevertere, sed aliquando differri poterat propter contractam impuritatem legalem, Num. 9. v. 10. *Homo qui fuerit immundus super anima, sive in via procul à gente vestra; faciat Phase Domino in mense secundo 14. die mensis ad vesperam cum azymis & lactucis agrestibus.* Instituta fuit hæc cæremonia in memoriam præservationis ab Angelo exterminatore, Exodi 12. v. 27. *Victima transitus Domini est, quando transivit super domos filiorum Israel in Ægypto, percutiens Ægyptios & domos nostras liberans.*

Observandum 2. solemnitatem illam agni paschalis conjunctam habuisse secum aliam solemnitatem quæ dicebatur azymorum, quia quamdiu durabat, abstinere tenebantur Judæi à fermento & panes azymos comedere. De illa dicitur Exodi 12. v. 15. *Septem diebus azyma comedetis: in die primo non erit fermentum in domibus vestris .... Dies prima erit sancta atque solemnis, & dies septima eadem festivitate venerabilis: nihil operis facietis in eis; exceptis quæ ad vescendum pertinent.* Instituta fuit hæc cæremonia in memoria egressionis ex Ægypto, Exodi 12. v. 17.

Duæ illæ solemnitates licet interdum confundantur, quia conjunctæ erant & simul incipiebant, ut constat ex cap. 12. Exodi v. 18. tamen distinctæ revera fuerunt, tùm ratione præcepti & ritus, tùm ratione significationis & causæ propter quam fuerant institutæ, tùm ratione loci & durationis.

Observandum 3. Judæos fuisse celebrare dies festos à vespera diei præcedentis, ad vesperam subsequentis, juxta expressum Dei mandatum Levitici 23. v. 32. *A vespera usque ad vesperam celebrabitis sabbata vestra.* Et si autem prima vespera ad festum pertineret, dies tamen hanc immediatè subsequens in Scriptura dicitur solemnis: sic quamvis vespera diei 14. pertineret ad solemnitatem seu festum azymorum, dies tamen 15. Levitici 23. v. 6. dicitur solemnitas azymorum: *Quinta decima die mensis hujus solemnitas azymorum Domini est.* Et, *Dies primus erit vobis celeberrimus sanctusque.* Ibid. v. 7. Et Num. 28. v. 16. & 17. dicitur: *Mense primo 14. die mensis Phase Domini erit, & 15. die solemnitas.* Ex quo inferri obiter potest, Judæos dies suos ordinarios & feriales non computasse ab una vespera ad aliam; alioqui necesse non fuisset Deum singulari mandato præcipere ut dies festi ab una diei vespera ad alteram subsequentis celebrarentur.

Observandum 4. duas ejusdem diei partes seu vesperas posse distingui: primam, quæ diem inchoat; secundam verò, quæ diem claudit. V. g. diei 14. qua debebat agnus paschalis ex mandato Legis comedi, prima vespera incipiens ea est, quæ diem 13. claudit, & inchoat diem 14. secunda verò ea quæ claudit 14. & inchoat 15. Hinc orta inter Theologos controversia, circa quam vesperam Lunæ 14. deberet Pascha comedi, an in prima, an in secunda.

Observandum denique, in una & eadem vespera Judæos duas quasi vesperas seu partes distinxisse, atque inter duas illas vesperas solitos fuisse agnum paschalem manducare. Illæ autem duæ vesperæ non possunt intelligi de tempore quod interjacet inter vesperam diei 13. & vesperam diei 14. quasi toto hoc spatio temporis licitum fuerit immolare Pascha: certum quippe est, juxta Legem immolandum fuisse ad vesperam diei 14. Per duas itaque illas vesperas intelligunt vesperam Solis jam ad occasum properantis, & vesperam crepusculi post Solis occasum, quo intermedio tempore Judæi agnum paschalem mactabant. His prænotatis, quatuor hîc expendunt Theologi.

Primum, an Christus judaicum Pascha, juxta ritum Legis ea ipsa nocte qua Eucharistiam instituit, celebraverit.

Secun-

Secundum; an Pascha illud celebraverit Luna 14. ad vesperam.

Tertium, in qua vespera Lunæ 14. an in prima, quæ diem 13. claudit & inchoat 14. an in secunda, quæ claudit 14. & inchoat 15.

Quartum, an Judæi eo anno quo mortuus est Christus, Pascha celebraverint Luna 14. juxta ritum Legis. Circa hæc quatuor capita non una est Theologorum sententia.

Opiniones variæ.

Circa primum, sunt inter Recentiores, qui existimant Christum morte præventum vitæ suæ anno ultimo non celebrasse Pascha legale; quia, juxta Legem, debebat celebrari Luna 14. ad vesperam, quo autem anno mortuus est, Luna illa 14. incidit in diem Veneris qua cruci fuit affixus. Cum vero iis objicitur, prima die azymorum, referentibus Evangelistis, accessisse ad Christum Discipulos, rogantes ubi vellet sibi parari Pascha, & Christum sero facto cum illis discubuisse, respondent, primam illam diem azymorum fuisse integram Lunam 14. quæ incipiebat à primis vesperis diei antecedentis, nempe Jovis, & claudebatur secundis vesperis diei Veneris, adeoque Apostolos die Jovis post occasum Solis, cum jam inchoata esset dies 14. quæ dici potest dies azymorum prima quia jam parabantur panes azymi, & fermentum perquirebatur Apostolos à Christo petiisse ubi vellet sibi parari Pascha, non quidem manducandum hac ipsa prima vespera diei Jovis finientis, sed sequenti die Veneris, qua die cum occisus sit Christus, non potuit Pascha præparatum comedere. Unde quando in Evangelio dicitur, sero facto cœnasse cum Discipulis, interpretantur Auctores hujus sententiæ, non de cœna paschali, juxta ritum Legis, sed de cœna communi & ordinaria.

Ex Veteribus nonnullos hanc opinionem propugnasse narrat Photius Codice 115. & 116. Et Doctissimus Petavius L. 12. de Doctrina temporum c. 12. laudat ex Chronico Alexandrino Hyppolitum Portuensem, Apollinarem Hieropolitanum, Clementem Alexandrinum, quibus adjungi debet septimo sæculo, Philoponus Alexandrinus Philosophus, edito eam in rem Libello Viennæ typis edito an. 1630. & undecimo, Cedrenus, aliique nonnulli Græci, teste Arcudio L. 3. c. 4. & ex Latinis Nicolaus Villagagnonius Eques Malitensis, cujus Opus editum est anno 1569. post Conc. Trid. & Antonius de Dominis apostata L. 5. de Republica Ecclesiastica c. 7. à n. 259. usque ad 278. Hugo Grotius Commentario in c. 26. S. Matth. v. 18.

Lami p. 368.

Circa secundum, Græci schismatici, ut suum defendant fermentum, contendunt Christum diem à Lege præscriptam antevertisse, ac Luna 13. Pascha legale celebrasse juxta ritum Legis, cum pane azymo; hac autem cœna peracta, Eucharistiam instituisse in pane communi & ordinario, nempe fermentato; Judæos vero Luna 14. Pascha idem celebrasse.

Sunt qui putant Judæos duplicem distinxisse Lunam seu diem 14. pro diversa scilicet ratione auspicandi primam mensis diem. Alii enim, inquiunt, à congressu Solis & Lunæ, alii à prima Lunæ phase seu apparitione, diem primam numerabant: & ita die diversa, quamquam semper 14. juxta eorum computum, Pascha celebrabant Judæi: unde juxta eos Christus Luna 14. pridie mortis Pascha manducavit; Judæi vero postridie, Luna etiam 14. juxta diversam computandi primam mensis diem, rationem.

P. Pezron Histoire Evangelique.

Sunt qui admissa hac distinctione duplicis Lunæ 14. pro vario mensis initio ducto vel à congressu Solis & Lunæ, vel à prima Lunæ apparitione, existimant usum illius distinctionis ad omnes plane Judæos non spectasse, sed ad Jerosolymitanos duntaxat & Galilæos, qui alternis vicibus primi immolabant Pascha ita ut Christus, qui Galilæus erat, eo anno quo mortuus est, Pascha suum celebraverit ritu judaico Luna 14. incidente in feriam quintam; cæteri vero Judæi Jerosolymitani, postridie suo etiam modo Luna 14. incidente in feriam sextam ad vesperam post Solis occasum & Christi mortem; & ita conciliare conantur dissidentes in speciem Evangelistas.

P. Harduin, De supremo Christi Paschate, Parisiis anno 1693.

Circa tertium, Aloysius Legionensis Hispanus Ordinis Augustiniani Doctor & Professor Theologus in Academia Salmaticensi, Opusculo de utriusque agni typici & veri immolatione legitimo tempore, edito an. 1590. & non ita pridem gallice reddito & notis illustrato, pro viribus demonstrare nititur, Christum cum cæteris Judæis prima vespera Lunæ 14. quæ finis est 13. & initium 14. Pascha suum ritu Legis cum Judæis celebrasse. Facile componit (fatendum est,) hæc opinio dissidentes in speciem Evangelistas, omnesque vulgares nodos dissolvit, sed ipsa gravioribus aliunde implicatur: si Vasquesio credamus, Aloysius ille Legionensis non primus fuit hujus opinionis auctor, quam & Oleaster in caput 23. Levit. & Stella in caput 22. Lucæ docuerunt.

Louis de Leon. P. Daniel chez Benar. anno 1695.

Circa quartum, sunt qui existimant Christum cum Apostolis ac Judæorum vulgo Pascha celebrasse Luna 14. exeunte, juxta Legis mandatum; solos vero sacerdotes ac Scribas in promovenda Christi damnatione ac morte occupatos, ad sequentem vesperam suum Pascha distulisse, non sine Legis violatione. Ita sensisse videtur S. Chrysostomus Hom. 85. in Matth. Theophylactus in c. 26. S. Matth.

Sunt qui cum Ruperto Abbate Tuitiensi putent, Christum cæterosque Judæos omnes eadem die Pascha comedisse, sed festivitatem ac celebrationem primæ diei azymorum, quæ festiva erat & solemnis, distulisse in sabbatum subsequens, ne scilicet duos dies festos continuo celebrare tenerentur, quod incommodum maxime ipsis fuisset.

Sunt qui cum Paulo Burgensi & aliis non paucis existimant, eo anno quo Christus mortuus est, dilationem factam fuisse non tantum festivitatis, sed etiam cœnæ legalis in diem subsequentem, hoc est in 15. ad vesperam, idque ex Judæorum traditione, ne duo festi dies consequenter occurrerent: ajunt vero Christum die legitima, nempe 14. ad vesperam primi mensis, juxta ritum legis, Pascha celebrasse.

Doctissimus Petavius Animadversionibus in S. Epiphanium postquam pag. 180. & sequentibus ostendit festorum translationem apud Judæos antiquam non esse, nec tempore Christi receptam p. 184. probat ex quadam corruptela & depravatione nonnullos ex Judæis alia, quam legitima die Pascha celebrasse; christum vero & multos alios Judæos die legitima, hoc est 14. unde L. 12. de doctrina temporum c. 16. duplex fuisse Pascha existimat eo anno quo christus mortuus est, unum legitimum, præposterum alterum; illud Christus cum Judæis aliquot saniore mente prædites; istud Pharisæi & scribæ, cum aliis plerisque Judæis tenuerunt. His ita historice narratis, sit

CONCLUSIO.

Christus Sacramentum Eucharistiæ pridie mortis instituit post cœnam legalem, cujus nec ipse tempus anteverit, nec Judæi distulere, sed omnes exeunte Luna 14. ad secundam vesperam communi Paschatis officio defuncti sunt.

Plures sunt Conclusionis partes. Prima, quæ spectat institutionem Eucharistiæ à Christo factam pridie quam pateretur, nullam patitur difficultatem, adeo diserti sunt eam in rem Evangelistæ, Matth. c. 26. v. 26. Marcus c. 14. v. 22. Lucas c. 22. v. 19.

Secunda vero pars, nempe Christum Pascha legale juxta ritum Legis, pridie mortis manducasse.

Probatur 1. manifestis Evangelistarum testimoniis.

S. Matth. c. 26. v. 17. "Prima die azymorum, inquit, accesserunt Discipuli ad Jesum dicentes: Ubi vis paremus tibi comedere Pascha? ... Et paraverunt Pascha. Vespere autem facto, discumbebat cum duodecim Discipulis suis.

S. Marci c. 14. v. 12. "Primo die azymorum quando Pascha immolabant, dicunt ei Discipuli: Quo vis eamus & paremus tibi ut manduces Pascha? ... Et paraverunt Pascha. Vespere autem facto, venit cum duodecim; & discumbentibus eis & manducantibus, ait Jesus &c.

S. Lucæ c. 22. v. 7. "Venit autem dies azymorum, in qua necesse erat occidi Pascha; & misit Petrum & Joannem &c. ... & cum facta esset hora, discubuit.

Ex his sic invicte argumentor; Christus priùs mortis suæ illud Pascha cum Discipulis manducavit, quod Judæi die prima azymorum immolabant, juxta S. Marcum; quod necesse erat occidi, juxta S. Lucam; de quo Apostoli interrogant Christum, ubi vellet illud parari, quod revera paraverunt; de quo denique Christus Lucæ 22. v. 15. ait: "Desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum antequam patiar.

Atqui tale Pascha aliud fingi non potest, quam judaicum seu legale: non enim aliud noverant Apostoli; non aliud noverat ille ad quem missi sunt ut pararent Pascha; non aliud intelligebat Christus ipse, cum Matth. 26. v. 18. ait: "Tempus meum prope est, apud te facio Pascha cum Discipulis meis." Atque hinc concidit opinio supra memorata, tum Grotii, qui ait Christum comedisse Pascha memoriale, non legale; tum aliorum Recentiorum, qui volunt Apostolos præparasse quidem agnum paschalem postridie comedendum, Christum vero communem cœnam ea prima die azymorum comedisse, & non potuisse postridie paratum agnum comedere, cum cruci affixus fuerit ea ipsa hora qua comedi debebat. Namque merum figmentum videtur hæc opinio. Illud quippe Pascha Christus comedit, quod die azymorum prima Discipuli præparaverant: dies autem azymorum prima erat 14. Luna ad vesperam; igitur Apostoli ante Solis occasum petierunt à Christo ubi vellet manducare Pascha, quod illi de facto paraverunt, & quod ad vesperam illius primæ diei azymorum, hoc est Lunæ 14. Christus discumbens comedit. *Vespere autem facto discubuit*, inquiunt Evangelistæ. Quo vespera? primæ scilicet diei azymorum, id est Lunæ 14. in qua ante Solis occasum petierant Apostoli à Christo, *ubi velles sibi parari Pascha.* Et vero probabile non videtur; per primam azymorum diem intelligi debere integram diem 14. in qua parabantur azymi panes, & fermentum omne è domibus ejiciebatur, ita ut Apostoli post Solis occasum, jam inchoata Luna 14 petierint à Christo ubi vellet parari Pascha, quod comedi tantum debebat ad vesperam subsequentem, quæ secunda erat Lunæ 14. Probabile, inquam, id non videtur: tum quia integra Luna 14. non dicebatur prima azymorum dies; sed tantum secunda illius vespera, in qua usus azymorum incipiebat simul cum manducatione agni paschalis; tum quia verisimile non est, Apostolos præparasse Pascha quod post horas tantum viginti duas manducari debebat. Et reipse ea ipsa vespera manducavit Christus, qua paratum illud fuit: paratum autem fuit, juxta Evangelistas, qua die Judæi immolabant, & necesse erat ut immolarent Pascha: at dies hæc erat 14 finiens ad secundam scilicet ejus vesperam, juxta Legis præscriptum.

Neque dicas Pascha illud quod Christus tam ardenter cum Discipulis manducare desideravit, non esse legale, sed Eucharisticum. Namque de utroque merito potest intelligi: de legali quidem, quia postremum erat vitæ suæ mortalis; de Eucharistico, quia maximum amoris sui monimentum continet, & suis dare exoptabat.

Probatur 2. auctoritate SS. Patrum, Hymnorum Ecclesiæ, & Concilii Tridentini.

Sanctos Patres hic appellare necesse non videtur, quos nostros esse non diffitentur adversarii cum quibus disputamus. Ita Tertullianus Lib. contra Judæos cap. 10. Origenes Hom. 23. in Numeros, S. Epiphanius hæresi 70. Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi 13. S. Chrysostomus Hom. 81. & 86. in Matth. S. Augustinus Tractatu 10. in Joan. quibus adde eos omnes qui olim Pascha Luna 14. in quamcumque diem incidisset, celebrandum esse contendebant, quod persuasum haberent, Christum eo officio ea ipsa die defunctum fuisse.

Neque satis honori & reverentiæ SS. Patribus debitæ nostro quidem judicio consulunt, qui respondent, præsentem quæstionem neque de earum numero esse quæ ex Traditione dirimi possunt, neque à SS. Patribus ea qua par erat cura expensam fuisse, sed obiter tantum & leviter perstrictam. Namque etsi præsens quæstio ad fidem non pertineat, tamen, ut recte observat Vincentius Lirinensis in Commonitorio, "id proprium est Christianæ modestiæ & gravitatis, non sua posteris tradere, sed à majoribus accepta servare;" atque id pro certo & indubitato habendum, quod vel omnes, vel plures è SS. Patribus docuerunt. Mirum vero esse non debet, quod SS. Ecclesiæ Doctores prolixas non habuerint hac de quæstione controversias; tum quia nulli erant adversarii quos impugnarent; tum quia clarissime in Evangelio definitur.

Quis vero sit Ecclesiæ Romanæ sensus, patet ex Hymno quem canit in Solemnitate corporis Christi,

Noctis recolitur Cœna novissima,
Qua Christus creditur agnum & azyma
Dedisse fratribus, juxta legitima
Priscis indulta Patribus.

Concilium autem Tridentinum Sess. 22. cap. 1. Conclusionem nostram diserte confirmat his verbis. "Celebrato veteri Pascha, (quod in memoriam exitus de Ægypto multitudo filiorum Israel immolabat) novum instituit Pascha seipsum ab Ecclesia per Sacerdotes sub signis visibilibus immolandum, in memoriam transitus sui ex hoc mundo ad Patrem. Tom. 14. Conc. p. 853. A.

Tertia Conclusionis pars, scilicet Christum diem à Lege præscriptam non antevertisse, sed Luna 14. Pascha celebrasse,

Probatur: tum quia Christus dum viveret Legis fuit observantissimus; *Non veni*, inquit Matth. 5. v. 17. *solvere Legem sed adimplere*, neque profecto istud accusationis caput omisissent Judæi, si vel levissimum habuisset fundamentum. Porro si diem à Lege præscriptam antevertisset, reus fuisset violatæ Legis, quæ permittebat quidem differri, non anteverti tempus comedendi paschalem agnum: dies porro illa est 14. primi mensis, Exodi 12. Deuter. 16. Tum quia ea ipsa die Pascha celebravit, qua Discipuli petierunt ubi vellet sibi parari: sed Apostoli haud dubie veram & legitimam, juxta ritum Legis, diem intelligebant; alias quomodo Christum interrogassent; & quomodo homo ille ad quem missi sunt, ædes suas commodasset ut pararent necessaria ad comedendum Pascha? statim enim objecisset nondum advenisse tempus à Lege definitum. Tum quia non alia ratione ducti sunt Asiatici ut Luna 14. in quamcumque incidisset diem, Pascha celebrarent, quam exemplo Christi.

Sed quæres in qua Luna 14. Christus Pascha celebraverit; an in ea quæ vel à congressu Solis & Lunæ vel à prima Lunæ phase numerabatur, juxta ea quæ ante observata sunt?

Resp. distinctione hanc duplicis Lunæ apud Judæos [illegible] plane

planè fictitiam esse, cujus nullum extat fundamentum aut in Scripturis, aut in Philone, vel Josepho, ex qua sequeretur maximam fuisse apud Judæos in Festis celebrandis perturbationem atque confusionem; siquidem eadem dies aliquibus solemnis & festiva fuisset, aliis vero non fuisset, cum tamen facer Contextus Exodi 12. dicat, *Pascha esse celebrandum ab omni multitudine filiorum Israel Luna* 14. *ad vesperam*; & reipsa ea ipsa die Discipuli à Christo petierunt ubi vellet parari sibi Pascha, quia cæteri Judæi immolabant, aut saltem necesse erat ut immolarent illud, sicut constat ex SS. Luca & Marco; nulla igitur distinctio erat, neque diversa ratio computandi Lunam illam 14.

Tertia pars Conclusionis, Christum scilicet Pascha celebrasse ad secundam vesperam Lunæ 14. non vero ad primam, ut contendit Aloysius Legionensis.

Probatur; Quia per vesperam Scriptura eam semper intelligit quæ finis est, non initium diei; ergo cum Lex præciperet manducandum esse agnum ad vesperam Lunæ 14. ea vespera intelligenda est, quæ claudit lunam 14. & inchoat 15. non ea quæ claudit 13. & inchoat 14.

Consequens probatur. I. Quia juxta Scripturam, Exodi 12. eadem Luna 14. ad vesperam solemnitas azymorum incipiebat, & agnus paschalis comedebatur, qui priùs immolari debuerat versùs occasum Solis ejusdem vesperæ · atqui solemnitas azymorum non incipiebat in prima vespera Lunæ 14. sed in secunda; fermentato enim uti licebat usque ad meridiem. Pariter agnus paschalis immolari debebat, ex Legis mandato, ad vesperam ejusdem Lunæ 14. in qua comedebatur.

II. Quia Scriptura numerat tantùm septem dies azymorum, Exodi 12. quarum prima & ultima solemnis erat & festiva: sed si prima dies azymorum inchoata fuisset à prima vespera Lunæ 14. non septem, sed octo dies fuissent.

III. Quia eodem sensu Exodi 12. dicitur, *Immolabit eum universa multitudo filiorum Israel ad vesperam* Luna 14. quo ibidem dicitur, *Comedetis azyma usquè ad diem* 21. *ejusdem mensis ad vesperam.* Atqui per istam vesperam diei 21. intelligitur secunda vespera claudens diem 21. namque ad hoc usque tempus licitum non erat uti fermentato.

IV. Per vesperam Lunæ 14. intelligitur quam immediatè & proximè sequebatur dies 15. festiva & solemnis, qua incipiente nihil residui esse debebat ex agno paschali: atqui ea vespera haud dubiè secunda est, non prima Lunæ 14. Antecedens patet ex Josepho L. 3. Antiquitatum c. 10. & ex cap. 12. Exodi. Et cap. 27. S. Matth. v. 55. ubi diem, in qua passus est Christus, & quæ proximè sequuta est vesperam in qua agnum paschalem comederat, vocat *solemnem*: S. verò Marcus cap. 15. v. 1. vocat *diem festum*. Unde Judæi apud S. Joannem cap. 18. v. 31. ajunt sibi non licere interficere quemquam; scilicet ob diem festum qui tunc celebrabatur, ut exponunt S. Chrysostomus Hom. 82. in Joan. & Hom. 86. in Matth. S. Augustinus Tract. 114. in Joan. licuisse enim Judæis alio tempore blasphemos interficere, constat ex cap 7. Actorum, ubi Stephanum in Concilio judicatum publicè lapidarunt: & cap. 24. conqueruntur apud Felicem Præsidem Syriæ, quòd volentibus Paulum secundum Legem suam interficere, Tribunus Lysias violenter eum eripuerit de manibus eorum.

V. Denique, in ea vespera Lunæ 14. debebant Judæi Pascha comedere, qua primum in Ægyptum comederant: atqui prima vice illud comederunt ad secundam vesperam Lunæ 14 quam immediatè sequebatur Luna 15. legitur enim Num. 33. v. 3. profectos esse Hebræos de Ramasse mense primo 15. die mensis, altera die Phase, idest à Phase celebrato; idque clarè suggerit narratio Moysis, nempe eadem nocte egressos illos fuisse, comederunt Pascha; quando enim Deuter. 16. v. 6. dicitur immolandum esse Phase *vespere ad solis occasum, quando egressus es de Ægypto*, non significatur præcisè tempus vel hora egressus, sed illud indeterminatè sumitur pro totius noctis tempore; ac si diceretur, sub quod tempus, vel qua nocte egressus es; vel etiam ita loquitur Scriptura, quia debuit immolari Phase prope initium noctis, sub cujus finem egressi sunt Hebræi.

Quarta pars Conclusionis, nempe Judæos eadem ipsa die, qua Christus, Pascha suum manducasse.

Probatur I. ex Scriptura: Referentibus enim SS. Marco & Luca antea citatis, ea ipsa die Christus Pascha celebravit, qua immolabant, seu necesse erat ut immolarent Judæi, de qua die Christus dixerat Matth. 26. v. 2. *Post biduum Pascha fiet*, at dies illa fuit 14. juxta Legem; ergo &c.

II. Festorum translatio apud Judæos recens est inventum, ut rectè ostendit Doctissimus Petavius Animadversionibus in S. Epiphanium p. 180. ergo ruit fundamentum eorum qui dicunt Judæos eo anno quo Christus mortuus est, festum Paschatis transtulisse in diem sabbati, ne duo consequenter dies festi concurrerent. Adde quòd si tempore Christi recepta fuisset & probata consuetudo non celebrandi consequenter duos dies festos, haud dubiè neque Christus, neque Apostoli à communi consuetudine recessissent, nec pater familias apud quem missi sunt Petrus & Joannes ut pararent Pascha, ædes suas commodasset.

Nequidem translata in diem sabbati festivitate paschali, incommodum declinassent Judæi, ad quod tamen declinandum translationem illam excogitarunt recentiores Scriptores. Incommodum nempe istud est, ne duo festi dies continui celebrentur; at recurrisset istud incommodum in fine celebritatis azymorum: si enim in sabbato celebratus fuisset dies primus azymorum, dies septimus, qui erat etiam festivus, in feriam sextam sequentem incidisset, ac proinde in vigiliam sabbati utique festivi ac solemnis.

Solvuntur Objectiones.

Objicies 1. contra primam Conclusionem: Quo tempore Discipuli accesserunt ad Christum, rogantes, ubi vellet sibi parari Pascha, jam in nostra sententia effluxerat tempus destinatum immolationi agni paschalis, & serius erat quàm ut possent omnia necessaria præparari, igitur non potuit Christus ea ipsa die agnum comedere, sed postridie comesturus erat, nisi morte impeditus fuisset.

Antecedens probatur; Quia Discipuli accesserunt ad Christum, juxta S. Lucam c. 22. v. 7. postquam *venit dies prima azymorum*; verbum enim *venit* esse præteriti temporis, apertè colligitur ex græco textu ἦλθε: sed ex nobis dies prima azymorum incipiebat tantum Luna 14 ad vesperam post Solis occasum; igitur post occasum Solis Discipuli accesserunt ad Christum. Atqui tunc non potuit Christus agnum immolare: namque ex Philone, De septenario, immolari tantum poterat à meridie usque ad vesperam; & ex Josepho L. 7. de bello Judaico cap. 17. ab hora nona ad undecimam; id est, juxta nostram supputandi rationem, ab hora circiter tertia, ad quintam, quod Rabbini ajunt fieri inter duas vesperas, sensu in prænotatis exposito.

Aoristus secundus indicativi, non ἔρχομαι venio.

Confirmatur: quia non poterat immolari agnus paschalis, nisi in Templo Hierosolymitano; erat enim verum sacrificium, quod Sacerdotum ministerio peragi debebat, ut colligitur ex cap. 23. Exodi v. 18. Numer. 9. v. 7. unde Evangelistæ utuntur verbo *immolandi*. Sacerdotum autem ministerio opus fuisse, colligitur exemplo Paschatis quod sub Ezechia celebratum est,

est, Paralipomenon Lib. 2. cap. 30. v. 1. & illius quod celebratum est sub Josia, L. 4 Reg. c. 23. Hinc Cestius ut resciret numerum Judæorum Hierosolyma convenientium, interrogavit Sacerdotes quos agnos mactassent in celebritate Paschatis. Porrò sacrificium non potuisse alibi quàm in Templo Jerosolymitano offerri, aperte declaratur Levitici 17. v. 3. & Deuter. 12. v. 13.

Resp. nego ant. ad cujus probationem, dico Apostolos accessisse ad Christum Luna 14. post meridiem, non verò post occasum Solis. Ratio evidens ducitur ex Evangelistis, qui asserunt post illam Apostolorum interrogationem, sero facto venisse Christum, & discubuisse cum illis; ergo non post Solis occasum, sed antè à Christo petierant Discipuli, ubi vellet sibi parari Pascha: ab eo autem tempore ad vesperam usque, satis fuit temporis ut pararentur quæcunque erant necessaria, & potuerunt pro more ad Templum se conferre. Quamquam si Philoni credamus L. 3. De vita Moysis, sacrificium paschale in hoc à cæteris discrepabat, quod neque à Sacerdotibus, neque in Templo necesse foret illud mactare, sed à singulis & in privatis ædibus immolari poterat: unde cives Jerosolymitani decima die primi mensis tot parabant agnos, quot erant necessarii pro diversis exterorum & advenarum familiis, quorum capaces habebant ædes. Hanc consuetudinem videntur indicare verba Christi ad Discipulos, Matth. 26. v. 18. *Ite in civitatem ad quendam, & dicite ei &c.* unde intelligimus facile fuisse Apostolis, intra breve tempus omnia præparata invenire ad celebritatem Paschatis. Dici etiam posset, Sacerdotes immolasse quidem agnos paschales in Templo, quos singulis postea distribuebant, sicut colligitur ex L. 2. Paralipomenon c. 35. v. 12. Cùm igitur S. Lucas ait, Apostolos accessisse ad Christum postquam venit dies prima azymorum, quæ incipiebat tantùm ad vesperam Lunæ 14. post Solis occasum, utitur anticipatione satis frequenti in Scripturis, ac venisse dicit diem primam azymorum, tum quia jam instabat & proxima erat; tum quia ante Solis occasum omne fermentum è domibus ejiciebatur, & azymi panes præparabantur; unde sensu populari dicit venisse diem primam azymorum. Hinc patet solutio ad confirmationem.

Objicies 2. Judæi comedere tenebantur agnum paschalem stantes accincti renibus, baculos habentes in manibus &c. Exodi 12. v. 11. sed nihil eorum observasse legitur Christus, quæ observasset proculdubio, si quo anno mortuus est legale Pascha comedisset.

Resp. 1. incertum esse utrum omnes illæ ceremoniæ quæ à Judæis fuerunt observatæ in celebrando primo Paschate in Ægypto, tum cùm ad iter sese accingebant, fuerint subsequente tempore observatæ; circumstantia enim temporis diversa omnino fuit, ut per se constat. Et verò in eo Paschate quod sub Ezechia L. 2. Paralip. cap. 30. & sub Josia Lib. 4. Reg. c. 23. & sub Esdra Lib. 1. Esdræ cap. 6. celebratum fuit, nulla mentio fit illius apparatus, omniumque circumstantiarum primi Paschatis in Ægypto celebrati.

Resp. 2. Christum eas ceremonias observasse in manducando agno paschali; in mensa vero communi, quam postea habuit cum iisdem suis Discipulis, discubuisse: duplicis enim hujus cœnæ, legalis, & communis seu usualis à Christo pro more Judæorum celebratæ, meminit S. Chrysostomus Hom. 82. in Matth.

Objicies 3. Constat ex Tabulis astronomicis, quo anno Christus mortuus est, Lunam 14. ad cujus vesperam manducari debebat Pascha, incidisse in feriam sextam, seu in diem Veneris, qua Christus fuit occisus; Judæi siquidem mensem auspicabantur à prima Lunæ phase seu conspectu: cùm autem hoc ipso anno Lunæ & Solis conjunctio contigerit die decima nona Martii, versùs secundam aut tertiam horam pomeridianam; primus Lunæ conspectus contingere tantùm potuit die 20. ad vesperam, quo tunc primùm mensis paschalis incepit, ut die 21. ad vesperam clauderetur: quo posito, dies 14. incipere tantum potuit ad vesperam diei secundæ Aprilis, incidentis in diem Jovis pridie mortis Christi, adeoque agnus paschalis immolari tantùm potuit Veneris, in secunda vespere Lunæ 14. et consequenter Christus, qui die Veneris hora nona seu tertia, juxta nostrum computandi modum, mortuus est, non potuit Pascha legale celebrare.

Resp. 1. difficultatis hujus solutionem pendere à determinatione anni & diei quo Christus mortuus est, de quo consentiunt eruditi, visque regulis astronomicis certo potest definiri. Unde Doctissimus Petavius Lib. 12. de doctrina temporum c. 12. ait hac in parte ingrato labori parcendum esse. *Desinant*, inquit, *Chronologi, in anno dieque Passionis eruendo, Mathematicorum calculis, noviluniorum pleniluniorumque minutatis ac scrupulosis ratiociniis sibi ac lectoribus suis negotium facere.*

II. Non ita certum videtur, ac supponit Objectio, Judæos solitos fuisse mensem auspicari à prima Lunæ phase, non verò ab ipsius cum Sole conjunctione. Imò illud posterius longè videtur probabilius, cùm certis ac statis diebus Judæi sua festa celebrarent; prima autem Lunæ phase seu apparitio incerta foret, nec ubique eodem tempore fieret, propter interjacentes nubes ejus conspectum eripere poterant.

Objicies 4. auctoritatem Petri Alexandrini, Hyppoliti Portuensis, Apollinaris Hierapolitani, Clementis Alexandrini, qui referuntur in Chronico paschali Petri Alexandrini, quod typis regiis publici juris fecit clarissimus Du Cange, qui omnes nostræ adversantur sententiæ.

Resp. 1. paucos illos Scriptores prævalere non posse contra communem cæterorum SS. Patrum sententiam. 2. Magni ponderis non est Chronicon illud paschale, cujus verus auctor ignoratur, & cujus præfatio, in qua citati auctores laudantur, adeo confusa est & perturbata, ut vix rectum aliquem sensum habeat; quæ etiam nonnullas voces habet ab ætate Petri Alexandrini alienas, ut [illegible]. Incerta igitur sunt ac suspectæ fidei testimonia Hyppoliti, Apollinaris & Clementis Alexandrini, quæ eo in Chronico laudantur.

Objicies contra secundam Conclusionis partem, nempe diem in qua Christus Pascha celebravit.

I. Joan. 13. v. 1. cœna in qua Christus Eucharistiam instituit, dicitur *facta ante diem festum Paschæ*; seu, ut habetur in græco, *facta ante festum Paschæ*, ergo ante vesperam Lunæ 14. Ex dictis enim in prænotatis, dies festi apud Judæos ab una vespera ad aliam subsequentem celebrabantur, & vespera Lunæ 14. pertinebat ad diem festum Paschæ. Igitur Christus vel anno quo mortuus est, Pascha legale non celebravit, vel tempus à Lege præscriptum anteverti, & Luna 13. ante festum illud celebravit.

Resp. dist. ant. Cœna illa dicitur facta ante diem festum Paschæ naturalem seu usualem, concedo; legalem, subdistinguo: solemnem ac festivum, concedo; festivum simpliciter & absolutè, nego. Dies naturalis exordium ducit ab ortu Solis, & terminatur ad ortum subsequentem: dies usualis à media nocte, ad mediam noctem producitur: dies verò legalis seu festiva, ab una vespera ad aliam proximè sequentem. Porrò cœna in qua Christus instituit Eucharistiam, dicitur facta ante diem festum Paschæ, sive naturalem, sive usualem; facta enim est ad secundam vesperam Lunæ 14. quæ ad diem 15. sequentem naturalem vel usualem non pertinebat: dici etiam potest facta ante diem solemnem & maximè festivum Paschæ, etsi reipsa vespera illa 14. ad festum pertineret, sensu scilicet vulgari & populari, quo vigiliam festi alicujus, etsi ritu Ecclesiastico ad festum pertinentem, tamen dicimus festum præcedere, & quæ

in

in ipsa fiunt ; dicuntur fieri ante festum, non quidem simpliciter & ritu ecclesiastico, sed ante solemnitatem & celebritatem festi. Utrumque diserte distinguit Scriptura, Num. 28. v. 16. & 17. "Mense primo, *inquit*, „14. die mensis, phase Domini erit ; & 15. die solemni- „tas." Hoc sensu Josephus L. 3. Antiq. c. 10. loquens de agno paschali qui Luna 14. post Solis occasum, adeoque post jam inchoatam diem festum 15. quæ azymorum prima erat, immolabatur, ait *nihil ex illo in crastinum reservari* ; ubi crastinum illud divellit ac distinguit à vespera antecedente, eique ad eumdem festum pertinente. Hoc autem sensu communi & populari locutus est S. Joannes, cum dixit Christum, cœnam, in qua instituit Eucharistiam, celebrasse ante diem festum Paschæ.

Objicies 2. Constat ex Traditione Ecclesiæ, diem Pentecostes quo anno Christus mortuus est, incidisse in diem Dominicam : atqui si Christus agnum paschalem manducavit ad vesperam Lunæ 14. si solemnitas azymorum contigit die 15. incidente in feriam sextam seu Veneris, dies Pentecostes non incidisset in diem Dominicam ; quia juxta præscriptum Legis Levitici 23. v. 15. dies Pentecostes apud Judæos celebrari debebat die 50. à secunda die azymorum, quæ erat decima sexta primi mensis, in qua Judæi offerre solebant manipulum primitiarum. Ita colligitur ex citato c. 23. Levitici, & ex Josepho L. 3. Antiquit. c. 8. *Numerabitis*, inquit Scriptura, *ab altero die sabbati, in quo obtulistis manipulum primitiarum septem hebdomadas plenas, usque ad alteram diem expletionis hebdomadæ, id est 50. dies.* Atqui si secunda dies azymorum incidit in diem sabbati, quo anno Christus mortuus est, necesse est ut dies 50. post illam secundam diem azymorum, incideret in similem diem sabbati ; namque septem hebdomadæ efficiunt dies 49. atque illæ finire debuerunt in feriam sextam tertii mensis ; ac proinde cum dies sequens sit ipsum sabbatum quod complet ipsos dies 50. sequitur illo anno diem Pentecostes incidisse in diem sabbati, non in diem Dominicam.

Varii varia respondent.

Alii volunt rem non esse ita certam & exploratam, ac putat Baronius ad an. Christi 34. n. 134. nempe festum Pentecostes, quo anno Christus mortuus est, incidisse in diem Dominicam : cum ante S. Augustinum nihil ea de re legere sit in antiquis Ecclesiarum monumentis. Quin & ipse sanctus Doctor. L. 18. de Civit. Dei cap. 54. & in Psalm. 150. ait tantum, *Spiritum sanctum quinquagesimo à Resurrectione Christi die descendisse* : an vero dies illa Dominica fuerit, vel non, non satis explicat. Quod autem profertur ex Sermone 154. de tempora, suspectæ admodum est fidei, quia sermo ille non videtur esse S. Augustini, & in postrema Operum ejus editione in Appendicem rejectus est.

Tillemont note sur S. Pierre. T. 1. p. 534. Tom. 7. p. 578. D. Tom. 4. p. 1698. F.

Verum, cum S. Leo & quotquot subinde sequuti sunt Scriptores in ea fuerint persuasione, festum Pentecostes incidisse in diem Dominicam.

Alii dicunt, per alteram diem sabbati Scripturam, citato cap. 23. Levitici, intelligere primam diem hebdomadæ qui immediate & proxime sequitur diem sabbati ; ille autem Dominicus est, à quo dies Pentecostes numerari debent : & ita planum est, inquiunt, diem 50. qui festivus erat Pentecostes, incidisse in similem diem Dominicum.

Eusebius Rupertus Oleaster.

Verum hujus responsionis difficultas in eo esse videtur, quod per sabbatum intelligi non debeat septima dies hebdomadæ, sed, teste Josepho citato, ipsa prima dies azymorum, quæ sabbatum dicitur, propter solemnitatem, & à cujus die secunda debent computari illi dies 50.

Alii respondent, numerandos quidem esse dies 50. à secunda azymorum exclusive, non vero inclusive ; quo posito dies illi numerati fuissent à die Dominica, & quinquagesimus in similem diem incidisset. Habet hæc responsio hoc incommodum, quòd die sabbati debuisset manipulos primitiarum in agro meti, ut potuisset offerri ; diebus autem sabbati omne opus servile prohibitum erat.

Verùm respondent hujus sententiæ auctores, ea opera quæ ad cultum Dei & Religionem spectabant, prohibita non fuisse.

Alii dicunt, festum quidem Pentecostes Judæorum eo anno incidisse in diem sabbati, festum verò Pentecostes Christianorum in diem Dominicam, quia sabbatum Christianorum, est ipsa dies Dominica.

Verùm non facilè intelligimus quomodo S. Lucas Act. 2. loquutus fuerit de alio Pentecostes festo, quàm de eo qui Judæis notus erat ; præsertim cùm adhuc vigeret Legalium observatio ; & ipse S. Paulus an. Christi 58. referente S. Luca, Act. 20. v. 16. festinasse dicitur, ut diem Pentecostes Jerosolymis celebraret.

Alii denique, cum Baronio ad an. Christi 34. n. 134. & Bellarmino L. 3. de gloria & cultu Sanctorum cap. 13. respondent, à secunda quidem azymorum die numerandos esse dies 50, quando illa in sabbatum non incidebat ; quando vero in sabbatum incidebat, sicut contigit eo anno quo Christus mortuus est, numerandos ab altera die sabbati, id est à die Dominica. Rationem affert Baronius, *Quia*, inquit, *cùm hoc anno die sequenti Paschatis esset sabbatum, quo falcem in messem mittere vetitum erat...., manipulum hoc anno constat oblatum fuisse ipso die Dominico quo Dominus resurrexit, cujus ipse elevatus manipulus figuram exprimebat.* Tom. 1. p. 219 E.

Huic solutioni favere videntur nonnullæ Scripturæ Versiones, quæ verba ista, *altera die sabbati*, sic exponunt ; Chaldaica, *post diem festivitatis* ; Arabica, *in crastina die otii* : & alia Versio, *à crastino die cessationis*. Ex his variis responsionibus, eligat prudens lector, quam probabiliorem judicaverit.

Objicies 3. nonnullorum SS. Patrum auctoritatem, nempe Irenæi L. 4. cap. 23. Tertulliani Lib. adversus Judæos, Origenis Tract. 35. in Matth. Chrysostomi Hom. 82. in Matth. Epiphanii hæresi 50. num. 2. Augustini Tract. 120. in Joan. Euthymii in cap. 26. Matth. Nicephori Lib. 1. Hist. cap. 20.

Resp. S. Irenæum hoc unum velle, nempe Moysen non ignorasse locum, diem & horam Passionis Christi, quam in Paschate futuram esse prædixit : per Pascha verò intelligit celebritatem Paschatis, quæ die prima azymorum fiebat, atque eo anno quo Christus mortuus est incidit in feriam sextam seu diem Veneris, in qua Christus revera mortuus est.

Idem est Tertulliani & Origenis sensus. Probant scilicet illi, Christum occisum fuisse in celebritate paschali, quod verum est : unde Tertullianus ea verba Amos cap. 8. *Occidit Sol in meridie, & convertam diem festum vestrum in luctum*, interpretatur de die solemni qua mortuus est Christus ; sed ad vesperam præcedentem, nempe Lunæ 14. celebraverat Christus legale Pascha.

S. Chrysostomus in eadem fuit sententia, Sacerdotes & Scribas in procuranda morte Christi occupatos, distulisse in diem sequentem agni paschalis manducationem ; sed Christum Luna 14. juxta Legis præscriptum, hoc officio defunctum esse, expressè docet ille Hom. 85. in Matth.

S. Epiphanius ait quidem oportuisse Christum 14. die immolari secundùm Legem : sed loquitur tantum de immolatione in typo & figura ; quasi dixisset oportuisse agnum, qui erat christi, immolari Luna 14. Patet ex scopo S. Doctoris. Ibi quippe reprehendit Quartodecimanos judaisantes, eo quod celebrarent Pascha cum Judæis die 14. non vero die Dominica cum christianis ; hancque rationem adducit, quod nempe im-

molatio

molatio Christi, typica nimirum, quæ fiebat secundum Legem die 14. significaret Synagogam lumen suum Christo veniente amissuram.

S. Augustinus nomine cœnæ puræ, propter quam ait acceleratam esse Christi sepulturam, non intelligit manducationem agni paschalis, sed cœnam quamdam solemnem, qua Judæi pervigilio sabbati ad vesperam refici solebant. Quamquam non immeritò possent intelligi victimæ paschales, quæ cœna pura dicuntur, quia Judæi puri esse debebant, vestimentis, cibis, corporibus & animis.

Euthymius verò & Nicephorus audiri hic non possunt, quippe vixere illi post Leonis IX. tempora, id est post agitatam magno animorum æstu controversiam inter Græcos & Latinos de azymo & fermentato. Euthymius floruit circa an. 1100. Nicephorus circa an. 1300.

Objectio nes Aloysii Legionensis.

Objicies contra tertiam Conclusionis partem. Christus cœnam legalem celebravit in prima vespera Lunæ 14. quæ postrema fuit Lunæ 13.

Probatur: Quia eodem tempore Judæi immolabant Pascha, quo primum in Ægypto immolarunt; Exodi 12. atqui in Ægypto illud immolarunt ineunte Luna 14. ad priorem ejus vesperam, quæ finis erat Lunæ 13. Namque immolarunt antequam egrederentur de Ramesse, Exodi 12. atqui de Ramasse egressi sunt nocte post Solis occasum, inchoante Luna 15. ergo non potuerunt eadem nocte Pascha celebrare; igitur nocte præcedente, quæ initium erat Lunæ 14. & finis 13. illud celebrarunt. Judæos autem de nocte egressos esse de Ægypto expressè notatur Exodi 12. v. 42. *Nox ista observabilis est Domini, quando eduxit eos de terra Ægypti.* Et quidem initio noctis egressos constat ex cap. 16. Deuteron. v. 6. *Immolabis Phase vespere ad solis occasum, quando egressus es de Ægypto.* Initium verò illud noctis fuisse initium Lunæ 15. patet ex cap 33. v. 3. Numerorum: *Profecti de Ramesse in mense primo, 15. die mensis primi, altera die Phase, filii Israel in manu excelsa, videntibus cunctis Ægyptiis & sepelientibus primogenitos quos percusserat Dominus*, ubi dicuntur Israelitæ egressi 15. die, altera die post celebratum Phase seu Pascha. Igitur pridie hujus egressus, qui contigit nocte Lunæ 15. incipientis, fuerat celebratum, id est Luna 14. ineunte.

Confirmatur 1. ex Josepho L. 2. Antiquit. c. 5. ubi agens de ipsa immolatione agni paschalis quæ primùm facta est in Ægypto, sic loquitur: *Illucescente autem 14. die omnes ad iter animati sacrificabant.* Atqui dicitur dies illucescere, quando primum incipit: decima quarta autem dies incipiebat apud Hebræos à prima vespera: unde alia Versio habet, *appetente autem 14. die &c.* quod idem est ac si diceret, Cùm autem instaret dies 14.

Confirmatur 2. ex variis circumstantiis narrationis sacræ, ex quibus videtur certò posse colligi, non potuisse Hebræos ea ipsa nocte de Ægypto egredi, qua manducarunt Pascha. Cùm igitur certum sit eos egressos esse sub initium noctis Lunæ 15. inchoantis, necesse est eos Pascha manducasse ad primam vesperam Lunæ 14. Circumstantiæ autem illæ sunt. 1. quia nocte illa qua comederunt Pascha, prohibiti sunt egredi è domibus suis usque manè, Exodi 12. v. 22. 2. Primogeniti Ægyptiorum interfecti sunt versùs mediam noctem, post manducatum agnum paschalem: neque statim egressi sunt Israelitæ, sed postquam clades illa Pharaoni innotuisset; postquam ipse Pharao vocato Moyse jussit omnes Hebræos ex finibus Ægypti sine mora secedere: istud autem vix fieri potuit intra spatium paucarum horarum. 3. Postquam agnum manducassent Israelitæ, mutuati sunt ab Ægyptiis vasa aurea & argentea: at istud quomodo fieri potuit nocturno tempore, & post mediam noctem? 4. Denique, priusquam discederent, omnes simul ex diversis locis in quibus sparsi erant, congregandi fuere unum in locum qui dicebatur Ramesse, ut inde simul exirent: at quomodo id fieri potuit intra noctis residuum?

Resp. nego min. Ad probationem ejus ex Scriptura, dico duplicem distingui debere egressum Israelitarum ex Ægypto: unum quasi confusum & præcipitem; qui turmatim fieri cœpit nocte jam ad finem vergente, nimirum circa crepusculum matutinum, quando Ægyptii moræ impatientes, utpote tot plagis, ac præsertim subita primogenitorum internecione, territi, urgebant populum de terra exire velociter, dicentes, *Omnes moriemur.* Alterum ordinatum & per modum exercitus, qui factus est, non tantùm illucescente, sed etiam plena die: atque ita facilè conciliantur citata Scripturæ testimonia.

Cum enim Exodi 12. & Deuter. 16. dicuntur de nocte exivisse, intelligi debet de primo egressu, quando omnes collecti sunt & congregati in Ramesse: quando verò dicuntur egressi videntibus Ægyptiis, & sepelientibus mortuos suos, Numer. 33. intelligi debet de secundo egressu, qui versùs meridiem factus est ex Ramesse ubi congregati fuerant. Unde respectu prioris egressus, dici possunt Hebræi de nocte egressi; respectu verò posterioris, ad vesperam, Sole jam ad occasum inclinante.

Ad c. 16. Deut. ubi dicitur, *Immolabis Phase vespere ad Solis occasum, quando egressus es de Ægypto*, respondeo adverbium illud, *quando*, latitudinem quamdam habere, neque determinatè designare eandem horam, sed noctem liberationis de Ægypto, quæ à vespertino tempore & Solis occasu recto incipiebat.

Ad caput 33. Numer. ubi dicuntur Israelitæ egressi alteram à die Phase, etsi revera utrumque eadem in nocte contigerit: quia scilicet nox illa duas partes habebat, quarum prior pertinebat ad diem naturalem decimum quartum, altera ad diem decimum quintum. Cum igitur celebritas Paschatis facta sit in priori parte noctis, & exitus in altera parte, meritò dici potest exitus contigisse altera die à Phase, loquendo de die naturali.

Ad priam confirmationem ex Josepho, dico accuratam non esse latinam versionem: in Autographo enim græco habetur ἐνστάσης, verbum præteriti temporis, & sic reddi debet, *Ubi venit Luna decima quarta, Hebræi ex præcepto Legis immolarunt &c.* qua lectione posita ruit Objectio.

Ad secundam confirmationem.

Dico ad primam circumstantiam, idcirco prohibitos fuisse Judæos egredi de domo sua, ne fortè in Angelum percussorem inciderent: unde cum magno Ægyptiorum clamore Israelitis innotuit, completam esse stragem primogenitorum, tunc licitum eis fuit è domo egredi.

Ad secundam, dico hæc omnia fieri potuisse ab hominibus territis & omnia maturantibus, præsertim cùm hæc agerentur inter homines non procul habitantes.

Ad tertiam, Ægyptii tantò promptiùs & faciliùs commodarunt Hebræis vasa aurea & argentea, quantò magis urgebat acceptæ cladis acerbitas, & metus gravioris. Vel dici potest, ante noctem Israelitas mutuatos fuisse vasa illa; quod Scriptura narrat contigisse post factam stragem, per figuram non infrequentem, qua quæ priùs gesta sunt, posterius narrantur.

Ad quartam, dico hanc populi congregationem factam fuisse summo manè; deinde verò urgentibus Ægyptiis, omnes turmatim & sine ordine venisse Ramesse, unde ante Solis occasum ex ordine egressi sunt.

Objicies 2. contra eandem Conclusionis partem. Si Christus Pascha suum celebravit ad secundam vesperam

tam

ram Lunæ decimæ quartæ, sequitur eum cruci affixum fuisse ac mortuum Luna decima quinta, quæ prima erat azymorum maximè solemnis ac festiva: atqui id dici non potest: tùm quia expressè Judæi apud S. Matthæum c. 26, v. 5. ajunt, *Non in die festo, ne fortè tumultus fieret in populo.* Et Joan. 18. *Nobis non licet* [ajunt Judæi] *quempiam interficere*, nempe ob diem festum. Tum quia paschalis festi obstabat religio, quæ vetabat ea fieri, quæ tamen facta supponi debent die festo, v. g. Christi captura, judicium, damnatio, crucifixio, sepultura, syndonis & aromatum emptio tum à Josepho ab Arimathea, tum à piis mulieribus facta. Hinc est quod verba ista Christi ad Judam, Joan. 13. v. 27. *Quod facis, fac citiùs.* Apostoli sic interpretati sunt, quasi jussisset Christus Judæ ut emeret necessaria ad celebrationem Paschatis, quod die festo non licebat fieri.

Resp. nego min. Ad primam probationem dico cum S. Chrysostomo Hom. 80. in Matth. eos qui tale consilium suggesserunt, non religionis studio motos fuisse, quasi nempe existimaverint id esse contra solemnitatem festi, sed proprio commodo, ne fortè, inquiebant, *tumultus fieret in populo*; ut nempe rebus suis cum majori securitate prospicerent: quamquam non prævaluit istud nonnullorum consilium apud cæteros Judæos, qui data opportunitate proditoris Judæ utendum esse existimarunt.

Ad secundam, revera Judæi significarunt Pilato se non posse (propter festi celebritatem) quemquam occidere, unde ab ipso postularunt ut ferret sententiam capitis in Christum, quæ revera per ejus milites executioni demandata est: verùm pietatis ac religionis parum studiosi fuere Judæi, cujus jura omnia & leges violarunt in procuranda Christi morte, rati se obsequium præstare Deo, si hominem blasphemum, &c, ut ipsi calumniabantur, Legis destructorem morti tradendum curarent. 2. potuisse Judæos, etiam in die festo, judicium exercere ac punire, præsertim ubi de violata Religione agebatur, non obscurè colligi potest ex c. 15. Numer. ubi cum die Sabbati deprehensus quidem fuisset colligens ligna, conjectus est in carcerem, unde eductus, jubente Domino per Moysen, lapidatus est. 3. Diebus festis licitum erat reum aliquem liberare ac dimittere, ut significant Evangelistæ; quidni & judicium dicere? Quamquam & contra leges omnes perturbatè & præposterè omnia acta sunt in judicio adversùs Christum lato.

Ad tertiam, dico mortuorum sepulturam non servile opus est, sed charitatis ac pietatis. Porrò pietatis opera diebus festis non fuisse prohibita certum est; unde si infans die sabbati nasceretur, die octava sabbati circumcidebatur; & Christus Matth. 12. arguit Judæos, quòd dicerent non licere sabbatis curare; & Tobias cap. 2. dicitur in die festo corpus cujusdam Israëlitæ jugulati sepelisse. Deinde speciatim cautum erat Deuter. 12. v. 23. ut cadaver ejus qui in patibulo fuerat appensus, eadem die deponeretur & sepeliretur.

Præterea, de mulieribus illis piis quæ emerunt aromata, dici potest, eas non ipso die festo, quo Christus crucifixus est, sed die sequenti summo manè, finita jam sabbati solemnitate, emisse illa aromata. Namque Marci ultimo dicitur: *Et cum transisset Sabbatum, Maria Magdalene, & Maria Jacobi & Salome emerunt aromata ut ungerent Jesum.* Pariter non immeritò Apostoli existimarunt Christum his verbis, *Quod facis, fac citiùs*, Judæ præcepisse ut emeret necessaria ad diem festum: namque Lex prohibebat omne opus servile fieri in prima azymorum die, sed non vetebat parari ea quæ ad victum erant necessaria, imò istud permittebat Exodi 12. v. 16.

Objicies 3. contra eandem Conclusionis partem: Apud Hebræos dies una tantum constabat vespera, ea scilicet quæ ipsius erat initium; secunda enim vespera ad diem sequentem pertinebat. Hoc sensu Gen. 1. v. 5. dicitur: *Factum est vespere & mane dies unus*, ergo cùm Christus Pascha celebrasse dicitur Luna decima quarta ad vesperam, intelligi debet prima vespera quæ finis erat Lunæ decimæ tertiæ.

Resp. nego ant. quod certè apertè pugnat cum Scriptura, si de die festo sermo sit qui celebrari debebat ab una vespera ad aliam, Levitici 23. v. 32. Citato igitur loco Geneseos, vespere sumitur pro fine diei, non pro initio; quis enim dixerit diem incipere à tenebris? Ita S. Ambrosius Lib. 1. Hexameron cap. 10.

Objicies denique, contra quartam & ultimam Conclusionis partem. Joan. 18 v. 28. dicitur, quod cum Jesus à Caipha in Prætorium adductus esset, Judæi *non introierunt in Prætorium, ut non contaminarentur, sed ut manducarent Pascha.* Ergo pridie non manducaverant; & consequenter alio die Christus, & alio Judæi Pascha celebrarunt.

Resp. per Pascha eo loci non intelligi præcisè agnum paschalem qui Luna decima quarta exeunte debebat manducari, sed victimas omnes quas ex ovibus, bobus, arietibus &c. per septem dies azymorum offerri oportebat, quæque ideo Phase seu Pascha vocantur, quia tempore paschalis celebritatis offerebantur: illarum porrò victimarum nemo fieri poterat particeps, nisi qui mundus esset & purus ab omni impuritate legali, Levit. 22. v. 3. *Omnis homo qui accesserit de stirpe vestra ad ea quæ consecrata sunt, & quæ obtulerunt filii Israel Domino, in quo est immunditia, peribit coram Domino.* Porrò tempore paschali debuisse Judæos victimas offerre, quæ idcirco Pascha vocantur, colligitur ex cap. 16. Deuter. v. 2. *Immolabis Phase Domino tuo, de ovibus & de bobus &c.* Et Paralipomenon c. 35. v. 8. *Dederunt Sacerdotibus ad faciendum Phase, pecora commixtim duo millia sexcenta, & boves trecentos.* Et v. 7. *Dedit Josias omni populo qui ibi fuerat inventus in solemnitate Phase, agnos & hædos de gregibus & reliqui pecoris triginta millia, boum quoque tria millia.*

Instabis. Parasceve alicujus diei hauddubiè diem illam antecedit; est quippe parasceve, præparatio in sequentem diem; atqui ex S. Joanne cap. 19. v. 14. dies qua Christus crucifixus est dicitur *parasceve Paschæ. Erat autem*, inquit, *parasceve Paschæ, hora quasi sexta.* Ergo dies qua Christus mortuus est antecessit Pascha Judæorum.

Resp. dist. min. erat parasceve Paschæ; id est parasceve occurrens in solemnitate paschali, concedo; id est parasceve diei Paschatis, nego. Ut intelligatur solutio.

Observabis 1. Pascha tribus modis usurpari. 1. strictiùs, pro solo die Paschatis quo immolandus erat agnus paschalis. 2. latiùs, pro sacrificiis quæ singulis diebus azymorum offerebantur, ut mox diximus. 3. pro ipsa solemnitate quæ per septem dies celebrabatur. Ita S. Chrysostomus Hom. 82. in Joannem.

Observabis 2. solam diem sabbati in Scripturis habere parasceven seu præparationem; cujus ratio est, quod die sabbati non tantum omne opus servile Judæis erat prohibitum, sed etiam præparatio eorum quæ ad victum erant necessaria: è contra die prima azymorum nihil quidem operis servilis facere licitum erat Judæis, sed tantum præparare ea quæ ad victum forent necessaria. Ita expressè Deus mandaverat Exodi 12. v. 16.

Ex quibus colligimus, per parasceven Paschæ apud S. Joan. intelligi non parasceven diei Paschatis qua immolandus erat agnus paschalis, sed parasceven seu præparationem sabbati sequentis, quæ dicitur parasceve Paschæ, quia occurrebat his diebus solemnitatis paschalis: quæ expositio non obscurè colligitur ex eodem cap. 19. S. Joannis v. 31. ubi loquens de eadem

die

die qua Christus crucifixus est, ait: *Judæi ergo* [*quoniam parasceve erat*] *ut non remanerent in cruce corpora Sabbato, (erat enim magnus ille dies Sabbati,) rogaverunt Pilatum &c.* & ex c. 15. S. Marci v. 42. *Erat parasceve, quod est ante Sabbatum.* Et Lucæ 23. v. 54. *Erat parasceves, & Sabbatum illucescebat.*

Objici hic solet judaica Traditio circa translationem festorum, ubi duo consequenter occurrebant; verùm figmentum esse ostendimus antea ad quartam Conclusionis partem.

Objici quoque solet auctoritas S. Chrysostomi Homil. 82. in Joan. & Hom. 80. in Matth. Verùm non diffitemur in ea fuisse opinione S. Doctorem, Judæos, aut saltem Judæorum Scribas, Principes, & Sacerdotes, cupiditate, ut ait, interficiendi Christum, prævaricatos fuisse, ac alia die de Pascha comedisse.

ARTICULUS II.

De ministro Eucharistiæ.

DUplex distinguitur Eucharistiæ minister: unus consecrationis, qui conficit; alter dispensationis, qui distribuit. De utroque hic agendum.

De ministro consecrationis & dispensationis Eucharistiæ. An soli Sacerdotes potestatem habeant consecrandi seu conficiendi Eucharistiam: an Diaconi jus illud aliquando usurpare tentaverint.

Errores & opiniones.

Circa primum, ætate sua conquerebatur Tertullianus Lib. de Præscriptionibus, omnem ab Hæreticis subversam esse disciplinam Ecclesiæ, ac penitus sublatam Ordinum ac functionum hierarchicarum distinctionem. *Ordinationes eorum*, inquit cap. 41. *temeraria, leves, inconstantes.... alius hodie Episcopus,*
P.117. C. *eras alius; hodie Diaconus, qui eras Lector: hodiè Presbyter, qui eras Laicus; nam & Laicis sacer sacerdotalia munia injungunt.*

II. S. Irenæus Lib. 1. adversùs hæreses cap. 9. loquens de præstigiis quæ in conficienda Eucharistia Marcus hæreticus, & magicæ imposturæ, ut ait cap. 8.
P.60.n.2 peritissimus, adhibebat, sic loquitur: *Mulieribus dat calices mixtas, ipsas gratias agere jubet, præsente se. Et ubi hoc factum est, ipse alium calicem multo majorem quàm est ille, in quo illa seducta Eucharistiam facit, proferens, & transfundens à minori qui est à muliere Eucharistia factus, in illum qui est ab ea allatus multò majorem, statim dicens ita &c.* Ex quibus colligitur, eò dementiæ proruppisse Marcum, à quo dicti Marcitæ, ut mulieribus potestatem faceret conficiendi Eucharistiam.

III. S. Epiphanius hæresi 49. quæ est Pepusianorum, & 79. quæ est Collyridianorum, observat apud illos Hæreticos mulieres Episcoporum ac Presbyterorum
T. 1. p. 1058. B. munia obire; ac postremos, nempe Collyridianos, panem offerre in Mariæ nomen.

IV. Valdenses cuilibet Laico, modò vir probus foret, Sacerdotis officium obire permittebant, referente Reinero Lib. contra Valdenses cap. 5. Dixi, *modò vir probus foret*; namque nullam illi existimabant Eucharistiam quam impius Sacerdos conficere tentaret, eodem teste Reinero.

V. Lutherus L. de Captivitate Babylonica cap. de Ordine, & L. de abroganda Missa, docuit Christianum quemlibet habere ex Baptismo potestatem consecrandi Eucharistiam; ita tamen ut nemo officium istud aggredi debeat, nisi qui legitimè vocatus sit, ut vitetur confusio, quæ maxima foret, si quilibet ministerium hoc sibi vellet arrogare.

Lutheri sententiam emolliunt recentiores Lutherani. Kemnitius imprimis secunda parte Examinis Concilii Tridentini innuere videtur, specialem Ecclesiæ ministris datam fuisse à Christo, his verbis, *Hoc facite*, potestatem conficiendi Eucharistiam.

Anno 1638. prodiit Amstelodami Dissertatio cujusdam Anonymi, in qua totus ille est ut ostendat omnibus Christianis ex æquo concessam fuisse à Christo potestatem consecrandi Eucharistiam: ea tamen lege, ut id assumere sibi non debeat Laicus, si vel nulla urgeat necessitas, vel præsens adsit Sacerdos; isto verò absente, ac premente periculo, non tantum hoc posse, sed & debere facere quemlibet Laicum, sicut ipsi licet eo in casu baptisare. Adversùs Annonymum stylum distrinxit doctissimus Petavius edita Diatriba de potestate consecrandi.

Circa secundum, nonnulli inter Theologos cum Morino Lib. 8. de Pœnit. cap. 14. ex antiquis Canonibus Conciliorum Laodiceni, Ancyrani, Arelatensis primi &c. colligunt olim Diaconos sibi arrogasse potestatem consecrandi seu conficiendi Eucharistiam. Nonnullæ mulieres, quas Synodus Parisiensis an. 829. L. 1. Can. 45. reprimit, aliquibus in locis eò temeritatis prorumperant, *ut mysteria corporis & sanguinis Christi populo distribuerent.* His præmissis, sit Tom. 7. Conc. p. 1626.

PRIMA CONCLUSIO.

Soli Sacerdotes potestatem habent consecrandi seu conficiendi Eucharistiam.

Probatur 1. ex Scriptura. Illi enim soli potestatem habent consecrandi Eucharistiam, quibus solis dixit Christus, postquam panem & calicem consecrasset, *Hoc facite in meam commemorationem.* Atqui solis Apostolis & in eorum persona Episcopis & Sacerdotibus hoc dixit Christus. Major certa est: non enim alia possunt assignari Scripturæ verba, quibus detur & potestas & præceptum conficiendi Eucharistiam. Minor non minus certa est; aliàs si verba hæc ad omnes Christianos directa fuissent, non tantum possent omnes, sed & tenerentur vi illorum verborum conficere Eucharistiam, continent enim & præceptum & potestatem: at ne illud quidem fateri audent adversarii, quod reipsa ab eorum praxi & disciplina alienum est; igitur ista verba, *Hoc facite*, solis Episcopis & Sacerdotibus dicta sunt.

Neque dicas S. Paulum 1. Corinth. 11. v. 24. ea verba restringere ad actionem manducandi & bibendi, quæ omnibus Christianis communis est. Namque non excludit Apostolus actionem conficiendi Eucharistiam, imò eam supponit; actio enim recipientis supponit actionem dantis & conficientis.

Probatur 2. ex constanti ac perpetua Ecclesiæ praxi & Traditione, cujus testes sunt.

S. Justinus Apolog. 2. ubi ait *eum qui fratribus, id* P. 97. D.
est Christianis, præest (nempe Episcopum vel Presbyterum) *rerum universarum Patri per nomen Filii & Spiritus sancti offerre Eucharistiam*, juxta mandatum quod Apostolis dedit Christus, cum accepto pane dixit,
Hoc facite in mei recordationem; Hoc est corpus meum. P. 217.

Tertullianus L. de Præscriptionibus cap. 41. ea maximè de causa Hæreticos perstringit, quod Laicis sacerdotalia munia concrederent. Et L. de Corona cap. 3.
testatur Eucharistiam *non sumi de aliorum manu, quàm præsidentium*; quantò minus ab aliis confici potuit? P. 102. A.

S. Cyprianus disputans adversùs Stephanum S. Pontificem, de Baptismo ab Hæreticis collato, probat eos nec Baptismum habere, nec Oleum sanctum, nec Eucharistiam, quia nec altare habent, nec Ecclesiam, nec Sacerdotes. Supponit igitur S. Doctor, solis Sacerdotibus concessam à Christo potestatem consecrandi Eucharistiam: quamquam in eo errabat S. Martyr, quod

extitit

existimaret, nullos esse posse apud Hæreticos Sacerdotes, nullum Sacramentum; de quo errore diximus in Tractatu de Sacramentis in genera. Lega Epist. 70, ad Januar. & 73. ad Jubajanum.

Et Epistola 4. commendat Presbyteris, qui in carceribus detentos Martyres invisunt, ibique in eorum gratiam sacra peragunt, ut caute, ac prudenter, singuli cum singulis Diaconis, non glomeratim id faciant, P. 21. *ne ex hoc ipso*, inquit, *invidia concitetur, & introeundi aditus denegetur*. Porro si existimasset S. Martyr, posse Christianum quemlibet, saltem in casu prementis necessitatis, Eucharistiam conficere, hic erat maxime locus & idonea occasio, nec necesse fuisset Sacerdotes, cum tanto capitis periculo, & Religionis ipsius detrimento, Martyres in carceribus detentos invisere, & Sacris in eorum gratiam, ibi operam dera.

S. Epiphanius non dissimili rationa motus Diaconum ordinavit in Presbyterum in Monasterio S, Hieronymi, ne multitudo *SS. fratrum*, inquit, *ibidem degentium sacris privarentur mysteriis, cum non haberent qui sibi divina Sacramenta conficerent.* Ita Epistola ad Joannem Hierosolymitanum Tom, 2. Operum S. Epiphanii p. 312.

S. Augustinus eadem ratione ductus Ep. 228, alias 180, ad Honoratum scribit, tempore belli ac calamitatis publicæ non debere Clericos commissum sibi po- *Tom. 2. p. 832. & seq.* pulum deserere. etsi vitæ periculum immineat; ne desint qui Sacramenta administrent, sine quibus non evitatur mors æterna.

S. Hieronymus scribens adversus Luciferianos, hoc argumento potissimum ostendit apud ipsos Ecclesiam non esse, quod Sacerdotes non habeant, qui corpus Christi conficiant, sed Diaconum dumtaxar. "Hilarius, *T. 4. p. 2. p. 302,* „*inquit*, com Diaconus de Ecclesia recesserit, solusque, „ut putat, turba sit mundi, neque Eucharistiam confi„cere potest, Episcopos & Presbyteros non habens." Et Epist, 101. alias 85. ad Evangelium, " Quis patiatur, *Ibid. p. 802.* „*inquit*, ut supra eos se tumidus Diaconus efferat, ad „quorum preces Christi corpus sanguisque conficitur?

Tempore Fulberti Carnotensis Episcopi, id est sæculo undecimo, nescio quis Diaconus Missam celebrare præsumpsit. Verum ille rem Ordini suo adeo illicitam sensit & indebitam, ut necesse habuerit se Presbyterum mentiri ac fingere, ut Epist. 36. ad Guldonem Bituricensem narrat dictus Fulbertus.

His adde Concilia.

Alexandrinum apud S. Athanasium Apolog. 2. diluens accusationem Arianorum adversus S. illum Doctorem de confracto ab illo, ut dicebant, calice, eo inter alia momento utitur, quod is, cujus custodiæ concreditus ferebatur prædictus calix, non esset Presbyter. Erat autem ille nomine Ischiras, qui cum à Collutho falso & ementito Episcopo fuisset ordinatus, verus non erat Presbyter; adeoque calicem, quem dicebat ab Athanasio apud se confractum, habera non potuit; *Tom. 1. p. 134. C.* „Quomodo, *inquiunt Patres*, homo privatus, in pri„vata domo habitans, poculum mysticum habere cre„datur?" Porro si Concilium istud judicat Ischiram non potuisse apud se habere calicem, quia ordinatus non fuerat Presbyter, quanto minus potuit ille sacra perficere mysteria?

Concilium Nicænum I. generale Can. 18. Diaconus, qui Presbyteris ipsis Eucharistiam dispensandi jus sibi arrogaverant; hac potissimum ratione comprimit, *Tom. 2. Conc. p. 43. D.* quod " nec regula, nec consuetudo tradidit, ut ab his qui „potestatem non habent offerendi, illi qui offerunt „Christi corpus accipiant.

Concilia Arelatense I, Ancyranum, Laodicenum, aliaque nonnulla priscæ ætatis prohibent Diaconis, ne offerre præsumant, & nonnullorum inter eos ea de causa temeritatem comprimunt;' ergo in eorum saltem opinione qui per verbum *offerre*, intelligunt *consecrare*, colligitur, hanc tunc viguisse fidem, nullis aliis fas esse conficere Eucharistiam, quam Episcopis & Sacerdotibus.

Tom. 11. Conc. p. 143. C. Concilium Lateranense sub Innocentio III, " Hoc „itaque Sacramentum, *inquit*, nemo potest conficere, „nisi Sacerdos qui rite fuerit ordinatus secundum claves „Ecclesiæ quas ipse concessit Apostolis eorumque suc„cessoribus Jesus Christus.

Tom. 13. Conc. p. 537 D. Concilium Florentinum in Decreto, " Sacerdos, „*inquit*, in persona Christi loquens hoc conficit sacra„mentum.

Denique Conc. Trid, Sess. 22. c. 1, postquam dixit, Christum corpus & sanguinem suum sub speciebus panis & vini Patri obtulisse, sic pergit: " sub *Tom. 14. Conc. p. 853. A.* „earum rerum symbolis, Apostolis, quos tunc novi „Testamenti Sacerdotes constituebat, ut sumerent tra„didit, & eisdem eorumque in Sacerdotio successori„bus, ut offerent præcepit per hæc verba, Hoc facite in „meam commemorationem, *Et Can. 2.* Si quis dixerit, *Ibid p. 855. C.* „illis verbis, Hoc facite in meam commemorationem, „Christum non instituisse Apostolos Sacerdotes, aut non „ordinasse ut ipsi aliique Sacerdotes offerrent corpus & „sanguinem suum; anathema sit,

Nonnullas hic rationes subjiciunt Theologi post S. Thomam, sed non alia verior potest afferri, quam Christi voluntas, qui solis Sacerdotibus jus & potestatem fecit nomine suo ac in sua persona Eucharistiam conficiendi; quippe, variis Hierarchiæ gradibus in Ecclesia sua constitutis, unumquemque intra suum continere se debere mandavit,

SECUNDA CONCLUSIO.

Minister ordinarius dispensationis Eucharistiæ est Episcopus & Presbyter; extraordinarius vero & ex licentia, Diaconus. Ex antiquis vero Conciliorum Arelatensis, Ancyrani & Laodiceni Canonibus inferri certo non potest, Diaconos olim arrogasse sibi potestatem consecrandi corpus Christi,

Primo, extra controversiam est, Episcopos & Presbyteros qui Eucharistiam soli proprio jure conficiunt, eam quoque dispensandi facultatem habere. *Hoc fa-* *Tom. 14. Conc. p. 807. E.* *cite in meam commemorationem*. Unde Conc. Trid, Sess. 13. c. 8. ait, " semper in Ecclesia Dei hunc mo„rem fuisse, tanquam ex Traditione Apostolica descen„dentê, ut Laici Eucharistiam à Sacerdotibus acciperent.

Secundo, Diaconos eam olim dispensasse constat ax S. Justino Apol. 2. ex S. Cypriano Tract. de lapsis, ubi ait, Diaconum calicem præsentibus offerre, id est porrigere, propinare. Idem testatur S. Augustinus de S. Laurentio Serm. 37. de diversis: atque in Ordine Romano tanquam munus & officium Diaconorum, dispensatio illa recensetur. Unde Conc. Aquisgranense an, 816. c. 7. sic loquitur, " sicut in Sacerdote conse- *Tom. 7. Conc. p. 1316. B.* „cratio, ita in ministro dispensatio Sacramenti est. Ille „oblata sanctificat, hic sanctificata dispensat.

Non tamen jure sibi proprio ac ordinario corpus Christi distribuebant Diaconi, sed ex licentia Episcoporum vel Presbyterorum. *Diaconus*, ait Conc, carthag. IV. Can. 38. " præsente Presbytero Eucharistiam cor- *Tom. 2. Conc. p. 1205.* „poris Christi populo, si necessitas cogat, jussus eroget." Et Gelasilus I. S. P. in Epistola & Episcopos Lucaniæ, „Diaconi, *ait*, sacri corporis Christi prærogationem sub „conspectu Pontificis seu Presbyteri, nisi his absentibus, „jus non habent exercendi." Denique Concilium Arelatense I. Can. 15. sic decernit, " In secretario Diaconi *Tom. 4. Conc. p. 1190.* „inter Presbyteros sedera non liceat, vel corpus Christi „præsente Presbytero tradere non præsumat." Atque inde factum est, ut quoties Diaconi jus dispensandi Eucharistiam, quasi proprium ac debitum arrogare sibi vo- *Ibid. p. 1013.* luerunt, strenue repressi sunt & in ordinem redacti. Non amplius viget apud nos usus antiquus, ut Diaconi, saltê ex dispensatione ac licentia, Eucharistiam distribuant.

Tertio, ex antiquis Conciliorum Arelatensis, Ancyrani & Laodiceni Canonibus certo inferri non posse, Diaconos olim assumpsisse sibi potestatem consecrandi corpus Christi.

Probatur illos Canones referendo & exponendo.

Concilium Arelatense I. an. 314. Can. 15. sic statuit,
Tom. 1. Conc. p. 1420. E. „De Diaconibus, quos cognovimus multis locis offerre, „placuit minime fieri debere.

Concilii Ancyrani an. 314. Canon secundus talis est: „Diaconos similiter qui sacrificarunt, postea autem resurrexerunt,
Ibid. p. 1455. D. „luctati sunt, alium quidem honorem habere, ipsos autem ab omni sacerdotali ministerio cessare, & panem „vel calicem offerendi, vel prædicandi.

Concilii vero Laodiceni sub Sylvestro S. Pontifice,
Ibid. p. 1520. A. Canon 25. ita statuit: *Nec oportet ministros panem dare, vel calicem benedicere.* Atqui ex his Canonibus certo colligi non potest, Diaconos olim sibi arrogasse jus & potestatem consecrendi seu conficiendi Eucharistiam.

Non ex Arelatensi; quia verbum *offerre*, quod locum dubitandi dare posset, non semper significat *consecrare*, sed sæpissime *ministrare, porrigere, distribuere*; ita ut Canon citatus prohibeat Diaconis, non quidem consecrere seu conficere Eucharistiam, sed eam quasi proprio jure dispensare, distribuere, absque licentia, Episcopi vel Presbyteri Sacra facientis. Constat siquidem ex mox dictis, licitum non fuisse Diaconis, præsente Episcopo vel Presbytero, nisi de eorum licentia, Sacramentum Eucharistiæ dispensare. Nequidem cogente infirmitate, sine licentia Sacerdotis, licitum fuisse Diaconis Eucharistiam ministrare, colligimus ex Conciliis Elibertano & Carthaginensi IV. Can. 38.

Tom. 2. Conc. p. 1205 C. Porro novimus ex Concilio Nicæno generali I. an. 325. Can. 18. jam citato, nonnullos Diaconos hanc Ecclesiæ legem ac modestiæ fines prætergressos, arroganter ac superbe, non postulata prius ab Episcopis vel Presbyteris venia, jus sibi arrogasse dispensandi Eucha-
Ib. p. 43. C. D. ristiam, & alia nonnulla privilegia invadendi. "Pervenit, *inquiunt Patres Nicæni*, ad sanctum magnum „Concilium, quod in quibusdam locis & civitatibus, „Presbyteris gratiam sacræ communionis Diaconi porrigant, quod nec regula, nec consuetudo tradidit, ut ab „his qui potestatem non habent offerendi, illi qui offerunt, Christi corpus accipiant. Nec non & illud innotuit, quod quidam Diaconi ante Episcopos sacra oblata „contingant. Hæc igitur omnia resecentur, & in sua „Diaconi mensura permaneant, scientes quod Episcoporum quidem ministri sunt, inferiores autem Presbyteris habentur." Nulla eo in Canone mentio fit usurpatæ à Diaconis facultatis consecrandi corpus Christi, sed dispensandi tantum, & quidem Presbyteris ipsis: quam temeritatem comprimit Synodus Nicæna; & paucis ante annis compresserat Synodus Arelatensis prima, cum prohibet Diaconis ne offerent.

Et certe si verbo *offerre*, intellexisset Concilium ipsam Eucharistiæ consecrationem, verisimile non videtur, quod tam indulgenter ac remisse egisset cum ejusmodi Diaconis à quibus usurpatam illam contra omne jus auctoritatem cognoverat: neque satis esse duxisset simpliciter ac nude statuere *id fieri non debere*, sed nec fieri posse dixisset, atque plane nullum & irritum declarasset quod ab ipsis fuerat attentatum. Præterea Canone 18. Diaconibus urbicis, hoc est Romanis, permittit Synodus, accedente licentia Presbyterorum, quod Canone 15. simpliciter prohibuit. *De Diaconibus urbicis*,
Tom. 1. Conc. p. 1429. A. inquit, *ut non sibi tantum præsumant, sed honorem Presbyteris reservent, ut sine conscientia ipsorum nihil tale faciant.* At quis dixerit licitum esse, etiam accedente Presbyteri licentia, Diaconis urbicis, consecrare corpus Christi; igitur Canone 15. tantum prohibuit ne Diaconi sine jussu ac licentia Episcopi vel Presbyteri offerrent, id est Episcopo aut Presbytero Sacra facientibus vel porrigerent panem & vinum, ad consecrandum, vel ea jam consecrata Fidelibus distribuerent; utroque quippe sensu verbum *offerre* à Veteribus usurpatur.

Primo sensu Fideles omnes munera ex quibus Eucharistia consecrabatur ad altare olim deferentes, dicebantur offerre, & apud Græcos in Liturgiis, Diaconi ex altari propositionis panem consecrandum deferentes ad altare consecrationis, dicuntur offerre; eoque ipso sensu apud Latinos Diaconus subserviens & ministrans Episcopo vel Presbytero celebranti, dicitur ei panem & vinum offerre, id est porrigere, exhibere, præsentare. Sic Innocentius III. Lib. 1. mysteriorum Missæ c. 5. T. 1. p. 320.
ait *Diaconos prædicare Evangelium, mensam componere, offerre Eucharistiam*, de licentia scilicet Episcopi vel Presbyteri.

Posteriori sensu usurpatur à S. Cypriano Tractatu de lapsis, ubi ait *Diaconum calicem præsentibus offerre*, P. 175.
id est, porrigere, propinare; quod jam dixerat S. Justinus Apolog. 2. & dixit postea S. Augustinus Serm. 37. de diversis, de S. Laurentio; & in Ordine Romano notatur tantum munus & officium Diaconorum.

In Euchologio quidem Græcorum legimus Diaconos offerre particulas minoris, testibus Simeone Thessalonicense L. de Sacramentis, & Arcudio L. 3. Concordiæ cap. 17. Verum oblatio illa non est consecratoria, quæ soli Sacerdoti in eodem Euchologio reservatur, sed præparatoria duntaxat, ut ex serie contextus colligitur. Hanc tamen non nisi ex corruptela & abusu à Diaconis fuisse usurpatam, adeoque ex Rubricis expungendam esse, declarat ibidem Arcudius, & Simeon laudatus ait se usum hunc prohibuisse.

Non colligitur etiam ex Canone Ancyrano laudato: tum quia in pœnam criminis idololatriæ ab omni ministerio & officio sacro Diaconi suspenduntur; at quis credat interdictam ipsam ipsis facultatem consecrandi Eucharistiam, in punitionem criminis, quasi ipsamet usurpatio talis potestatis crimen non fuisset, & alia quidem graviori pœna castigandum, cum Diaconus, ut dicitur in Concilio Carthaginensi IV. c. 4. *non ad sacerdotium, sed ad ministerium consecretur*? Tum quia in Tom. 2. Conc. p.
eodem Canone Ancyrano Patres Episcopis potestatem 1200. A.
faciunt restituendi eos Diaconos gradui suo, honori et functionibus, si dignos pœnitentiæ fructus in illis deprehenderint; at nemo dixerit, potuisse Episcopos, non collato prius sacerdotii Ordine, conferre Diaconis facultatem consecrandi Eucharistiam; igitur citato Canone suspenduntur Diaconi à suis functionibus in pœnam criminis idololatriæ, & prohibentur tum Episcopis vel Presbyteris celebrantibus panem offerre, id est porrigere, ministrare, exhibere; tum etiam Fidelibus eundem consecratum panem dispensare & distribuere.

Non colligitur denique ex Canone Laodiceno: tum quia non de Diaconis, sed Subdiaconis agit: tum quia duo tantum officia seu ministeria illis interdicit, nempe offerre panem, & calicem benedicere; illa porro oblatio panis consecratoria non erat, sed ministerialis tantum, per quam Sacerdoti consecranti panis porrigitur seu exhibetur & datur. Pariter calicis benedictio consecratoria non erat, sed pure ceremonialis, quæ impresso signo crucis fieri solebat; nempe Diaconi apud Græcos tum initio Liturgiæ in calicem cum vino frigidam aquam, tum post consecrationem calidam, è cochleari instillant in modum crucis: hæc autem crucis signatio & benedictio citato Canone Laodiceno prohibetur Subdiaconis, qui in jura Diaconorum involantes hanc usurpaverant & sibi arrogaverant. Idem crucis signum Archidiaconus, inquit Ordo Romanus, facit, infundens aquam in calicem.

Solvun-

Solvuntur Objectiones.

Objicies 1. contra primam Conclusionem. 1. Petri 2. v. 9. *Vos autem*, inquit Apostolus alloquens omnes Fideles, *genus electum*, *regale Sacerdotium*. Et S. Joannes Apocalypseos 1. v. 6. *Fecit nos regnum, & Sacerdotes Deo Patri suo*. Ergo &c.

Resp. dist. ant. Omnes Fideles sunt Sacerdotes, sacerdotio improprie & metaphorice sumpto, ratione hostiæ spiritualis quam Deo offerunt per preces ac bona pietatis opera, concedo: sacerdotio vero & proprie sumpto, ratione ordinationis & potestatis consecrandi Eucharistiam, nego. Seipsum exponit S. Petrus citato cap. 15. *Ipsi*, inquit, *tanquam lapides vivi super ædificamini, domus spiritualis, Sacerdotium sanctum offerre spirituales hostias, acceptabiles Deo per Jesum*. Illæ autem spirituales hostiæ, sunt opera virtutis & pietatis, quæ ad Deum, tanquam ad supremum rerum omnium auctorem à quo descendit quidquid sanctum rectumque est, referuntur. Et vero Christiani, juxta S. Petrum, eodem modo sunt Sacerdotes, quo domus spiritualis, & reges: sed eos per metaphoram ac figuram sic appellari, quis non videat? Domus sunt spiritualis, quia ad unam familiam, cujus caput est Christus, pertinent, mutuoque inter se fidei charitatis vinculo debent colligari: sunt reges, quia suis affectibus dominari, seque à rerum terrenarum servitute liberare & expedire tenentur. Pariter sunt Sacerdotes, tum quia, juxta S. Aug. in Psal. 94. *anima nostra est ara Dei*; & sacrificium, sunt orationes quas ad Deum fundimus. Tum quia, ut idem docet

Tom. 4. p. 1626. L. 20. de Civ. Dei c. 10. *omnes Christiani sunt membra unius Sacerdotis summi, nempe Christi*. Proprie

Tom. 7. p. 588. E. tamen loquendo *soli Episcopi & Presbyteri in Ecclesia vocantur & sunt Sacerdotes*, ait ibidem S. Doctor. Eadem est solutio ad textum Apocalypsis.

Instabis: Hæc verba Christi, *Hoc facite in meam commemorationem*, dicta sunt toti Ecclesiæ in persona Apostolorum; ergo &c.

Resp. dicta quidem esse toti Ecclesiæ, sed per certas personas executioni demandanda, per Episcopos scilicet & Presbyteros. Ita fere S. Augustinus L. 3. de doctrina christiana c. 17.

Tertullianus. Objicies 2. auctoritatem Tertulliani ex Libro de exhortatione castitatis c. 7. qui, ut animum à secundis nuptiis deterreat, monogamiæ necessitatem eo præsertim demonstrat argumento, quod cum licitum non sit Sacerdotibus secundas habere uxores, atque omnes Christiani sint in casu necessitatis veri Sacerdotes, ad secundas

P. 522, A. nuptias convolare ipsis non permittitur. "Inde igitur „apud nos plenius atque instructius prælescribitur, *ait*, „unius matrimonii esse oportere qui adleguntur in or„dinem sacerdotalem. Usque adeo quosdam memini „digamos loco dejectos. Sed dices: Ergo cæteris licet, „quos excipit. Vani erimus, si putaverimus quod Sa„cerdotibus non liceat, laicis licere. Nonne & laici Sacer„dotes sumus? Scriptum est, Regnum quoque nos „fecit, & Sacerdotes Deo & Patri suo fecit. Differentiam „inter Ordinem & plebem constituit Ecclesiæ auctori„tas, & honor per Ordinis consessum sanctificatus à „Deo. Ubi ecclesiastici Ordinis non est consessus, & „offers, & tinguis, & Sacerdos es tibi solus, sed ubi tres, „Ecclesia est, licet laici: unusquisque enim sua fide vi„vit, nec est personarum acceptio apud Deum ..... Igi„tur si habes jus Sacerdotis in temetipso ubi necesse est, „habeas oportet etiam disciplinam Sacerdotis, ubi ne„cesse sit habere. Digamus tinguis? Digamus offers? „Quanto magis laico digamo capitale est agere pro Sa„cerdote, cum ipsi Sacerdoti digamo facto auferatur „agere Sacerdotem? Sed necessitati, inquis, indul„getur. Nulla necessitas excusatur, quæ potest „non esse. Noli denique digamus deprehendi, & „non committis in necessitatem administrandi quod „non licet digamo." Hactenus Tertullianus.

Verba illa jus Sacerdotis redundare & superflua esse probat Hallerius De sacris electionibus & ordinationibus p. 15. ex antiquo codice manuscripto.

Ex quo testimonio sic arguitur: Tertullianus existimat omnes Christianos lege monogamiæ teneri, qua tenentur Sacerdotes; ergo existimat omnes Christianos veros esse Sacerdotes.

Missa eorum responsione qui Tertulliani auctoritatem hic rejiciunt, quod existiment eum ad hæresim Montani jam defecisse, cum Librum ex quo ducitur Objectio, scripsit: incertum enim illud plane est, imo conjicere possumus eum adhuc juvenem & ante suam ab Ecclesia defectionem huic Opusculo operam dedisse, in quo se laicum designat. *Et nos*, inquit, *laici Sacerdotes sumus*. Quin & ipse S. Hieronymus L. 1. adversus Jovinianum, ait *Tertullianus adhuc adolescentem lusisse in hac materia*. Missa, inquam, hac responsione.

Tom. 4. p. 2. pag. 157.

Resp. dist. maj. ille existimat omnes Christianos esse Sacerdotes, improprie & aliqua ratione, tum propter spirituales hostias quas offerunt Deo, tum propter capacitatem quæ in ipsis est ut in Sacerdotes eligantur & consecrentur, concedo: esse sacerdotes proprie & stricte, propter inditam ipsis facultatem consecrandi Eucharistiam, cæterasque veri Sacerdotii functiones obeundi, nego, Concedo minorem, & distinguo consequens ad sensum majoris.

Itaque in ea mente revera fuit Tertullianus, omnes scilicet Christianos lege monogamiæ teneri duabus de causis: 1. quia sunt Sacerdotes. 2. quia in veros Sacerdotes eligi & consecrari possunt.

I. Sacerdotes appellat omnes Christianos, latiori quodam sensu, nempe propter spirituale sacerdotium quo spiritualis hostia ex fide & pietate Deo in orationibus ac charitatis operibus offerunt. Seipsum non obscure exponit Tertullianus loco citato, cum insinuat sacerdotium de quo loquitur, per fidem exerceri: „Unusquisque, *inquit*, ex sua fide vivit, nec est perso„narum acceptio apud Deum:" cum vero addit, tale esse sacerdotium illud, quale regnum, tam stupidus non fuit ut existimaverit Christianos omnes veros esse reges. Præterea in aliis suis Operibus exponit quale sit illud spirituale sacerdotium, & in quo positum sit. Libro ad Scapulam c. 2. *Sacrificamus*, inquit, *pro salute Imperatoris, sed Deo nostro & ipsius; sed quomodo præcepit Deus, pura prece*. Et Lib. 4. contra Marcionem c. 1. sic loquitur: "In omni loco sacrificium „nomini meo offertur, & sacrificium mundum, scilicet „simplex oratio de conscientia pura." Cum igitur scribit omnes Christianos esse Sacerdotes, nomen Sacerdotis in latiori significatione usurpat, pro eo scilicet qui orationes ac pietatis opera Deo tanquam victimas spirituales offert.

P. 69. C.

P. 424. A

II. omnes Christianos vocat Sacerdotes, remote scilicet, initiative & dispositive, quia veri sacerdotes ex Christianis eliguntur, assumuntur, & consecrantur: unde concludit, illos in se exprimere debere conditiones omnes in Sacerdotibus requisitas, & consequenter lege monogamiæ teneri. Seipsum ita exponit capite laudato Libri de exhortatione castitatis: „Omnes, *inquit*, nos „Deus ita vult dispositos esse, ut ubique Sacramentis „ejus obeundis apti simus .... Usque adeo nisi & laici ea „observent, per quæ Presbyteri adleguntur, quomodo „erunt Presbyteri, qui de laicis adleguntur?" Ex quo tantum abest ut colligi possit existimasse Tertullianum omnes Christianos esse Sacerdotes, quin potius oppositum eruitur: vult enim ex Christianis assumi & consecrari sacerdotes; ergo supponit illos omnes veros non esse & proprie dictos Sacerdotes ante electionem & consecrationem. Idem ratiocinium post Tertullianum usurpavit S. Hieronymus Ep. 91. alias 11. ad Ageruchiam. "Et nos, *inquit*, putamus Sacerdotum hoc tan„tum esse privilegium, ut non admittatur ad altare, nisi „qui unam habuerit uxorem .... quamquam lege sacer„dotali tenetur & Laicus, qui talem præbere se debet, ut possit

P. 522. B.

T. 4. p. 1. p. 745.

„ut possit eligi in Sacerdotium. Non enim eligitur, si „digamus fuerit. Porrò eliguntur ex laicis Sacerdotes. „Ergo & Laicus tenetur mandato per quod ad sacerdotium pervenitur.

Instabis 1. Tertullianus omnes Christianos subjicit legi monogamiæ, cui soli subjiciebantur veri Sacerdotes; ergo existimat omnes Christianos esse Sacerdotes veros & propriè dictos.

Resp. nego conseq. Imò potius sequitur non existimasse Tertullianum omnes Christianos esse veros Sacerdotes: quid enim necesse fuisset ut eos legi monogamiæ subjiceret, cui ex lege Ecclesiæ jam subjecti erant omnes veri Sacerdotes? In ea igitur opinione fuit Tertullianus, secundas nuptias Fidelibus omnibus prohibendas esse, nempe ut singuli idoneos se redderent, qui in veros Sacerdotes eligi possent.

Instabis 2. Tertullianus loco citato contendit omnes Christianos in casu necessitatis esse Sacerdotes, ac Sacerdotum munia speciali quadam ratione exercere, nempe tingere; offerre &c. atqui non potest istud intelligi de sacerdotio spirituali, improprio & latiori sensu usurpato, in quocunque enim statu, etiam non urgente necessitate, sacerdotium istud spirituale, quod in orationibus & bonis operibus positum est, possunt & tenentur exercere; ergo saltem premente necessitate Christianos omnes veros esse ac propriè dictos Sacerdotes, qui baptisant, & offerunt, idest Eucharistiam consecrant, existimavit Tertullianus.

Resp. dist. maj. contendit omnes Christianos in casu necessitatis speciali quadam ratione esse Sacerdotes, ratione scilicet effectus spiritualis gratiæ qui per ministerium Sacerdotum solet obtineri, & qui in casu necessitatis, sine tali ministerio datur, concedo: ratione ministerii seu actionis exterioris, subdistinguo, alicujus, concedo; omnis, imprimis verò illius quæ consecrativa est corporis & sanguinis Christi, nego. Explico.

I. Juxta ordinem à Christo institutum gratia nonnisi per Sacramenta, tanquam instrumenta efficacia, hac in vita nobis ordinariè conceditur; cùm tamen virtus Dei Sacramentis non sit alligata, quando premit necessitas, neque potest homo fieri Sacramentorum particeps, eo in statu, gratiam, quam ministerio Sacerdotum per Sacramenta solet dispensari, per fidem, perfectam charitatem, aliaque virtutum opera, sibi quisque applicat & conciliat, atque solus sibi veluti Sacerdos est. Ratione igitur hujus effectus, vult Tertullianus in casu necessitatis speciali quadam ratione Christianos esse Sacerdotes.

II. Ratione etiam ministerii, seu actionis exterioris, non quidem cujuslibet, sed alicujus, vult idem Auctor titulo quodam singulari Christianos omnes esse Sacerdotes in casu necessitatis; nempe 1. ratione Baptismi, quem Christianus quilibet potest, non sibi quidem, sed alteri urgente necessitate conferre, atque ad hoc minister & quasi Sacerdos est à Deo institutus. 2. ratione oblationis, quæ vel de Eucharistia potest intelligi, vel de aliis rebus, quas Fideles ex pietate Deo offerebant ad altare per Sacerdotes singulari benedictione sanctificandas. Si de his postremis, rectè intelligimus quo sensu voluerit Tertullianus Christianum quemlibet in casu necessitatis, quando nullus adest Sacerdos, posse vice Sacerdotis res illas offerre Deo: de illis oblationibus loquitur idem Auctor Libro citato de exhortatione castitatis c. 11. cum ait, maritum pro de-
P.513.D. functa uxore quotannis *oblationes annuas reddere; & per Sacerdotem de monogamia ordinatum Deo commendare.* In illis autem rebus quæ offerebantur Deo, requirebatur sacerdotum ministerium: sed si præ necessitate nullus adesset, contendit Auctor eo in casu posse Christianum quemlibet ministerium illud implere, & esse Sacerdotem, non quidem propriè & verè, sed quantùm necesse est, ac sufficit ad illas oblationes faciendas, quæ ex natura sua non postulant vere & propriè dicti sacerdotis ministerium, sed à quocumque Christiano animo fidei & pietatis fieri possunt, & Deo acceptabiles sunt. Si verò oblatio illa, de qua Tertullianus, de Eucharistia intelligatur, adhuc sano & Catholico sensu dici potest à Christiano quolibet fieri, non quidem quatenus est consecrativa, quæ à solis Sacerdotibus potest perfici, sed distributiva, dispensativa, & quæ Deo præsentari, seu offerri potest. Nempe solebant primi Christiani, ut patet ex ante dictis, Eucharistiam persecutionis tempore sacram domum asportare, eamque ibi asservare opportuno tempore sumendam: quando igitur Christianus metu persecutionis domi detentus Christi corpus à Sacerdote jam consecratum offerebat Deo in sacrificium, quando illud propriis manibus contractabat, & ori ad manducandum admovebat, dici poterat offerre, & in eo Sacerdotem agere, quia Sacerdotis officium ac ministerium tunc adimplebat. Morem hunc respexisse videtur Tertullianus Lib. de Oratione c. ultimo, cùm ait; *Accepto corpore Domini & reservato, utrumque salvum est, & participatio sacrificii, & executio officii.* In ejusmodi autem oblatione & sacrificio peragendo, certum est Christianum quemlibet idoneum esse & aptum ministrum; neque necesse est ut verus sit ex ordinatione Sacerdos: sola quippe consecratio Eucharistiæ essentialiter pendet à potestate seu charactere ordinis sacerdotalis, non item distributio, aut sumptio quæ propriis fit manibus; quamquam, ut dictum est, in ea distributione ac sumptione quoddam Sacerdotis ministerium occur- P.156.A.
rit, unde Christiani Sacerdotes à Tertulliano dicuntur, non quidem proprii & veri, sed aliquo latiori sensu.

Instabis 3. Loco in Objectione citato Tertullianus disertè ait, inter plebem & clerum totum discrimen esse ab auctoritate Ecclesiæ, & honore consessus; ex quo concludit, ubi non adest ordo ille consessus, & ubi non est Ecclesia, seu plurium congregatio, nullum esse discrimen inter plebem & clerum, sed omnes Christianos indiscriminatim esse Sacerdotes.

Resp. dist. ant. totum discrimen inter plebem & clerum esse ab auctoritate Ecclesiæ, inchoatè, & inadæquatè, quatenus scilicet inter Laicos à Clero & populo eligebantur, qui erant in Sacerdotes cæterosque ministros consecrandi, concedo: completè & adæquatè, nego. Est enim præterea ipsa consecratio seu potestas Ordinis, seu, ut loquitur Auctor, *honor per ordinis consessum à Deo sanctificatus.* Vox ista siquidem *à Deo*, in textu Tertulliani, non una & simplex est, quasi foret particula *adeo*, sed, ut optimè notat Illustrissimus Albaspinæus L. 2. de Euch. c. 8. in duas separanda est, ita ut sensus sit, honorem ordinis sanctificati à Deo, nempe per consecrationem & potestatem quæ in Sacramento Ordinis confertur.

Instabis 4. Idem Tertullianus eodem loco ait, ibi esse veram Ecclesiam, ubi tres sunt, quamvis Laici: atqui Ecclesia non est sine vero Sacerdote; ergo existimat eo in casu Laicos vero esse Sacerdotes.

Resp. dist. maj. esse veram Ecclesiam, ratione fidei, charitatis, aliarumque virtutum, concedo: ratione ministerii & sacerdotii, iterum distinguo: ministerii alicujus, & sacerdotii proprio & stricto sensu sumpti, nego. Solutio patet ex mox dictis.

Objicies 3. historiam Frumentii laici, quam refert Theodoretus Lib. 1. Historiæ cap. 23. Is cùm esset in India, hortatus est mercatores qui eò commeabant, ut ex more institutoque Romanorum simul convenirent ad divina mysteria celebranda; ergo existimavit ille, posse Laicos, ubi nullus adest Sacerdos, divina celebrare mysteria.

Resp. 1. nego conseq. conjicere enim non immeritò possumus, inter illos extitisse aliquem Sacerdotem peregrinationis socium.

Resp.

Resp. 2. Historiam hanc ex Ruffino, à quo eam mutuati sunt Socrates, Theodoretus & alii, esse audiendam. Ille porrò L. 1. Hist. cap. 9. nullam planè facit mentionem Eucharistiæ, sed tantum orationum. *Admonuit*, inquit, nempe Frumentius *ut conventicula per loca singula facerent, ad quæ ritu Romano orationis causa confluerent.* Unde Sozomenus Lib. 2. c. 23. & Nicephorus Lib. 8. cap. 35. eandem narrantes historiam, solius meminerunt orationis. Cum igitur Theodoretus nomine συνάξεως usus est, intellexit sacrum conventum in quo preces ad Deum funduntur. Et certè Frumentius, ubi Alexandriam ex Indis rediit, postulavit à S. Athanasio Episcopum quem has in regiones mitteret: non alia certè de causa, quàm ut ibi Presbyteros ordinaret.

Objicies 4. S. Laurentius Diaconus Sixto S. Pontifici, cùm raperetur ad mortem, dicebat apud S. Ambro-
To. 2. p. 54. F. sium L. 1. de Officiis c. 41. *Quo Sacerdos sancte sine Diacono properas? Nunquam sacrificium sine ministro offerre consueveras. Quid ergo in me displicuit pater? Num degenerem probasti? Experire certe utrum idoneum ministrum elegeris, cui commisisti Dominici sanguinis consecrationem. Cui Sacramentorum consummandorum consortium, huic tui sanguinis consortium negas?* Igitur poterant Diaconi, ex commissione seu delegatione Sacerdotum, Christi sanguinem consecrare.

Resp. Missa solutione eorum qui non *consecrationem* legunt in textu, sed *dispensationem*; sano sensu dici posse, Diaconis commissi sanguinis Christi *consecrationem*: tum quia, inquit Card. Bona, Rerum Liturgi-
p. 266. carum L. 1. c. 25. n. 4. sanguinem Christi dispensabant, qui quidem nostra consecratio est ac sanctificatio, fons atque origo omnis sanctificationis: tum quia Diaconi ministerium suum Episcopo vel Presbytero Sacra facientibus exhibent. Utrumque hunc sensum indicant verba hæc citata, *cui commisisti Sacramentorum consummandorum consortium &c.* Consummantur quippe sacramenta, cum ritu præscripto perficiuntur & dispensantur.

Objicies 5. contra secundam Conclusionem: Diaconi jure suæ ordinationis ministri sunt dispensationis Eucharistiæ, & reipsa olim eam dispensabant, ut colligimus tùm ex S. Justino Apol. 2. tum ex S. Cypriano Tractatu de lapsis, ex Ordine Romano, aliisque multis: non videtur autem probabile, voluisse Concilia suo interdicto privare Diaconos ministerio illorum gradui seu ordinationi debito; igitur longè probabilius est, his Canonibus repressam fuisse nonnullorum Diaconorum audaciam, qui Eucharistiam consecrandi sibi jus arrogaverant.

Resp. Constat ex dictis ad secundam Conclusionem Diaconos jure ordinationis ac gradus sui facultatem non habuisse ordinariè dispensandi Eucharistiam, sed de licentia tantum Episcopi vel Presbyteri, unde iis præsentibus, non poterant neque baptisare, neque offerre, inquit Auctor Constitutionum Apostolicarum L. 8. c. 28. idest, dispensare seu distribuere Eucharistiam: unde
Tom. 1. Conc. p. 491. Tom. 14. Conc. p. 807. E. Concilium Tridentinum Sess. 13. cap. 8. ait *semper in Ecclesia Dei hunc morem, fuisse tanquam ex traditione Apostolica descendentem, ut Laici Eucharistiam à Sacerdotibus acciperent.* Cum autem nonnulli Diaconi, spreta Sacerdotum licentia, jus illud sibi arrogassent quasi debitum, compressi sunt, & intra limites sui Ordinis jussi se continere.

Instabis 1. Diaconibus olim ruri regendæ plebis concessa est cura, ut discimus ex S. Cypriano Epistola 11. Synodo Eliberitana cap. 77. ex Litteris Constantini ad Eusebium, quæ fuere encyclicæ, atque adeo ad Episcopos totius Orbis scriptæ, apud Eusebium Lib. 2. de vita Constantini c. 46. ex Concilio Toletano an. 587. Igitur improbabile non est, ejusmodi Diaconos aliquando potestatis suæ limites prætergressos, jus consecrand. Eucharistiam [quamquam irrito conatu] usurpasse.

Resp. nego consequens. Ea enim lege Diaconi plebem olim in suis Diaconiis regebant, ut Baptismi gratiam, ac pœnitendi copiam in necessitate dumtaxat positis impartirent; nam extra necessitatem, nefas; deinde, ut monitis suis commissas oves foverent, sicut loquitur S. Cyprianus Epistola 11. Oblationes verò Pag. 25.
eosdem à plebe exigere, vel consecrare ausos, nemo prodidit.

Instabis 3. S. Cyprianus Epistola 13. Diaconibus aliquando potestatem fecit, urgente necessitate, absolvendi à peccatis: quidni ergo hoc exemplo freti, nonnulli in ipsum jus consecrandi corpus Christi involaverint?

Resp. nego ant. cujus falsitatem jam ostendimus in Tractatu de Sacramento Pœnitentiæ.

Quæres 1. an Subdiaconi & alii inferiores Clerici possint Eucharistiam Fidelibus dispensare.

Resp. Ex mox dictis id ipsis licitum non esse; neque nonnulla in contrarium facta singularia opponenda, nisi velis etiam & Laicis id etiamnum licitum fore, exemplo Veterum, qui Eucharistiam ad absentes vel deferebant, ut constat exemplo Serapionis apud Eusebium, vel secum domum asportabant, ut eam sibi ipsis propriis manibus administrarent. Nihil simile jam patitur Ecclesiæ disciplina.

Quæres 2. ad quos Sacerdotes pertineat dispensatio Eucharistiæ.

Resp. 1. ad Pastores seu Curatos qui curam animarum habent, ac tenentur populo sibi commisso panem vitæ frangere. 2. ad eos qui ad Missam celebrandam admittuntur. Optat siquidem Trid. Synodus Sess. 22. c. 8. ut in singulis Missis, qui adstant Fideles Eucharistiæ fiant participes. 3. cum ex privilegio in nonnullis Oratoriis conservatur Eucharistia, ibidem Fidelibus distribui potest; in hunc enim finem præcipuè asservatur.

Quæres 3. possintne privilegiati Eucharistiam tanquam viaticum administrare.

Resp. Non posse, nisi fortè in extremo necessitatis casu, si nempe nullus adesset, vel nollet Sacerdos hoc officio defungi. Ratio est, quòd per Clementinam *Religiosi.* Ipsis sub pœna excommunicationis Summo Pontifici reservatæ prohibitum fuerit. Expressè quoque ipsis privilegiatis prohibitum est Eucharistiam ministrare die sancto Paschatis, sicut in eorum privilegiis observatur. Quapropter aut vera non est Bulla Nicolai V. qua exceptio hæc tollitur, aut saltem usu recepta non fuit & confirmata. Multi Episcopi prohibitionem hanc extendunt à Dominica Palmarum usque Dominicam in albis inclusivè; cui disciplinæ haud dubiè favet laudata contra Regulares Clementina *Religiosi*, quæ etiam obstare videtur ne privilegiati vagis viatoribus, ac peregrinis, qui nullam habent Parochiam certam fixam, tempore paschali Eucharistiam dispensent. Ratio est, quia eam illi Parochiam sortiuntur, ad quam veniunt cum Eucharistiam percipere tenentur: neque sanè, cùm morbo corripiuntur, ab alio, quàm à Parocho aut ejus Vicario & delegato, Viaticum & Extremam unctionem percipiunt.

ARTICULUS III.

De subjecto Eucharistiæ, ac dispositionibus in eo prærequisitis.

Concilium Tridentinum Sess. 13. c. 8. tres modos distinguit sumendi corpus & sanguinem Christi. *Quoad usum*, inquit, *rectè & sapienter Patres nostri* To. 14. Conc. p. 807.
tres rationes hoc Sacramentum accipiendi distinxerunt. Quosdam docuerunt sacramentaliter dumtaxat id sumere, ut peccatores: alios tantum spiritualiter,

illos nimirum, qui vero propositum illum panem cœlestem edentes, fide viva, quæ per dilectionem operatur, fructum ejus & utilitatem sentiunt; tertios porrò sacramentaliter simul & spiritualiter; hi autem sunt qui ita se prius probant & instruunt, ut vestem nuptialem induti ad divinam hanc mensam accedunt.

Quæstio hic movetur de perceptione reali & sacramentali, an scilicet homo quilibet capax sit percipiendæ Eucharistiæ. S. Justinus Apolog. 2 de Eucharistiæ
Pag. 97. subjecto sic generatim loquitur: *Alimentum hoc, ait, apud nos vocatur Eucharistia, quod nulli alii participare licitum est, quàm veram esse doctrinam nostram credenti, & lavacro propter remissionem peccatorum & regenerationem abluto, & ita ut Christus tradidit, viventi.* Verùm paulò enucleatius quæstio præsens ventilanda.

Quæres igitur I, an mortuis dari possit Eucharistia.

Resp. negativè. *Placuit*, inquit Conc. Carthaginen-
Tom. 2. p. Conc. p. 1168. A. se III. an. 397. c. 6. abusum damnans, *Placuit ut corporibus defunctorum Eucharistia non detur. Dictum est à Domino, Accipite & edite. Cadavera autem nec accipere possunt, nec edere. Cavendum est etiam ne mortuos baptisari posse fratrum infirmitas credat, cum Eucharistiam mortuis non dari animadverterit.* Eadem prohibitio in Gallia renovata est à Concilio Antisiodorensi
Tom. 5. Conc. p. 958. Tom. 6. Conc. p. 1177. anno 578. Can. 12. & in Oriente à Concilio Trullano Can. 83. Ad quem Canonem Zonaras & Balsamon observant, jam in aliquo tempore abusum hunc invaluisse, Eucharistiam simul cum defunctorum corporibus sepelire. Narrat Amphilochius in vita S. Basilii [si tamen est Amphilochii c. 8. S. Præsulem morti proximum tres in partes panem Eucharisticum divisisse: unaque parte sumpta, alteram mandasse secum sepeliri; tertiam verò in aurea columba inclusam super altare suspendi. S. Gregorius Mag. L. 2. Dialog. c. 24. narrat qua ratione, jubente S. Benedicto, Eucharistia supra pectus alicujus monachi, cujus corpus sepeliri non poterat, illud semper evomente & reddente humo, imposita fuerit, & corpus terræ mandatum. In vita quoque S. Othmari apud Surium an. 720. 16. Novembris legi repertas in ejus tumulo panis quasdam particulas figuræ orbicularis, quæ vulgò oblatæ nuncupantur, quas summa cum veneratione Episcopus, qui sepulchrum reseraverat, reposuit.

Illustrissimus Albaspinæus Lib. 10. Observat. cap. 9. observat hunc abusum ex simplicitate Fidelium originem duxisse, qui cum intelligerent legibus Ecclesiæ cautum esse, ne quisquam ex hac vita discederet, quin priùs Ecclesiasticæ communionis factus esset particeps existimebant subitò absque tali communione mortuis posse hanc ipsis restitui; atque quoddam salutis subsidium conferri, si Eucharistia illis, quamquam mortuis, concederetur.

Quæres 2. an moribundis debeat communio Eucharistica concedi.

Resp. cum Synodo IV. Carthaginensi anno 398. Can. 76. *Is qui pœnitentiam* (sunt verba Concilii) *in*
Tom. 2. Conc. p. 1205. E. *infirmitate petit, si casu, dum ad eum Sacerdos invitatus venit, oppressus infirmitate obmutuerit, vel in phrenesim versus fuerit, dent testimonium qui eum audierunt, & accipiat pœnitentiam. Et si continuo creditur moriturus, reconcilietur per manus impositionem & infundatur ori ejus Eucharistia.* Idem antea decreverat Synodus generalis I. Nicæna an. 325. Can. 18. cujus verba antea citavimus Articul. 2. Quæstioni quartæ, cum de Eucharistia pro infirmis asservata dicebamus. Idem & Dionysius Alexandrinus apud Euseb. Lib. 6. Hist. cap. 44. Idem & subsequentibus temporibus statutum legimus à Concilio Arausicano I. Can. 3. & SS. Pontificibus Innocentio I. Epist. 3. ad Exuperium Tolosanum Episcopum; Siricio, Epist. ad Himerium Tarraconensem cap. 5. Gregorio II. in Epist. ad Bonifacium; Innocentio III. Extra. *De pœnitentia & remissione &c.*

Primis Ecclesiæ temporibus paulò severior fuit circa propositum caput disciplinæ rigor. *Observatio prior*, Tom. 2.
inquit Innoc. I. citata mox Epistola, *durior*; *posterior*, Conc. p.
interveniente misericordia, inclinatior. Scilicet in Hi- 1255. C.
spania concilium Eliberitanum certis quibusdam graviorum criminum reis communionem etiam in exitu denegat, Can. 1. 2. 3. 6. 7. 73. 75. Perinde autem est, si nomine communionis intelligatur vel societas cum Fidelibus, vel Eucharistia: quibus enim communio seu societas cum Ecclesiis negabatur, procul dubio & ipsa negabatur Eucharistiæ participatio.

In Africa, etiam ante S. Cyprianum, mœchis seu adulteris penitus denegatam esse aliquando pacem, testatur S. ille Martyr Epist. 52. ad Antonianum; hunc tamen austerioris disciplinæ rigorem ipse, habito cum suis Coepiscopis Concilio, temperavit. Nihilominus in eadem Africa mos aliquando invaluit, ut qui vitæ suæ decursu non egissent pœnitentiam, si in periculo mortis, infirmitate premente Ecclesiæ reconciliari postulassent, à spe communionis & pacis arcerentur: *Quia*, inquit
S. Cyprianus citata Epist. 52. *rogare illos non delicti* Pag. 73.
pœnitentia, sed mortis urgentis admonitio compellit; nec dignus est in morte accipere solatium, qui se non cogitavit esse moriturum.

In Galliis quoque nostris eadem severitas nonnunquam in usu fuit. Constat ex Concilio I. Arelatensi an.
314. can. ultimo. *De his, inquit, qui apostatant & nun-* Tom. 1.
quam se ad Ecclesiam repræsentant, nequidem pœniten- Conc. p.
tiam agere quærunt, & postea infirmitate correpti pe- 1429. C.
tunt communionem; placuit eis non dandam communionem, nisi revaluerint, & egerint fructus dignos pœnitentiæ.

Verùm durior illa disciplina nec ubique recepta, nec in iisdem Ecclesiis constans fuit ac diuturna, ut probant adducta testimonia Concilii Carthaginensis IV. Nicæni &c.

Nomine autem communionis & pacis, intelligendam esse vel Eucharistiam, vel solemnem cum Ecclesia reconciliatione canonicam, non verò sacramentalem à peccatis absolutionem, probavimus ubi de Pœnitentia, parte 2. pag. 162. & sequentibus.

Quæres 3. utrum energumenis, amentibus, surdis & mutis à nativitate concedi debeat Eucharistia.

Resp. energumenos vocari eos qui ab immundis spiritibus obsidentur ac vexantur. Duo sunt eorum genera: quidam perpetuò agitantur; alii lucidis quibusdam fruuntur intervallis.

Primis sæculis Eucharistia non concedebatur energumenis, nisi vel urgeret mortis periculum, vel ipsi de purgatione sua solliciti Clericorum monitis forent obsequentes.

Prima pars colligitur ex veteri disciplina, quæ energumenos à conspectu Eucharistiæ & oblatione facienda arcebat: unde Diaconus alta voce clamabat, *Omnes Catechumeni, omnes possessi discedite.* Ita factum colligimus ex Auctore Constitutionum Apostolicarum L. 8. cap. 7. ex Concilio Eliberitano Can. 29. prohibente ne energumeni nomen ad altare cum oblatione recitetur; ex S. Dionysio c. 3 Hierarchiæ, S. Chrysostomo Hom. 3. & 4. de natura Dei.

Secunda pars, nempè urgente mortis periculo Eucharistiam dari solitam energumenis baptisatis, colligi-
tur ex Conc. Eliberitano Can. 37. *Eos*, inquit, *qui ab* Tom. 1.
immundis spiritibus vexantur, si in fine mortis fuerint Conc. p.
constituti, baptisari placet; si fideles fuerint dandam esse 974. E.
communionem. Pariter qui de sua curatione solliciti Clericorum monitis obtemperabant, admittebantur ad sacram mensam ex decreto concilii Arausicani I. Can. 14.
Energumeni jam baptisati, inquit, si de purgatione sua Tom. 3.
curent, & se sollicitudini Clericorum tradant, monitisque Conc. p.
obtemperent, omnimodis communicent. 1430. A.

Subse-

Subsequentibus verò temporibus datam esse Eucharistiam iis energumenis, qui lucida quædam intervalla patiebantur, colligimus ex Cassiano Collatione 7. capite 29. & 30. ex sancto Thoma 3. part. qu. 80. art. 9. ad 2.

Amentes autem vel tales sunt à nativitate, quibus nullus rationis radius unquam illuxit, vel ex morbo & casu in amentiam delapsi nunquam pristinæ rationi redduntur; vel denique lucida quædam rationis intervalla patiuntur.

Amentes primi ordinis baptisati capaces sunt Eucharistiæ etiam cum fructu percipiendæ, & aliquando eis concessa legitur; alius tamen à pluribus sæculis usus invaluit.

Ibid. Probatur 1. pars; quia ejusmodi amentes pro infantibus habentur: at infantibus diu in Ecclesia fuit administrata Eucharistia: unde Concilium Arausicanum I. Can. 13. decernit amentibus quæcumque pietatis sunt, esse conferenda. Secunda pars etiam certa est: eodem enim tempore obsolevit usus dandi amentibus Eucharistiam, quo infantibus. Amentibus verò secundi & tertii ordinis concedenda est Eucharistia, cujus aliquod significarunt desiderium; & eadem lex erga illos observanda, quæ erga infirmos.

Mutis verò & surdis à nativitate, etsi capaces sint percipiendæ cum fructu Eucharistiæ, si nullo lethali peccato sint obstricti, tamen ex disciplina Ecclesiæ, si nullum hujus Sacramenti desiderium, si fidem suam ac pietatem nullatenus possint significare, denegari debet: non ita si subito casu obmutescant. *Subitè obmutescens*, inquit Conc. Arausicanum I. Can. 12. *baptisari aut pœnitentiam accipere potest*, (idem de Eucharistia dicendum) *si voluntatis ejus aut præteritæ testimonium aliorum verbis habeat, aut præsentis in suo nutu.*

Ibid. p. 1449. E.

Quæres 4. an peccatoribus, sive publicis, sive occultis, petentibus Eucharistiam, sit concedenda.

Resp. I. si peccatum publicum sit ac notum, sive evidentia juris, ex confessione scilicet rei, vel sententia Judicis: sive evidentia facti, quod nulla possit tergiversatione celari, Eucharistiam denegandam esse: quia, juxta mandatum Christi Matth. 7. v. 6. *non est dandum sanctum canibus, neque mittendæ margaritæ ante porcos.* Ita semper fuit in Ecclesia observatum. S. Cyprianus consultus ab Euchratio de quodam histrione, respondet Epistola 61. „Consulendum me "existimasti, quid mihi videatur de histrione quodam, "qui apud vos constitutus in ejusdem adhuc artis suæ "dedecore perseverat, & magister & doctor non eru"diendorum sed perdendorum puerorum, id quod ma"lè didicit cæteris quoque insinuat; an talis debeat com"municare nobiscum. Puto nec majestati divinæ, nec "Evangelicæ disciplinæ congruere, ut pudor & honor "Ecclesiæ tam turpi & infami contagione fœdetur." Ita quoque docent S. Chrysostomus Hom. 83. in Matth. S. Aug. Hom. 50. Et S. Th. in 4. dist. 9. q. 1. art. 5. in solutione quæstiunculæ 2. ait, *publicam & violentam criminis suspicionem sufficere ut alicui, sive publicè, sive occultè petenti, Eucharistia denegetur.*

Pag. 97.

Tom. 10. p. 149. col. 1. C.

Resp. 2. peccatori occulto publicè petenti, non esse denegandam Eucharistiam.

Ratio est 1. quia Christus Judæ proditori, etsi perversum ejus non ignoraret propositum, suum corpus non denegavit. 2. quia ita semper in Ecclesia observatum fuit. „Nos, *inquit S. Augustinus Hom. 351.* "*aliàs 50. inter 50.* à communione prohibere quem"quam non possumus. (quamvis hæc prohibitio non"dum sit mortalis, sed medicinalis) nisi aut sponte con"fessum, aut in aliquo sive sæculari sive ecclesiastico ju"dicio nominatum atque convictum. Quis enim sibi "utrumque audeat assumere, ut cuiquam ipse sit accu"sator & judex? 3. quia Sacerdos in dispensanda Eu"charistia minister est publicus, qui non ex privata, sed ex publica scientia agere debet. 4. quia peccator, qui occultat ejus crimen, jus habet famæ conservandæ: eam autem læderet Sacerdos, si publicè petenti Eucharistiam denegaret. Neque eo in casu minister cooperatur peccato sacrilegii; namque ad summum, malum tolerat quod impedire non tenetur. Ita S. Aug. L. quæstionem supra Genesim. quæst. 42. & S. Th. in 4. dist. 9. q. 1. art. 5. Neque etiam licet Sacerdoti eo in casu porrigere hostiam non consecratam; quia nunquam licitum est facere malum ut eveniat bonum: at hostiam non consecratam pro consecrata porrigere, malum est, cum exponat evidenti periculo idololatriæ. Ita S. Th. loco mox citato.

To. 5. p. 1359. F.

Si tamen peccator ille occultè peteret, nec ullum foret scandali periculum, deneganda foret Eucharistia. Addunt multi exceptionem, modo Sacerdos ex Sacramentali confessione peccatum illius non cognoverit.

Quæres 5. utrum reis ultimo supplicio afficiendis sit concedenda Eucharistia.

Resp. varium esse Ecclesiarum usum.

In Italia & Germania certum est Eucharistiam ejusmodi reis non denegari. Constat ex Concilio Mediolanensi V. &c.

In Gallia an. 630. Synodus Remensis sub Sonnatio, statuto 11. improbare videtur usum contrarium. *Cur*, inquit, *ad mortem condemnatis renuitur Eucharistia? Cum iis maxime conducat ad spem & securam eorum decessus, & præsentis agonis.* Quin ante annum 1396. ejusmodi rei sacramentalis etiam absolutio denegabatur. *Primus*, inquit Morinus L. 10. de Pœnitentia c. 1. n. 4. "hunc morem multorum Procerum Ecclesiastico„rum & virorum Principum precibus persuasus abro„gavit Carolus VI. edicto Parisiis dato 4. nonas Fe„bruarii an. 1396." Edictum integrum refert Fontano T. 1. Edictorum & Constitutionum Regum Franciæ, titulo 68. Post annum vero 1396. etsi sacramentalis absolutio reis ultimo supplicio damnatis sit indulta, constanter tamen denegata Eucharistica communio. Narrat eam in rem Gaguinus L. 10. Historiæ, "regnante „Ludovico XI. Ludovicum Luxemburgum majestatis „reum capite damnatum, confessione more christiano „expleta, Viaticum corpus Christi postulasse, nec obti„nuisse; rem tamen divinam seu Missam coram illo „factam, & panem benedictum oblatum, quem religio„sè manducavit." Contigit istud an. 1475. Mos ille denegandi reis ultimo supplicio afficiendis Eucharistiam, adhuc apud nos perseverat. Eundem etiam in Hispania observari testatur Dominicus Soto in 4. Sent. dist. 12. q. 1. art. 2. quem improbat, *cum nulla*, inquit, *appareat causa cur si sint verè pœnitentes, tanto beneficio priventur.*

Tom. 5. Conc. p. 1694. B.

P. 720. col. 1. C.

Quæres 6. utrum infantibus dari possit Eucharistia.

Resp. si præsens spectetur Ecclesiæ disciplina quæ à sæculo duodecimo obtinet, dandam non esse infantibus Eucharistiam: si vero rei ipsius spectetur possibilitas, dico nihil obstare quin, si ita placeret Ecclesiæ, eis concedatur, sicut duodecim sæculorum tractu concessa illis fuit.

Conc. Trid. Sess. 21. c. 4. duo circa infantium communionem docet, quorum unum ad dogma, alterum ad præteritum Ecclesiæ usum pertinet. De primo ait, *parvulos usu rationis carentes nulla obligari necessitate ad sacramentalem Eucharistiæ communionem.* De secundo ait, non esse damnandam antiquitatem, *si eum morem* (dandi infantibus) *in quibusdam locis aliquando servavit. Ut enim sanctissimi illi patres sui facti probabilem causam pro illius temporis ratione habuerunt, ita certè, eos nulla salutis necessitate id fecisse, sine controversia credendum est.*

Tom. 14. Conc. p. 847. B.

Itaque à tertio usque ad duodecimum sæculum, non sextum, ut vult Maldonatus in cap. 6. Joan ad versum 53. num. 116. Eucharistia infantibus concessa legitur. De tertio sæculo testis S. Cyprianus, Tract. de lapsis; de quarto, S. Ambrosio L. de Initiandis cap. 8. de quin-

de quinto, S. Augustinus Epistola 217. alias 107. ad Vitalem; de sexto, S. Gregorius Magnus in Libro Sacramentorum, Officio de Sabbato sancto; de septimo, Conc. undecimum Toletanum an. 975. de octavo, Ordo Romanus, titulo de Baptismo, quem eo sæculo scriptum esse multi existimant, alii ad undecimum rejiciunt, de nono, Jesse Ambianensis Episcopus in Epistola ad sacerdotes; de decimo testantur duo codices manuscripti quos citat Hugo Menardus in notis ad Librum Sacramentorum S. Gregorii pag. 11. quorum ipsa priorem paulo ante annum 986. posteriorem circa annum millesimum scriptum fuisse docet: pro undecimo testis Rodolphus Ardens Pictavus in sermone habito pridie Paschatis: pro initio duodecimi, testes Paschalis II. S. Pontifex, apud Baronium Tom. 12. Annal. ad an. Christi 1118. Hugo à S. Victore L. 10. de Sacramentis c. 20. ubi testatur ævo suo morem hunc ab aliquibus sublatum fuisse, retento solum aliquo ejus vestigio: nimirum vinum merum loco calicis consecrati infantium ori infundebant nonnulli, quod ibidem carpit Hugo. Tandem an. 1175. Odo Episcopus Parisiensis in Statutis synodalibus c. 39. Presbyteris mandat, ne hostias, licet non sacratas, ullo modo dent pueris; & S. Thomas, qui obiit an. 1274. 3. parte q. 70. art. 9. docet, juxta usum sua ætate confirmatum, pueris recenter natis danda non esse sacra mysteria; etsi Græci, ut ibidem annotat, contrarium observent.

Hac sua praxi & disciplina significarunt Veteres; persuasum sibi fuisse infantes capaces esse suscipiendæ cum fructu Eucharistiæ; atque probationem, quam exigit Apostolus, in iis dumtaxat esse necessariam, qui peccati alicujus mortalis conscii esse possunt, quales sunt adulti, non vero infantes baptisati.

Attamen suam hanc disciplinam erga infantes Ecclesia mutavit: scilicet, cum usus calicis in Occidente sensim abrogatus fuit, propter irreverentiam quæ ex periculo effusionis nasci poterat, abrogata quoque fuit praxis dandi Eucharistiam infantibus, quæ ipsis non nisi sub specie vini administrari solebat.

De dispositionibus in recipiente Eucharistiam prærequisitis.

Aliæ sunt quæ corpus, aliæ verò quæ animam spectant.

Dispositiones ex parte corporis.

1. Conditio, *jejunium*. Tres exiguntur; jejunium naturale, puritas, habitus exterior.

I. Licet Christus post cœnam Eucharistiam instituerit, eamque non jejunis distribuerit Apostolis, non tamen illud Christi factum in legem postea transiit; imo ex apostolica Traditione fluxit consuetudo, non nisi à jejunis perfici, vel sumi debere Eucharistiam. Qua propter graviter Corinthios increpat Apostolus, quod inter communes epulas, dominicam cœnam miscerent ac

1. *ad Cor.* 11. v. 20. *& sequent* pa. 735. B. C. sumerent. *Jam non est*, inquiebat, *dominicam cœnam manducare.* Quem abusum apud Ægyptios aliquando promanasse testatur Sozomenus L. 7. Hist. c. 19. "*In multis*, inquit, *urbibus ac vicis Ægypti, contra receptam omnium consuetudinem, die Sabbati sub vesperam convenientes, jam pransi, sacra mysteria percipiunt.*

Est igitur lex apostolica, ut Eucharistia non nisi à jejunis aut perficiatur, aut sumatur. Jejunium autem illud naturale dicitur, quia excludit omnem cibum & potum unde fieri potest nutritio. Hujus vero legis apostolicæ testes sunt.

Tertullianus L. 2. ad uxorem cap. 5. *Non sciet*
pa. 169. B *maritus*, inquit, *quid secreto ante omnem cibum gustes.*
pa. 104. S. Cyprianus Epistola ad Cæcilium, *Nunquid ergo*, ait alludens ad factum Christi, *dominicum post cœnam celebrare debemus.*

S. Augustinus Epist. 54. alias 118. ad Januarium Tom. 2. p.
n. 7. & 8. "Liquido apparet, *inquit*, quando primum 126. F. G.
„acceperunt Discipuli corpus & sanguinem Domini, „non eos accepisse jejunos. Numquid tamen propterea „calumniandum est universæ Ecclesiæ, quod à jejunis „semper accipitur? Ex hoc enim placuit Spiritui sancto, „ut in honorem tanti Sacramenti in os Christiani prius „Domini corpus intret, quam cæteri cibi. Nam ideo per „universum orbem mos iste servatur." Observat ibidem S. Doctor, nonnullos, *uno certo die per annum* Ibid. p.
(feria nimirum quinta majoris hebdomadæ, ad exem- 127.
plum Christi,) *post cibos Eucharistiam offerre & accipere*: quem usum inde fluere dicit S. Doctor n. 9. „quod ea die plures & prope omnes in plerisque locis „lavare se consueverunt. Et quia, *pergit*, nonnulli etiam „jejunium custodiunt, mane offertur propter prandentes, quia jejunia simul & lavacra tolerare non possunt; „ad vesperam vero propter jejunantes." Observat ibidem, consuetudinem hac die se lavandi ortam esse ex baptisandis, ne sordidata corpora offerrent aquis baptismalibus.

Morem illum consecrandi & sumendi Eucharistiam post cœnam, die quinta majoris hebdomadæ, qui in nonnullius Africanis Ecclesiis obtinuerat, *tanquam ad insigniorem commemorationem*, ait S. Augustinus ibidem, improbare non audet pro sua modestia S. Doctor. "Nulli, *ait*, contradicere audemus. Honestius „autem arbitror ea hora fieri, ut qui etiam jejunaverit, „post refectionem, quæ hora nona fit, ad oblationem „possit accedere.

Concilium Carthag. III. c. 20. decernit "ut Sacra- Tom. 2. Conc. p.
„menta altaris non nisi à jejunis hominibus celebrentur, 1171.
„excepto uno die anniversario, quo Cœna Domini celebratur.

Concilium denique Constantiense an. 1415. Sess. 13. sic decernit ac definit, "quod licet Christus post cœ- Tom. 12. Conc. p.
„nam instituerit, & suis Discipulis administraverit 100. B.
(*Eucharistiam*) sed utraque specie panis & vini, tamen „hoc non obstante, sacrorum non Canonum auctoritas „laudabilis, & approbata consuetudo Ecclesiæ servavit „& servat, quod hujusmodi Sacramentum non debet „confici post cœnam, neque à Fidelibus recipi non jejunis, nisi in casu infirmitatis, aut alterius necessitatis, à „jure vel Ecclesia concesso, vel admisso.

Hanc jejunii servandi legem ante sumptionem Eucharistiæ ex apostolica Traditione descendere, invicte demonstrat constans ac perpetuus Ecclesiæ usus. *Quod* To. 9. p.
enim universa tenet Ecclesia, inquit S. Aug. L. 4. de Ba- 140. C.
ptismo contra Donat. c. 24. "nec Conciliis institutum, „sed semper retentum est, non nisi apostolica auctoritate traditum rectissime creditur." Et in Ep. 54. alias 10. 2. p.
118. ad Jan. "Si quid, tota per orbem frequentat Eccle- 126 C.
„sia, quin ita faciendum sit disputare, insolentissimæ insaniæ est." Ex præcepto igitur Ecclesiastico seu apostolico, non vero ex præcepto Christi imposita est illa „jejunii disciplina. *Namque*, ait S. Aug. in eadem Epi- Ibid. p.
stola, *ideo non præcepit* [Dominus] *quo deinceps ordi-* 127 A B.
ne sumeretur, ut Apostolis, per quos Ecclesias dispositurus erat, servaret hunc locum. Nam si hoc ille monuisset, ut post cibos alios semper acciperetur, credo quod eum morem nemo variasset.

Quæres quibus in casibus licitum sit Eucharistiam à non jejunis percipi.

Resp. 1. licitum esse infirmis, si urgeat mortis periculum, etiam in viaticum dare Eucharistiam: si vero tantum non sit periculum, non nisi jejunis dandam esse, nisi forte talis fuerit infirmitas, ut jejunium ferre non possit. Quin & sæpius, eodem perseverante morbo, concedi potest Eucharistia; modo dies aliquot [decem statuit Rituale Parisiense) à priori communione fluxerint. 2. si Sacerdos celebrans post consecrationem

subita

subita vi morbi correptus sacrificium perficere non potest, alter Sacerdos, etiam non jejunus, illud perficere debet ac tenetur, ut integrum sit sacrificium. 3. si Sacerdos inter communicandum advertat solam aquam in calicem quem hausit fuisse infusam, vinum curet infundi, illudque, postquam consecravit, bibat. Ita jubent Rubricæ. 4. cum Sacerdos post sumptam ablutionem aliquas particulas, vel etiam integras formulas deprehendit, quæ commode servari non possunt, eas consumat. 5. denique, si Sacerdos inchoata Missa solemni recordetur se jejunum non esse, nec possit sine aliquo scandalo recedere Missam perficiat.

Quæres 2. à quo tempore is qui Eucharistiam percepturus est, jejunus esse debeat, & quænam tollant jejunium naturale.

Resp. 1. necesse esse, ut qui Eucharistiam conficere, vel percipere debet, à media nocte diei præcedentis usq; ad illud tempus, quo conficit vel percipit Sacramentum, nihil omnino sumpserit, sive per modum cibi & potus, sive per modum medicinæ, aut rei cujuscunque ex qua fieri potest nutritio: unde reliquiæ cibi, quæ casu aliquo in ore remanserunt, non tollunt jejunium naturale, si deglutiantur; neque enim per modum cibi, sed salivæ dumtaxat in stomachum trajiciuntur. Idem dicendum de guttulis aquæ aut vini quibus os abluitur, si forte præter intentionem deglutiantur. Idem & de tabaco in pulverem redacto, & de odoribus, qui non ore, sed naribus percipiuntur.

2. conditio. Castitas. Secunda conditio ex parte corporis necessaria, est castitas seu puritas carnis, quæ considerari potest vel in usu legitimo Matrimonii, vel extra usum.

I. Qui non ex libidine seu voluptate, sed animo prolis suscipiendæ uxore sua utitur, ille suo permittendus est judicio, nec à percipienda Eucharistia removendus: attamen laudandi maxime conjugati, qui per aliquot dies antequam Eucharistiam percipiant, ex communi consensu à commercio carnis abstinent, juxta Apostolum 1. Cor. 7. v. 5. *Nolite fraudare invicem nisi forte*

T. 4. p. 2. pa. 238. *ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi.* Unde S. Hieronymus Ep. 30. alias 50. ad hæc verba Apostoli sic loquitur: *Paulus Apostolus dicit, quando cum uxoribus, nos orare non posse. Si per coitum quod minus est impeditur, id est, orare; quanto plus quod majus est, id est, corpus Christi prohibetur accipere?* Et paulo post: *Diximus panes propositionis ex Lege non potuisse comedere David & socios ejus, nisi se triduo mundos à mulieribus respondissent; non utique à meretricibus, quod damnabatur à Lege: sed ab uxoribus, quibus licite jungebantur.*

Et Catechismus ad Parochos n. 61. *Postulat tanti Sacramenti dignitas*, inquit, *ut qui matrimonio juncti sunt, aliquot dies à concubitu uxoris abstineant, Davidis exemplo admoniti, qui cum panes propositionis à Sacerdote accepturus esset, purum se & pueros suos ab uxorum consuetudine tres ipsos dies esse professus est*

II. Impuritas extra usum Matrimonii, quæ peccatum est, ex peccato nascitur, cui voluntas consensit, aut locum dedit, hominem ex necessitate removet à participanda Eucharistia; qualis est v. g. nocturna pollutio ex phantasmatibus quæ imaginationi obversantur excitata, quando nimirum vel ex negligentia, aut ex turpi præcedente cum mulieribus colloquio, vel ex plus æquo familiari conversatione, vel ex lascivis cogitationibus quibus homo adhæret, vel ex obscæna Libri alicujus lectione &c. sordes illæ provocantur & excitantur. Unde sapienter monet S. Thomas 3. p. q. 80. art. 7. in corpore, sedulo expendendas esse hujusce impuritatis causas. *Quamvis enim*, ait sanctus Doctor, „nocturna ipsa pollutio secundum se considerata, „peccatum mortale esse non possit; nihilominus „tamen ratione suæ causæ quandoque habet peccatum mortale annexum. Et ideo consideranda est „causa pollutionis nocturnæ." Deinde varias illas causas exponit, quibus fit ut illa impuritas nocturna vel ex *necessitate*, vel tantùm ex quadam *congruentia* hominem à percipienda communione impediat. Si enim quis invitus & non consentiens, impuritatem illam patiatur, quam provocat vel sanguinis abundantia, vel naturæ debilitas, quasi ex quodam morbo, vel ex illusione maligni spiritus &c. non ex necessitate, sed ex quadam dumtaxat congruentia impeditur à percipienda Eucharistia. *Ex quadam verò congruentia*, inquit S. Thom. ibidem, *impedit quantum ad duo, quorum unum semper accidit, scilicet quadam fœditas corporalis, cum qua, propter reverentiam Sacramenti non decet ad altare accedere, nisi forte talis immunditia sit perpetua vel diuturna; sicut est lepra, vel fluxus sanguinis, vel aliquid hujusmodi. Aliud autem est evagatio mentis quæ sequitur pollutionem nocturnam, præcipuè quando cum turpi imaginatione contingit. Hoc tamen impedimentum, quod ex congruitate provenit, postponi debet propter aliquam necessitatem: puta, ut Gregorius dicit* (scribens ad Augustinum Anglorum Episcopum) *cùm fortasse aut festus dies exigit, aut exhibere ministerium pro eo quod Sacerdos alius deest ipsa necessitas compellit.* Lege integrum illum Articulum 7. Quæstionis 80.

Tertia conditio, habitus seu conformatio corporis ad modestiam & pietatem composita, de qua S. Carolus Borromæus in suis documentis seu instructionibus, ubi circa mulieres præsertim hæc præscribit. *Mulieres non sumptuosis, non caudatis vestibus, non crinibus inaniter intortis; non fuco aut pigmentis vultu illito; non pectore nudo, aut tenui velo obducto, sed ita vestita ut nil præter faciem quidquam nudum cernatur, velo denso benè super faciem dimisso. Omnes autem*, pergit S. Episcopus, *genibus flexis, non pectore, brachiisque scabello innixi.* Quapropter Innocentius XI. jussit eas mulieres à sacra mensa repelli, quæ depicta facie, aperto sinu, atque ad luxuriam composito vultu ad Eucharistiam accedunt.

Dispositiones ex parte animæ.

I. Requiritur sanctitas, seu habitualis gratia sanctificans, nempe ut nullus peccati mortalis reus sit, qui accedit ad sacram mensam. 1. Cor. 11. v. 27. 28. & 29. *Quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini. Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat: qui enim manducat & bibit indignè judicium sibi manducat & bibit, non dijudicans corpus Domini.*

Necesse igitur est ut perceptioni Eucharistiæ præmittatur confessio & absolutio sacramentalis à peccatis, qua quis Deo reconciliatur ac justus redditur. Nonnulli, præter confessionem & absolutionem, exigunt quoque & præviam satisfactionem ex parte saltem peractam, cujus defectu, & nulla ipsis videtur sacramentalis absolutio, & sacrilega participatio Eucharistiæ. Verùm Alexander VIII. inter multas alias, istam quoque n. 22. propositionem damnavit, *Sacrilegi sunt judicandi, qui jus ad communionem prætendunt, antequam dignam de delictis pœnitentiam egerint.* Eadem igitur prudentia & æquitate utatur hic Sacerdos circa usum Eucharistiæ pœnitenti, post confessionem & sacramentalem à peccatis absolutionem, permittendum vel protrahendum, quo, ubi de Pœnitentia, diximus uti illum debere circa Sacramentalem absolutionem dandam vel differendam, juxta regulam à sancto Gregorio Magno traditam, *Causæ*, inquit, *pensandæ sunt, & tunc ligandi atque solvendi potestas exercenda. Videndum quæ culpa præcessit, aut quæ sit pœnitentia secuta post culpam, ut quos omnipotens Deus per compunctionis gratiam visitat, illos pastoris*

sententia absolvat. Si ergo judicaverit prudens Sacerdos bono pœnitentis expedire, ad vehementius scilicet in ipso excitandum cœlestis cibi desiderium, differre Eucharistiæ communionem, differat. Interim ratum ac fixum istud permaneat, absolutionem sacramentalem, qua quis à peccatis verè & absolutus præsumitur, & cum Deo reconciliatus, sufficere ad Eucharistiam digne & cum fructu percipiendam; satisfactio etenim, ut olim ostendimus, non ad essentiam, sed ad integritatem dumtaxat Pœnitentiæ spectat.

Dices: S. Cyprianus graviter invehitur adversùs lapsos qui propter libellos Martyrum, quibus muniti erant, nulla, vel levissima pœnitentia perfuncti, statim à lapsu communioni restitui postulabant, quam nonnulli temerè ipsis concedebant, cum quibus graves ac diuturnas ea de re contentiones sustinuit S. Martyr. *Illi,* Pag. 23. loquiebat Epistola 10, *contra Evangelii legem, ante actam pœnitentiam, ante exomologesim gravissimi atque extremi delicti factam.... offerre lapsis pacem, & Eucharistiam dare, id est sanctum Domini corpus prophanare audent.* Et Tract. de lapsis, *Contra* P. 178. *Evangelii vigorem, contra Domini ac Dei legem, temeritate quorumdam laxatur incautis communicatio, irrita & falsa pax, periculosa dantibus, & nihil accipientibus profutura.*

Resp. nomine pacis ac communionis S. Cyprianum intelligere non tantùm Eucharistiam, sed & sacramentalem à peccatis absolutionem, quæ Cypriani ætate simul cum Eucharistia post expletam pœnitentiam dari solebat, ut ostendimus in Prælectionibus nostris de Pœnit. parte 2. pag. 42. & seq. cum vero sacramentalis absolutio statim post gravissima scelera concedi semper etiam concessis non debeat, æquissima videtur S. Doctoris ac Martyris expostulatio. Hic porrò quæstio non est de absolutione, sed de Eucharistia pœnitentibus contritis atque confessis post absolutionem concedenda. Duo quippe ista longe diversa sunt, lapsas statim absolvere, quod meritò improbat S. Cyprianus; & pœnitentes post absolutionem statim admittere ad sanctam mensam, quod ut plurimùm licitum est, tametsi ex judicio prudentis Sacerdotis differri aliquando possit & debeat.

Hæc videtur esse mens atque sententia concilii Trid. Tom. 14. Conc. p. 809. Sess. 13. Can. 11. ubi sic loquitur: *Statuit atque declarat sancta Synodus, illis, quos conscientia peccati mortalis gravat, quantumcumque etiam se contritos existiment, habita copia confessoris, necessariè præmittendam esse confessionem sacramentalem.* Et cap. 7. ejusdem Sess. legem illam ad ipsos etiam Sacerdotes extendit, nisi obstet gravis celebrandi necessitas, aut absentia Ibid. p. 807. C. Sacerdotis. En verba. "Ecclesiastica consuetudo declarat, eam probationem necessariam esse, ut nullus „sibi conscius mortalis peccati, quantumvis sibi contritus videatur, absque præmissa sacramentali con„fessione ad sacram Eucharistiam accedere debeat: „quod à Christianis omnibus, etiam ab iis Sacerdotibus, „quibus ex officio incumbit celebrare, hæc sancta Sy„nodus perpetuò servandum esse decrevit, modo non „desit illis copia confessoris: quòd si, necessitate urgente, „Sacerdos absque prævia confessione celebraverit, „quamprimum confiteatur." Particulam hanc, *quamprimum*, nonnulli sic explicant, *cum Sacerdos suo tempore confitebitur*, quam interpretationem proscripsit Alexander VII. & Clerus Gallicanus in Censura anni 1700. *Mandatum Concilii Tridens.* ait Propositio 38. damnata, *factum Sacerdoti sacrificanti ex necessitate cum peccato mortali, confitendi* quamprimùm, *est con-* Recueil des Bulles, pag. 463. *silium, non præceptum.* Et Propositio 39. *Illa particula* quamprimum, *intelligitur cum Sacerdos suo tempore confitebitur.* Supponit igitur Concilium Tridentinum, hominem verè pœnitentem præmissa confessione sacramentali & absolutione à peccatis, ante expletam pœnitentiam, dignè ac cum fructu Eucharistiam percipere posse.

Secunda dispositio est immunitas ab affectu peccati venialis. Propterea etenim Eucharistiæ effectus est gratiæ animam nutrientis augmentum; atqui affectus ad peccatum veniale obicem ponit huic gratiæ incremento. Licet enim peccatum veniale charitatem non extinguat, eam tamen refrigerat ac imminuit, unde tædium & torpor quidam animæ, qui plenum impedit Eucharistiæ effectum, ad quam magno animi ardore ac desiderio accedendum est. *Tanta igitur charitate* Ed. Commel. p. 704. E. *atque honore affecti,* ait S. Chrysostomus Hom. 83 in Matth. *non torpeamus. Non videtis quanta infantes animi alacritate mamillas accipiunt; qua pressione papillis infigunt labia? Non minore cupiditate nos quoque ad hanc mensam, & ad hujus calicis spiritalem accedamus papillam: imo vero majore desiderio quasi lactentes pueri gratiam spiritus sugamus: unus sit nobis dolor, una mœstitia, si hoc alimento spirituali privamur.* Et S. Gregorius Magnus in cap. 2. L. 1. Regum Lib. 2. c. 1. *Non saturantur,* inquit, *nisi fame-* Tom. 3. pars 2. p. 59. E. *lici: quia à vitiis perfectè jejunantes, divina Sacramenta percipiunt in plenitudine virtutis. Et quia sine peccato electi etiam viri esse non possunt, quid restat, nisi ut à peccatis, quibus eos humana fragilitas maculare non desinit, evacuari quotidie contendant?*

Tertia dispositio est singularis reverentia erga Christum in Sacramento præsentem: *Quia,* inquit S. Bonaventura Tract. de præparatione ad Missam, *in hoc Sacramento præsens est divina majestas, debet recipi cum honore.* Et S. Thomas 3. p. q. 80. art. 10. *Requiritur ut cum magna devotione & reverentia ad hoc Sacramentum accedatur.* Verum recurret posteà, ubi de effectibus Eucharistiæ, de hocce argumento dicendi locus.

QUÆSTIO VI.

De necessitate Eucharistiæ.

TRes erunt hujus Quæstionis Articuli.

In 1. expendemus utrum Eucharistia sit omnibus, tam parvulis quàm adultis, necessaria necessitate medii ad salutem.

In 2. utrum detur præceptum divinum sumendi Eucharistiam sub utraque specie.

In 3. utrum detur præceptum divinum & Ecclesiasticum sumendi Eucharistiam, saltem sub una specie.

ARTICULUS I.

Utrum Eucharistia necessaria sit omnibus; sive parvulis sive adultis, necessitate medii ad salutem.

PRÆNOTANDA.

OBservandum 1. duplicem vulgò à Theologis distingui necessitatem, unam medii, alteram præcepti.

Illud necessarium dicitur necessitate medii, sine quo vel in re, vel in voto saltem percepto, finis obtineri non potest. Sic in ordine naturali, cibus & potus necessaria sunt ad vitæ conservationem; & in ordine supernaturali ac gratiæ, Baptismus & Pœnitentia sunt Sacramenta necessaria, tum ad vitam animæ primò habendam, tum ad eam ex peccato deperditam, reparandam. Ratio autem à priori hujus discriminis est, quia ejusmodi media ex institutione Christi continent & conferunt eum gratiæ spiritualis effectum, qui per se ita necessarius est, ut sine eo vita æterna non possit obtineri: tale vero medium semper quoque necessarium est ex præcepto, quia tenetur unusquisque jure naturali adhibere omnia necessaria ad salutem; non tamen accipit

accipit necessitatem suam ex præcepto, nisi, ut dicitur, præsuppositivè; imò potius ex necessitate quam habet ex propria sua conditione, fit ut sit præceptum.

Medium autem illud vel est internum, ut gratia sanctificans; vel externum, ut ablutio exterior in Baptismo, inter quæ istud discrimen occurrit, quòd sine medio interno actu & re percepto impossibile sit habere vitam æternam; ita sine sanctificante gratia nullus unquam salvus esse potest; et verò sine medio externo, nempe Sacramento, potest quis salvus fieri, nempe per fidem charitate perfecta formatam, quæ justificat ante Sacramentum actu & re perceptum, cum solo ejus voto, sive explicito, sive implicito saltem, quod semper in charitate perfecta includitur.

Ratio est, quia medium externum ex Christi institutione ordinatur ad conferendam internam sanctificantem gratiam: cum autem divina virtus non sit externoribus signis alligata, atque possit gratia sanctificans per contritionem perfectam obtineri, hinc est quod externum illud medium aliquibus in casibus suppleri potest per votum seu desiderium ipsius: sic suppletur Baptismus per martyrium & perfectam contritionem.

Illud dicitur necessarium necessitate præcepti tantùm, quod idcirco necessarium est, quia est præceptum, cujus proinde observatio non continet aliquem gratiæ effectum per se ac natura sua necessarium ad salutem. Revera præcepti observatio fit aliquo sensu necessaria necessitate medii respectu illius qui præcepti capax est, & illud tenetur observare; sed, ut ait Vasques in 3. part. q. 73. art. 3. cap. 1. & 3. talis observatio præcepto, eum, negativè tantùm necessaria est ad salutem, ne scilicet propter transgressionem præcepti impedimentum aliquod ponatur saluti. E contra, quod est necessarium necessitate medii, positivè ad salutem confert, quia continet gratiam per se necessariam ad salutem: unde necessitas medii & præcepti non tam ex modo loquendi Scripturæ dignoscenda est, quàm ex subjecta materia; nempe si res proposita talis sit, quæ conferat gratiæ effectum per se & absolutè necessarium: eodem quippe modo v. gr. Scriptura exprimit necessitatem medii in Pœnitentia, cum ait, *Nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis*, & in Baptismo, *Nisi quis renatus fuerit &c.* ac necessitatem præcepti in Eucharistia, *Nisi manducaveritis &c.*

Observandum 2. in Eucharistia duo esse distinguenda, nempe Sacramentum, & rem Sacramenti, seu effectum gratiæ, qui consistit in certa unione & incorporatione cum corpore Christi, sive naturali, sive mystico quod est Ecclesia.

Observandum 3. Eucharistiam vel reipsa seu in signo & Sacramento percipi posse, vel in voto tantùm seu desiderio, & ratione effectus spiritualis; votum autem illud vel est explicitum, quod præviam rei concupitæ cognitionem supponit, vel implicitum: vel est personale, quod à persona propriæ actionis ac voluntatis capace elicitur, vel alienum, quod ab alio pro nobis sponsore emittitur: quo sensu docet S. Augustinus L. 3. de peccat. mer. & rem. c. 19. infantes verè fideles & pœnitentes dici, quia per verba gestantium fidem profitentur, ac diabolo & huic sæculo renuntiant: *quod totum*, inquit, *in spe fit*, *vi Sacramenti, & divinæ gratiæ, quam Dominus donavit Ecclesiæ.* Tom. 10. pag. 14. E.F.

Observandum 4. votum Eucharistiæ implicitum, sive personale sit, sive aliena voluntate formatum, duplex posse distingui, unum proprium, quod nempe directè ac propriè ad Eucharistiam tendit, alterum improprium & generale, quod ad Eucharistiam tendit sub ratione duntaxat generalis præcepti nobis à Christo impositi, quo sensu votum adimplendi omnia Christi mandata semper includitur in charitate perfecta, à qua sejungi non potest; atque votum ejusmodi semper necessarium est necessitate medii: fieri quippe non potest, ut quis salvus fiat, nisi implicitè saltem habeat voluntatem servandi quæcunque nobis à Christo præscripta sunt; hoc est, nisi sit ita animo affectus & præparatos, ut ille omnia velit observare, cum ea cognoscet, & adimplendi facultas dabitur. Longè autem diversum est dicere, votum rei esse necessarium, & rem necessariam esse in voto: prius significat voluntatem observandi rem præceptam esse necessariam, quod verum est; posterius, rem præceptam tantæ necessitatis esse ad salutem, ut si non reipsa, saltem voto debeat haberi, quod non semper verum est, præsertim in rebus quæ ex præcepto duntaxat necessariæ sunt.

Observandum denique, eum qui ritè baptisatur censeri habere aliqua ratione votum Eucharistiæ suscipiendæ, 1. secundum aliquam accommodationem, quatenus scilicet omnis res tendit ad suam perfectionem & consummationem, sicut finis habetur in desiderio & intentione: atqui Eucharistia est omnium Sacramentorum finis, & consummatio spiritualis vitæ, cujus Baptismus est quidem principium; verum per Eucharistiam perfecta fit conjunctio cum Christo & Ecclesia. 2. quia ritè baptisatus jus habet ut communicat corpori & sanguini Christi, sicut sponsa per Matrimonium acquirit jus in corpus sponsi; sed qui jus habet in rem aliquam, censetur desiderare usum ejusmodi juris. His ita prænotatis, quæ dicendis lucem maximam afferent, errores & opiniones more nostro historicè referemus.

Errores & opiniones.

Inter Græcos recentiores nonnulli sunt, qui Eucharistiam reipsa perceptam omnibus, sive parvulis sive adultis, medium esse necessarium ad salutem æternam existimant. Ita Simeon Thessalonicensis in Libro de Sacramentis; Nicolaus Cabasilas in prima Oratione de vita in Christo, & alii quos appellat Arcudius Lib. 3. de Sacramento Eucharistiæ c. 40.

Cardinalis Bona L. 2. rerum Liturgicarum cap. 19 refert Redulphum Ardentem Hugoni Victorino contemporaneum, sermone de die Paschæ; & illo antiquiorem Gualterium Aurelianensem, qui nono floruit sæculo, cap. 7. sui Capitularis, docuisse Eucharistiam absolutè necessariam esse ad salutem: quamquam exponi ille potest, ut & alii benè multi, de necessitate tantùm præcepti, non medii.

Novatores Calvinistæ, imprimis Albertinus, Dallæus, cæterique hujus sectæ Scriptores, concordi sententia affirmant, omnes ferè veteres SS. Patres, Augustinum præsertim, persuasum habuisse realem Eucharistiæ perceptionem omnibus, sive adultis sive infantibus, necessarium omninò esse medium ad salutem; neque alio fundamento nixos illos fuisse, ut tot sæculorum tractu infantibus simul cum Baptismo Eucharistiam administrarent: quam erroneam Novatorum sententiam comprimit Tridentinum Concilium Sess. 21. capit. 4. cum docet, *sine* controversia credendum esse, Veteres *nulla salutis necessitate* infantibus Eucharistiam dedisse. Tom. 14. Conc. p. 847. C.

Inter Orthodoxos nonnulli concedunt hanc fuisse S. Augustini, Innocentii, & aliorum mentem; ut Sanctesius, Repetitione 6. de veritate Eucharistiæ cap. 7. Quamquam hunc excusare nititur Palavicinus, L. 17. Historiæ Conc. Trid. cap. 12. *Quia*, inquit, *cum ad Concilium venisset inter Theologos regios paucis mensibus post emissa ea de re Concilii decreta, non potuit eorum sensum satis cognoscere.* Verum Maldonatus Tom. 3. p. 78.

qui

qui longè post vixit, Commentario in cap. 6. S. Joannis, scribit, opinionem necessitatis Eucharistiæ per sexcentos annos in Ecclesia viguisse. (Pagina 719.D.)

Inter Scholæ magistros tres potissimum circumferuntur circa propositam quæstionem opiniones. Prima eorum qui existimant Eucharistiam in voto saltem implicito necessariam esse necessitate medii ad salutem; tum quia finis est cæterorum Sacramentorum; tum quia per Baptismum homo ordinatur ad Eucharistiam, Ita S. Th. 3. p. q. 73. art. 3. & q. 79. art. 1. ad 1. & inter recentiores ejus discipulos Contensonius, Theologiæ mentis & cordis Lib. 11. parte 2. Dissertatione 2. cap. 1. Secunda opinio eorum est, qui dicunt Eucharistiam in voto necessariam quidem esse, sed non tanta necessitate quanta Baptismus v. g. Namque quia Baptismus est principium vitæ spiritualis, per se necessarius est in re, tantùm per accidens fit, ut ejus votum sufficiat: è contra, quia Eucharistia est consummatio & perfectio vitæ spiritualis, per accidens tantùm necessaria est in re, per se verò requiritur in voto. Tribuitur hæc opinio Cajetano, Dominico Soto, & aliis nonnullis. Tertia denique opinio, eorum est qui censent Eucharistiam neque in re, voto neque in voto necessariam esse ad salutem necessitate medii, sed præcepti duntaxat. His ita historicè narratis, sit

CONCLUSIO.

Sacramentum Eucharistiæ neque in re, neque in voto saltem proprio, necessarium est necessitate medii ad salutem, sive parvulis, sive adultis.

Probatur prima pars de perceptione reali, ex constanti ac perpetua fide & Traditione Ecclesiæ, ex qua hæc argumenta eruimus.

Primum est, quia ea fuit semper Ecclesiæ fides ac doctrina, infantes statim à baptismo suscepto morientes æterna frui beatitudine; persuasum quippe semper ei fuit, per Baptismum deleri peccatum originale, conferri sanctificantem gratiam, & jus acquiri ad hæreditatem cœlestem. Hæc fides Ecclesiæ fundamentum habet in istis Christi Domini verbis, Joan. 3. v. 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei*, & in istis Apostoli, Rom. 8, v, 1. *Nihil damnationis est iis qui sunt in Christo Jesu.* Porrò ex eodem Apostolo, Galat. 3. v. 27. *Quicunque in Christo baptisati estis, Christum induistis*, Ergo infantes baptisati Christum induerunt & in ipso sunt; nihil ergo damnationis in se habent, per quod possint à regno cœlorum & vita æterna excludi. Hinc generatim pronuntiat idem Apostolus, Ephesiorum 5, v. 26. Christus nos *mundasse lavacro aquæ in verbo vitæ*, & ad Titum 3, v. 5. *salvos nos fecisse per lavacrum regenerationis.*

Fidem hanc Ecclesiæ constanter docuerunt & propugnarunt utriusque Ecclesiæ, tum Græcæ, tum Latinæ, SS. Patres.

Ex Græcis, SS. Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi 18, Basilius Magnus Exhortatione ad Baptisma; Gregorius uterque, Nazianzenus & Nyssenus Hom. de Baptismo; Chrysostomus Hom. ad baptisandos, atque alii quos appellat Arcudius Lib. 4. de Euchar. cap. 42. & quos, ubi de Baptismo, retulimus.

Ex Latinis cæterorum omnium instar sufficiant S. Augustinus, ejusque fidelis discipulus & interpres S. Fulgentius.

S. Augustinus pluribus in locis affirmat infantes post susceptum Baptisma ex hac vita migrantes, æternam felicitatem assequi, Epistola 98. alias 23. ad Bonifacium. (Tom 2. p. 268. A.) *Sicut*, inquit, (parvulus) *credere respondetur, ita etiam fidelis vocatur, non rem ipsa mente annuendo, sed ipsius rei Sacramentum percipiendo. Cum autem homo sapere cœperit, non illud Sacramentum repetet, sed intelliget, ejusque veritati consona etiam voluntate coaptabitur. Hoc quamdiu non potest, valebit Sacramentum ad ejus tutelam adversùs contrarias potestates; & tantùm valebit, ut si ante rationis usum ex hac vita migraverit, per ipsum Sacramentum, commendante Ecclesiæ charitate, ab illa condemnatione, quæ per unum hominem intravit in mundum, Christiano adjutorio liberetur.*

Idem docet Epistola 166. alias 28. ad Hieronymum; sed disertissimè L. 1. de peccat. meritis & rem. cap. 19. *Verumtamen*, inquit, *si parvulus percepto baptismate de hac vita emigraverit, soluto reatu cui originaliter erat obnoxius, perficietur in illo lumine veritatis, quod incommunicabiliter manens in æternum, justificatos præsentia Creatoris illuminat. Peccata enim sola separant inter homines & Deum, quæ solvuntur Christi gratia.* (To. 10. p. 14. F. G.)

S. Fulgentius à Ferrando Diacono rogatus quid judicandum de salute juvenis cujusdam Æthiopis, qui morte instante baptisatus prius decesserat, quam Eucharistiam percepisset, ostendit multis Scripturæ locis, & auctoritate S. Augustini ducta ex sermone ejus ad infantes, ejusmodi juvenem per baptismum fieri membrum Christi ac participem effectus Eucharistiæ, adeoque consortem regni cœlorum & vitæ æternæ. *Arbitror*, inquit, *sancte frater, disputationem nostram præclari doctoris Augustini sermone firmatam; nec cuiquam esse aliquatenus ambigendum, tunc unumquemque Fidelium corporis sanguinisque Dominici participem fieri, quando in Baptismate membrum corporis Christi efficitur, nec alienari ab eo panis calicisque consortio, etiamsi antequam panem illum comedat, & calicem bibat, de hoc sæculo in unitate corporis Christi constitutus abscedat.* Nihil potest in rem nostram disertius afferri. (P. 227.)

Hac inspecta & probata Ecclesiæ totius Traditione, Concilium Trident. Sess. 21. c. 4. declarat *parvulos usu rationis carentes nulla obligari necessitate ad sacramentalem Eucharistiæ communionem.* Rationem hanc subjungit; *Siquidem per Baptismi lavacrum regenerati & Christo incorporati, adeptam jam filiorum gratiam in illa ætate amittere non possunt.* (Tom. 14. Conc. p. 847. B C)

Et Canone 4. ejusdem Sess. sic definit: *Si quis dixerit, parvulis, antequam ad annos discretionis pervenerint, necessariam esse Eucharistiæ communionem; anathema sit.* (Ibid. E.)

Secundum argumentum est: Si Ecclesia semper credidit eos qui morte præventi baptisari non possunt, & baptismum sani non neglexerant, salutem æternam consequi propter Baptismi desiderium, quod procedit ex fide per dilectionem operante; ut patet ex S. Ambrosio, Oratione de obitu Valentiniani junioris; ex S. Augustino L. 4. de Baptismo contra Donat. c. 22. & L. 1. de anima & ejus origine c. 9. ex Innocentio III. Cap. *Apostolicam. De Presbytero non baptisato*, à fortiori semper credidit infantes post susceptum Baptismum sine actuali Eucharistiæ perceptione vitam æternam adipisci.

Tertium argumentum est: quia si tempse existimasset Ecclesia, Sacramentum Eucharistiæ medium esse absolutè necessarium ad salutem, proculdubio priscum suum morem illud simul cum Baptismo infantibus administrandi non immutasset; imò potius inclinante jam ea consuetudine, tam pernicioso errori totis viribus obstitisset, quomodo nunc haud dubie obsisteret, si animadverteret Baptismum infantibus non conferri. At ne leve quidem occurrit in Antiquitate hujusce obsistentiæ vestigium, licet multis ab hinc sæculis defierit in Latina Ecclesia illa consuetudo, Eucharistiam simul cum Baptismo infantibus administrandi, de qua Græci nunquam litem nobis moverunt, quia alia benè multa longè momenti levioris objectarunt.

Quartum argumentum est; quia Ecclesia semper existimavit tantæ necessitatis esse Baptismum, ut omnibus,

bus, seu Gentilibus, seu Judæis, seu Christianis laicis, etiam mulieribus, potestatem fecerit Sacramentum illud in casu extremæ necessitatis constitutis administrandi; non ita vero permisit omnibus indiscriminatim facultatem conficiendi vel administrandi Eucharistiam.

Quintum denique argumentum petitur ex ratione theologica quam suggerit Concilium Trid, Sess. 21. c. 4. citato, quia nempe Eucharistia destinatur ad conservandam gratiam per Baptismum acceptam: sed infantes tali conservatione non indigent, qui gratiam hanc, quamdiu rationis usu carent, amittere non possunt.

Præterea: Illud non est necessarium necessitate medii in re susceptum, quod ex natura sua supponit remissionem peccatorum, & præviam gratiam sanctificantem in suscipiente; quod per se institutum non est ad primam gratiam conferendam, sed tantum conservandam, neque ad delendum peccatum, sed ad illud præcavendum: atqui talis est Eucharistia, quæ supponit ex natura sua remissionem peccatorum, ac præviam gratiam in suscipiente; neque per se instituta est ad collendum peccatum, hoc enim proprium est dumtaxat Baptismi & Pœnitentiæ, quæ idcirco dicuntur Sacramenta mortuorum. Et certe Eucharistia instituta est per modum alimenti, quo anima sustentatur: sed alimentum supponit vitam in manducante. Denique ejus effectus est confirmatio in bono & in gratia, quod proprium est alimenti spiritualis.

Secunda pars Conclusionis, nempe Eucharistiam non esse necessariam in voto, probatur, I. quia ea res nequidem in voto medium censeri debet ad salutem absolute necessarium, quæ destinata non est ad conferendum aliquem gratiæ effectum absolute necessarium ad salutem: atqui talis est Eucharistia, ex mox probatis. Neque dicas effectum Eucharistiæ esse incorporationem cum Christo, sine qua nemo potest salvus fieri. Namque modus seu ratio qua homo per Eucharistiam cum Christo incorporatur, absolute necessaria non est ad salutem; siquidem prima non est incorporatio, quæ jam facta supponitur in Baptismo, & quæ sola sufficit ut quis sit membrum Christi, filius Dei adoptivus, & consequenter jus habeat ad hæreditatem cœlestem.

II. Quia in adversa sententia par videretur esse Baptismi & Eucharistiæ necessitas. Sicut enim Baptismus actu susceptus absolute necessarius non est, cum per martyrium, & perfectam contritionem Baptismi votum includentem suppleri possit; ita quoque Eucharistia, in sensu adversariorum, re suscepta, necessaria quidem non est, sed in voto saltem ac desiderio. Neque dici potest, Baptismi votum debere esse explicitum, Eucharistiæ vero sufficere implicitum. Namque qui perfectum Dei amorem super omnia haberet, & de Baptismo nihil unquam audivisset, ille certe votum Baptismi explicitum non haberet, sed implicitum dumtaxat, & tamen salvus esset; qui enim diligit, non manet in morte.

III. Quia si Ecclesia pro infantibus, dum baptisantur, votum haberet Eucharistiæ, quod illa existimaret ad salutem necessarium, haud dubie votum illud ubi primum opportuna se daret occasio, adimpleret, neque discretionis annos expectaret ut infantes Eucharistiæ participes faceret; aut saltem, cum urget mortis periculum, illo tam necessario viatico eos non defraudaret, quod tamen à moribus & disciplina præsentis Ecclesiæ alienum est.

Dixi in Conclusione, Eucharistiam in voto saltem proprio non esse medium ad salutem necessarium. Si enim intelligatur votum improprie, quatenus scilicet est voluntas generalis adimplendi quid quid à Christo fuit præscriptum, haud dubia votum illud necessarium est, & semper includitur in charitate perfecta, ut inter prænotata diximus; sed tale votum non tantum Eucharistiam respicit, sed rem quamlibet aliam à Christo præscriptam: quemquam is qui baptisatur, aliquo sensu dici potest habere votum Eucharistiæ, ut observavimus.

Solvuntur Objectiones.

Objiciès 1. hanc Christi sententiam apud S. Joan. c. 6. v. 54. *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis*, quibus certe verbis medii necessitas exprimi videtur, perinde ac istis, Joan. 3. v. 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei*; aut istis Lucæ 13. v. 3. *Nisi pœnitentiam habueritis, omnes simul peribitis*. Ergo &c.

Resp. nego ant. Namque, ut optime advertit Sanctesius Ebroicensis Episcopus, sexta Repetitione de veritate Eucharistiæ c. 7. ex hac Christi sententia non potest inferri necessariam esse Eucharistiam necessitate medii, ex qua inferri non potest neminem absolute vitam æternam assequi posse sine participatione reali corporis & sanguinis Christi: atqui ex sententia Christi id minime potest inferri, cum ipse alibi jam monuisset, per fidem haberi posse vitam æternam: *Qui credit in me*, inquit Joan. 6. v. 47. *habet vitam æternam*. Deinde, pergit Auctor citatus, non dixit Christus, *Nisi manducaveritis &c. non habebitis vitam æternam*, sed solum dixit, *non habebitis vitam in vobis*; hoc est, vitam permanentem, quæ est ipse Christus vitæ omnis fons & origo: adeoque innuit tantum Christus hoc præcepto, certum modum vitam possidendi, quo nempe habitet realiter in sumente, ita ut caro Christi habitans in nobis vitam permanentem nobis conferat.

Itaque hæc Christi sententia, *Nisi manducaveritis &c.* ad solos adultos dirigitur, ac præcepti necessitatem exprimit, non medii: neque, ut in prænotatis diximus, ex sola loquendi ratione, sed potissimum ex subjecta materia dignosci debet & distingui necessitas medii à necessitate præcepti. Eadem quidem est loquendi ratio in hac duplici Christi sententia, *Nisi manducaveritis &c.* &, *Nisi pœnitentiam egeritis*; sed diversa materia seu res præcepta. Pœnitentia quippe absolute necessaria est lapsis post Baptismum; non ita Eucharistia, quia illa continet & confert eum gratiæ spiritualis effectum sine quo nemo potest salvus esse, non vero ista.

Neque conferri debet ista Christi sententia, *Nisi manducaveritis*, cum alia de Baptismo, *Nisi quis renatus fuerit*: diversa enim plane est loquendi ratio, ut per se patet. Posterior enim omnes complectitur, & neminem excipit, sive adultus sit, sive parvulus; prior ad eos dirigitur quos præsentes alloquebatur Christus, & in eorum persona ad omnes adultos præcepti capaces; unde per Apostolum conditiones præscribit necessarias, quibus vult præceptum istud observari, nempe ut si quis de pane illo comedat & de calice bibat, seipsum probet, id est conscientiam suam adeat, & ab omni labe mortali prius eam purget, quam accedat ad sacram mensam. At infantibus nihil tale præcipi potest; ergo &c.

Objiciès 2. Hanc Christi sententiam, *Nisi manducaveritis carnem &c.* de manducatione reali omnibus, sive adultis sive parvulis, necessaria interpretati sunt Veteres, imprimis Innocentius I. S. Augustinus, & Gelasius S. Pontifex.

Innocentius I. Epistola ad Patres Concilii Milevitani, inter Augustinianas 182. alias 93. sic loquitur refellens Pelagianos; "Illud vero quod eos vestra fraternitas asserit prædicare, parvulos æternæ vitæ præmiis, etiam sine Baptismatis gratia posse donari, perfatuum est. Nisi enim manducaverint carnem filii hominis, & biberint ejus sanguinem, non habebunt vitam in semetipsis. Qui autem hanc eis sine regeneratione defen- *Tom. 2. p. 640. F.*

„d nt. videntur ipsum Baptismum velle cassare, cum „prædicant hos habere, quod in eos creditur omnino „Baptismate conferendum. Si ergo nihil volunt officere, „non renasci fateantur necesse est, nec regenerationis „sacra fluenta prodesse.

Hanc Innocentii sententiam sæpius cum laude commemorat S. Augustinus, eamque, tanquam Sedis Apostolicæ definitionem, suscipit. Ita Epistola 180. alias 106. ad Paulinum c. 8. L. 2. ad Bonifacium contra duas Epistolas Pelagianorum c. 4. L. 1. contra Julianum

Te. 10. p. 504. A.B.

c. 4. "Sancto Innocentio, *inquit, alloquens Julianum*, „vide quid respondeas.... qui parvulos definivit, nisi „manducaverint carnem Filii hominis, vitam prorsus „habere non posse. Huic responde: imo ipsi Domino, „cujus ille Antistes usus est testimonio." Ibidem ostendit sanctus Doctor, Innocentii sententiam totius esse Ecclesiæ fidem.

S. igitur Augustinus pluribus in locis, sed maxime L. 1. de peccat. mer. & rem. c. 20. necessitatem absolutam Eucharistiæ, etiam pro parvulis, agnoscit & probat pugnans adversus commentitiam distinctionem regni cœlorum à vita æterna, quam excogitaverant Pelagiani scilicet cum nullum illi agnoscerent originale peccatum, aliunde tamen necessitatem Baptismi admitterent, quia dixit Christus, "Nisi quis renatus fuerit ex

Scopus & argumentatio S. Augustini.

„aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum „Dei;" infantes sine Baptismo morientes excludebant quidem à regno cœlorum, defectu Baptismi, sed vita æterna eos donari contendebant, innocentiæ merito, ut pote qui nulla forent labe originis infecti. En Pelagianorum error, quem confutandum aggreditur sanctus Doctor & quem eo potissimum argumento revincit: nempe, Sicut in Scripturis regnum cœlorum tribuitur efficaciæ Baptismi, quia dictum est, *Nisi quis renatus fuerit &c.* ita vita æterna tribuitur Eucharistiæ manducationi, quia similiter dixit Christus, *Nisi manducaveritis carnem &c.* & sicut propter defectum Baptismi infantes morientes excluduntur à regno cœlorum, ita pariter propter defectum Eucharistiæ debent iidem excludi à vita æterna: atqui infantes sine Baptismo morientes Eucharistiam non percepere, quæ nonnisi baptisatis potest concedi; ergo infantes sine Baptismo & Eucharistia morientes excludi debent non tantum à regno cœlorum, sed etiam à vita æterna. En tota S. Doctoris argumentatio, ex qua colligere est patem ipsi visam fuisse necessitatem Eucharistiæ & Baptismi. En verba: "Te- „neantur autem isti, *nempe Pelagiani*, sententia Domini

Ib. p. 15. A.

„dicentis, Nisi quis renatus fuerit denuo, non videbit re- „gnum Dei; quod cum exponeret, ait, Nisi quis renatus „fuerit ex aqua & spiritu, non intrabit in regnum cœlo- „rum. Et propterea conantur parvulis non baptisatis „innocentiæ merito salutem ac vitam æternam tribuere; „sed quia baptisati non sunt, eos à regno cœlorum facere alienos, nova quadam ac mirabili præsumptione, „quasi salus ac vita æterna possit esse præter Christi hæ- „reditatem, præter regnum cœlorum. Habent enim vi- „delicet quo confugiant, atque ubi delitescant, quia non „ait Dominus, Si quis non renatus fuerit ex aqua & spi- „ritu non habebit vitam; sed ait, non intrabit in regnum „Dei. Nam si illud dixisset, nulla hinc dubitatio posset „oboriri. Auferatur ergo dubitatio: jam Dominum au- „diamus, non suspiciones conjecturasque mortalium: „Dominum audiamus, inquam, non quidem de hoc Sa- „cramento lavacri dicentem, sed de Sacramento sanctæ „mensæ suæ, quo nemo rite nisi baptisatus accedit, Nisi „manducaveritis carnem meam & biberitis sanguinem „meum, non habebitis vitam in vobis. Quid ultra quæ- „rimus? Quid ad hoc responderi potest, nisi per- „tinacia pugnaces nervos adversus constantiam per- „spicuæ veritatis intendat? An vero priusquam „etiam hoc dicere audebit, quòd ad parvulos hæc sen- „tentia non pertineat, possintque sine participatione "corporis hujus & sanguinis in se habere vitam; quia "non ait, Qui non manducaverit, sicut de Baptismo, qui "non renatus fuerit: sed ait, Si non manducaveritis; velut "eos alloquens qui audire & intelligere poterant, quod "utique non valent parvuli: sed qui hoc dicit, non atten- "dit, quia nisi omnes ista sententia teneat, ut sine corpo- "re & sanguine filii hominis vitam habere non possint, "frustra etiam ætas major id curat. Potest enim, si non "voluntatem, sed verba loquentis attendas, eis solis vide- "ri dictum, quibus tunc Dñs loquebatur: quia non ait "Qui non manducaverit, sed, Si non manducaveritis.

Ib. p. 19. E.

Eodem L. c. 24. initio: *Optime*, inquit, *Punici Christiani Baptismum ipsum nihil aliud quam salutem, & Sacramentum corporis Christi, nihil aliud quam vitam vocant. Unde? nisi ex antiqua, ut existimo, & Apostolica Traditione, qua Ecclesiæ Christi insitum tenent, præter Baptismum & participationem mensæ Dominicæ, non solum ad regnum Dei, sed nec ad salutem & vitam æternam posse quemquam hominum pervenire....* Et paulò post: *Si ergo, ut tot & tanta divina*

Ib. p. 20. A.

testimonia concinunt, nec salus nec vita æterna sine Baptismo & corpore & sanguine Domini cuique speranda est, frustra sine his promittitur parvulis. Porro si à salute ac vita æterna hominem nisi peccata separant, per hæc Sacramenta nonnisi peccati reatus in parvulis solvitur.

Ib. p. 554. E. F.

Et L. 3. contra Julianum c. 1. *An*, inquit, *dicente Christo, Si non manducaveritis carnem meam & biberitis meum sanguinem non habebitis vitam in vobis; dicturus fueram parvulum habiturum vitam, qui sine ista Sacramenta finisset hanc vitam?*

Gelasius. Tom. 4. Conc. p. 1173. D.

Post S. Augustinum Gelasius S. Pontifex qui sedit an. 492. in Epistola 7. quæ est ad Episcopos per Picenum, adversus Pelagianos ita disputat: *Ipse Dominus J. C. cœlesti voce pronuntiat: Qui non manducaverit carnem filii hominis, & biberit sanguinem ejus &c. ubi utique neminem videmus exceptum; nec ausus est aliquis dicere, parvulum sine hoc Sacramento salutari ad vitam æternam posse perduci, sine illa autem vita, in perpetua futurum morte non dubium est.*

Ex his porrò testimoniis sic arguitur: Illud necessarium est necessitate non tantùm præcepti, sed etiam medii ad salutem, quod Innocentius I. Augustinus, Gelasius, non tantum adultis, sed etiam ipsis infantibus, qui præcepti haud dubiè capaces non sunt, necessarium esse pronuntiant, ut vitam æternam assequantur: atqui

Argumentum.

Innocentius I. Augustinus, Gelasius ita pronuntiant; imò S. Augustinus ex professo cap. 20. L. 1. de pecc. mer. & rem. refellit eos qui hanc Christi sententiam, *Nisi manducaveritis &c.* ad solos adultos restringunt. Existimant igitur Eucharistiam esse medium necessarium ad salutem.

Respondent multi Theologi post S. Th. 3. parte q. 73. art. 3. responsione ad primum, S. Augustinum non loqui de reali & actuali perceptione Eucharistiæ, sed de spirituali dumtaxat in voto saltem implicito, ac ratione effectus, nempe incorporationis cum Christo, ejusque corpore mystico, quod est Ecclesia, qui quidem Eucharistiæ effectus cùm per Baptismum obtineatur, qui Baptismo privatur, & illo quoque privatur effectu; adeoque vita æterna, quæ iis tantùm promittitur, qui Christi carnem saltem spiritualiter manducant; atque hinc concludit sanctus Doctor adversùs Pelagianos, infantes sine Baptismo morientes non tantum à regno cœlorum excludi, sed etiam à vita æterna, cum careant effectu tùm Baptismi, tum Eucharistiæ. Hanc esse S. Doctoris mentem probant, & ex scopo ipsius atque instituto, quod paulò antè declaravimus; & ex eo quod sæpius inculcat, eum scilicet qui rite baptisatur, participem fieri corporis & sanguinis Christi, utpote qui membrum ipsius fiat & societati Fidelium adnectur. Id expressis S. Doctoris verbis

ex

Tom. 10. Cont. p. 656.

ex quodam ejus sermone depromptis probat S. Fulgentius, loco inter probationes Conclusionis allato: illud vero declarat S. ipse Augustinus, tom Tract. 26. in Joan. ubi pronuntiat, hoc esse manducare carnem, & bibere sanguinem, in Christo manere, & manentem in se habere; atque *hunc cibum & potum intelligi societatem corporis Christi & membrorum ejus*, quæ virtus est, seu effectus Sacramenti corporis Christi. Tum L. 3. de pecc. mer. ac remis. cap. 4. ubi sic loquitur: „Nonne veritas sine ulla ambiguitate proclamat, non „solum in regnum Dei non baptisatos parvulos intrare „non posse, sed nec vitam æternam habere posse, præter „Christi corpus, cui ut incorporentur Sacramento Ba„ptismatis imbuuntur?" Igitur tota S. Doctoris disputatio adversus commentitiam distinctionem Pelagianorum regni cœlorum à vita æterna, hoc fere argumento concluditur, juxta responsionem hanc: Illi tantum æternæ vitæ participes esse possunt, qui sunt membra Christi, ejusque corporis mystici, nempe Ecclesiæ: atqui infantes sine Baptismo morientes non sunt membra Christi, nec ad ejus corpus mysticum, nempe Ecclesiam, pertinent; qui enim Christi carnem nequidem spiritualiter manducarunt, ii Christo incorporari dici non possunt, neque ejus membra, per illam siquidem manducationem homo unitur cum Christo totius vitæ fonte, à quo vitam ipse accipit; atqui infantes non baptisati Christi carnem nullatenus manducant, nec realiter, solis enim baptisatis datur Eucharistia, nec spiritualiter, spiritualis enim hæc manducatio fit in Baptismo & per Baptismum; igitur ejusmodi infantes non baptisati nullatenus Christo incorporantur, ejusque membra fiunt, & consequenter vitam in se non habent; adeoque si eo in statu moriuntur, excluduntur non tantum à regno cœlorum, sed etiam à vita æterna.

T. 10. p. 764. A.

Vetum responsio hæc, etsi summorum virorum calculo probata, propositis ex Augustino testimoniis plene satisfacere non videtur; ac facile est ostendere, S. Doctorem non de spirituali dumtaxat loqui manducatione Eucharistiæ, ratione effectus, sed etiam de reali & actuali.

Refellitur solut o. Momenta quibus ostenditur S. Augustinum loqui de perceptione reali & actuali Eucharistiæ.

I. Qui manducationem illam spiritualem, seu potius effectum Eucharistiæ necessarium esse contendit, ut quis vitam æternam assequatur; atqui effectus ille non est absolute necessarius, ex dictis; quia gratiam sanctificantem primo ac per se non confert Eucharistia, sed etiam per Baptismum jam collatam præsupponit. Neque dicas effectum illum esse incorporationem cum Christo, sine qua nemo potest salvus esse: fatemur quidem, sed talis incorporatio obtinetur per Baptismum solum sine Eucharistia; atque incorporationis modus, qui proprius est Eucharistiæ, non est absolute necessarius ad salutem, aut si est, ab ipso Baptismi effectu nullatenus distinguitur.

II. Quia expressis verbis S. Augustinus L. 1. de pecc. mer. & rem. c. 20. citato, distinguit inter necessitatem Baptismi ad habendum regnum, & necessitatem Eucharistiæ ad habendam vitam æternam; atque hanc Christi sententiam, *Nisi manducaveritis &c.* non de Sacramento lavacri esse intelligendam, sed de Sacramento sanctæ mensæ Christi, & non solum ad adultos, sed etiam ad ipsos infantes pertinere. Atqui si de solo Eucharistiæ voto, ejusque spirituali dumtaxat manducatione ratione effectus ageret, frustra inter utrumque Sacramentum distingueret: manducatio siquidem spiritualis Eucharistiæ, ejusque votum saltem implicitum, & effectus, incorporatio scilicet cum Christo ejusque corpore mystico, ab ipso effectu Baptismi non distinguitur, in quo semper continetur.

III. Quia c. 24. citati L. 1. de pecc. mer. & rem. & c. 1. L. 3. contra Julianum expresse ait numero plurali, *per hæc Sacramenta*, nempe Baptismum & Eucharistiam, solvi reatum peccati; & sine *isto Sacramento*, nempe Eucharistia, infantem non posse habere vitam æternam. Igitur non loquitur tantum de re Sacramenti, seu effectu, sed de ipso sacramento, seu signo exteriori.

IV. Quia loquitur sanctus Doctor de illa Eucharistiæ dispensatione quæ sua ætate in usu erat: at ætate Augustini vere de facto & sacramentaliter concedebatur infantibus Eucharistia. *Illis*, inquit L. 2. Operis imperfecti contra Julianum n. 30. *ministratur sanguis quem bibunt, ut vitam habere possint.* Et Sermone 174. alias 8. de verbis Apostoli, " Infantes sunt, *inquit*, sed „mensæ ejus participes fiunt, ut habeant in se vitam." Igitur loquitur de reali & sacramentali Eucharistiæ dispensatione, etiam respectu infantium; non vero de sola spirituali ejus perceptione Baptismo.

To. 10. p. 697. D.

To. 10. p. 854. A. B.

V. Quia citato c. 20. L. 1. de pecc. mer. & rem. de illa loquitur Eucharistiæ perceptione, " ad quam nemo „nisi rite baptisatus potest accedere." Lege verba; Atqui de sola reali & sacramentali perceptione potest hoc intelligi. Namque sine Baptismo re percepto, & cum fide & charitate perfecta, potest quis spiritualiter particeps esse corporis & sanguinis Christi, ejusque votum desiderium non tantum implicitum habere, sed etiam explicitum. V. g. si Catechumenus ante susceptum Baptisma perfecte ac super omnia Deum diligat, ac morte præveniatur, ex voto Baptismi ac perfecta charitate justificatur.

Tom. 10. p. 15. C.

VI. Denique. quia nisi Augustinum intelligas de vera ac sacramentali Eucharistiæ perceptione infantibus necessaria ad habendam vitam æternam, vix concipias quomodo intentum suum obtineat adversus Pelagianos. Namque hoc unum intendit, infantes nempe sine Baptismo morientes non tantum à regno cœlorum excludi, quod fatebantur illi, sed etiam à vita æterna; quod probat, quia sicut Baptismo promittitur regnum cœlorum; ita Eucharistiæ; At si de sola Eucharistiæ perceptione spirituali, ratione effectus qui in ipso Baptismo continetur, loqueretur, vix quidquam profecisset adversus Pelagianos: facile enim illi reposuissent, effectum illum ab effectu Baptismi distinctum non esse, & consequenter non aliud ipsi tribuendum, quam quod effectui Baptismi tribuitur, ut nempe infantes participes faciat regni cœlorum; & ut ex adverso infantes tali effectu privati, priventur regno cœlorum, non autem vita æterna, quæ illotum innocentiæ, ut putabant illi, debetur.

His igitur momentis adducimur, ut credamus S. Augustinum locis in Objectione citatis, loqui de vera, reali & sacramentali Eucharistiæ perceptione; quia tamen ex aliis ejusdem S. Doctoris testimoniis certissime constat, eum non existimasse hanc realem & sacramentalem perceptionem medium esse absolute necessarium ad salutem, hinc ut in speciem contraria testimonia concilientur.

Respondeo S. Doctorem non ex propria mente atque sententia dixisse Eucharistiam infantibus esse necessariam ad habendam vitam æternam, sed in sententia & hypothesi Pelagianorum, qua supposita, & non concessa, ad hominem, ut dicitur, arguit in hunc fere modum: Nemo non baptisatus est particeps corporis Domini: Nemo non particeps corporis Domini habet vitam, sicut enim de Baptismo dicitur, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, non potest introire in regnum Dei*; ita de Eucharistia, *Nisi manducaveritis carnem filii hominis & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Ergo nemo non baptisatus habet vitam, & consequenter, data & non concessa illa distinctione inter regnum cœlorum & vitam æternam, adhuc sequitur infantes sine Baptismo morientes non tantum regnum Dei non obtinere, defectu Baptismi, sed neque vitam æternam, defectu Eucharistiæ. Argumentum illud eo validius premebat Pelagianos, quod juxta usum tunc temporis receptum, de facto simul cum Baptismo conferebatur infantibus

Eucharistia; & sicut ipsi negabant infantes non baptisatos habere regnum cœlorum, quia illud solummodo baptisatis promittitur, ita & consequenter negare debebant eos habere vitam æternam, quia iis quoque promittitur tantum qui carnem Christi manducant, & bibunt ejus sanguinem. Porro qui non baptisantur, eam carnem non manducant: *Ad sacram enim mensam*, inquit Augustinus, *nemo nisi rite baptisatus admittitur.*

Hanc arguendi ad hominem rationem videtur insinuare sanctus Doctor loco citato ex c. 4. L. 1. contra Julianum, cum ait: *Sancto Innocentio vide quid respondeas &c.* Præterea, ita sæpe disputat de vita quam Eucharistia tribuit, quasi alia foret à salute, quam tribuit Baptismus, quod certe nonnisi per figuram concessionis potest intelligi: & quod me maxime movet, in omnibus antea citatis testimoniis nunquam directe impugnat fictitiam illam distinctionem regni cœlorum à vita æterna, sed ea supposita & non concessa, ostendit infantibus æque necessariam esse Eucharistiam ad habendam vitam æternam, ac Baptismum ad habendum regnum cœlorum, adeoque sine utroque Sacramento morientes excludi & à regno cœlorum & à vita æterna. Igitur videtur sanctus Doctor arguere ad hominem, ex hypotesi ac sententia Pelagianorum circa distinctionem regni cœlorum à vita æterna, qua supposita, eos adhuc invicte refellit. Facilior nobis inter alias videtur hæc ratio exponendi mentem & verba S. Augustini antea laudata, quæ, nostro quidem judicio, de alia, quam de vera & sacramentali Eucharistiæ perceptione, intelligi non possunt, ut probant sex momenta quæ adduximus.

Instabis 1. Totum istud S. Augustini ratiocinium, quod ad hominem dicimus, nihil omnino probat adversus Pelagianos, cum falsa nitatur suppositione. Scilicet, ut recte evincat sanctus Doctor, in eorum sententia infantes sine Baptismo & Eucharistia morientes non tantum à regno cœlorum, sed etiam à vita æterna excludi, supponere debet, tanquam à Pelagianis concessum, realem & actualem Eucharistiæ perceptionem esse necessariam ad habendam vitam æternam, sicut concedebant necessarium esse Baptismum ad regnum cœlorum: atqui hoc ipsum est quod illi negabant, contendentes hanc Christi sententiam, *Nisi manducaveritis &c.* ad solos adultos pertinere, non vero ad infantes; in eorum igitur sententia nihil probaret adductum S. Augustini ratiocinium. E contra si supponamus S. Doctorem ex propria mente atque sententia, quæ communis erat tunc temporis, urgere realem & actualem Eucharistiæ perceptionem, tanquam medium ad salutem necessarium, recte concludit ejus argumentum, ac intentum assequitur.

Resp. nego ant. ejusque probationem. Namque 1. retorqueri facile potest hæc eadem instantia adversus manducationem spiritualem Eucharistiæ quæ fit in Baptismo, de qua S. Doctorem adversarii nostri interpretantur, quam certe Pelagiani, perinde ac realem & actualem, negabant necessariam esse ad habendam vitam & æternam: solvenda igitur est adversariis nostris hæc instantia, sicut & nobis. 2. Ut stet robur & vis argumentationis S. Augustini adversus Pelagianos, necesse non est ut supponat tanquam ab ipsis concessum, actualem Eucharistiæ perceptionem necessariam esse absolute ad habendam vitam æternam; sed satis est ut ex certa consecutionis lege adigat eos id fateri, quod ex eorum principiis necessario sequitur. Idcirco enim dicebant necessarium Baptismum ad regnum cœlorum, quia dixit Christus, *Nisi quis renatus fuerit &c.* at idem de Eucharistia ad habendam vitam dixit, *Nisi manducaveritis carnem &c.* Ergo, concludit sanctus Doctor, tam necessaria est Eucharistia ad vitam æternam, quam Baptismus ad regnum cœlorum, etiam supposita fictitia illa distinctione regni cœlorum à vita æterna; & consequenter infantes sine Baptismo & Eucharistia morientes excluduntur & à regno cœlorum & à vita æterna. En argumentum S. Doctoris, quod optimum est ac recte premit Pelagianos.

Instabis 2. Multi alii SS. Patres idem cum Augustino de necessitate Eucharistiæ censuere, qui de Pelagianis ne cogitabant quidem; igitur illi ex sua propria mente atque sententia docuerunt, Eucharistiam non tantùm adultis necessariam esse, sed etiam infantibus ad habendam vitam æternam.

Resp. dist. conseq. docuerunt Eucharistiam esse necessariam ex præcepto & usu Ecclesiæ diu recepto de concedenda, etiam infantibus, Eucharistia, concedo: esse necessariam absolutè, tanquam medium, sine quo salus æterna non potest obtineri, nego. Igitur SS. illi Doctores ad usum suo tempore receptum attendentes, Eucharistiam omnibus, ipsis quoque infantibus, necessariam dixerunt, necessitate scilicet præcepti & usus ecclesiastici, ejusque perceptioni gratiam & vitam æternam adscribebant, quam tamen sine illa haberi posse fatebantur; sicut sumptioni utriusque speciei, pro disciplina sui temporis, nonnunquam gratiam Sacramenti tribuunt, quæ tamen integra habetur ex perceptione unius speciei.

Instabis 3. Infantes sunt incapaces præcepti; ergo cùm SS. Patres affirmant Eucharistiam ipsis esse necessariam, intelligendi sunt de necessitate medii, non verò præcepti.

Resp. dist. ant. Infantes sunt incapaces præcepti, quod proprio motu ac voluntate adimpleant, concedo; quod adimpleant motu & voluntate aliena, nempe eorum, per quos offeruntur Ecclesiæ ut baptisentur & Eucharistiam percipiant, nego. Capaces enim sunt recipiendæ gratiæ quæ per Eucharistiam confertur, adeoque & ipsius actualis Eucharistiæ perceptionis, cujus tamen neglectæ rei non sunt, cùm præ ætatis infirmitate præceptum illud propria voluntate non possint adimplere; sed ipsi parentes, aut quicunque infantium illorum curam gerunt, qui Ecclesiæ præceptum erga illos exequi tenentur, ac peccant, nisi exequantur.

Instabis 4. Non alia quàm necessitatis absolutæ causa duci potuit Ecclesia, ut per duodecim sæcula infantibus Eucharistiam dispensaverit; ergo &c.

Resp. nego ant. Sine controversia enim credendum est, inquit Conc. Trid. Sess. 21. cap. 4. SS. Patres nulla salutis necessitate id fecisse, sed probabilem causam pro illius temporis ratione habuisse. Et certè pari argumento conficeretur, Sacramentum Confirmationis esse absolutè necessarium ad salutem; simul enim cum Baptismo & Eucharistia solebat antiquitus ministrari. *Tom. 14. Conc. p. 847. C.*

Instabis 5. Alimentum spirituale absolute necessarium est ad conservationem vitæ spiritualis, sicut alimentum corporale ad conservationem vitæ corporalis; sed Eucharistia est alimentum spirituale; ergo &c.

Resp. 1. dist ant. in adultis, qui vitam spiritualem possunt amittere, esto: in parvulis qui eam, quamdiu rationis usu carent, amittere non possunt, nego. Verum, neque etiam in adultis necessaria est absolutè & simpliciter Eucharistia ad conservationem vitæ spiritualis: solo enim Dei concursu supernaturali, ac virtutum exercitio conservari potest; atque si quis post receptam sacramentalem absolutionem ante Eucharistiæ perceptionem è vivis excederet, haud dubiè in se conservaret vitam spiritualem sine Eucharistiâ. Multùm tamen eam juvare & utilem esse, imò ex præcepto Christi necessariam, ut superentur tentationes, peccata caveantur ac gratia conservetur, nemo Catholicus inficias ibit.

Resp. 2. disparem esse conditionem alimenti spiritualis & materialis: istud convertitur in substantiam ejus qui nutritur, adeoque ni realiter sumatur, vitam conservare non potest; illud verò convertit hominem in seipsum. Porro Christus qui est alimentum spirituale

animæ,

animarum nostrarum, potest eas sibi unione gratiæ intima sociare, absque reali Eucharistiæ perceptione.

Frustra quis hic opponeret auctoritatem S. Thomæ, qui 3. parte qu. 73. art. 1. ad 1. docet Eucharistiam saltem in voto, seu personali, seu alieno, esse necessariam. Namque fatemur hanc fuisse S. Doctoris mentem: sed quæ affert momenta, satis firma & efficacia nobis non videntur; ad summum enim probant necessarium esse votum Eucharistiæ, non vero Eucharistiam necessariam esse in voto, quæ duo distincta esse suprà prænotato tertio observavimus.

ARTICULUS II.

Utrum detur præceptum divinum sumendi Eucharistiam sub utraque specie.

PRÆNOTANDA.

Observandum 1. Eucharistiam spectari posse vel ut sacrificium, vel ut Sacramentum. Sub priori respectu necessariam esse utriusque speciei consecrationem & consumptionem, fatentur Orthodoxi; hic autem illam simpliciter ut Sacramentum est spectamus, & quærimus an necessaria quoque sit utraque species ad naturam & substantiam Sacramenti.

Observandum 2. in Sacramentorum dispensatione distingui debere tum Sacramenti substantiam, tum ejus administrandi modum ac disciplinam, atque, ut loquitur Conc. Trid. Sess. 21. c. 2. *hanc potestatem perpetuò in Ecclesia fuisse, ut in Sacramentorum dispensatione salva illorum substantia, ea statueret, vel mutaret, quæ suscipientium utilitati, seu ipsorum Sacramentorum venerationi, pro rerum, temporum, & locorum varietate, magis expedire judicaret.* (Tom. 14. Conc. p. 846. D.)

Observandum 3. præsentem controversiam pendere, tanquam à suis fundamentis, ab istis tribus propositionibus. 1. an Christus totus sit & integer sub utra specie, an vero corpus sub una, & sanguis sub altera. 2. an tota ratio seu natura Sacramenti salva sit in una, vel utraque tantum specie. 3. denique, an gratia Sacramenti necessaria ad salutem, utriusque speciei participationi sit annexa, an verò æqualis habeatur, sive una, sive duplex sumatur species; quibus certè tribus aut admissis, aut rejectis, necesse est, vel rejicere, vel admittere necessitatem utriusque speciei ad substantiam & integritatem Sacramenti.

Observandum 4. in præsenti controversia duas includi quæstiones, quarum una juris est, altera facti. Prior est, utrum jure divino ex Christi institutione, utraque species sit necessaria ad essentiam Sacramenti, & ad integritatem effectus illius: posterior, an semper & ubique usque ad duodecimum sæculum, quo à privatis quibusdam Episcopis, vel ad decimum quintum, quo generali lege à Concilio Constantiensi anno 1415. fuit abrogata communio sub utraque specie, an, inquam, ante istud tempus in usu semper fuerit. Utrumque contendunt Novatores: Orthodoxi verò, quantùm ad primam quæstionem quæ juris est, pronuntiant concordi suffragio, nullum extare divinum præceptum de utraque specie sumenda; atque perinde esse, tum ad essentiam Sacramenti, tum ad plenitudinem & integritatem effectus illius, sive una, sive duplex sumatur species. Quantum vero ad quæstionem facti, fatentur ultro usum utriusque speciei diu in Ecclesia viguisse, neque necesse est ut in hoc facto probando allaborent Novatores, quod apud omnes certum est: sed contendunt iidem Orthodoxi, eo ipso tempore, quo in usu fuit communio sub utraque specie, liberum adhuc fuisse Fidelibus, aut duas, aut unam sumere, imò quibusdam in casibus alterutram speciem dispensatam fuisse, adeo omni ætate persuasum fuit, utramque speciem necessariam non esse aut ad substantiam Sacramenti, aut ad integritatem effectus illius. His prænotatis, errores & opiniones more nostro, historicè referemus.

Errores & opiniones.

Inter veteres Hæreticos, nullus, quod sciam, occurrit, qui circa communionem sub una vel duplici specie litem Ecclesiæ moverit. Quod enim scripsit Cajetanus in 3. part. q. 80. art. 12. primam hujus controversiæ originem ab ipso Nestorio repetendam esse, qui [ut ipsi videtur] existimavit sub specie panis corpus, & sub specie vini sanguinem dandum esse, figmentum est, quod totius Antiquitatis silentio refellitur.

Ex Hæreticis posteriorum temporum necessitatem utriusque speciei propugnarunt, tum qui præsentiam Christi realem in Eucharistia admiserunt, tum qui eam negarunt.

Inter primos, desinente sæculo XIV. Pragæ in Boëmia extitere Petrus Dresdensis, & Jacobellus Misnensis, teste Ænea Sylvio Historiæ Boemorum c. 35. quibus initio decimi quinti sæculi se adjunxit Joannes Hus, Boemisque auctor fuit ut calicis usum retinerent, quod non tantùm *liceat*, inquiebat, *sed expediat*. Ex cineribus Joannis Hus duæ excitatæ sunt in Boemia factiones, altera Taboritarum, ab urbe hujus nominis in Boemia sic dicti, auctore Joanne Zisca; altera Calixtinorum, sic dicti ab usu calicis pro quo certabant, capite Roquesane. Hunc Boemorum errorem ad Conc. Constantiense delatum an. 1415. Sess. 13. damnarunt hujus Concilii Præsules, sublato Fidelibus calicis usu.

Lutherus circa præsentem controversiam varius omnino fuit ac inconstans, ut ostendit Bellarminus L. 4. de Euchar. c. 20. & Illustrissimus Meldensium Episcopus in Historia Variationum L. 2. n. 10. Statim quippe communionem sub utraque specie velut rem indifferentem habuit, data unicuique licentia quid vellet, observandi: tum docuit, soli generali concilio, non vero privatis Episcopis potestatem datam esse quidquam ea de re statuendi; deinde hac mutata sententia, nequidem Concilio generali assensurum se dixit, si aut utramque speciem permitteret, aut unam sufficere definiret. Tandem in Libro Captivitatis Babylonicæ apertè declarat, teneri Sacerdotes omnes utramque speciem populo distribuere; posse tamen, citra peccati periculum, unumquemque Fidelem eam sumere vel non sumere: sed in assertione articuli 16. dicit, eos qui non possunt impetrare utramque speciem, si omittant, saltam eam desiderare debere, ac impios esse, & Christum ab illis negari. Lib. de Saxonica visitatione, damnat communionem sub una specie, tanquam institutioni Christi contrariam.

Inter alios Novatores Calvinus Lib. 4. Instit. c. 17. n. 47. scripsit ex diaboli officina prodiisse consuetudinem, quæ populo Dei dimidiam sacræ Cœnæ partem vel furata est, vel eripuit, nec posse aliter quàm sub duplici specie hoc Sacramentum ex præcepto Christi suscipi. Idem cum suo duce ac magistro sentiunt omnes Calvinistæ qui realem Christi in Eucharistia præsentiam negant.

Arcudius L. 3. de Euchar. cap. 50. asserit, nonnullos recentiores Græcos Novatoribus nostris ea in parte suffragari.

Orthodoxi omnes in eo quidem consentiunt inter se, utramque speciem ad substantiam Sacramenti non pertinere, ac æqualem gratiæ fructum ad salutem necessarium ex una vel duabus æqualiter percipi. Verum sunt inter Scholæ Theologos, qui præter illam gratiam ad salutem necessariam, aliam admittunt, quam ajunt majorem percipi ex communione sub utraque specie. Itaque censuerunt in Concilio Tridentino, referente Palavicino L. 12. c. 2. Melchior Canus Dominicanus, Antonius Uglioa Franciscanus, & Sigismundus Fedrius ejusdem Ordinis: ita quoque Vasques in 3. partem disput. 215. q. 80. art. 2. & alii quos ibidem appellat, de

qua quæstione disputatum est in Concilio Tridentino, nihilque definitum, ut observat idem Palavicinus loco mox citato: solemne quippe illud fuit Concilio, ut Scholasticas quæstiones non attingeret, neque definiret.

Multi in Conc. Trident. restitui usum calicis postularunt, tum Imperatoris, tum Galliarum Regis Caroli IX. & aliorum Principum nomine, quibus non pauci favebant Theologi; non quod eum putarent necessarium ad Sacramenti substantiam, sed ad sedandos populorum animos, fovendam, ut dicebant, eorum pietatem, atque præsertim ad omnem calumniæ occasionem Novatoribus præripiendam. Istis non acquievit Conc. Trident. nihilominus in fine Sess. 22. judicio S. P. Patres reliquere an expediret alicui nationi vel regno usum calicis concedere; & reipsa Pius IV. an. 1564. instante Ferdinando Imperatore, usum calicis quibusdam Germaniæ populis restituit. Verùm non fausto exitu, in suo quippe errore, non minus quàm Boëmi, pertinaces extitere.

Nonnulli inter Catholicos paulò vehementius pro necessitate restituendi calicis perorantes, etsi aliunde integrum dicerent sine illo Sacramentum & plenum effectum, suspecti fuere tum Orthodoxis, tum Novatoribus, ut Georgius Cassander, qui amplam scripsit de communione sub utraque specie consultationem, ubi utramque speciem ait conferre ad pleniorem sacramenti significationem, & eam semper antiquitus usurpatam, exceptis quibusdam casibus necessitatis qui legi & consuetudini præscribere non possunt; additque eam à Concilio constantiensi in perpetuum & pro omni ætate sublatam non fuisse, sed ad tempus solum, ex quo concludit restituendum esse Fidelibus omnibus calicem. Opus Cassandri in Indicem Librorum prohibitorum relatum fuit. His historicè narratis, sit

CONCLUSIO.

Nullum extat divinum præceptum, quo Laici & Clerici non conficientes obligentur ad Eucharistiam sub utraque specie sumendam; sed alterutrius speciei communio ad salutem sufficit. Justissimis vero gravibusque de causis Ecclesia divinitus inspirata usum calicis Laicis interdixit, solius panis speciei communione permissa. Ita Conc. Trid. Sess. 21. c. 1. & 2. & Can. 1. & 2.

PRIMA PROBATIO.

Ex Scriptura.

Probatur 1. ex Scriptura, duplici argumento: nempe ex doctrina Christi, & usu seu praxi Apostolorum.

Ex doctrina Christi. Namque Joan. 6. v. 59. loquens de fructu Eucharistiæ, nempe vitæ æterna, eum tribuit sumptioni unius speciei: *Hic est panis*, inquit, *qui de cælo descendit. Non sicut manducaverunt patres vestri manna, & mortui sunt. Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* Igitur tota Sacramenti substantia salva est in una specie, cum totus effectus ex una percipiatur.

Argumentum illud proponit & urget Concilium
Tom. 14. Conc. p. 846. C. Trid. Sess. 21. cap. 1. *Qui dixit*, inquit, *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis; dixit quoque, Si quis manducaverit ex hoc pane vivet in æternum &c.* Integrum concilii textum paulò post, ubi de objectionibus solvendis, referemus.

Ex usu & praxi Apostolorum idem colligimus; siquidem Act. 2. v. 42. de primis Fidelibus dicitur: *Perseverantes erant in doctrina Apostolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus*, quo loco Eucharistiam designari, concors est Interpretum sententia, nec diffitentur Calvinistæ. Porrò solius panis mentio fit, non calicis.

Neque est quod dicant Novatores, solum panem, per synecdochen, appellari, nempe partem pro toto; alias sequeretur, inquiunt, solum panem fuisse ab Apostolis consecratum. Namque adversariorum est probare ibi partem pro toto sumi, quod negamus. Et verò constat tunc temporis plurimos Judæos fuisse ad Christum conversos, qui permittebantur servare adhuc quædam Legalia, ut colligitur ex cap. 21. Act. Apost. v. 20. Similiter constat aliquos eorum fuisse Nazaræos, qui *non bibebant vinum usque ad finem dierum voti sui*, ut patet ex eodem Libro cap. 18. v. 8. & cap. 21. v. 23. Probabile vero est ejusmodi homines non bibisse de calice Domini contra votum, neque etiam omnino abstinuisse ab Eucharistia, cum asserat S. Lucas, omnes perseverantes fuisse in fractione panis. Neque verò sequitur, quod opponunt adversarii, solum panem fuisse consecratum: non enim quid consecrarent Apostoli narrat S. Lucas, sed quid Fidelibus distribuerent.

Eundem usum non obscurè indicare videtur S. Paulus 1. Corinth. 11. v. 27. cum ait: *Itaque quicunque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini*, ubi certè particula disjunctiva, *vel*, innuit liberum fuisse alterutram sumere speciem; nihilominus tamen eum corporis & sanguinis Christi simul reum esse ait Paulus, qui indignè vel panis, vel vini speciem sumpserit. Quid ita? quia nempe (quæ ratio fundamentalis est in præsenti controversia) totus & integer Christus continetur sub una specie.

Neque est quòd reponant adversarii, particulam *vel* non disjunctivæ, sed conjunctivæ rationem eo loci habere, quod multis exemplis conantur ostendere. Sed in vanum laborant: nemo enim nostrum negat, quin apud auctores sacros & prophanos particula *vel* usurpetur aliquando pro conjunctiva *&*; sed negare quoque non possunt adversarii, quin sæpissimè pro verè disjunctiva usurpatur: quo sensu loco citato usurpari contendimus, ubi in eadem periodo, tum disjunctiva *vel*, tum copulativa *&*, adhibetur.

SECUNDA PROBATIO.

Ex usu & disciplina veteris Ecclesiæ.

Probatur 2. ex usu veteris Ecclesiæ, & exemplis communionis datæ & receptæ sub unica specie. Observat enim Concilium Constantiense, à quo primùm an. 1415. generalis lex communionis sub una specie sancita est, *jam ante istud tempus diutissimè illam consuetudinem communicandi sub una specie, ab Ecclesia* Tom. 12. Conc. p. 100.
observatam fuisse. Ex Concil. Trident. Sess. 21. cap. 2. Tom. 14. Conc. p. 846. E.
Etsi, inquit, *ab initio Christianæ Religionis non infrequens utriusque speciei usus fuisset, tamen progressu temporis latissimè jam mutata illa consuetudine gravibus & justis causis adducta*, (Ecclesia) *hanc consuetudinem sub altera specie communicandi approbavit, & pro lege habendam decrevit.* Cùm ait Concilium, *non infrequentem fuisse* primis temporibus usum utriusque speciei, apertè innuit, eum ita perpetuum ac constantem non fuisse, quin sæpissimè sub altera tantum specie daretur & acciperetur communio Eucharistica, quod hic veteribus exemplis demonstrandum est. Ea autem ad quatuor universim capita revocamus: ad communionem infirmorum, infantium, ad domesticam quæ in domibus, & ad publicam quæ in publicis Conventibus & Synaxibus fiebat. Atque ut statim plurimas adversariorum objectiones occupemus ac reddamus inutiles, observandum est, nostri non esse consilii ostendere, nunquam sub utraque specie iis in casibus datam esse & acceptam Eucharistiam: incassum ergo laborant adversarii, ut multa coacervent exempla commu-

a

communionis datæ infirmis v. gr. sub duplici specie; hoc enim non negamus: sed contendimus, quod sufficit ad institutum nostrum, non raro sub una tantum specie datam esse, contradicente ac conquerente nemine; unde invictè colligimus, Vateribus liberum fuisse & indifferentem usum unius vel duplicis speciei, ipsisque persuasum fuisse totam Sacramenti substantiam & gratiam æqualiter haberi in una specie, sicut in duplici.

Communio infirmorum sub una specie.

Asservatam olim fuisse pro morientium viatico Eucharistiam, suprà Q. 4. Art. 2. probavimus: illam autem sub una tantum specie non rarò datam fuisse, colligimus ex facto Serapionis, S. Ambrosii, & Monachorum Ordinis Cluniacensis.

De primo Eusebius L. 6. Hist. cap. 44. referens decretum Dionysii Alaxandrini de concedenda lapsis pœnitentibus communione, narrat Serapionem quemdam in extremis positum, misisse de nocte puerum ad Presbyterum, ut ab eo Eucharistiam perciperet; Presbyterum vero tunc fortè ægrotantem, cum venire non potuisset, misisse ad Serapionem per eundem puerum *exiguam Eucharistiæ partem*, ac jussisse ut madefactam, seu, ut vertit Valesius, *in aqua intinctam, seni in os instillaret, qua ille paulatim absorpta continuo animam exhalavit.*

Pagina 246.C.

Constat ex hac narratione, unam panis solidam speciem datam esse seni illi moribundo, quæ cùm exsiccata foret, debuit prius equa aut alio liquore madefieri, ut facilius posset à moribundo deglutiri. Conquestus tamen non legitur Serapio, sibi mutilam ac dimidiatam datam esse Eucharistiam; significat Historicus, eum senem *reservatum fuisse, ac tantisper in vita permansisse ut reconciliaretur, ut deleto jam crimine, à Christo posset agnosci & prædicari.*

De secundo, narrat Paulinus in vita S. Ambrosii, S. Honoratum Vercellensem Episcopum, cum in superiori tabulato decumberet, cœlesti voce de nocte admonitum fuisse ut citò descenderet, & Ambrosio jam morituro subveniret: *Qui descendens*, inquit Paulinus, *obtulit sancto Domini corpus; quo accepto ubi glutivit, emisit spiritum*, solius corporis fit mentio sit, non sanguinis sub vini specie.

Tom. 2. Append. p. 12 F.

De tertio denique exemplo, quod est Monachorum Ordinis Cluniacensis, legimus, referente S. Udalrico L. 3. antiquarum consuetudinum Ordinis Cluniacensis cap. 28 Tom. 4. Spicilegii, infirmis Monachis dari Eucharistiam sub una panis specie, quæ prius in vino non consecrato tingebatur. Illa autem consuetudo plus quam sexcentorum annorum est, quam & hodie retinent Græci.

Pagina 217.

Aliquando sub sola vini specie datum esse infirmis viaticum Eucharistiæ in Hispania, colligimus ex Concilio XI. Toletano an. 675. Can. 11. ubi sic loquitur: *Solet humanæ naturæ infirmitas in ipso mortis exitu prægravata, tanto siccitatis pondere deprimi, ut nullis ciborum illationibus refici, sed vix tantummodem illato delectetur poculi gratia sustentari. Quod etiam in multorum exitu vidimus, qui optatum suis votis sacræ communionis expetentes viaticum, collatam sibi à Sacerdote Eucharistiam rejecerunt, non quod infidelitate hoc agerent, sed quòd præter Dominici calicis haustum traditam sibi non possent Eucharistiam deglutire.* Idem colligare est ex Constitutione Paschalis II. S. Pontificis, quam mox referemus.

Tom. 6. Conc. p. 552. B.

Aliquando etiam datam esse infirmis utramque panis & vini speciem, rapugnare non possumus. Eum in finem haud dubie S. Exuperius Tolosanus Episcopus, referente S. Hieronymo Epist. 95. elias 4. ad Rusticum Monachum, Christi corpus canistro vimineo, & sanguinem portabat in vitro: atque in eo probanda labori parcere debent Novatores. Verùm factum illud est, quando immediatè post Sacra publica, ad absentes, inter quos haud dubiè infirmi comprehendebantur, Eucharistia deferebatur, ut ex S. Justino aliisque aliis ejus colligimus: imò aliquando in cubiculo infirmorum celebratam esse Missam, ac statim sub utraque specie administratam iis Eucharisticam communionem, testis est Sugerius Abbas, qui id in gratiam Ludovici VI. cognomento Crassi observatum fuisse narrat. Apud Duchesne, Tom. 4. Scriptorum Historiæ Francorum. Verum aliis in casibus, cùm non soleret vini species diu asservari, quia facilè acescit & corrumpitur, unde inter vasa quibus olim legimus asservatam Eucharistiam, nullum notatur vino asservando destinatum; aliis, inquam, in casibus vulgo communio sub una specie infirmis dispensabatur. Tandem omnino revocata fuit consuetudo dandi infirmis, sicut & sanis, sanguinem Christi. Hoc significat Rodulphus Abbas S. Trudonis, qui vivebat an. 1110. his versibus,

Tom. 4. p. 2. pag. 78.

Hic & ibi cautela fiat, ne Presbyter ægris,
Aut sanis tribuat laicis de sanguine Christi,
Nam fundi posset leviter; simplexque putaret,
Quod non sub specie sit totus Jesus utraque.

Ad hæc exempla, quibus se premi sentiunt adversarii, varia respondent.

Ad primum, quod est Serapionis, dicunt 1. utramque speciem, non quidem separatam, sed simul mixtam ei datam fuisse, pro more, inquiunt, recepto communicandi infirmos, quibus panis Eucharisticus vino sacro intinctus, ut infundi facilius posset, ministrabatur: qui mos apud Græcos pervetustus est, cujus originem vel ex ipsa Chrysostomi ætate profluxisse suspicatur Arcudius L. 3. de Euchar. cap. 53. occasione scilicet cujusdam mulieris, quæ referente Sozomeno L. 8. Hist. c. 5. & Nicephoro L. 13. cap. 7. hæresi Macedonii infecta, falsæ religionis simulandæ causa, panem Eucharisticum de manu Chrysostomi Sacra facientis acceptum furtim ancillæ dedit, Hæreticorum panem illius loco consumptura, qui mox in ejus ore in lapidem mutatus est; unde tam nefandæ fraudis vitandæ gratia, Ecclesiastica lege sancitum fuit, ut mysteria Eucharistiæ in calice commixta simul populo deinceps dispensarentur; hincque natus apud Græcos usus cochlearis, quo panem intinctum distribuunt.

Quin etsi in Ecclesia Latina à Concilio Bracarensi IV. Can. 2. an. 675. improbatus sit & abrogatus Eucharistiæ intinctæ usus in communiona ordinaria & publica Fidelium, retentus tamen fuit in gratiam morientium. Ita colligitur tum ex Conc. Turonensi, apud Burchardum in collectione Canonum L. 5. cap. 9. & Yvonam Carnotensem, Decreti parta 2. c. 19. Jubet siquidem Concilium, *ut sacra oblatio intincta sit in Christi sanguine, ut veraciter Presbyter possit dicere infirmo, corpus & sanguis Domini proficiat tibi.* Tum ab Urbano II. in Concilio Claromontano anno 1095. vetante, juxta lectionem Baronii, Binnii, & aliorum, *ne quis communicet de altari, nisi corpus separatim, & sanguinem separatim sumat, nisi per necessitatem & cautelam*, quæ postrema verba innuunt permitti communionem intinctam, ubi vel necessitas infirmorum postulat, vel periculum esset effusionis & irreverentiæ, si sanguis separatim hauriendus porrigeretur. Tum denique ex Constitutione Paschalis II. S. Pontificis, qui Epistola ad Pontium Cluniacensem Abbatem an. 1118. data, & à Baronio Tom. 12. Annal. ad illum annum num. 4. refertur, mandat *ut utraque species separatim sumatur, præter in parvulis ac omnino infirmis, qui panem absorbere non possunt.* Idem colligi potest ex codice manuscripto Monasterii S. Remigii Remis fundati, quem laudat Hugo Menardus in suis ad Librum Sacramentorum S. Gregorii notis pag. 380. & ex antiquo ritu Missæ celebrandæ Joannis Abrincatensis Episcopi, ibidem pag. 379.

Dicunt 2. dato & non concesso vinum illud in quo panis Eucharisticus intingi solebat, consecratum non fuisse, tamen contactu corporis Christi in consecratum, adeoque in verum Christi sanguinem evasisse.

Dicunt 3. ea quæ necessitatis lex extorquet, in legem trahenda non esse: atque ita infirmis sub una tantùm specie datam esse Eucharistiam, quia sub duplici dari non potuit.

Ad secundum exemplum, quod est S. Ambrosii, respondent, per figuram synecdochen solum corpus appellari, nisi sanguis concessus quoque fuerit; sæpe enim pars pro toto sumitur.

Ad tertium, quod est Monachorum Cluniacensium, ajunt ad marginem illarum Constitutionum ex alio codice observari, morem illum ab usu aliarum Ecclesiarum recepto alienum esse; ex quo inferunt, à Monachis illis inductam esse novitatem, quam aliæ Ecclesiæ improbarunt.

Refellitur adversariorum ad hæc exempla responsio.

Ad primum, Nullum est apud Eusebium, vel levissimum intincti panis Eucharistici in sanguine Christi vestigium. Jussit quidem Presbyter puero, ut particulam Eucharistiæ intingeret, sed quo in liquore intingi deberet non expressit: longè autem probabilius est, aqua fuisse intinctam & madefactam, sicut vertit Valesius, qui in suis ad citatum caput 44. Eusebii notis observat, solitos fuisse Veteres panem benedictum aqua intingere seu madefacere; nempe ut mollesceret, atque faciliùs per exsiccatas moribundi fauces dimitti posset in stomachum. Unde concilium Carthaginense IV. an. 398. Can. 76. utitur verbo *infundendi*, cum de Eucharistia moribundis ministranda loquitur; *Si continuo*, inquit, *creditur moriturus, reconcilietur per ma-*

Tom. 2. Conc. p. 1206. A. *nus impositionem, & infundatur ori ejus Eucharistia*, quo verbo alludere videtur ad morem intingendi panem Eucharisticum in aqua vel alio liquore, ut faciliùs infundi possint & instillari in os moribundi.

De communione intincta.

Et certè communionis in sanguine Christi intinctæ nullum occurrit in veteribus priorum sæculorum monumentis vestigium, sive in Græca, sive in Latina Ecclesia.

Non in Græca. Conjectura quippe Arcudii antè adducta omnino gratis ficta est, cujus nullus planè testis est inter Veteres. Ipse siquidem S. Chrysostomus non uno in loco mentionem facit sanguinis Christi, quem Diaconi Fidelibus inter Missarum solemnia porrigebant. Et in Concilio Quini sexto seu Trullano an. 692. Can. 101. confirmatur mos antiquus recipiendi in manibus Eucharistiam, quod certè de solo pane consecrato potest intelligi: neque enim verisimile est panem illum intinctum, madefactum & sanguine Christi stillantem, nuda manu receptum fuisse.

Varia ejus fortuna.

Seriùs igitur obtinuit apud Græcos usus Eucharistiæ intinctæ: ad præcavendum scilicet periculum effusionis & irreverentiæ, utramque speciem simul commiscent; sacras enim particulas sanguine perfusas Sacerdos distribuit, singulis singulas præbens, parvo cochleari, cujus tenue & oblongum manubrium est in parvam crucem desinens, quas singuli ore excipiunt.

Card. Bona L. 2. rerum Liturgicarum c. 18.

Pro infirmis vero alia est ratio & praxis. Nam singulis annis feria quinta majoris hebdomadæ, panem recentem solito majorem præparant & consecrant, cujus quartam partem Sacerdos absumit, tres reliquas in minutulas particulas comminuit, quas *Meridas*, & communiori vocabulo *Margaritas* vocant; sed antea consecratum panem Christi sanguine leviter humectant; tum sacro disco ignem subjicientes, cunctum humorem exprimunt, & sic indurescit, ut per totum annum à corruptione immunis servari possit: cum verò nunc ægrotis porrigunt, vino communi eum perfundunt & humectant, ut emolliescat, & faciliùs à moribundo deglutiri possit. Lege Goarium in suis ad Rituale Græcorum notis pag. 151. & Arcudium L. 3. de Euchar. c. 55. & 56. Hunc Græcorum ritum acriùs quàm par sit insectatur Humbertus Sylvæ candidæ Episcopus, in Libro adversùs calumnias Græcorum: sua enim cuique Ecclesiæ permittenda est disciplina, quæ cum fide & morum integritate non pugnat.

In Ecclesia verò Latina varia fuit hujus communionis intinctæ fortuna.

Prima hujus mentio occurrit an. 675. in Concilio IV. Bracarensi c. 1. & quidem ut damnetur ac proscribatur. Inter varios enim abusus qui irrepserant, hic quoque notatur, *quod Eucharistiam vino madidam populis porrigerent*. Et cap. 2. *Illud verò*, inquit, *quod pro complemento communionis intinctam tradunt Eucharistiam populis, nec hoc prolatum ex Evangelio testimonium percepit.... seorsum enim panis, & seorsum calicis commendatio memoratur.*

Præg. ea Galiec. Tom. 6. Conc. p. 562. C. Ibid. p. 564. B C. Bibliot. PP Tom. 18. pag. 477. C.

Micrologus, seu Liber de Ecclesiasticis observationibus, cujus auctor sæculo undecimo vixisse creditur c. 19. eundem abusum carpit. *Non est*, inquit, *authenticum, quod quidam corpus Domini intingunt, & intinctum pro complemento communionis populo distribuunt: nam Ordo Romanus contradicit.* Hoc duplici testimonio universim, nulla facta exceptione, proscribitur usus communionis intinctæ.

Tom. 10. Conc. p. 508. E. Ibid. p. 656. C.

In Concilio tamen Claromontano sub Urbano II. anno 1095. exceptus est casus necessitatis & cautelæ, ut ex verbis antea citatis apertum est. At vero Paschalis II. in Epistola citata etiam casum necessitatis exclusit, præcipiens ut *parvuli & infirmi, qui panem absorbere non possunt, in solo sanguine communicent*; hoc decentius existimans, quam intinctam communionem permittere.

Alicubi tamen invaluisse usum dandi infirmis Eucharistiam intinctam, colligimus ex Canone concilii cujusdam Turonensis, apud Burchardum & Yvonem Carnotensem locis citatis: „Omnis Presbyter, *inquit*, Pag. 56. col. 2.
„*Canon*, habeat pyxidem, aut vas tanto Sacramento „dignum, ubi corpus Domini cum diligentia recondatur ad viaticum recedentibus de sæculo. Quæ tamen „sacra oblatio intincta debet esse in sanguine Domini „nostri Jesu Christi, ut veraciter Presbyter possit dicere infirmo, Corpus, & sanguis Domini nostri JEsu „Christi, proficiat tibi in remissionem peccatorum, & „vitam æternam." Ita Patres Turonenses; verùm ratio quam afferunt, nullius est, pace dixerim, ponderis ac momenti, corpus enim Christi non est sine sanguine, nisi velis ita statuisse illos Patres, ad majorem hujus formulæ expressionem.

Aliquibus tamen in locis invaluit idem mos pro omni populo, non alia sanè de causa, quam propter cautelam, ne sanguis effunderetur. Ritus antiquus Missæ à Joanne Episcopo Abrincatensi descriptus apud Menardum in Appendice Libri Sacramentorum, vetat Sacerdotem & ministros intincto pane communicare; excipit autem populum, *quem*, inquit, *intincto pane, non* P. 277.
auctoritate, sed summa necessitate, timore effusionis sanguinis Christi, permittimus communicare. In antiquis consuetudinibus Monasterii Cluniacensis Lib. 2. cap. 30. Tom. 4. Spicil. statutum extat de communione intincta. In margine autem ex alio codice additur, id esse contra usum aliarum Ecclesiarum; permitto tamen propter novitios, & alios rudes, qui si sanguinem separatim acciperent, vix fieri posset quin in aliquam incurrerent negligentiam.

In Anglia adeo propagatus erat hic usus, ut eum prolixè defendat Ernulphus Roffensis Episcopus, Epistola ad Lambertum Tom. 2. Spicil. Concilium vero Anglicanum sub Richardo Archiepiscopo Cantuariensi an. 1175. cap. 16. eum usum prohibuit. To. 10. Conc. p. 1466. A.

Duplex autem erat intincta, una cum sanguine seu

vino

vino consecrato, altera cum vino communi, aut aqua; & hæc aliquando viguit pro pueris & infirmis, qui panem siccum deglutire non poterant. Ita L. 3. statutorum Ordinis Cluniacensis cap. 28. præscribitur pro infirmis, ut nempe corpus Domini vino intinctum sumant. Ita quoque sæculo decimo factitatum colligitur ex vita Lucæ Junioris Monachi, apud Combefisium Tomo 2. Auctarii Bibliothecæ Patrum: & sæculo duodecimo, ex Constitutionibus Odonis Parisiensis cap. 4. Tom. 10. Conc. pag. 1802. & sæculo decimo tertio, ex Constitutionibus anonymi cujusdam, Tom. 11. Conc. parte prima pag. 546. & ex Concilio Bajocensi c. 76. eodem Tom. parte 2. pag. 1460.

Verùm nunc omnes intinctiones abierunt in desuetudinem: solummodo id observatur apud nos, ut post datam infirmo Eucharistiam, paxillum vini aut aquæ in os ejus infundamus, quo species panis faciliùs possit in stomachum demitti.

Atque hæc de communione intincta sufficiant, ex quibus colligere est, eam tertio sæculo, quo contigit factum Serapionis, incognitam omnino fuisse, & primam ejus mentionem occurrere tantùm septimo sæculo in Concilio citato Bracarensi.

Quamquam etsi daremus adversariis, Serapioni intinctam communionem dispensatam fuisse, nihil inde consequerentur pro necessitate utriusque speciei, qualem illi propugnant. Volunt siquidem distinctas, ac separatas percipi debere species, ut integra sit & perfecta Sacramenti significatio, quæ tota consistit in exprimenda Christi morte, seu separatione sanguinis à corpore, quod fit quando utraque species separatim sumitur.

Ad secundam responsionem de vino quod etsi non sit consecratum, contactu tamen corporis Christi in consecratum evadit, constabit solutio ex mox dicendis.

Ad tertiam, nulla est necessitas quæ christianos adigere possit ad violandum Christi præceptum, & mutandam Sacramentorum substantiam. Ita quæcunque supponatur urgere necessitas, si vera & naturalis aqua defuerit, non potest Baptismus alio in liquore conferri; si igitur utraque species necessarias sit de jure divino & necessitate Sacramenti, ut contendunt Novatores, nunquam licitum esse potest unam tantùm speciem sumere; & qui sic agit, Christi præceptum violat, ejusque Sacramentum destruit: atqui Novatores certis in casibus unam tantum speciem sumi permittunt; ergo illi, non verò nos, violatores sunt præcepti Christi & nullum ac inane habent Eucharistiæ Sacramentum.

Communio infantium sub una specie.

Infantibus, duodecim sæculorum tractu, concessam esse in Ecclesia, sive Græca sive Latina, Eucharistiam, & quidem aliquando sub utraque specie, adversariis non inviti concedimus; verum & id quoque nobis vivis vicissim concedant necesse est, eam modò sub sola vini, modò sub sola panis specie dispensatam aliquando fuisse.

De sola specie vini testis est oculatus S. Cyprianus, Tractatu de lapsis, ubi ab indigna communione horrendis exemplis deterrere volens, celeberrimam historiam narrat, quam ex ipso refert & ponderat S. Augustinus Epistola 98. aliàs 23. ad Bonifacium, cujusdam scilicet infantulæ, quæ cùm parentum incuria, ac nescia matre, ducente nutrice panem vino mixtum de idolothitis comedisset, postea ad Ecclesiam de more ducta est, ipso Sacra faciente Cypriano; *Ubi vero*, ait S. Doctor, P. 175. *solemnibus adimpletis calicem Diaconus offerre præsentibus cœpit, & accipientibus cæteris locus ejus advenit, faciem suam parvula instinctu divinæ majestatis avertere, os labiis obturantibus premere, calicem recusare. Perstitit tamen Diaconus, & reluctanti licet, de Sacramento calicis infudit. Tunc sequitur singultus & vomitus: in corpore atque ore violato Eucharistia permanere non potuit.*

Solius calicis puellæ ministrati hic mentio fit.

Neque verò est quòd suspicentur adversarii, vel huic puellæ solum esse datum vinum, quia præ infantia panem comedere non potuisset, vel in illo calice mixtum fuisse panem; vel denique panem illi simul cum cæteris dispensatum fuisse.

Namque I. potuit puella illa comedere panem vino idolis consecrato tinctum; quidni ergo & panem Eucharisticum.

II. Communionis intinctæ usus ætati S. Cypriani planè fuit incognitus, ut ex antè dictis apertum est.

III. Denique, quia si pulla panem Eucharisticum sumpsisset, quomodo eum statim non evomuit, sicut & vinum? siquidem idcirco calicem recusavit, & per vim infusum evomuit, teste Cypriano, quia *in corpore & ore violato Eucharistia permanere non potuit.* Quippe non ea horrore & fuga vini, sed ex miraculo contigisse vomitum illum, non obscurè significat narratio S. Cypriani.

Solius quoque sanguinis infantibus dati in Græca Ecclesia, meminit quinto & sexto sæculo Jobius Monachus Lib. 3. de Incarnatione Verbi cap. 18. apud Photium in Bibliotheca codice 222. Ibi quippe narrans quo ordine Christiani divinis informantur mysteriis, *Primò*, inquit, *baptisamur, deinde unguento ungimur, mox pretioso sanguine dignamur.* P. 505. n 40.

Eundem usum undecimo sæculo confirmat Paschalis II. Constitutione antea citata; & duodecimo, & Hugo Victorinus Lib. 1. de Sacramentis cap. 20. ubi ait, Eucharistiam in specie sanguinis infantibus ministrandam esse digito Sacerdotis, quem facilè sugere possunt. Ibidem carpit usum nonnullorum, qui loco vini consecrati vinum commune infantibus dabant, ut aliquod saltem vestigium retinerent communionis sub specie vini eis ad hoc usque tempus dari solitæ. Tom. 10. Conc. p. 656.

Eundem usum olim apud Græcos viguisse, & etiamnum vigere docet Allatius, in Annotationibus de communione Orientalium additis ad Tractatum de consensione utriusque Ecclesiæ.

Solam aliquando panis speciem pueris paulò grandioribus datam, probat vetus nonnullarum Ecclesiarum consuetudo distribuendi ejusmodi pueris innocentibus quidquid ex publica Fidelium communione residuum erat & superfluum: de qua consuetudine diximus antea, solvendo objectiones contra permanentiam Eucharistiæ.

Communio domestica sub una specie.

Solitos olim fuisse Christianos Eucharistiam domi servare, in deserta, ac per itinera deferre, eamque, cum aut urgeret periculum, aut excitaret pietas, propriis manibus sumere, res est omnibus comperta, quam nonnullis exemplis demonstravimus antea, Art. 2. qu. 4.

Utramque verò speciem domi servatam semper contendunt Novatores: inter Orthodoxos vero multi solam panis, nunquam vini; alii, quibus subscribimus, aliquando utramque, aliquando verò solam panis speciem servatam esse contendunt. Ad institutum autem nostrum sufficit, si postremum istud caput demonstraverimus, quod adductis jam loco mox indicato, Tertulliani Lib. de Oratione cap. ultimo, & ad uxorem L. 2. cap. 5. S. Cypriani Tract. de lapsis; S. Basilii, Epistola ad Cæsariam Patriciam, quæ est 289. S. Ambrosii, Oratione funebri de obitu Satyri fratris sui, testimoniis probatum manet.

Et certè vel unus Tertulliani textus in citato ad uxorem Lib. cap. 5. litem dirimere videtur; *Non sciet*, inquit, *maritus quid secretò ante omnem cibum gustes; & si sciverit panem, non illum credet esse qui dicitur* P.169.B.

dicitur; quo loco solum panem privatim asservatum & sumptum memorat, quod quidem ex ratione quam subjicit, magis confirmatur; nempe innuit ignotum fuisse marito, qualis esset panis qui ante omnem cibum sumitur; si autem vinum solitum fuisset privatim sumi, perinde ac panis, facile fuisset marito ex illius odore suspicari, fraudis aliquid latere.

Adde præterea, nonnunquam per annum integrum servatam fuisse privatim Eucharistiam, ut colligimus ex Prato spirituali cap. 79. at probabile non est vini modicam quantitatem tamdiu integram servari potuisse.

Denique narrat Metaphrastes, apud Surium die 10. Novembris S. Virginem Theoctistem Lesbiam, cum 35. annis in insula Paro solitaria vixisset, inventam à viro sæculari & venatore: quem illa rogavit ut anno sequenti unum ex intemeratis donis corporis Christi ad se deferret, quod ille attulit, eoque accepto virgo ad cœlum migravit.

P. 986. C. Lucas quoque Junior Monachus, cujus vitæ excerpta edidit Pater Combefisius Tom. 2. Auctarii Biblioth. Patrum, cùm à Corinthi Archiepiscopo quæsivisset quomodo solitarii horrenda mysteria percipere possent, apud quos nec synaxis erat, nec Sacerdotes: respondit ille, debere Sacerdotem adesse; quod si non adsit, conservandas sanctas particulas, sumptoque Christi corpore, loco sacri laticis, vini poculum esse bibendum; vini scilicet non consecrati, quod sanguinis locum suppleret. His in exemplis communio domestica sub una tantùm specie perfecta legitur.

Referri huc possunt exempla Eucharistiæ ad Episcopos & Presbyteros absentes insignum mutuæ communionis olim missæ, quæ attigimus art. 2. qu. 4.

Communio publica sub una specie.

Inter publica Sacrorum solemnia duodecim prioribus Ecclesiæ sæculis ordinariè Fidelibus dispensatam fuisse utramque Eucharistiæ speciem, res est ex antiquis monumentis certior, quàm ut negari possit, & à nobis probari indigeat.

Verum illis quoque temporibus liberum fuisse unam vel duas sumere species; & reipsa unam tantum in publicis synaxibus fuisse aliquando datam & acceptam, istis momentis confirmus.

Sedere cœpit an. 440. & obiit an. 461. To. 1. p. 207. c. 5. I. ex S. Leone, qui Sermone 4. de Quadragesima: de Manichæis, sic narrat: *Cùm ad tegendam infidelitatem suam nostris audeant interesse mysteriis; ita in Sacramentorum communione se temperant, ut interdum tutius lateant, ore indignè corpus Christi accipiunt, sanguinem autem redemptionis nostræ haurire omnino declinant. Quod ideo vestram volumus scire sanctitatem, ut vobis hujusmodi homines, & his manifestentur indiciis, & quorum deprehensa fuerit sacrilega simulatio, à Sanctorum societate sacerdotali auctoritate pellantur.*

Constat ex illo testimonio, Manichæos Romæ sese Fidelibus miscentes Eucharistiam sub sola panis specie sumpsisse, & calicem declinasse, ea scilicet ductos superstitione, vinum esse fel draconis; atque hac arte tutius illos latitasse: verum eo quoque indicio deprehendi ac detegi debere declarat S. Pontifex. Porrò si jure divino omnibus Fidelibus mandatum fuisset utramque semper sumere speciem; si ab hoc usu nunquam liberum fuisset recedere quomodo Manichæi diu latere potuissent, & errorem suum circa vinum dissimulare? Non longa certè observatione opus fuisset ut deprehendi potuissent, quos vel unica communio insolens sub sola panis specie, contra Christi præceptum & constantem Fidelium morem usurpata, statim manifestasset ac prodidisset.

Sedere cœpit an. 491. & obiit an. 495. I. no tam difficile fuit Manichæos à cæteris Fidelibus unam dumtaxat panis speciem aliquando sumentibus secernere, tempore, S. Leonis, ut ejus successor Gelasius ad præcludendam illis Hæreticis omnem fraudis & effugii viam, necesse habuerit lege solemni sancire, ut quotquot ad sacram mensam deinceps accederent, utramque perciperent speciem. *Comperimus*, inquit S. Pontifex, apud Gratianum, *De consecratione*, dist. 2. c. 12. *quod quidam sumpta tantummodo corporis sacri portione à calice sacri cruoris abstineant. Qui procul dubio (quoniam nescio qua superstitione docentur abstringi) aut integra Sacramenta percipiant, aut ab integris arceantur; quia divisio unius ejusdemque mysterii sine grandi sacrilegio non potest provenire.* Manichæos præsertim ferit hæc ratio, qui sua superstitione mysterium Eucharistiæ mutilabant; non cæteros Fideles, qui in unica specie totum & integrum Sacramentum contineri ac percipi semper persuasum habuerunt. Dec. Grat. p. 1918.

Neque est quòd reponant adversarii, in nostra hypothesi qua contendimus liberum fuisse Fidelibus sub una vel duabus speciebus communicare, impossibile fuisse, tempore S. Leonis, per communionem sub sola panis specie Manichæos à cæteris Fidelibus secernere, cum illi nihil aliud usurpassent, quàm quod à cæteris Fidelibus pariter usurpatum fuisse supponimus. Namque non eos simpliciter observari jubet S. Leo, qui identidem Eucharistiam sub una specie panis, identidem verò sub utraque percipiebant; sed eos tantùm qui nunquam vini speciem sumebant, & quidem vana quadam superstitione ducti, ut loquitur Gelasius mox citatus.

II. In Ecclesia Constantinopolitana nonnunquam licitum fuisse, ac liberum, in publica communione unicam dare & accipere speciem, colligitur ex facto quod narrant Sozomenus L. 8. Hist. c. 5. & Nicephorus L. 13. c. 7. Scilicet fœmina quædam Macedoniana, cujus maritus, auditis sæpe concionibus S. Chrysostomi, ad fidem Catholicam conversus fuerat, cùm vellet hæresim suam tegere, & se Catholicam simulare, accepit in manibus, S. Chrysostomo Sacra faciente, panem Eucharisticum, quasi paulo post illum manducatura; sed clam illum dedit ancillæ suæ, & ab ea sumpsit panem communem quem è domo afferri jusserat, ut illum loco Eucharistiæ publicè comederet; verum panis ille continuò in lapidem mutatus fuit: *Qui lapis*, Tom. 2. p. 364. B. inquit Nicephorus, *ad fidem miraculi faciendam longo tempore inter Ecclesiæ donaria asservatus, spectatoribus miraculo fuit.* Porrò ejusmodi mulieri datum non esse calicem sanguinis inde manifestè patet, tùm quòd nulla illius mentio; tum quòd fraudi locus non ita facilè patuisset: quomodo enim declinasset illa haustum calicis qui ori admovebatur?

III. Probatur idem usus ex ritu communicandi abstemios, de quo S. Hieronymus Epistola 22. ad Eustochium: ubi observat Romæ quasdam fuisse virgines à vino sic abhorrentes, ut in mysteriis ipsis speciem vini non sumerent; quæ propterea ab aliquibus lascivis mulieribus *misera & Manichæa* per calumniam appellabantur.

IV. Refert Fulbertus Carnotensis in Epistola ad Picardum, sua ætate, hoc est decimo sæculo, suos comprovinciales Episcopos approbasse ritum, qui tunc temporis vigebat, ut nempe Episcopus Presbytero recens ordinato Eucharistiam sub una panis specie per 40 dies, in memoriam 40. dierum quibus Christus cum Apostolis conversatus est, porrigeret.

V. Denique, eundem usum tanquam licitum invictè probat Missa præsanctificatorum, quæ in Græca & Latina Ecclesiis multis abhinc sæculis usurpatur. Missa præsanctificatorum.

Græci toto quadragesimali tempore, exceptis solis sabbatis, Dominicis, & festi Annuntiatæ Virginis diebus, non consecrant, sed antea consecratum panem reservant, quem cæteris hebdomadæ diebus offerunt in Missa, quæ idcirco dicta fuit præsanctificatorum. Vetustissimum esse apud se morem hunc testantur

Græci,

Tom. 5. Conc. p. 1506. A. Græci, quem vel ab ipso quarto sæculo inductum fuisse à Concilio Laodiceno Can. 49. multi conjiciunt: *Non oportet*, inquit Canon, *in Quadragesima panem offerre, nisi sabbato & solis Dominicis.* Quamquam nonnulli Canonem interpretantur de Eulogiis, seu pane benedicto, sicut vertit Dionysius Exiguus, quem offerri Concilium vetat, ne solvatur jejunium quadragesimale. Sed quidquid sit de sensu hujus Canonis, certum est Concilium Trullanum an. 692. Can. 52. sic statuere: Tom. 6. Conc. p. 1165. E. *In omnibus*, inquit, *sanctæ Quadragesimæ jejunii diebus, præterquam sabbato & Dominica, & sanctæ Annuntiationis die, fiat sacrum præsanctificatorum ministerium*, ubi rem primò statuere non videtur Concilium, sed jam receptam confirmare ac de novo præcipere. Rationem hujus consuetudinis hanc affert Balsamon in citatum Canonem, quia conveniens non P. 424. est celebritatem ac gaudium sacrificii cum tristitia jejunii miscere.

Certum porrò est Græcos in illa præsanctificatorum Missa vinum consecratum non sumere, sed tantùm panem, ut videre est apud eorum Euchologia, & fatetur Arcudius Lib. 3. de Euchar. cap. 56. 57. & 58. Lege Goarium ad Euchologium Græcorum pag. 205. & sequentibus, & totum Officium præsanctificatorum pag. 187. Lege quoque eruditam Allatii dissertationem de Missa præsanctificatorum ad Bartoldum Nihusium, editam in fine Operis de perpetua consensione Ecclesiæ Occidentalis. Populus autem ex eodem pane præsanctificato sine vini consecrati specie communicat: neque tamen legimus aut ab Ecclesia Latina, aut à SS. Pontificibus ea de causa reprehensos unquam fuisse Græcos; igitur licitam & integram illi existimant communionem sub una specie.

Revera Græci recentiores aliquas pretiosi sanguinis guttas pani consecrato infundunt in modum crucis. verum recentior est apud eos hæc consuetudo, quæ nullum habet in eorum Liturgiis, & Auctoribus antiquis vestigium, ut patet vel ex ipso schismatis Græcorum primo auctore, Michaële Cerulario, qui in Libro quem in defensionem sanctificatorum scripsit, expressè observat, nullam *in panibus reservatis infundi guttam sanguinis.* Adde quòd has easdem guttas statim pane igni superposito exsiccant: unde nullum ne minimum quidem extat speciei vini vestigium; quo propugnari meritò possit eo in casu communio sub utraque specie.

Quod Græci toto quadragesimali tempore, hoc Latini feria sexta majoris hebdomadæ observant, ut constat ex ordine Romano. *Pontifex*, inquit in Officio feriæ quintæ hebdomadæ sanctæ, *sumat oblatas integras* Bibl. PP. To. 13. p. 689. D. *ad servandum usque mane diei Parasceves, de quibus communicent* (nempe Fideles) *absque sanguine Domini. Sanguis verò eadem die penitus consumatur.* Idem Ordo, ubi officium diei Parasceves describit, communionem recenset ad quam feria quinta species panis fuerat reservata, & ait: *Cum dixerint, Amen, sumit de* Ibid. p. 693. D. *sancta, & ponit in calicem.* [Cui vinum non consecratum infusum est] *Sanctificatur autem vinum non consecratum per sanctificatum panem, & communicant omnes cum silentio.* Ibid. p. 691. D. Subsequente Sabbato sancto nullum ea ætate offerebatur sacrificium, nulla donorum fiebat consecratio. *Feria sexta in Parasceve*, ait idem Ordo, *Missa non cantatur, sed neque in Sabbato sancto usque ad vigilias noctis.* Et tamen cleri & populi communio recensetur: persuasum igitur tunc erat Fidelibus, utramque speciem necessariam non esse ad substantiam Sacramenti, & integritatem effectus illius.

Respondent ad postremam hanc ex Ecclesia Latina probationem Novatores, etiam feria sexta majoris hebdomadæ in Missa præsanctificatorum verè sub duplici specie datam esse & acceptam Eucharistiam; quia certum est ex testimoniis mox adductis, ea ipsa die Fidelibus solùm fuisse distribui calicem, qui etsi verbis Christi consuetis, & singulari, ut ajunt, consecratione tunc non consecraretur, ex contactu tamen & admixtione cum pane consecrato, seu corpore Christi, consecrari & in sanguinem Christi verè converti credebatur: atque ita semper integra & sub duplici specie fiebat communio.

Rem ita esse probant ex Ordine Romano, loco mox citato & antea sic loquitur idem Ordo: *Pontifex confirmatur ab Archidiacono in calice sancto, de quo parum refundit Archidiaconus in majorem calicem sive in scyphum quem tenet Acolythus, ut ex eodem sacro vase confirmetur populus; quia vinum non consecratum, sed sanguine Domini commixtum sanctificatur per omnem modum.* Ibid. p. 666. D. Audis vinum non consecratum sanguini Christi commixtum per *omnem modum* sanctificari, idest verè & propriè consecrari & fieri Christi sanguinem. Quod autem ibi dicit Ordo Romanus de commixtione vini non pane consecrati cum sanguine, inferiùs dicit de commixtione cum pane consecrato, seu corpore Christi; est quippe utriusque symboli virtus eadem.

Confirmatur 1. ex iis quæ sequuntur in eodem Ordine, *Recepto*, inquit, *calice* [nempe illo majore in Ibid. E. quem parum de calice sancto refusum est] *Archidiaconus confirmat omnes sanguine Dominico, quos communicaverat Pontifex corpore Dominico.* Hic apertè sanguis Domini vocatur, vinum illud quod superius dixerat Ordo, sanctificatum fuisse commixtione sanguinis Christi; ergo persuasum erat tunc temporis, vinum non consecratum verè consecrari & converti in Christi sanguinem, commixtione & contactu cum sanguine Christi: alias quomodo tale vinum Ordo Romanus appellaret Christi sanguinem? Quomodo diceret Archidiaconum sanguine Christi confirmare, idest, juxta phrasim eo tempore receptam, communicare populum fidem, quem Pontifex corpore Dominico jam confirmaverat? Ibi quippe eodem verbo *confirmare* utitur tum erga sanguinem, tùm erga corpus Christi.

Confirmatur 2. ex Micrologo, seu Auctore de Ecclesiasticis observationibus cap. 19. *Non est*, inquit, *authenticum, quod quidam corpus Domini intingunt, &* Bibl. PP. To. 18. p. 477. C. *intinctum pro complemento communionis populo distribuunt: nam Ordo Romanus contradicit, quia & in Parasceve vinum non consecratum cum Dominica oratione, & Dominici corporis immissione jubet consecrare, ut populus plenè possit communicare.* Audis, juxta hunc Auctorem, vinum in die Parasceves consecrari mixtione corporis Christi, ut populus possit *plenè communicare*; id est utramque sumendo speciem, plenam habere & integram Eucharistiam.

Petrus Cantor Parisiensis, referente Cassandro Epistola 19. pag. 1107. & Lib. de communione sub utraque specie pag. 1027. testatur se in Ordine Romano Flor. an. 1120. hæc addita legisse, *ut contactu corporis Dominici integra fiat communio*: quæ verba idipsum referunt quod Micrologus mox laudatus. Persuasum igitur fuit his temporibus, vinum non consecratum consecrari & fieri Christi sanguinem per sui contactum & mixtionem cum sanguine vel cum corpore Christi; hincque inferunt citati auctores, communionem quæ die Parasceves ex tali & vino fiebat, plenam esse integram.

Hoc ipsum innuere videtur Theodulphus in suo Capitulari cap. 41. ubi testatur, etiam in Parasceve Sacramenta corporis & sanguinis Christi, omnibus, præterquam excommunicatis, dispensari solita. Sæculo nono. To. 14. Bib. PP. p. 8. A.

Et Walafridus Strabo Lib. de rebus Ecclesiasticis cap. 22. initio, ait ex majorum relatione constare, Missas primis temporibus fieri solitas fuisse, Nono sæculo. Bibl. PP. To. 15. p. 191. C. sicut modò in Parasceve Paschæ, *in quo die apud Romanos*, inquit, *Missæ non aguntur. Communicationem facere solemus, idest præmissa Oratione Dominica, & sicut ipse Dominus noster præcepit, commemoratione*

passionis

passionis ejus adhibita, eos corpore Dominico communicasse & sanguinis, quos ratio permittebat. Ergo supponit Auctor ille, die Parasceves populo datam esse communionem sub utraque specie.

Verum hæc adversariorum responsio nullius est ponderis ac momenti.

I. Quia Catholici semper crediderunt, ut ex antè dictis manifestum est, consecrationem fieri per verba Christi; ergo cùm in die Parasceves talis non fiat consecratio, sequitur vinum quod calici infunditur, verè ac propriè non consecrari, seu non converti in sanguinem Christi.

II. Quia idcirco Missa illa diei Parasceves dicta fuit præsanctificatorum, quia ex donis antea præsanctificatis seu consecratis fiebat. Si autem Græcis aut Latinis ea mens fuisset, vinum non consecratum contactu & & mixtione cum sanguine vel cum corpore Christi verè consecrari, jam verè non fuisset Missa ex præsanctificatis, siquidem nova supponeretur fieri sanctificatio seu consecratio.

Bibl. PP. To. 13. p. 689. D. III. Ordo Romanus expressè notat loco antea citato, die Parasceves Fideles communicare *absque sanguine.* Supponit igitur vinum illud calicis verè & propriè non consecrari seu non converti in sanguinem Christi, etsi cum corpore illius in calice misceatur.

IV. Cùm igitur Ordo ille ait vinum non consecratum sanctificari per sanctificatum panem, vel per sanguinem, intelligi debet de sanctificatione quadam exteriori, ut optimè interpretatur Hugo Menardus in notis ad Librum Sacramentorum S. Gregorii pagin. 87. quæ longè distat à vera & propriè dicta consecratione, & similis ferè est ei de qua loquitur S. Bernardus Epist. 69. ubi agens de Sacerdote in cujus calicem vini loco minister solam aquam infunderat, ait: *Arbitramur,* Tom. 1. 73. C. *liquorem, etsi non ex consecratione propria atque solemni in sanguinem Christi mutatum, tamen sacrum fuisse ex tactu corporis sacri.* Similis quoque illi sanctificationi, seu consecrationi, quam contrahit aqua illa fervens à Græcis in calicem consecratum infusa, de qua vide Goarum pag. 148. ad Rituale Græcorum. At certum est aquam illam post factam consecrationem non converti in Christi sanguinem, licèt specialem quamdam sanctificationem contrahat ex sui mixtione cum sanguine Christi.

Neque obstat quòd Ordo Romanus dicat vinum ejusmodi ex contactu & mixtione cum sanguine Christi sanctificari per *omnem modum,* esse sanguinem Christi, populum illo confirmari &c. Namque 1. non agit ibi Ordo Romanus de ritu diei Parasceves, quasi eo die vinum non consecratum cum Christi sanguine permisceretur, siquidem solum corpus sine specie vini ea die sumebatur; sed agit de ritu aliis diebus observari solito, quo parum sanguinis seu vini consecrati solebat infundi in majorem calicem vino non consecrato plenum, ex quo haurire debebant Fideles. 2. Vinum illud dicitur ab Ordine Romano sanctificari per *omnem modum:* non quod verè converti & mutari supponatur in sanguinem Christi, sed quia ita confunditur & permiscetur cum illo, ut secerni, & ab eo separari non possit, adeoque unum Christi sanguinem efficere & continere calix ille censeatur; eo ferè modo quo aqua illa fervens, de qua mox, ita commiscetur & confunditur cum vino consecrato, ut unum & eundem poculum sanguinis Christi efficiat, etsi reipsa in sanguinem Christi non sit conversa. Atque hinc est quòd vinum illud calicis illius majoris appelletur simpliciter ab Ordine Romano sanguis christi, & populus ex eo confirmari dicatur: quia nempe de illo calice, in quem aliquid vini consecrati seu sanguinis Christi transfusum est, verè dici potest & debet, quòd Christi sanguinem contineat, aut sit sanguinis christi. Porrò in eum calicem aliquid vini consecrati transfundi testatur Ordo citatus; meritò igitur dicitur esse sanguis Christi, & populus ex eo confirmari, licèt totum illud vinum non sit conversum in sanguinem, sed eum secum permixtum ac confusum contineat: sicut calix, in quo post consecrationem aqua miscetur, rectè dicitur esse sanguis christi, aut eum continere, tametsi aqua illa in sanguinem non sit conversa. Sed [quod observandum] vinum non consecratum, cui die Parasceves, aliquid panis consecrati admiscetur, nunquam dixit Ordo Romanus esse sanguinem Christi: nunquam dixit etiam ea die Fideles confirmari sanguine Christi, imò contrarium affirmat; sed tantum dixit, vinum illud sanctificari per sanctificatum panem, quod rectè intelligitur de sanctificatione quadam exteriori & impropriè dicta. Econtra de illo alio calice qui cæteris diebus in usu erat, dixit illum esse Christi sanguinem, Fideles eum haurientes confirmari sanguine Dominico. Quid ita? quia in isto calice reipsa sanguis christi continetur, in quem aliquid vini consecrati transfusum est: at in priori aliquid quidem panis consecrati miscetur, sed nihil prorsus sanguinis, cum ea die non solet consecrari, unde non dicitur sanguinem continere, neque ex eo populus confirmari.

Ad auctoritatem Micrologi, dico deceptum illum fuisse, si per verbum *consecrare,* intellexit veram & propriè dictam consecrationem. Ordo quippe Romanus dixit vinum illud non consecratum *sanctificari* per panem sanctificatum; sed non dixit *consecrari,* seu converti in sanguinem Christi. Cum vero addit idem Micrologus, idcirco vinum illud consecrari, *ut populus plene possit communicare;* si per adverbium *plenè,* intellexit communionem sub utraque specie tum panis tum vini propriè consecrati, adhuc deceptus est; feria enim sexta majoris hebdomadæ non datur communio sub specie vini consecrati, seu non datur sanguis Christi à corpore sejunctus. Quòd si per adverbium *plenè,* voluit tantùm innuere ea die etiam distributum esse Fidelibus vini non consecrati calicem, ut vices & formam suppleret aliquo modo communionis sub utraque speciei, quo sensu scripsit Hugo Victorinus ætate sua nonnullos infantibus præbuisse vinum non consecratum, ut antiqui moris eis dandi sanguinem Christi vestigium aliquod ac imaginem retinerent; si, inquam, per adverbium illud *plenè,* non aliud intellexit auctor Micrologi, non multum curamus, neque hoc nostræ adversatur Conclusioni. Eadem est ad Petrum Cantorem responsio.

Theudulphus citatus non ait debere omnes in die Parasceves corpus & sanguinem separatim sumere, sed tantùm ait, debere omnes communicare; non exponendo ritum & modum quo deberet ea die fieri communio; quamquam percipiendo solum corpus, rectè dicere potuit, Sacramenta corporis & sanguinis Christi percipi, non quidem separatim, sed simul atque conjunctim; non est enim corpus sine sanguine.

Denique Walafridus hoc unum citato loco intendit, scilicet primos Christianos solitos fuisse Missas celebrare, sicut nos celebramus in die Parasceves, cum sola scilicet Oratione Dominica & commemoratione Passionis Christi, ritu simplici, *non verò cum multiplici,* ut ipse loquitur, *officio orationum, cantilenarum, & consecrationum.* Biblio. PP. To. 15. pag. [illegible] Non comparat igitur ritum celebrandi Missam in Parasceve cum ritu antiquo, quantum ad communionem sub utraque speciei; sed solum quantum ad simplicitatem ritus & cæremoniarum.

TERTIA PROBATIO.

Ex Conciliis.

Tribus in Conciliis suam circa communionem sub utraque specie doctrinam expressit ac declaravit Ecclesia. Tom. 12. Conc. p. 100.

I. In concilio constantiensi an. 1415. Sess. 13. adversus Joannem Hus & Hieronymum Pragensem declarat. 1. consuetudinem dandi Laicis Eucharistiam sub sola panis specie, ad evitanda pericula & scandala, esse

rationa-

rationabiliter introductam, 2. eam consuetudinem pro lege, quam infringere non liceat, esse habendam. *Cum hujusmodi consuetudo* inquit, *ab Ecclesia & SS. Patribus rationabiliter introducta, & diutissimè observata sit, habenda est pro lege quam non liceat reprobare, aut sine Ecclesiæ auctoritate pro libitu mutare.* 3. ait errare eos qui morem hunc illicitum esse, ac sacrilegii audent accusare. 4. statuit eos qui contrarium pertinaciter asseruerint, tanquam hæreticos arcendos esse, & per Diœcesanos locorum graviter puniendos. 5. affert præcipuum hac in controversia fundamentum Orthodoxorum, nempe *totum & integrum Christum sub una tantum specie contineri.* 6. denique, injungit Episcopis, ut sedulò curent ne quis minister communionem sub utraque specie Laicis aut Clericis non sacrificantibus dispenset.

Ibid. p. 600. II. Concilium Basileense an. 1437. Sess. 30. adversùs Taboritas & Calixtinos eadem planè statuit & repetit quæ Concilium Constantiense adversùs Joannem Hus & Hieronymum à Praga.

III. Denique, Concilium Tridentinum an. 1562. Sess. 21. adversùs Novatores Lutheranos & Calvinistas cap. 1. 2. & 3. & Can. 1. 2. & 3. doctrinam Ecclesiæ circa utramque speciem exponit & definit: *Si quis*
Tom. 14. Conc. p. 247. D. *dixerit,* inquit Can. 1. *ex Dei præcepto, vel necessitate salutis, omnes & singulos Christi Fideles utramque speciem sanctissimi Eucharistiæ Sacramenti sumere debere; anathema sit.* Et Can. 2. *Si quis dixerit sanctam*
Ibid. *Ecclesiam Catholicam non justis causis & rationibus adductam fuisse ut laicos, atque etiam clericos non conficientes, sub panis tantummodo specie communicaret, aut in eo errasse; anathema sit.* Denique Can.
Ibid. 3. *Si quis negaverit totum & integrum Christum omnium gratiarum fontem & auctorem, sub una panis specie sumi, quia, ut quidam falsò asserunt, non secundùm ipsius Christi institutionem sub utraque specie sumatur; anathema sit.*

Quanquam autem solemni ac publica lege usum calicis Laicis sustulerit Ecclesia, eum tamen restituendi sibi facultatem inesse, quando expedire judicaverit, in tribus mox citatis Conciliis declaravit, quod etiam facto ipso aliquando confirmatum legimus.

Sic post definitionem Concilii Constantiensis, cum Boëmi Joannis Hus discipuli aperta vi, atque armata manu sibi calicis usum restitui postularent, ut legere est apud Raynaldum ad an. 1417. Conradus Archiepiscopus Pragensis an. 1426. Synodum coëgit, in qua, ad sedandos factiosorum hominum tumultus & strages præcavendas, indultum illis fuit utramque sumerent speciem. Hanc Synodi concessionem scripto defendit Gerso, quam tamen improbavit & revocavit subinde Martinus V. apud Raynaldum ad an. 1426. Ipse tamen Martinus V. in Conc. Constantiensi communionem sub utraque specie dispensasse legitur in solemnitate Paschatis, Diaconis aliisque ministris, & nonnullis dignitate ac pietate eminentibus personis. Ita refert Cassander, de communione sub utraque specie pag. 1037.

Concilium quoque Basileense Boëmis & Moravis enixè calicis usum postulantibus ea lege concessit, ut
Vide Sinibus Bonis in Concil. Basil. Tom. 2. Conc. p. 1470. B. A. firmiter crederent *quòd non sub specie panis caro tantùm nec sub specie vini sanguis tantùm, sed sub qualibet specie integer & totus Christus contineatur, & se in cæteris omnibus Romanæ Ecclesiæ conformarent.* Verùm cum tali concessione abuterentur Hæretici, & ex ea occasionem sumerent vellicandi definitionem Concilii, penitus illa sublata est & revocata, sicut intelligimus ex Epistol. Georgii Pogiebrac Regis Boëmiæ, quæ extat Tom. 4. Spicilegii pag. 403.

Denique, in Concilio Tridentino sæpius iterata est & discussa Gallorum & Germanorum expostulatio de restituendo Laicis calicis usu; verum Concilium rem totam Summi Pontificis prudentiæ ac sapientiæ commisit, ut videre est Sess. 22. in fine; intacto tamen laudabili Regum nostrorum usu, qui, die qua inaugurantur, Eucharistiam sub utraque specie percipiunt. Jam à Concilio Tridentino concesso usus Pius IV. an. 1564. Germanis Episcopis indulsit, ut servatis legibus, quas Patres Basileenses Boëmis præscripserant, calicem concederent: quæ quidem concessio, infelici licet exitu, Viennæ in Austria aliquandiu obtinuit.

Ex his omnibus non obscurè colligere est, quæstionem de concedendo vel denegando usu calicis, ex earum esse numero quæ ad puram spectant disciplinam, in qua pro rerum, temporum, ac personarum varietate, pro sua prudentia ac sapientia vario modo gerere se potest Ecclesia.

QUARTA PROBATIO.

Ex rationibus Theologicis.

Diximus suprà inter prænotanda, controversiam communionis sub utraque specie pendere, tanquam à suis principiis & fundamentis, à tribus istis propositionibus: an Christus totus sit & integer sub una specie; an tota Sacramenti natura & substantia salvetur in una specie; denique, an omnis gratiæ fructus ad salutem necessarius percipiatur ex unica specie, ex quibus istud argumentum conficimus.

Illa communio legitima est ac probanda, in qua totus & integer Christus percipitur, tota Sacramenti natura & substantia salva est, ac omnis gratiæ fructus ad salutem necessarius obtinetur: atqui talis est communio sub una specie; ergo &c.

Minor propositio probatur.

I. Totum & integrum Christum sub unica specie contineri, corpus scilicet, animam & divinitatem, certa fides docet: neque enim divisus est Christus, aut jam corpus ejus exangue est. *Christus* scilicet *resurgens ex mortuis, jam non moritur, mors illi ultrà non dominabitur,* inquit S. Paulus Rom. 6. v. 9. Exponi meliùs non potest hæc catholica veritas, quàm verbis Concilii Trid. Sess. 13. c. 3. *Semper,* inquit, *hæc fides in Eccle-* Tom. 14. Conc. p. 806. A.
sia Dei fuit, statim post consecrationem verum Domini nostri corpus, verumque ejus sanguinem sub panis & vini specie, una cum ipsius anima & divinitate existere: sed corpus quidem sub specie panis, & sanguinem sub specie vini, ex vi verborum; ipsum autem corpus specie vini, & sanguinem sub specie panis, animamque sub utraque, vi naturalis illius connexionis & concomitantiæ, qua partes Christi Domini, qui jam ex mortuis resurrexit, non amplius moriturus, inter se copulantur, divinitatem porrò, propter admirabilem illam ejus cum corpore & anima hypostaticam unionem. Quapropter verissimum est, tantumdem sub alterutra specie, atque sub utraque contineri; totus enim & integer Christus sub panis specie, & sub quavis ipsius speciei parte; totus item sub vini specie, & sub ejus partibus existit. Hactenus Concilium Tridentinum. Naturalem hanc connexionem seu concomitantiam partium Christi, SS. Patrum testimoniis probat Bellarminus Lib. 4. de Euchar. c. 21.

II. Totam Sacramenti rationem ac substantiam in unica specie salvam esse probatur: quia tota ratio & natura Sacramenti in eo posita est, ut significet, & efficiat; est quippe Sacramentum signum efficax & practicum: atqui Eucharistiæ Sacramentum in unica specie & significat & efficit illud omne ad quod significandum & efficiendum destinatum est. Namque quantum ad primum; Eucharistia hæc tantùm potest significare, nempe Christum præsentem, ejus mortem & passionem, denique refectionem animæ spiritualem, & unionem Fidelium tùm inter se, tùm cum capite suo Christo; atqui hæc omnia in unica specie significantur; tum quia Christus totus est præsens sub una specie; tùm quia vi verborum solum corpus est sub specie panis, &

ſolus ſanguis ſob ſpecie vini, quæ ſeparatio ſufficienter exprimit mortem ejus ac paſſionem ; tum quia caro Chriſti vocatur cibus , ſicut ſanguis potus : ſed in refectione ſpiritali nullum diſcrimen occurrit inter potum & cibum, tum denique quia ex multis granis ex quibus panis conficitur, ſufficienter ſignificatur unio Fidelium inter ſe & cum capite ſuo Chriſto. Quantum vero ad ſecundum, nempe efficaciam & virtutem Sacramenti,tota hæc unica ſpecie reperitur : gratia quippe Sacramenti non à ſymbolis exterioribus, ſed à Chriſto ipſo profluit ; Chriſtus autem totus eſt & integer ſub una ſpecie.

Fatendum quidem eſt, expreſſiorem haberi mortis & paſſionis Chriſti ſignificationem ex duplici ſpecie : ſed quid inde ? An neceſſariam eſſe utramque ſpeciem ad ſubſtantiam Sacramenti ſequitur ? minimè. Sicut in Baptiſmo triplex immerſio, quæ diu in Eccleſia obſervata fuit, haud dubiè ſignificantius exprimebat tum SS. Trinitatis invocationem , tum Chriſti ſepulturam ac reſurrectionem, tum effectum Baptiſmi ; neque tamen ideo ad ſubſtantiam & naturam Baptiſmi pertinere fatentur adverſarii noſtri. Hinc Conc. Trid. Seſſ. 21. c. 3. declarat *verum Sacramentum* ſumi in unica ſpecie. Si verum eſt Sacramentum, ſuam igitur habet integram naturam & eſſentiam.

Tom. 14. Conc. p. 647. B.

III. Omnem gratiæ fructum ad ſalutem neceſſarium percipi ex communione ſub unica ſpecie , ſequitur ex mox dictis. Gratia quippe illa non ex ſymbolis ipſis , ſed ex re contenta oritur ; ſymbolum enim non operatur , niſi per virtutem ſibi impreſſam ; in Euchariſtia autem loco virtutis impreſſæ , eſt ipſe Chriſtus totius gratiæ fons & origo, qui totus & integer continetur ſub qualibet ſpecie.

Utrum autem præter illam gratiam Sacramenti neceſſariam ad ſalutem, & quidem ſemper æqualem,ſive duplex ſumatur ſpecies, altera detur major quidem ex perceptione duplicis ſpeciei,controverſia eſt inter Scholæ Theologos, quam non attigit nec definivit Concilium Tridentinum. Verior tamen nobis videtur & probabilior opinio negans , quam ſequitur & probat Bellarminus L. 4. de Euchar. c. 23. Obſerva autem,æqualem præſupponi in ſubjecto recipiente Euchariſtiam animi diſpoſitionem, cum unam vel duas percipit ſpecies. Si enim inæqualis ſupponatur diſpoſitio, & major v. gr. ſit charitatis fervor cum ſumitur ſpecies ſanguinis, quàm antea, tunc procul dubio novus quidam gratiæ gradus accedet, non præcisè ratione duplicis ſpeciei, ſed ratione rei contentæ, nempe Chriſti , qui cum totus ſit ſub ſpecie vini, intenſiorem charitatem infundit pro majori ſuſcipientis diſpoſitione. His rationibus duas alias adjungimus , quarum una ex Catholicorum ſenſu , altera ex Novatorum praxi deſumitur.

Tom. 3. p. 26.

Prima eſt Alphonſi Salmeronis, quam refert Pallavicinus Lib. 17. Hiſtoriæ Conc. Trid. cap. 6. Nempe ſi perſuaſum Eccleſiæ fuiſſet , jure ac præcepto divino neceſſariam eſſe utramque ſpeciem , nunquam illa permiſiſſet calicis uſum auferri ; & cum eorum , quæ ad Religionem pertinent, homines ſint tenaciſſimi, fieri non potuiſſet hæc mutatio ſine ingenti animorum commotione, ſine ſtrepitu & rei geſtæ ſuperſtite memoria: atqui tamen reclamante nemine, vel ab ipſis primis Eccleſiæ temporibus data eſt & accepta communio ſub unica ſpecie.

Secunda ratio petitur ex principiis & praxi noſtrorum adverſariorum. Namque Calviniſtæ omnes in Diſciplina Eccleſiaſtica c. 12. art. 7. ſic ſtatuunt : *Panis Cœnæ adminiſtrandus eſt iis qui vinum bibere nequeunt , proteſtantes tamen ſe id non facere in deſpectum.* Et art. 10. dicunt *poſſe non dari calicem iis quibus grave eſt poſt alios eum ſumere.* Porro ſi utraque ſpecies jure divino ac neceſſitate Sacramenti eſt neceſſaria, ut ipſi contendunt Novatores, qua auctoritate id ſibi arrogant ut Sacramenti ſubſtantiam certis in caſibus mutilent ac corrumpant ? nulla enim eſt neceſſitas quæ ad violanda Chriſti præcepta, & mutilanda Sacramenta adigere nos poſſit ; ac tutius eſt atque conſultius Sacramenta non percipere , quam inſtitutionem Chriſti non ſervare : imò non ſervata hac Chriſti inſtitutione, non ſunt amplius eadem Sacramenta. Sic Baptiſmus alio in liquore quàm in aqua naturali collatus, nullus omnino eſſet , quæcunque tandem ſupponatur urgere neceſſitas.

Supereſt tertia Concluſionis pars probanda, nempe legitimis de cauſis adductam fuiſſe Eccleſiam ad ſupprimendum pro Laicis uſum calicis. Illæ autem tales ſunt. 1. uſus jam à multo tempore recepti confirmatio , ac uniformitas inter Fideles omnes obſervanda. Patres enim Conſtantienſes & Baſileenſes annotant, ſua ætate jam à longo tempore receptum invaluiſſe morem communicandi ſub una ſpecie. 2. periculum effuſionis & irreverentiæ in ſanctiſſimum Sacramentum : quæcunque enim cura & diligentia adhibeatur, fieri vix poteſt, ubi ingens eſt populi multitudo, quin aliquid ſanguinis effundatur.Hac maximè ratione moti ſunt,tum qui panem ſacrum Chriſti ſanguine intinctum olim Fidelibus porrigebant ; tum qui pugillari ſeu fiſtula quadam ad hauriendum è calice ſanguinem utebantur. 3. difficultas diu aſſervandi vini ſpeciem pro communione infirmorum. 4. multorum à vino bibendo , & in eodem cum multis aliis calice , abhorrens indoles. 5. penuria vini in multis regionibus, ac majores impenſæ neceſſariò inſumendæ pro magna vini copia , ubi magna eſt Fidelium multitudo. 6. Denique, Hæreticorum pervicacia obſtinatè contendentium utramque ſpeciem jure divino eſſe ad Sacramenti ſubſtantiam neceſſariam ; atque Fidelium nonnullorum ſimplicitas & ignorantia, qui ſolum corpus in ſpecie panis, & ſolum ſanguinem in ſpecie vini percipi arbitrari poſſent. Has rationes perſtringit Catechiſmus Romanus parte 2. titulo de Euchariſtiæ Sacramento n. 70.

Solvuntur Objectiones Novatorum.

Objicies 1. ſolemnem hanc Chriſti ſententiam Joa. 6. v. 54. *Niſi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis*, quo loco diſtincta fit mentio Euchariſtiæ ſub ſpecie panis & vini ; igitur neceſſaria eſt communio ſub utraque ſpecie, jure ac præcepto divino.

Reſp. nego conſequens. I. Quia non conſentiunt inter ſe Novatores citata verba de Euchariſtia intelligenda eſſe : qua igitur fronte ea nobis opponere poſſunt ?

II. Quia ut efficaciter ex hoc teſtimonio inferatur neceſſitas utriuſque ſpeciei, neceſſe eſt ut citata verba non tantùm includant præceptum recipiendi corpus & ſanguinem Chriſti, ſed etiam obligationem ea recipiendi certo quodammodo, nempe ſub duplici ſpecie panis & vini ; atqui licet hæc verba Chriſti præceptum includant recipiendi corpus & ſanguinem Chriſti , non tamen exprimunt vel continent modum quo debent Fideles ea recipere, nempe duplici ſpecie.

Minor probatur : Quia verba iſta, *Niſi manducaveritis &c.* non continent ſimplex præceptum,ſed etiam medium conſervandæ vitæ per Baptiſmum acceptæ : unde vi iſtorum verborum non obligantur Catechumeni , quia nondum vitam per Baptiſmum acceperunt , quam conſervare debeant : neque etiam infantes baptiſati , quia non egent conſervatione vitæ , quam amittere non poſſunt ante uſum rationis. Jam verò medium conſervandæ vitæ non conſiſtit in ſpeciebus panis & vini, neque in modo manducandi & bibendi , ſed in ſumptione corporis & ſanguinis Chriſti : quocunque enim modo illa ſumantur , modo verè & dignè ſumantur , nutriunt ac reficiunt ; caro enim

Chriſti

Christi verè est cibus, & sanguis verè potus ; & *qui manducat meam carnem*, inquit Christus Joan. 6, *habet vitam æternam*. Ergo ista verba , *Nisi manducaveritis &c*, ad solam sumptionem obligant, non vero ad modum sumendi.

III. Esto ea verba, *Nisi manducaveritis &c.* contineant præceptum sumendi utramque speciem, nondum tamen causam obtinebunt adversarii nostri : superesset enim inquirendum , utrum præceptum illud Sacramenti substantiam spectet , an ejus duntaxat integritatem accidentalem. Fatentur quippe illi, in Sacramento Eucharistiæ nonnulla observasse ac præcepisse Christum, quæ ad illius solam integritatem pertinent, qualis est inter alia, *fractio panis*, quæ etsi fuerit à Christo usurpata, & expressiùs ejus mortem significet, non tamen ipsis videtur ad substantiam Sacramenti pertinere, quia existimant verum esse Eucharistiæ Sacramentum apud Lutheranos qui fractionem illam non observant. Porrò contendunt Orthodoxi, modum sumendi Eucharistiam sub specie duplici, non Sacramenti naturam atque substantiam, sed ejus duntaxat integritatem accidentalem spectare. *Hist. des Variations, To. 2. p. 485.*

IV. Quia certum non est, in laudatis Christi verbis particulam *&*, non usurpari disjunctivè pro particula *vel* ; ita ut sensus sit, *Nisi manducaveritis carnem, vel biberitis sanguinem* ; seu, quod in idem recidit , *Nisi manducaveritis carnem, & nisi biberitis sanguinem* ; id est, si neque manducaveritis, neque biberitis : quo sensu supposito , sequitur quidem necesse esse alterutram speciem sumere, sed non utramque simul.

Quòd verò sic exponi possit citatum ex S. Joanne testimonium, colligimus, tum quia eodem capite vita æterna promittitur comedentibus sub una tantum panis specie ; ergo vis præcepti non in modum sumendi cadit, sed in rem contentam : tum quia Christus verba hæc, *Nisi manducaveritis &c.* protulit contra eos qui litigabant inter se dicentes , *Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum* ? at illi non litigabant de modo sumendi sub una vel duplici specie, sed de re ipsa, nimirum carne & sanguine Christi. Tum quia particula *&*, quæ ex se conjunctiva est, non rarò usurpatur in sensu disjunctivo. Sic Exodi 21. v. 5. juxta Hebræum dicitur ; *Qui percusserit patrem & matrem morti moriatur* , atqui tamen ad eam pœnam subeundam sufficit alterutrum occidisse. Pariter Joan. 15. v. 22. Christus ait : *Si non venissem & locutus fuissem eis, peccatum non haberent*, id est, si neque venissem, neque locutus fuissem ; subintelligitur enim negatio præcedens, stilo hebraicæ linguæ, quem aliquando Interpretes imitantur. V. g. Act. 3. v. 6. S. Petrus ait : *Argentum & aurum non est mihi* ; id est, neque argentum , neque aurum.

V. Denique ; Etiamsi verba laudata , *Nisi manducaveritis &c.* intelligenda forent de modo manducandi & bibendi ; modo etiam copulativo, nullatenus tamen adhuc adversariis nostris faverent ; quia multa sunt præcepta in Scripturis quæ universæ Ecclesiæ dantur, & tamen non per omnes, sed per aliquos duntaxat implenda sunt , quod observandum esse in expositione Scripturarum monet S. Augustinus L. 3. de doctrina Christiana cap. 17. quale est istud, *Crescite, & multiplicamini.*

Objicies 2. Matth. 26. v. 27. extat expressum Christi mandatum de calice ab omnibus sumendo. *Accipiens*, inquit, *calicem gratias egit, & dedit illis dicens: Bibite ex hoc omnes.* Ergo &c.

Resp. Per *omnes* eo loci solos intelligendos esse Apostolos quos Christus alloquebatur, quibus calicem sanguinis sui porrexit, non verò omnes indistinctè Fideles. Namque ii sunt intelligendi, juxta seriem Historiæ sacræ , cum quibus Christus cœnavit , quibus calicem dedit, qui, ut ait S. Marcus, *biberunt ex eo omnes* , qui hymno dicto exierunt in montem Oliveti &c. at ex sola lectione Contextus sacri constat de solis Apostolis ea omnia dicta esse ; ergo vox ista , *omnes*, solos præsentes designat Apostolos, non omnes indiscriminatim Fideles.

Instabis 1. Si hæc verba Christi, *Bibite ex eo omnes* , ad solos diriguntur Apostolos, pariter ista, *Manducate &c.* ad illos solos directa fuisse dicendum erit ; iisdem enim hoc utrumque mandatum datum est : ex quo sequetur nullo Christi mandato Fideles obligari ad sumendam Eucharistiam.

Resp. Ex his præcisè verbis, *Bibite, Manducate* , inferri non posse præceptum quod omnes Fideles adstringat ad percipiendam Eucharistiam ; attamen concludi inde non debet, nullum extare ejusmodi præceptum ; apertè enim continetur in his Christi verbis , Joan. 6. v. 54. *Nisi manducaveritis carnem filii hominis &c.*

Instabis 2. Christus apud S. Marcum c. 13. v. 37. declarat se omnibus dictum velle, quod Apostolis dicebat: *Quod vobis dico*, inquit, *omnibus dico.*

Resp. id quod omnibus dictum voluit Christus, in eo esse ut vigilent. *Quod vobis dico* ait, *omnibus dico : vigilate.* Porrò multa dixisse Christum Apostolis, quæ ad omnes Fideles non pertinent, quis sanæ mentis negaverit ? nisi velit omnibus dictum esse , *Euntes docete baptisantes, Quorum remiseritis peccata &c.*

Instabis 3. Apostoli repræsentabant Ecclesiam universam, imò & Fideles singulos ; ergo quod ipsis dixit Christus, *Bibite, comedite*, omnibus dictum voluit.

Resp. nego conseq. ad summum enim inde sequitur, communionem sub utraque specie toti Ecclesiæ in communi præscriptam esse , non vero singulis ejus membris ; adeoque ut præcepto satisfiat , satis esse quòd aliqui sint, qui utramque percipiant speciem, quales sunt Sacerdotes cum divina celebrant mysteria. Præterea, licet Apostoli singulos repræsentassent Fideles , non tamen sequitur necessitatem singulis Fidelibus incumbere sumendi utramque speciem , sed liberum ipsis esse utramque, si voluerint, percipere : verba quippe ista , *Accipite, Bibite, Comedite*, invitantis sunt & porrigentis amicè, ut fieri solet in conviviis , non vero præcipientis. Concessa igitur libertate uti potuerunt Fideles, & reverà multis sæculis ea usi sunt, donec Ecclesia voluntatis Christi sponsi sui interpres , gravibus de causis facultatem hanc revocavit.

Instabis 4. Non potest Ecclesia privare Fideles ea facultate quam ipsis Christus concessit : at ex nobis Christus Fidelibus facultatem concessit percipiendi, si velint, communionem sub utraque specie ; quare igitur Ecclesia tali facultate Fideles privavit ?

Resp. nego min. Christus enim jus istud Ecclesiæ suæ dedit, ut in Sacramentorum administratione , salva eorum substantia, ea statueret vel mutaret quæ vel ad Fidelium utilitatem , vel ad Sacramentorum dignitatem pertinere , pro sua prudentia judicaret ; tale enim jus necessariò includitur in potestate pascendi ac regendi Fideles, quæ toti Ecclesiæ concessa est à Christo , cum dixit Petro & in illius persona, toti Ecclesiæ, cujus imaginem gerebat, *Pasce oves meas.* *Concil. Trid. Sess. 21. c. 2.* *Jo. 21. v. 17.*

Instabis 4. Christus non dixit de pane , *Manducate ex hoc omnes* : prævidens autem fore nonnullos qui calicis usum prohiberent, subjungit de calice , *Bibite ex eo omnes.*

Resp. Non ob istam rationem dixisse Christum, *Bibite ex eo omnes* ; sed quia cum non dederit Apostolis panem integrum quem inter se dividerent , necesse non fuit ut diceret, *Manducate ex eo.* E contra , cum eumdem calicem ipsis porrexerit ut ex eo biberent, non immeritò subjungit, *Bibite ex eo omnes.*

Objicies 3. Lucæ 22. v. 19. postquam Christus corpus suum dedit Apostolis dicens, *Hoc est corpus meum* ; statim addit, *Hoc facite in meam commemorationem.* Et dicitur postea quòd similiter calicem acceperit. Licèt

cèt autem apud S. Lucam de calice dictum non legamus, sicut de pane, *Hoc facite*, supponi tamen debet, cum S. Paulus 1. Corinth. 11. v. 25. post consecrationem calicis addat, tanquam à Christo dictum, *Hoc facite, quotiescunque bibetis, in meam commemorationem.* Igitur hoc verbo, *facite*, continetur mandatum distribuendi utramque speciem.

Resp. nego conseq. I. enim ista verba, *Hoc facite*, extant tantum apud S. Lucam & apud Apostolum: apud S. Lucam semel, nempe post consecrationem panis, & ante consecrationem calicis, cap. 22. v. 19. apud Apostolum semel quoque, scilicet post consecrationem calicis; unde sic arguimus: Præceptum communicandi sub utraque specie non potest colligi ex istis verbis, ut dictis ante consecrationem calicis apud S. Lucam, quia tunc consecrata tantum erat panis species; neque etiam inferri potest ex iisdem, ut dictis post consecrationem calicis apud S. Paulum, quia cùm Christus ea pronuntiavit, non est locutus absolutè, sed tantùm hypoteticè, *Quotiescunque bibetis*; ita ut sensus præcepti sit, non singulis bibendum esse de calice, sed singulis, qui bibent, quotiescunque bibent, in memoriam Christi bibendum esse; adeoque præceptum non est, ut singuli bibant, sed tantum ut singuli, qui bibunt, mortem Christi annuntient.

II. Certum est hæc verba non referri ad singula quæ fecit Christus instituendo Eucharistiam, quasi necessariò nobis ea omnia forent observanda quæ Christus observavit in institutione Eucharistiæ; aliàs, & lavare pedes, & mensæ accumbendo in privatis ædibus, post cœnam, panem frangendo, Eucharistiam percipere deberemus, quia hæc omnia Christus observavit. Sunt igitur distinguenda ea quæ ad naturam & substantiam Sacramenti pertinent, & ea quæ ad integritatem dumtaxat illius accidentalem, aut ad varias loci & temporis circumstantias pertinent.

Instabis 1. Jussit Christus Apostolis suis, & in eorum persona omnibus Sacerdotibus, ut facerent quod ipse fecit; atqui Christus utramq; distribuit speciem, ergo &c.

Resp. dist. ant. ut facerent quod ipse fecit, pertinens ad substantiam & naturam Sacramenti, concedo: non pertinens, nego. Multa enim fecit Christus, quæ Apostolis suis necessariò observanda non injunxit.

Instabis 2. Juxta S. Lucam citato cap. Christus similiter fecit de calice, ac de pane: at de isto dixit, *Hoc facite*. Ergo &c.

Resp. Particulam *similiter* referri ad actionem accipientis, benedicentis & porrigentis calicem, ita ut sensus sit, Similiter postquam cœnavit accepit calicem &c. Quòd autem non referatur ad omnia quæ Christus egit circa panem, constat, quia Christus panem non solùm accepit, & benedixit ac dedit, sed etiam fregit, & fractum divisit inter discumbentes; calicem autem non divisit, sed integrum dedit ut singuli ex eo biberent.

Instabis 3. Juxta Apostolum 1. Cor. 11. v. 26. Eucharistia percipienda est in commemorationem mortis Christi: atqui in una tantùm specie non repræsentatur mors Christi ejusque passio; ergo &c.

Resp. in una specie ab altera sejuncta sufficienter exprimi passionem & mortem Christi, siquidem hac separatione adumbratur separatio sanguinis à corpore, quæ facta est in ligno crucis. Non ita quidem distincta habetur & expressa in una, quàm in duplici specie: verum major illa & distinctior significatio ad naturam Sacramenti non attinet, sicut in Baptismo triplex immersio distinctiùs haud dubie significat mortem & sepulturam Christi, neque tamen idcirco invalidus est Baptismus infusione aut aspersione datus.

Objicies 4. Christus instituit Eucharistiam sub duplici specie, atque etiam utramque distribuit Apostolis; ergo utraque species jure divino necessaria est.

Resp. dist. conseq. Jure divino necessaria est, quatenus Eucharistia est sacrificium, concedo: quatenus est Sacramentum, nego. Utramque scilicet rationem & sacrificii & Sacramenti continet Eucharistia; ad priorem requiritur utriusque speciei consecratio & consumptio, non verò ad posteriorem.

Instabis 1. Apostolus, institutionis à Christo factæ fidelis interpres, 1. Cor. 11. v. 23. ait se *accepisse à Domino quod & Fidelibus tradebat*: atqui Fideles tenentur ea observare quæ sunt traditionis divinæ & Apostolicæ.

Resp. dist. min. si præceptum earum rerum omnibus Fidelibus datum est, concedo: secus nego. Multa quippè sunt traditionis & institutionis divinæ, quorum observatio omnibus Fidelibus injuncta non est, ut prædicare Evangelium, baptisare, absolvere à peccatis &c. Porrò etsi Christus Eucharistiam sub utraque specie consecraverit & Apostolis suis dispensaverit, quia tamen sub præcepto non injunxit omnibus planè Fidelibus ut utramque perciperent speciem, hinc fit, quòd Fideles omnes non teneantur iure divino ad utriusque speciei perceptionem.

Instabis 2. Idem Apostolus v. 28. expresè affirmat, omnibus sumendam esse utramque speciem; *Probet autem*, inquit, *seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat.*

Resp. Apostolum eo loci hoc unum præcipere, ut qui ad sacram mensam accedunt, priùs se probent: præceptum enim cadit supra probationem, non suprà sumptionem utriusque symboli: quemadmodum si dixisset Apostolus, probet seipsum homo, & sic virginitatem Deo voveat; non votum, sed probationem ante votum præcepisse diceretur. Supponit tamen eo loci Apostolus, tunc liberum fuisse Fidelibus utramque, si vellent, sumere speciem, cum ait, *Et sic de pane illo edat, & de calice bibat*, quod certè ultro concedimus.

Objicies 5. Quotquot prioribus Ecclesiæ sæculis è SS Patribus de Eucharistia sermonem habuerunt, utramque commemorant speciem; ad utramque Fideles admitti testantur, de utraque sumenda legem ac regulam statuunt; ergo &c.

Resp. ex his ac similibus Veterum testimoniis ne vel minimum quidem nostram attingi Conclusionem: usum antiquum non negamus, imo agnoscimus ultrò; sed contendimus Veteribus persuasum fuisse, nullum extare divinum præceptum, quo Fideles omnes ad utramque speciem percipiendam adstringantur: siquidem eo ipso tempore quo in usu erat communio sub utraque specie, permittebant tamen, tanquam rem liberam, unam tantum percipi speciem ut ex ante dictis certum est; & si qui sint qui utriusque perceptionem aut commendent, aut præcipiant, ii non ad jus & præceptum divinum attendunt, sed ad Ecclesiasticam dumtaxat disciplinam, & usum tunc temporis receptum.

Instabis: Docent SS. Patres, Fideles ex institutione ac præcepto Christi teneri ad sumendam Eucharistiam sub utraque specie. Ita inter multos

S. Justinus Apolog. 2. ubi postquam retulit quomodo in cœtibus Christianorum perficeretur & dispensaretur Eucharistia, tum præsentibus, tum absentibus, ait, Apostolos tradidisse sibi in Evangelio ita præcepisse Christum: mentionem autem facit ibi S. Martyr *de duplici symbolo seu specie.* P. 98. B.

S. Cyprianus Epistola ad Cæcilium, ait *quosdam in calice offerendo non observare ea quæ Christus tradidit & instituit.* P. 160.

Gelasius S. Pontifex, Constitutione antea citata, ait *divisionem unius & ejusdem mysterii non posse fieri sine grandi sacrilegio.* Dec. Grat. p. 1918. n. 30.

S. Bernardus Serm. 3. in Domin. Palmarum ait, *alimoniam corporis & sanguinis Domini in prima cœna Domini exhibitam, ac deinceps frequentari mandatũ.* Tom. I. p. 885. F.

Resp.

Resp. nego ant.

S. Justinus mandatum Christi restringit ad consecrationem Eucharistiæ, ejusque distributionem simpliciter quoad substantiam seu rem contentam consideratam, non quoad modum; Dialogo enim cum Tryphone Judæo, totam Eucharistiæ virtutem ex una specie percipi testatur. Quòd verò utramque speciem commemoret S. Doctor, mirum esse non debet, cùm ætate, illius in usu esset communio sub duplici specie.

S. Cyprianus loco citato invehitur contra Aquarios, qui in calice Eucharistico solam aquam offerebant sine vino: de necessitate verò utriusque speciei ibi non disputat.

Gelasius S. Pontifex decreto suo solos ferit Manichæos, qui, ut ipse loquitur, *superstitione obstricti vinum non sumebant.* Ad eorum igitur Hæreticorum sensum dividere unum & idem mysterium, grande est sacrilegium; non verò ad sensum Orthodoxorum, qui cùm credant totum & integrum Christum esse sub una specie, sub una, non sub duplici communicant.

S. Bernardus meritò ait alimoniam corporis & sanguinis Domini necessariam esse: alimonia porrò illa ex una specie, perinde ac ex duplici percipitur; corpus enim Christi non est sine sanguine.

Objicies denique: Major confertur gratia per duplicem, quàm per unam speciem; ergo Fideles aliqua gratia necessaria fraudantur per subtractationem calicis.

Resp. nego ant. 1. Quia major gratia non potest conferri percipienti duplicem speciem, nisi vel ratione signi, vel ratione rei significatæ & contentæ. Non prius: quia signum exterius ex se præcisè ut signum est, gratiam non confert, sed propter rem quam continet; alias qui plures in eadem communione perciperet panis consecrati portiones, ille majorem pro numero illarum portionum gratiam perciperet, quod est falsum. Non posterius: quia quidquid continetur sub duplici specie, totum continetur sub unica, ut ex dictis inter probationes colligitur. 2. Communio sub duplici specie hoc unum habet, ut expressiùs ac distinctiùs exprimat mortem & passionem Christi: sed clarior illa expressio seu significatio majoris gratiæ causa non est; aliàs qui baptismum per immersionem perciperet, majorem ille obtinere deberet gratiam, quia immersio expressius significat mortem & sepulturam Christi, quam aspersio, vel infusio.

Instabis 1. Tridentinum Concilium Sess. 21. c. 3. docet nulla gratia necessaria ad salutem eos fraudari qui unicam sumunt speciem, quo satis innuit eos defraudari aliqua gratia, quamquam non necessaria ad salutem.

Resp. nego ant. Mens quippe Concilii hæc una fuit eo loci, ut quod fidei est, adversùs Novatores declararet ac statueret, intacta, ut assolet, Scholasticorum opinione, inter quos ea de re excitata fuit controversia, quam dirimere noluit Concilium, sed eorum disputationibus, ut & alia benè multa, permisit.

Instabis 2. Referunt Auctores, Clementem VI. concessisse Regi Angliæ communionem sub utraque specie ad gratiæ augmentum.

Resp. Dubiam esse & admodum suspectam hujus Bullæ veritatem tum quia non consentiunt Auctores, cuinam Regi concessa fuerit, an Galliæ, an Angliæ: tum quia Clemens VI. vixit ante Concilium Constantiense, in quo primùm usus calicis lege communi & generali prohibitus est; tùm quia hæc Constitutio lata dicitur an. 1341. Clemens autem VI. electus tantùm fuit an. 1342.

Instabis 3. Qui bis recipit Christum, majorem reportat gratiam, quàm qui semel tantùm: atqui ille qui sub duplici specie communicat, bis recipit Christum; ergo &c.

Resp. dist. maj. qui bis recipit Christum in ordine ad duplicem refectionem animæ, concedo; in ordine ad unicam tantum, nego. Porrò qui sub duplici specie communicat, duplicem speciem ad unam & eandem communionem & refectionem animæ spiritualem refert ac dirigit; ergo majorem propterea gratiam non reportat.

Instabis 4. Omne Sacramentum subjecto ritè disposito ministratum gratiam in eo producit ex opere operato: atqui Eucharistia sub sola panis specie est Sacramentum, sicuti sub sola specie vini.

Resp. dist. min. Eucharistia sub sola panis specie est Sacramentum, idem cum eo quod datur sub specie vini, ad unam & eandem animæ refectionem ordinatum, concedo: diversum, nego.

Instabis denique: Si uberior gratia non confertur duplicem speciem percipienti, quare tot sæculorum tractu majores nostri Eucharistiam sub utraque specie Fidelibus omnibus dispensarunt? Quare post subtractum à Concilio Constantiensi calicis usum, tot populi, Imperatores, Reges, Principes iteratis sæpius precibus hunc usum sibi restitui tam ardenter efflagitarunt? Quare denique Sacerdotes, dum conficiunt, Eucharistiam sub utraque specie percipiunt?

Resp. ad primum, Ecclesiam justis de causis utramque speciem olim Fidelibus permisisse, sicut postremis temporibus justis quoque de causis usum calicis subtraxit. Non eo tamen consilio ducta est ad utramque speciem concedendam, quòd existimaverit majorem gratiæ fructum ex duabus potius quàm ex una percipi, aliàs nunquam profectò tali fructu voluisset Fideles fraudare; sed tum propter exemplum Christi, qui utramque speciem dispensaverat, tum propter expressiorem mortis Christi significationem aliasque ejusmodi rationes, quas tanti esse non judicavit Ecclesia, quin usum illum gravibus de causis immutari debere æstimaverit.

Ad secundum; eorum qui calicis usum restitui tam ardenter postularunt; non una fuit mens, non idem consilium. Aliqui animo planè hæretico ac rebelli, ut Boemi, armata manu, pro calice certabant; alii eo ducebantur errore, vel totum Christum non contineri sub quelibet specie, ut Calvinistæ; vel totam Sacramenti naturam ac substantiam in una specie non reperiri, ut Lutherani, quorum certè hominum reprimenda potius fuit audacia & temeritas, quàm audienda postulatio: alii veri Christiani Principes, animo pacis ac concordiæ, fide sana & integra, restitui calicis usum postulabant, hac spe freti, futurum ut ad unitatem & concordiam cum Ecclesia faciliùs adducerentur Hæretici, ac sedarentur animorum commotiones; sed vanam fuisse illorum Principum expectationem eventus satis comprobavit: neque enim Boemi post restitutum calicem Ecclesiæ magis obsequentes fuere; imò potius hac indulgentia illorum audacia & temeritas crevit.

Ad tertium, Sacerdotes merito utramque sumunt speciem, quia id exigit tum ratio Sacramenti, tùm ratio sacrificii. Prior quidem, quia etsi absolutè non sit necessaria utraque species ad integritatem substantialem Eucharistiæ ut Sacramentum est, cùm tamen Christus in institutione illius utramque adhibuerit, necesse est aliquos esse in Ecclesia qui Christi exemplum sequantur: posterior, quia ratio sacrificii utramque postulat speciem consecrari & consumi.

Præterea, ut optimè hic Bellarminus Lib. 4. de Euchar. cap. 23. non frustra nec inutiliter Sacerdotes utramque percipiunt speciem: quippè inutile illud non est, quod gratiam producit, etsi sine illo produceretur; utraque porrò species ad ejusdem gratiæ productionem concurrit, licèt idem omninò gratiæ effectus percipi potuisset per unam. Illustrat hoc Bellarminus exemplo miraculorum Christi, qui aliquando sola voluntate

operabatur miracula, ut cùm aquam in vinum convertit; aliquando voluntate & verbo, v. g. cùm Lazarum excitavit à mortuis; aliquando voluntate, verbo & contactu, ut cùm excitavit puellam mortuam; aliquando voluntate, verbo, contactu, & alio instrumento, ita cùm sputo cæcum illuminavit. In his omnibus nihil erat inutile & superfluum, quia omnia sua modo operabantur, & tamen non erant omnia necessaria; neque majorem effectum producebant omnia simul, quàm unum aut duo tantum; non enim melius revixit puella, quàm Lazarus, etiamsi illam & voce appellavit, & manu apprehendit, Lazarum autem sola voce excitavit.

ARTICULUS III.

Utrum detur præceptum divinum & Ecclesiasticum sumendi Eucharistiam sub una specie.

QUæres 1. utrum extet divinum præceptum sumendi Eucharistiam.

Resp. affirmativè. Colligitur 1. ex istis Christi verbis apud S. Joan. c. 6. v. 45. *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* 2. ex istis apud S. Lucam c. 22. v. 19. *Hoc facite in meam commemorationem*, quibus verbis Christus Apostolis, & in eorum persona Sacerdotibus, mandat ut faciant, quod ipse prior fecit: ipse autem Eucharistiam non tantum consecravit, sed & præsentibus distribuit. Idem verò præceptum quod obligat Sacerdotes ut distribuant Eucharistiam, obligat & Fideles ut eam percipiant. 3. ex SS. Patribus Innocentio I. Augustino, Gelasio, qui ex citatis Christi verbis Joan. 6. colligunt necessariam esse Fidelibus Eucharistiam, ut vitam æternam in se ipsis habeant. 4. quia Sacramentum hoc à Christo institutum est ad vitæ spiritualis conservationem: tenentur autem omnes Fideles jure divino, studere conservationi vitæ spiritualis.

Quæres 2. quos Fideles obstringat illud præceptum.

Resp. Solos adultos qui cum ad annos discretionis pervenerunt, seipsos probare possunt, juxta monitum Apostoli.

Quæres 3. an necessaria sit realis & actualis perceptio Eucharistiæ, an ejus votum sufficiat.

Resp. requiri realem & actualem, cum haberi potest; si autem illius copia impossibilis sit, sufficere votum illius, sive explicitum sive implicitum.

Quæres 4. quandonam obliget divinum illud præceptum.

Resp. Nullum quidem in Scripturis esse determinatum tempus; sed tamen ex praxi & mente Ecclesiæ non obscurè colligi, præceptum illud obligare 1. in articulo mortis; tunc enim maximè necessaria est Eucharistia ad superandas dæmonis tentationes. Hinc semper curavit Ecclesia, ut moribundis administraretur, sicuti constat ex Concilio generali Nicæno I. Can. 13. ex Dionysio Alexandrino, apud Euseb. Lib. 6. Hist. c. 44. ex Concilio IV. carthaginensi Can. 77. & 78. ex Arelatensi II. Can. 12. ex Agathensi cap. 15. ex Toletano XI. cap. 11. 2. obligat sæpius in vitæ decursu, quia non tantum pro moribundis, sed etiam pro sanis institutum est istud Sacramentum, qui cœlesti hoc alimento indigent, ut infractæ ac debilitatæ vires animæ ex continuo cum mundo, dæmone ac concupiscentia certamine, reparentur ac conserventur.

Dices: Si persuasum habuisset Ecclesia, jure divino Fideles obligari saltem in exitu ad percipiendam Eucharistiam, quomodo adduci illa potuisset ut certis in casibus tam necessario viatico morientes contra mandatum Christi privaret, sicut legimus aliquando usurpatum ab Ecclesiis Hispanica, Africana, & Gallicana, ut ex ante dictis compertum est?

Resp. 1. Ecclesiam universam nunquam legem tulisse de recusanda Fidelibus pœnitentibus in periculo mortis Eucharistia, imò opposita lex sancita est à Concilio generali Nicæno I. Can. 13. 2. Ecclesiæ illæ particulares ex rigore disciplinæ, non ex desperatione indulgentiæ, ut ait S. Augustinus, aliquibus in casibus Eucharistiam moribundis denegarunt, tum ut hac severitate cæteros Fideles à gravioribus criminibus deterrerent; tum quia præsumebatur ejusmodi moribundos non ex sincero pœnitentiæ motu, sed ex solo mortis timore compelli ad postulandam Eucharistiam, sicut testatur S. Cyprianus Epistola 52. & Patres Concilii Arelatensis I. Canone ultimo.

Quæres 5. utrum detur præceptum Ecclesiasticum percipiendi Eucharistiam.

Resp. Affirmativè, Concilium enim Lateranense sub Innocentio III. an. 1215. cap. 21. sic statuit: *Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua peccata, saltem semel in anno, fideliter confiteatur proprio Sacerdoti, injunctam sibi pœnitentiam studeat pro viribus adimplere, suscipiens reverenter ad minus in Pascha Eucharistiæ Sacramentum: nisi fortè de consilio proprii Sacerdotis, ob aliquam rationabilem causam ad tempus ab ejus perceptione duxerit abstinendum: alioquin & vivens ab ingressu Ecclesiæ arceatur, & moriens Christiana careat sepultura.* Tom. 11. Conc. p. 172. E.

Et Concilium Tridentinum Sess. 13. Can. 9. sic decernit: *Si quis negaverit omnes & singulos Christi Fideles utriusque sexus, cùm ad annos discretionis pervenerint, teneri singulis annis, saltem in Paschate, ad communicandum, juxta præceptum sanctæ matris Ecclesiæ; anathema sit.* Tom. 14. Conc. p. 809. C.

Quæres 6. quoties obliget præceptum Ecclesiasticum.

Resp. initio Ecclesiæ, cum maximus esset charitatis fervor, primos Fideles perseverantes fuisse in doctrina Apostolorum, orationibus & communicatione fractionis panis, id est participatione Eucharistiæ. Act. 2. v. 42. & v. 46. Postea vero solis Clericis præscriptum fuit, ut quoties Missæ sacrificio ministrarent, Eucharistiæ participes fierent. Ita colligimus ex canone 8. eorum qui Apostolici dicuntur: Laicis verò ut ter in anno, scilicet in Paschate, Pentecoste, die natalis Domini. Ita colligimus ex cap. *Etsi non frequentius*, *De consecratione*. dist. 2. & cap. *Omnis homo*, Cap. *Seculares*. eadem distinctione; ex Concilio Agathensi anno 506. Can. 18. ex Coloniensi I. an. 1536. c. 21. *Ad extremum verò*, inquit Catechismus Romanus parte 2. de Euchar. n. 65. *cùm eò res adducta esset, ut non modo sancta illa & salutaris præceptio non servaretur, sed in plures etiam annos sacra Eucharistiæ communio differretur, decretum est in Concilio Lateranensi, ut semel ad minus singulis annis in Pascha Fideles omnes sacrum Domini corpus acciperent.* Tom. 4. Conc. p. 1386. Tom. 14. Conc. p. 536.

Quamquam nonnullæ Ecclesiæ, etiam post decretum Lateranense, priorem usum de communione ter in anno à Fidelibus percipienda retinuerunt, ut videre est in Concilio Tholosano an. 1229. cap. 13. & Albiensi an. 1254. cap. 29. Tom. 11. Conc. p. 430 C. & 728 D.

Quæres 7. an qui intra paschale tempus præcepto communionis annuæ non satisfecit, maneat liber ab illa obligatione pro eo anno.

Resp. negativè: quia duo præscribit Ecclesia suo præcepto. Primum, ut quilibet Fidelis semel in anno Eucharistiam percipiat. Secundum, ut id præstet tempore paschali, hoc est intra spatium 15. dierum. Posterior hæc obligatio cessat ubi elapsum est tempus paschale, cum impossibile sit hanc temporis circumstantiam observare: prior autem quæ potissimum intenditur ab Ecclesia, perseverat, cum possit adhuc impleri.

Si

Si quis tamen ante tempus Paschæ communicasset in sua Parochia, maneret liber, quia jam implevisset præceptum, tam quoad substantiam, quam quoad circumstantiam loci.

Quæres 8. utrum qui non communicavit in Paschate in propria sua Parochia, teneatur prima data occasione communicare.

Resp. affirmative, quia cum Ecclesia suo præcepto vult communionem non differri ultra Pascha, ea est præcepti conditio de non differendo, ut si fuerit dilatum præceptum, non desinat obligare: sicut patet in contractibus in quibus determinatur tempus solutionis, quo elapso adhuc tamen perseveret obligatio. Neque enim est lex ista Ecclesiæ diei alligata, quemadmodum recitatio Breviarii est onus diei; neque ratio obligationis est tempus paschale, sed ut non differatur ulterius.

Quæres 9. an qui indigne Eucharistiam percipit, satisfaciat præcepto paschalis communionis.

Resp. negative; tum quia præceptum illud ecclesiasticum est tantum determinatio præcepti divini quoad temporis circumstantiam; ergo est de illa communione quæ cadit sub præceptum divinum, per quod tenentur Fideles seipsos prius probare, quam accedant ad hoc Sacramentum; tum quia, vel Ecclesia præcipere potest directe actum internum, & sic dubium non est, quin præcipiendo communionem, præcipiat dignam; vel tantum potest indirecte, quatenus actus interior conjunctus esse debet actui externo quem præcipit, & sic indirecte, præcipiendo communionem, præcipit dignam; sicut præcipiendo Fidelibus ut diebus Dominicis & festis intersint Missæ sacrificio, præcipit attentionem devotionem necessariam. Favent verba Concilii Lateranensis, *ut reverenter*, inquit, *ad minus Pascha &c.* Ratio est, quia Ecclesia eam præcipit communionem, quæ ad finem sibi propositum possit conferre, nempe ad obtinendam gratiam & vitam æternam: atqui talis est digna communio; ergo &c. Hinc merito Innocentius XI, an. 1679. die 2. Martii damnavit istam propositionem, *Præceptocommunionis annuæ satisfit per sacrilegam Domini manducationem.*

Recueil des Bulles, p. 496.

Dices 1, Qui recipit Eucharistiam in statu peccati, vere recipit Sacramentum Eucharistiæ: atqui Ecclesia nihil aliud præcipit.

Resp. nego min. Vult enim Ecclesia, ut percipiatur Eucharistia modo necessario ad finem sibi propositum obtinendum.

Dices 2. Datur duplex præceptum de sumenda Eucharistia, unum positivum de illa sumenda, negativum aliud de illa non indigne sumenda: atqui dici potest quod per communionem sacrilegam satisfiat præcepto positivo, licet non satisfiat negativo.

Deinde, qui recipit Baptismum in statu peccati, satisfacit præcepto de recipiendo Baptismo, etiamsi non obtineat finem propter quem Baptismus præceptus est.

Denique, modus actionis præceptæ non cadit in præceptum: sed communionis dignitas aut indignitas pertinet ad modum actionis.

Resp. ad primum, præceptum positivum sumendi Eucharistiam includere negativum de illa indigne non sumenda: *Probet autem seipsum homo*, inquit S. Paulus. Ratio est, quia ex dictu præceptum communionis datum est ad conservandam vitam animæ, qui finis obtineri non potest per communionem indignam.

Ad secundum, ratio disparitatis est, tum quia cum iterari non possit Baptismus, ita quoque præcipi non potuit ut modus eum indigne percipiendi caderet in substantiam præcepti; alias qui semel indigne Baptismum recepisset, nunquam posset subinde præceptum implere; non ita est de perceptione Eucharistiæ. Tum quia perceptio Baptismi in statu peccati habet nihilominus aliquem effectum propter quem institutus est, characterem scilicet quem imprimit, quo fit ut baptisatus sit membrum Ecclesiæ; communio autem indigna nihil boni operatur in anima: tum quia docent communiter Theologi, per pœnitentiam ac sincerum de peccatis dolorem reviviscere Baptismum, non vero Eucharistiam; alioqui qui sæpius indigne communicasset, sub finem vitæ pœnitentiam agens & veniam obtinens peccatorum, sanctior evaderet.

Ad tertium, dist. Modus actionis præceptæ non cadit in præceptum, si præcepto non exprimatur, nec sit necessarius ad finem præcepti, concedo; si exprimatur in præcepto, & necessarius sit ad finem illius, nego. At in præsenti casu modus præcepti exprimitur in ipso præcepto, & necessarius est ad finem illius, nempe conservationem vitæ spiritualis & assecutionem vitæ æternæ.

Quæres ultimo, utrum debeant Fideles ad sacram Eucharistiam frequenter accedere, & quoties.

Resp. debere Fideles frequenter ad sacram Eucharistiam ea qua par est pietate animi accedere. *Utrum autem*, inquit Catechismus Rom. parte 2. de Euch. n. 62. *singulis mensibus, vel hebdomadis, vel diebus id magis expediat, certa omnibus regula præscribi non potest: verumtamen*, addit, *illa est S. Ambrosii norma certissima, Sic vive, ut quotidie sumere merearis.* Adeat quisque conscientiam suam, & prudentis ac sapientis Sacerdotis monita sequatur. *Lib. 5. de Sacramentis c. 4. n. 25. T. 2. p. 379.*

QUÆSTIO VII.

De effectibus Eucharistiæ.

VArios eosque eximios hujus Sacramenti effectus enumerant Theologi post SS. Patres & Concilia.

Concilium Florentinum in Decreto unionis eos sic exponit: *Hujus*, inquit, *Sacramenti effectus, quem in anima operatur digne sumentis, est adunatio hominis ad Christum. Et quia per gratiam homo Christo incorporatur, & membris ejus unitur, consequens est, quod per hoc Sacramentum in sumentibus digne gratia augeatur; omnemque effectum, quem materialis cibus & potus, quoad vitam agunt corporalem, sustentando, augendo, reparando & delectando, Sacramentum hoc quoad vitam operetur spiritualem: in quo, ut inquit Urbanus Papa, gratam Salvatoris nostri recensemus memoriam, à malo retrahimur, confortamur in bono, & ad virtutum & gratiarum proficimus incrementum.* *Tom. 23. Conc. p. 137. E.*

Et Concilium Tridentinum Sess. 13. c. 2. *Sumi autem*, inquit, *voluit* (Christus) *hoc Sacramentum, tanquam spiritualem animarum cibum, quo alantur & confortentur viventes vita illius qui dixit, Qui manducat me & ipse vivet propter me: & tanquam antidotum quo liberemur à culpis quotidianis, & à peccatis mortalibus præservemur. Pignus præterea id esse voluit futuræ nostræ gloriæ & perpetuæ felicitatis; adeoque symbolum unius illius corporis, cujus ipse caput existit, cuique nos tanquam membra, arctissima fidei, spei & charitatis connexione adstrictos esse voluit, ut idipsum omnes diceremus, nec essent in nobis schismata.* *Tom. 14. Conc. p. 805. D.*

Hos omnes effectus fusius hic prosequi nostri non est consilii; in eo tantum paulisper juvat immorari, quod unum est præsentis difficultatis caput adversus Hæreticos discutiendum, an scilicet remissio peccatorum mortalium sit præcipuus hujus Sacramenti effectus. Circa quod errant Novatores, & Scholæ Magistri, illæsa fide, in varias abeunt opiniones.

Errores & opiniones.

Tom. 3. p. 280. Recte hic observat Bellarminus L. 4. de Euch. c. 17. initio, quæstionem de effectibus Eucharistiæ adeo conjunctam esse cum alia quæstione de præparatione ad communionem præsertim ex sententia adversariorum, ut nullo modo separari possint, cum una ex alia pendeat. Si enim Eucharistia per se instituta est ad primam sanctificantem gratiam producendam, & mortalia peccata remittenda, necesse non est hominem gratia sanctificante, tanquam prævia dispositione & præparatione, esse instructum, ut digne, sicut par est, ad sacram mensam accedat. Itaque

Lutherus tria docuit, 1. effectum primarium Sacramenti Eucharistiæ esse remissionem mortalium peccatorum. 2. non requiri ad dignam præparationem communionis, ut quis non sit sibi conscius peccati mortalis; imo quo plurium & graviorum sibi conscius est, eo aptiorem esse Eucharistiam. 3. ad præparationem Eucharistiæ non requiri ut quis per confessionem & pœnitentiam à peccatis justificetur, sed satis esse fidam, qua certo credat sibi in eo Sacramento omnia peccata esse remittenda. Verba Lutheri refert Bellarminus loco mox citato.

Calvinus aliquando à Luthero dissentire videtur, aliquando ei subscribere, adeo sibi parum constat. Namque L. 4. Institutionum c. 17. §. 40. sic loquitur;
P. 523. *Cibus hic spiritualis si in animum inciderit malitia, pequitiaque pollutam, majore illam ruina præcipitat.* Rationem reddit paulo superius, *Non enim aliter ac cibus corporalis, ubi ventrem offendit vitiosis humoribus occupatum, ipse quoque vitiatus & corruptus nocet magis, quam nutriat*, quæ sane verba catholicam videntur exprimere sententiam. Paragrapho tamen sequenti oppositum plane docere videtur his verbis;
P. 524. „Vulgo dum homines ad eam manducandi dignitatem „comparara volunt, miseras conscientias torserunt ac „divexerunt diris modis; nec tamen quidquam eorum „quæ in rem essent, attulerunt. Digne manducare eos „dixerunt, qui in statu gratiæ essent. In statu vero gra„tiæ esse interpretati sunt, purum purgatumque omni
Ibid. „peccato esse. *Et* §. 41. Ne igitur, *inquit*, in hujusmo„di præcipitium ruamus, meminerimus has sacras epu„las ægrotis esse pharmacum, peccatoribus solatium, „pauperibus largitionem, quæ sanis, justis, & divitibus, „si qui reperiri possent, nullum afferrent operæ pretium. „Nam cum in illa Christus nobis in cibum detur, intel„ligimus nos sine ipso tabescere, liqui, deficere, qualiter „inedia corporis vigorem extinguit. Deinde cum in „vitam detur, intelligimus nos sine ipso in nobis plane „mortuos esse.

Illa omnia Calivini verba secum non cohærent, ut recte observat Bellarminus. In primo enim testimonio videtur exigere ut homo justus sit, vivus, & sanus ad dignam Eucharistiæ perceptionem; in secundo vero ut non sit justus, sed peccator; non sanus, sed ægrotus; non vivus, sed mortuus.

Tom. 14. Conc. p. 805. & seq. Ibid. p. 809. A. Hunc Novatorum errorem proscripsit & anathemate confixit Synodus Tridentina Sess. 13. c. 2. ubi effectus Eucharistiæ; & c. 7. ubi debitam ad illius receptionem præparationem exponit & explicat; & Can. 5. ac 11. ubi oppositam Novatorum doctrinam damnat: *Si quis dixerit*, inquit Can. 5. *vel præcipuum fructum sanctissimæ Eucharistiæ esse remissionem peccatorum, vel ex ea non alios effectus provenire; anathema sit.*

Ibid. D. Et Can. 11. *Si quis dixerit, solam fidem esse sufficientem præparationem ad sumendum sanctissimæ Eucharistiæ Sacramentum; anathema sit.*

Omnes Scholæ catholicæ Magistri concordi suffragio docent adversus Novatores. 1. Eucharistiam per se ac directe non remittere peccata mortalia, ac proinde necessariam esse in suscipiente præviam sanctificantem gratiam, ut digne & cum fructu ad hoc Sacramentum accedat. 2. peccata venialia remitti per illud Sacramentum fatentur, sed dissentiunt I. an directe saltem & per accidens Eucharistiam peccatum mortale aliquando remittat, in eo v. g. homine qui re ipsa quidem peccati mortalis reus est, sed cujus nec conscientiam habet nec affectum, quique bono ac simplici animo, præmissa sacramentali confessione & absolutione, nihil sibi conscius Eucharistiam percipit. Sunt qui affirmant cum Dominico Soto; sunt qui negant cum Vasquesio & aliis quos appellat in 3. p. S. Th. q. 79. disp. 205. c. 4. Multi duo ista videntur confundere, accedere ad sacram mensam cum conscientia peccati mortalis, & cum affectu ad peccatum mortale: alii vero distinguunt, apud quos is dicitur accedere cum affectu, qui non detestatur peccatum, sed potius ad illud afficitur; is autem cum conscientia, qui cognoscit se reum esse peccati mortalis, nec sufficienter de illo se conteri. Utroque in casu indigne Eucharistiam percipi fatentur illi.

II. Sunt qui putant per Eucharistiam directe & per se venialia peccata remitti: sunt qui indirecte tantum, concomitanter aut consequenter, quatenus scilicet per illud Sacramentum excitatur fervor charitatis qui directe pugnat cum veniali peccato.

III. Sunt qui dicunt intendi quoad substantiam gratiam habitualem quæ per Eucharistiam infunditur: sunt qui negant, eamque tantum augeri volunt secundum robur, ratione solius auxilii gratiæ actualis, ut Alensis à Vasquesio citatus in 3. partem q. 79. art. 2. disp. 203. cap. 1.

IV. Sunt qui præter justificantem gratiam in suscipiente necessariam adhuc aliam specialem dispositionem requirunt ad effectum hujus Sacramenti, nempe vel devotionem & attentionem specialem ad hoc Sacramentum, vel carentiam peccati venialis in ipsa actuali sacramenti susceptione. Si enim veniale peccatum committatur in ipsa perceptione actuali Eucharistiæ, totum Sacramenti fructum deperdi asserunt. Lege Vasquesium in in eandem partem q. 79. disp. 206. art. 8. c. 1. Denique, non omnes conveniunt de puncto temporis quo Eucharistiam suum in anima effectum producit: an quando in ore recipitur, an quando demittitur in stomachum, an quando consumitur &c. His ita historice narratis, sit

CONCLUSIO.

Sacramentum Eucharistiæ per se ac directe non remittit peccatum mortale, nec consequenter primam sanctificantem gratiam producit, sed eam in suscipiente supponere debet.

Probatur 1. ex Scriptura. Christus Joan. 13. v. 4. & seq. antequam Discipulis suum corpus et sanguinem porrigeret, lavit eorum pedes, ut innueret summam esse debere animæ munditiem & puritatem in eo qui corporis Christi particeps efficitur. Matth. 22. severissime punitur qui ad regium convivium sine veste nuptiali intrare præsumpsit; *Ligatis pedibus & manibus*, inquit Rex convivii v. 13. *mittite eum in tenebras exteriores.* Ibi vero adumbrari convivium eucharisticum, concors est SS. Patrum & Interpretum sententia. Et cap. 7. v. 6. dixerat Christus; *Nolite dare sanctum canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos.* Denique 1. Corinth. 11. vers. 28. Apostolus pronuntiat; *Probet autem seipsum homo; & sic de pane illo edat, & de calice bibat. Qui enim manducat & bibit indigne, judicium sibi manducat & bibit, non dijudicans corpus Domini.* Ex quibus certe testimoniis manifesta colligitur, præviam esse deberem in suscipiente Eucharistiam animæ puritatem ac sanctitatem; adeoque Sacramentum hoc ex se ac directe in-

stà institutum non esse ad tollendum peccatum mortale, & primam sanctificantem gratiam producendam.

Probatur 2. ex constanti SS. Patrum & Ecclesiæ totius Traditione. Certum quippè est ab altari remotos ac separatos olim fuisse, qui propter crimina luctuosam decurrebant pœnitentiam. Ita colligimus ex Conciliis Eliberitano Can. 78. & 79. Ancyrano Can. 4. 5. & 7. Niczno Can. 11. Arausicano I. Can. 3. & ex S. Cypriano Epistolis 14. 15. 16. & Tractatu de lapsis. Hinc alta voce inter Missarum solemnia clamabat Diaconus, *Exite Catechumeni, pœnitentes, indigni.*

Concors est SS. Patrum sententia.

P. 97. E. S. Justinus Apolog. 2. *Alimentum hoc*, inquit, *apud nos vocatur Eucharistia, quod nulli aliè participare licitum est, quam veram esse doctrinam nostram credenti, & lavacro propter remissionem peccatorum & regenerationem abluto, & ita ut Christus tradidit viventi.*

S. Cyprianus Epistola 9. conqueritur à nonnullis intempestiva indulgentia laxatam esse pacem, & datam lapsis communionem. *Nondum*, inquit, *pœnitentia acta, non exomologesi facta, nondum manu eis ab Episcopo & Clero imposita, Eucharistia illis datur, cùm scriptum sit, Qui ederit panem, vel biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini.* Tractatu quoque de lapsis vehementiori & acriori stylo in eundem abusum invehitur.

Pag. 22. & seq. P. 173. & seq.

To. 1. p. 1400. B. S. Ambrosius Lib. 6. in Lucam ad cap. 9. *Ubique*, inquit, *mysterii ordo servatur, ut prius per remissionem peccatorum vulneribus medicina tribuatur, posteà alimonia mensa cælestis exuberet.*

Ed. Commel. p. 238. A. S. Chrysostomus Hom. 46. in Joan. caput 6. *Sicut est magnum*, inquit, *& admirabile*, [hoc Sacramentum] *ita si puro accesseris, ad salutem accessisti: si prava conscientia, ad pœnam & supplicium.*

To. 3. p. 2. pag. 498. C. S. Augustinus Tract. 26. in Joan. *Quàm multi*, inquit, *de altari accipiunt, & accipiendo moriuntur?... Non quia malum accepit, sed quia bonum malo malus accepit. Videte ergo, fratres, panem cælestem spiritaliter manducate, innocentiam ad altare apportate.*

Tom. 1. p. 605. cap. 2. Denique S. Leo Epistola 82. aliàs 91. sic loquitur; *Mediator Dei & hominum Christus Jesus hanc Præpositis Ecclesiæ tradidit potestatem, ut & confitentibus actionem pœnitentiæ darent, & eosdem salubri satisfactione purgatos, ad communionem Sacramentorum per januam reconciliationis admitterent.*

Hic adde definitionem Concilii Tridentini Sess. 13. Can. 5. & 11. paulo antè adductam, sicut & ea quæ idem Concilium cap. 7. ejusdem Sessionis exponit de dispositionibus necessariis ad dignam Eucharistiæ perceptionem.

Probatur 3. ratione. Quia Sacramentum Eucharistiæ institutum est per modum alimenti spiritualis (*Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus*, inquit Christus Joan. 6. v. 56. alimentum autem spirituale supponit in eo qui illud sumit, vitam spiritualem animæ, sicut alimentum corporale vitam corporis. Hinc nata inter Theologos distinctio Sacramentorum, quorum alia dicuntur vivorum, & alia mortuorum; priora sunt ea quæ in suscipiente præsupponunt vitam animæ spiritualem, ut Eucharistia, Confirmatio &c. posteriora verò, quæ mortuis conferuntur ut vitam habere possint, quæ propterea destinata sunt ad producendam primam sanctificantem gratiam, & ad tollenda peccata, Baptismus & Pœnitentia.



SECUNDA CONCLUSIO.

Probabilior nobis videtur eorum opinio, qui ne quidem indirectè & per accidens peccatum mortale Eucharistiam remitti affirmant.

Probatur. Quia effectus Sacramentorum novæ Legis qui pendent à sola Christi voluntate & institutione, nobis tantùm possunt innotescere vel ex Scripturis, vel ex SS. Patribus, vel ex Conciliis & Traditione Ecclesiæ, vel denique ex ratione evidenti petita ex singulari conditione & propria natura ejus Sacramenti de quo agitur: atqui ex nullo illorum capitum probari potest peccata mortalia in casu proposito per accidens remitti in ipsa reali Eucharistiæ perceptione.

Non quidem ex Scripturis, Conciliis, ac SS. Patribus: quæ enim Conclusione prima mox adduximus testimonia, manifestè ostendunt hominem justum esse debere, & ab omni labe mortali purum & liberum, priusquam ad sacram mensam accedat; neque ulla ratione distinguunt inter modum remittendi peccatum mortale, per se ac directè, aut per accidens ac indirectè.

Non etiam ex ulla ratione fundata in singulari conditione ac natura & institutione Eucharistiæ: imò potius inde colligitur, nequidem per accidens & indirectè per illam deleri peccatum mortale: siquidem instituta illa est, ut diximus, tanquam cibus & potus animæ; at cibus & potus nunquam dantur ad suscitandos mortuos. Ita Catechismus Romanus parte 2. de Eucharistiæ Sacramento n. 51. *Constat*, inquit, *quemadmodum mortuis corporibus naturale alimentum nihil prodest, ita etiam animæ, quæ spiritu non vivit, sacra mysteria non prodesse. Ac propterea, panis & vini speciem habent* (Fideles,) *ut significetur, non quidem revocandæ ad vitam animæ, sed in vita conservandæ causa instituta esse.... quoniam prima gratia omnes praditos esse oportet, antequam sacram Eucharistiam ore contingere audeant.*

II. In casu proposito, qui ad sacram mensam accedit cum peccato mortali, cujus tamen sibi conscius non est, nec affectum ullatenus retinet, vel absolutionis beneficium in Sacramento Pœnitentiæ accepit, vel non. Si prius, justificatus est, atque peccatum illud mortale cujus sibi non est conscius, remissum supponitur cum alius vi & efficacia Sacramenti Pœnitentiæ; adeoque non amplius remittendum superest per Sacramentum Eucharistiæ. Si posterius, vel ille copiam non habens Sacerdotis perfectum habet ex Dei amore de peccatis dolorem, vel non: si habet, etiam justitiam & peccatorum remissionem adeptus supponitur per amorem Dei & charitatem, antequam Eucharistiæ fiat particeps; *Qui enim diligit, non manet in morte*, si non habet, nullatenus justificatur, sed in peccatis remanet, quæ per indignam communionem nova accessione augentur & cumulantur potius, quàm deleantur.

TERTIA CONCLUSIO.

Eucharistia directè ac per se remittit peccata venialia.

Probatur 1. ex Concilio Tridentino Sess. 13. c. 2. ubi ait Christum instituisse Sacramentum Eucharistiæ *tanquam antidotum quo liberamur à culpis quotidianis & à peccatis mortalibus præservamur*. 2. ex S. Ambrosio Tom. 14. Conc. p. 805. D.
L. 5. de Sacramentis cap. 4. *Qui vulnus habet, medicinam requirit. Vulnus est quia sub peccato sumus, medicina est cæleste ac venerabile Sacramentum*, quod ibidem vocat panem nostrum quotidianum. Unde S. Augustinus Epistola 54. aliàs 118. capit. 3. hanc regulam Tom. 2. p. 179. A.

Tom. 2. p. 325. B. C. regulam proponit observandam ab iis qui ad sacram mensam volunt accedere : " Si peccata non sunt, ut excommunicandus quisquam homo judicetur, non se „debet à quotidiana medicina Dominici corporis se„parare. " Quotidianam appellat medicinam, quia quotidianis morbis seu peccatis venialibus sanandis destinata est.

Probatur 2. ratione ex natura Eucharistiæ ducta. Est quippe instituta per modum cibi ; quemadmodum autem necessarius est cibus corpori ad restaurandum id quod quotidie deperditur per actionem caloris naturalis, ita necessarius est spiritualis animæ cibus, quo reparatur quidquid per calorem concupiscentiæ ex ardore charitatis imminuitur. Unde S. Th. observat, ex duplici capite remitti peccata venialia in Eucharistia. 1. immediate & directe, per ipsum Sacramentum quod sumitur sub specie cibi nutrientis. 2. mediate per rem Sacramenti, nempe fervorem charitatis, qui cum pugnet cum veniali peccato, ipsum tollit.

Quæres 1. an per peccata venialia impediatur aliquando Eucharistiæ effectus.

Resp. duo esse in peccato veniali distinguenda, reatum, & affectum.

I. Reatus peccati venialis præteriti non tollit effectum hujus Sacramenti ; imo potius, ex mox dictis, tollitur per illud Sacramentum.

II. Peccata venialia concomitantia, tum etiam præterita, quorum affectus non deponitur ; tum ea quæ actu, id est in ipsa Sacramenti perceptione committuntur, impediunt fervorem charitatis, suavitatem, ac quamdam spiritualem dulcedinem refectionis actualis, similem ferme voluptati quam percipit gustus in manducatione cibi alicujus exquisiti. Ita S. Th. 3. parte q. 80. art. 8. Ratio est, quia complacentia in peccatis venialibus, vel actualis eorum commissio, est obex fervori charitatis, suavitati ac dulcedini hujus Sacramenti, neque remitti potest in hoc Sacramento peccatum actuale, nisi voluntas ab illo se avertat. Hinc monet S. Augustinus, negligenda non esse peccata venialia, eorumque affectum esse deponendum. Sermone enim 244. nunc 292. in Append. loquens de luxuria veniali in quam incidunt qui matrimonio intemperanter, & extra liberorum procreandorum finem utun-

Tom. 5. Append. p. 487. F. tur, sic loquitur : " Sed dicis, peccatum quidem est ; „sed tamen parvum est. Nec nos dicimus quia capita„le peccatum est : sed tamen si frequenter exercea„tur, & jejuniis, vel eleemosynis non redimatur, ni„mis immundam facit animam. Noli despicere pec„cata tua, quia parva sunt : nam & pluviarum guttæ „sunt ; sed flumina implent, & moles trahunt, & „arbores cum suis radicibus tollunt. Tu qui dicis, „quia parvum peccatum est, velim scire quoties tale „peccatum admittis, si tot parvulas plagas in corpore, „& tot maculas aut scissuras in vestibus tuis fieri velis ? „Cum ergo in corpore tuo plagas, nec in veste tua „scissuras vel maculas fieri acquiescis, qua conscientia „tot facere in anima tua non metuis ? Ac sic quicun„que hoc fecerit, plus amat vestem ac carnem suam, „quam animam.

Resp. 3. Quamquam improbabilis non sit eorum sententia qui contendunt, defectum actualis devotionis, & peccata venialia quæ talem defectum inducunt, impedire non tantum actualem fervorem ac dulcedinem hujus Sacramenti, sed etiam augmentum habitualis gratiæ & charitatis, contraria tamen sententia negans verisimilior nobis videtur.

Ratio primæ partis est, quia ita sentiunt plerique Auctores gravissimi, S. Th. in 4 dist. 12. q. 2. art. 1, quæstiuncula 3. Durandus in eandem distinct. q. 1. ad 2. Cajetanus in art. 1. q. 79. ubi ait, *oppositam sententiam demulcere* quidem aures multitudinis innumerabilium Sacerdotum quotidie aut frequentissime celebrantium, sed non esse veram. His addi possunt plures alii quos refert Suares in hanc quæstionem disput. 73. sectione 3. 2. Quia vix credibile est augmentum gratiæ iis conferri qui indignè recipiunt Eucharistiam : atqui indignè recipiunt qui indevotè. Ita S. Bonaventura, De præparatione ad Missam cap. 5. 3. Quia non viderentur retrahendi à communione qui indevotè accederent ad sacram mensam, si revera augmentum gratiæ & charitatis in eo statu conferatur ; neque enim tanto beneficio essent privandi : atqui tamen SS. Patres non modò retrahunt eos qui sunt in peccato mortali, sed etiam indevotè accedentes. Ita inter alios S. Chrysostomus Hom. 19. c. 10. ad Hebræos. 4. ut ratiocinatur Cajetanus, sicut amor Dei non est otiosus, ita nec ipsum amoris Dei incrementum : atqui tamen plures Sacerdotes quotidie celebrant, & quidem absque peccato mortali, in quibus tamen, teste experientia, nullum apparet talis augmenti vestigium, nec etiam meliores evadunt, sed semper æquè tepidi remanent. Tr. 7. p. 68. Pagina 1880. & seq.

Ratio secundæ partis est. 1. Quia S. Thom. discedens à priori sententia, (quidquid in contrarium opinetur Cajetanus) id aperte videtur docere 3. parte qu. 80. art. 8 " Actualis, *inquit*, refectio spiritualis dulce„dinis impeditur, si aliquis accedat ad hoc Sacramen„tum per peccata venialia mente distractus ; non au„tem tollit augmentum habitualis gratiæ vel charitatis. Hanc S. Thom. sententiam multi amplexi sunt, quos appellat Suares loco citato. 2. Quia Sacramenta agunt per modum causæ naturalis, ac proinde producunt effectum suum quoties obicem non reperiunt ; atqui devotionis carentia & affectus peccati venialis non ponunt obicem augmento gratiæ, quia sicut inter primam gratiam & peccatum veniale non datur oppositio, ita neque inter peccatum veniale & augmentum gratiæ. Vel enim hæc oppositio reperiretur ex ipsa rei natura, vel ex aliqua Dei institutione : non ex primo capite, cum levis offensa non dissolvat amicitiam : non ex secundo, cum nullum extet vestigium in sacris Litteris. 3. Quia Conc. Trident. sess. 13. cap. 7. & Can. 11. exponens probationem necessariam quam requirit Apostolus ut dignè quis percipiat Eucharistiam, non aliam proponit quam ut nullius sit peccati mortalis reus. 4. Quia quæ adducta sunt in confirmationem oppositæ sententiæ, multum non urgent.

Non primum, quia potius credendum S. Th. seniori & magis docto, quàm juniori, cum multi aliunde graves Theologi S. Doctori subscribant.

Non secundum, quia reipsa dignus est simpliciter, qui est in statu gratiæ ; & si quæ est indignitas, non est positiva ; alias peccaret mortaliter qui eo in statu Eucharistiæ fieret particeps, sed tantùm negativa, quæ impedit tantum dulcedinem actualis manducationis, non vero augmentum gratiæ.

Non tertium, meritò enim tales retrahi possunt, quia valdè timendum est ne cum desit justitiæ spiritualis dulcedo, delectatione cupiditatis superante excidant à gratia. Hac saltem pœna cautiores efficientur & vigilantiores.

Non quartum ; quia augmentum gratiæ præcisè sumptum, non multum confert ad mutationem vitæ, nisi adsint, tum fervor charitatis, tùm spiritualis dulcedo quæ vincat terrenam cupiditatem ; utrumque autem impeditur per venialia peccata. Unde plurimum timere debent Sacerdotes ita tepidi, ne brevi tempore penitus excidant à gratia.

Quæres 2. utrum per Eucharistiam remittatur pœna temporalis peccatis debita.

Resp. cum Thom. 3. parte qu. 79. art. 5. in corp. pœnam temporalem indirectè, non verò directè remitti per Sacramentum Eucharistiæ. " Si, *inquit*, con„sideretur ut Sacramentum, habet effectum dupliciter ; „uno modo directè ex vi Sacramenti ; alio modo quasi

„ex

„ex quadam concomitantia .... Ex vi quidem Sacra„ crementi directe habet illum effectum ad quem est in„stitutum : non est autem institutum ad satisfacien„dum, sed ad spiritualiter nutriendum per unionem ad „Christum ad membra ejus .... sed quia hæc unitas fit „per charitatem, ex cujus fervore aliquis consequitur „remissionem non solum culpæ, sed etiam pœnæ, inde „est quod ex consequenti per quamdam concomitan„tiam ad principalem effectum, homo consequitur re„missionem pœnæ, non quidem totius, sed secundum „modum suæ devotionis & fervoris.

Quæres 3. utrum per Eucharistiam homo præservetur.

Resp. affirmative. 1. ex Scriptura, Joan. 6. v. 52.
Tom. 14. Conc. p. 805. D. *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum.* 2. ex Conc. Trid. Sess. 13. c. 2. ubi ait Eucharistiam esse *antitodum quo à peccatis mortalibus præservamur.* 3. quia, ut ratiocinatur S. Th. aliquis præservatur à peccato futuro, sicut corpus à morte futura, cum peccatum sit mors animæ : atqui duobus modis corpus præservatur à morte ; vel contra interiora corruptiva, vel contra exteriores impugnationes : primum fit per cibum & medicinam, secundum per arma. Jam vero utroque modo anima per Eucharistiam præservatur à peccato ; & contra interiorem peccati fomitem, quia Eucharistia instituta est ad nutriendum, quæ nutritio fit per charitatem ; ut autem ait S. Augustinus L. 83. q. qu. 36. "nutrimentum charitatis est diminutio cupidi-
Tom. 6. p. 13. E. „tatis." Adversus dæmonum impugnationem : ut enim ait S. Chrysostomus Hom. 46. in Joan. c. 6. ab
Ed. Commel. p. 236. illa mensa discedimus terribiles effecti diabolo, tum quia Eucharistia est repræsentatio mortis Christi per quam victi sunt dæmones ; tum quia suppeditat jus ad auxilia gratiæ actualia, quæ sunt velut arma quibus
P. 76. dæmonum insultus propulsamus, ac vanos reddimus. Idem præclare & eloquenter exponit S. Cyprianus Ep. 54. ad Cornelium.

Neque est quod dicas, futurum inde, ut qui semel digne Eucharistiam percepisset, nusquam peccaret mortaliter.

Namque cum homo infirmus sit, multisque tum internis tum externis hostibus circumveniatur nec semper faciat quidquid potest ex auxilio gratiæ, hinc fit ut cedat aliquando tentationibus ; verum cum liber sit, non ex culpa aut defectu Eucharistiæ, sed ex culpa hominis & nativa ejus conditione contingit ut tentationi succumbat. "Effectus hujus Sacramenti, *inquit S. Th hic*, „recipitur in homine secundum hominis conditionem ; „sicut contingit de qualibet causa activa, quod ejus effe„ctus recipitur in materia secundum modum materiæ ; „homo autem in statu viæ est hujus conditionis, quod „liberum arbitrium ejus potest flecti in bonum & ma„lum ; unde licet hoc Sacramentum quantum est de se „habeat virtutem præservativam à peccato, non tamen „aufert possibilitatem peccandi.

Quæres 4. utrum per Eucharistiam producatur gratia sanctificans, & qualis.

Resp. ad primum, affirmative ; & ex jam dictis super abunde colligitur.

Ad secundum, dico gratiam illam sacramentalem in eo esse positam, ut in anima faciat, quod facit in corpore cibus materialis ; nempe ut sustentet, augeat, reparet vires animæ, delectet &c.

Quæres 5. quo instanti temporis Eucharistia suum in anima producat effectum.

Resp. parum de eo sollicitos esse debere Fideles, quibus satis est, si digne, ut oportet, ad hoc Sacramentum præparati accedant. Inter varias autem Theologorum opiniones ea videtur magis probabilis, quæ asserit tunc Eucharistiam suum effectum producere, cum verum est dicere eam comedi, manducari ; est enim verus cibus, ex dictis sæpius.

Quæres ultimo, utrum Eucharistia, ut Sacramentum est, aliis, quam sumentibus prodesse possit.

Resp. directe non prodesse, sed indirecte tantum. Non prius, quia cibus sumenti tantum directe prodest : indirecte tamen cibus spiritualis, propter suscipientis pietatem ac devotionem, qui communionem suam in aliorum gratiam offert, prodesse potest ; *sicut*, inquit S. Th. *prodest indirecte ad remissionem pœnæ temporalis.* Unde sacræ Cardinalium Concilii Tridentini interpretum Congregatio proscripsit opinionem eorum qui morem communicandi pro mortuis damnant.

Solvuntur Objectiones.

Objicies 1. contra primam Conclusionem, nonnulla Scripturæ testimonia, ex quibus colligi videtur Eucharistiam per se ac directe esse institutam ad delenda peccata mortalia.

I. Generatim Christus profitetur se non venisse vocare justos, sed peccatores, Matthæi cap. 9. v. 12. *Non est opus*, inquit, *valentibus medicus, sed male habentibus.* Hinc Christus se omnibus contrectandum permittebat, & cum omnibus familiariter conversabatur.

II. Joan. 6. v. 33. Christus ait : " Panis qui de „cœlo descendit, dat vitam mundo. *Et v. 52.* Panis „quem ego dabo caro mea est pro mundi vita. *Et v.* „58. Qui manducat me & ipse vivet propter „me.

III. In ipsa forma qua consecratur calix, dicitur Matth. 26. v. 28. " Hic est sanguis meus novi testa„menti, qui pro multis effundetur in remissionem pec„catorum." Eodem spectat hæc Oratio quam Sacerdos acceptis sacris donis Ecclesiæ nomine fundit, " Hæc „nos communio, Domine, purgat à crimine. Perficiant „nos, quæsumus Domine, Sacramenta quæ sumpsimus, „& præsta ut hoc tuum Sacramentum non sit nobis „reatus ad pœnam, sed intercessio salutaris ad veniam : „sit ablutio scelerum ; sit vivorum atque mortuorum „remissio omnium delictorum.

Resp. nego antecedens.

Ad primam probationem, verissimæ sunt adductæ Christi propositiones, quæ ad rem præsentem immerito inflectuntur. In primo quippe testimonio loquitur Christus de prima ad fidem Evangelicam vocatione, non de invitatione ad Eucharistiam ; certum autem est non alios fuisse primum vocatos à Christo, quam peccatores, absque enim gratia & vocatione omnes nos peccatis consepulti jaceremus. In secundo testimonio idem est Christi scopus, ut nempe adversus superbum Pharisæorum fastidium probet, non debuisse se dedignari peccatorum ac publicanorum consortium, ad quos, tanquam cœlestis medicus, sanandos venerat ; onde merito se omnibus videndum & contrectandum præbebat, qui venerat ut omnes salvos faceret. Inde autem inferre Eucharistiam pro tollendis mortalibus peccatis institutam esse quid aliud est, quam velle eam omnibus paganis & infidelibus esse concedendam, quod sane quantum sit perabsurdum nemo non intelligit.

Ad secundam : Eucharistia dicitur panis vivificus, more Scripturæ sacræ : non quod mortuis vitam conferat, sed quod eam in viventibus conservet ac confirmet.

Ad tertiam : In forma consecrationis calicis non dicitur sanguinem esse bibendum in remissionem peccatorum, sed effundendum ; cujus effusionis imago est ac repræsentatio Eucharistia. At certum est sanguinem Christi effusum fuisse in remissionem peccatorum.

Ad preces Ecclesiæ, dico 1. eas posse recte intelligi de Eucharistia ut est sacrificium, quod quidem offertur non pro justis modo, sed & pro pœnitentibus

quibus

quibus nondum remissa sunt peccata, imo & pro impiis, ut nempe dignetur divina misericordia eis gratia dispensare, quibus suam cæcitatem & impietatem deponant. La Conc. Trid. Sess. 22. c. 2. Nec obstat quod in illis
Tom. 14. Conc. p. 851. precibus Eucharistia dicatur *Sacramentum* : notum quippe est Veteres communi nomine sacrificium & Sacramentum appellasse: *Notum est*, inquit S Augustinus L. de sancta virginitate c. 45. *quo loco Martyres, & defunctæ sanctimoniales ad altaris Sacramenta recitentur*, ubi certe Sacramentum pro sacrificio ponitur.
Tom 6. p. 364. A. Deinde, etiam in ratione Sacramenti dici potest Eucharistia instituta in remissionem peccatorum : tum quia delet venialia, tum quia prodest ad relaxationem pœnæ temporalis quæ peccatis mortalibus debita est.

Objicies 2. contra secundam Conclusionem.

I. Sacramentum Eucharistiæ datur per modum medicinæ; ergo potest saltem indirecte ac per accidens mortale peccatum remittere in eo homine, qui bono & simplici animo accedit, nullius sibi mortalis peccati conscius.

II, Scriptura & SS. Patres exigunt tantum ut quis se probet, & sic de pane eucharistico comedat; sed qui post accuratum examen nullius peccati sibi conscius est, ille quantum in se est seipsum probavit.

III. sacramenta conferunt gratiam iis qui non ponunt obicem; at homo in casu proposito non ponit obicem.

IV. Eucharistie omnium Sacramentorum præstantissimum est; ergo illorum omnium virtutem eminenter continet; adeoque peccatum mortale saltem indirecte ac per accidens remittere potest.

Resp. ad primum : Eucharistia recte medicina vocatur, tum respectu venialium peccatorum, quæ purgat; tum respectu mortalium, quæ præcavet. Sicut autem medicina obest potius quam prosit, quando corpus illi recipiendæ non est præparatum, ita & Eucharistia, cum anima labe peccati mortalis infecta est.

Ad secundum: Scriptura & SS. Patres eam præviam exigunt probationem, quæ supponat gratiam sanctificantem, & excludat peccatum mortale jam remissum vel per pœnitentiam, vel per contritionem perfectam. Ad summum probaretur, illum hominem reum non fore sacrilegii, qui bona fide accederet ad Eucharistiam cum peccato mortali, cujus sibi non est conscius, nec affectum gerit.

Ad tertium : Ut quis censeatur obicem non ponere Sacramento Eucharistiæ, necesse est ut non tantum careat affectu ad peccatum mortale, sed etiam reatu peccati mortalis. Est hic obex qui effectum Eucharistiæ impedit; porro nullum sacramentum suum obicem tollit, sed supponit sublatum, ut fructum ferre possit.

Ad quartum : Major præ cæteris Sacramentis Eucharistiæ præstantia in eo consistit, quod ipsum christum totius gratiæ fontem contineat, non solam ejus virtutem. Quod si valeret adducta instantia, probaret inutilia fore alia Sacramenta, cum tota eorum virtus in sola Eucharistia contineretur.

Objicies denique contra tertiam Conclusionem.

I, peccata venialia non sunt contraria charitati; ergo non tolluntur per charitatem quæ infunditur virtute Sacramenti Eucharistiæ.

II. si Eucharistia deleret peccata venialia, omnia plane deleret; sicque immunis esset homo ab omni culpa veniali, quod pugnat cum S. Joanne, qui Epistolæ suæ 1. c. 1. v. 8. ait: *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.*

Resp. ad primum, peccata venialia non adversari quidem charitati, quantum ad ejus habitum atque substantiam, siquidem simul cohærent in eodem subjecto, sed quantum ad fervorem & intensionem actus qui excitatur per Eucharistiam.

Ad secundum : Non sic intelligendus est S. Joan. quasi vellet non posse hominem per aliquod vitæ intervallum omni peccato veniali carere; sed tantum quia vitam hanc non ducunt Sancti sine peccatis venialibus, adeo quippe infirma est & ad lapsum proclivis nostra mortalitas, ut diu stare non possit.

QUÆSTIO VIII.

De sacrificio Missæ.

Hactenus de Eucharistia quatenus Sacramentum, nunc de eadem ut sacrificium est, disserendum habemus. Priusquam vero speciatim loquamur de sacrificio Missæ seu altaris, nonnulla præmittenda videntur circa sacrificium generatim spectatum, quæ subinde dicendis circa sacrificium missæ lucem maximam allatura sunt.

De sacrificio generatim sumpto.

Quæritur quid sit, quotuplex, & quæ ejus necessitas.

Quid sit sacrificium.

Philipus Melancthon in Apol. Confessionis, articulo de Missa, ita sacrificium definit : *Sacrificium est ceremonia vel opus, quod nos Deo reddimus, ut eum honore afficiamus.* Calvinus generaliter definit : *Quidquid omnino Deo offertur.* Verum licet omnis actio quæ in Dei gloriam cedit, v. g. eleemosyna, jejunium, psalmodia &c. juxta nonnullos, sacrificium dici possit sensu quodam latissimo, non tamen sensu proprio, rigoroso ac theologico, qualem hic Catholici usurpant. Quapropter omnino spuriam ac falsam esse sacrificii proprie dicti definitionem à Melancthone & Calvino adductam multa demonstrant.

I. In Scripturis multarum virtutum opera sacrificiis opponuntur. Osee 6. v. 6. *Misericordiam volui, & non sacrificium.* L. 1. Reg. c. 15. v. 22. *Melior est obedientia, quam victima.* Porro quomodo vult Deus misericordiam, & non sacrificium, si ipsa misericordiam, & non sacrificium, si ipsa misericordia est verum ac proprie dictum sacrificium? Quomodo melior est obedientia, quam victimæ, si ipsa obedientia vere ac proprie victima est?

II. Sacrificium verum in sola actione consistere non potest, sed necessaria est res quædam externa & sensibilis. *Ecce ignis & ligna*, dicebat Isaac patri suo; *ubi est victima holocausti*? Gen. 22. v. 7. Et Apostolus Hebr. 8. v. 3. "Omnis Pontifex ad offerenda munera „& hostias constituitur; unde necesse est & hunc habe„re aliquid, quod offerat." At si sacrificium esset quælibet ceremonia, vel opus ad honorem Dei factum, nihil obstaret quominus in sola actione sacrificium consisteret; & qui voce psallit, aut genua flectit, aut aliquid ejusmodi facit, is proprie sacrificium offerre diceretur.

III. Opera virtutum in divinis Litteris non vocantur simpliciter & absolute sacrificia, sed cum addito, v. g. „sacrificium laudis; hostiæ spirituales; sacrificium spi„ritus contribulati, cordis contriti & humiliati &c." Illa vero quæ sunt propria sacrificia, simpliciter & absolute talia nominantur.

IV, Unum est legis Evangelicæ sacrificium quod modo cruento in ara crucis, modo vero incruento in altari perficitur; est enim unicum quoad rem & substantiam sacrificium, diversum tantum quoad modum offerendi; igitur proprie non sunt sacrificia omnia Sacramenta, vel omnia bona opera quæ fiunt ad colendum Deum.

V, Sacri-

V. Sacrificium & Sacerdotium relativa sunt, ita ut sacrificio propriè dicto sacerdotium propriè dictum, & sacrificio impropriè dicto sacerdotium impropriè dictum respondeat : at non sont omnes qui opera bona exercent ad honorem Dei, propriè dicti Sacerdotes; non sunt igitur omnino hujusmodi opera sacrificia propriè dicta.

VI. Denique, benè multa in Scripturis Deo offerri dicuntur, quæ verè ac propriè non sacrificantur. Exodi 25. & 35. offerenda Deo dicuntur aurum, argentum, æs, ligna &c. offeruntur primitiæ, offeruntur decimæ : an hæc totidem sacrificia sunt vera & propriè dicta?

Dices; Ex S. Augustino Lib. 10. de Civitate Dei c.

Tom. 7. p. 242. 6. *Verum sacrificium est omne opus, quod agitur, ut sancta societate inhæreamus Deo, relatum scilicet ad illum finem boni, quo veraciter beati esse possimus.* Non semel misericordiam S. Doctor ibidem appellat sacrificium.

Respondent nonnulli, omne opus bonum quod in gloriam Dei cedit, sacrificium dici posse sensu quodam laxissimo & valde improprio: ait S. Augustinus, qui hic objicitur, *verum* appellat *sacrificium.* Non igitur sensu laxissimo & valdè improprio.

Tom. 1. p. 307. H. Respondet Bellarminus L. 1. de Missa cap. 2. bona illa opera *verum sacrificium* ab Augustino appellari, ratione dignitatis, & ratione effectus, non ratione formæ & essentiæ sacrificii propriè dicti: neque enim S. Doctor eo loci definit sacrificium in genere, aut sacrificium propriè dictum, ut placet Novatoribus, sed solum sacrificium quod præcipuè internum est, & opponitur sacrificiis legalibus ac merè externis: neque mens ipsius est dicere, sacrificia interna esse magis propriè dicta sacrificia, quàm externa, sed esse præstantiora & Deo gratiora, quibus facilius divina majestas placatur & nobis conciliatur.

Sacrificii definitio.

Fatentur omnes Theologi, sacrificium præstantissimum esse opus religionis, quo supremum Dei in res omnes dominium, nostramque ipsi subjectionem ac dependentiam testamur ac recognoscimus. Definitur sacrificium propriè dictum, "Oblatio rei sensibilis „cum ejus destructione vel immutatione, soli Deo fa„cta per legitimum ministrum, ad recognoscendum su„premum ejus in res omnes creatas dominium, ritu „mystico consecrata.

Dicitur 1. *oblatio*; quæ vox tenet locum generis, in quo sacrificium cum aliis oblationibus primitiarum, decimarum, ac bonorum operum convenit. *Sacrificium,*

Ibid. p. 308. H. ait hic Bellarminus, *accipimus pro actione sacrificandi, non pro ipsa victima, quæ sacrificatur, tametsi ipsi etiam sacrificium dici solet.*

Tom. 14. Conc. p. 851. E. Dicitur 2. *Sensibilis, seu, externa*; sacrificium enim visibile debuit esse, *sicut hominum natura exigit*, ait Conc. Trid. Sess. 22. cap. 1. *Omnis Pontifex*, ait Apostolus Hebr. 8. v. 3. *ad offerenda munera & hostias constituitur; unde necesse est & hunc habere aliquid quod offerat*, qua ex parte sacrificium propriè dictum distinguitur ab interna oblatione, qua quis seipsum & sua omnia Deo subjicit & offert, quæ non est propriè sacrificium; tametsi perfectiori modo præstet fructum sacrificii, quàm externa oblatio.

Dicitur 3. *cum ejus destructione*, ut à simplici oblatione distinguatur, in qua res oblata non destruitur. Ratio hujus destructionis duplex est: prima, ut significaretur futura mors Christi; altera, in protestationem supremi Dei in res omnes dominii, quæ postulat, ut non solum usus rei Deo offeratur, sed & ipsa substantia, quod fit per consumptionem. Additur, *vel immutatione* quia non semper rei destructio necessaria est, sed immutatio sufficit, ut videre est in sacrificio capri emissarii, qui non occidebatur, sed tanquam exul in desertum ejiciebatur. Lev. 16 Neque dicas in sacrificio Melchisedech nullam destructionem seu immutationem contigisse in pane & vino. Namque qua facilitate id asseritur, eadem negatur; silet enim ea de re Scriptura, & mutationem aliquam factam esse, quidni quis conjicere & affirmare poterit?

Dicitur 4. *soli Deo facta*: quia soli Deo debitus est T. 7. p. supremus latriæ cultus. *Quis enim sacrificandum esse* 241. B.C. *censuit*, ait S. Augustinus L. 10. de Civitate Dei c. 4. *nisi ei quem Deum aut scivit, aut putavit, aut finxit?* Ibid. p. Et c. 19. *Nec ob aliud fallaces illi (Spiritus) superbe* 251. F. *sibi hoc exigunt, nisi quia vero Deo deberi sciunt.*

Et L. 20. contra Faustum Manich. c. 21. "Quan- Tom. 8. p. „vis in memoriis Martyrum constituamus altaria, quis 347. C. „Antistitum in locis sanctorum corporum assistens „altari, aliquando dixit: Offerimus tibi Petre, aut „Paule, aut Cypriane? Sed quod offertur, offertur Deo „qui Martyres coronavit," quam doctrinam egregie confirmavit Conc. Trid. Sess. 22. c. 3.

Dicitur 5. *per legitimum ministrum*, non per quemcumque hominem, sed eum qui ad hocce ministerium vocatur ac seligitur. Hinc Ozias Rex cum non esset Sacerdos, & tamen sacrificium offerre vellet, à Deo punitus est, L. 2. Paralip. c. 26. v. 18. & Saul ob eandem causam à Deo rejectus fuit & Regno privatus. Sacerdotum munus in Lege naturæ ad Capita familiarum, vel ad primogenitos pertinebat: in Lege scripta ad eos qui erant de stirpe Aaron; in Lege autem Evangelica ad eos qui ab Episcopis singulari ritu ordinantur & consecrantur. *Omnis Pontifex*, ait Apostolus Hebr. 5. v. 1. "ex hominibus assumptus, „pro hominibus constituitur in his, quæ sunt ad „Deum, ut offerat dona & sacrificia. *Et v. 4.* Nec „quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo, „tanquam Aaron.

Dicitur 6. *ad recognoscendum supremum Dei in res omnes dominium.* Est quippe hic finis directus ac primarius sacrificii, qua ex parte à Sacramento distinguitur: Sacramentum quippe primario ac directè ordinatur ad sanctificationem hominis; sacrificium vero ad cultum Dei, atque nonnisi consequenter, indirectè ac secundario gratiam producit, in quantum scilicet dignitate hostiæ quæ offertur, mitigatur Deus, placatur, ac peccata nobis remittit. *Christi oblatione placatus Do-* Tom. 14. *minus*, ait Conc. Trid. Sess. 22. c. 2. *gratiam & do-* Conc. p. *num pænitentiæ concedens, crimina & peccata etiam* 863. C. *ingentia dimittit.*

Dicitur denique *ritu mystico consecrata*, quia, inquit Bellar. res illa quæ Deo offertur ex prophana sacra & L. 1. de Deo dicata fieri debet; id etenim significat verbum Missa, *sacrificare*, id est, *sacra facere.* Ista autem consecratio 2. p. 209. & dedicatio semper in Lege veteri fiebat certo ritu, & E. ceremonia mysterium aliquod continente, ut impositione manuum, vel elevatione oblationis in altum; & in hoc distinguitur sacrificium à simplici oblatione, v. g. primitiarum, decimarum, & bonorum operum, quæ non requirit ex se ejusmodi mysticam consecrationem.

Quotuplex sit sacrificium.

Sacrificium dividitur. 1. ratione materiæ. 2. ratione formæ. 3. ratione finis.

I. ratione materiæ, dividitur in hostias seu victimas Immolationes, & libamina. Vel enim offertur & immolatur aliquod animal, & vocatur victima seu hostia, quæ aliquando offerebatur vel post victoriam ab hostibus reportatam, inde victima, à victoria, dicta est, & hostia, ab hostibus devictis: & quidem in Lege veteri non omnia, sed certa quædam animalia offerre licebat, nempe, oves, capras, hædos, boves, vitulos, columbas, passeres, turtures. Vel liquidum

aliquid offerebatur, & dicitur libamen, v. g. sangois, vinum, oleum, aqua, res vero inanimæ, quæ vita & anima carent, solidæ etant; panis verbi gratia simila, sal, thus seu incensum, manipulus spicarum virentium, & triticum, Levitici capite secundo & sextu. Hæc levabat Sacerdos in altum, & varie immutabat, in qua immutatione consistebat ratio sacrificii: nam panis in frusta scindebatur; & simila sartagine, clibano vel craticula cremebatur; sal urebatur, thus adolebatur, manipulus spicarum torrebatur, triticum conterebatur.

II. ratione formæ & finis, dividitur sacrificium, in holocaustum, sacrificium aut hostiam pro peccato, & hostiam pacificam. Holocaostum perfectissimum erat sacrificium, in quo res tota consumebatur, ut nihil inde cederet in usum humanum, in signum nempe ac protestationem supremi Dei in res omnes dominii, ac perfectæ dependentiæ creaturæ à Deo.

Sacrificium pro peccato partim cremebatur, partim cedebat in usum Sacerdotum qui in atrio Templi ex eo vescebantur, unde peccata popoli comedere dicebantur, hoc est, victimas pro peccatis oblatas.

Solebat autem istud sacrificium offerri, non tantum pro peccatis interois, sed pro quibusdam externis, v. g. pro peccatis commissis per ignorantiam circa ceremonias, ut patet Levitici 4. & 5. item pro peccato furti, perjurii, & calumniæ Levitici 6. & 7.

Hostia pacifica partim cremebatur, partim edebatur tum à sacerdotibus, tum ab iis qui obtulerant, Solebat offerri in gratiarum actionem pro beneficiis acceptis, vel ad nova impetranda; & tunc differri poterat ejus consumptio in diem posterum, non tamen ulterios.

III. ratione finis, dividitur in sacrificium latreuticum, eucharisticum, impetratorium, & propitiatorium. Latreuticum dicitur, ob cultum latriæ seu perfectæ servitutis, qui Deo supremo rerum omnium domino exhibetur, quod quidem in holocausto perfecte omnino perficitur. Eucharisticum fit in gratiarum actionem pro acceptis beneficiis; impetratorium vero pro accipiendis; utrumque in Lege veteri dicebatur hostia pacifica. Propitiatorium dicitur, quod Deum nobis propitium ac placatum reddit, & offertur pro peccatis, & pro peccatorum pœnis ac flagellis avertendis: hoc idem est, quod hostia pro peccato.

Necessitas sacrificii.

Necessitas illa deducitur, tum ex parte Dei, tum ex parte hominis, tum ex usu perpetoo omnium gentium in quibus sensus alicujus numinis, ac religionis semper extitit.

I. ex parte Dei, quadruplex necessitatis causa potest assignari. 1. recognitio seu protestatio supremi dominii, quod Deus in nos habet. 2. gratiarum actio pro beneficiis à Deo acceptis. 3. novorum impetratio. 4. expiatio peccati quod contra Deum commissum est. Deo scilicet supremus debetur adorationis cultus, tum interior, qui præcipuus est, tum exterior, qui interioris signum est ac protestatio. *Ex naturali ratione procedit*, ait S. Th. 2. q. 85. art. 1. "ut quemadmodum „dominis temporalibus aliqua offeruntur, in recognitio„nem dominii; ita etiam Deo, tanquam supremo om„nium domino, quasdam sensibiles res, in signum debi„tæ subjectionis & honoris offeramus; unde sacrificio„rum oblatio ad jus naturæ pertinet.

II. ex parte hominis, nativa ejus conditio, qui corpore & animo constans, totus & animo & corpore Deo servire debet ac mancipari; qui cum à Deo in omnibus dependeat, subjectionem suam ipsi in omnibus testari; ab ipso, ut propitius sit ac peccata condonet, sui & rerum sensibilium oblatione, postulare tenetur, qui denique nonnisi signis quibusdam externis ac sensibilibus in unitatem Religionis cum aliis sociari potest. *In nullum quippe nomen religionis seu verum seu falsum*, ait S. Augustinus L. 19. contra Faustum c. 11. *coagulari homines possunt, nisi aliquorum signaculorum aut Sacramentorũ visibilium consortio colligentur.*

S. Thomas loco mox citato necessitatem illam sacrificiorum ex ipsa inclinatione naturæ colligit. "Naturalis ratio dictat homini, ait, quod alicui superiori sub„datur, propter defectos quos in seipso sentit, in quibus „ab aliquo superiori eget adjuvari & dirigi. Sicut au„tem in rebus naturalibus naturaliter inferiora superio„ribus subduntur, ita etiam naturalis ratio dictat homi„ni secundum naturalem inclinationem, ut ei quod est „supra hominem, subjectionem & honorem exhibeat „secundum suum modum. Est autem modus con„veniens homini, ut sensibilibus signis utatur ad aliqua „exprimenda, quia ex sensibilibus cognitionem acci„pit. Et ideo, ex naturali ratione procedit, quod homo „quibusdam sensibilibus rebus utatur, offerens eas Deo „in signum debitæ subjectionis & honoris, secundum „similitudinem eorum qui dominis suis aliqua offerunt „in recognitionem dominii. Hoc autem pertinet ad „rationem sacrificii; & ideo ratio sacrificii pertinet ad „jus naturale. Hæc S. Thomas. Tom. 8. p. 319. E.

III. omni ætate, & ab omnibus gentibus quibus fuit alicujus numinis ac religionis sensus ab ipsa etiam natura inditus, oblata semper fuere sacrificia. "In „qualibet ætate, & apud quaslibet hominum nationes," ait S. Th. art jam citato, "semper fuit aliqua sacrificio„rum oblatio." Et S. Augustinus L. 10. de Civitate Dei c. 4. "Quis sacrificandum censuit, nisi ei quem Deum „aut scivit, aut putavit, aut finxit? Quam porro anti„qua sit in sacrificando Dei cultus, duo illi fratres Cain „& Abel satis indicant, quorum majoris Deus reproba„vit sacrificium, minoris aspexit. *Et c.* 19 Nec ob aliud „fallaces illi (*Spiritus*) superbe sibi hoc exigunt, nisi „quia vero Deo deberi sciunt. T. 7. p. 241. B. C. Ibid. p. 255. E.

Dices: Sæpissime in Scripturis Deus testatur se rejicere ac detestari externa Judæorum sacrificia. Isaiæ 1. v. 11. "Quo mihi multitudinem victimarum vestra„rum.... v. 12. Incensum abominatio est mihi; neome„niam, & sabbatum, & festivitates vestras alias non „feram. *Osee* 6. *v.* 6. Misericordiam volui, & non „sacrificium.

Resp. Deus detestatus externa Judæorum sacrificia, animo carnali ac plane judaico oblata, omni scilicet interiori animo & affectu religionis ac pietatis destituta, concedo; alia, nego. Hanc rationem & causam profert ipse Deus, Isaiæ 1. v. 14. *Iniqui sunt*, ait, *cœtus vestri*. Et Psal. 49. v. 17. "Tu disciplinam odisti, & „projecisti sermones meos retrorsum. Si videbas fu„rem, currebas cum eo, & cum adulteris portionem „tuam ponebas. Os tuum abundavit malitia, & lingua „tua concinnabat dolos." Illa sunt externa sacrificia, quæ Deus rejicit ac reprobat, in quibus carnales ac stupidi Judæi spem omnem suam collocabant, sibi omnia salva esse rati, si ea exterius & quoad corticem duntaxat observarent, aliunde tot nefandis sceleribus dediti ac toti immersi; quo sensu merito dicebat Deus, *Misericordiam volui, & non sacrificium*. Et Ps. 50. v. 19. "Sacrificium Deo spiritus contribulatus: cor „contritum & humiliatum Deus non despicies." Externum quippe sacrificium interiori destitutum, mendax est ac falsum, nec eam significat animi demissionem, subjectionem ac pietatem ad quam significandam destinatum à Deo est. *Si quis*, ait S. Irenæus Lib. 4. adversus hæreses c. 18. n. 3. "solummodo secun„dum quod videtur, munde, & recte & legitime offe„re tentaverit..., neque timorem habeat Dei; non per „id quod recte foris oblatum est sacrificium, seducit De„um, intus habens peccatum." Sacrificia vero externa cum debito & interiori cultu oblata, imperat Deus ac p. 290. edit. 2.

præci-

præcipit, nedum rejicit ac improbat. *Immola Deo sacrificium laudis* ; ait David Psal. 49. v. 14. *& redde Altissimo vota tua. Et invoca me in die tribulationis, eruam te, & honorificabis me.*

DE SACRIFICIO MISSÆ.

Multa hic circa sacrificium novæ Legis expendenda: ejus existentia, essentia, minister, finis, effectus, subjectum, proprietates, dispositiones necessariæ ut quis digne illi assistat, cæremoniæ, seu ritus quibus celebrari debeat.

ARTICULUS I.

De nomine & existentia veri ac propriè dicti sacrificii Missæ.

EUcharistia, quatenus sacrificium est, appellatur à SS. Patribus & Scriptoribus Ecclesiasticis, passim 1. *Liturgia* ; nomine collectivo à toto illo publico & sacro officio seu ministerio in quo perficitur. 2. *Synaxis*, seu unio populi fidelis cum Christo. 3 *Oblatio* ; quia Deo offertur in propitiationem nostrorum peccatorum. 4. *Collecta*, seu congregatio, quia colliguntur & in unum congregantur Fideles ad sacrificium peragendum. 5. *Dominicum*, quod sit res planè divina, in qua Christus verus Deus & homo Deo Patri offertur. 6. Denique dicitur *Missa*, à verbo mittere ; sive quòd sacrificium ex donis a populo oblatis & missis fieret ; sive quia per Angelum Sacerdos preces suas ad Deum mittit, sicut populus per Sacerdotem ; sive quia Christus est hostia nobis à Deo missa ; sive quia in fine Missæ, peracto sacrificio, populus dimittitur, dicente Diacono, *Ite, Missa est*. Duplex generatim Missæ para olim distinguebatur: prima ad Offertorium usque, quæ dicebatur Missa Catechumenorum & pœnitentium, quod hisce illis interesse licitum foret, qua parte expleta, Diaconus altiori voce clamabat, *Exeant Catechumeni, pœnitentes, indigni*. Altera verò pars dicebatur Missa Fidelium, qua finita Fideles dimittebantur his verbis, *Ite, Missa est*, seu dimissio est. Dicitur denique simpliciter *Sacrificium*, à verbo sacrificare, quod idem est, ac sacra facere.

Observa 1. sacrificium altaris considerari posse sub duplici ratione, nempe vel ratione substantiæ, vel ratione modi. Substantia sacrificii est ipsemet Christus, hostia pro nobis Deo Patri oblata, unde sacrificium altaris unum est ratione substantiæ cum sacrificio crucis, quia unus est utrobique Christus, una hostia, unum sacrificium, unus Sacerdos: modus dumtaxat oblationis diversus: in cruce cruentus, ac mystico quodam modo perficitur, Christo, sub speciebus distinctis ac separatis quasi in statu quodam mortis realiter inexistente. In hunc enim finem species separantur, ut repræsentetur realis & cruenta separatio sanguinis à corpore Christi, quæ facta est in ara crucis ; quapropter sacrificium Missæ simul commemorativum ac repræsentativum est sacrificii crucis, & verum ac propriè dictum sacrificium: neque enim commemoratio ac repræsentatio, hic aus veritatem sacrificii, aut realem præsentiam Christi excludit, ut falsò putant Novatores, sed tantum modum cruentum quo in cruce semel oblatus est Christus, quique semel mortuus, amplius non moritur: quinimò realis & substantialis corporis & sanguinis Christi præsentia sub speciebus separatis panis & vini, principium est ac fundamentum commemorationis passionis & mortis ejus.

Observa 2. commemorationem illam esse quidem motivum vel finem nostri sacrificii, non verò essentiam & substantiam, quæ duo apprimè distinguenda sunt ad declinandum Novatorum errorem, qui contendunt totam sacrificii nostri essentiam ac substantiam in simplici ac nuda repræsentatione sacrificii crucis contineri, etiamsi præsens in Eucharistia non esset Christus ; adeoque sacrificium nostrum merè ac nudè commemorativum esse ac repræsentativum, non verum ac propriè dictum, qui error in Religione Christiana capitalis est, ut ex dicendis manifestum erit.

. Observa denique, incruentum Missæ sacrificium propitiatorium esse, non quidem solutione pretii pro nostra redemptione, quod abundè & superabundè Christus solvit in cruce, sed applicatione seu communicatione fructus hujus pretii.

Errores circa sacrificium Missæ.

Non hic quæstio est de sacrificio spirituali aut improprio: non diffitentur enim Novatores, Missam, seu sacram Cœnam, multis modis sacrificium dici posse ; sed de sacrificio externo visibili, verè ac propriè dicto, in quo corporis & sanguinis Christi oblatio Deo Patri exhibeatur.

Verum ac propriè dictum Missæ sacrificium negarunt Hæretici illi veteres, de quibus S. Ignatius Martyr in Epistola ad Smyrnenses, qui cum crederent Christum non veram, sed phantasticam habuisse carnem, eumque non verè, sed phantasticè dumtaxat passum ac mortuum fuisse, consequenter Eucharistiam & oblationes non celebrabant.

Ex posterioribus verò Novatoribus, quotquot realem Christi in Eucharistia præsentiam rejiciunt, Petrobrusiani, Albigenses, Zuingliani, Calvinistæ omnes, consequenter verum ac propriè dictum sacrificium ab Ecclesia removent, tanquam noxium & injuriosum sacrificio crucis, cujus virtuti & efficaciæ multum, ut ipsis videtur, detrahit. *Formula Calvini Sacramentorum ministrandorum pro Ecclesia Genevensi*, ait Bellar. L. 1. de Missa c. 5. *& omnes aliæ, quas videre potui, diligentissimè cavent, ne ulla fiat mentio oblationis.* To. 3. p. 310 H.

Difficilius videtur Lutheranos, qui præsentiam realem Christi in Eucharistia admittunt, secum ipsis conciliare circa sacrificium: Lutherus enim in formula Missæ pro Ecclesia Wittembergensi, quam ipse edidit an. 1523. oblationem seu sacrificium *abominationem* appellat. Et in Libro de Missa privata, an. 1534. sollicitus qua tandem via posset & realem admittere præsentiam, & sacrificium rejicere, scribere ausus est, *tandem sibi à dæmone suggestum ac persuasum fuisse, Missa sacrificium abrogandum esse.*

Philippus Melancthon Lutheri discipulus, sibi visus est invenisse medium efficax ad expungendum sacrificium, & simul retinendam realem præsentiam ; nempe si dicatur, Christum realiter permanenter præsentem non esse in Eucharistia, sed tantum in usu, cum ipsa sumitur ; quod ubi rescivit Lutherus in Collatione Ratisbonensi an. 1541. sic exclamasse dicitur: "Macte „virtute & pietate, mi Philippe ; tibi debentur gratiæ, qui „pontificiæ Missæ potuisti Sacramentum adimare, quod „ego tentavi, & aggredi non fui ausus." Ita narrat Hospinianus parte secunda.

Narrat Card. Pallavicinus L. 18. Historiæ Concilii Tridentini cap. 2. multum inter Theologos disputatum fuisse, an Christus in ultima Cœna seipsum in sacrificium Deo Patri obtulisset ; aliis, & quidem numero pluribus, affirmantibus, aliis vero negantibus ; ac tandem rem eo perductam fuisse, ut omnes in primam sententiam abjecerint, *etiam qui*, ait Historicus n. 12. *acerrimè ille restiterant*. Et quidem Conc. Trid. Sess. 22. c. 1. declarat *Christum Sacerdotem secundum ordinem Melchisedech in æternum constitutum, corpus & sanguinem suum sub speciebus panis & vini Deo Patri obtulisse*. In eo dumtaxat puncto hærebat controversia, utrum sacrificium illud quod incruentum tunc Christus obtulit, verè fuerit propitiatorium, nec ne;

To. 3. p. 104. & seq.

Tom. 14. Conc. p. 853. A.

ne; quam controversiam videtur Concilium intactam reliquisse, de qua nihil in novem capitibus, & Canonibus Seß. 22. declaravit.

De Ecclesia Anglicana.

Ex orta fuit nostris hisce diebus concertatio circa fidem ac doctrinam Anglorum de sacrificio, ac reali præsentia corporis & sanguinis Christi in Eucharistia, occasione Librorum F. le Courayer Canonici Regularis S. Gennvefæ Parisiis, quibus titulum fecit gallice: *Dissertation sur la validité des Ordinations des Anglois. A Bruxelles, Chez Simon Tserstevens Libraire 1723.* &, *Defense de la Dissertation sur la validité des Ordinations des Anglois, par l'Auteur de la Dissertation. A Bruxelles, Chez Simon Tserstevens 1726.*

Dum ille præpostero zelo, & rei catholicæ multis titulis infenso, fidem Anglorum cum nostra conciliare nititur, & nostram errando turpiter deformat, & Anglorum doctrinam insidiosè dissimulando perturbat ac confundit; à Catholicis pariter & ab Anglis, velut communis hostis, oppugnandus; ab istis, propter dissimulatam suam doctrinam; ab illis, propter violatam publicam Ecclesiæ Catholicæ fidem. Neque diu impunita remansit hominis audacia & temeritas: non solum enim à multis ex nostris Theologis certatim strenue impugnatus fuit, sed & ab Eminentissimo Cardinali Noallio Archiepiscopo Parisiensi, tum in Mandato die 18. Aug. an. 1727. tum in Documento Pastorali die ultima Octobris ejusdem anni: & ab Illustrissimis Episcopis, Præside Eminent. Card. de Bissy, annuente Rege Christianissimo, Parisiis extraordinarie congregatis, die 22. Aug. an. 1727. gravi ac publica censura, quam plurimis extractis propositionibus, perstricti ac damnati fuere dicti F. le Courayer Libri supra memorati.

Non longa profecto nec operosa disquisitione opus est, ut demonstretur Anglos nec sacrificium verum ac proprie dictum, nec realem ac substantialem corporis & sanguinis Christi in Eucharistiam præsentiam agnoscere, sicut agnoscit Ecclesia Catholica.

Duplici via demonstrari potest, nullum verum ac proprie dictum esse apud Anglos Episcopos sacrificium. 1. quia nullum est apud ipsos verum sacerdotium, nulli veri Sacerdotes, defectu scilicet veræ ac validæ apud ipsos Ordinationis, 2. ex publicis eorum fidei Declarationibus seu Professionibus. Primum probationis genus in alium locum reservamus, ubi de sacris Ordinationibus controversia instituenda nobis erit: in præsentiarum hærebimus in publicis fidei Anglorum professionibus.

Circa veterem de sacrificio & reali præsentia christi Ecclesiæ doctrinam, nihil innovare ausus est Henricus VIII. primus Schismatis Anglicani auctor; imo notum est, sex ab illo famosos Articulos conditos & à Parlamento probatos fuisse, inter quos præsentia realis Christi in Eucharistia, transubstantiatio, & usus Missarum privatarum continentur. Verum sub Eduardo VI. ejus filio ac successore, & sub Elisabetha, magna facta est rerum conversio, ac penitus abrogata Catholica fides.

Duæ prodiere fidei confessiones, seu Declarationes, una sub Eduardo VI. an. 1551. altera sub Elisabetha, anno 1562. In priori præsentia realis Christi in Eucharistia *impossibilis* declarabatur; verum clausula hæc in posteriori fidei Confessione, quæ jam apud Anglos in usu est, ad evitandam multorum offensionem, deleta fuit.

P. 419. Primus error circa præsentiam realem.

In illa autem, qualis Londini volumine in 12. edita prodiit an. 1717. hæc leguntur art. 28. "Corpus „Christi datur, accipitur & manducatur in cœna tan„tum cœlesti, & spirituali ratione: medium autem quo „corpus Christi accipitur & manducatur, fides est.

Ibid.

Et art. 29. "Mali, & qui fide viva destituti sunt, „quamvis carnali & crasso modo Sacramentum corpo„ris & sanguinis Christi dentibus premant, ut loquitur „S. Augustinus, non tamen ullo modo fiunt participes „Christi, sed potius signum Sacramenti tantæ rei man„ducant & bibunt.

Et in Liturgia, ubi de communione agitur, "Hic, „*inquiunt*, declaramus & omnibus notum facimus, ea „genuflexiones nullam adorationem deferri, aut deferri „debere pani aut vino sacramentali, aut illi præsentiæ „corporali naturalis carnis & sanguinis Christi... Quip„pe naturale corpus & sanguis Christi Salvatoris nostri „sunt in cœlo, non autem hic, quandoquidem esse simul „& semel in pluribus locis, veritati corporis naturalis „Christi adversatur." Tam clara ista sunt, ut commentario non indigeant. Quapropter in Catechismo interrogatus puer, *quænam sit pars exterior, vel signum sanctæ cœnæ*: Respondet, *esse panem & vinum quæ ex mandata Christi sumere tenemur*. Interrogatus iterum, *quæ sit pars interior, seu res significata*: Respondet, *esse corpus & sanguinem Christi, quæ vere ac realiter sumuntur in cœna à Fidelibus*. Ergo à Fidelibus tantum, non autem ab iis qui fide carent, *vere ac realiter* sumitur corpus Christi. P. 223.

Quo sensu autem verba ista, *vere ac realiter*, intelligere oporteat, exponit art. 28. citatus; *quia corpus Christi datur, accipitur, & manducatur in cœna tantum cœlesti & spirituali ratione*, per fidem scilicet. Non ergo in propria & naturali substantia sumitur Christus in Eucharistia, ut pote qui in propria & naturali substantia ibi præsens non adsit, sed tantum spiritu ac per fidem. Pariter cum duplicem in Eucharistia partem distinguunt, unam externam, in pane & vino, alteram interiorem ac cœlestem; per istam, verum natura & substantia non intelligunt corpus Christi, sed vel fidem, per quam apprehenditur & nobis fit præsens, vel gratiam ac cœlestem alimoniam, qua, mediante fide, nutrimur ac sustentamur.

Sensum istum apertissime demonstrat Auctor Libri, cui titulus est, *Justification de l'Eglise Romaine sur la reordination des Anglois Episcopaux*, Parisiis an. 1718. Apud Dumesnil. Refert ille Tom. 2. p. 70. Georgium Abbot Archiepiscopum Cantuariensem Doctori Pilkington Anglo provinciam demandasse confutandi Librum cujusdam Catholici in gratiam & defensionem fidei Romanæ conscripti: cum vero iste Canonem Tridentinum circa realem præsentiam proposuisset, Doctor Anglus respondet, *neminem esse inter Protestantes, qui non cognoscat ac fateatur veram ac realem in Cœna corporis Christi Domini præsentiam*. Clara hæc sunt, ac in speciem orthodoxa; verum quæ statim addit, totum erroris ac fraudis arcanum detegit, *Nihilominus*, inquit, *hæc præsentia spiritualis est duntaxat, non corporalis, per fidem, non vere per localem existentiam*. Neminem ergo in errorem inducant istæ particulæ, *vere, realiter*: latet sub illis error, dum à Calvinistis proferuntur. Calvinus ipse, non tantum vere ac realiter, sed etiam substantia corporis Christi nos in Eucharistia nutriri, asserere aliquando non dubitat. Comment. in c. 26. S. Matth. *Vere*, inquit, *in Cœna datur nobis corpus Christi, ut sit animis nostris in cibum salutarem: hoc est, substantia corporis Christi pascuntur animæ nostræ, ut vere unum efficiamur cum eo. Non ergo vanum & inane signum nobis proponitur, sed vere carnis & sanguinis Domini fiunt participes.* P. 72.

Et Lib. de Cœna Domini, in fine, *Necesse est*, inquit, *nos in Cœna vere corpus & sanguinem Christi recipere .... Intelligimus Christum nobis in Cœna veram propriamque corporis & sanguinis sui substantiam donare.* Disertius nihil legere est vel in Catechismo Anglicano, vel in privatis Angliæ Doctoribus: an vero quisquam erit qui Calvinum propterea excuset ab errore circa præsentiam Christi realem in Eucharistia? Quis nesciat mirum illum fallendi magistrum, citatis

verbis

verbis hoc unum voluisse, Eucharistiæ scilicet quamdam annexam esse virtutem & efficaciam, non autem illam nudum ac vacuum esse signum, sicut contendunt Zuingliani. Cùm verò ait, nos *substantia carnis Christi nutriri*; putida æquivocatio est: substantia quidem carnis Christi nutrimur, sumpta spiritualiter per fidem, non vero sumpta corporaliter ac substantialiter, ut ita dicam.

Præter testimonium jam relatum Doctoris Pilkington, aliud suppeditat Documentum Pastorale Eminentissimi Cardinalis Noallii pag. 78. D. scilicet Wake Archiepiscopi Cantuariensis, in Expositione quam edidit an. 1719. Catechismi Anglicani. In articulo præsentiæ realis quæritur, *an corpus & sanguis Christi realiter unicuique communicantium distribuatur*. Respondetur, *non distribui*. Ad tertiam vero quæstionem, hæc subjicitur expositio. "Quod ergo per Sacerdotem „datur, quantum ad substantiam, est panis & vinum; „quantum vero ad naturam ejus sacramentalem, est figura seu repræsentatio corporis & sanguinis Christi,... „Imo nec huc usque verum corpus, aut verus sanguis „est Christi, donec cum fide ac pietate suscipiatur; re„spectû enim suscipientis, ex Dei benedictione ac gra„tia Spiritu-sancti, fiunt corpus & sanguis Christi. Ex quibus manifestum est docere Anglos, in usu tantum ac per fidem Christum in Eucharistia fieri præsentem.

His omnibus adde & publicum illud Juramentum, quod vulgò dicitur *la Loi du Test*, quo, jussu Parlamenti an. 1678. sese obstringere tenentur, quicunque munus aliquod publicum exercere volunt. En Juramenti tenor. "Ego N. coram Deo solemniter ac sincerè profiteor, ac „declaro credere me, in Sacramento Cœnæ Domini „nullam fieri elementorum in corpus & sanguinem „Christi transubstantiationem, sive in consecratione, sive „post; atque invocationem & adorationem Virginis „Mariæ aut alterius cujuslibet Sancti, & sacrificium al„taris, quale jam in usu est apud Ecclesiam Romanam, „superstitionem esse ac idololatriam.

Secundus error circa sacrificium. Quæ vero sit Ecclesiæ Anglicanæ mens ac doctrina circa sacrificium Missæ, præsliùs adhuc declarat fidei Confessio jam laudata, art. 31. qui est de unica Christi oblatione in cruce perfecta. *Oblatio Christi semel facta*, inquit Professio fidei, *perfecta est redemptio, propitiatio, & satisfactio pro omnibus peccatis totius mundi, tam originalibus quàm actualibus; neque præter illam unicam est alia ulla pro peccatis expiatio: unde Missarum sacrificia, quibus vulgò dicebatur Sacerdotem offerre Christum in remissionem pœnæ aut culpæ, pro vivis & defunctis, blasphema figmenta sunt, & perniciosa imposturæ.* Multis aliis momentis compertum est, sacrificium nostrum, in mente ac sententiis Anglorum, merè ac nudè repræsentativum esse ac commemorativum mortis Christi, non verum, non propriè dictum ac propitiatorium, quem errorem amplexus est ac defendit jam dictus F. le Courayer multis propositionibus, quas ex illius Libris summa fide & cura extraxere Præsules Gallicani in Censura paulò antè memorata. His prælibatis, sit

CONCLUSIO.

Eucharistia verum est ac propriè dictum sacrificium quod in Missa offertur.

Fusè ac doctè, more suo, de hocce argumento disserit Bellarminus L. 1. de Missa cap. 6. & sequentibus. Argumenta quibus istud fidei nostræ capitale dogma demonstratur, ducimus 1. ex vaticiniis Prophetarum. 2. ex sacerdotio Christi secundum ordinem Melchisedech. 3. ex figura, quæ præcessit, Agni paschalis. 4. ex institutione Eucharistiæ à Christo facta. 5. ex doctrina & definitione Concilii Tridentini. 6. ex conditionibus ad verum sacrificium requisitis, quæ omnes in sacrificio Missæ occurrunt.

PRIMUM ARGUMENTUM.

Ex vaticiniis Prophetarum.

Prænuntiant oracula Prophetarum, vetera Legis sacrificia extinguenda fore & abroganda, ac novum longè præstantius ipsis substituendum. *Sabbatum & festivitates vestras*, ait Deus apud Isaiam c. 1. v. 11. *alias non feram.* Et Daniel c. 11. v. 31. de futura Gentis Judaicæ, ac sacrificiorum subversione, dicit: *Pollueut* (Romani) *sanctuarium fortitudinis, & auferent juge sacrificium, & dabunt abominationem in desolationem.* Daniel. Malachias. Sed omnium disertissimè Malachias c. 1. v. 10. & 11. "Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exer„cituum, & munus non suscipiam de manu vestra. Ab „ortu enim solis usque ad occasum, magnum est no„men meum in gentibus; & in omni loco sacrificatur „& offertur nomini meo oblatio munda. Duas partes habet istud Malachiæ vaticinium. 1. rejicienda esse & abroganda Judæorum sacrificia: *munus non suscipiam de manu vestra.* 2. novum sacrificium substituendum fore: *in omni loco sacrificatur* [præsens pro futuro, more Prophetarum, hic ponitur] *& offertur nomini meo oblatio munda.* In priori parte continetur rejectio seu reprobatio Judæorum; in posteriori verò, electio seu vocatio Gentium. Sensus igitur vaticinii est, rejicienda fore Judæorum sacrificia, successurum verò purum ac mundum sacrificium Christianorum, tùm cruentum, quod in ara crucis perfectum est; tum incruentum, quod in altari verum ac propriè dictum quotidie offertur in memoriam prioris.

Frustra Novatores reponunt, sacrificium, de quo Malachias, vel illud esse quod Christus in cruce obtulit; vel spirituale dumtaxat, quod in bonis virtutum operibus positum est.

Namque 1. sacrificium de quo Propheta, *in omni loco offertur*; sacrificium vero crucis semel oblatum fuit; semel mortuus Christus non amplius moritur. 2. Malachias opponit mundam Christianorum oblationem pollutis Judæorum sacrificiis: oppositio porrò illa, vel spectat offerentes, vel rem oblatam. Prius dici non potest, quia in Lege nova, non minus quam in veteri, qui offerunt sacrificia, mali & impii esse possunt; ergo ex illa parte stare non potest oppositio. Stat ergo ex altera, rei scilicet oblatæ, quia nempe panes & animalia quæ in veteri Lege offerebantur, in eo polluta sæpius erant, quòd non secundùm Legis præscriptum Levitici 6. & 7. offerrentur, de quo conqueritur Deus apud Malachiam c. 1. *Offertis mihi*, ait v. 7. *super altare meum panem pollutum.* Et v. 8. *Si offeratis cæcum ad immolandum, nonne malum est? Et si offeratis claudum & languidum, nonne malum est?* Oblatio verò munda & pura quam his Judæorum pollutis sacrificiis opponit Malachias, est corpus & sanguis Christi; cætera quippe omnia, quæ offerri possunt à Christianis, pollutioni sunt obnoxia, idest vitiari possunt ac pollui. 2. Oblatio Christianorum non solum est munda, sed etiam nova; neque solùm opponitur sacrificiis veteribus, sed in eorum locum substituitur, *propter eorum infirmitatem & inutilitatem*, ait Apostolus Hebr. 7. v. 18. At bona opera non succedunt in locum sacrificii Mosaici, si quidem vel in ipso mundi exordio non defuere; ergo bona virtutum opera non sunt oblatio munda, de qua Malachias. 3. Sicut Malachias dicit sacrificium Judæorum pollutum fuisse, sacrificium verò novum Christianorum mundum fore; sic etiam dicit nomen Dei per sacrificium Judæorum fuisse contemptum ac despectum, & per sacrificium novum Christianorum glorificandum fore; at contemptum fuit in publico ac visibili sacrificio; ergo etiam glorificari debet in publico & visibili sacrificio; hoc autem non fit per bona opera quæ tota latere interiùs possunt, nec

cognosci; ergo publicum aliquod & externum sacrificium necessarium est, nempe sacrificium Christi. 4. Sacrificium Christianorum non offertur ab omnibus, sed à solis Sacerdotibus, qui ex reliquo populo electi ac segregati sunt, Isaiæ 66. v. 21. *Assumam ex iis Sacerdotes.* Et Hebr. 5. v. 4. „Nec quisquam assumit sibi „honorem, sed qui vocatus à Deo, tanquam Aaron." Atqui bona virtutum opera non à solis sacerdotibus, sed ab omnibus offerri possunt; ergo sacrificium novæ Legis, de quo Malachias, in illis virtutum operibus non consistit.

Samaritana.

Ad istud Malachiæ vaticinium respexisse videtur Christus, qui brevi completurus illud erat: alloquens enim Joan. 4. v. 21. mulierem samaritanam, dicebat: „Mulier, crede mihi, quia venit hora, quando neque in „monte hoc, neque Hierosolymis adorabitis Patrem. „*Et v. 23.* Venit hora & nunc est, quando veri adora„tores adorabunt Patrem in spiritu & veritate." Manifestum est christum hic non loqui de adoratione simplici & interiori, quæ ubique licita est, nec loco alligata; sed de adoratione publica atque solemni per sacrificium: verbum quippe *adorare*, in Scripturis usurpari pro *sacrificare*, patet ex c. 12. S. Joan. *Erant*, inquit *quidam Gentiles, ex his qui ascenderant ut adorarent in die festa.* Et Act. 8. v. 27. *Eunuchus venerat adorare in Jerusalem.* Porro adoratio solemnis & publica per sacrificium, tempore Christi certo loco alligata erat: apud Samaritanos schismaticos, in monte Garizim prope urbem Sichimorum; apud Judæos vero in solo Templo Hierosolymitano. *Domine*, ajebat mulier samaritana ad Christum Joan. 4. v. 19. „video quia Pro„pheta es tu. Patres nostri in monte hoc adoraverunt, „& vos dicitis, quia Jerosolymis est locus ubi adorare „oportet. *Cui Christus*; Mulier, crede mihi, quia venit „hora, quando neque in monte hoc, neque Jerosolymis „adorabitis Patrem." Quibus verbis aperte Christus declarat, loqui se de nova adoratione, seu de novo sacrificio, quod antea non erat, & quod in ipso initium habuit. „Ingrediens *enim* in mundum dicit: Hostiam „& oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi." Sacrificium vero illud externum ac publicum Christianorum, *in spiritu & veritate* fieri debere affirmat Christus, ut illud Judaicis sacrificiis opponat; *in spiritu*, non in carne & sanguine animalium; *in veritate*, non in typo & figura, sicut apud Judæos.

Vera Dei adoratio.

Heb. 10. v. 5.

SS. Patres unanimi fere consensu vaticinium Malachiæ de sacrificio Christi in nova Lege interpretati sunt. Ex multis unum aut alterum retulisse sufficiat.

P. 260. B. S. Justinus Dial. cum Tryphone Judæo, post citata verba Malachiæ, ait: „De nostris vero gentium, quæ „in omni loco offeruntur sacrificiis, hoc est pane Eu„charistiæ, & poculo similiter Eucharistiæ, jam tum lo„quutus prædixit (*Malachias*) nos quidem glorificare „nomen ejus, vos autem prophanare.

P. 249. n. 5. S. Irenæus L. 4. adversus Hæreses c. 17. olim 32. „Eum, *inquit*, qui ex creatura panis est, accepit, & gra„tias egit dicens: *Hoc est corpus meum.* Et calicem si„militer qui est ex ea creatura, quæ est secundum nos, „suum sanguinem confessus est, & novi Testamenti no„vam docuit oblationem; quam Ecclesia ab Apostolis „accipiens, in universo mundo offert Deo." Tum adductis Malachiæ verbis addit:" Manifestissime sig„nificans per hæc, quoniam prior quidem populus ces„sabit offerre Deo; omni autem loco sacrificium offere„tur ei, & hoc purum, nomen autem ejus glorificatur „in gentibus.

Ed. rec. Tom. 5. App. p. 630. D. Ed. rec. Tom. 1. p. 647. n. 12.

S. Joan. Chrysost. In Ps. 95. post citata Malachiæ verba subjungit: „Vide quam luculenter, atque dilucide „mysticam interpretatus est mensam, quæ est incruen„ta hostia. Thimiama autem purum appellat sacras „preces quæ cum sacrificio offeruntur." Idem argumentum versat S. Doctor, Homilia 5. adversus Judæos.

Denique S. Hieronym. & Theodoretus Comment. in Malachiam. Multo plures consule apud Bellarm. L. 1. de Missa c. 10.

Objectio.

At, inquies, videtur Christus loqui de adoratione interna, quæ fit per fidem & animi demissionem, non de externa, quæ fit per sacrificium. Id evincunt verba ista, „Veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu & ve„ritate.

Resp. ex mox dictis contrarium esse manifestum. Namque sine dubio de illa adoratione locutus est, de „qua rogabatur à Samaritana; rogabatur autem de externa quæ fit per sacrificium, internam enim vix illa mulier agnoscebat. Nec obstant illa verba, *in spiritu & veritate*; imo maxime ad rem nostram faciunt. Litigabant scilicet Judæi & Samaritani de loco sacrificii: à Christo quærebatur quid sentiret. Is, quia videbat ex utraque parte esse aliquid culpæ, utrique responsum accommodavit. Samaritani in eo peccabant, quod falsis diis sacrificarent; istud insinuat Christus cum ait, *Vos adoratis quod nescitis.* Judæi autem, tametsi vero Deo sacrificia offerrent, nihil tamen aliud, quam carnem animalium offerebant, idque ex mera ceremonia, sine interno religionis ac pietatis affectu; quod sæpe à Prophetis exprobratum illis fuit, imo & à Christo ipso his verbis, „Populus hic labiis me honorat, cor autem „illius longe est à me." Igitur in sacrificiis Samaritanorum error erat seu falsitas, quia ignorabant verum Deum; in sacrificiis Judæorum, caro erat sine spiritu, quia offerebant carnes animalium sine spiritu fidei ac pietatis: utrosque redarguit Christus cum ait, *Veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu & veritate.* Spiritum carni, veritatem errori ac falsitati hic Christus opponit. Est ergo hic sensus, veri adoratores, id est Christiani, verum Deum, non falsum, ut Samaritani, legitime, non illegitime ac solummodo exterius, ut Judæi, colent & adorabunt: id est Deo sacrificabunt, in spiritu, non in sola carne, ut Judæi; nec in errore ac falsitate, ut Samaritani. Quod autem hic loquatur Christus de sacrificio Missæ, quod in ultima Cœna ab ipso institutum est, dubitari non potest: de quo enim alio loqueretur? Confirmatur hæc responsio, nempe Christum loqui de adoratione publica & solemni quæ fit per sacrificium proprie dictum, ex scopo & occasione totius colloquii quod cum muliere samaritana habuit. Scilicet mulier illa subodorata Christum esse Prophetam, proposuit illi quæstionem de schismate Judæorum & Samaritanorum, utri rectius facerent ac sentirent; an Samaritani, qui adorabant in monte Garizim juxta oppidum Sichimorum; an Judæi, qui contendebant, non ibi, sed Hierosolymis in Templo adorandum esse: quæ certe quæstio intelligebatur de adoratione per sacrificium, ut constat ex Josepho L. 11. Antiquit. c. 7. & 8. ubi narrat historiam originis schismatis inter Judæos ac Samaritanos, quæ talis fuit. Mortuo Salomone divisum est regnum in duas partes; unam, quæ constabat duabus Tribubus; retinebat Roboam filius Salomonis; alteram, quæ constabat decem Tribubus, abstraxerat Jeroboam, servus Salomonis: prior pars vocabatur *Regnum Juda*; posterior, *Regnum Israel.* Igitur Jeroboam hac facta separatione, & novo regno jam constituto, cœpit timere, ne decem Tribus, quas sibi subjecerat, si singulis annis irent Hierusalem ad offerendum sacrificium, juxta Legem à Deo præscriptam, iterum conjungerent se duabus Tribubus, ac se deserto, ad Regem Roboam, tanquam legitimum dominum, delaberentur. Ut igitur hoc impediret, curavit conflari duos vitulos, quorum alterum in Bethel, alterum in Dan collocavit, & per sacrificia pro diis adorari jussit: atque ita factum est, ut nemo deinceps Hierosolymam sacrificii offerendi causa tenderet; atque hinc prima orta est dissensio Religionis, quæ longe post confirmata est in hunc modum. Post

Origo schismatis Samaritani.

captivi-

captivitatem Babylonicam, eum Rex Persarum Darius rerum potiretur, fuit Hierosolymis Judæus quidam ex genere sacerdotali, nomine Manasses Jaddi, summi Sacerdotis frater, qui in uxorem duxit filiam Sanaballetis Euthæi, qui sub Dario tunc Præfectus erat Samariæ. Propter hoc matrimonium cum gentili fœmina contractum, prohibitus est à fratre suo & à cæteris Judæis, fungi officio sacerdotali. Igitur accessit ad Sanaballetem, & prætendit se non posse filiam ipsius, quam sibi desponderat, retinere, eo quod propter illam arceretur à dignitate sacerdotali; malle se uxore, quàm hac dignitate privari. Sanaballetes ut satisfaceret homini, promittit se ædificaturum Templum in monte Garizim, æquale Templo Hierosolymitano, & in eo summum sacerdotium se illi daturum pollicetur, quod etiam impletum est, atque ab eo tempore cœperunt Samaritani in eo Templo sacrificia offerre, sicut Judæi in Templo Hierosolymitano offerebant.

SECUNDUM ARGUMENTUM.

Ex sacerdotio Christi secundum ordinem Melchisedech.

Duplex ante Christum extitit sacerdotium, unum Melchisedeci, alterum Aaronis: istud in sanguine animalium potissimùm consistebat, quod quidem ii soli poterant offerre, qui erant de stirpe seu familia Aaronis; ideoque Christus Sacerdos non est secundùm ordinem Aaronis, quia non fuit ex Tribu Levi, ex qua sumebantur Sacerdotes, sed ex Tribu Juda ex familia David. Dicitur ergo Christus, & revera est, Sacerdos secundum ordinem Melchisedech. Psal. 109. v. 4. & Hebr. 7 v. 17. *Tu es sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech.* De quo Melchisedecho Gen. 14. v. 18. dicitur: *At verò Melchisedech Rex Salem, proferens panem & vinum [erat enim Sacerdos Dei altissimi] benedixit ei* (Abrahamo) *& ait: Benedictus Abraham Deo excelso, & benedictus Deus excelsus, quo tegente hostes in manibus tuis sunt.*

Hinc tria colligimus, 1. Melchisedechum fuisse Sacerdotem Dei altissimi. 2. Obtulisse panem & vinum in sacrificium, ad gratiarum actionem pro victoria ab Abrahamo reportata. Ea oblatione præfigurasse sacrificium Christi, quod in ultima Cœna sub specie panis & vini peractum est. Inde sic arguimus: Christus in Scripturis dicitur Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech, non verò secundum ordinem Aaronis; ergo necesse est ut sacrificium obtulerit simile illi, quod obtulit Melchisedech; sacerdotium quippe & sacrificium correlata sunt. *Omnis namque Pontifex*, ait S. Paulus Hebr. 5. v. 1. *ex hominibus assumptus constituitur in iis quæ sunt ad Deum, ut offerat dona & sacrificia pro peccatis.* Atqui in alio collocari non potest similitudo sacrificii Christi cum sacrificio Melchisedeci, quàm quod assumptis pane & vino, ac in suum corpus & sanguinem commutatis, novum Religionis Christianæ sacrificium instituit & Deo Patri obtulit.

Re ipsa in multis aliis capitibus Melchisedech Christi typus ac figura fuit, at in nullo expressiùs ac significantius quam in oblatione panis & vini. 1. Figura fuit in *nomine* seu appellatione. Nam Melchisedech
Psal. 71. v. 2. idem est, quod Rex justitiæ, interprete ipsomet Apo-
1. Cor. 1. v. 3. stolo, Hebr. 7. v. 2. at Christus est verus rex justitiæ, non solùm *quia judicat populum in æquitate*, sed quia ex perfecta justitia pro nobis Deo satisfecit, & *factus est pro nobis justitia & sanctificatio & redemptio nostra.* 2. *In officio.* Nam Melchisedech fuit Rex *Salem*, id est Rex pacis, quod rectè Christo convenit, de quo Apostolus, Ephes. 2. v. 14. *Ipse est pax nostra, qui fecit utraque unum.* Et coloss. 1. v. 20. *Pacificans per sanguinem crucis, sive quæ in terris, sive quæ in cœlis sunt.* 3. *Origine.* Namque Melchisedech introducitur sine patre & matre, ad significandum Christi divinitatem & humanitatem; quia christus ut homo non habuit patrem, ut Deus non habuit matrem. 4. *In duratione*, quia Melchisedech neque initium dierum, neque finem habere dicitur: qua ex parte rectè adumbrat æternitatem sacerdotii christi, cui aliud sacerdotium non est successurum; ac differt maximè à sacerdotio Aaronis, quod ad tempus dumtaxat fuit, & abrogatum est succedente sacrificio & sacerdotio christi, quod ab Apo- Apoc. 13.
stolo *æternum* dicitur, tum quia ab ipsa primo mundi v. 8.
origine incœpit, unde dicitur *Agnus occisus ab origine mundi*; tum quia durabit usque ad *consummationem seculorum.* 5. *In oblatione panis & vini*; & quidem præcipuè: hoc enim veluti proprium ac singulare habuit Melchisedech, in quo Christum repræsentaret; reliqua etenim quæ habuit, vel non habuit ut Sacerdos, vel certe non fuerunt illi propria & singularia. 1. Vocatus quidem est *Rex justitiæ*; sed hoc nihil ad sacerdotium. 2. Dictus est *Rex Salem*, id est pacis; sed neque hoc ut Sacerdos habuit, sed ut Rex. 3. Introductus est sine patre, sine matre, sine genealogia: at sic pariter introducti sunt Job & Elias. 4 Introductus est neque initium, neque finem habens dierum: at & hoc ipsum Eliæ quodammodo convenit. Ergo in oblatione panis & vini potissimum consistit similitudo christi cum Melchisedecho; ergo cùm Melchisedech panem & vinum in sacrificium obtulerit, Christus eadem assumpta materia, sed transmutata, sub speciebus panis & vini corpus & sanguinem suum in sacrificium Deo Patri obtulit. Atque hæc communis SS. Patrum doctrina.

S. Clemens Alexandrinus L. 4. Strom. *Melchisedech, inquit, rex Salem, Sacerdos Dei altissimi, qui pa-* Pagina
nem & vinum sanctificatum dedit nutrimentum, in 392. E.
typum Eucharistiæ. Quid clarius? *dedit*, inquit, *panem & vinum.* Sed qualem panem, & quale vinum? non prophanum, sed sanctificatum, nec aliter quàm sacrificando. At in quem finem? *in typum* Eucharistiæ.

S. cyprianus Epistola 63. ad Cæcilium, *In Sacerdote Melchisedech*, inquit, *sacrificii dominici Sacramen-* P. 101.
tum præfiguratum videmus, secundum quod Scriptura divina testatur, & dicit, Melchisedech protulit panem & vinum.∴ Et paulò post: *Quod autem Melchisedech typum Christi portaret, declarat in Psalmis Spiritus sanctus ex persona Patris ad Filium dicens.*∴ *Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. Qui ordo utique hic est de sacrificio illo veniens, & inde descendens, quod Melchisedech Sacerdos Dei summi fuit, quod panem & vinum obtulit, quod Abraham benedixit. Nam quis magis Sacerdos Dei summi, quam Dominus noster Jesus Christus, qui sacrificium Deo Patri obtulit hoc idem, quod Melchisedech obtulerat; id est panem & vinum, suum scilicet corpus & sanguinem:* Hæc tam clara & perspicua sunt, ut commentario non indigeant.

Eusebius Cæsariensis L. 5. Demonst. evangelicæ c. 3. Pagina
"Quemadmodum, *inquit*, Melchisedech qui Sacerdos 215. C.
„gentium erat, nusquam videtur sacrificiis corporalibus functus, sed solo vino & pane, ita Salvator noster ac Dominus noster, deinde qui ab eo profecti sunt „Sacerdotes, in omnibus gentibus ∴ vino ac pane, „corporis illius ac salutaris sanguinis mysteria repræ„sentant: quæ sanè mysteria, Melchisedech tanto an„tè spiritu divino cognoverat, & rerum futurarum „imaginibus usus fuerat." Hic paucis multa complexus est Eusebius. 1. Melchisedechum fuisse Sacerdotem gentium, non idolorum. 2. Nusquam legi quod usus fuerit sacrificiis ex animalibus, sed ex solo pane & vino. 3. Similiter fecisse christum in ultima cœna, quando sub specie panis & vini obtulit corpus & sanguinem suum. 4. Idem facere omnes Sacerdotes christianos in toto terrarum orbe.

S. Hieronymus Epistole ed Marcellam. „ Recurre, T. 4. p. 2. pag. 547. „inquit, Genesim,& Melchisedech Regem salem hu„jus principem invenies civitatis (*Bethleem*:) qui jam „tunc intypo Christi panem & vinum obtulit, & my„sterium christianum Salvatoris corpore & sengnine „dedicavit.

Tom 2. p. 616 D. S. Augustinus Ep. 177. alias 95. ad Innoc. S. P. „Melchisedech, *inquit*, prolato sacramento mensæ do„minicæ, novit æter oum ejus sacerdotium figurare." Et L. 16. de civit. Dei c. 22. loquens de obletione Melchisedech, " Ibi , *ait* , primum epparuit sacrificium T. 7. p. 435. A. „quod nunc à Christianis offertur Deo, toto orbe terre„rum." Idem docent Ss. Ambrosius, Epiphanioe, Chrysostomus, Arnobius, Theodoretus, Eusebius Emissenus &c. ex quo, concludit Bellarminus, perspicuum est, antiquissimam esse & publicam totius Ecclesiæ istam lententiam.

Denique in Canone Missæ hæc oratio legitur, „Su„pra quæ propitio ac sereno vultu respicere digneris ; „& accepta habere , sicuti accepta habere dignatus es „munera pueri toi justi Abel, & sacrificium Patriarchæ „nostri Abrahæ, & qood nbi obtulit summus Sacerdos „tuus Melchisedech, sanctum sactificium, immaculatam „hostiam.

Dices I. cum Novetoribus. Melchisedech penem quidem & vinum protulit ; led in quem finem ? ed reficiendos milites Abrahæ , qui ex prælio fatigati redibant.

Resp. 1. tametsi ebsurda illa Novatorum responsio locum hie habere posset, non tamen rei nostræ præsenti accommodata foret. Namque status præsentis controversiæ non in eo præcisè verfetur ; an panem & vinum obtulerit Abrahem in refectionem ec refrigerium suorum militum ; sed an ea obtulerit in solam corporelem eorom refectionem, & in nullum elium usum. Istud cootendunt Novatores, negant vero Catholici, ac dicunt, prius quidem oblate Deo fuisse per modum sacrificii, ec deinde fortasse distributa inter socios Abrahæ, ut sacrificii participes efficerentur. Verum quidquid sit.

Resp. 2. miserum hoc Novatorum efugium diserte adversarii his jem citatis Scripturæ verbie ex cap. 14. Gen. 18. *Melchisedech Rex Salem proferens panem & vinum (erat enim Sacerdos Dei altissimi) benedixit ei* (Abrahamo) *& ait* : *Benedictus Abraham Deo excelso.* Porro ad reficiendos Abrahæ milites quid, quæso, conferebat titulus Sacerdotis in Melchisedecho ? Quam ille extraneus erat & alienus ! Non ergo panem & vinum protulit, ut hospes & amicus, sed ut verus Dei altissimi Sacerdos. Deinde Melchisedech benedixit Abrahamo, decimas dedit, & oblato sacrificio Deo retulit gratias ob tam insignem ex hostibus reportatam victoriam. Denique cibo ac refectione corporali non indigebant Abrahami milites, qui ingenti præda & spoliis ditati fuerant, sicut colligitur ex eodem c. 14. Gen. v. 24. ubi cum Rex Sodorum omnia spolia & prædam Abrahamo concedere vellent , sibi domtaxat reservatis hominibus , *Da mihi animas* , inquiebat , *cætera tolle tibi*. Reculavit Abraham, nihilque ex omni præda in usus suos convertit, præter ea *quæ comederant juvenes , & eas partes virorum qui cum eo venerant.* Ergo Melchisedech panem & vinum protulit, non ad reficiendos milites Abrahæ , sed ad sacrificium Deo in gratiarum actionem reportatæ victoriæ , offerendum.

Dices e. Oblatio panis & vini propria & singularis non fuit sacrificio Melchisedeci, cùm in sacrificiis Aaronicis paois & vinum etiam offerrentur, ut patet Exodi 29. v. 40. & Num. 28. v. 5. Ergo ea ex parte oon major est similitudo inter Christum & Mechisedechum , quam inter ipsum & Aaronem.

Resp. distinguo ant. panie & vinum in sacrificio Aaronico offerebantur, velut pare aliqua seu condimentum sacrificii , concedo : velut principalis & integra sacrificii materia, nego. Porro in oblatione Melchisedech paois & vinum non pars fuit aut condimentum, sed tota & integra sacrificii oblatio.

Dices 3. Si exemplum oblationis Melchisedeci in pane & vino, tam efficax est ed probandum sacrificium Missæ incruentum, cur similitudinem illam inter utrumque sacrificium , ratione panie & vini, siluit Apostolus Hebr. 7. v. 1. cum varia exponit capita , in quibus Christum Melchisedecho essimilat ? de illa quippe panis & vini oblatione oe verbum quidem habet Apostolus.

Resp. duabus de causis hic siluisse Apostolum. 1. Quia ad scopum ejus & institutum non pertinebat. 2. Quia nondum idonei & capaces erant carnales illi Judæi mysterio tam obscuro & loblimi capiendo.

I. Igitur scopue & institutum Apostoli in citata Epistola ed Hæbræos hoc unum erat, ot ostenderet sacrificii Christi longe præstantius esse ac excellentius sacrificio Aaronie; imo & Christum ipsum longe majorem esse Angelis, Moyse, ac Leviticis Sacerdotibus , quorum tamen tanta erat epod Judæos existimatio.

Excellentiam sacrificii Christi supra sacrificium Aaronis duplici generatim probat argumento , à persona scilicet Sacerdotis, & à dignitate hostiæ : quo enim persona offerens præstantior est , eo præstantius est sacrificium ; & quo dignior est hostia, eo dignior est oblatio. Duo hæc multis ex capitibus demonstrat Apostolus. 1. Quia Melchisedech , qui Christi typus & figura fuit , mejor eret Abrahamo , ac consequenter Aarone ejus pronepote. Qui enim Abrahamo benedixit, eique decimae dedit , eo mejor fuit ; minor enim à majori benedicitur ; atqui Melchisedech benedixit Abrahemo, eique decimas dedit ; ergo major fuit Abrehamo ; ergo Christus, qui est Sacerdos secundum ordinem Melchisedech, mejor est Aarone, ejusque sacrificium Aeronico longe præstantius est & excellentius. 2. Præstantiam victimæ novi Testamenti supra veteres omnes, probat tum ex inutilitate, insufficientia, & infirmitate sacrificii Aaronici. *Impossibile quippe est* , ait Apostolus Hebr. 10. v. 4. „sanguine hircorum & tau„rorum auferri peccata." Tum exiterata sæpius sacrificii Aaronici obletione ; Christus econtra „ una obla„tione consummavit in sempiternum sanctificatos." Hebr. 10. v. 14. Tum ex duratione seu æternitate sacrificii Christi , qui „ Sacerdos est in æternum secun„dum ordinem Melchisedech." E contra sacrificium Aaronicum ad tempue institutum, adveniente Christo destruendum erat. Hæc porro momenta ex sese vim habebant maximem ; neque ex similitudine oblationis panis & vini in sacrificio Melchisedechi quidquam profecisset Apostolus ed suum scopum & intentum assequendum. Namque non disputabat cum Judæis , de figura & similitudine inter Christum & Melchisedechum , sed de excellentie sacerdotii Christi supra secerdotium Mosaicum , ad quam declarandam non opus erat ut confugeret ad oblationem penis & vini. Excellentiam vero Christi supra Angelos , Moysen & Sacerdotes Leviticos probat Apostolus, Christum cum illis comparando. 1. Cum Angelis , Hebr. 1. v. 4. „ Tanto melior , *inquit*, Angelis effectus, „quento differentius præ illis nomen hæreditavit. „Cui enim dixit eliquando Angelorum , Filius meus „es tu , ego hodie genui te ? " 2. Cum Moyse, c. 3. v. 3. „ Amplioris enim gloriæ iste præ Moyse di„gnus est habitus. *Et v. 5.* Moyses quidem fidelis „erat in tota domo ejus , taoquam famulue , in te„stimonium eorum quæ dicenda erant : Christus vero „tanquam filius in domo sua." 3. Cum Sacerdotibus Levicis, c. 7. ubi dignitatem & excellentiam secerdotii Melchisedech multum extollit supra sacerdotium Leviticum, argumentis quæ mox exposuimus.

Altera vero ratio silentii Apostoli circa oblationem

panis

panis & vini à Melchisedecho factam, est, quòd crassiores adhuc forent Hebræi, quàm ut tam sublime & arduum mysterium capere possent: *De quo* [Melchisedech] ait Apostolus Hebr. 5. v. 11. *grandis sermo & innarrabilis ad dicendum: quoniam imbecilles facti estis ad audiendum.*

TERTIUM ARGUMENTUM.

Ex figura, quæ præcessit, Agni paschalis.

De immolatione Agni paschalis sermo fit cap. 12. Exodi. Sacrificium illud institutum à Deo fuit, paulò ante egressum filiorum Israel ex Ægypto; ac primò celebratum pridie egressionis ad vesperam, cum mandato ut postea singulis annis, primo mense anni, die decima quarta mensis ad vesperam celebraretur, Exod. 12. v. 3. *Decima die tollat unusquisque agnum per familias & domos suas. Et servabitis eum usque ad quartam decimam diem mensis hujus, immolabitque eum universa multitudo Israel ad vesperum.* Præceptum illud semper observavere Judæi, non solùm in Ægypto ante egressionem, sed etiam postea in monte Sinai, & alibi. Unus excipitur casus quantum ad mensem & diem: namque si eo die immundi fuissent, poterat ceremonia differri usque ad diem decimam quartam mensis sequentis. Quo loco autem immolandus esset Agnus paschalis, si quæsieris, varia distinguenda sunt tempora. Primum, egressionis ex Ægypto; secundum, peregrinationis in deserto; tertium, ingressus in Judæam; quartum, habitationis in Judæa. Igitur cum adhuc in Ægypto essent Hebræi, singuli patres-familias in sua domo tenebantur agnum immolare & comedere, Exodi 12. At tempore peregrinationis, immolarunt & comederunt in deserto Sinai, Num. 9. v. 1. Porro in ingressu in Judæam post transitum Jordanis, in campestribus Jericho, Josue 5. v. 10. Denique tempore habitationis in Judæa, nusquam licebat id facere, nisi illo loco ubi esset Tabernaculum, juxta illud Deut. 16. v. 5. *Non poteris immolare Phase in qualibet urbium tuarum, quas Dominus Deus tuus daturus est tibi; sed in loco, quem elegerit Dominus Deus tuus ut habitet nomen ejus ibi: immolabis Phase vespere ad solis occasum, quando egressus es de Ægypto.* Locus autem in quo habitavit nomen Domini, varius fuit pro variis temporibus, 1. Galgala. 2. Silo. 3. Nobe. 4. Gabaon. 5. Jerusalem, ædificato Templo Salomonis; atque hæc causa est cur sæpe in Scripturis mentio fiat eorum, qui tempore paschali Hierosolymam ascendebant, ut 2. Paralip. 30. 1. Luc. 2. 41.

Immolationem Agni paschalis verum fuisse sacrificium patet ex c. 9. Num. v. 13. *Si quis mundus est*, ait Moyses, *& in itinere non fuit, & tamen non fecit Phase, exterminabitur anima illa de populis suis, quia sacrificium Domino non obtulit tempore suo.*

Duplicem in finem institutum à Deo est sacrificium Agni paschalis.

Primò, in memoriam transitus Angeli exterminatoris, qui omnia primogenita in Ægypto interfecit, nocte quæ secuta est immolationem agni, prætermissis & intactis primogenitis Judæorum; & liberationis Judæorum à servitute Pharaonis, Exodi 12. v. 14. *Habebitis hunc diem in monimentum, & celebrabitis eum solemnem Domino in generationibus vestris cultu sempiterno.* Et v. 26. *Cum dixerint vobis filii vestri: Quæ est ista religio? Dicetis eis; Victima transitus Domini est, quando transivit super domos filiorum Israel in Ægypto, percutiens Ægyptios, & domos nostras liberans.*

Secundò, institutum est Agni sacrificium in typum & figuram Christi, qui tanquam agnus innocens immolandus erat & occidendus, ut homines à servitute dæmonis ac peccati liberaret, de quo Apostolus 1. Cor. 5. v. 7. *Pascha nostrum immolatus est Christus; itaque epulemur ... in azymis sinceritatis & veritatis.* Figura autem fuit, non tantùm immolationis cruentæ Christi in ara crucis, sed etiam incruentæ ac mysticæ in ultima Cœna.

I. Quia constat ex Evangelio, Apostolos ante Christi passionem in novissima Cœna verum Agnum paschalem, qui Christus est, comedisse. Ergo jam erat immolatus in Cœna Eucharistica; necesse quippe est prius hostiam immolari, quàm manducetur; atqui immolatus nondum erat Christus immolatione cruenta; ergo immolatione incruenta & mystica.

II. Christus post cæremoniam Agni paschalis continuò subjunxit celebrationem Eucharistiæ, neque distulit in aliud tempus, aut locum, ut apertè ostenderet se nova ista ceremonia veterem implere figuram, eique, ut & cæteris omnibus Legis Mosaicæ, finem imponere.

III. Ex circumstantiis utriusque celebrationis perspicuum est, nullam figuram à Christo manifestiùs impletam, quàm istam. Agnus paschalis die decima quarta primi mensis ad vesperam immolari debuit, Exodi 12. Eucharistiam autem hoc ipso tempore à Christo institutam fuisse, suprà probavimus. 2. Agnus immolabatur in memoriam transitus Domini, & liberationis populi ex Ægypto: at Eucharistia celebratur in memoriam transitus Domini per passionem ex hoc mundo ad Patrem, & nostræ liberationis de servitute peccati, & potestate dæmonis.

IV. Agnus immolabatur ut manducaretur, & esset quasi viaticum peregrinorum; idcirco manducabatur à Judæis accinctis renibus, cum baculis & calceis &c. Quid porro est Eucharistia, nisi refectio, & viaticum ad veram & cœlestem patriam peregrinantium?

V. Agnus manducari non poterat nisi à circumcisis & mundis, & in Jerusalem: ita Eucharistia sumi non potest, nisi à baptisatis & mundis, & intra Ecclesiam Catholicam existentibus. Quàm egregiè isthæc omnia concordant inter se, ac figura rei figuratæ respondet! His adde communem SS. Patrum consensum, cujus multa & egregia testimonia profert Bellarminus citato L. 1. de Missa c. 7.

Non negamus, quin Agnus paschalis occisus & immolatus figura quoque fuerit cruenti sacrificii Christi in cruce pendentis; at negare pariter non debent Novatores, quin utriusque simul figura fuerit, passionis nempe, & Eucharistiæ; verum, magis immediatè ac principalius Eucharistiæ, quàm passionis, ut patet ex circumstantiis mox expositis; passio siquidem Christi non incidit in diem decimam quartam, nec in vesperam, sed in meridiem diei decimæ quintæ; neque Christus cruci affixus fuit in memoriam transitus alicujus aut liberationis; neque crucifigebatur ut manducaretur, nec ullus fuit tunc, qui eum sic immolatum manducaverit; neque in domo, aut Jerusalem, sed extra portam in aperto campo immolatus fuit: denique, non solum baptisati & mundi, sed etiam alii polluti ac debent Christum in cruce immolatum fide manducare; fides enim præcedit & Baptismum & justificationem. Ita Bellarminus.

Dices I. Immolatio Agni paschalis cruenta fuit; ergo non potuit esse figura incruenti sacrificii Eucharistiæ.

Resp. dist. conseq. quatenus cruenta fuit immolatio Agni, concedo: quatenus oblatio & manducatio in ea figura occurrit, nego. Et verò docet S. Augustinus L. 17. de Civ. Dei c. 20. & L. 1. contra adversarium Legis & Prophetarum c. 18. omnia sacrificia veteris Legis, quantumvis cruenta, figuras fuisse sacrificii Eucharistiæ. Ex figura igitur Agni paschalis habemus in Eucharistia veram carnem & sanguinem Christi agni immaculati, sed modo incruento & in specie panis & vini: atque ita

Tom. 7. p. 484.
Tom. 8. p. 467.

ita oblatio & manducatio Agni, ad figuram Eucharistiæ pertinet, modus autem cruentæ mactationis, ad hanc figuram non pertinet.

Dices 2. Agnus Paschalis non à Sacerdotibus, sicut Eucharistia, sed è multitudine immolabatur; ergo non potuit esse figura Eucharistiæ.

Resp. sacrificium Agni fuisse institutum priusquam familia Aaron ad sacerdotium vocata fuisset; & ideo quantum ad hoc sacrificium, mansit antiquum privilegium, ut omnes patresfamilias sacerdotio fungerentur. Cum igitur in Scripturis legimus Agnum paschalem debuisse à tota multitudine filiorum Israel immolari, non sic intelligitur, quasi debuerint singuli de populo agnum immolare; sed quod debuerit in singulis domibus ac familiis immolari, patrefamilias proprie & per se immolante, reliquis per illum immolantibus, & voluntate ac participatione in sacrificium consentientibus; quod etiam in Ecclesia circa Eucharistiam observatur. Presbyteri enim, qui in Christi familia patres sunt, proprie ac per se immolant; populus autem per illos immolat, & simul voluntate & participatione in sacrificium consentit.

Dices 3. Sacrificium Agni paschalis non erat propitiatorium pro peccato, quale nos esse dicimus sacrificium Eucharistiæ; ergo &c.

Resp. revera Agnum paschalem non fuisse figuram Eucharistiæ, ut sacrificium propitiatorium, sed ut commemorativum liberationis, & ut proprie eucharisticum, quod satis est: neque enim necesse est ut quodlibet vetus sacrificium in omnibus Eucharistiam repræsentaverit.

QUARTUM ARGUMENTUM.

Ex institutione Eucharistiæ, usu & praxi Apostolorum.

Tom. 3. p. 325. Argumentum sic proponit Bellarminus c. 12. L. 1. de Missa. Christus in ultima Cœna seipsum sub specie panis & vini Deo Patri obtulit, & id ipsum jussit fieri ab Apostolis, & eorum successoribus usque ad mundi consummationem: sed hoc est sacrificium vere ac proprie dictum obtulisse, & offerendum instituisse; ergo celebratio Eucharistiæ est sacrificium proprie dictum.

Major argumenti propositio probatur ex ipsa Eucharistiæ institutione quam referunt S. Matth. cap. 26. S. Lucas c. 22. S. Paulus 1. Cor. 11. *Accepto pane*, ait S. Lucas v. 19. "gratias egit, & fregit, & dedit eis di-„cens: Hoc est corpus meum quod pro vobis datur: „hoc facite in meam commemorationem. Similiter & „calicem, postquam cœnavit, dicens: Hic est calix novi „Testamenti in sanguine meo, qui pro vobis fundetur. „*In græco* funditur. *Addit S. Matth. c. 26. v.* 28. pro „multis effundetur, *seu* funditur, in remissionem pec-„catorum." Non ait S. Lucas, *vobis datur*, sed, *pro vobis datur*, id est, offertur, similiter & de sanguine ait, *qui pro vobis funditur*, seu *fundetur*, aut *effundetur*, ut habet S. Matth. c. 26. Et Apostolus 1. Cor. 11. v. 24. „Accipite & manducate; hoc est corpus meum quod „pro vobis tradetur;" juxta græcum, *quod pro vobis frangitur*. Novatores, qui rejecta Vulgata versione uni græco textui adhærent, hic premuntur; verba enim ista præsentis temporis, *datur, funditur, frangitur*, non significant dari vel effundi Apostolis ad manducandum & bibendum, sed dari & effundi in sacrificium, non enim ait Dominus, ut jam observatum est, *vobis datur, frangitur, effunditur*; sed, *pro vobis*. Et vero non dabatur, aut effundebatur cibus ille & potus tunc, nisi Apostolis præsentibus, & tamen Dominus ait Matth. 28. *pro multis effunditur*. Sensus igitur est, pro vobis & pro multis datur & libatur in sacrificium propitiatorium, in remissionem videlicet peccatorum.

Frustra reponunt Novatores, verba ista de præsenti, *datur, effunditur, frangitur*, poni pro futuro, eaque referri ad crucem; ut sensus sit, Hoc est corpus meum quod paulo post dabitur ad mortem; &, Hic est sanguis, qui paulo post in cruce fundendus est. Namque duæ istæ lectiones, & in præsenti, juxta græcum, & in futuro, juxta Vulgatam, non pugnant inter se, imo consentiunt maxime, & una inducit alteram: nam ex eo quod Dominus in præsenti dixit, *funditur*, id est, offertur ac libatur Deo in repræsentationem effusionis futuræ in cruce, sequitur & effusionem illam futuram fuisse modo scilicet cruento, & deinceps usque ad mundi finem fundendum sanguinem Christi & offerendum modo incruento in sacrificio Missæ. Itaque verbum de præsenti, *effunditur*, denotat præsentem effusionem sanguinis mysticam & incruentam; verbum autem de futuro, *effundetur*, futuram significat cruentam ejusdem sanguinis in cruce effusionem, ad cujus perpetuam memoriam instituta est Eucharistia, tanquam verum & proprie dictum sacrificium: utraque igitur lectio; tum præsentis, tum futuri temporis, hic retinenda.

Apostoli usu suo ac praxi confirmant quod hic volumus; in executionem quippe tum exempli, tum mandati Christi Eucharistiam celebrarunt & ut verum sacrificium obtulerunt, 1. Cor. 10. v. 16. "Calix bene-„dictionis, cui benedicimus, *ait Apostolus*, nonne com-„municatio sanguinis Christi est? & panis quem fran-„gimus, nonne participatio corporis Domini est?" Hanc vero *benedictionem* verum fuisse sacrificium, non obscure ibidem probat Apostolus, ex comparatione mensæ Domini cum mensa Gentilium & Judæorum, & Eucharistiæ cum sacrificiis Gentium. "Videte Israel se-„cundum carnem, *pergit Apostolus v.* 18. Nonne qui „edunt hostias, participes sunt altaris? Quid ergo? Dico „quod idolo immolatum sit aliquid? aut quod idolum „sit aliquid? sed quæ immolant Gentes, dæmoniis im-„molant, & non Deo. Nolo autem vos socios fieri dæ-„moniorum: non potestis calicem Domini bibere, & „calicem dæmoniorum; non potestis mensæ Domini „participes esse, & mensæ dæmoniorum." Quemadmodum igitur Judæi Deo vero, & Gentiles idolis ac dæmoniis vera sacrificia offerebant, ita & Christiani Eucharistiam ut verum ac proprie dictum offerunt sacrificium. Id manifeste importat mentio quam Apostolus facit, mensæ, altaris, hostiarum, immolationis, societatis & communicationis inter eos qui ejusdem mensæ fiunt participes: mensa autem Domini idem est ac altare, quod ad sacrificium ordinatur. *Habemus altare*, ait Apostolus Hebr. 13. v. 10. *de quo edere non habent potestatem, qui Tabernaculo deserviunt.* Ubi autem est altare & victima, ibi sit necesse est & sacrificium; victima autem immolari prius debet quam manducetur: quomodo vero immolatur in Cœna, nisi consecratione panis & illius mutatione in corpus Christi? Ideo in Cœna seorsim consecratur corpus, & seorsim sanguis, ut intelligamus præsentiam corporis & sanguinis in Cœna esse ad modum occisi & mortui corporis. Deinde corpus & sanguis sunt in Cœna, ut cibus & potus: at caro & sanguis non sunt apta ad cibum, nisi prius animal moriatur, Christus autem non moritur, nisi per immolationem. Cum vero semel mortuus sit Christus, nec moriatur amplius, peracta semel ejus immolatione cruenta in arbore crucis, non alia superest quam incruenta, quæ in Missa peragitur; ergo datur sacrificium incruentum & mysticum, quod aliud non est à sacrificio Missæ. Quid enim, quæso, est sacrificium Missæ, nisi Christus realiter præsens sub speciebus separatis panis & vini, & Deo Patri oblatus? Denique ex mox probatis, Christus verus fuit Sacerdos secundum Melchisedech, vere implevit figuram Agni paschalis, vere fuit sanguis Cœnæ, sanguis novi Testamenti; atqui hæc ipsi convenire non possunt, nisi verum in Cœna sacrificium obtulerit; ergo &c. Conc. Trid. sess. 22. c. 1.

QUIN.

QUINTUM ARGUMENTUM.

Ex Traditione SS. Patrum.

Momentum istud fusè versat Bellarminus L. 1. de Missa cap. 15. productis in medium SS. Patrum bene multis testimoniis, quorum doctrina ad hæc capita compendiosè revocari potest.

I. Quando SS. Patres loquuntur de Eucharistia, passim voces istas usurpant, *sacrificium, oblatio, immolatio, hostia, victima, offerre, sacrificare, immolare.* Ita S. Andreas Apostolus, Hyppolytus Martyr, Ambrosius, Gregorius, Chrysostomus, Augustinus, Cyrillus Hierosolymitanus &c.

II. Requirunt altaria ad celebrandam Eucharistiam: altaria autem non eriguntur, ut non semel dictum est, nisi ratione sacrificii; supponunt ergo Eucharistiam esse sacrificium. Ita Cyprianus, Eusebius, Optatus Milevitanus, Ambrosius &c. apud eundem Bellarminum cap. 16.

III. Ministros, qui Eucharistiam offerunt, vocant *Sacerdotes*, & eorum ministerium, *sacerdotium.* Proprium autem munus Sacerdotis est offerre sacrificium. Hebr. 5. v. 1, & cap. 8. v. 3. Ita Gaudentius, Hieronymus, Ambrosius, Eusebius, Augustinus &c. apud eundem c. 17.

IV. Docent Eucharistiam celebrari & offerri posse pro vivis & defunctis, pro pace & incolumitate, & generatim pro omnibus necessitatibus, tam corporis, quàm animi: quod sanè dici non posset, nisi verum esset ac propriè dictum sacrificium. Ita Chrysostomus, Augustinus variis in locis, apud eundem cap. 19.

V. Dicunt Melchisedechum fuisse verum Sacerdotem, & obtulisse panem & vinum in sacrificium; & hoc modo præfigurasse incruentum sacrificium, quod Christus sub specie panis & vini instituit in ultima Cœna; atque eam ob causam Christum appellari *Sacerdotem in æternum secundum ordinem Melchisedech.* Ita Clemens Alexandrinus, Cyprianus, Eusebius, Hieronymus, Augustinus.

VI. His addi possunt, qui vaticinium Malachiæ, de quo suprà diximus, interpretantur de sacrificio Eucharistiæ, ut Justinus, Irenæus, Tertullianus, Cyprianus &c. apud Bellarminum L. 1. c. 10.

Ex quibus omnibus abundè constat sententia antiquorum Patrum; neque videtur necesse integra eorum hic referre testimonia, quandoquidem adversarii non negant eos ita sentire. Namque Kemnitius in Examine, de iis sic scribit, *Negari non potest, Veteres, quando loquuntur de celebratione Cœnæ dominicæ, usurpare vocabula sacrificii, immolationis, hostiæ, victimæ; uti verbis offerre, sacrificare, immolare,*

SEXTUM ARGUMENTUM.

Ex doctrina & definitione Concilii Tridentini.

Egregiè Conc. Trid. Sess. 22. doctrinam Ecclesiæ circa sacrificium nostrum 10 capitibus exposuit, & in Canonibus definivit.

Cap. 1. ex imbecillitate Levitici Sacerdotii probat necessitatem alterius Sacerdotii secundum ordinem Melchisedech. 2. Christum Dominum esse Sacerdotem illum secundum ordinem Melchisedech, qui corpus & sanguinem suum sub speciebus panis & vini Deo Patri obtulit: *Dominus noster*, ajunt Patres, *etsi semel seipsum in ara crucis, morte intercedente, Deo Patri oblaturus erat, ut æternam illic redemptionem operaretur: quia tamen per mortem sacerdotium ejus extinguendum non erat, in Cœna novissima, qua nocte tradebatur, ut dilectæ sponsæ suæ Ecclesiæ visibile, sicut hominum natura exigit, relinqueret sacrificium, quo cruentum illud semel in cruce peragendum repræsentaretur, ejusque memoria in finem usque sæculi permaneret, atque illius salutaris virtus in remissionem eorum, quæ à nobis quotidie committuntur, peccatorum applicaretur. Sacerdotem secundum ordinem Melchisedech se in æternum constitutum declarans, corpus & sanguinem suum sub speciebus panis & vini Deo Patri obtulit, ac sub earumdem rerum symbolis, Apostolis, quos tunc novi Testamenti Sacerdotes constituebat, ut sumerent, tradidit, & eisdem, eorumque in sacerdotio successoribus, ut offerrent, præcepit per hæc verba,* Hoc facite in meam commemorationem; *uti semper Catholica Ecclesia intellexit & docuit.* Deinde hanc doctrinam probat & confirmat Concilium, ex figura veteris Paschæ Judæorum, ex Prophetia Malachiæ, ex Apostolo 1. Cor. 10. aliisque sacrificiis naturæ & Legis tempore, quibus sacrificium Eucharistiæ præfiguratum fuit. (Tom. 14. Conc. p. 852. D.)

Capite verò 2. docet sacrificium istud visibile, esse propitiatorium pro vivis & defunctis. "Quoniam, inquit, in divino sacrificio, quod in Missa peragitur, idem „ille Christus continetur, & incruentè immolatur, qui in „ara crucis semel seipsum cruentè obtulit; docet sancta „Synodus, sacrificium istud verè propitiatorium esse, per „ipsumque fieri, ut, si cum vero corde, & recta fide, „cum metu, & reverentia, contriti ac pœnitentes ad „Deum accedamus, misericordiam consequamur, & „gratiam inveniamus in auxilio opportuno, hujus quip„pe oblatione placatus Dominus gratiam & donum „pœnitentiæ concedens, crimina & peccata etiam in„gentia dimittit." Rationem statim profert Synodus: „Una enim eademque est hostia, idem nunc offerens „Sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in cruce „obtulit, sola offerendi ratione diversa. (Ibid. p. 853.)

Quam doctrinam in capitibus exposuit Concilium, eandem in Canonibus definivit.

Can. 1. *Si quis dixerit, in Missa non offerri Deo verum & proprium sacrificium, aut quod offerri non sit aliud, quam nobis Christum ad manducandum dari; anathema sit.* (Ib. p. 855.)

Can. 2. *Si quis dixerit, illis verbis,* Hoc facite in meam commemorationem, *Christum non instituisse Apostolos Sacerdotes; aut non ordinasse, ut ipsi aliique Sacerdotes offerrent corpus & sanguinem suum; anathema sit.*

Can. 3. *Si quis dixerit, Missæ sacrificium tantum esse laudis, & gratiarum actionis, aut nudam commemorationem sacrificii in cruce peracti, non autem propitiatorium; vel soli prodesse sumenti; neque pro vivis & defunctis, pro peccatis, pœnis, satisfactionibus, & aliis necessitatibus offerri debere; anathema sit.*

Can. 4. *Si quis dixerit, blasphemiam irrogari sanctissimo sacrificio in cruce peracto, per Missæ sacrificium, aut illi per hoc derogari, anathema sit.*

Jam antea an. 1215. Conc. Lateranense IV. Can. 1. dixerat: *Una est Fidelium universalis Ecclesia, extra quam nullus omnino salvatur. In qua idem ipse Sacerdos & sacrificium Jesus-Christus, cujus corpus & sanguis in Sacramento altaris sub speciebus panis & vini veraciter continentur.* (Tom. 11. Conc. p. 1 par. 143 B.)

SEPTIMUM ARGUMENTUM.

Ex conditionibus ad verum sacrificium requisitis, quæ omnes in sacrificio Missæ occurrunt.

Quinque ad sacrificium perfectum requiruntur. Primum ex parte ministri. Secundum ex parte materiæ. Tertium ex parte formæ. Quartum ex parte finis. Quintum ex parte loci. Sed illa omnia in sacrificio Missæ occurrunt.

I. Ex parte ministri requiritur ut verus sit ordinatio-

ne seu

ne seu consecratione Sacerdos. Namque, ut jam non semel diximus, sacrificium & sacerdotium ita connexa sunt, ut separari non possint. *Omnis Pontifex*, ait Apost. Hebr. 5. v. 1. *ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in his, quæ sunt ad Deum, ut offerat dona & sacrificia pro peccatis*. Et v. 4. *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron*. Atqui in sacrificio Missæ habemus summum, æternum, & invisibilem Sacerdotem Christum, qui seipsum visibili Sacerdotum ministerio Deo Patri offert. *Una enim eademque est hostia*, ajunt Patres Tridentini Sess. 22. cap. 2. *idem nunc offerens Sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in cruce obtulit: sola offerendi ratione diversa.*

II. Ex parte materiæ requiritur ut sit res aliqua externa & sensibilis quæ offeratur, ut antea dictum est, cùm definitionem sacrificii expendebamus. *Omnis* quippe *Pontifex*, ait Apostolus Hebr. 8. v. 3. *ad offerendum munera & hostias constituitur*; unde necesse est *& hunc habere aliquid, quod offerat*: atqui in sacrificio Missæ sunt species externæ ac sensibiles panis & vini, sub quibus Christus realiter continetur.

III. Ex parte formæ requiritur ut res illa sensibilis, quæ in sacrificio offertur, perimatur aut mutetur, sicut antea dictum fuit. Cujus quidem ratio est, 1. Ob significationem mortis Christi; omnia quippe vetera sacrificia figuræ erant cruenti sacrificii crucis. 2. Ad declarandum supremum Dei in res omnes dominium, atque idcirco requiritur ut non solum usus rei Deo offeratur, sed & ipsa substantia, quod fit per consumptionem aut mutationem. Porro in sacrificio Missæ species panis & vini seorsim consecrantur ac separantur, in signum separationis animæ Christi à corpore, cùm affixus est cruci; sumuntur etiam species illæ ac consumuntur, & omnino mutantur.

IV. Ex parte finis requiritur ut explicitè vel implicitè referatur ad honorem Dei; si alio fine fiat, non est sacrificium. Ratio est aperta, quia sacrificium est actus religionis, quo significatur interna nostra existimatio de excellentia divina, reverentia nostra, affectus servitutis dependentiæ ac subjectionis erga Deum: si ergo affectus ille interior desit, falsum est signum externum, mendax, larvatum, nec proinde verum sacrificium. Quis porro negabit sacrificium Missæ, in quo Christus ipse Deus & homo Deo Patri offertur, referri in gloriam Dei?

V. Denique ex parte loci requiritur, ut in altari offeratur, quod constat 1. ex usu omnium Gentium. 2. ex Scripturis, ubi altaria non leguntur erecta, nisi ad usum sacrificii, vel certè ad significationem illius. 3. ex usu ac praxi Christianorum, apud quos erecta semper fuere altaria ut sacrificium offerretur. *Habemus altare*, inquit S. Paulus Hebr. 13. v. 10. *de quo edere non habent qui Tabernaculo deserviunt*. Unde S. Cyprianus Epistola 66. statuit, *ne quis Sacerdotes & ministros Dei, altari ejus & Ecclesiæ vacantes, ad seculares molestias devocet*. Et Optatus Milevitanus L. 6. contra Parmenianum, graviter Donatistas perstringit, quòd altaria diruissent. *Quid est*, inquit, *tam sacrilegum, quàm altaria Dei, in quibus aliquando & vos obtulistis, frangere?*

P. 109.

Pag. 91.

Novatores, qui sacrificium nostrum rejiciunt, consequenter locum ubi cœnam suam celebrant, mensam vocant; non altare, quod ad sacrificium refertur. *Mensam*, ait Calvinus L. 4. Instit. c. 18. n. 12. *nobis dedit, in qua epulemur; non altare super quod offeratur victima.*

OCTAVUM ARGUMENTUM.

Ex miraculis, quæ Deus in confirmationem sacrificii altaris edidit.

De vi & efficacia argumenti quod ex miraculis petitur in confirmationem alicujus veritatis, abundè diximus in Prælectionibus de Incarnatione, à pag. 107. usque ad pag. 225. ex quibus hæc observa.

I. Miraculum verum ac propriè dictum, esse opus quoddam divinum supernaturale, quod vires omnes naturales superat. *Miraculum voco*, ait S. Augustinus L. de veritate credendi c. 16. *quidquid arduum aut insolitum supra spem vel facultatem mirantis apparet*. Et Lib. 27. contra Faustum cap. 3. *Quæ contra cognitum nobis solitumque naturæ cursum Deus operatur, magnalia vel mirabilia nominantur. A sæculo non est auditum*, ajebat cæcus illuminatus apud S. Joan. c. 9. v. 32. *quia quis aperuit oculos cæci nati.*

To. 8. p. 68. A. Ibid. p. 455. G.

II. In quocunque miraculo distingui debere, auctorem, ministrum, finem, materiam. 1. Deus solus auctor esse potest miraculi verè & propriè dicti, quia ille solus supremus est naturæ parens & arbiter, qui omnia quæcunque voluit, fecit. *Sicut*, ait S. Augustinus Lib. 21. de civit. Dei cap. 8. *non impossibile fuit Deo, quas voluit instituere naturas; sic ei non est impossibile in quidquid voluerit, quas instituit, mutare naturas*. 2. Posse Deum ad patranda miracula cujuscumque hominis ministerio uti, Infidelis, Judæi, Hæretici, impii; imò & rebus inanimatis, ut aqua in Baptismo, oleo in Confirmatione & Unctione extrema, ad gratiam conferendam; luto ad visum cæco nato restituendum. Ratio est, quia virtus Dei, nulli elemento, nulli signo, nulli creaturæ alligata est; nulla quidem creatura potest sine Deo mira operari; potest verò Deus solus sine creatura. 3. Finis miraculi nusquam esse potest in testimonium seu confirmationem erroris, nec impietatis, quorum Deus nec auctor nec suasor aut approbator esse potest, qui sanctus est, nec falli potest nec fallere. Si quando igitur in patrandis miraculis Deus ministerio Hæreticorum vel impiorum hominum utitur, cave putes ea fieri in testimonium seu approbationem erroris vel impietatis; sed Deus vel errorem & errantem ita vult confundere; vel catholicam aliquam confirmare veritatem; vel nostram tentare seu probare fidem; vel denique interdum obstinatam & pervicacem punire hominum infidelitatem, sumpta ex ipsis miraculis, propter eorum improbitatem, majoris indurationis permittendæ occasione: sicut in Pharaone contigisse legimus, qui tum ex præstigiis suorum, tum ex veris Moysis miraculis induratus magis & excæcatus fuit. 4. Denique materia miraculi est res ipsa quam Deus operatur, quæ supernaturalis est, vel quoad substantiam, ut resurrectio Lazari, restitutio visus cæco nato &c. vel quoad modum, ut subita & momentanea à morbo diuturno sanitatis & virium integra reparatio.

To. 7. p. 629. C.

III. Miracula necessaria fuere ad confirmandam & propagandam Religionem Christianam: & quamquam magna quotidie oculis nostris obversentur in rebus etiam naturalibus prodigia, quia tamen ordinaria illa sunt, nobis vilescunt; unde certa quædam singularia & splendida sibi divina providentia reservavit. *Quia miracula ejus*, ait S. Augustinus Tract. 24. in Joan. *quibus totum mundum regit, universamque creaturam administrat, assiduitate viluerunt, ita ut penè nemo dignetur attendere opera Dei mira & stupenda in quolibet seminis grano: secundum ipsam suam misericordiam servavit sibi quædam, quæ faceret opportuno tempore, præter usitatum cursum ordinemque naturæ, ut non majora, sed insolita videndo stuperent, quibus quotidiana viluerant*. Quapropter idem S. Doctor Lib. 22. de civit. Dei c. 5. dicebat: *Qui miracula facta esse non credunt, hoc nobis unum grande miraculum sufficit, quòd terrarum orbis sine ullis miraculis crediderit.*

Tom. 3. part. 2. p. 489. E.

To. 7. p. 664. A.

Benè multa Christum stupenda miracula in terris dum viveret perfecisse, narrat Historia Evangelica: magnam autem in iis vim inesse ad persuadendum, quis inficiari audebit? *Si opera non fecissem in eis*, ait

Christus

Christus Joan. 15. v. 24. *quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent.* Et cap. 10. v. 38. *Si mihi non vultis credere, operibus credite, ut cognoscatis, quia Pater in me est, & ego in Patre.* Quin etiam post Christum & Apostolos perseverat in Ecclesia potestas patrandi miracula, dicente ipsomet Christo generatim & distinctè, Joan. 14. v. 12. & 13. *Amen amen dico vobis, qui credit in me opera quæ ego facio, & ipse faciet, & majora horum faciet.* Et Marci 16. v. 17. & 18. *Signa autem eos, qui crediderint, hæc sequentur. In nomine meo dæmonia ejicient, linguis loquentur novis, serpentes tollent; & si mortiferum quid biberint, non eis nocebit. Super ægros manus imponent, & benè habebunt.*

At, inquies, prodigiosa illa & stupende opera valdè æquivoca sunt. Nonne Pharaonis Magi suis artibus & incantationibus stupenda perfeceruot? Exodi 7. 8. & 9. Nonne impii miracula interdum operantur, quales it qui apud S. Matth. cap. 7. v. 22. ajunt; *Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, & in nomine tuo dæmonia ejecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus?* Ad quos Christus: *Nunquam novi vos, discedite à me.* Nonne de Pseudochristis, & Pseudoprophetis, & Antichristo ipso scriptum est Marci 13. v. 21, & seq. "Exurgent Pseudochristi & pseudopro-„phetæ, & dabunt signa & portenta ad seducendos, si „fieri potest, etiam electos. Vos ergo videte: ecce præ-„dixi vobis omnia." Et Apostolus 2. Thessal. 2. v. 8. & 9. de Antichristo ait: "Tunc revelabitur ille ini-„quus,..., cujus est adventus secundùm operationem „satanæ, in omni virtute & signis, & prodigiis menda-„cibus, & in omni seductione iniquitatis iis pereunt.

Resp. ad discernendum verum à falso miraculum hanc esse certam & generalem regulam, omne quod venditatur prodigium in signum & confirmationem erroris aut impietatis, falsum ac spurium esse; quia Deus mendacii & impietatis testis & assertor esse non potest. Prætensa ergo illa miracula, nihil aliud sunt quàm artes & præstigiæ dæmonum, qui vel sensibus nostris illudunt; vel sua naturali perspicacia multa naturæ arcana norunt, quæ cum nobis detegunt, prodigia efficere dicuntur. *Benefici planè & circa curas valetudinum*, inquit Tertullianus Apologet. cap. 22. *lædunt enim primo, dehinc remedia præcipiunt, ad miraculum nova, sive contraria, post quæ desinunt lædere, & curasse creduntur.* T,22.B.

Ad hanc regulam si expendantur, quæ à Magis coram Pharaone prodigia facta sunt, & quæ prædicta sunt futura à pseudochristis, pseudoprophetis & ab ipso Antichristo, totidem videbuntur præstigiæ, mendacia & fallaciæ, ad seductionem scilicet erroris, ac fidei christianæ subversionem; non autem veri nominis miracula: quapropter *eum* (Antichristum) *Dominus Jesus interficiet spiritu oris sui, & destruet illustratione adventus sui*, inquit Apostolus 2. ad Thessal. 2.

Non diffitemur quin per impios, per Infideles atque Hæreticos fieri à Deo possint miracula: at nusquam in confirmationem erroris, aut populi fidelis seductionem; nec ab Hæreticis in patrocinium suum adduci unquam illa possunt & trahi. Suspecta maximè viris catholicis esse debent miræ illæ morborum curationes, quæ vel ab Hæreticis, vel à viris in doctrina suspectis factæ circumferuntur; & nisi priùs diligenter & accuratè ab Ecclesia discussæ fuerint ac probatæ, inter Novatorum fraudes computandæ sunt. *Charissimi*, ait S. Joannes 1. Epist. c. 4. v. 1. *nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus si ex Deo sint, quoniam multi pseudoprophetæ exierunt in mundum. In hoc cognoscitur Spiritus Dei: omnis spiritus qui confitetur Jesum Christum in carne venisse, ex Deo est; & omnis spiritus qui solvit Jesum, ex Deo non est, & hic est antichristus.... Nos ex Deo sumus. Qui novit Deum, audit nos: qui non est ex Deo, non audit nos. In hoc cognovimus spiritum veritatis, & spiritum erroris.*

Donatistæ suorum miracula obtendebant in signum, ut dicebant, veræ, quam profitebantur, doctrinæ: quibus egregiè S. Augustinus tract. 13. in Joan. num. 17. "Nemo, *inquiebat*, vobis fabulas vendat. Et Pontius T.3.p.2.
„fecit miraculum, & Donatus oravit, & respondit ei p. 398.
„Deus de Cælo. Nam aut falluntur, aut fallunt .... Teneamus ergo unitatem, fratres mei: præter unitatem, „& qui facit miracula nihil est. In unitate enim erat „populus Israel, & non faciebat miracula: præter unitatem erant Magi Pharaonis, & faciebant similia Moysi.

Et L. de unitate Ecclesiæ c. 19. rem sic prosequitur: *Removeantur*, inquit, *ista vel figmenta menda-* T.9 p.
cium hominum, vel portenta fallacium spirituum. Aut 372.A.
enim non sunt vera quæ dicuntur; aut si hæreticorum aliqua mira facta sunt, magis cavere debemus.... Ex doctrina igitur & verum dijudicatur miraculum, & vicissim ex miraculo vera confirmatur doctrina; nec vitiosus hic circulus est, ista quippe duo sese mutuo demonstrant, si non in diverso causæ genere, saltem in diverso evidentis demonstrationis gradu; miracula etenim evidentiùs statim apparent, ex quibus lucem mutuatur doctrina; hæc verò semel illustrata, miraculis vim & lucem reddit, quam ab ipsis mutuata fuerat.

Hæc circa vim & naturam miraculorum præmittenda nobis erant, priusquam Eucharistiæ & sacrificii altaris veritas, ex miraculis, quæ Deus ad eam confirmandam operatus est, demonstraretur.

Omnia per ætates singulas exempla proferre, consilium & animus nobis non est, quod longioris operæ foret; sed ex omnibus nulla splendidiora delibare.

Tertio sæculo S. Cyprianus tria sui temporis famosa exempla suppeditat.

Primum infantulæ cujusdam, cui, parentibus propter persecutionem fugientibus, paululum panis vino idolis oblato intincti in os infusum est: subinde matri suæ reddita infantula, & ad Ecclesiam, quo tempore S. Cyprianus Sacris operabatur, ducta, ubi Diaconus pretiosum Christi sanguinem pro more ipsi obtulit, tota in gemitus & lachrymas effusa, quod hauserat evomuit. "Præsente ac teste me ipso, *ait S. Cyprianus Tract. de* Pag.175.
„lapsis, accipite quid evenerit .... Ubi solemnibus ad„impletis calicem Diaconus offerre præsentibus cœpit, „& accipientibus cæteris locum ejus advenit, faciem „suam parvula instinctu divinæ majestatis avertere, „calicem recusare. Perstitit tamen Diaconus, & reluctanti licet, de Sacramento calicis infudit. Tunc se„quitur singultus, & vomitus. In corpore atque ore „violato Eucharistia permanere non potuit. sanctifica„tus in Domini sanguine potus de pollutis visceribus „erupit: tanta est potestas Domini, tanta majestas. „Secreta tenebrarum sub ejus luce detecta sunt, Sacer„dotem Dei nec occulta crimina fefellerunt." Tria hic declarat sanctus Doctor. 1. se præsente ac teste, non in angulo quodam, sed publice in Ecclesia, inter Missarum solemnia astante populo, factum illud contigisse. 2. sacram Eucharistiam in corpore sacrificiis idolorum polluto permanere non potuisse. 3. per Eucharistiam detecta fuisse occulta crimina.

Alterum exemplum ibidem refert feminæ cujusdam, quæ in apostasiam delapsa, ad sacram Eucharistiam, se Missam celebrante, furtim accesserat; quæ statim omni respiratione interclusa, palpitans cum summa omnium suorum membrorum commotione in terram cecidit. *Impunitum diu non fuit, nec occultum dissimulatæ conscientiæ crimen*, ait S. Doctor: *quæ fefellerat hominem, Deum sensit ultorem.*

Tertium denique exemplum est alterius mulieris, quæ cum impuris manibus arcam, in qua Eucharistiam

inclusam habebat, aperuisset, statim erompente flamma adeo perterrita fuit, ut accedere propius ausa non fuerit. P. 176. *Cùm*, inquit, S. Martyr *quadam* (mulier) *arcam suam, in qua Domini sanctum fuit, manibus indignis tentasset aperire, igne inde surgente deterrita est, ne auderet attingere.*

Quarto sæculo S. Optatus Milevitanus Lib. 2. contra Donatistas, narrat quam severè inter illos puniti fuerint, qui Eucharistiam canibus objicere non erubuerant. Pag. 59. l. n. 19. *Omnia sacrosancta*, inquit, *suprà memorati vestri Episcopi violarunt. Jusserant Eucharistiam canibus fundi, non sine signo divini judicii: nam iidem canes accensi rabie, ipsos dominos suos, quasi latrones, sancti corporis reos, dente vindice, tanquam ignotos & inimicos laniaverunt.*

S. Ambrosius Lib. de obitu Satyris fratris sui, narrat eum beneficio Eucharistiæ, quam orario involutam collo suo suspenderat, è naufragio, allisa ad scopulum navi, incolumem evasisse. "Ligari fecit in orario, *in-* To. 2. p. 1125. D. „*quit*, & orarium involvit collo, atque ita se dejecit in „in mare, non requirens de navis compage resolutam „tabulam, cui supernatans juvaretur, quoniam fidei „solius arma quæsierat. Itaque his se tectum atque mu„nitum satis credens, alia auxilia non desideravit.... „Nec defecuit spes, nec fefellit opinio. Primus servatus „est ex undis &c.

Eodem sæculo S. Gregorius Nazianzenus, in oratione funebri sororis Gorgoniæ, refert quomodo ex gravissimo morbo sanata illa fuerit miro beneficio Eucharistiæ. "Adversa, *inquit*, corporis valetudine teneba- To. 1. p. 186. B. „tur, graviterque laborabat, eratque insolens quoddam „morbi genus..., malumque illud haud humanum „esse judicabitur. Nec verò medicorum, tum separa„tim, tum etiam inter se de morbo sedulò consultanti„um artes propulsando dolori pares esse poterant; nec „parentum lachrymæ, quæ multùm sæpe valuerant, „nec publicæ preces & supplices orationes, quas, ut pro „sua quisque salute, populus universus faciebat... De„speratis omnibus aliis auxiliis ad mortalium omnium „medicum confugit, atque intempesta nocte captata, „cùm morbus nonnihil remisisset, ad altare cum fide „procumbit.... Cumque caput suum .... altari admo„visset, nec se prius illud dimissuram esse denuntiasset, „quàm sanitatem obtinuisset, ac deinde hoc suo phar„maco corpus totum perfudisset, & si quid uspiam „antityporum pretiosi corporis aut sanguinis manus re„condiderat, id lachrymis admiscuisset (ô rem admi„randam!) statim liberatam se morbo sensit, atque cor„pore & animo & mente levis discessit, pro spei mer„cede, id, quod speraverat, consecuta... Magna quidem „hæc sunt, non tamen falsa.... Hanc rem ne nunc qui„dem evulgassem, nisi timor quidam in animum in„cessisset, si tantum miraculum & fidelibus & infideli„bus, & iis qui non sunt, & posteris occultassem.

Quinti sæculi illustre miraculum refert Sozomenus L. 8. Hist. c. 5. mulieris cujusdam è secta Macedonianorum, quæ simulata ad fidem Catholicam conversione, panem Eucharisticum accipiens occultavit, ejusque loco panem communem à famula sibi clam ministratum cum manducare vellet, sensit subitò in lapidem P. 764. B. C. eum conversum. *Allapso tempore mysteriorum*, ait Historicus, *mulier id quod acceperat, retinens, quasi Deum oratura, caput submisit. Ancilla verò quæ ei adstabat, id quod domo attulerat, clanculum ei tradidit. Quod cùm mulier dentibus admovisset, instar lapidis obduruit. Tùm mulier, verita ne quod sibi gravius eveniret, tanto erga se patrato miraculo, confestim ad Episcopum pergens, seipsam accusavit; simulque lapidem ostendit, qui morsus vestigia retinebat, materia quadam prorsus ignota, & colore insolito præditum.... Quod si cui forte hæc minus credibilia videntur, testis est lapis ipse, qui in thesauro Ecclesiæ Constantinopolitana etiamnum servatur.*

S. Augustinus L. 22. de Civitate Dei cap. 8. domum cujusdam viri Tribunitii à vexatione dæmonum, oblato sacrificio, liberatam fuisse refert. "Vir Tribunitius He- Tom. 7. p. 666. „sperius, *inquit*, qui apud nos est, habet in territorio „Fussalensi fundum, ubi cum afflictione animalium & „servorum suorum domum suam spirituum maligno„rum vim noxiam perpeti comperisset, rogavit nostros, „me absente, Presbyteros, ut aliquis eorum illo perge„ret, cujus orationibus cederent. Perrexit unus, ob„tulit ibi sacrificium corporis Christi, orans quantùm „potuit, ut cessaret illa vexatio. Deo protinus mise„rante cessavit.

Sexto sæculo multa beneficio Eucharistiæ patrata esse miracula passim narrat S. Gregorius Magnus; illud præsertim quod ab Agapito S. Pontifice factum narrat L. 3. Dial, cap. 3. *Post multum temporis*, inquit, To. 2. p. 284. *exigente causa Gothorum, vir quoque beatissimus Agapitus hujus sanctæ Romanæ Ecclesiæ Pontifex, cui Deo dispensante deservio, ad Justinianum Principem accessit. Cui adhuc pergenti, quadam die in Græciarum jam partibus curandus oblatus est mutus & claudus, qui neque ulla verba edere, neque ex terra unquam surgere valebat: Cumque hunc propinqui obtulissent, vir Domini sollicitè requisivit, an curationis illius haberent fidem. Cui dum in virtute Dei, ex auctoritate Petri fixam salutis illius spem habere se dicerent, protinus venerandus vir orationi incubuit, & Missarum solemnia exorsus, sacrificium in conspectu Dei omnipotentis immolavit. Quo peracto, ab altari exiens, claudi manum tenuit, atque assistente & aspiciente populo, eum mox à terra in propriis gressibus erexit. Cumque ei Dominicum corpus in os mitteret, illa diu muta ad loquendum lingua soluta est. Mirati omnes flere præ gaudio cœperunt, eorumque mentes illico metus & reverentia invasit.*

Illustrius est Eucharistiæ miraculum quod refert Nicephorus Histor. Eccles. L. 17. c. 23. quàm ut hic à nobis prætermittatur. Tale verò est. "Anthimo Episco- To. 2. p. 772. „pali throno in Urbe imperiali dejecto, & Menna pro „ipso ab Agathone Papa electo atque consecrato, mi„raculum quoddam Constantinopoli, dignum quod „memoretur, accidit.... Consuetudo à multo tempo„re Imperanti Urbi fuit, ut cum pluscolum de partibus „immaculati divinique corporis Domini & Dei & Ser„vatoris nostri Jesu Christi reliquum esset, Sacerdotes, „pueros incorruptos, ex iis qui ad præceptores in ludum „litterarium eunt, accerscerent, qui jejuni reliquias eas „ederent; quod quidem mihi quoque sæpe numero, „cum puer admodum essem, & maximè à prima æta„te.... contigit. Tale quiddam sub Menna quoque „Patriarcha evenit. Cum pueris ad id delectis, puer quo„que religione Judæi vitro conficiendo vitam tolerao„tis, aggregatus est. Puer is ubi diutiùs ultra solitam „horam moratus domum venit, & causam reditus pa„rentibus diligentius eam inquirentibus, quod scilicet „cum aliis pueris in ædes sacras, divinas partes edisset, „renuntiavit. Pater, re nova audita, furore percitus, „fornacem, ubi vitrum conformabat, succendit, & pue„rum acceptum in eam prunis flamma suffocata can„dentem conjecit, ob tale factum iratus, quamvis filius „sciens nihil admisisset. Porro mater, ubi puerum diu„tiùs non comparentem quæsivisset, & non invenisset, „Urbem omnem circumiit, perquam acerbè plorans at„que lugens, & die tertia ad officinam mariti consi„stens, ingenti planctu seipsam lanians prolixiusque „ingemiscens filium vocavit. Atque ille materna vo„ce agnita, responsum è furno reddidit. Tum mater, „ostio furni fracto, cum miraculo maximo in mediis „prunis puerum stantem vidit, ita prorsus incolumem, „ut ne capillum quidem flamma lædere potuerit. Et „ubi causam incolumitatis quæsivit, mulierem quam„dam illustrem purpurea amictam stola frequentius ad

eum

„euro veniſſe, aquam ſibi infudiſſe, & flammam, ee „appropinquantem extinxiſſe, cibum etiam, cùm eluriſſet, præbuiſſe, dixit. Hæc poſtquam Juſtinianus cognovit, puerum cum matre divino regenerationis lavecro adhibuit, Deoque dicavit: patrem autem, qui „Chriſtianorum ſacra ſuſcipere non ſuſtinuit, veluti „parricidam in crucem egit.

Sed ut ad poſteriora tempora veniam, etiam poſt Wiclefum qui Berengarii hæreſim renovavit, narret Thomas Valdenſis T. 2. de Sacr. c. 63. ſe præſente in Eccleſia S. Pauli Londini, Wiclefiſtam quemdam ab ipſo Epiſcopo Cantuarienſi juſſum eſſe Chriſti præſentiam confiteri, & adorare Euchariſtiam; hunc, cum facere nollet, reſpondiſſe, *araneam digniorem eſſe venerationem*; ac confeſtim horribilem & ingentis magnitudinis araneam ex ſommo Templi tecto cecidiſſe in os blaſphemi, vixque eam multorum manibus prohiberi potuiſſe, quominus ed linguam & fauces uſque penetteret.

Plura ex aliis ætatibus exempla proferre ſuperfluum eſt: ſi enim quæ ex ſex purioribus Eccleſiæ ſæculis, vel ipſo Novatorum judicio, hauſta ſunt, non ſufficiunt, neſcio quæ ſufficere ipſis poſſint. Legatur Opus Coloniæ editum anno 1584. apud Maternum Cholinum, auctore Guilelmo De Genth cujus inſcriptio eſt, *Exempla illuſtrium miraculorum circa ſacram Euchariſtiam.*

Quæres 1. an Chriſtus aliquando appareat in ſacrificio Miſſæ ſub forma carnis, aut ſanguinis, aut pueri.

Reſp. Multos, & quidem graves auctores, id aliquando contigiſſe, referre. Ita Paſchaſius in Libro de corpore & ſanguine Domini c. 40. Guitmundus L. 3. de eodem argumento; Algerus, de Sacramento corporis Chriſti adversùs Berengarium cap. 13. Amphilochius in vita S. Baſilii, ubi refert quemdam Hebræum ſolitum fuiſſe videre infantem dari manducandum communicantibus; Petrus Damiani Opuſculo 34. Famoſum exemplum eſt apparitionis Chriſti in hoſtia ſub forma elegantis pueri, quo tempore unus Presbyter ſacris peragendis operam dabat in ſacroſancta Capella Regii Palatii Pariſienſis. Prodigium iſtud ut videret invitatus S. Ludovicus, reſpondit Rex Auguſtus, & piue, *ſibi, ut credat in Euchariſtia Chriſtum adeſſe, non eſſe opus, ut illum corporeis oculis intueretur.* Denique ut alia benè multa hujuſcemodi prætermittam, celebre eſt exemplum quod contigit Pariſiis in Eccleſia S. Joannis à gravia anno 1290. hoſtiæ à Judæo percuſſæ, ex qua effluxit ſanguis. Hiſtoriam hanc adornavit ac notis eruditis illuſtravit Doctiſſimus Pater Theodoricus à S. Renato Carmelita vulgò des Billettes.

Quæres 2. quot modis fieri & explicari poſſunt illæ apparitiones?

Reſp. Tribus modis, 1. virtute divine. 2. per illuſionem dæmonum. 3. ex vehementi imaginatione, vel læſione & debilitate phantaſiæ: quapropter opus eſt diſcretione ſpirituum ed diſcernendum, eo fiant hoc vel illo modo. Hæc autem regula ſervanda eſt. Quando è Deo fiunt, potiſſimum fieri ſolent in ſignum & confirmationem præſentiæ realis Chriſti in Euchariſtia. Quod ſi fiant ob alium finem, res diligenter examinanda eſt: maximè autem ſuſpecta eſſe debet apparitio quæ fit mulierculis.

S. Thomas 3. p. q. 76. art. 8. & alii Theologi paſſim obſervant, hujusmodi apparitiones duobus modis à Deo fieri poſſe. Primo, facta immutatione ex parte videntium; ut quando quis putat ſe videre puerum aut carnem in Euchariſtia, & tamen ex parte rei nulla fit immutatio. Secundò, facta immutatione ex parte Euchariſtiæ, ut quando revera apparet ſpecies pueri vel carnis in Euchariſtia. Porrò ad diſcernendum, an mutatio fiat ex parte videntium, aut ex parte Euchariſtiæ duplex ſignum affert S. Thomas. Unum eſt: ſi eodem tempore, uni aut alteri apparet forma pueri, & aliis forma hoſtiæ, mutatio ſit ea parte tantùm videntium, & non ex parte Euchariſtiæ; ſi enim fieret ex parte Euchariſtiæ, jam ab omnibus æqualiter perciperetur, & non ab uno vel altero tantum; niſi poſito novo miraculo, quod non ita facilè debet admitti. Alterum, ſi apparitio carnis aut pueri duret brevi tempore, & ſtatim iterum appareat hoſtia, ſicut antea apparuerat; tunc enim mutatio etiam ſe tenet ex parte videntium, non ex parte Sacramenti.

Dices. Nulla apparitio, quæ decipiat, à Deo eſſe poteſt, qui neminem fallere poteſt & in errorem inducere: atqui apparitiones, quæ ſunt ex parte videntium, nulla facta mutatione ea parte rei ſeu Euchariſtiæ, fallunt ac decipiunt, quia meræ ſunt illuſiones ſenſuum; ergo à Deo fieri non poſſunt.

Reſp. ex fine æſtimandum eſſe an illæ apparitiones deceptoriæ ſint, nec ne. Si fiant per præſtigias & illuſiones dæmonum ad homines decipiendos, ſine dubio deceptoriæ ſunt: ſi verò fiant à Deo ad manifeſtandam veritatem Euchariſtiæ, vel ad ſimilem finem, (ut factum eſt in Diſcipulis euntibus in Emaus, quibus apparuit Chriſtus ſub ſpecie hominis peregrini) non ſunt deceptoriæ, ſed myſterium aliquod includunt ac denotant. Huc ſpectat quod docet S. Auguſtinus Lib. 2. quæſtion. Evangelic. quæſtione 51. *Non omne quod fingimus*, inquit, *mendacium eſt; ſed quando id fingimus quod nihil ſignificat, tunc eſt mendacium. Cùm autem fictio noſtra refertur ad aliquam ſignificationem, non eſt mendacium, ſed aliqua figura veritatis; alioquin omnia quæ à ſapientibus & ſanctis viris, vel etiam ab ipſo Domino figurate dicta ſunt, mendacia deputabuntur, quia ſecundum uſitatum intellectum non ſubſiſtit veritas talibus dictis.* Ita nodum ſolvit S. Thomas 3. p. q. 76. art. 8. in corpore. *Nec hoc tamen*, ait, *pertinet ad aliquam deceptionem, quia talis ſpecies divinitus formatur in oculo ad aliquam veritatem figurandam; ad hoc ſcilicet, quod manifeſtetur corpus Chriſti eſſe ſub hoc Sacramento.* Ibidem q. 82. art. 4. ad 3. ſolvit iſtam difficultatem, quid nempe agere Sacerdos debeat, ſi contingat carnem, aut ſanguinem vel puerum in hoſtia apparere, quo tempore celebrat; an ſumere hoſtiam debeat, vel non. *Dicendum*, inquit, *quod ſi miraculosè corpus Chriſti in altari ſub ſpecie carnis appareat, aut ſanguis ſub ſpecie ſanguinis, non eſt ſumendum: nec propter hoc Sacerdos tranſgreſſor efficitur, quia ea quæ miraculosè fiunt, legibus non ſubduntur.* Conſulendum tamen eſſet Sacerdoti, quod iteratò corpus & ſanguinem Domini conſecraret & ſumeret. Tr. 3. p. 2. p. 274.

Quæres 3. an in illis apparitionibus quæ à Deo fiunt, facta immutatione ex parte Euchariſtiæ, videatur vera caro aut ſanguis; an tantum externa ſpecies carnis aut ſanguinis.

Reſp. Diſcordes hic eſſe Theologos. S. Thomas & multi cum ipſo, exiſtimant ſolam videri ſpeciem externam carnis & ſanguinis, non ipſam carnem & ſanguinem; quia ipſis indecens videtur, ut caro & ſanguis Chriſti diutiùs aſſerventur: porrò quod apparet, diutius aliquando perſeverat & aſſervatur. Alii è contra cum Alexandro Alenſi, Gabriele &c. aſſerunt nonnullis in Eccleſiis adhuc aſſervari portionem carnis quæ in hoſtia viſa fuerat.

Solvuntur Objectiones Novatorum adverſùs veritatem ſacrificii.

Objicies 1. Ex Apoſtolo Hebr. 10. v. 15. *Una oblatione conſummavit* (Chriſtus) *in ſempiternum ſanctificatos.* Ergo, concludunt Novatores, non aliud eſt in Lege nove ſacrificium, quàm quod Chriſtus in ara crucis ſemel obtulit; ex qua unitate ſacrificii, ejus præ-

stantiam supra cætera Mosaica, quæ sæpius iterabantur, infert idem Apostolus ibidem v. 12. *Omnis quidem Sacerdos*, inquit, *præsto est quotidie ministrans, & easdem sæpe offerens hostias, quæ nunquam possunt auferre peccata: hic autem unam pro peccatis offerens hostiam, in sempiternum sedet in dextera Dei.* Et cap. 9. v. 11. dixerat, *Christus assistens Pontifex futurorum bonorum, per amplius & perfectius tabernaculum non manufactum, idest non hujus creationis, neque per sanguinem hircorum aut vitulorum, sed per proprium sanguinem introivit semel in sancta, æterna redemptione inventa.* Ergo unicum est crucis sacrificium, nec potest, nisi derogando ejus virtuti & efficaciæ, aliud admitti.

Resp. dist. ant. Una oblatione consummavit Christus sanctificatos, quantùm ad solutionem pretii redemptionis nostræ, ac plenam pro peccatis nostris satisfactionem, concedo: quantùm ad applicationem fructus Passionis & meritorum Christi, iterum dist. una oblatione, quantum ad substantiam, concedo; una quantum ad modum offerendi, nego. Itaque per unicum sacrificium crucis Christus omne redemptionis nostræ pretium abundè solvit, nec alio ad id opus est sacrificio: sacrificium quippe Missæ idem omnino est quoad substantiam cum sacrificio crucis, quia idem est utrobique Sacerdos, eadem hostia, Christus; ac differt tantum quoad modum offerendi: neque offertur in supplementum aut defectum sacrificii crucis, absit; sed tantum ut applicetur nobis illius fructus.

Tom. 14. Conc. p. 853. D. *Una est eademque hostia*, inquit Conc. Trid. Sess. 22. c. 2. *idem nunc offerens Sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in cruce obtulit, sola offerendi ratione diversa; cujus quidem oblationis cruentæ fructus per hanc* (incruentam) *uberrime percipiuntur; tantum abest, ut illi per hanc quovis modo derogetur.* Atque hoc sensu necesse non fuit ut Christus sæpius offerretur ad mortem, una enim oblatione mortis consummavit omnia.

Instabis: In cruce perfecta fuit omnium peccatorum abolitio ac remissio; *Ubi autem horum remissio*, ait Apostolus Hebr. 10. v. 18. *jam non est oblatio pro peccato.*

Resp. Pariter dist. ant. perfecta fuit peccatorum abolitio, quoad solutionem pretii redemptionis nostræ, concedo; quoad applicationem fructus sacrificii crucis, nego. Distinguo pariter conseq. non est oblatio novi quoad substantiam sacrificii, concedo: novi quantum ad modum offerendi, nego. Solutio patet ex verbis Concilii Trid. mox relatis: sacrificium quippe Missæ idem est quantùm ad substantiam cum sacrificio crucis, cujus fructus nobis Deus applicare seu communicare voluit mediante sacrificio altaris, quod idcirco propitiatorium est, ac dicitur. Quo sensu de Christo dicit Apostolus Hebr. 7. v. 25. *semper vivens ad interpellandum pro nobis*, non quidem ut iterum se offerat cruento modo, Christus enim semel mortuus non moritur amplius; sed ut sacrificium crucis semel oblatum, intercedendo pro nobis, Deo exhibeat, ejusque fructus nobis communicet.

Objicies 2. Christus est Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech; ergo unus & solus est Sacerdos; ergo nullos habet Sacerdotes successores, ergo jam in Ecclesia nulli sunt Sacerdotes; ac consequenter nullum sacrificium, præter illud cruentum quod Christus obtulit in cruce.

Resp. 1. cum Christus Sacerdos sit in æternum secundum ordinem Melchisedech, necesse est sacrificium offerat simile illi quod obtulit Melchisedech; alioqui similitudo non servaretur: atqui sacrificium illud quod obtulit Melchisedech in pane & vino fuit, non in sanguine, ergo sacrificium perenne quod in Ecclesia quotidie offertur, est corpus ipsum & sanguis Christi, quæ sub speciebus panis & vini continentur.

Resp. 2. Christum in sacerdotio successores non habere, sed tantum ministros & vicarios qui in ejus corporali absentia offerunt visibile sacrificium; imo hac ratione Christus dicitur Sacerdos in æternum, quia semper per suos ministros offert sacrificium; *Una enim eademque est hostia*, inquit Conc. Trid. jam sæpius laudatum, *idem nunc offerens Sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in cruce obtulit sola offerendi ratione diversa.* Sess. 22. cap. 2. *Pro Christo legatione fungimur*, inquit Apost. 2. Cor. 5. v. 20. *tanquam Deo exhortante per nos.*

Instabis: Apostolus Hebr. 7. v. 23. absolutè excludit omnem Sacerdotum multiplicationem. *Alii quidem plures* [in veteri Testamento] *facti sunt Sacerdotes* inquit, *idcirco quod morte prohiberentur permanere; hic autem* [Christus] *eo quod maneat in æternum, sempiternum habet sacerdotium.*

Resp. dist. ant. excludit omnem Sacerdotum multiplicationem, in eadem dignitate, potestate ac suprema excellentia, concedo: in ministerio ac delegatione, nego. In veteri Lege, ob mortem Aaronis, successit illi in eadem dignitate & potestate Eleazarus, Eleazaro Phinees, & sic de aliis; quod si Aaron mortuus non fuisset, nullus ei successisset; tamen vivente etiam Aarone multi erant inferiores Sacerdotes: Christo autem, qui amplius non moritur, nemo succedit in eadem dignitate & potestate; ipso tamen vivente multi inferiores ordinantur, qui sunt ejus vicarii & administri.

Objicies 3. cum Calvino L. 4. Instit. cap. 18. Sacrificium Missæ derogat virtuti & efficaciæ sacrificii crucis: namque sacrificium crucis vim & efficaciam habet infinitam: ergo non egemus alio sacrificio. Neque est quod dicas. 1. sacrificium Missæ idem esse quoad substantiam cum sacrificio crucis: namque si sacrificium crucis verè habet vim infinitam & æternam, non solum non egemus alio sacrificio, sed neque alia repetitione ejusdem sacrificii. 2. Non est etiam quod dicas, repetitionem ejusdem sacrificii necessariam esse, ut applicetur singulis virtus primæ oblationis sacrificii crucis: namque ad hanc applicationem satis esse possunt media à Christo Domino instituta, prædicatio scilicet verbi, & sacræ Cœnæ administratio.

Resp. nego ant. Ad probationem, fatemur ultro sacrificium crucis vim infinitam & æternam habere, unde rectè concluditur, opus non esse alio sacrificio crucis, aut ejusdem sacrificii crucis repetitione; idest, opus non esse, ut alius Christus moriatur pro nobis, aut ut idem Christus sæpius moriatur, quasi unica ipsius cruenta oblatio non sufficeret expiandis omnium hominum peccatis; aut incruenta, quæ in Missa fit, ejusdem hostiæ Christi oblatio, foret in supplementum vel defectum sacrificii Christi. Hæc quidem ad invidiam nobis imponunt Novatores, à quibus toti abhorremus; verùm malè omnino inferunt illi ex infinita sacrificii crucis virtute, non posse sine injuria illius incruentum offerri sacrificium, 1. quia unum & idem est substantia sacrificium, cum unus & idem sit utrobique Christus, Sacerdos & hostia: quomodo igitur sacrificium Missæ derogaret virtuti sacrificii crucis, à quo vim omnem suam mutuatur & trahit? 2. Si ea infinita virtute sacrificii Christi meritò inferri posset cum Calvino, superfluum esse ac inutile sacrificium altaris ad applicandum nobis fructum passionis & mortis Christi, quandoquidem alia suppetunt ad hanc applicationem media; quare, quæso, Novatores & baptisant, & Cœnam celebrant? Nonne infinita virtus sacrificii crucis ipsis sufficit? Nonne ipsimet sic agendo virtuti hujus sacrificii derogant? Si Christus unus doctor, est pastor animarum ac magister, cur ipsi prædicant, docent, ac magistri & pastoris munia obeunt? an derogant Christo supremo animorum doctori & pastori? haud dubiè non fatebuntur. Eadem igitur de causa, cum Christus nunc per se visibiliter

bilitet & humano more in terris Sacerdotem non agat nec sacrificet; non repugnat unitati & æternitati sacerdotii ejus, ut habeat in terris Sacerdotes ministros & vicarios, per quos id faciat: imò, ut suprà dictum est, non potest Christus alia ratione verè dici Sacerdos in æternum, nisi per ministros sacrificet; certum quippe est illum per se visibiliter ac propriè non sacrificare. Nec refert quòd alia sint media ordinata ad applicandum nobis fructum sacrificii crucis: namque sacrificium altaris inter ista præcipuum est ac præstantius medium, cujus virtus, etsi in se infinita sit, finito tamen modo nobis communicatur, unde sæpius repetitur.

Objicies 4. Eucharistia est Sacramentum; ergo non potest esse sacrificium: hæc enim duo pugnant inter se.

Resp. dist. ant. Non potest esse sacrificium, sub eodem formali respectu quo Sacramentum est, concedo: sub alio respectu, nego. Eucharistia, ut Sacramentum, primariò ac directè tendit & ordinatur ad sanctificationem hominis efficiendam; quatenus verò est sacrificium, offertur Deo primariò ac directè ad supremum ejus in tes omnes creatas dominium recognoscendum, indirectè ac secundariò ad impetranda uberiora gratiæ auxilia, quæ, sicut & peccatorum remissio, nobis per sacrificium Missæ propitiatorium conceduntur; non tamen, sicut falsò imponunt Novatores, sine essentiali ordine ad sacrificium crucis.

Instabis cum Calvino. Singulæ Missæ novam peccatorum remissionem, novam justitiæ acquisitionem promittunt; ergo tot sunt nova sacrificia, quot Missæ.

Resp. dist. ant. novam promittunt peccatorum remissionem, novamque justitiæ acquisitionem, respectu subjecti cui promittunt; nova quippe illius respectu dici potest, qui eam antea non habebat, concedo: respectu sacrificii crucis, nego. Non enim nova est, quæ per sacrificium crucis parta fuit; ut enim sæpius diximus, sacrificium Missæ idem est quoad substantiam cum sacrificio crucis, & illius fructum nobis applicat.

Objicies 5. In sacrificio rei viventis requiritur occisio seu mactatio victimæ: atqui in sacrificio Missæ, in quo, juxta nos, Christus offertur Deo, nulla intervenit occisio seu mactatio victimæ; ergo sacrificium Missæ verum non est ac propriè dictum sacrificium.

Resp. dist. maj. in sacrificio cruento rei viventis, quæ in forma rei viventis offertur, requiritur victimæ occisio, concedo: in sacrificio incruento rei, quæ non offertur ut vivens, sed in forma seu statu quodam mortis, requiritur victimæ occisio; adhuc distinguo: occisio mystica, concedo: occisio vera, physica & cruenta, nego. Christus in Eucharistia offertur quidem vivens, quantùm ad repræsentationem, ubi solum requiritur mors repræsentata, non mors ipsa; sed ut est sacrificium reale ac propriè dictum, offertur quasi in statu quodam mortis sub speciebus panis & vini, quæ seorsim separatæ repræsentant separationem animæ à corpore Christi tempore mortis; uno verbo talis est mactatio hostiæ, quale sacrificium: Missæ autem sacrificium cruentum non est, tametsi reale, verum ac propriè dictum, sed incruentum, mysticum ac spirituale; ergo victimæ occisio non est cruenta nec physica, sed incruenta, mystica & spiritualis, quæ consistit in separatione specierum, & manducatione corporis Christi sub illis contenti.

Objicies denique cum Luthérano: Christus in ultima Cœna legitur in mensa sedisse, & Sacramentum Discipulis distribuisse; non autem illud Patri obtulisse.

Resp. reipsâ quidem Apostolos disertè non asseruisse Christum seipsum in ultima Cœna Deo Patri obtulisse; verum communis hæc est SS. Patrum ac Theologorum sententia, de qua multùm quidem disputatum fuisse in Concilio Tridentino, suprà observavimus, divisis primum hanc & inde Theologis, ac tandem ad concordiam, & unitatem sententiæ revocatis, quam doctrinam atque sententiam insinuat Concilium Tridentinum Sess. 22. cap. 1. his verbis. *Christus Sacerdotem secundùm ordinem Melchisedech se in æternum constitutum declarans, corpus & sanguinem suum sub speciebus panis & vini obtulit; ac sub earundem rerum symbolis, Apostolis, quos tunc novi Testamenti Sacerdotes constituebat, ut sumerent, tradidit, & eisdem, eorumque successoribus, ut offerrent præcepit per hæc verba.* Hoc facite in meam commemorationem. Tom. 14. Conc. p. 853. A. Atqui Sacerdotes verum ac propriè dictum offerunt sacrificium; ergo Christus, qui jussit Sacerdotibus ut facerent in sui commemorationem, quod ipse prior fecerat, offerendo corpus suum & sanguinem sub speciebus panis & vini, seipsum in sacrificium Deo Patri obtulit.

ARTICULUS II.

De natura seu essentia sacrificii; in quo præcisè reponenda sit.

Duplex est præsentis controversiæ caput, unum quod fidem ac dogma Ecclesiæ, alterum quod Scholæ dissidium, variasque dumtaxat spectat Theologorum circa naturam sacrificii opiniones.

De utroque separatim dicendum: rem verò hic præsertim habemus cum Anglis Episcopis, & eorum apologista *Francisco le Courayer* Canonico Regulari S. Genovefæ Parisiis, qui contendunt, totam sacrificii nostri essentiam & naturam in una & sola commemoratione ac repræsentatione sacrificii crucis collocandam esse; ita ut, etiamsi præsens realiter non adesset Christus in Eucharistia, nihilominus sacrificium Missæ æquè commemorativum ac repræsentativum foret passionis ac mortis Christi, ac verum sacrificium. Unde concludit ille, quod etsi Angeli præsentiam realem Christi in Eucharistia negarent, verum nihilominus haberent sacrificium, ob eam scilicet mortis commemorationem quam in Cœna celebrant.

Utrum tota sacrificii Missæ natura reponenda sit in mera commemoratione ac repræsentatione sacrificii crucis.

Jam Articulo præcedenti observavimus, incruentum Missæ sacrificium offerri Deo in memoriam passionis & mortis Christi. *Hoc facite in meam commemorationem*; adeoque necessario commemorativum Luc. 22. v. 19. illud esse ac repræsentativum sacrificii crucis. Nec verò illud est quod in Novatoribus nostris reprehendimus; sed quod solam illam commemorationem, quæ motivum dumtaxat est, vel finis nostri sacrificii, velut totam sacrificii naturam & essentiam habebant. Verum esto, (neque enim de verbis hic morosiùs contendimus) esto, inquam, velint commemorationem passionis & mortis Christi pertinere ad essentiam sacrificii Missæ; non repugnabimus: at id etiam nobis concedant, non eam solam, sed etiam oblationem Christi realiter præsentis necessariam omnino esse: id si concesserint, nulla supererit ea de re inter nos controversia. At quàm longè ab ea sententia aliena sit Ecclesia Anglicana, demonstrat ejus publica & solemnis fidei Professio, quam Articulo primo exposuimus. Frustra in contrarium nobis opponerentur nonnullorum privatorum, qua veterum, qua recentiorum Anglorum testimonia: non enim ex privatorum nonnullorum sententia, sed ex publicis

blicis ac consensu totius Gentis firmatis fidei Declarationibus seu Professionibus æstimari ac dijudicari debet, quæ sit Gentis illius doctrina & sententia. Imo & ex ipsomet Anglorum apologista P. le Courayer apertissimè constat, communem hunc ipsi cum Anglis errorem esse, sacrificium Evangelicum in una & sola consistere commemoratione ac repræsentatione sacrificii crucis, etiam non supposita reali Christi in Eucharistia præsentia: sacrificii quippe idea, juxta illum, non ex præsentia reali, sed ex oblatione dumtaxat mortis Christi repeti debere, centies repetit Auctor in Defensione suæ Dissertationis.

Tomo 2. Defensionis parte 1. cap. 4. pag. 160. *Nos Theologiens*, ait Auctor, *reconnoissent que la doctrine du Sacrifice n'est point fondée sur le dogme de la transsubstantiation.... Il s'ensuit donc, qu'on peut comme les Anglois, rejetter la transsubstantiation; & reconnoitre cependant le sacrifice dans la celebration de l'Eucharistie: il y a plus de difficulté sur l'article de la presence reelle. Plusieurs ne font de ces deux dogmes qu'un seul, & confondent la presence de Jesus Christ & sa reception, avec l'offrande de son sang & la representation de sa mort & de sa passion: Mais quoique l'un & l'autre se trouvent ensemble, il paroit cependant par toute l'Antiquité, que ce n'est que sous ce second rapport, & non sous le premier que l'on a donné à l'Eucharistie le nom de Sacrifice.*

P. 161. Pag. 162. *Si la reconnoissance du sacrifice de J. C. n'est fondée que sur l'offrande de sa mort representée par la consecration des symboles, il s'ensuit que les Anglois, qui admettent, comme nous, cette offrande & cette representation, & qui l'ont toujours admise, pourroient reconnoitre le meme sacrifice que nous dans la celebration de l'Eucharistie; quand bien meme ils rejetteroient la realité de la presence....* Ibid. *La controverse que nous avons avec les Anglois sur le Sacrifice, n'est qu'une dispute de nom.*

Chapitre 5. page 188. & 189. *L'offrande de la mort etant tout ce qu'il y a de reel dans le Sacrifice, cette offrande est aussi reelle sans aucune presence physique du corps, comme avec cette presence: parce que la mort de J. C. ne se trouve pas moins reellement offerte dans la supposition d'une absence physique, que de la presence, & l'objet etant aussi reel, le Sacrifice subsiste egalement avec les deux opinions.*

Dixerat idem Auctor cap. 4. pag. 148. "Les Peres, „non plus que le Concile de Trente, n'enseignent point „que ce Sacrifice soit la representation de J. C. present, „mais celle de son immolation & de sa mort..... Si le „Concile ajoute que ce Sacrifice n'est point une com„memoration toute nue, ce n'est point pour etablir l' „essence du Sacrifice sur la presence reelle de J. C. c'est „pour marquer qu'il ne s'agit pas ici d'un simple rap„pel de la mort de J. C. à notre souvenir, afin qu'en fa„veur de ce qu'il a souffert, il ait pitie de nous.

Pag. 151. "Que le sacerdoce de l'Eglise se tire de ce „que J. C est immolé dans l'Eucharistie, c'est une ex„pression fausse, & une imagination bizarre, qui ne „vient que d'un faux rafinement de Scholastique.

Pag. 157. "Le Sacrifice n'est que la representation „d'un autre.

Pag. 192. "Nous reconnoissons avec toute l' Anti„quité un Sacrifice dans la celebration des saints my„steres, mais ce sacrifice est representatif & commemo„ratif, parce que la mort n'y intervient que par repre„sentation, que le sang n'y est repandu qu'en mystere, „que l'immolation qui en fait l'essence, n'est que fi„gurative, & que l'agneau n'y est sacrifié qu'en fi„gure.

Pag. 195. "Il s'ensuit que nous avons un Sacrifice, „mais que ce Sacrifice n'est que figuratif & commemo„ratif, quoique propre, parce que la mort & l' immo„lation qui font l'essence de ce Sacrifice, ne sont que „figurées & representées.

Ibid. pag. 193. *Avoir prouvé que l'idée du Sacrifice dans l'Eucharistie, ne se tire que de l'offrande, du souvenir & de la representation de la mort de J. C. c'est avoir prouvé en meme tems, que cette idée est independante de sa presence.*

Multò plura ex eodem Scriptore testimonia protulere Præsules Gallicani in sua contra mox expositam doctrinam Censura lata die 22. Aug. an. 1727.

Dissimulandum non est, visum fuisse dictum P. le Courayer ad meliorem rediisse sententiam, & quæ mox relata fuere, revocasse in Epistola quam ad Eminentiss. Card. Archiepiscopum Parisiensem Noallium scripsit die 11. Martii an. 1727. In ea sic loquitur.

I. "Je reconnois avec toute l' Antiquité, que non „seulement il y a un veritable Sacrifice dans l' Eucha„ristie, mais encore que J. C. reellement present, y est „offert sous les symboles de mort, & que s'il n'y etoit „pas reellement present, ce ne seroit plus le sacrifice „de nos Autels. — Catholica P. le Courayer declaratio.

II. "J'ai toujours reconnu aprés le Concile de Tren„te, que ce Sacrifice etoit un sacrifice propre; je n'ai ja„mais fait de difficulté de me servir de cette expression; „& lors meme que j'ai disculpé d'erreur ceux qui refu„soient de l' admettre, parce qu'ils y attachoient un „autre sens que nous, j'ai toujours condamné leur op„position & leur desobeissance.

III. "Je suis tres persuadé que dans l' oblation de l' „Eucharistie, l' offrande de la mort de J. C. n'est point „separée de l' offrande J. C. meme reellement present, „& que cette oblation sert à nous appliquer le merite „du sacrifice de la Croix.

Catholica profectò est ista fidei declaratio, si attendantur verba: verum, proh dolor! quàm simulata, dolosa & fallax, si ad mentem & rationem agendi Auctoris! Nihil in ipso candoris ac rectæ fidei, cum hæc scriberet, fuisse, apertè demonstrat præceps ac clancularia ipsius apud Anglos fuga & defectio. Verùm his præmissis, ad probationem catholici dogmatis accedendum.

CONCLUSIO.

Sacrificium Missæ non in sola reponi debet mortis Christi commemoratione ac repræsentatione, sed in oblatione incruenta & mystica Christi realiter præsentis sub speciebus panis & vini.

Removenda statim est æquivocatio nominis, qua Novatores veritatem sacrificii nostri obscurare & extenuare conantur. — Removetur æquivocatio nominis.

Sacrificium altaris reale est, verum, ac propriè dictum. 1. *reale*; realitate scilicet hostiæ præsentis, ut excludatur mera & sola figura ac repræsentatio: Novatores autem, cum illud *reale* appellant, fraudenter realitatem intelligunt figuræ ac repræsentationis, non realitatem præsentiæ corporis Christi. 2. *verum* est, non fictum, non metaphoricum, sed *verum*, ex vera scilicet & reali Christi præsentia: Novatores contra *verum* appellant, propter veritatem figuræ ac repræsentationis. 3. est *propriè dictum*, ex oblatione vera & propriè dicta hostiæ præsentis: Novatores econtra, propriè dictum appellant, tum propter veram & propriè dictam commemorationem ac repræsentationem sacrificii crucis; tum propter effectus, seu applicationem meritorum passionis & mortis Christi, ex tali commemoratione profluentem. Est igitur illud fixum ac ratum apud omnes Orthodoxos, Missæ sacrificium reale, verum, ac propriè dictum appellari & esse, quia talem, veram, ac propriè dictam continet Christi præsentis oblationem; ita ut præsentia illa Christi realis & substantialis unicum sit sacrificii nostri

nostri principium ac fundamentum, qua sublata, verum ac proprie dictum non esset sacrificium.

Altera æquivocatio latet in nomine substantiæ. Profitentur Novatores, Calvinus ipse, se in Eucharistia percipere *substantiam* corporis Christi: at substantiam intelligunt *spiritualem*, modo spirituali per fidem sumptam; non vero substantiam corpoream Christi, qui verum ac substantiale corpus, quale ex B. Virgine natum est, & cruci affixum, gestat in Eucharistia; tametsi modo corporeo ibi non existat, sed sacramentali, qui nec mente intelligi potest, nec verbis exprimi.

In cap. 26. S. Matth. Conc. Trid. Sess. 13. cap. 1. Memoire justificatif pour l'Auteur de la Dissertation. 2. par du T. 1. de la Defense p. 192.

Denique putida fraus est F. le Courayer, qui ut erroris accusationem declinet, ait se non alio sensu sacrificium appellasse repræsentativum, quam ut aliam realem & cruentam Christi oblationem excluderet, non vero simpliciter oblationem Christi, quæ Deo fit in celebrationem Missæ. Frigida profecto æquivocatio: namque certo constat dictum Scriptorem non aliam in Missa oblationem agnoscere, quam mortis Christi in ara crucis peractæ; quæ quidem, ipsomet fatente, renovari non potest, quæ neque præsens est, neque quatenus præsens offerri potest; & cujus consequenter oblatio realis & vera esse non potest, quandoquidem realis oblatio necessario exigit victimam præsentem.

Probatur itaque Conclusio.

I. iis omnibus argumentis quibus Articulo superiori probatum est, verum in Religione Christi admitti debere sacrificium: si verum, ergo non est simplex ac nuda figura sacrificii, figura etenim ac typus sacrificii, non est sacrificium, aut saltem simul & sacrificium est, & figura sacrificii sub diverso respectu. sic v. g. vetera sacrificia, & vera erant in se, & nostri sacrificii figuræ. pariter sacrificium Missæ incruentum, verum est ac idem quoad substantiam cum sacrificio crucis, cujus tamen figura est ac commemoratio; quæ duo inter se non pugnant, propter diversum oblationis modum, cruentum in cruce, incruentum in altari. Duo hæc simul conjungit S. Augustinus L. 20. contra Faustum, c. 18. *Jam Christiani*, ait, *peracti ejusdem sacrificii memoriam celebrant, sacrosancta oblatione & participatione corporis & sanguinis Christi.*

Tom. 8. p. 345. E.

II. Probatur ex Concilii Tridentino Sess. 22. quæ est de sacrificio Missæ, ubi veritatem sacrificii nostri ex duobus capitibus solide ac nitide demonstrat. 1. ex oblatione quam Christus sui corporis & sanguinis fecit in ultima Cœna. 2. ex reali præsentia Christi in Eucharistia, & unitate substantiali sacrificii, tum incruenti in Missa, tum cruenti in ara crucis.

I. docet Concilium c. 1. „Christum Sacerdotem secundum ordinem Melchisedech in æternum constitutum, corpus & sanguinem suum sub speciebus panis & „vini Deo Patri obtulisse; ac sub earumdem rerum symbolis, Apostolis, quos tunc novi Testamenti Sacerdotes „constituebat, ut sumerent, tradidit; & eisdem, eorumque in sacerdotio successoribus, ut offerrent præcepit „per hæc verba," Hoc facite in meam commemorationem, *ut semper Catholica Ecclesia intellexit & docuit.* Sicut igitur Christus vere, realiter ac proprie corpus & sanguinem suum sub speciebus panis & vini Deo Patri obtulit, non figurate tantum ac repræsentative, ita & Sacerdotes, quibus jussit ut idem in suam commemorationem facerent, vere ac proprie, non in figura tantum ac repræsentatione, corpus & sanguinem Christi Deo Patri offerunt; oblatio porro hæc verum est sacrificium.

Tom. 14. Conc. p. 855. A.

Verum, inquit F. le Courayer, Defensionis Tom. 2. parte 1, L. 4. c. 5. p. 102. & sequentibus, non obstante articulo realis Christi præsentiæ, qui Sess. 13. assertus ac definitus fuerat, dubitatum est ac diu in Concilio Tridentino controversum, an Christus in Eucharistia seipsum in sacrificium obtulisset; ac refert quattuor diversas in hanc rem Theologorum sententias, quas exponit Pallavicinus L. 18. Hist. Conc. Trid. c. 2. Verum imponit dictus Auctor: non enim proprie dubium fuit, an Christus se in Cœna obtulerit Patri in sacrificium; sed an sacrificium illud propitiatorium fuerit, sicut contendebant auctores primæ sententiæ. Istud intelligere facile potuisset dictus Scriptor, si ad tertiam, quam ipse profert, Theologorum Concilii sententiam, attendisset. *Tertia classis ponendum censebat*, ait Pallavicinus, *Christum se Patri obtulisse in Cœna:* (en sacrificium) *sed minime dicendum, hac vel illa ratione id peractum.* Et c. 5. n. 5. idem Historicus ait: „De Christi oblatione selecti „Patres ea digesserant, quæ communius probabantur, „omissis litigiosis, dicentes, sicuti nunc habetur, Redemptorem in Cœna se obtulisse in sacrificium Patri „sub specie panis & vini, sed quo genere sacrificii, haud „exprimebatur." Non tam igitur de existentia sacrificii, quod Christus in Cœna obtulit, disputatum est, quam de natura illius, an propitiatorium fuerit an, mere eucharisticum, ut videbatur auctoribus secundæ sententiæ. Quamquam idem Historicus eodem loco c. 2. n. 12. asserat divisos antea Patres, ad primam sententiam fere omnes rediisse. „Res tandem, *inquit*, „hunc exitum tulit. Cum initio complures repugnarent declarationi hujusce oblati, quo hic se Christus „quocumque modo obtulisset, postremo contigit, adversùs quam evenire solent in subtilioribus disputationibus, in quibus sui quisque ingenii conceptus „amans, in propugnata sententia tohæret firmius. Etenim fere omnes in primam sententiam abiere, etiam „qui acerrime illi restiterant." Prima autem illa sententia putabat sacrificium, quod Christus in Cœna obtulit, propitiatorium fuisse, quia, inquiebat Salmeron Concilii Theologus insignis, si relinqueretur ambiguum, an Christus tanquam Sacerdos secundum ordinem Melchisedech, unquam obtulisset propitiatorium sacrificium, non posset probari Eucharistiam esse propitiatorium sacrificium.

Tom. 3. p. 104. & seq.

L. 18. c. 2. n. 10.

Ibid. p. 135.

Ibid p. 108.)

Ibid. p. 109.

Apud Pallavic. L. 18. c. 2. n. 10. p. 104.

II. veritatem sacrificii tanquam ex prima radice ac fundamento probat Concilium, ex præsentia reali Christi in Eucharistia; quia scilicet idem Christus est in Eucharistia præsens, & incruente immolatur, qui cruente ac cum vera effusione sanguinis immolatus fuit in cruce. *Et quoniam*, pergit Concilium c. 2. "in divino hoc sacrificio, quod in Missa peragitur, idem ille „Christus continetur, & incruente immolatur, qui in ara „crucis semel seipsum cruente obtulit; docet sancta „Synodus, sacrificium istud vere propitiatorium esse, „per ipsumque fieri, ut, si cum vero corde, & recta fide, „cum metu & reverentia, contriti ac pœnitentes ad „Deum accedamus, misericordiam consequamur, & „gratiam inveniamus in auxilio opportuno . . . . . Una „enim eademque est hostia, idem nunc offerens Sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in cruce obtulit, „sola offerendi ratione diversa; cujus quidem oblationis, cruentæ inquam, fructus per hanc uberrime percipiuntur." Rationem & causam hic synodus reddit, cur sacrificium Missæ sit propitiatorium, quia scilicet idem ille Christus in eo continetur & incruente immolatur, qui in ara crucis semel seipsum cruente obtulit; quia una eademque est hostia, unus & idem Sacerdos, qui ministerio Sacerdotum nunc offert. Ergo realis Christi præsentia primum fundamentum est nostri sacrificii, qua sublata, nullum istud esset; ergo falsa & hæretica est doctrina, quæ asserit ideam sacrificii prorsus liberam & independentem esse ab idea præsentiæ realis, atque ista etiam seposita, salvum & integrum remanere sacrificium.

Tom. 14. Conc. p. 855.

Et vero constat ex Can. 1. ejusdem Conc. Sess. 22. sacrificium Missæ *verum esse ac proprie dictum*: ex Can. 3. illud *nudam non esse sacrificii in cruce peracti commemorationem, sed esse propitiatorium.* Ergo veram & proprie dictam continet hostiam quæ offertur Deo.

Quæ porro illa esse potest? Panis & vinum? at sunt hæc materia ex qua consecratur Eucharistia; post consecrationem vero sunt corpus & sanguis Christi. An mors Christi cruenta? at hostia sacrificii realis & præsentis, realis esse debet ac præsens; mors autem Christi cruenta semel peracta est, fluxit, nec amplius physicè subsistit. An oblatio mortis illius cruentæ? sed oblatio non est hostia, sed actio hominis hostiam offerentis. Deinde, oblatio vera & realis supponere debet hostiam veram & præsentem quæ offeratur: at si seponatur præsentia Christi in Eucharistia, nulla superest hostia præsens; semel quippe mortuus est Christus. An denique commemoratio mortis Christi præteritæ? at commemoratio nec offertur Deo, nec hostia est, aut proprie dictum sacrificium, sed est dumtaxat recordatio sacrificii peracti, finis aut motivum sacrificii; at Concilium Trid. pronuntiat sacrificium Missæ verum ac proprium esse, non nudam sacrificii crucis commemorationem; restat igitur ut Christus realiter præsens in altari sub speciebus panis & vini, velut in statu quodam mortis Deo Patri oblatus, verum illud sit ac proprie dictum internum Missæ sacrificium quod agnoscit Ecclesia. Doctrinæ igitur Concilii Tridentini apertissime adversatur mox exposita doctrina F. Le Courayer. Quod ille reponit, ut vim catholicæ demonstrationis eludat, hæreticum ejus animum ac sensum prodit, nempe sacrificium Missæ verum appellari, quatenus opponitur metaphorico, non quatenus opponitur commemorativo ac repræsentativo; sed nemo Catholicorum negat, sacrificium Missæ commemorativum esse ac repræsentativum; at negant omnes illud mere repræsentativum esse, sicut Auctor putat, quia simul verum est ac proprie dictum, & repræsentativum. Cum vero dictus Le Courayer exponit quo sensu Concilium asserit, sacrificium nostrum nudam non esse commemorationem, manifeste Concilii mentem ac sensum adulterat. En verba ipsius. " Si le Concile a dit que „ce sacrifice n'est point une commemoration toute nue, „ce n'est point pour établir l'essence du sacrifice sur la „présence reelle J. C. c'est pour marquer qu'il ne s' „agit pas ici d'un simple rappel de la mort de J. C. à „notre souvenir; mais de l'offrande de cette mort que „nous faisons a Dieu, afin qu'il ait pitie de nous; & c' „est pourquoi, *continue l'Auteur*, le Concile n'oppose „point cette commemoration toute nue à la presence, „mais à l'effet qu'on en attend. " Quam misere verba Concilii detorqueat, demonstrant quæ ex Concilio ipso mox adduximus.

Déf. de la Dissert. t. 1. par. 2. p. 148.

Ad hæc accedit auctoritas Canonis qui in Missa recitatur, quod clarum est Christum velut hostiam præsentem, ac quatenus præsentem offerri. " Unde & memores, Domine, *ait Sacerdos*, nos servi tui, sed & plebs „tua sancta, ejusdem Filii tui Domini nostri Jesu Christi, „tam beatæ passionis, nec non & ab inferis resurrectio„nis, sed & in cœlos gloriosæ ascensionis, offerimus præ„claræ majestati tuæ, de tuis donis ac datis, hostiam pu„ram, hostiam sanctam, hostiam immaculatam, panem „sanctum vitæ æternæ, & calicem salutis perpetuæ.

III. probatur ex SS. Patribus, qui veritatem sacrificii ex præsentia reali Christi, ejusque oblatione, quæ in Eucharistia fit, agnoscunt & probant, nec unum ab altero sejungunt. Iidem vero Patres ac Doctores Ecclesiæ sunt, quos ad probandam veram, realem substantialem præsentiam Christi in Eucharistia superius laudavimus: nimirum.

S. Ignatius Martyr in Epistola ad Smyrnæos observat, nonnullos sui temporis Hæreticos ab Eucharistia & oblatione abstinere quia non credunt Eucharistiam esse veram Christi carnem; ergo à contrario Catholici Eucharistiam ut sacrificium offerebant Deo, quod persuasum illis esset, in ea verum ac proprium Christi corpus contineri. Idem innuit S. Martyr Epistola ad Philadelphienses n. 4. " Operam igitur detis, *inquit*, „ut una Eucharistia utamini. Una enim est caro „Domini nostri Jesu Christi, & unus calix in unitatem „sanguinis ipsius ipsius; unum altare, sicut unus Episco„pus. " De Eucharistiæ sacrificio loqui S. Doctorem, ostendit *altaris* nomen quo utitur: altare quippe ad hostiam immolandam refertur & ordinatur.

Edit. Coth. p. 870.

S. Justinus Martyr, Apol. pro Christianis quæ secunda dicitur, & tamen prima est, describens Christianorum cœtus & quæ in iis peragerentur, de Eucharistia hæc habet: " Alimentum hoc apud nos appellatur „Eucharistia .. . Non enim ut communem panem, „neque ut communem potum ista sumimus, sed quem„admodum per verbum Dei caro factus Jesus Christus „Servator noster, carnem & sanguinem salutis nostræ „causa habuit, ad eundem modum etiam eam, in qua „per preces Verbi ejus ab ipso profecti gratiæ sunt „actæ, alimoniam, unde sanguis & caro nostra per mu„tationem aluntur, incarnati illius Jesu carnem & san„guinem esse docti sumus. " Deinde verba institutionis refert, ac mandatum quo jussit Christus ut in suam commemorationem faceremus, quod ipse fecerat. Porro Eucharistiam illam ut verum sacrificium à præsidente, id est Episcopo, fuisse oblatam " in laudem & glo"riam rerum universarum Patri per nomen Filii & Spi"ritus sancti, " testatur idem S. Doctor in Dialogo cum Tryphone Judæo: verba paulo ante laudavimus, ubi de prophetia Malachiæ.

P. 97.

S. Irenæus L. 4. contra hæreses c. 17. olim 32. de sacrificio Eucharistiæ sententiam suam his verbis aperit: „Sed & discipulis suis dans [*Christus*] consilium, pri„mitias Deo offerre ex suis creaturis, non quasi indigenti, „sed ut ipsi nec infructuosi nec ingrati sint, eum qui ex „creatura panis est, accepit, & gratias egit, dicens: *Hoc* „*est corpus meum.* Et calicem similiter, qui est ex ea „creatura, quæ est secundum nos, suum sanguinem con„fessus est, & novi Testamenti novam docuit oblatio„nem, quam Ecclesia ab Apostolis accipiens, in univer„so mundo offert Deo .... de quo .... Malachias sic „præsignificavit, " In omni loco incensum offertur nomini meo &c.

P. 249. n. 5.

Deinde c. 18. alias 34. refellens Valentinianos, qui Jesum Christum non Conditoris mundi, sed alterius Dei Filium esse contendebant, ostendit eos sibi contradicere " Quomodo, *inquit*, constabit eis, eum panem „in quo gratiæ actæ sunt, corpus esse Domini sui, & „calicem, sanguinem ejus, si non ipsum Fabricatoris „mundi filium dicant? ...... Ergo aut sententiam mu„tent, aut abstineant offerendo quæ prædicta sunt. „Nostra autem consonans est sententia Eucharistiæ, & „Eucharistia rursus confirmat sententiam nostram. „Offerimus enim ei, quæ sunt ejus, congruenter com„municationem & unitatem prædicantes carnis & „spiritus. Quemadmodum enim qui est à terra panis, „percipiens invocationem Dei, jam non communis pa„nis est, sed Eucharistia, ex duabus rebus constans, terre„na & cœlesti; sic & corpora nostra percipientia Eu„charistiam, jam non sunt corruptibilia, spem resurre„ctionis habentia. " Ab aliis bene multis ex eodem S. Doctore referendis testimoniis hic abstinemus, quæ supra, ubi de præsentia reali, videri possunt. Quæ mox relata sunt propius spectant sacrificium, quod à veteribus Prophetis prænuntiatum fuisse, & in reali præsentia Christi, velut in fundamento, contineri, docet Irenæus; neque enim verum sacrificium dici potest, à quo abest vera hostia. Cum ait S. Doctor Eucharistiam constare ex duabus rebus, *terrena & cœlesti*, per terrenam intelligit panem & vinum, & ex quibus conficitur seu consecratur Eucharistia; per cœlestem vero intelligit, non spiritualem Christi substantiam, nec virtutem quamdam separatam ac profluentem à corpore Christi in cœlo stante, nec consecrationem ipsam, ut Novatoribus nostris placet, sed corpus ipsum Christi, quod substantiam spiritualem appellat, sive quod spirituali

P. 250. n. 4.

Ib. n. 5.

opera-

operatione Spiritus sancti formata est in utero B. Virginis; sive quod non modo corporeo, sed spirituali, quamquam vero, reali & substantiali, in Eucharistia præsens sit ac contineatur.

Tertullianus L. de oratione c. 14. eos redarguens qui diebus jejunii à percipienda Eucharistia abstinendum esse dicebant, quasi simul componi non posset jejunii mœror, cum lætitia quæ participationi Eucharistiæ

P. 137. A. annexa est: "Accepto, *inquit*, corpore Domini & reservato, utrumque salvum est, & participatio sacrificii, & executio officii.

S. Cyprianus Ep. 63. quæ est ad Cæcilium, expen-

P. 101. dens istud Psalm. „Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech, *ait*: Qui ordo utique hic est de sacrificio illo veniens & inde descendens, quod Melchisedech Sacerdos Dei summi fuit, quod panem & vinum obtulit ..... Nam quis magis Sacerdos Dei summi, quam Dominus noster Jesus Christus, qui sacrificium Deo Patri obtulit, & obtulit hoc idem quod Melchisedech obtulerat, id est panem & vinum, suum scilicet corpus & sanguinem?" Unum ab altero non disjungit S. Doctor, sacrificium Christi secundum ordinem Melchisedech, ab ejus corpore & sanguine.

Tom. 1. p. 853. B. C. S. Ambrosius in Psalm. 38. n. 25. „Etsi, *ait*, nunc Christus non videtur offerre, tamen ipse offertur in terris, quando Christi corpus offertur: imo ipse offerre manifestatur in nobis, cujus sermo sanctificat sacrificium quod offertur.

S. Gregorius Nyssenus Oratione 1. de Resurrectio-

Tom. 2. p. 821. D. ne, „Arcano, *inquit*, sacrificii genere, quod ab hominibus cerni non poterat, seipsum pro nobis hostiam offert, & victimam immolat, Sacerdos simul existens, & agnus Dei, ille, qui mundi peccatum tollit. Quando id præstitit? cum corpus suum discipulis congregatis edendum, & sanguinem bibendum præbuit, tunc aperte declaravit agni sacrificium jam esse perfectum.

S. Joannes Chrysostomus sic loquitur: „Sacra ipsa oblatio (*Christi*) sive illam Petrus, sive Paulus, sive alius cujusvis meriti Sacerdos offerat, eadem est, quam dedit Christus ipse discipulis, quamque Sacerdotes modo conficiunt: nihil habet ista, quam illa minus. Cur id? quia non hanc sanctificant homines, sed Christus, qui illam antea sacraverat.

S. Hieronymus Ep. 26. idem omnino docet, additque hanc fuisse Martyris Hyppoliti, Irenæi & Apollinarii sententiam.

S. denique Augustinus, cujus jam egregium testimonium laudavimus paulo ante, ex L. 20. contra Faustum c. 18. S. inquam, Augustinus in Psal. 26. Enar-

Tom. 4. p. 119. A. B. rat. 2. n. 2. „Solus, *inquit*, ille Sacerdos talis extitit, ut ipse esset etiam sacrificium: sacrificium obtulit Deo non aliud quam seipsum. Non enim inveniret præter se mundissimam rationalem victimam." Et in Ps. 33.

Ib. p. 215. F. Enarrat. 2. n. 2. „Ipse [*Christus*] de corpore & sanguine suo, sacrificium instituit secundum ordinem Melchisedech." Infinita alia tacemus, quæ enumerare longum foret ac fere inutile: si enim quæ hactenus laudata sunt, Novatoribus nostris non sufficiunt, ut convincantur; nescio quæ sufficere ipsis poterunt, quandoquidem quæ mox relata sunt testimonia, ex iis Ecclesiæ Doctoribus deprompta sunt, qui purioribus, judicio ipso Novatorum, Ecclesiæ sæculis vixere, quatuor nempe primis sæculis.

Ex iis vero certissime constat, sacrificium incruentum altaris suppone realem Christi præsentiam, nec ab illa divelli istud posse: unde scite admodum observavit Il-

Bossuet. lustrissimus Episcopus Meldensis Bossuetius, in aurea illa quam edidit, Expositione catholicæ fidei n. 14. pag. 153. totam istam de sacrificio cum Novatoribus litem, ed unam de reali præsentia controversiam bona fide revocandam esse, ex qua scilicet, tanquam à radice ac fundamento, quæstio de sacrificio tota pendet ac defluit. Tam egregie doctissimus Præsul in Opere illo n. 14. Ecclesiæ fidem circa sacrificium exponit, ut ab ipsius verbis hic exscribendis temperare nobis non possimus.

Dans la consecration, *inquit*, le corps & le sang sont P. 145. mystiquement separès, parceque Jesus Christ a dit separément, Ceci est mon corps, Ceci est mon sang: ce qui enferme une vive & efficace représentation de la mort violente qu'il a soufferte.

Ainsi le Fils de Dieu est mis sur la sainte table, en Ibid. p. 149. vertu de ces paroles, revetu des signes qui représentent sa mort: c'est ce qu'opere la consecration .... Tel est le sacrifice des Chrètiens, infiniment different de celui qui se pratiquoit dans la Loi: sacrifice spirituel & digne de la nouvelle alliance, où la victime présente n'est apperçue que par la foi, où le glaive est la parole qui separe mystiquement le corps & le sang, où le sang par consequent n'est repandu qu'en mystere, & où la mort n'intervient que par représentation; sacrifice neanmoins très-veritable, en ce que Jesus Christ y est vèritablement contenu, & présenté à Dieu sous cette figure de mort: mais sacrifice de commemoration, qui bien loin de nous détacher, commè on nous l'objecte, du sacrifice de la croix, nous y attache par toutes ses circonstances, puisque non seulement il s'y rapporte tout entier; mais qu'en effet il ne subsiste que par ce rapport, & qu'il en tire toute sa vertu.

Solvuntur Objectiones.

Integrum c. 5. Defensionis F. de Gourayer, à p. 165. *Defensa de la Differt. t. 2. p. 2.* usque ad p. 222. insumitur in referendis bene multis Scriptorum testimoniis, ut probet existentiam, seu ideam sacrificii omnino liberam esse ab idea præsentiæ realis, nec illam ab ista pendere.

Objicit itaque 1. Dissert. par. 2. pag. 40. 41. & 42. auctoritatem S. Chrysostomi Hom. 17. in Epistolam ad Hebræos; Eusebii Cæsariensis, Demonst. Evang. L. 1. c. 10. S. Augustini L. 83. q. quæstione 61. & L. 20. contra Faustum c. 21. quibus locis asserunt Eucharistiam offerri Deo, *in recordationem, memoriam & similitudinem* sacrificii crucis.

Resp. frustra Auctorem in his referendis laborare, quæ ultro concedunt omnes Orthodoxi: at si quid in ipso bonæ fidei ac candoris fuisset, ostendere debuisset 1. dictos Scriptores asseruisse Eucharistiam esse *solam aut nudam* sacrificii crucis commemorationem ac repræsentationem; at ne verbum quidem extat in citatis testimoniis, quo istud insinuetur. 2. ostendere debuisset, commemorationem illam non supponere necessario realem Christi præsentiam, quod rei præsentis caput est; at tantum abest ut id probare possit, quin imo hæc ipsa testimonia demonstrant, Christum præsentem velut hostiam offerri Deo in memoriam suæ mortis ac passionis: duo enim ista non pugnant, imo simul conjunguntur in oblatione eucharistica. *Quotidiana Ecclesiæ oblatio*, ait egregie Card. Perronius, *Oeuvres divers. p. 516. & 517.* *veritatem simul & imaginem continet sacrificii crucis; veritatem quidem, quantum ad substantiam victimæ; imaginem vero & figuram, quantum ad actum immolationis quæ mystica est & incruenta.* Imo non illibenter Auctori concederemus, illam crucis commemorationem essentialem dici posse sacrificio altaris, quia istud necessario refertur & ordinem dicit ad sacrificium crucis: at errat manifeste quicumque ait, aut *Missæ sacrificium nudam esse commemorationem sacrificii in cruce peracti*; aut illud stare posse, etiam seposita & ex- *Conc. Trid. sess. 22. Can. 3.* clusa reali Christi præsentia. Nihil profecto aliud ex testimoniis ab Auctore citatis colligi merito potest.

I. S. Chrysostomus affirmat nos eandem hostiam jam offerre, quæ semel in cruce oblata fuit: an porro memoria & recordatio mortis Christi, hostia est & sacrificium? Hostiam præsentem offerimus quidem in memo-

In memoriam crucis; at memoria seu recordatio, quæ
actio hominis est offerentis, non est ipsa quæ offertur
hostia. S. Chrysostomus ait, nos *hostiam offerre*:
Edit. Com. ergo præsentem in altari eam supponit. „Pontifex
„noster, *inquit*, illa est, qui illam obtulit hostiam, quæ
p. 1872. „nos mundat. Illam nunc quoque offerimus quæ tunc
„oblata fuit, quæ non potest consumi. Hoc fit in re-
„cordationem ejus quod tunc factum est." Hoc facite,
„*inquit*, in mei recordationem. „Non aliam hostiam
„sicut Pontifex, sed eandem semper facimus, vel potius
„hostiæ seu sacrificii facimus recordationem.„ Quo-
modo vero eandem hostiam semper facimus? non cer-
te oblationem cruenta; ergo incruenta & mystica,
in memoriam & recordationem illius cruentæ quæ in
ara crucis semel perfecta est, ita ut memoria illa & re-
cordatio finis sit aut motivum oblationis, non tota ejus
essentia, quæ duo semper maligne confundit Auctor.

P. 38. C. II. Eusebii Cæsariensis L. Demonst. Eveng. hæc ver-
P. 40. C. ba laudat Auctor, „Post omnia, quasi mirabilem quam-
„dam victimam, sacrificiumque eximium Patri suo ope-
„ratus pro nostra omnium salute obtulit, ejusq; rei me-
„moriam, ut nos ipsi Deo Patri pro sacrificio offerremus,
„instituit .... Igitur & sacrificamus & incendimus, alias
„quidem memoriam magni illius sacrificii, secundum
„ea, quæ ab ipso tradita sunt, mysteria celebrantes."
An porro dixit Eusebius, nos solam & nudam memo-
riam celebrare magni illius sacrificii, absque præsentia
reali hostiæ, seu Christi suo modo, id est incruento, im-
P. 37. B. molati? absit. Imo contrarium aperte indicat. *Meri-
ta sane*, dixerat paulo ante, „quando illius memoriam,
„corporisque ejusdem & sanguinis recordationem cele-
„brant, ad longa præstantius & sacrificium & munus
P. 39. A. „assumpti sunt, quam illud antiquius fuerit. *Et postea*;
„Cum ergo hujus sacrificii memoriam signis quibus-
„dam in mensa celebrandam, corporisque item illius sa-
„lutarisque sanguinis, ut novi Testamenti institutum
„habet, accepetimus &c.

Docet hic Eusebius 1. memoriam sacrificii crucis à
Conc. nobis celebrandam esse, „secundum ea quæ à Christo
Trid. Sess. „tradita sunt, & juxta novi Testamenti institutum."
22. c. 2. Porro quid instituit Christus? Quid tradidit? ut in sui
memoriam id faceremus, quod ipse fecerat. Ipse vero
„Sacerdotem secundum ordinem Melchisedech sa in
„æternum constitutum declarans, corpus & sanguinem
„suum sub speciebus panis & vini Deo Patri obtulit, &
„Apostolis eorumqua successoribus, ut idem facerent,
„mandavit." Evidens igitur est, Eusebium supponere
in sacrificio christiano, quod ex instituto Christi cele-
bratur, corpus & sanguinem Christi sub speciebus panis
& vini contineri, ac Deo Patri offerri. Docet 2. sacrifi-
cium altaris longe præstantius esse sacrificiis veteri-
bus: at unde major illa & tanto superior præstan-
tia? nisi ex reali Christi præsentia. Illic figura
erat & imago vacua, hic veritas plena & per-
fecta.

Tom. 6. p. III. Nihilo plus Auctori favet S. Augustinus. Quid
54. C. enim ait L. 83. qq. q. 61. hoc unum: „Christum Sacer-
„dotem nostrum secundum ordinem Melchisedech, qui
„seipsum obtulit holocaustum pro peccatis nostris, ejus
„sacrificii similitudinem celebrandam in suæ passionis
„memoriam commendasse." Nihil certa verius: at
qua ratione, quæso, similitudo illa celebratur in mente
S. Aug. oblatione Christi sub speciebus panis & vini
præsentis, ac seipsum ministerio sacerdotum Deo Patri
offerentis. L. vero 20. contra Faustum c. 21. sic loquitur:
Tom. 8. p. „Hujus sacrificii caro & sanguis ante adventum Christi
348. C. „per victimas similitudinum promittebatur; in passione
„Christi per ipsam veritatem reddebatur; post accen-
„sum Christi per Sacramentum memoriæ celebratur."
Sacrificium Missæ appellat hic S. Doctor *Sacramen-
tum memoriæ*, quia nempe in memoriam crucis institu-
tum est: at Sacramentum illud seu signum vacuum non
est, sed rem ipsam, hoc est Christum hostiam pro nobis
factum, continet, quam significat; una quippe & eadem
est hostia, quæ incruento ac mystico modo in altari im-
molatam, seipsam modo cruento in ara crucis semel im-
molatam quotidie repræsentat.

Objicies 2. S. Ambrosium L. 1. de Officiis c. 48. ubi
ait Christum „hic in imagine, in cœlis in veritate seip-
„sum offerre.

Addit & Magistrum Sententiarum L. 4. dist. 12. &
S. Th. 3. p. q. 83. at. 1. Primus ait, „illud quod offertur
„& consecratur à Sacerdote, vocari sacrificium & obla-
„tionem; quia memoria est & repræsentio veri sacri-
„ficii & sanctæ immolationis factæ in ara crucis; & se-
„mel Christus mortuus in cruce est, ibique immolatus
„est in seipso: quotidie autem immolatur in Sacramen-
„to, quia in Sacramento recordatio fit illius, quod fa-
„ctum est semel. *S. vero Thomas sic loquitur*. Resp.
„dicandum quod duplici ratione celebratio hujus Sa-
„cramenti dicitur immolatio Christi. Primo quidem,
„quia sicut dicit Augustinus ad Simplicium, solent ima-
„gines earum rerum nominibus appellari, quarum ima-
„gines sunt .... celebratio autem hujus Sacramenti ima-
„go quædam est repræsentativa passionis Christi, quæ
„est vera ejus immolatio; & ideo celebratio hujus Sa-
„cramenti dicitur Christi immolatio.

Resp. quod etsi Auctor sexcenta hujuscemodi testi-
monia proferret, nihil prorsus assequeretur. Sacrifici-
um Missæ imaginem esse, memoriam, repræsentatio-
nem sacrificii crucis, merito asserunt laudata testimonia:
at non asserunt illud tantummodo imaginem esse, aut
nudam commemorationem crucis, aut verum stare sa-
crificium sine reali præsentia; igitur sophistica prorsus
est Auctoris arguendi ratio, & à falso, ut dicunt, suppo-
nente.

Cum S. Ambrosius ait Christum *hic in imagine, in
cœlis autem in veritate seipsum offerre*; imaginem sim-
pliciter veritati non opponit, sed tantum veritati non-
dum omni ex parte claræ ac evidenti, sed adhuc obscu-
ræ & quibusdam umbris involutæ. Mens S. Doctoris
ex verbis illius integris, non mutilatis, ut fecit Auctor,
manifesta erit. *Illa ergo*, inquit loco in Objectione Tom. 2. p.
citato, „nobis expetenda, in quibus perfectio, in quibus 63. n. 248.
„veritas est. Hic umbra, hic imago, illic veritas. Umbra
„in Lege, imago in Evangelio, veritas in cœlestibus.
„Ante agnus offerebatur, offerebatur & vitulus, nunc
„Christus offertur; sed offertur quasi homo, quasi reci-
„piens passionem, & offert se ipse quasi Sacerdos, ut
„peccata nostra dimittat: hic in imagine; ibi in veritate,
„ubi apud Patrem, pro nobis quasi advocatus interve-
„nit. Hic ergo in imagine ambulamus, in imagine vi-
„demus; illic facie ad faciem, ubi plena perfectio, quia
„perfectio omnis in veritate est." Igitur imaginem, in
qua jam vivimus, S. Doctor non opponit simpliciter
veritati, siquidem fatetur *Christum offerri velut homi-
nem, & quasi reciperet passionem*; sed veritati mani-
festæ, absque ulla umbra & caligine, qualis certe hac in
vita haberi non potest.

Objicit 3. S. Fulgentium L. de fide ad Petrum c. 19.
ubi hæc habet; „In isto autem sacrificio gratiarum actio
„atque commemoratio est carnis Christi quam pro no- Defensio
„bis obtulit, & sanguinis quem pro nobis idem p. 2. § 1. p.
„Deus effudit. 170.

Resp. non asserere S. Fulgentium, in sacrifi-
cio nostro solam esse ac nudam commemorationem
carnis Christi. Quid ergo inde lucrari potest Auctor,
nisi fumum, & inanem verborum strepitum? Le-
gendus S. Doctor L. 2. ad Monimum c. 6. ubi clare
exponit 1. Eucharistiam verum esse sacrificium. 2.
in eo sacrificio verum offerri Christi corpus & san-
guinem. 3. illud offerri in memoriam sacrificii cru-
cis. En verba S. Doctoris: „Cur scilicet si om- P. 32.
„ni Trinitati sacrificium offertur, ad sanctificandum
„oblationis nostræ munus, sancti Spiritus tantum
„missio postuletur; quasi vero (ut ita dicam) ipse

„Pater

„Pater Deus, à quo Spiritus ſanctus procedit, ſacrificium „ſibi oblatum ſanctificare non poſſit ; aut ipſe Filius „ſanctificare nequeat ſacrificium corporis ſui , quod „offerimus nos ; cum corpus ſuum ipſe ſanctificaverit , „quod obtulit ut redimeret nos ; aut ita Spiritus ſanctus „ad conſecrandum Eccleſiæ ſacrificium mittendus ſit , „tanquam Pater aut Filius ſacrificantibus deſit. *Et c.* 11. „*ejuſdem Libri*, Ab ipſo Chriſti corpore, *ait S. Fulgen-* „*tius* , (quod eſt Eccleſia) in Sacramento pa- „nis & calicis , ipſum Chriſti corpus & ſanguis of- „fertur.

P. 37.

Quin & eo imprudentiæ ac cæcitatis venit Auctor, ut etiam laudata ſuperius Boſſuetii verba ad cauſam ſuam trahere non erubeſcat, Diſſert. part. 2. p. 43. eo præ- textu , quod illuſtriſſimus Præſul ſacrificium noſtrum appellat *ſpirituale* , in quo ſanguis *nonniſi in myſterio funditur*, & mors nonniſi *commemoratione* intervenit. At ſolus ille Le Courayer ſuo errore occupatus non videt noſtrum ſacrificium à Boſſuetio appellari *ſpiritua- le* , prout opponitur ſacrificiis veteribus ; atque in eo ſanguinem nonniſi myſticè ſeu in myſterio effundi mor- temque repræſentari, quia phyſica & cruenta non fit in altari victimæ immolatio , ſicut facta eſt in cruce : quamquam ſacrificium noſtrum idem ſit quoad ſub- ſtantiam , cum ſacrificio crucis , *ſola offerendi ratione diverſa*, ait Conc. Trid. Seſſ. 22. c. 2. Revera cruenta mors Chriſti nonniſi commemoratione repræſentatur in Miſſa ; at commemoratio illa *nuda non eſt* , ſed rea- lem ac præſentem ſupponit hoſtiam, nempe Chriſtum : ſic enim Veteres , ait illuſtriſſimus Petrus de Marca , *docent eſſe ſacrificium per commemorationem , ut me- moria mortis obitæ facta , eandem victimam habeat præſentem incruento modo.*

Diſſert. poſthuma de Euch. & ſacrif. p. 89.

Duo autem illa inſidiosè ſemper ac ſophiſtice con- fundit Auctor quem refellimus. Ex verbis autem do- ctiſſimi Petri de Marca mox adductis intelliges quid pudoris ac frontis ſit in F. le Courayer, qui eundem Petrum de Marca nobis opponit.

Objicit itaque 4. iſta verba excerpta ex pag. 88. Diſſertationis poſthumæ. “ Variis in locis hanc ſacrificii „tationem explicat Auguſtinus, & alii Patres, qui ex eo- „dem fonte ducunt alium loquendi modum , ſcilicet „hoc eſſe ſacrificium commemorans ſacrificium cruen- „tum, ut ſæpe Chryſoſtomus loquitur.

Defenſ. t. 2. p. 1. p. 166.

Reſp. quod ſæpius jam inculcatum fuit, ſacrificium altaris eſſe quidem commemorationem ſacrificii cruenti crucis , ſed *non ſolam*. Si verba , quæ in laudata Diſ- ſertatione immediate ſequuntur , pro ſua inſigni mala fide non ſuppreſſiſſet Auctor , non habuiſſet unde Le- ctoribus illuderet. *Nec eſt*, pergit doctus Præſul pag. 89. „quod inde occaſionem ſibi plaudendi deſumant Hæ- „retici , qui ob ſolam commemorationem alterius veri „ſacrificii, hoc improprie ſacrificium à Patribus nuncu- „pari contendunt. Sic enim illud docent Veteres eſſe „ſacrificium per commemorationem, ut memoria mor- „tis obitæ facta, eandem victimam habeat præſentem „incruento modo.

Paulo ante pag. 88. dixerat : “ Sacrificium iſtud in „eo poſitum eſt, ut immolationem Chriſti in cruce per- „actam, nobis in myſterio exhibeat, eandemque victi- „mam Sacramentis præſentem ſic ſiſtat, ut per ſpecies „ſenſibiles imponatur altari corpus diſcretum à ſan- „guine. Id fit per ſpecierum conſecrationem, quæ qua- „tenus Chriſti corpus & ſanguinem ſub formis illis la- „tentia repræſentant, Sacramenta dicuntur ; quatenus „vero interfecti corporis, & effuſi ſanguinis ſunt ſigna „inter ſe diverſa, inſerviunt ad myſticam veri corporis „& ſanguinis immolationem &c.... Non enim,” dixerat antea pag. 87. *deeſt ſuo modo myſticus victimæ interitus.* Docet hic aperte doctiſſimus de Marca, duo iſta in my- ſterio altaris rectè ſtare ac conciliari , commemoratio- nem ſcilicet cruentæ mortis Chriſti & incruentam ob- lationem veram & propriè dictam victimæ præſentis , nempe Chriſti.

At inſtat F. le Courayer ex eodem Petro de Marca ibidem pag. 90. *Sacrificii ratio ponenda non eſt in actu tranſubſtantiationis, quaſi tunc ſpecies immereant.* Ergo ſepoſita tranſubſtantiatione, ac conſequenter præſentia reali, adhuc verum ſubſiſteret ſacrificium.

Defenſe t. 2. p. 1. p. 160. & 161.

Reſp. nego conſeq. Non enim negat Petrus de Mar- ca veram in Euchariſtia fieri tranſubſtantiationem, ſed more Scholæ inquirit in quo præcisè collocanda ſit ra- tio ſacrificii, an in conſecratione , vel ſpeciebus panis & vini, vel in ſumptione, vel tandem in tranſubſtantia- tione. Contendit ille ponendam non eſſe in tranſub- ſtantiatione : *Ex hoc enim ſequeretur* , inquit , *ſpecies offerri. non autem corpus Domini , quod tunc non in- terierit. Porrò nec ſumptio ſpecierum & corporis Chri- ſti pertinet ad eſſentiam ſacrificii una cum conſecratio- ne, ut viſum Bellarmino. Quoniam hæc eſt ſacrificii jam oblati participatio, non autem ſacrificii ratio.* Hæc illuſtriſſimus de Marca, quæ præſentem noſtram non attingunt quæſtionem.

Objicit 5. verba Cardinalium Perronii, ac Richelii, quibus maniſeſtè abutitur.

Defenſe t. 2. p. 1. p. 180.

Cardinalis Perronius in Republica ad Regem An- gliæ pag. 793. ſic habet gallice : ” Que le ſacrifice des ”Chretiens ſoit une commemoration du ſacrifice que ”Chriſt a offert en offert en la croix à Dieu ſon Pere , ”entant que commemoration ſignifie non une action ”de cette faculté de l’ame que nous appellons memoire, ”mais une action & oblation exterue du ſacrifice, imi- ”tative, repreſentative & commemorative de l’oblation ”que Chriſt fit de ſoi même en la croix , cela paſſe ſans ”difficulte.

Cardinalis vero Richelæus ſic loquitur : ”Le ſacrifi- ”ce de la Meſſe eſt une oblation réelle, ſoit qu’on regarde ”ce qui eſt offert , ſoit qu’on conſidere l’action par la- ”quelle on offre .... une mort myſtique & figuree, ſuffit ”pour etablir l’eſſence d’un veritable ſacrifice .... Ainſi ”que J. C. *dit-il ailleurs*, eſt vraiment mort en la croix. ”ainſi eſt-il mort en l’Euchariſtie quant à l’ apparence ”..... ce qui donne lieu aux Peres d’ appeller le ſacrifice ”de l’Euchariſtie, Paſſion de J. C. .... parceque ſans y ”mourir & recevoir paſſion en effet , il y meurt & y ”recoit paſſion myſtiquement.

Meth. p. 566.

Premier point p. 72.

Reſp. e. ad Cardinalem Perronium , ſtupendam eſſe F. le Courayer oſcitantiam & audaciam in detorquenda Card. Peronii ad errorem ſuum ſententia. Aſſerit qui- dem Perronius, ſacrificium chriſtianorum commemo- rativum eſſe ſacrificii crucis : quis negat ? At non aſſerit illud ſolummodo commemorativum eſſe, etiam excluſa, vel non ſuppoſita reali præſentia Chriſti ; imo con- trarium verbis ſequentibus, quæ dolosè ſilet Auctor , aperte declarat. “ Mais que l’ Euchariſtie , *pergit Per- ronius*, ne ſoit qu’ une commemoration ..... une mé- ”moire, ou qu’ une geſtion externe, commemorative & ”excitative à commemoration du ſacrifice de la croix , ”& non pas un vrai ſacrifice commemoratif & appli- ”catif du ſacrifice original de la croix...c’ eſt choſe que ”nous maintenons n’ etre jamais tombée en la penſée ”de nos peres. Car de ce que les Peres ont quelque ”fois appellé l’ Euchariſtie un ſacrifice de commemo- ”ration, ce n’ a pas été de la part de l’eſſence, mais de la ”part de la fin ; c’ eſt-à dire , ce n’ a pas été pour donner ”à entendre , que la commemoration du ſacrifice de la ”croix étoit l’ eſſence du ſacrifice de l’ Euchariſtie , & ”que le ſacrifice de l’ Euchariſtie ne conſiſtoit en autre ”choſe qu’en la commemoration du ſacrifice de la croix, ”mais pour en exprimer la fin....Et que telle fut l’inten- ”tion des Peres , il appert par les propres lieux, où ils ”uſent de ce mot de commemoration, auquel ils veulent ”que la commemoration que nous faiſons du ſacrifice de ”la croix en l’Euchariſtie, ſe faſſe, non par une ſimple reſ- ”ſouvenance du corps de Chriſt en la croix , que l’ ”Euchariſtie excite en nous ; mais par une vraye & ”réelle oblation du memorial de la croix ; c’ eſt-à-dire. ”du corps & du ſang de Jeſus - Chriſt offert au „Sacre-

P. 793. & 794. de la Replique

„Sacrement de l' Eucharistie." Ibidem accurate omnino & acute observat Petronius, illam sacrificii crucis commemorationem non esse actionem memoriæ nostræ, quasi illa Deo in sacrificium offerretur; quid enim absurdius fingi posset? sed esse externam actionem, seu oblationem qua Christus Deo Petri offertur in commemorationem seu repræsentationem sacrificii crucis, non quidem nudam & vacuam, sed plenam, quæ ipsum Christum præsentem continet. Si hæc non vidit F. le Courayer, aut in ipso Petronio, aut in Documento Pastorali Emin. Card. Noallii an. 1727. die ultima Octob. ubi accurate referuntur, cæcus est: si vidit, supra modum malignus ac perditæ fidei, qui hæc dissimulat.

Ad Cardinalem Richelæum idem omnino reponimus. Quæ sit ipsius fides ac doctrina circa sacrificium, abunde demonstrant hæc ipsius verba in Opera cui titulus gallice, "Les principaux mysteres défendus pag. „160. Le corps & le sang de Jesus Christ, ait, sont dans „l' Eucharistie, comme une vraye hostie: ils y sont „ainsi veritablement, & l' Eucharistie est un vrai sacri„fice, puisqu' elle a toutes les parties essentielles du sa„crifice. Qu' aurez-vous, Messieurs, à répondre à cette „raison? Direz vous que s'il suffit d'établir un animal „sous l' apparence de la mort, & l'offrir à Dieu pour etre „sacrifié, il suffiroit d'offrir à Dieu une image de Jesus „Christ, pour lui en faire un sacrifice? Je répons qu' on „ne pourroit dire, qu' en une telle oblation, il y eut au„cun sacrifice.... En tout sacrifice la présence de la chose „est requise, d'autant que l'oblation sacrificale se fait par „la delivrance de ce qui offert & sacrifié." Nihil his verbis addi potest; adeo per sese clara sunt & perspicua.

Défense t. 2. p. 1. p. 599. Methode p. 574.

At, inquit Auctor quem refellimus, Cardinalis Richelæus agnoscit quæstionem de sacrificio plane independentem esse à reali præsentia Christi in Eucharistia. „Il ne s'agit pas de sçavoir, ait Eminentissimus Auctor, „si le corps & le sang de Jesus Christ sont vraiement & „substantiellement en l' Eucharistie, ou s'ils y sont seule„ment figurativement.... mais il s' agit seulement de „sçavoir si l'Eucharistie est offerte à Dieu, & si elle lui est „offerte pour la remission des péchés, ce qui suffit pour „dire que l'Eucharistie est une oblation propitiatoire, „quel que qualite qu'elle ait d'ailleurs, soit qu' elle con„tienne réellement & véritablement le corps & le sang „de J. C. soit qu'elle ne les contienne pas .... Les pré„tendus Réformés soutenant, comme ils font, que par le „fraction du corps, & par l'effusion du sang de J. C. „pour le remission des péchés, dont il est parlé en l'in„stitution de la sainte Cene, on doit entendre une obla„tion & une immolation figurée & mystique en l' Eu„charistie, ne nous accordent-ils pas absolument tous ce „que nous leur demandons au sujet dont il s' agit?

Resp. Cardinalem Richelæum non ex propria sua, sed Protestantium, quos refellit, sententia dixisse, facta præsentiæ realis in Eucharistia abstractione; & argumento, ut ajunt, ad hominem, dixisse, facta etiam abstractione presentiæ realis, salvum adhuc & integrum subsistere sacrificium, etiam in mente ac placitis Adversariorum. Non enim cum hæc scribebat doctissimus Cardinalis, quæstio erat de præsentia reali, sed de sacrificio. "La principale question qui est entre nous, „aiebat, & nos adversaires ..., consistant à sçavoir si l' „Eucharistie est un sacrifice, ou une oblation propitia„toire, je veux m' attacher particulierement à justifier „cette seconde verite, & à le justifier par les principes „mêmes de nos adversaires; c' est à dire, à leur montrer „par leur montrer par leur doctrine, que l' Eucharistie „est une oblation propitiatoire, ou un sacrifice, que nous „faisons à Dieu pour obtenir de lui la remission de nos „péchés.

Les principaux points de la foi défendus p. 574.

Cum vero Novatores isto potissimum argumento propitiatorium sacrificium Missæ impugnent, quod derogat virtuti & efficaciæ infinitæ sacrificii crucis, totus est doctissimus Cardinalis in eo evertendo principio. 1. quia non magis sacrificium altaris derogat virtuti sacrificii crucis, quam derogeverint sacrificia vetere, & oblationes, quæ propitiatoriæ erant, tametsi Christum præsentem non continerent. 2. quia ex doctrina ipsorummet Calvinistarum, Eucharistia, quatenus Sacramentum est, operatur redemptionem, & absolutionem peccatum; corpus & sanguinem Christi, ac cœlestem elimoniam nobis communicat: an propterea dicent Novatores, derogari virtuti & efficaciæ infinitæ sacrificii crucis? non puto. Similiter & ipsimet Calvinistæ baptisant: an vero existimant per Baptismum quidquam detrahi de virtute crucis? 3. quia cum ipsi Protestantes doceant, per fractionem panis & effusionem sanguinis Christi in eam redemptionem peccatorum, de qua mentio fit in institutione Cœnæ, intelligi debere oblationem & immolationem figuratam ac mysticam Eucharistiæ, absque ullo præjudicio & detrimento sacrificii crucis; ita oblatio quæ in Missa fit nullatenus sacrificio crucis nocere potest; cujus quidem ratio quasi à priori hæc est, quia una & eadem est hostia, unus & idem Christus, sive in altari, sive in cruce oblatus, cum isto tantum discrimine, quod in altari modo incruento ac mystica immolatio fiat, quæ modo cruento in ara crucis perfecta est.

Défense t. 2. p. 1. p. 181.

Objicit 6. Vesquesium, & , qui eum exscripsit, Mæratium.

Vasques in 3. p. S. Thomæ disput. 122. c. 5. *Tota*, inquit, *essentia hujus sacrificii in repræsentatione mortis Christi, quæ fuit sacrificium cruentum, à nobis constituenda est.* Etc. 8. *Consecratio corporis & sanguinis Christi ob solam repræsentationem mortis vero ac proprie sacrificium erit.* Et post citatum testimonium Petri Venerabilis, sic pergit Vasques: *Tota ratio sacrificii Missæ quo Christus immolari dicitur, est ipsa repræsentatio mortis Christi; atque ita ea sublata, tota ratio veri & proprii sacrificii tolleretur.* Mæratius Tom. 3. p. 416. pariter cum Vasquesio dicit: *Essentia hujus sacrificii ex sola mortis Christi repræsentatione optima ratione colligitur.*

T. 3. p. 133. P. 541.

Resp. repræsentationem illam, in qua Vasques essentiam sacrificii reponit, toto cœlo distare à repræsentatione quem fingit Auctor Dissertationis ac Defensionis. Contendit iste, etiam non supposita reali Christi præsentia, verum fore sacrificium, & revera esse apud Anglos: at ipsomet fatente, Defensionis Tom. 2. part. 1. p. 219. Vasques & Mæratius in ea mente ac sententia versantur, nullum futurum sacrificium, si Christus realiter ac substantialiter præsens non esset. "Je sçai „bien, inquit, que le même Vasquès, & Mæras après „lui, soutiennent que si J. C. n'etoit pas réellement & „substantiellement present, il n'y auroit point de sacrifi„ce, parceque l' action du ministre n' auroit point d'ob„jet reel." Si hæc sciebat Auctor, quare Vasquesium objicit? indoctis fucum facere vult, ac illudere.

Rem adhuc clarius exponit Vasques eadem disp. 222. cap. 8. "Est valde observandum, inquit, ad sa„crificium commemorativum, quod vere & proprie sa„crificium dicitur, non satis esse, si solum sit signum nu„dum mortis alicujus rei, nullo modo in se continens „rem ipsam, cujus mors repræsentatur: sic enim non di„ceretur res illa, cujus mors repræsentatur, in sacrificium „offerri, neque vere commemorativum sacrificium; „quin potius signum tantum, & larva sacrificii esset: „sed necessario requiri, ut res ipsa, cujus mors repræsen„tatur, sit signum mortis sui ipsius ...." Nam quo pacto, „pergit Vasques, vere & reipse in sacrificium offerri dici „potest id, circa quod actio Sacerdotis offerentis non re „ipsa, sed tantum similitudine quadam, & in figura ver„satur? Cæterum, cum ipsemet Christus sit sub specie„bus panis & vini, & circa illum actio Sacerdotis offe-

T. 3. p. 541.

„rentis ipsa ite versetur, ut ipsemet per species panis & „vini, ex modo peculiari quo à Sacerdote consecratur, „repræsentet cruentam & realem mortem sui ipsius, & „ea repræsentatione denotet Deum auctorem vitæ & „mortis, quamvis non dicatur re ipsa, & vere, sed in „sola figura & similitudine, occidi, & mori, tamen „vere & reipsa immolari, & in sacrificium offerri dici„tur." Quæ duo capita prius probaverat Vasques disp. 221. c. 1. & 3.

At, inquiet aliquis, F. le Courayer & Angli ipsi agnoscunt in Eucharistia substantiam Christi; ergo & verum sacrificium.

Resp. eos quidem admittere substantiam Christi in Eucharistia, sed spiritualem tantum, quæ cum substantia panis & vini subsistere potest; fides autem catholica agnoscit verum, realem ac corpoream Christi in Eucharistia substantiam, tametsi modo corporeo, extenso & quantitativo ibi non existat.

Dices: Vasques totam essentiam sacrificii reponit in repræsentatione; ergo agnoscit sacrificium esse dumtaxat repræsentativum & commemorativum.

Resp. dist. ant. reponit in repræsentatione plena, quæ supponit realem corporis Christi præsentiam, concedo; in repræsentatione nuda, vacua & simplici, nego. Vasques citato c. 5. disp. 222. duo simul conjungit, totam nempe essentiam sacrificii positam esse in consecratione & repræsentatione cruentæ mortis Christi; cum autem mors illa cruenta repræsentari non possit per consecrationem unius speciei, sed duplicis, idcirco concludit Vasques, essentiam sacrificii positam esse in consecratione utriusque speciei. En quo præcisè tendat citato in loco Vasquesii disputatio, in qua perspicuum est, *repræsentationem*, de qua loquitur, plenam esse debere; ac supponere Christum in Eucharistia præsentem, qui seipsum in ara crucis mortuum repræsentat.

Quamquam si quis ex nostris Scholæ Theologis dixisset, sacrificium altaris mere repræsentativum esse mortis Christi, aut deserendus ille à nobis foret, aut benigne ista distinctione interpretandus, est *mere repræsentativum* quoad modum cruentæ mortis, concedo: quoad modum oblationis incruentæ, nego: istius quippe respectu, non mere repræsentativum est, sed veram continet hostiæ præsentis, id est Christi, mysticam immolationem.

Instabis: Vasques citata disp. 222. c. 6. asserit, non minus incruentum fore Missæ sacrificium, tametsi nulla fieret panis & vini conversio in corpus & sanguinem Christi. En verba: „Non minus incruentum esset „sacrificium in Eucharistia, licet conversio panis in cor„pus, & vini in sanguinem Christi non fieret, quam mo„do est; ipsa igitur conversio panis & vini ad rationem „sacrificii incruenti non pertinet." At nonne hæc ipsa est F. le Courayer sententia?

Resp. Vasquesium eo in capite varias referre Theologorum sententias, circa modum quo consecratio verum constituit sacrificium: inter alias hæc una est, „ideo „in consecratione consistere Missæ sacrificium, quia „vere & reipsa panis in corpus & vinum in sanguinem „Christi mutatur;" quæ opinio multis, & ipsimet Vasquesio displicet. „Si enim, *inquiunt*, in immuta„tione ratio sacrificii consisteret, non tam Christus, „quam vinum ipsum & panis in sacrificium offerri di„cerentur, quod est absurdum; sic enim sacrificium „Missæ & crucis, quod attinet ad rem oblatam, non esset „idem." Verum quidquid sit de illa Theologorum opinione, consecrationem nempe *in actu ipso transubstantiationis non perfici*, quam etiam rejicit Bellarminus l. 1. de Missa c. 27. at saltem supponunt illi, & Vasquesius cum illis, vi consecrationis Christum realiter fieri præsentem, ac Deo Patri offerri in memoriam & repræsentationem sacrificii crucis, quod unum ipsis sufficere videtur ad verum sacrificium; ita ut etiam seposita conversione substantiæ panis & vini in substantiam corporis & sanguinis Christi, & sola supposita præsentia reali, sicut sentiunt Lutherani, adhuc tamen salva & integra remaneret natura sacrificii, ob realem præsentiam Christi, & veram repræsentationem mortis ejus in ara crucis. Ubi observa Theologos illos non negare quidem transubstantiationem, sed quodam acuto Scholæ ratiocinio probare, in ea veram consecrationis ideam ac rationem salvari non posse, in qua tamen una consecratione totam sacrificii naturam illi reponunt.

Objicis 7. Illustrissimos Episcopos & fratres de Walembourg. Verum manifeste patet ex c. 5. & 6. controversiæ de sacrificio Missæ, docere illos, quod etsi Missæ sacrificium commemorativum sit ac repræsentativum mortis Christi, reipsa tamen Christum contineat, qui seipsum offert, & semper offeret in sacrificium. Expendunt Illustrissimi fratres, an verba ista quæ in institutione Eucharistiæ leguntur, *datur*, *funditur*, intelligi debeant in præsenti, vel futuro tempore, ac concludunt varias illas lectiones inter se non pugnare, imo unam ex alia inferri, atque his significari vel oblationem Christi quæ facta est in Eucharistia, quando instituta fuit; vel cruentum sacrificium, quod in cruce semel peractum fuit, vel denique verum Eucharistiæ sacrificium, quod usque in consummationem sæculorum offerri debet. En verba: „Et, ut recte Bellarmi„nus, istæ lectiones non pugnant inter se, imo una in „ducit alteram: nam ex eo quod Dominus in præsenti „dixit, *funditur*, id est, offertur ac libatur Deo in re„præsentationem effusionis futuræ in cruce, sequitur, „effusionem in cruce fuisse futuram; & simul etiam „sequitur, deinceps usque ad mundi consummatio„nem fundendum sanguinem Christi, id est, offeren„dum ac libandum Deo in sacrificio Missæ, quod om„nibus veteribus sacrificiis successit." Tandem cap. 6. doctissimi Præsules fundamentum erroris F. le Courayer funditus evertunt, cum docent veritatem sacrificii altaris totam innixam esse præsentiæ reali & substantiali Christi in Eucharistia. „Respondeo, *inquiunt*, sacrifi„cium fundatur in reali præsentia Christi in sanctissi„ma Eucharistia, quatenus ibi præsens est ut victima; „non potest autem esse præsens ut victima, nisi sit rea„liter præsens." Eat nunc F. le Courayer, ac pudore suffusus agnoscat tandem, Illustrissimos Præsules, & alios ex nostris quos nobis opponit, docere sacrificium altaris non pure ac nude commemorativum ac repræsentativum esse mortis Christi, nec illud verum dici posse ac subsistere, sine reali Christi præsentia.

Tom 2. p. 363. n. 8.

Ib p. 365. n. 10.

In quo præcisè reponenda sit essentia sacrificii Missæ.

Hactenus catholicum fidei dogma circa existentiam & essentiam sacrificii, ab insultibus Novatorum vindicavimus, nunc ventilanda Scholæ controversia, in qua præcisè collocari debeat essentia seu natura sacrificii. Considerari autem in illo potest, vel res ipsa quæ sacrificatur & offertur, vel actio sacrificandi. 1. ex parte rei duo sunt dumtaxat, corpus Christi, & species sacramentales; ex parte vero ministri sacrificantis, sex distingui possunt actiones in Missa, de quibus dubitari potest, an sint omnes sacrificio essentiales. Prima est oblatio panis & vini ante consecrationem, Secunda, ipsa consecratio, & transmutatio panis in corpus, & vini in sanguinem Christi. Tertia, oblatio corporis & sanguinis Christi ante & post consecrationem. Quarta, fractio & commixtio Sacramenti. Quinta, consumptio Sacramenti à Sacerdote consecrante facta. Sexta denique, distributio & sumptio, respectu populi fidelis. Quamquam autem omnes istæ Sacerdotis actiones, ubi Sacra perficit, requirantur ac necessariæ sint, non eodem tamen omnes ne-

cessitatis gradu. Quæstio igitur hæc est, in quo præcisè consistat natura & essentia sacrificii, num circa rem quæ offertur; num circa actionem Sacerdotis offerentis. Varias ac discrepantes circa rem præsentem Scholasticorum opiniones fusè refert ac expendit Vasquesius disp. 222. cap. 1. & sequentibus, quas lege, si vacat.

PRIMA CONCLUSIO.

Christus sub speciebus Sacramentalibus panis & vini realiter præsens, primo ac principaliter Deo in sacrificium offertur; species vero sacramentales non pertinent ad sacrificium, tanquam partes, sed tanquam conditiones.

I. Christum realiter sub speciebus Eucharisticis præsentem, primò ac principaliter offerri, manifestum est, tum ex verbis Christi, *Hoc est corpus meum quod pro vobis traditur*, vel *tradetur*. *Hic est sanguis meus qui pro vobis effunditur*, seu, juxta græcum, *effunditur*. Est igitur idem ac verum corpus Christi, quod morti cruentæ tradendum erat, & quod incruento modo tradebatur in sacrificio sacræ mensæ. *In hoc sacrificio Missæ*, ait Conc. Trid. Sess. 22. cap. 2. *idem ille Christus continetur, & incruentè immolatur, qui in ara crucis semel seipsum cruentè obtulit.* Solus quippe *Christus Pascha nostrum immolatus est*, 1. Cor. 5. v. 7. Solus *tradidit semetipsum pro nobis oblationem & hostiam Deo in odorem suavitatis*, Ephes. 5. vers. 2. Ergo ipse Christus est, qui in sacrificio altaris primò ac principaliter offertur & immolatur modo incruento, qui in ara crucis cruentè fuit immolatus.

II. Species sacramentales ad essentiam sacrificii nullatenus pertinent tanquam partes, sed tantum ut conditiones, quibus sacrificium visibile ac externum redditur. Ratio aperta est. 1. Quia species illæ sacramentales non sunt hostia illa immaculata, quæ immolatur & offertur Deo in propitiationem ac remissionem peccatorum nostrorum; ut per se patet. 2. Quia inde sequeretur, sacrificium Missæ quoad rem oblatam non esse idem cum sacrificio crucis, quia ibi solus Christus fuit res oblata, hic autem compositum ex Christo & speciebus. 3. Sequeretur, principalius offerri species sacramentales, quam Christum, quia species præcipuè sunt visibiles. 4. Sequeretur, non offerri totum Christum, sed solam carnem sub specie panis, & solum sanguinem sub specie vini, quia nihil aliud significatur per illas species visibiles, nisi caro & sanguis, neque vi verborum aliud ibi continetur. Aliunde vero, cum sacrificium altaris externum sit ac visibile, atque Christus in propria sua specie visibilis non sit in sacrificio, nisi per symbola seu species externas ac sensibiles panis & vini, idcirco dicendum species illas conditiones esse planè necessarias ad sacrificium. Sic rem exponit doctissimus & illustrissimus Petrus de Marca, Dissert. posth. de sacrificio pag. 90. & 91. *Suares*, inquit, *docet, panem & vinum aliquo modo offerri tum quoad substantiam, quia mutatur in corpus, tum quoad species, quas ait intrinsecè pertinere ad rem oblatam in hoc sacrificio; ita ut res oblata per modum termini, non sit tantum Christus nudè sumptus, sed simul cum speciebus, quatenus cum ipsis unum compositum sacramentale constituit: sed ista, quæ quibusdam durior videtur sententia, temperari potest, ita ut dicatur, rem principaliter oblatam esse Christum, sed species necessarias esse ad modum hujusce sacrificii constituendum, nempe ut sit visibile, mysticum, & incruentum; sic ut pertineant ad rem oblatam per consequentiam quamdam, ut corpus quod apertum erat in cruce hic sit apertum.*

Petr. de Marca Diss. posth. de sacrificio p. 90. & 91.

Dices 1. Panem & vinum offerimus in sacrificio Missæ; *Suscipe, sancte Pater*, ait Sacerdos ante sacrificium, *hanc immaculatam hostiam, quam tibi offerimus &c.* Atqui tunc nonnisi panis & vinum est: ergo panis & vinum verè offeruntur in sacrificio Missæ.

Resp. dist. maj. panem & vinum offerimus tanquam materiam subjectam ex qua sacrificium consecratur, concedo tanquam hostiam, verum sacrificium, aut terminum actionis sacrificantis, nego. Panis autem & vinum *hostia* dicuntur per anticipationem, quia ex his in corpus Christi commutatis realiter præsens in altari sistitur Christus, qui vera est pro peccatis nostris hostia.

Dices 2. Illud est essentiale sacrificio, sine quo sacrificium sensibile ac visibile esse non potest: atqui sine symbolis seu speciebus panis & vini sacrificium altaris sensibile ac visibile esse non potest; ergo species illæ intrinsecè pertinent ad essentiam sacrificii, ita ut res oblata per modum termini non sit Christus nudè sumptus, sed simul cum speciebus, seu quatenus cum ipsis unum compositum sacramentale constituit.

Resp. nego maj. sunt etenim conditiones quædam necessariæ ad rem constituendam, quæ tamen ad ejus naturam & essentiam non pertinent: unio v. g. animæ cum corpore omnino necessaria est ad hominem constituendum, nec tamen pars est essentialis hominis, per principium omnium ipsius operationum. Ergo licet sine speciebus panis & vini sensibile non sit sacrificium, non sequitur species illas essentiales esse partes sacrificii, sed sufficit ut sint conditiones.

Instabis; Ratio signi exterioris ac sensibilis essentialis est Sacramento Eucharistiæ; ergo & sacrificio.

Resp. nego conseq. Disparitas est, quod Sacramentum ex natura sua debeat esse signum sensibile quod gratiam producat; est enim primariò destinatum ad sanctificationem hominis; sacrificium vero in consecratione & oblatione hostiæ essentialiter consistit, in signum ac protestationem supremi Dei in res omnes dominii, ac nostræ ab ipso dependentiæ. Porro species sacramentales offeruntur nec immolantur; ergo licet sint conditiones necessariæ ut sacrificium visibile sit, non sunt tamen de substantia victimæ, nec proinde sacrificii.

SECUNDA CONCLUSIO.

Essentia sacrificii posita non videtur in oblatione quæ fit, vel ante, vel post consecrationem.

I. Oblationem quæ antecedit consecrationem, ad essentiam sacrificii non pertinere, probatur 1. quia talem oblationem præmisisse Christum ante consecrationem non legimus. 2. quia illa oblatio institutionis est Ecclesiasticæ, quæ præparatoria quidem est ad oblationem sacrificii, non autem ipsummet sacrificium, quod juris ac institutionis est divinæ. 3. quia per hanc oblationem nihil fit circa rem oblatam, præter extrinsecam quamdam orationem: nam elevatio quæ fit à Sacerdote, aut consignatio crucis, & aliæ similes actiones, omnino accidentales videntur. 4. quia oblatio vocalis non est ad sacrificium necessaria: satis enim Deo se aliquid offerre demonstrat Sacerdos, qui reipsa offert; & quamvis oblatio aliqua, inquit Bellarminus, ad essentiam sacrificii necessario requiratur, non tamen necesse est, ut ea immolationem præcedat; ipsa etenim immolatio, oblatio esse potest.

II. Nec oblationem, quæ consecrationem sequitur ad essentiam sacrificii pertinere, constat 1. quia eam adhibuisse Christum non videmus, qui statim post consecrationem corpus & sanguinem suum Discipulis distribuit. 2. quia hoc sacrificium principaliter offertur in persona Christi; at verba oblationis subsequentis consecrationem, non dicuntur in persona Christi, sed ministri & totius Ecclesiæ, ut constat ex illis verbis, *Unde & memores nos servi tui... offerimus &c.* 3. quia non

est

est de essentia sacrificii ut verbo explicet oblationem, sicut ex Bellarmino jam audivimus, sed satis est quod opere illam exerceat ex fine seu intentione colendi Deum, ergo vocalis illa oblatio non pertinet ad essentiam sacrificii, sed oblatio realis quæ in consecratione sufficienter continetur. Cur ergo, inquies, adhibetur? Resp. in signum ac protestationem consensus Ecclesiæ in oblatione à Christo factam, cum quo simul & ipsa offert. Inde censet Bellarminus loco citato, oblationem illam si non ad essentiam ad integritatem saltem nostri sacrificii pertinere. Quidquid sit, sedulò cavendum Sacerdoti, ne quid eorum omittat, quæ in canone Missæ observanda præscribuntur.

TERTIA CONCLUSIO.

Fractio & commixtio hujus Sacramenti non pertinet ad essentiam sacrificii.

Ita S. Thomas 3. part. qu. 83. art. 6. ad 6. *Dicendum*, inquit, *quod fractio hostiæ consecratæ, & quod una sola pars mittatur in calicem, respicit corpus mysticum, sicut admixtio aquæ significat populum, Et ideo horum prætermissio non facit imperfectionem sacrificii, ut propter hoc sit necesse aliquid reiterare circa celebrationem hujus Sacramenti.* Quapropter, si fortè, ait Bellarminus ibidem, dum cum ipso Sacramento signum crucis exprimitur, panis consecratus in calicem decidat, non solet frangi, sed relinquitur ita integrum, usque ad sumptionem; nec tamen sacrificium irritum aut essentialiter immutari creditur. Revera Christus panem fregit: at non ad certum mysterium significandum, sed ad distribuendum; neque post fractionem miscuit cum vino consecrato, ut nos observamus, sed immediatè porrexit Discipulis ad manducandum: non ergo fuit fractio mystica, ut nostra; sed usualis.

QUARTA CONCLUSIO.

Sacramenti consumptio, ut à populo fit, non est pars sacrificii; ut autem fit à Sacerdote sacrificante, pars est essentialis, sed non tota essentia.

Prima pars certissima est apud omnes. 1. quia qui edunt victimas participes quidem sunt altaris, ut Apostolus ait 1. Cor. 10 & Hebr. 13, at idem non est, offerre sacrificium, & de altari participare: consumptio autem quæ fit à Sacerdote, non tam est comestio victimæ, quàm consummatio sacrificii; & propriè combustioni holocausti respondere censetur. 2. quia participatio victimæ respectu populi, supponit jam sacrificium perfectum & consummatum. 3. frequenter Ecclesia sacrificium celebrat absque ulla facta populo distributione. 4. tota actio sacrificandi quæ sacrificio essentialis est, immediatè fieri debet à Sacerdote: at distributio fieri potest per Diaconum, & consumptio fit à populo, ergo nec distributio, nec consumptio laica essentialis est sacrificio altaris.

Secunda pars, nempe consumptionem sacrificii à Sacerdote factam essentialem esse.

Probatur I. quia sacrificium Missæ omnium perfectissimum est, ac holocaustum: in holocausto autem victima tota consumebatur & destruebatur; nulla autem in sacrificio Missæ consummatio ac perfecta destructio assignari potest, præter consumptionem quæ fit à Sacerdote, quæ ita necessaria semper judicata fuit ab Ecclesia, ut si fortè Sacerdos ante consumptionem moriatur, vel alio modo à consumptione impediatur, oportet alium Sacerdotem, etiamsi jejunus non esset, illi succedere, & sacrificium consummare. Ita docet S. Th. q. 83, art. 6, ad 3. *Dicendum*, inquit, *quod si musca vel aranea in calicem ante consecrationem ceciderit, aut etiam venenum deprehenderit esse immissum, debet effundi, & abluto calice, denuò aliud vinum poni consecrandum. Si vero aliquid horum post consecrationem acciderit, debet animal caute capi, & diligenter lavari & comburi, & ablutio cum cineribus in sacrarium mitti. Si vero venenum ibi esse depre[illegible] [illegible] immissum, nullo modo debet sumere, nec alii [illegible], ne calix vitæ vertatur in mortem sed debet diligenter in aliquo vasculo ad hoc apto cum reliquiis conservari. Et ne Sacramentum remaneat imperfectum, debet aliud vinum apponere in calicem, & denuo resumere à consecratione sanguinis, & sacrificium perficere.*

II. De ratione sacrificii generatim est, ut Sacerdos sacrificans de victima oblata participet, excepto holocausto, quod totum igne absumebatur. Ita S. Th. q. 82, art. 4. Ergo ut sit perfectum altaris sacrificium, necesse est à Sacerdote illud consumi. Nec obstat, inquit Bellarminus, quòd ista consumptio non videatur fieri in persona Christi, qui tamen est primarius Sacerdos: nam Christus quidem non se ipse manducat, neque immediatè consumit Sacramentum; tamen ipse dici potest consumere, quia ad consumendum tradit, quemadmodum etiam in sacrificio crucis, Christus verè se ipse sacrificavit: quia se occidendum obtulit, licet non seipse occiderit. Nam etiam in Testamento veteri, de ratione holocausti erat combustio, quæ tamen immediatè non à Sacerdote, sed ab igne fiebat, sed verè dicebatur Sacerdos cremare victimam, quando ignem illi subjicebat. Hæc Bellarminus. *Lib. 1. de Missa c. 27. p. 341.*

III. Novis Sacerdotibus, qui in die Ordinationis suæ cum Episcopo concelebrant, communio, juxta Pontificale, concedi debet ex præsenti sacrificio, non ex pyxide in qua asservantur hostiæ jam consecratæ. Quare? quia novi illi Sacerdotes censentur idem sacrificium offerre ac consecrare cum Episcopo; unde necessitas eidem communicandi per veram consumptionem. Denique cap. *Relatum*, *De consecr.* dist. 2. apud Gratianum, dicitur; *Quale erit sacrificium, cujus neque ipse sacrificans particeps esse dignoscitur*? Et Conc. Trid. Sess. 13, cap. 8. ait Ecclesiæ morem semper fuisse, ut Sacerdotes communicent seipsos.

QUINTA CONCLUSIO.

Consecratio Eucharistiæ ad essentiam sacrificii pertinet.

Ita rem exponit Illustrissimus Bossuetius, tum in Expositione Missæ pag. 45. *Nous ne craignons point de dire, ait, que cette sanctification, & cette oblation de Jesus Christ continue encore sur nos Autels; & c'est essentiellement dans la consecration de l'Eucharistie que nous la faisons consister.* Tùm in Expositione doctrinæ Catholicæ circa sacrificium, pag. 149. ubi docet, per verba consecrationis Christum præsentem constitui in altari in statu quodam mortis; atque veluti per gladium quemdam spiritualem, in speciebus distinctis ac separatis immolari, & Deo Patri offerri; idem quippe est hostiam in altari præsentem esse, ac eam offerri; separatio autem illa mystica, quæ vi verborum fit, corporis ac sanguinis, aptè significat ac repræsentat separationem cruentam sanguinis à corpore, quæ in cruce peracta fuit. Deinde quædam hic fit hostiæ immutatio, in eo quod Christi corpus per modum cibi, sanguis vero per modum potus exhibetur, cibus autem ad comestionem, & consequenter ad mutationem & destructionem ordinatur. Nec obstat, ait Bellarm. *quod corpus Christi nullam in [illegible] [illegible] patiatur, neque esse suum naturale amittat, cum manducatur Eucharistia; nam amittit esse sacramentale, & proinde desinit realiter esse in altari, desinit esse [illegible] sensibilis*, cum nempe sumuntur species & absumuntur. Deinde visibile ac externum fit sacrificium, tum in externa verborum prolatione, tum in speciebus separatim consecratis, tum denique quia *Lib. 1. de Missa c. 27. p. 341. H.*

corpus Christi non est victima in sacrificio Missæ, absolutè in propria sua naturali forma seu specie, sed protu speciebus panis & vini obvolutus, quodammodo sensibilis fit ac visibilis.

Ad hæc accedit auctoritas SS. Patrum quos antea laudavimus, cum & de præsentia reali, & de natura sacrificii diximus, illi enim omnes realem Christi præsentiam & oblationem inferunt ex consecratione.

Habemus igitur in consecratione. 1. Christum realiter præsentem. 2. immolationem & oblationem illius incruentam, in separatione mystica corporis & sanguinis, quæ fit cum species separatim ponuntur & consecrantur. 3. commemorationem & repræsentationem sacrificii crucis. 4. aliquam hostiæ immutationem. 5. ejusdem hostiæ visibilitatem, per species, quibus involvitur. Ergo in consecratione rectè constituitur essentia sacrificii.

Probant Bellarminus & alii.

Ibid. p. 542. A. I. Quia sacrificium Missæ offertur in persona Christi: nihil autem facit Sacerdos tam perspicuè in persona Christi, quàm consecrationem, in qua dicit, *Hoc est corpus meum*.

II. Quia Christus ipse aut consecrando & consumendo sacrificavit, aut nullo modo sacrificavit; namque non est alia Christi actio, quæ sacrificium dici possit, neque ante, neque post consecrationem.

III. Quia Apostoli initio, si nihil addebant ad verba consecrationis præter Dominicam orationem, necesse est, ut consecrando sacrificarent; neque enim oratio Dominica sacrificium dici potest.

IV. Quia in consecratione consistit repræsentatio sacrificii crucis, ut S. Thom. docet 3. p. qu. 80. art. 12. ad 3. ad simul esse debent sacrificium reale, & sacrificium repræsentativum; siquidem ipsum reale alterius repræsentativum est. Hæc Bellarminus. Ex quibus inferimus, sacrificium altaris esse Christum ipsum in altari realiter sub speciebus præsentem, qui mysticè immolatur ac verè offertur Deo in memoriam ac repræsentationem cruenti sacrificii crucis.

Quid sit sacrificium Missæ.

Dices 1. Ita se habet consecratio ad sacrificium incruentum, sicut ipsa Incarnatio ad cruentum: atqui Incarnatio non est pars sacrificii; ergo nec consecratio. Major propositio probatur: quia, sicut Deus factus homo per Incarnationem, postea in cruce oblatus est; ita Christus factus panis vitæ per consecrationem, postea in altari offertur. Confirmatur ex veteribus sacrificiis. Namque productio Agni paschalis v. g. non erat pars sacrificii, sed productio rei sacrificandæ; ergo similiter consecratio non est pars, sed præparatio, & veluti aliquid prævium, ad rem seu victimam offerendam.

Resp. dist. maj. Si Christus in hoc sacrificio sit res oblata per modum materiæ, quæ actioni sacrificandi supponatur, concedo: si Christus est res ipsa oblata, tanquam terminus qui ex sacrificatione seu consecratione resultat, nego. Porro Christus in nostro sacrificio non est tanquam materia quæ actioni sacrificandi subjaceat & supponatur, sed est tanquam terminus ipsius consecrationis, ex qua resultat: vi quippe consecrationis præsens sistitur, & offertur ac immolatur; unde consecratio non est præparatio materiæ, sed est ipsamet actio qua perficitur sacrificium. Aliter res se habet in sacrificio crucis, & Agni paschalis: nam Christus ut homo vivus, fuit materia sacrificii cruenti, sicut agnus vivus materia fuit mosaici sacrificii. Inde apertè fit disparitas inter Incarnationem respectu sacrificii cruenti, & consecrationem respectu sacrificii incruenti: in ista Christus est terminus actionis sacrificantis, in illa est materia quæ sacrificatur & immolatur.

Dices 2. In die Parasceves verum offertur sacrificium sine consecratione, quia fit o[illegible] ex præsanctificatis; ergo consecratio non est de [illegible] sacrificii. Antecedens probatur 1. ex oratione quam Ecclesia in Officio illius diei profert his verbis, *In spiritu humilitatis & in animo contrito suscipiamur à te, Domine, & sic fiat sacrificium nostrum in conspectu tuo hodie, ut placeat tibi, Deus.* Et postea: *Orate fratres, ut meum & vestrum sacrificium &c.* 2. probatur ex S. Augustino Epistola 54. aliàs 118. cap. 2. ubi ait; *Omnibus diebus offertur Deo sacrificium in Ecclesia.*

Resp. 1. dist. ant. in die Parasceves offertur sacrificium jam perfectum, concedo; sacrificium, quod tunc in Officio Parasceves perficiatur, nego: nullum enim tunc offertur, sed sacrificium pridie oblatum solummodo consumitur. Si ergo vox sacrificii propriè sumatur, referenda est, non ad actionem quæ tunc fit, sed ad eam quæ pridie facta fuit, nec aliter intelligenda mox dicta Ecclesiæ oratio. *In die qua ipsa passio Domini recolitur*, ait S. Thom. qu. 83. art. 2. ad 2. *prout realiter gesta est, non celebratur consecratio hujus Sacramenti; ne tamen Ecclesia, in etiam die sit sine fructu passionis per hoc Sacramentum nobis exhibitæ, corpus Christi consecratum die præcedenti reservatur sumendum in illa die; non autem sanguis, propter periculum, & quia sanguis specialius est imago dominicæ passionis. Nec verum est quod quidam dicunt, quod per commissionem particulæ corporis Christi in vinum, convertatur vinum in sanguinem: hoc enim aliter fieri non potest, quam per consecrationem factam sub debita forma verborum.* Verum igitur in Officio Parasceves non fit sacrificium, quia hac ipsa die Christus realiter occisus recolitur. unde Sacerdos nihil agit in persona Christi in illo Præsanctificatorum Officio, quod tamen fieri necesse foret, si verum esset illud sacrificium, quandoquidem Christus est principalis offerens: at quia conveniens non videtur, ut Christus eo die inducatur loquens & offerens, quo mortuus recolitur, ideirco nihil in persona Christi ea die peragit Sacerdos. Confirmat Rabanus in Libro de institut. Cleric. cap. 67. ex figura hujus mysterii, quia in veteri Lege eo die quo summus Sacerdos semel intrabat in Sancta Sanctorum, alii Sacerdotes non sacrificabant.

Resp. 2. nomen sacrificii in objectione sumi posse latiori quodam sensu, non tantùm pro re oblata, sed etiam pro actione Sacerdotis, imò & tota Officii Parasceves celebratione: postulat scilicet Sacerdos, ut Fideles suas apud Deum preces & pro se ipso & pro toto populo interponant ad dignam & utilem Officii celebrationem. Observat Alcuinus Lib. de divinis Officiis cap. 40. Sacerdoti dicenti, *Orate fratres*, Acolythum olim respondisse, *Sit Dominus in corde tuo, & in ore tuo ut suscipiat sacrificium sibi acceptum de ore tuo & de manibus tuis pro nostra omnium salute.* P. 510. D. *Ubi sacrificium*, ait Vasques disput. 223. *non propriè pro immolatione victimæ, sed latiori significatione pro tota actione Missæ usurpabatur, & ita nunc etiam usurpabatur, & ita nunc etiam usurpari potest. Porro autem tunc ita usurpatum fuisse, constat, quia loquebatur minister de sacrificio oris, manuum, & cordis; sacrificium autem propriè dictum non consistit in verbis.* Ita Vasques.

S. Augustinus citatus generatim loquitur, & non excludit singularem exceptionem unius diei. Ep. 54. 124. A.

Dices 3. Si sacrificium Missæ sola consecratione perficeretur, sola consecratione fieret perfecta oblatio pro vivis & defunctis, ergo tunc statim suum effectum haberet ex opere operato: atqui hoc falsum videtur, quia post factam consecrationem, Ecclesia etiam defunctorum commemorationem facit, ac orat pro iis.

Resp. dist. maj. sola consecratione fieret perfecta oblatione pro vivis atque defunctis, quantum ad effectum ex opere operato, concedo: quantum ad effectum

etiam ex opere operantis, nego. Commemoratio fit in Missa pro vivis atque defunctis, tum ante, tum post consecrationem: verum orationes illæ vim tantum habent ex opere operantis, & per modum impetrationis; consecratio vero ex opere operato.

Dices denique: Sola communio seu participatio Eucharistiæ repræsentat sepulturam Domini; ergo sola illa communio essentialis est sacrificio.

Resp. Transeat antecedens, nego conseq. quia sicut sepultura realis corporis Christi non fuit pars essentialis sacrificii crucis, ita nec repræsentatio hujus sepulturæ essentialis est sacrificio Missæ.

Quæres 1. an sacrificium Missæ essentialiter differat ab omnibus aliis sacrificiis, nempe ultimæ Cœnæ, crucis, & Mosaicis.

Resp. 1. Sacrificium Missæ essentialiter non differre à sacrificio ultimæ Cœnæ. Ratio est aperta, quia eadem est utrobique hostia, idem principalis Sacerdos, Christus: differunt ergo tantum accidentaliter in nonnullis conditionibus. V. gr. in sacrificio ultimæ cœnæ Christus mortalis oblatus est, non ita in sacrificio Missæ; quamquam enim sub quodam mortis statu illic offeratur, non tamen ut mortuus; semel etenim mortuus amplius non moritur. 2. in sacrificio ultimæ Cœnæ Christus proximè ac immediatè seipsum obtulit, in sacrificio verò Missæ immediatè ac proximè offertur ministerio Sacerdotum: quod discrimen accidentale est, siquidem idem semper remanet principalis offerens Christus. 3. sacrificium ultimæ Cœnæ & Missæ differunt in effectu morali: prius meritorium fuit ac satisfactorium; non posterius, quia Christus jam in eo statu non est ut mereri possit ac satisfacere: propitiatorium est nostrum sacrificium, nobisque merita mortis ac passionis Christi applicat. 4. significatione differt sacrificium Missæ à sacrificio postremæ Cœnæ: istud futuram, illud verò præteritam significat Christi mortem. 5. sacrificium Cœnæ non fuit imago alterius sacrificii incruenti; nostrum vero imago est sacrificii Cœnæ incruenti.

Resp. 2. Sacrificium Missæ essentia & substantia non differre à sacrificio crucis, ob rationem mox adductam ex unitate ejusdem hostiæ quæ offertur, & Sacerdotis supremi offerentis: discrimen dumtaxat est penes modum offerendi: hic incruentus est, qui in Cruce cruentus fuit; hic mystica immolatio & oblatio, in Cruce verò realis ac physica cum sanguinis effusione; hic non solvitur redemptionis nostræ pretium, sed tantum communicatur seu applicatur: hic imago est ac repræsentatio sacrificii Crucis; istud verò Crucis sacrificium, nec repræsentatio nec imago fuit alterius, sed prototypon omnium sacrificiorum.

Resp. 3. sacrificium Missæ essentialiter differre à sacrificiis Mosaicis, tum ex parte rei oblatæ, Christi scilicet qui hic offertur, unde nascitur totum sacrificii pretium; tum ex parte offerentis, tum ex parte virtutis & efficaciæ.

Quæres 2. an sacrificium Missæ essentialiter differat à Sacramento Eucharistiæ.

Certum est eandem esse actionem realem in utroque mysterio, quia una est eademque actio qua conficitur Sacramentum Eucharistiæ, & fit consecratio seu oblatio sacrificii. Certum etiam est, utrobique eundem esse actionis terminum, Christum nempe sub speciebus panis & vini. Quæritur ergo, an sit etiam una eademque essentia utriusque mysterii; an potius alia sit ratio seu essentia sacrificii, & alia Sacramenti; deinde si sint duæ rationes, seu essentiæ distinctæ, utra earum sit prior ordine temporis, naturæ & perfectionis.

Dico 1. essentiam sacrificii Missæ distinctam esse ab essentia Sacramenti Eucharistiæ, 1. quia essentia sacrificii partim consistit in actione sacrificandi, partim in victima immolata & oblata: at essentia Sacramenti Eucharistiæ nullo modo consistit in actione, sed in sola re permanente, quæ resultat ex actione. 2. essentia sacrificii Missæ requirit utriusque speciei consecrationem, ad repræsentandam scilicet mortem & passionem Christi; essentia vero Sacramenti salva est sub una etiam specie. 3. sacrificium per se primario & immediatè ad cultum Dei ordinatur; Sacramentum autem ad nostram sanctificationem.

Dico 2. essentiam Sacramenti prius tempore perfici, quàm essentiam sacrificii. Ratio est, quia Sacramentum essentialiter perficitur per consecrationem unius speciei, sacrificium autem per consecrationem utriusque: constat autem consecrationem unius speciei ordine temporis priorem esse consecratione utriusque speciei.

Quæres, an idem ordo servetur in effectu Sacramenti & sacrificii. Resp. in effectu contrarium ordinem servari. Nam effectus sacrificii confertur peracta consecratione utriusque speciei; effectus autem Sacramenti confertur in usu seu sumptione Eucharistiæ, quæ ordine temporis sequitur ipsam consecrationem: quamquam autem ordine temporis una actio prior sit altera, uniuntur tamen moraliter ad idem sacrificium perficiendum.

Dico 3. ordinem naturæ seu causalitatis hic duplicem distingui posse, unum intentionis, & alterum executionis. Ordine intentionis prior est ratio seu essentia sacrificii, quàm Sacramenti, quia principaliùs intenditur cultus & honor Dei, quam nostra utilitas; unde potestas sacerdotalis primariò refertur ad sacrificium Deo offerendum, & secundariò ad Sacramentum conficiendum. At ordine executionis essentia sacrificii est posterior, quia ex parte rei oblatæ supponit totum id quod pertinet ad rationem Sacramenti; & ultra hoc requirit aliquid aliud ad rationem sacrificii, nempe mactationem mysticam, & consecrationem utriusque speciei; ergo supponit quodammodo rationem Sacramenti in genere causæ materialis.

At, inquies, inde sequitur rationem sacrificii includere rationem Sacramenti, quod absurdum est, siquidem duæ sunt rationes specificæ, quarum una non potest alteram includere aut contrahere.

Resp. Si sacrificium sumatur pro re oblata, tunc includit rationem Sacramenti, & aliquid superaddit. Si verò sumatur pro actione sacrificandi, tunc non includit rationem Sacramenti, sed tamen dicit ordinem & respectum ad Sacramentum Eucharistiæ, tanquam ad rem oblatam & immolatam, idque sub utraque specie.

ARTICULUS III.

Utrum ad essentiam sacrificii necessaria sit utriusque speciei consecratio.

Ex dictis hactenus constat, sacrificii naturam & essentiam in consecratione positam esse, quatenus per eam Christus præsens realiter in altari sistitur sub speciebus panis & vini, mysticè immolatur, ac Deo Patri offertur in memoriam & repræsentationem cruenti crucis sacrificii. Quæstio hic vertitur, utrum ad illam mysticam immolationem ac repræsentationem crucis, necessaria omnino sit utriusque speciei consecratio, an in una specie salva & integra illa esse possit. Quæstio porrò non est de possibili, utrum absolutè, Deo ita volente, integra subsistere potuisset sacrificii natura in una specie; sed de facto, an re ipsa voluerit Christus Eucharistiam in sacrificium instituendo, utramque speciem adhibendam esse.

I. Negant nonnulli, qui Gasparem Cassalium & Ruardum laudant, ad quam sententiam accedere videntur ex Scholasticis, ii qui asserunt, solo jure humano, non divino, utramque speciem ad consecrationem necessariam esse. Ita censere videtur Adrianus in 4.

q. 6. de Eucharistia; Major in 4. dist. 9. qu. 3. Claudius de Saintes, Repetit. 10. de Eucharistia. Ratio hæc ipsis est, quia si utraque species jure divino foret necessaria, non posset S. Pontifex ab eo jure dispensare; atqui tamen, inquiunt illi, nonnulli S. Pontifices permiserunt consecrationem fieri in una specie. Refert Raphael Volaterranus L. 7. Geographiæ c. 4 quod est de Saxonibus, Innocentium VIII. cum Norvegia dispensasse: hoc idem refert Onuphrius Panvinius in Chronico, ad an. 1490. Præterea eodem modo cum illis dispensasse Innocentium IV. refert ex eodem Volaterrano Claudius de Saintes Repet. 10. de Eucharistia c. 3. Denique Albertus L. de corpore Domini, cujus sententiam refert Gabriel, Lect. 53. in Canonem Missæ; Angelus in Summa, verbo, *Eucharistia*; Willelmus Alanus L. de Euchar. & alii quotquot arbitrantur præceptum consecrandi utramque speciem, solummodo Ecclesiasticum esse, consequenter docent, S. Pontificem ex dispensatione relaxare præceptum de utraque specie simul consecranda. Vide Vasquesium disp. 123. c. 1.

II. asserunt vulgo Theologi post S. Thomam, ad essentiam sacrificii, jure ac præcepto divino, à quo nullo modo dispensari potest, utramque speciem pertinere.

CONCLUSIO.

Utriusque speciei consecratio ad essentiam sacrifici pertinet.

Probatur 1. exemplo & præcepto Christi, qui tanquam Pontifex secundum ordinem Melchisedech Eucharistiam in pane & vino consecravit, suisque Apostolis eorumque successoribus mandavit, ut idem in sui commemorationem facerent. Ita Conc. Trid. Sess.

Luc. 22. v. 9. I. 14. Conc. p. 813. A.

22. c. 1 Christus "Sacerdotem secundum ordinem Melchisedech se in æternum constitutum declarans, corpus „& sanguinem suum sub speciebus panis & vini Deo „Patri obtulit, ac sub earumdem rerum symbolis, „Apostolis, quos tunc novi Testamenti Sacerdotes „constituebat, ut sumerent tradidit, & eisdem, eorumque in sacerdotio successoribus, ut offerrent, „præcepit per hæc verba, Hoc facite in meam commemorationem; uti semper Catholica Ecclesia intellexit & docuit." Idem constat ex Can. 2. ejusdem Sessionis. Universa igitur Ecclesia semper intellexit ac credidit, atque perpetuo declaravit, per hæc verba, *Hoc facite*, Christum legem omnibus Sacerdotibus imposuisse, ut idem facerent quod ipse tanquam sacerdos secundum ordinem Melchisedech fecerat; atqui Christus corpus & sanguinem suum in pane & vino consecravit; ergo utraque illa panis & vini species jure ac præcepto divino necessaria est ad essentiam consecrationis & sacrificii.

Probatur 2. quia ex S. Thoma q. 80. art. 12. ad 3. repræsentatio dominicæ passionis in consecratione peragitur, ideoque non potest corpus sine sanguine consecrari. Et quæst. 83. art. 1. ad 2. ait in mysterio Eucharistiæ immolari Christum, quatenus continet expressam repræsentationem cruenti sacrificii. Inde sic argumentamur, Incruentum Missæ sacrificium imago est ac repræsentatio sacrificii crucis, est mystica quædam mactatio: at repræsentatio non est, nec mystica mactatio, nisi quatenus per consecrationem utriusque speciei vi verborum corpus & sanguis Christi sacramentaliter separantur, licet re ipsa conjuncta sint per naturalem concomitantiam.

Dices 1. Per consecrationem unius speciei totus Christus modo sacramentali realiter præsens in altari ponitur, ac in honorem Dei offertur, ipsa siquidem consecratio, ex dictis antea, essentialiter est oblatio; ergo nihil deest ut vere sit sacrificium.

Resp. nego conseq. deest quippe expressa significatio mortis Christi, quæ in separatione utriusque speciei ac mystica immolatione consistit. Sæpius dictum est, commemorationem illam ac repræsentationem omnino necessariam esse ad sacrificium, tametsi sacrificium istud non sit pure ac nude commemorativum ac repræsentativum, sed verum, reale ac proprie dictum. Cum vero dicimus consecrationem essentialiter esse oblationem, de consecratione loquimur, quæ fit in utraque simul specie, non de alia.

Dices 2. Per consecrationem corporis Christi sub specie panis, Christus aptus fit cibus Fidelium, idemque est de consecratione calicis sola secundum se; ergo alterutrius speciei consecratio sola ad rationem sacrificii sufficit.

Resp. dist. ant. per consecrationem panis, antequam vinum consecretur, corpus Christi aptum redditur ad cibum spiritualem, concedo; ad mysticam immolationem, ac repræsentationem mortis ejus; nego; antequam enim vinum consecretur, non repræsentatur corpus Christi ut mortuum & immolatum quia non fit separatio mystica sanguinis à corpore, quæ separatio & immolatio necessaria est ad sacrificium incruentum, quod fit in memoriam & repræsentationem sacrificii cruenti.

Instabis: In consecratione unius speciei sufficienter repræsentatur cruentum sacrificium crucis, quia illud crucis sacrificium positum non fuit in separatione sanguinis, sed animæ à corpore, & sufficienter repræsentatur per consecrationem solius corporis, quod vi verborum exsangue, ac sine anima sub specie panis ponitur, quamvis ratione concomitantiæ cum anima & sanguine conjunctum sit.

Resp. nego ant. ad probationem dico, cruentum Christi sacrificium formaliter includere non tantum mortem, sed & causam mortis, effusionem nempe sanguinis & separationem ejus à corpore, quam quidem separationem utriusque speciei consecratio proxime significat, remote autem ac consequenter separationem ipsam à corpore, quod quidem sufficit ad rationem incruenti sacrificii.

Dices 3. Si Sacerdos statim post consecratum panem moreretur, nonne Sacrum perfectum diceretur? Ergo in consecratione unius speciei tota salva est sacrificii natura.

Resp. In casu proposito inchoatum quidem fore sacrificium, sed non plene perfectum; unde alius substituendus foret Sacerdos, qui illud perficeret & absolveret. Ita statutum fuit à Conc. Toletano VII. Can. 1. ut si Sacerdos post inchoatum sacrificium, id est post consecratam unam speciem (ut communiter exponitur illud Decretum) ait Bellarminus, adeo ægrotare incipiat, ut prosequi nequeat, alius Sacerdos succedat, & perficiat sacrificium. De Sacr. Euch. l. 4. c. 22.

Dices 4. Christus ipse in Castello Emaus coram duobus Discipulis solum panem consecravit: quin & novi Sacerdotes recenter inaugurati simul cum Episcopo consecrant, neque tamen sanguinem sub specie vini percipiunt; ergo integrum stare potest sacrificium, & sine consecratione utriusque speciei, & sine sumptione.

Resp. ad primum, Christum primum præcepti auctorem, pro sua suprema auctoritate solam panis speciem consecrasse, quia voluit duntaxat eos Discipulos reficere, & ab illis agnosci, ita ut agnitus statim ex oculis eorum se subduxerit & evanuerit, quod quidem eo tempore maxime expediebat. Quod vero Christus ex suprema sua & absoluta voluntate fecit, nobis ad imitandum non proponitur.

Ad secundam, satis est quod Episcopus, qui principalis est

lis est offerens, utramque speciem sumat; neque ullo modo probari potest ex dispensatione fieri, ut Sacerdotes recenter inaugurati sanguinem sub specie vini non percipiant.

Dices 5. Referunt nonnulli post Volaterranum, dispensatum aliquando fuisse à SS. Pontificibus Innoc. IV. & VIII. ut sub una tantum specie panis, ob vini penuriam, consecratio fieret. Addunt alii, quòd etsi certum foret, jure divino utramque speciem necessariam esse, adhuc tamen certis in casibus Ecclesiam ab illo jure dispensare posset, sicut dispensat in juramento, voto, & matrimonio rato, quorum obligatio juris divini est ac naturalis.

Resp. Dispensationes illas aut fictas esse, aut ipso jure nullas. Habet quidem Ecclesia potestatem, ut in Sacramentorum dispensatione ea statuat vel mutet quæ suscipientium utilitati, seu ipsorum Sacramentorum venerationi, pro rerum, temporum, & locorum varietate magis expedire judicat; at salva semper illorum substantia, ait Conc. Trid. Sess. 21. cap. 2. Porro substantia sacrificii subsistere non potest sine consecratione utriusque speciei.

Quod additur de dispensatione à juramento, voto, & matrimonio, suo loco exponetur: dixisse hic sufficiat, obligationem, quæ juramento, voto, vel matrimonio contrahitur, dispensatione non tolli, quamdiu manet ac viget promissio juramenti, voti ac matrimonii; sed Ecclesiam dumtaxat declarare certis in casibus juramentum, votum, aut matrimonium non obligare.

Instabis: Ratio essentialis Sacramenti & sacrificii prorsus distincta est; ergo Eucharistia, saltem quatenus Sacramentum est, potest in una specie consecrari.

Resp. nego conseq. Quia Sacerdos una & eadem actione & Sacramentum perficit, & offert sacrificium, neque ipsi fas est cùm celebrat, unum ab alio sejungere. Non ita est de participatione Eucharistiæ extra celebrationem; sub una quippe specie, & à Sacerdote ipso non celebrante, & à Fidelibus tanquam Sacramentum percipitur.

ARTICULUS IV.

Utrum incruentum Missæ sacrificium sit propitiatorium.

INitio hujus disputationis de sacrificio generatim sumpto observavimus, sacrificium ratione finis distingui, in latreuticum, Eucharisticum, impetratorium, & propitiatorium. Latreuticum dicitur, ob cultum latriæ seu perfectæ servitutis, qui Deo supremo rerum omnium Domino exhibetur; Eucharisticum fit in gratiarum actionem pro acceptis beneficiis: impetratorium vero pro accipiendis; propitiatorium denique dicitur, quod Deum nobis propitium, benignum ac placatum reddit, & offertur pro peccatis, & pro peccatorum pœnis ac flagellis avertendis.

Sacrificium propitiatorium dici potest, vel ratione solutionis pretii, ac satisfactionis perfectæ pro redemptione nostra, vel ratione dumtaxat applicationis quæ nobis fit meritorum passionis ac mortis Christi. Duo ista malignè confundunt Novatores: plena solutio pretii redemptionis nostræ facta est in cruce; applicatio vero vel communicatio hujus pretii, seu meritorum Christi, fit per Sacramenta, per bona opera, præsertim vero per sacrificium altaris.

Novatores Lotherani & Calvinistæ non recusant agnoscere sacrificium nostrum, (quod non propriè, sed impropriè ac latiori quodam sensu sacrificium appellant) Latreuticum & Eucharisticum dici posse; ac verè propitiatorium & impetratorium illud esse, pernegant.

CONCLUSIO.

Incruentum Missæ sacrificium verè propitiatorium est ac impetratorium.

Probatur 1. ex institutione ipsa Eucharistiæ, Matth. 26. v. 28. *Hic est sanguis meus qui pro multis effundetur*, vel, juxta græcum, *effunditur in remissionem peccatorum*. Et Luc. 22. v. 20. *Hic est calix novum Testamentum in sanguine meo, qui pro vobis fundetur*, græcè, *funditur*. Diversitas temporis. *fundetur*, *funditur*, duplicem designat ejusdem sacrificii statum, seu modum pro futuro, cruentum cum physica effusione sanguinis; pro præsenti, incruentum cum mystica immolatione: utrobique verò est in remissionem peccatorum; in cruce, solvendo pretium nostræ redemptionis; in altari, illud nobis applicando, unde meritò Christus nostra propitiatio hoc utroque sensu dicitur. Rom. 3. v. 25. *Quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius, ad ostensionem justitiæ suæ propter remissionem præcedentium delictorum*. 1. Joann. 2. c. v. 2. *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi*. Et cap. 4. v. 10. *Misit Filium suum propitiationem pro peccatis nostris*. Fidem hanc confirmat & ipse S. Paulus Hebr. 5. v. 1. *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in his, quæ sunt ad Deum, ut offerat dona & sacrificia pro peccatis*. Est illud præcipuum Sacerdotis officium, offerre nempe sacrificium pro peccatis; ergo respondere illi debet sacrificium propitiatorium. Etenim Eucharistia, quatenus Sacramentum, non habet ex sua institutione vim tollendi peccata directè ac primariò, sed nutriendi tantùm & conservandi vitam spiritualem, neque potest nisi sumenti prodesse: econtra peccata dimittit, quatenus sacrificium est propitiatorium, quod non tantum offerenti, sed & aliis, pro quibus offertur, fructum affert.

Ex eo vero quod sacrificium Missæ propitiatorium sit, consequens est, ut sit etiam impetratorium: si enim Deum placare potest, ac propitium reddere ad dimittenda peccata, quidni poterit & ab ipso nova & uberiora auxilia gratiæ, cæteraque beneficia impetrare?

Si potest Ecclesia suis votis ac precibus plurima obtinere à Deo beneficia, seu terrena seu cœlestia, an non idem poterit Christus ipse in altari præsens ac mysticè immolatus? Porro non alium in finem Apostolus 1. ad Timoth. 2. v. 1. observat *fieri orationes, postulationes & gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro regibus, & omnibus qui in sublimitate sunt*, ut, inquit, *quietam & tranquillam vitam agamus*. Quem usum Ecclesia semper observavit. *Postquam*, ait S. Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi 5. mystag. *confectum est illud spirituale sacrificium, & ille cultus incruentus super ipsa propitiationis hostia, obsecramus Deum pro communi Ecclesiarum pace, pro tranquillitate mundi, pro regibus, pro militibus, pro sociis, pro ægrotis & afflictis, & in summa, pro omnibus qui egent auxilio.* P. 241. B.

Probatur 2. ex SS. Patribus ac constanti Ecclesiæ Traditione.

S. Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi mox citata, vocat Eucharistiam *hostiam propitiationis*, & postea dicit: *Christum pro nostris peccatis mactatum offerimus, ut & nobis & illis, eum, qui est benignissimus, propitium reddamus.* Ibid.

S. Joan. Chrysostomus Lib. 6. de Sacerdotio. *Qui pro tota civitate*, inquit, *& quid dico civitate? imo pro universa terra oratorem agit, Deoque supplicans, ut omnium peccatis sit propitius, non vivorum tantum, sed etiam eorum qui obierunt, qualem, quæso, oportet esse?* Tom. 1. p. 424. A.

Tom. 2. p. 63. C. Ibid. 302. D. S. Ambrosius L. 1. de Officiis c. 48. *Offert*, inquit, *Christus seipsum quasi Sacerdos, ut peccata nostra dimittat.* Et in Exhortatione ad Virgines, vocat sacrificium, quod in altari offertur, "hostiam salutarem, per „quam peccatum mundi hujus aboletur.

Tom. 4. p. 418. S. Hieronymus Comment. in c. 1. Epist. ad Titum. „Si Laicis, ait, imperatur, ut propter orationem abstine„ant se ab uxorem coitu; quid de Episcopo sentiendum „est, qui quotidie pro suis populique peccatis illibatas „Deo oblaturus est victimas?

Tom. 3. p. 1. p. 517. A. S. denique Augustinus q. 57. in Levit. "In multis, „*inquit*, sacrificiis quæ pro peccatis offerebantur, unum „hoc nostrum sacrificium significatur, in quo vera fit „remissio peccatorum.

Perpetuam illam Ecclesiæ fidem ac Traditionem sequitur ac confirmat Conc. Trid. Sess. 22. c. 2. his verbis: " Docet sancta Synodus, sacrificium istud vere Tom. 14. Conc. p. 855. C. „propitiatorium esse, per ipsumque fieri, ut si cum vero „corde, & recta fide, cum metu & reverentia, contriti ac „pœnitentes ad Deum accedamus, misericordiam con„sequamur, & gratiam inveniamus in auxilio opportu„no. Hujus quippe oblatione placatus Dominus, gra„tiam & donum pœnitentiæ concedens, crimina & pec„cata, etiam ingentia, dimittit. *Rationem statim reddit* „*Synodus*, Una enim eademque est hostia, *inquit*, idem „nunc offerens Sacerdotum ministerio qui seipsum tunc „in cruce obtulit, sola offerendi ratione diversa.

Ibid. p. 855. Et Can. 3. ejusdem Sess. " Si quis dixerit, Missæ sa„crificium tantum esse laudis, & gratiarum actionis, aut „nudam commemorationem sacrificii in cruce peracti, „non autem propitiatorium; vel soli prodesse sumenti; „neque pro vivis & defunctis, pro peccatis, pœnis, satis„factionibus, & aliis necessitatibus offerri debere, ana„thema sit.

Probatur 3. evidenti ratione ducta tum ex sacrificiis veteribus, quibus vis ea inerat ut à peccatis saltem legalibus, idest ab immunditia legali, mundarent; tum ex ipso Christo omnium gratiarum fonte ac capite, qui tanquam vera hostia sub symbolis eucharisticis præsens immolatur & offertur in remissionem peccatorum. Causam istam & rationem quam adducit P. 92. Conc. Trid. eleganter exponit Illustrissimus Petrus de Marca in Dissertatione posthuma de Eucharistia. "Ita„que, *inquit*, cum res oblata, & qui principaliter offert „& interpellat, sit ipse Christus, dubium non est, quin sit „in hoc sacrificio infinita vis impetrandi omnem gratiæ „apparatum, quo instructi, ingentium criminum ve„niam consequi possimus. Quid enim deest ad pecca„torum indulgentiam assequendam, ubi auctor ipse „gratiæ, qui eum nobis promeritus est cruento sacrifi„cio, in mystica ceremonia illius memoriam renovat, „atque pro nobis Patrem interpellat, quo beneficii in „cruce quæsiti nos faciat compotes? .... *Et postea*; Ut „atque summam istam contraham in pauca, propitiatorium „dicitur sacrificium Eucharisticum, quoniam impetrat „gratiam necessariam ad salutem, & ad ea omnia „consequenda beneficia, quæ nobis sua passione pro„meruit, nisi contumaciter auxilia illa rejecerimus.

Dices 1. cum Luthero. Baptismus unius non prodest alteri, nec potest unus pro alio baptisari; ergo nec sumptio Eucharistiæ potest ab uno pro alio fieri; ergo Missa non est sacrificium propitiatorium.

Resp. ex supra dictis multum interesse inter Sacramenti susceptionem, & oblationem sacrificii: Sacramentum enim ad sanctificationem suscipientis primario ac directe ordinatur, & ideirco nonnisi suscipientem sanctificat; at sacrificium ordinatur ac tendit tum ad gloriam Dei, cujus supremum in res omnes dominium declaratur, tum ad impetrendum beneficia iis omnibus Tom. 3. p. 346. B. pro quibus offertur. *Quare*, inquit Bellarminus L. 2. de Missa cap. 5. *sacrificium simile est orationi, quod attinet ad efficientiam: oratio enim non solùm prodest oranti, sed etiam iis, pro quibus oratur. Ex his colligimus*, pergit doctissimus Cardinalis, *manducationem Eucharistiæ, quæ fit a Sacerdote, ut est Sacramenti susceptio, soli sumenti prodesse; ut autem sacrificii consummatio, prodesse illis omnibus, pro quibus oblatum est sacrificium.*

Dices 2. cum Kemnitio. *Si Missæ sacrificium propitiatorium esset, ac peccata remitteret, utile foret non accedere ad Sacramenta pro remissione peccatorum percipienda, nam remissio peccatorum per unam Missam ab alio dictam, sine ullo labore & periculo haberi potest.*

Resp. dist. ant. Si Missæ sacrificium immediatè ac proximè peccata dimitteret, concedo: si mediatè duntaxat; impetrando scilicet auxilia gratiæ, ac donum pœnitentiæ quo peccatores moveantur ad Sacramenta desideranda & quærenda, nego. Solutio ex mox dicendis clarius patebit.

ARTICULUS V.

De effectibus sacrificii Missæ, & de modo quo producuntur: an ex opere operato, an tantùm ex opera operantis.

Observa 1. inter varios effectus sacrificii, alios in bonis spiritualibus, alios in temporalibus positos esse.

II. Recolendum ex Tractatu de Sacramentis in genere, illud efficax dici ex opere operato, quod ex institutione Christi, virtute operis externi subjecto debitè applicati, effectum suum sortitur; ex opere vero operantis, quod ex fide, pietate seu recipientis, seu ministrantis Sacramentum, aliquod bonum spirituale impetrat.

III. Potest aliquid efficax esse ex opere operato, duobus modis. 1. per modum Sacramenti seu signi & instrumenti à Christo Domino instituti ad certum effectum immediatè producendum: talis est Sacramentorum vis & efficacia. 2. per modum impetrationis, quæ alicui actioni vel operi certò annexa est.

IV. Gratiam & remissionem peccatori conferri posse, vel proximè ac immediatè vel mediatè duntaxat: Sacramenta v. g. gratiam immediate conferunt, ad quam conferendam sunt à Deo destinata; sacrificium vero mediate, impetrando scilicet gratiam, per quam homines ad conversionem cordis excitentur, & ad Sacramenta, velut ad gratiarum fontes, organa, & instrumenta, confugiant.

V. denique, in peccato spectari posse reatum, tum culpæ, tum pœnæ temporalis, quæ etiam post condonatem culpam luenda superest. His prænotatis.

Dico 2. sacrificium Missæ valere plurimum ad bona spiritualia & etiam temporalia à Deo impetranda.

I. quantum ad spiritualia bona, mox audivimus Synodum Tridentinam dicentem Sess. 22. c. 2. *Hujus*, (Christi) *oblatione placatus Dominus, gratiam & donum pœnitentiæ concedens, crimina & peccata etiam ingentia dimittit.* Justis etiam prodest ad augmentum virtutis & sanctificantis gratiæ.

Spirituales vero illos effectus, gratiam scilicet, donum pœnitentiæ, peccatorum quoad culpam remissionem, immediate ac proxime non operatur sacrificium, [id enim ad Sacramentorum pertinet] sed mediate ac via intercessionis; quatenus nempe hujus sacrificii intuitu certo ac efficaciter movetur. Deus ad largiendas peccatori gratias actuales, quibus ad pœnitentiam ducitur, ac disponitur ad Sacramenta percipienda, quorum beneficio culpæ veniam immediate consequitur: reatus vero pœnæ temporalis per sacrificium

immo-

immediate relaxatur, saltem ex parte. Namque ex mox dicendis sacrificium legitime pro defunctis offertur, eisque prodest, qui tameo eo in statu sunt, ut mereri amplius non possiot, nec quidquam ad eam pœnæ relaxationem conferre: Deus quippe peccatori, etiam non cogitanti, ob meritum sacrificii contractum ex peccato pœnæ temporalis solvendæ dabitum remittit; atque ea ax parte differt pœnæ relaxatio à remissione culpæ, quod hæc non fiat sine interiori peccatoris, si adultus fuerit, dispositione ac immutatione, non illa, quæ mera ast exterior condonatio.

II. Quantum ad beneficia quædam & bona temporalia, certum ast virtute sacrificii nonnunquam plurima conferri à Deo beneficia. Ita Conc. Trid sess. 22. c. 2.
Tom. 14. Conc. p. 853. D. „Quare, *inquit*, non solum pro fidelium vivorum peccatis, pœnis, satisfactionibus, & aliis necessitatibus, sed „& pro defunctis in Christo, nondum ad planum purgatis, rite, juxta Apostolorum traditionem, offertur."
Tom. 7. p. 766. n. 6. Necessitatom nomine Synodus ea temporalia bona intelligit, quæ ad commodom & utilitatem Ecclesiæ conferunt, pacem ac tranquillitatem Ecclesiarum, terræ ubertatem &c. S. Joan. Chrysostomus Hom. 18. & 21. in Acta Apost. & alibi sæpe docat, offerri sacrificium pro fructibus terræ, S. Aug. L. 2. de civ. Dei c. 8. meminit sacrificii Eucharistiæ oblati ad purgandam domum à dæmonum vexatione. S. Prosper L. de prædictionibus Dei c. 6. scribit suo tampora sacrificium Missæ oblatum pro dæmoniaca; & rursus ea sanata, iterum oblatum in gratiarum actionem. S. Greg. Hom. 37. in Evangel. & Beda L. 4. Hist. Angl. c. 22. scribunt diversis temporibus idem miraculum contigisse, ut cum sacrificium Missæ offerretur pro homine captivo in alia regione posito, & ignoranta quid pro se fieret, ejus vincula divinitus solverentur ipsa hora sacrificii. Infinita propemodum virtute Eucharistiæ spatio duodecim sæculorum pattata miracula qui scire voluerit, legat eruditum Opus P. Theodorici de S. Rene Carmelitæ dicti les Billetes, cui titulus gallice, „Remarques historiques „donnèes à l' occasion da la sainte Hostie miracu„leuse conservèa pendant plus da quatre cens dans l' „Eglise paroissiale de S. Jean en Greve à Paris. A Pa„ris chez Meinier rua S. Severin au Soleil d'Or." T. 1. à pag. 44. ad pag. 152.

Tom. 3. p. 344. B. Rationem hujusce doctrinæ istam reddit Bellarminus L. 2. da Missa c. 3. „Nam, *inquit*, si oblatio Eu„charistiæ pro peccatis dimittendis valeat: certe attam „pro aliis necessitatibus, quæ ax peccato ortæ sunt, va„lera debet. Et si Deus hoc sacrificio placatus in gra„tiam cum inimicis suis redit, quanto facilius ob idem sa„crificium adducetur, ut amicis, & reconciliatis bona „temporalia tribuat, si id eis utile fuerit?

Dices: Per sacrificium ea bona comparentur, quæ Christi morte sua promeruit: atqui morte sua Christus non bona temporalia, sed spiritalia & salutis æternæ duntaxat nobis promeruit.

Deinde vero, si bona hujusmodi caduca & temporalia sacrificium nobis impetraret, licitum foret ea concupiscera ac postulare; atqui minime id nobis licitum est; imo continuo hortantur Scripturæ ac Ss. Patres, ut à bonis temporalibus expetendis animum & cor nostrum avocemus.

Resp. ad primum dist. min. bona temporalia in se absolute considarata, & tanquam finem nostram in quo hærere debesmus, Christus morte sua non promeruit, concedo; spectata in ordine ad salutem, & tanquam media quæ divina providentia nobis suppeditat, ut iis utamur ad finem nostrum ultimum, qui Deus est, consequendum, nego. *Sic transeamus pro bona temporalia*, inquit Ecclesiæ oratio, *ut mereamur æterna*.

Ad secundum: Resp. dist. min. nobis licitum non est bona temporalia expetere, animo cupiditatis, & tanquam finem quo fruamur, concedo; tanquam media quibus utamur ex ordinatione providentiæ divinæ, ut ad finem nostrum ultimum perveniamus, nego.

Dico 2. sacrificium Missæ vim & efficaciam habere ex opera operato, non quidem ad modum signi seu Sacramenti, sed per certam & infallibilem ex institutione Christi impetrationem.

Prima pars probatur. Quia ea virtus & efficacia dicitur ex opere operato, non autem ex opere operantis, quæ divina institutione tota fluit & pendet ex oblatione ipsa externa sacrificii, non autem à probitate ministri: atqui talis ast externa sacrificii oblatio. 1. quia vis sacrificii perinde ac Sacramenti non pendet ex privata ministri conditione bona vel mala; *Munda illa oblatia est*, ait Conc. Trid. Sess. 22. c. 1. *qua nulla indignitate aut malitia offerentium inquinari potest*. 2. ibidem c. 2. Concilium docet per nostrum sacrificiom remitti peccata: & causam reddit, quia eadem est hostia, & idem offerens, qui fuit in sacrificio crucis; vis ergo & efficacia sacrificii tota fluit ex Christo, qui simul hostia est ac principalis offerens, cujus virtutem & afficaciam sua malitia impedire aut retardare non potest minister secundarius & minus principalis. 3. sacrificium Missæ vi suæ institutionis singularem quandam vim & efficaciam habet, ad applicandum nobis fructum mortis & passionis Christi, hæc autam applicatio includit causalitatem ex opera operato, quia fit ex vi institutionis Christi: namque si solum fieret ex merito vel satisfactione operantis, nihil singulare haberet istud nostrum sacrificium ax vi institutionis. 4. sacrificium novæ Legis non debet esse minus perfectum in ratione sacrificii, quam Sacramentum in ratione Sacramenti: sed sacramenta novæ Legis ex opere operato suum effectum sortiuntur. 5. si Missæ sacrificium aliis non prodesset, nisi ax opera operantis, nullum ex hac parte foret discrimen inter illud sacrificium & perceptionem Eucharistiæ, quia scilicet ista perceptio potest etiam hoc modo aliis prodesse, sicut & alia opera religionis per impetrationem: at certum est discrimen esse inter oblationem sacrificii, & perceptionem Sacramenti Eucharistiæ. 6. denique, certum est Missæ sacrificium prodesse defunctis, quantum ad relaxationem pœnæ temporalis; atqui non prodest ex opere operantis, sive ex parte defunctorum, qui mereri amplius non possunt, sive ax parte ministri qui forte in mortali peccato constitutus nihil impetrare à Deo pro aliis potest: ergo tunc sacrificium effectum sortitur ex opere operato.
Tom. 14. Conc. p. 851. B.

Secunda pars probatur.

I. quia ex mox dictis sacrificium immediate ac proxime gratiam non producit, sed Deum placando eam impetrat, per quam homo peccator ad Sacramenta confugiens, peccatorum remissionem ac justitiam consequatur. Illud non obscure innuit Conc. Trid. Sess. 22. c. 2. „Hujus oblationa placatus Do„minus, *ait*, gratiam & donom pœnitentiæ con„cedens, crimina & peccata etiam ingentia dimittit. „Una enim eademque est hostia, idem nunc offerens „Sacerdotum ministerio, qui se ipsum tunc in cruce „obtulit." Confirmatur hæc prima ratio ex discrimine, quod sæpius adduximus, inter Sacramentum & sacrificium. Illud primario tendit ad honorem Dei, illud ad sanctificationem hominum &c. Ad peccatum immediate tollendum instituta sunt sacramenta Baptismi & Pœnitentiæ, illud pro Infidelibus, hoc pro Fidelibus; sive illud pro originali, hoc pro actuali diluendo. Ergo sacrificium alium habet finem, & alium effectum; aut saltem non eodem modo, quo Sacramenta, peccata dimittit, non immediate, sed mediate ac via impetrationis, id est excellentis cujusdam orationis, quæ intuitu hostiæ in altari immolatæ, Deum certissime movet
Tom. 14. Conc. p. 853. D.

ad gra-

ad gratiam & donum pœnitentiæ homini peccatori concedendum.

II. quia, loquitur Bellarminus, si sacrificium immediate justificaret, requireret necessario prævíam dispositionem in eo pro quo sacrificium offerretur: quod si verum esset, non liceret sacrificium offerre pro iis, quos scimus in peccato libenter manere, nec pro obduratis & impœnitentibus.

Lib. 2. de Missa c. 4.

III. vis major tribui non debet sacrificio Missæ, quam sacrificio Crucis, siquidem ex isto vim omnem ac efficaciam suam trahit nostrum incruentum sacrificium: porro Crucis sacrificium non efficienter ac immediate justificavit, sed tantum meritorie ac impetratorie; alioqui omnes homines justi continuo evasissent, quia Christus pro omnibus hominibus se in sacrificium obtulit. Ut igitur sacrificium Crucis immediate peccatores non justificavit, sed placavit Deum, & impetravit, ut per debita media peccatores ad salutem perducerentur; sic etiam sacrificium Missæ non justificat homines immediate, sed impetrat, ut ex merito sacrificii crucis detur hominibus gratia & donum pœnitentiæ. Impetratio vero illa efficax est ex opere operato, virtute ipsius oblationis.

IV. sacrificium Missæ præcipuam vim habet, ut à Christo summo Sacerdote offertur; Christus autem nunc nec mereri, nec satisfacere potest, sed tantum impetrare, *Sedens ad dexteram Patris semper interpellat pro nobis*. Ergo sacrificium operatur, non ut signum & Sacramentum, sed via impetrationis. Ubi observa discrimen esse inter sacrificium Crucis & Missæ, quatenus utrumque à Christo fuit oblatum, in eo quod sacrificium Crucis fuerit meritorium, satisfactorium, & impetratorium vere ac proprie, quia Christus tunc mortalis erat, & mereri ac satisfacere poterat; sacrificium vero Missæ est dumtaxat impetratorium, quia Christus nunc immortalis, nec mereri, nec satisfacere potest. Cum autem dicitur propitiatorium, vel satisfactorium, id intelligendum est ratione rei quæ impetratur: dicitur enim propitiatorium, quia impetrat remissionem culpæ; satisfactorium, quia impetrat remissionem pœnæ; meritorium, quia impetrat gratiam benefaciendi, ac merita acquirendi; quamquam non negaverim dici etiam satisfactorium, quod ex Christi institutione per istud sacrificium applicetur ejusdem Christi passio ad pœnas tollendas, seu viventium seu mortuorum, quæ post culpam remissam aliquando remanent, vel in hac vita, vel in Purgatorio luendæ. Hæc Bellarminus Lib. 2. de Missa cap. 4.

Dices; Ad efficaciam ex opere operato duo requiruntur; & certa Dei promissio, & infallibilitas effectus: atqui neutrum hic reperitur. Non certa Dei promissio, nullibi enim legitur in Scripturis: non infallibilis effectus, sive spiritualis, sive temporalis; neque enim ii omnes pro quibus sacrificium offertur, gratiam & donum conversionis seu pœnitentiæ, aut alia beneficia & commoda temporalia reportant; ergo &c.

Resp. ad primum; Promissionem ex parte Dei certam & fixam alii agnoscunt in his generatim verbis, Joan. 6. v. 24. *Petite & accipietis*. Alii in istis Matth. 26. v. 28. *Hic est sanguis meus novi Testamenti, qui pro multis effundetur*, græce, *effunditur in remissionem peccatorum*.

Ad secundum: De sacrificii efficacia ex opere operato idem sentiendum, quod de efficacia Sacramentorum, quæ idem ex sese nata & apta sunt gratiam producere, eamque producunt, si nullus sit ex parte suscipientium obex, nullum impedimentum: ita & sacrificium pro varia dispositione suscipientium varie operatur; in his conversionem cordis ac veram pœnitentiam, si, ut par est, bene animo sint præparati, in illis motum aliquem, tametsi levem ac debilem, erga Deum. Satis est quod ex institutione Dei nostrum sacrificium vires habeat ex se efficaces ad fructum mortis & passionis Christi nobis applicandum. *Hujus quidem oblationis cruentæ fructus*, ait Conc. Trid. s. 22. cap. 2. *per hanc* [incruentam] *uberrime percipiuntur*, pro voluntate scilicet & arbitrio Dei, ac dispositione subjecti neque enim necessarium est, ut effectus sacrificii continuo existat, sed solum ut Deus auxilium & gratiam det, quando ipsi opportunum videbitur. Namque ipsum sacrificium Crucis, non continuo suum habuit effectum, & oratio S. Stephani, Pauli conversionem impetravit, non præsentem, sed futuram tempore à Deo determinato.

Bell. l. 2. de Missa c. 5.

Quod autem attinet ad temporalia beneficia, multæ possunt esse causæ, cur non continuo obtineantur, licet infallibilis sit efficacia sacrificii. Nam vel ea Deus non largitur, quia non esse utilia ad salutem æternam intelligit; vel differt, ut opportuniore tempore illa concedat; vel denique indigni sunt pro quibus sacrificium offertur, ut temporalia illa beneficia percipiant, & contra dignissimi qui severissime castigentur. Nam etsi sacrificium offeratur ad Deum placandum etiam indignis, aliquando tamen majora sunt hominum demerita, quam ut Deus uno vel altero sacrificio placari possit; maxime in eorum sententia, qui arbitrantur valorem Missæ finitum esse ac limitatum.

Ibid.

Dico 3. Sacrificium vim habet non tantum ex opere operato, sed etiam ex opere operantis, id est ex pietate ac devotione offerentis: cum enim per modum impetrationis seu orationis valeat, eo majorem effectum producit, quo fervida magis est & accensa ipsius ad Deum oratio. Et vero si cætera virtutum opera Deo placent, ac uberiora impetrant auxilia gratiæ, quatenus ab amico aliquo suo, & ex charitate procedunt, non est cur ob eandem causam Deo non placeat sacrificium, quod egregium est ac præstantissimum opus Religionis nostræ. Si homo justus, qui est in statu gratiæ, potest per quodlibet bonum opus mereri, satisfacere, & impetrare, cur per oblationem hujus sacrificii hoc ipsum non assequetur? Hoc unum interest, quod pro se mereri tantum possit de condigno, pro aliis vero satisfacere ac impetrare.

Quapropter observat Bellarminus, quod etsi necessaria non sit bonitas ministri offerentis ad valorem sacrificii, alicujus tamen offerentis bonitatem necessario requiri: cum enim sacrificium impetrando valeat, ac simile sit orationi, sine dubio non potest placere, nec impetrare, nisi offerens placeat. Contingit autem aliquando Sacerdotem, qui proximus minister est, Deo non placere, ob mortale peccatum cujus conscientiam habet: ergo Christus, qui ex opere operantis tunc Deo placet, est principalis offerens. Neque obstat, quod in sacrificio Missæ res ipsa, quæ offertur, ex se Deo gratissima sit. Namque non res illa, sed rei illius oblatio proprie sacrificium est; sacrificium enim est actio, non res permanens. Porro licet res ipsa placeat ex se, tamen oblatio rei non placet, nisi offerens placeat, ac præsertim Deo, cujus sunt omnia, & qui nulla re indiget.

Inde consequens est, sacrificium Missæ, ut est à Christo principali offerente, vim habere ex opere operantis certo ac infallibiliter, quia placet ex bonitate offerentis Christi, quæ semper est eadem, nec minui, nec crescere potest: ut autem offertur ab homine, vim habere ex opere operato, quia placet Deo, etiamsi homo, qui offert, Deo non placeat. Itaque quod est opus operantis respectu Christi, est opus operatum respectu ministri; nihilominus absolute & juxta usum, cum dicitur Missa vim aliquam habere ex opere operantis, semper intelligitur de valore quem habet ex bonitate ministri, quia ipse est,

qui

qui proprie operatur ; Christus enim non operatur nisi per ministrum.

ARTICULUS VI.

Utrum valor sacrificii Missæ finitus sit, vel infinitus.

Tom. 3. p. 345. E. Finitum esse affirmat Bellarminus L. 2. de Missa c. 4. ista potissimum de causa. " Nam, *inquit*. si Missæ „valor infinitus esset, frustra multæ Missæ, præsertim ad „rem eandem impetrandam offerrentur. Si enim una „infiniti valoris est, certe ad omnia impetranda sufficiet, „Et confirmatur ex sacrificio crucis, quod non alia de „causa unum tantum fuit, neque unquam repetitur ; „nisi quia illud unum infiniti valoris fuit, & pretium „acquisivit pro omnibus peccatis preteritis & futuris „remittendis. Sed, *pergit Bellarminus*, licet res ipsa „certa sit, causa tamen non est adeo certa ; mirum enim „videtur, cur valor sacrificii hujus sit finitus, cum idem „sit hoc sacrificium cum sacrificio crucis ; & cum ipsa „hostia, & offerens Christus, infinito modo sint Deo „grata." Tum unam Dei voluntatem, tanquam præcipuam causam, assignat ibidem Bellarminus. Alii è contra, ob eam ipsam rationem quam affert Bellarminus, infinitum esse sacrificii nostri valorem opinantur.

Verum tota hæc quæstio in ambiguo & æquivoco posita videtur, quæ explicanda est.

I. sacrificii valor ab ejus effectu distingui debet ; nam valor significat moralem dignitatem quam habet, tum ex parte offerentis, tum ex parte rei oblatæ ; effectus autem id quod de facto datur intuitu illius dignitatis.

II. valor sacrificii considerari potest, vel quoad substantiam & sufficientiam ex parte rei oblatæ, ac principalis offerentis Christi ; vel quoad efficaciam seu modum quo nobis applicatur fructus sacrificii Crucis per incruentum sacrificium Missæ.

Dico igitur 1. valorem sacrificii Missæ consideratum quoad substantiam & sufficientiam ex parte rei oblatæ & principalis offerentis Christi, infinitum esse, quia Missæ sacrificium idem est cum sacrificio Crucis, solaque differt offerendi ratione ; atqui valor sacrificii Crucis quoad substantiam & sufficientiam infinitus fuit, pro infinita nempe dignitate & hostiæ oblatæ, & & personæ offerentis.

Dico 2. valorem sacrificii Missæ consideratum quoad efficaciam & modum quo nobis applicatur, seu quantum ad effectus, finitum esse ac limitatum, pro natura hominis finiti ac limitati. Id manifestè probat Ecclesiæ usus & praxis, quæ ad rem eandem impetrandam idem sacrificium sæpius iterari permittit, ac SS. Pontifices Innocentius VIII. & Alexander VII. prohibent ne Sacerdos, qui plura accepit honoraria seu stipendia ad totidem Missas celebrandas, sub prætextu quod infinita sit virtus sacrificii, per unum sacrificium debito suo satisfacere præsumat ; declarantque eum, qui id præsumpserit, peccare contra justitiam, & ad restitutionem teneri. Porro si infinitus foret sacrificii valor, quantum ad efficaciam effectum, & modum applicandi nobis merita Christi, unum sufficeret semel oblatum Missæ sacrificium, sicut ad expianda omnia nostra delicta, & satisfaciendum pro illis, unicum Crucis sacrificium semel oblatum sufficientissimum fuit. Si vero causam & rationem quæsieris cur ita sit, maxime cum dignitas hostiæ & offerentis Christi suprema sit & infinita ? Resp. non aliam hic quærendam esse causam, quam supremam Dei voluntatem. Videtur autem sic voluisse 1. ut hoc modo sacrificium frequentaretur, sine quo Religio stare non potest. 2. quia id requirebat ordo divinæ providentiæ, quæ etiam causa est, cur Christus assiduè interpellet pro nobis in cælo, qui tamen, si voluisset, unica interpellatione potuisset omnia statim impetrare : pariter, cur pretium infinitum, quod in cruce acquisivit, quo totus mundus continuò salvari potuisset, nonnisi certo tempore & certa mensura successive applicari voluerit. Harumce rerum, sicut & voluntatis divinæ, causam curiosius rimari nefas. 3. quia studium, laborem ac vigilantiam nostram hoc modo excitare voluit Deus, ut nempe pro mensura nostræ pietatis ac religionis, majorem vel minorem sacrificii fructum perciperemus. "Dicendum, „*inquit S. Th. q. 79. art. 7. ad 2.* quod sicut passio „Christi prodest quidem omnibus, quantum ad suffi„cientiam, sed effectum non habet, nisi in illis, qui „passioni Christi conjunguntur per fidem & charita„tem ; ita & hoc sacrificium, quod est memoriale „passionis Dominicæ. *Et art. 5.* Quamvis hæc obla„tio ex sui quantitate sufficiat ad satisfaciendum pro „omni pœna, tamen fit satisfactoria pro illis, pro qui„bus offertur, vel etiam offerentibus, secundum quan„titatem suæ devotionis : & non pro tota pœna."

Cohæret hæc doctrina cum ante dictis ; nempe sacrificium, tametsi agat ex opere operato, majorem nihilominus vel minorem effectum producere, pro majori vel minori dispositione subjecti.

Dices 1. Sacrificium Missæ idem est quoad substantiam cum sacrificio Crucis, diversum solummodo quantum ad modum offerendi ; ergo sicut sacrificium Crucis semel oblatum valoris fuit infiniti ad plenam solutionem pretii pro redemptione nostra, & perfectam satisfactionem pro peccatis, ita unum Missæ sacrificium semel oblatum valoris est infiniti ad applicandum nobis fructum sacrificii Crucis, nec necesse videtur ut sæpius iteretur.

Resp. discrimen esse, quod Christus unica oblatione consummavit omnia, ac semel moriendo solvit omne pretium redemptionis nostræ, & superabundanter pro peccatis nostris satisfecit ; solutio autem semel perfecta non repetitur, & Christus semel mortuus non moritur amplius ; at non unius tantum Missæ celebratione fructum suæ passionis ac mortis nobis semper applicat. Ratio est, quia sacrificium Missæ vi suæ institutionis est ad repræsentandum sacrificium Crucis & ad applicandum nobis fructum ipsius : porro res eadem & repræsentari sæpius potest, & fructus ejus iteratis vicibus communicari, prout Deo placuerit : neque enim, ut jam dictum fuit, alia hic quærenda ratio quam Dei voluntas, & sicut & in dispensatione fructus sacrificii Crucis, quem non continuo omnibus & singulis, sed certo tempore ac loco, pro beneplacito suæ voluntatis.

Dices 2. Res oblata in sacrificio Missæ est infinita, ipsemet scilicet Christus : ergo oblatio est infiniti valoris. Confirmatur, quia dignitas rei oblatæ aliquid confert ad valorem oblationis ; ergo major dignitas plus confert ; ergo infinita dignitas confert infinitum valorem.

Resp. dist. conseq. oblatio est infiniti valoris ex parte Christi, concedo : ex parte ministri, per cujus ministerium Christus offert, nego. Observa, valorem illum non tam crescere ex dignitate objecti circa quod versatur, quam ex dignitate personæ operantis, ut patet tum exemplo viduæ evangelicæ, quæ minus quidem offerebat præ aliis, cujus tamen oblatio Deo gratior fuit, propter majorem sanctitatem personæ offerentis : tum exemplo ipso Christi, cujus actiones singulæ infiniti erant valoris, tametsi multæ versarentur circa objectum finitum : tum denique quia actus fidei, spei & charitatis, qui à nobis eliciuntur, sunt valoris finiti, licet eorum objectum sit infinitum. Porro Christus hic non immediate per seipsum operatur, sed ministerio Sacerdotis ; unde valor sacrificii, ut est ex opere operantis ex parte Sacerdotis, finitus est, tum in ratione meriti, quia non meretur nisi certos gradus gratiæ &

tiæ & gloriæ ; tum in ratione satisfactionis, quia non tollit nisi certam & finitam pœnam, id est temporalem; tum etiam ratione impetrationis, quia persona offerens est finita ; consequenter ejus actio seu oblatio valoris est finiti.

Ex his inferes, Missæ sacrificium æquè prodesse ex parte operis operati, sive pro multis, sive pro paucis offeratur. Si enim fructus sacrificii eo minor esset, quò in plures divideretur, satius foret bono Fidelium, Missæ privatæ quàm parochiali interesse ; quia cum pauciores Missæ privatæ assistant, plures vero Missæ parochiali, fructus sacrificii eò major est ac excrescit pro singulis, quo dividitur in pauciores in Missa privata ; atqui tamen hortatur & mandat Ecclesia ut Fideles Missæ parochiali assistant. Deinde praxis Ecclesiæ est, ut Sacerdos pro vivis atque defunctis offerat sacrificium, etiamsi honorarium ab aliquo perceperit, ut pro ipso specialiter celebret ; ipsi quippe injuria fieret, si minorem fructum idcirco perciperet, quod sacrificium pro pluribus offerretur.

ARTICULUS VII.

Pro quibus offerri debeat sacrificium : an pro solis viventibus, an etiam pro defunctis.

DUo generatim sunt hominum genera, viventium scilicet, & mortuorum.

Inter mortuos, alii sancti sunt, æterna felicitate donati ; alii æternis suppliciis addicti ; alii denique flammis Purgatorii adhuc purgantur.

Inter viventes autem, alii sunt Fideles, viva Christi & Ecclesiæ membra ; alii peccatis onerati, qui tamen vinculo fidei adhuc Ecclesiæ copulati sunt ; alii verò infideles, hæretici, & publicè excommunicati. De viventibus primum, tum de mortuis dicendum.

De viventibus.

Dico igitur 1. sacrificium Missæ ritè offerri pro omnibus Fidelibus Christianis, sive justi sint, sive peccatores, *Tibi offerimus*, ait Sacerdos in Canone Missæ, *pro Ecclesia tua sancta Catholica,... & omnibus Orthodoxis, atque Catholicæ & Apostolicæ fidei cultoribus.* Peccaret ergo graviter Sacerdos, qui privata sua intentione aliquos excludere vellet.

Sacrificium ritè offertur pro omnibus Fidelibus Christianis.

Dico 2. licitum non esse pro excommunicatis, pro Infidelibus & Hæreticis, nominatim sacrificium offerre. Excommunicatos non toleratos, per sententiam Judicis nominatim damnatos hic intelligimus, quos Ecclesia in vindictam criminis à suis orationibus ac suffragiis publicis excludit, prohibetque ne eorum nomina ad altare recitentur. Ita Cap. *A nobis. De sententia excommunicationis.* Nihilominus possunt Fideles, ac Sacerdos ipse celebrans, pro iis privatim orare : quin & Ecclesia universa in die Parasceves, ob specialem memoriam sanguinis Christi pro omnibus effusi, orat pro Infidelibus, pro hæreticis, Schismaticis &c.

Non offertur pro excommunicatis.

At, inquies, dixit S. Augustinus L. 1. de origine animæ, cap. 9. *Quis offerat corpus Christi, nisi pro iis qui sunt membra Christi?* Respondet S. Thomas in 4. dist. 12. q. 2. art. 2. ad 4. id intelligi debere de iis qui sunt membra Christi actu vel potentia : tunc enim offertur etiam pro membris Christi, quando offertur pro aliquibus ut fiant membra Christi. Adde quod S. Doctor eo loci loquitur dumtaxat de defunctis ; & quia defuncti aut sunt membra Christi actu, aut nullo modo, ideo absolutè dicere potuit, non posse offerri pro defunctis, nisi sint membra Christi.

To. 10. p. 342. D.

Dico 3. indirectè saltem offerri sacrificium pro Infidelibus, Hæreticis &c. dum enim offerimus sacrificium pro Ecclesia Catholica propaganda, unienda, purganda, quod licitum esse omnes fatentur, simul indirectè offertur pro conversione Infidelium & Hæreticorum.

Dico 4. ex natura rei, si nulla obstaret Ecclesiæ prohibitio, licitum fore pro hisce hominibus offerre sacrificium. Namque sacrificium crucis pro omnibus oblatum fuit ; pro omnibus enim mortuus est Christus ; quidni ergo pro omnibus offerri etiam potest sacrificium Missæ ? Nonne olim offerebatur pro Regibus infidelibus ? *Sacrificamus*, inquiebat Tertullianus in Lib. ad Scapulam, *pro salute Imperatoris.* Id volebat S. Paulus 1. ad Tim. 2. his verbis, *Obsecro igitur fieri orationes pro omnibus hominibus : pro regibus, & omnibus qui in sublimitate sunt, ut quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate & castitate.* P. 69. C.

De defunctis.

Inter defunctos alii æternis suppliciis puniuntur ; alii flammis ultricibus Purgatorii detinentur ad tempus ; alii denique in Cœlis beati aperta Dei visione fruuntur. Novatores nolunt sacrificium offerri pro defunctis, fidemque Purgatorii inverecundè sugillant ; damnant quoque usum Ecclesiæ Missas in honorem Sanctorum celebrantis.

Dico igitur 1. reprobis ad æterna supplicia damnatis nihil prodesse Missæ sacrificium, neque pro illis offerri debere, sive ut propitiatorium est, sive ut impetratorium. Ratio est, quia immobili Dei sententia pœnis nunquam finiendis addicti sunt, atque eo in statu constituti in quo nihil refrigerii percipere possunt. *In inferno nulla redemptio. Discedite a me maledicti*, ait Christus Matth. 25. v. 41. *in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis ejus.* Unde S. Augustinus L. 1. de origine animæ cap. 9. *Quis offerat corpus Christi*, inquit, *nisi pro iis qui membra sunt Christi?* Porro quis dixerit damnatos esse membra Christi ? Et cap. 12. *Salva fide Catholica & Ecclesiastica regula, nulla ratione conceditur, ut pro non baptizatis cujuslibet ætatis hominibus offeratur sacrificium corporis & sanguinis Christi.* Et Lib. 3. cap. 12. *Noli credere, nec docere, aliquos eorum qui sine Baptismo Christi ex hac vita emigraverint,... ad regni cœlorum beatitudinem pervenire, si vis esse Catholicus.* Lib. 21. de civitate Dei cap. 24. docet futurum ut Ecclesia pro reprobis adhuc viventibus non oraret, si certò sciret eos æterno excidio destinatos esse. *Si*, inquit, *de aliquibus ita certa esset, ut qui sint illi, etiam nosset, qui licet adhuc in hac vita sint constituti, tamen prædestinati sunt in æternum ignem ire cum diabolo ; tam pro eis non oraret, quàm nec pro ipso. Sed quia de nullo certa est, orat pro omnibus dumtaxat hominibus inimicis suis in hoc corpore constitutis, nec tamen pro omnibus exauditur. Pro his enim solis exauditur, qui etsi adversantur Ecclesiæ, ita tamen sunt prædestinati, ut pro eis exaudiatur Ecclesia, ut filii efficiantur Ecclesiæ. Si qui autem usque ad mortem habebunt cor impœnitens, nec ex inimicis convertentur in filios, numquid jam pro eis, id est, pro talium defunctorum spiritibus orat Ecclesia ? Quid ita ? nisi quia jam in parte diaboli computatur, qui, dum esset in corpore, non est translatus ad Christum.*

Non offertur pro reprobis ac damnatis.

To. 10. p. 342. D. Ibid. p. 343. E. Ibid. p. 382. D. E.

Tom. 7. p. 642. C.

Dices 1. S. Augustinus Enchiridii cap. 110. de sacrificiis quæ pro mortuis offeruntur, ait : *Non omnibus prosunt.... Quibus autem prosunt, aut ad hoc prosunt, ut sit plena remissio, aut certè ut tolerabilior fiat ipsa damnatio.* Et c. 112. *Pœnas damnatorum certis temporum intervallis existimem* [*si hoc eis* (Origenistis) *placet,*] *aliquatenus mitigari. Etiam sic quippe intelligi* To. 6. p. 238. C. D. Ibid. p. 238. A.

potest

potest manere illis ira Dei. In mente igitur S. Doctoris mitigari possunt damnatorum pœnæ; atque ad hanc mitigationem seu relaxationem pœnæ obtinendam offerri potest sacrificium Missæ.

Resp. Perspicuum esse ex lectione contextus, S. Doctorem c. 110. Encb. loqui dumtaxat de Fidelibus, qui in Purgatorio detinentur, ac Missæ sacrificio, & viventium suffragiis juvari possunt ad mitigationem, vel omnimodam pœnæ liberationem. *Neque negandum est*, ait S. Doctor, *defunctorum animas pietate suorum viventium relevari, cum pro illis sacrificium Mediatoris offertur, vel eleemosynæ in Ecclesia fiunt.*.... *Cum ergo sacrificia sive altaris, sive quarumcunque eleemosynarum pro baptizatis defunctis omnibus offeruntur, pro valdè bonis gratiarum actiones sunt; pro non valdè malis propitiationes sunt; pro valdè malis, etiamsi nulla sunt adjumenta mortuorum, qualescunque vivorum consolationes sunt.* Illi porrò quos S. Doctor appellat *non valdè malos*, Fideles sunt, qui flammis Purgatorii quidquid pœnæ temporalis luendum ipsis superest, solvunt & expurgant; quique viventium precibus ac Missæ sacrificio juvari possunt; pro illis verò valdè malis, idest damnatis, *nulla sunt adjumenta mortuorum*. In capite 112. non ex sua propria sententia loquitur S. Doctor, neque ait, *existimem*, ut fert Objectio, sed, *existiment*, nempè Origenistæ, qui damnatorum pœnas, vel per certa temporum intervalla saltem mitigandas, vel tandem aliquando finem omnem omnino habituras esse arbitrabantur; quos ibi refellit sanctus Doctor. *Frustra*, inquit, *nonnulli, imo quam plurimi, æternam damnatorum pœnam & cruciatus sine intermissione perpetuos humano miserantur affectu, atque ita futurum esse non credunt; non quidem Scripturis divinis adversando, sed pro suo motu dura quæque molliendo, & in leniorem flectendo sententiam, quæ putant in eis terribilius esse dicta, quàm veriùs &c.*

Ibid. p. 218. A
Ibid. C.
Ibid. E.

Dices 2. Postquam S. Chrysostomus Hom. 3. in Epistolam ad Philipp. dixit, orandum esse pro mortuis, sic pergit: *Id quidem de iis* (dicimus,) *qui in fide decesserunt. Catechumeni verò neque hac dignantur consolatione, sed omni auxilio sunt destituti, uno quodam excepto. Quale vero hoc? licet pauperibus pro iis dare, atque hinc aliquid percipiunt refrigerationis.* Ergo, judice S. Chrysostomo, damnatis, quales sunt haud dubiè Catechumeni sine Baptismo mortui, aliquid refrigerii accedere potest.

Ed. Commel. p. 1225.

Resp. S. Chrysostomum hoc unum negare, quod disciplina sui temporis ferebat, scilicet pro Catechumenis absque Baptismo ex hac vita discedentibus publicè orandum non esse, quod etiam & à Concilio Bracarensi primo c. 35. statutum fuit. Imo & circa pœnitentes publicos ante reconciliationem mortuos, aliquando à S. Leone observatum istud fuisse, nonnulli volunt: nempe ut, qui cum illis viventibus non communicaverant, cum iisdem mortuis etiam non communicarent. Quòd si hujusmodi Catechumenis nonnihil refrigerii ex eleemosynis, quæ pauperibus eorum nomine erogantur, accedere putavit S. Chrysostomus, singularis fuit hæc ipsius opinio.

Dices 3. Auctor Glossæ in caput *Tempus* 13. q. 2. docet duplicis ordinis esse damnatos: quosdem valdè malos, qui magna & multa crimina perpetrarunt; alios mediocriter malos, qui pauciora & leviora, atque pro his posse sacrificium offerri, non quidem ad plenam liberationem, sed ad quandam pœnæ relaxationem. Quin & S. Damascenus in Oratione *De defunctis*, refert Trajanum & Falconillam, ex inferis liberatos fuisse orationibus Gregorii & Teclæ. Denique Innocentius III. S. P. in caput *Cum Marthæ. De celebratione missarum*, dicit quosdem ex mortuis esse valdè bonos, idest sanctos, qui non egent suffragiis; quosdam valdè malos, id est damnatos, qui non possunt juvari; quosdam mediocriter bonos, quibus prosunt ad expiationem, quosdam mediocriter malos, quibus prosunt ad propitiationem. Non exponit Innocentius quinam illi sint, quos appellat mediocriter malos.

Resp. 1. deceptum esse Glossatorem, atque hic deferendum, si reipsa existimavit nonnullos ex damnatis aliquid solatii & refrigerii ex sacrificio Missæ posse percipere: in inferno enim non est locus misericordiæ, sed justitiæ ac vindictæ. 2. fabulosum prorsus est quod de Trajano & Falconilla ex S. Joan. Damasceno refertur; neque prætensa illius *De defunctis* Oratio, genuinum opus est, sed adulterinum ac supposititium. An verò probabile est S. Gregorium existimasse damnatorum animas à pœnis inferni liberari posse, qui L. 34. Moral. c. 19. alias 13. scribit non magis orandum pro Infidelibus defunctis, quàm pro diabolo? 3. Innocentius III. videtur memoria lapsus, & ex trimembri divisione, quam adduxit S. Augustinus, quadrimembrem fecisse: sed quidquid sit, duo posteriora membra divisionis rectè intelligi possunt de iis qui in Purgatorio pœnas ferunt, quorum aliqui sunt mediocriter boni, quia in hac vita benè quidem vixerunt, ex qua in charitate discesserunt; sed quibus pœnarum aliquid luendum superest, ac per sacrificium Missæ & viventium suffragia, subveniri potest ad supplicii mitigationem, vel plenam liberationem; alii sunt mediocriter mali, qui in hac vita non ita piè vixerunt, & tandem à reatu culpæ liberati, cum magno pœnæ reatu discesserunt, quibus sacrificium ad pœnarum mitigationem valere potest.

Tom. 1. p. 1133. C. D.

Dices 4. Judas Machabæus L. 2. Machab. cap. 12. jussit offerri Sacrificium pro Judæis occisis in prælio, sub quorum tunicis inventa sunt donaria idolorum, qui consequenter mortui fuerant in peccato mortali. Quin & Ecclesia pro defunctis Deum orat ut eos liberet morte *æterna, in die illa tremenda, quando cæli movendi sunt & terra*; ut eas liberet *de pœnis inferni, & de profundo lacu, de ore leonis: ne absorbeat eas tartarus, ne cadant in obscurum &c.* Ergo licitum est preces fundere pro damnatis, ac consequenter in eorum gratiam sacrificium offerre.

Resp. ad primum, Judæos illos pro quibus Judas Machabæus sacrificium offerri jussit, idolorum donaria sustulisse, non quidem ad cultum & reverentiam idolorum, sed tanquam prædam & spolia, quæ jure belli victoribus debentur: quapropter ea ex parte peccato mortali obnoxii non fuere. Ad secundum, Ecclesia preces illas, quas longè post obitum fundit, referre ad illud instans temporis quo defunctorum animæ ex corpore discesserunt, Ecclesia scilicet rem præteritam velut futuram ex desiderii sui ardore considerat, atque religionis mysteria, tametsi jam diu adimpleta, festiva recordatione ita exprimit ac celebrat, quasi jam tum adimplerentur, aut adimplenda forent. *Sæpè*, ait S. Augustinus Epistola 98. aliàs 23. ad Bonifacium, *ita loquimur, ut Pascha appropinquante dicamus, crastinam vel perendinam Domini passionem, cùm ille ante jam multos annos passus sit*: non quod ignoret Ecclesia, jamdiu advenisse Christum, illum mortuum & à mortuis suscitatum; sed quod celebrando memoriam illius temporis quo natus est, mortuus &c. nativitatem, mortem &c. spectat quasi jam tum primum implerentur. Eodem sensu exponendæ sunt preces quas Ecclesia pro defunctis, etiam diu post eorum obitum, fundit ad Deum, ut eos liberet à pœnis inferni.

To. 2. p. 267. D.

Dico 2. justos in charitate piè defunctos & in Purgatorio detentos, ad temporalis pœnæ relaxationem vel plenam liberationem Missæ sacrificio, ac viventium suffragiis juvari posse. Hanc esse Ecclesiæ fidem.

Offertur pro justis defunctis.

Patet 1. ex Scriptura Lib. 2. Machab. cap. 12. v. 43. & sequent. *Facta collatione*, ait sacer contextus, *duodecim millia drachmas argenti misit* (Judas Machabæus)

corpus Christi non est victima in sacrificio Missæ, absolutè in propria sua naturali forma seu specie, sed prout speciebus panis & vini obvolutus, quodammodo sensibilis fit ac visibilis.

Ad hæc accedit auctoritas SS. Patrum quos antea laudavimus, cum & de præsentia reali, & de natura sacrificii diximus, illi enim omnes realem Christi præsentiam & oblationem inferunt ex consecratione.

Habemus igitur in consecratione. 1. Christum realiter præsentem. 2. immolationem & oblationem illius incruentam, in separatione mystica corporis & sanguinis, quæ fit cum species separatim ponuntur & consecrantur. 3. commemorationem & repræsentationem sacrificii crucis. 4. aliquam hostiæ immutationem. 5. ejusdem hostiæ visibilitatem, per species, quibus involvitur. Ergo in consecratione rectè constituitur essentia sacrificii.

Ibid. p. 542. A. Probant Bellarminus & alii.

I. Quia sacrificium Missæ offertur in persona Christi: nihil autem facit Sacerdos tam perspicuè in persona Christi, quàm consecrationem, in qua dicit, *Hoc est corpus meum.*

II. Quia Christus ipse aut consecrando & consumendo sacrificavit, aut nullo modo sacrificavit; namque non est alia Christi actio, quæ sacrificium dici possit, neque ante, neque post consecrationem.

III. Quia Apostoli initio, si nihil addebant ad verba consecrationis præter Dominicam orationem, necesse est, ut consecrando sacrificarent; neque enim oratio Dominica sacrificium dici potest.

Quid sit sacr. ficium Missæ. IV. Quia in consecratione consistit repræsentatio sacrificii crucis, ut S. Thom. docet 3. p. qu. 80. art. 12. ad 3. ad simul esse debent sacrificium reale, & sacrificium repræsentativum; siquidem ipsum reale alterius repræsentativum est. Hæc Bellarminus. Ex quibus inferimus, sacrificium altaris esse Christum ipsum in altari realiter sub speciebus præsentem, qui mysticè immolatur ac verè offertur Deo in memoriam ac repræsentationem cruenti sacrificii crucis.

Dices 1. Ita se habet consecratio ad sacrificium incruentum, sicut ipsa Incarnatio ad cruentum: atqui Incarnatio non est pars sacrificii; ergo nec consecratio. Major propositio probatur: quia, sicut Deus factus homo per Incarnationem, postea in cruce oblatus est; ita Christus factus panis vitæ per consecrationem, postea in altari offertur. Confirmatur ex veteribus sacrificiis. Namque productio Agni paschalis v. g. non erat pars sacrificii, sed productio rei sacrificandæ; ergo similiter consecratio non est pars, sed præparatio, & veluti aliquid prævium, ad rem seu victimam offerendam.

Resp. dist. maj. Si Christus in hoc sacrificio sit res oblata per modum materiæ, quæ actioni sacrificandi supponatur, concedo: si Christus est res ipsa oblata, tanquam terminus qui ex sacrificatione seu consecratione resultat, nego. Porro Christus in nostro sacrificio non est tanquam materia quæ actioni sacrificandi subjaceat & supponatur, sed est tanquam terminus ipsius consecrationis, ex qua resultat: vi quippe consecrationis præsens sistitur, & offertur ac immolatur; unde consecratio non est præparatio materiæ, sed est ipsamet actio qua perficitur sacrificium. Aliter res se habet in sacrificio crucis, & Agni paschalis: nam Christus ut homo vivus, fuit materia sacrificii cruenti, sicut agnus vivus materia fuit mosaici sacrificii. Inde apertè fit disparitas inter Incarnationem respectu sacrificii cruenti, & consecrationem respectu sacrificii incruenti: in ista Christus est terminus actionis sacrificantis, in illa est materia quæ sacrificatur & immolatur.

Dices 2. In die Parasceves verum offertur sacrificium sine consecratione, quia fit oblatio ex præsanctificatis; ergo consecratio non est de essentia sacrificii. Antecedens probatur 1. ex oratione quam Ecclesia in Officio illius diei profert his verbis, *In spiritu humilitatis & in animo contrito suscipiamur à te, Domine, & sic fiat sacrificium nostrum in conspectu tuo hodie, ut placeat tibi, Deus.* Et postea: *Orate fratres, ut meum & vestrum sacrificium &c.* 2. probatur ex S. Augustino Epistola 54. aliàs 118. cap. 2. ubi ait: *Omnibus diebus offertur Deo sacrificium in Ecclesia.*

Resp. 1. dist. ant. in die Parasceves offertur sacrificium jam perfectum, concedo: sacrificium, quod tunc in Officio Parasceves perficiatur, nego: nullum enim tunc offertur, sed sacrificium pridie oblatum solummodo consumitur. Si ergo vox sacrificii propriè sumatur, referenda est, non ad actionem quæ tunc fit, sed ad eam quæ pridie facta fuit, nec aliter intelligenda mox dicta Ecclesiæ oratio. *In die quo ipsa passio Domini recolitur*, ait S. Thom. qu. 83. art. 2. ad 2. *prout realiter gesta est, non celebratur consecratio hujus Sacramenti; ne tamen Ecclesia, ea etiam die sit sine fructu passionis per hoc Sacramentum nobis exhibito, corpus Christi consecratum die præcedenti reservatur sumendum in illo die; non autem sanguis, propter periculum, & quia sanguis specialius est imago dominicæ passionis. Nec verum est quod quidam dicunt quod per immissionem particulæ corporis Christi in vinum, convertatur vinum in sanguinem: hoc enim aliter fieri non potest, quam per consecrationem factam sub debita forma verborum.* Verum igitur in Officio Parasceves non fit sacrificium, quia hac ipsa die Christus realiter occisus recolitur, unde Sacerdos nihil agit in persona Christi in illo Præsanctificatorum Officio, quod tamen fieri necesse foret, si verum esset illud sacrificium, quandoquidem Christus est principalis offerens: at quia conveniens non videtur, ut Christus eo die inducatur loquens & offerens, quo mortuus recolitur, ideirco nihil in persona Christi ea die peragit Sacerdos. Confirmat Rabanus in Libro de institut. Cleric. cap. 67. ex figura hujus mysterii, quia in veteri Lege eo die quo summus Sacerdos semel intrabat in Sancta Sanctorum, alii Sacerdotes non sacrificabant.

Resp. 2. nomen sacrificii in objectione sumi posse latiori quodam sensu, non tantùm pro re oblata, sed etiam pro actione Sacerdotis, imò & tota Officii Parasceves celebratione: postulat scilicet Sacerdos, ut Fideles suas apud Deum preces & pro seipso & pro toto populo interponant ad dignam & utilem Officii celebrationem. Observat Alcuinus Lib. de divinis Officiis cap. 40. Sacerdoti dicenti, *Orate fratres*, Acolythum olim respondisse, *Sit Dominus in corde tuo, & in ore tuo ut suscipiat sacrificium sibi acceptum de ore tuo & de manibus tuis pro nostra omnium salute.* P. 1101. D. *Ubi sacrificium*, ait Vasques disput. 223. *non propriè pro immolatione victimæ, sed latiori significatione pro tota actione Missæ usurpabatur, & ita nunc etiam usurpabatur, & ita nunc etiam usurpari potest. Porro autem tunc ita usurpatum fuisse, constat, quia loquebatur ministér de sacrificio oris, manuum, & cordis; sacrificium autem propriè dictum non consistit in verbis.* Ita Vasques.

S. Augustinus citatus generatim loquitur, & non excludit singularem exceptionem unius diei. Ep. 24. 124. ...

Dices 3. Si sacrificium Missæ sola consecratione perficeretur, sola consecratione fieret perfecta oblatio pro vivis & defunctis, ergo tunc statim suum effectum haberet ex opere operato: atqui hoc falsum videtur, quia post factam consecrationem, Ecclesia etiam defunctorum commemorationem facit, ac orat pro iis.

Resp. dist. maj. sola consecratione fieret perfecta oblatione pro vivis atque defunctis, quantum ad effectum ex opere operato, concedo: quantum ad effe-

ctum

etiam ex opere operantis, nego. Commemoratio fit in Missa pro vivis atque defunctis, tum ante, tum post consecrationem: verum orationes illæ vim tantum habent ex opere operantis, & per modum impetrationis; consecratio vero ex opere operato.

Dices denique: Sola communio seu participatio Eucharistiæ repræsentat sepulturam Domini; ergo sola illa communio essentialis est sacrificio.

Resp. Transeat antecedens, nego consequ. quia sicut sepultura realis corporis Christi non fuit pars essentialis sacrificii crucis, ita nec repræsentatio hujus sepulturæ essentialis est sacrificio Missæ.

Quæres 1. an sacrificium Missæ essentialiter differat ab omnibus aliis sacrificiis, nempe ultimæ Cœnæ, crucis, & Mosaicis.

Resp. 1. Sacrificium Missæ essentialiter non differre à sacrificio ultimæ Cœnæ. Ratio est aperta, quia eadem est utrobique hostia, idem principalis Sacerdos, Christus: differunt ergo tantum accidentaliter in nonnullis conditionibus, V. gr. in sacrificio ultimæ Cœnæ Christus mortalis oblatus est, non ita in sacrificio Missæ; quamquam enim sub quodam mortis statu ibi offeratur, non tamen ut mortuus; semel etenim mortuus amplius non moritur. 2. in sacrificio ultimæ Cœnæ Christus proximè ac immediatè seipsum obtulit, in sacrificio verò Missæ immediatè ac proximè offertur ministerio Sacerdotum: quod discrimen accidentale est, siquidem idem semper remanet principalis offerens Christus. 3. sacrificium ultimæ Cœnæ & Missæ differunt in effectu morali: prius meritorium fuit ac satisfactorium; non posterius, quia Christus jam in eo statu non est ut mereri possit ac satisfacere: propitiatorium est nostrum sacrificium, nobisque merita mortis ac passionis Christi applicat. 4. significatione differt sacrificium Missæ à sacrificio postremæ Cœnæ: istud futuram, illud verò præteritam significat Christi mortem. 5. sacrificium Cœnæ non fuit imago alterius sacrificii incruenti; nostrum vero imago est sacrificii Cœnæ incruenti.

Resp. 2. Sacrificium Missæ essentia & substantia non differre à sacrificio crucis, ob rationem mox adductam ex unitate ejusdem hostiæ quæ offertur, & Sacerdotis supremi offerentis: discrimen dumtaxat est penes modum offerendi: hic incruentus est, qui in Cruce cruentus fuit; hic mystica immolatio & oblatio, in Cruce verò realis ac physica cum sanguinis effusione; hic non solvitur redemptionis nostræ pretium, sed tantum communicatur seu applicatur: hic imago est ac repræsentatio sacrificii Crucis; istud verò Crucis sacrificium, nec repræsentatio nec imago fuit alterius, sed prototypon omnium sacrificiorum.

Resp. 3. sacrificium Missæ essentialiter differre à sacrificiis Mosaicis, tum ex parte rei oblatæ, Christi scilicet qui hic offertur, unde nascitur totum sacrificii pretium; tum ex parte offerentis, tum ex parte virtutis & efficaciæ.

Quæres 2. an sacrificium Missæ essentialiter differat à Sacramento Eucharistiæ.

Certum est eandem esse actionem realem in utroque mysterio, quia una est eademque actio qua conficitur Sacramentum Eucharistiæ, & fit consecratio seu oblatio sacrificii. Certum etiam est, utrobique eundem esse actionis terminum, Christum nempe sub speciebus panis & vini. Quæritur ergo, an sit etiam una eademque essentia utriusque mysterii; an potius alia sit ratio seu essentia sacrificii, & alia Sacramenti; deinde si sint duæ rationes, seu essentiæ distinctæ, utra earum sit prior ordine tem[...]is, naturæ & perfectionis.

Dico 1. essentiam sacrificii Missæ distinctam esse ab essentia Sacramenti Eucharistiæ. 1. quia essentia sacrificii partim consistit in actione sacrificandi, partim in victima immolata & oblata: at essentia Sacramenti Eucharistiæ nullo modo consistit in actione, sed in sola re permanente, quæ resultat ex actione. 2. essentia sacrificii Missæ requirit utriusque speciei consecrationem, ad repræsentandam scilicet mortem & passionem Christi; essentia vero Sacramenti salva est sub una etiam specie. 3. sacrificium per se primariò & immediatè ad cultum Dei ordinatur; Sacramentum autem ad nostram sanctificationem.

Dico 2. essentiam Sacramenti prius tempore perfici, quàm essentiam sacrificii. Ratio est, quia Sacramentum essentialiter perficitur per consecrationem unius speciei, sacrificium autem per consecrationem utriusque; constat autem consecrationem unius speciei ordine temporis priorem esse consecratione utriusque speciei.

Quæres, an idem ordo servetur in effectu Sacramenti & sacrificii. Resp. in effectu contrarium ordinem servari. Nam effectus sacrificii confertur peracta consecratione utriusque speciei; effectus autem Sacramenti confertur in usu seu sumptione Eucharistiæ, quæ ordine temporis sequitur ipsam consecrationem: quamquam autem ordine temporis una actio prior sit altera, uniuntur tamen moraliter ad idem sacrificium perficiendum.

Dico 3. ordinem naturæ seu causalitatis hic duplicem distingui posse, unum intentionis, & alterum executionis. Ordine intentionis prior est ratio seu essentia sacrificii, quàm Sacramenti, quia principaliùs intenditur cultus & honor Dei, quam nostra utilitas; unde potestas sacerdotalis primariò refertur ad sacrificium Deo offerendum, & secundariò ad Sacramentum conficiendum. At ordine executionis essentia sacrificii est posterior, quia ex parte rei oblatæ supponit totum id quod pertinet ad rationem Sacramenti; & ultra hoc requirit aliquid aliud ad rationem sacrificii, nempe mactationem mysticam, & consecrationem utriusque speciei; ergo supponit quodammodo rationem Sacramenti in genere causæ materialis.

At, inquies, inde sequitur rationem sacrificii includere rationem Sacramenti, quod absurdum est, siquidem duæ sunt rationes specificæ, quarum una non potest alteram includere aut contrahere.

Resp. Si sacrificium sumatur pro re oblata, tunc includit rationem Sacramenti, & aliquid superaddit. Si verò sumatur pro actione sacrificandi, tunc non includit rationem Sacramenti, sed tamen dicit ordinem & respectum ad Sacramentum Eucharistiæ, tanquam ad rem oblatam & immolatam, idque sub utraque specie.

ARTICULUS III.

Utrum ad essentiam sacrificii necessaria sit utriusque speciei consecratio.

Ex dictis hactenus constat, sacrificii naturam & essentiam in consecratione positam esse, quatenus per eam Christus præsens realiter in altari sistitur sub speciebus panis & vini, mysticè immolatur, ac Deo Patri offertur in memoriam & repræsentationem cruenti crucis sacrificii. Quæstio hic vertitur, utrum ad illam mysticam immolationem ac repræsentationem crucis, necessaria omnino sit utriusque speciei consecratio, an in una specie salva & integra illa esse possit. Quæstio porrò non est de possibili, utrum absolutè, Deo ita volente, integra subsistere potuisset sacrificii natura in una specie; sed de facto, an re ipsa voluerit Christus Eucharistiam in sacrificium instituendo, utramque speciem adhibendam esse.

I. Negant nonnulli, qui Gasparem Cassalium & Ruardum laudant, ad quam sententiam accedere videntur ex Scholasticis, ii qui asserunt, solo jure humano, non divino, utramque speciem ad consecrationem necessariam esse. Ita censere videntur Adrianus in 4. q. 6.

q. 6. de Eucharistia; Major in 4. dist. 9. qu. 3. Claudius da Saintes, Repetit. 10. de Eucharistia. Ratio hæc ipsis est, quia si utraque species jure divino foret necessaria, non posset S. Pontifex ab eo jure dispensare; atqui tamen, inquiunt illi, nonnulli S. Pontifices permiserunt consecrationem fieri in una specie. Refert Raphael Volaterranus L. 7. Geographiæ c. 4. quod est de Saxonibus, Innocentium VIII. cum Norvegis dispensasse: hoc idem refert Onuphrius Panvinius in Chronico, ad an. 1490. Præterea eodem modo cum illis dispensasse Innocentium IV. refert ex eodem Volaterrano Claudius de Saintes Repet. 10. de Eucharistia c. 3. Denique Albertus L. de corpore Domini, cujus sententiam refert Gabriel, Lect. 53. in Canonem Missæ; Angelus in Summa, verbo, *Eucharistia*; Wilhelmus Alanus L. de Euchar. & alii quotquot arbitrantur præceptum consecrandi utramque speciem, solummodo Ecclesiasticum esse, consequenter docent, S. Pontificem ex dispensatione relaxare præceptum de utraque specie simul consecranda. Vide Vasquesium disp. 123. c. 1.

II. asserunt vulgo Theologi post S. Thomam, ad essentiam sacrificii, jure ac præcepto divino, à quo nullo modo dispensari potest, utramque speciem pertinere.

CONCLUSIO.

Utriusque speciei consecratio ad essentiam sacrifici pertinet.

Probatur 1. exemplo & præcepto Christi, qui tanquam Pontifex secundum ordinem Melchisedech Eucharistiam in pane & vino consecravit, suisque Apostolis eorumque successoribus mandavit, ut idem in sui commemorationem facerent. Ita Conc. Trid. Sess.
Luc. 22. v. 19. I. 14. Conc. p. 853. A. 22. c. 1. Christus "Sacerdotem secundum ordinem Mel-„chisedech se in æternum constitutum declarans, corpus „& sanguinem suum sub speciebus panis & vini Deo „Patri obtulit, ac sub earumdem rerum symbolis, „Apostolis, quos tunc novi Testamenti Sacerdotes „constituebat, ut sumerent tradidit, & eisdem, eorumque in sacerdotio successoribus, ut offerrent, „præcepit per hæc verba, Hoc facite in meam com-„memorationem; uti semper Catholica Ecclesia intel-„lexit & docuit." Idem constat ex Can. 2. ejusdem Sessionis. Universa igitur Ecclesia semper intellexit ac credidit, suoque usu perpetuo declaravit, per hæc verba, *Hoc facite*, Christum legem omnibus Sacerdotibus imposuisse, ut idem facerent quod ipse tanquam sacerdos secundum ordinem Melchisedech fecerat: atqui Christus corpus & sanguinem suum in pane & vino consecravit; ergo utraque illa panis & vini species jure ac præcepto divino necessaria est ad essentiam consecrationis & sacrificii.

Probatur 2. quia ex S. Thoma q. 80. art. 12. ad 3. repræsentatio dominicæ passionis in consecratione peragitur, ideoque non potest corpus sine sanguine consecrari. Et quæst. 83. art. 1. ad 1. an in mysterio Eucharistiæ immoletur Christum, quatenus continet expressam repræsentationem cruenti sacrificii. Inde sic argumentamus, Incruentum Missæ sacrificium imago est ac repræsentatio sacrificii crucis, est mystica quædam mactatio: at repræsentatio non est, nec mystica mactatio, nisi quatenus per consecrationem utriusque speciei vi verborum corpus & sanguis Christi sacramentaliter separantur, licet reipsa conjuncta sint per naturalem concomitantiam.

Dices 1. Per consecrationem unius speciei totus Christus modo sacramentali realiter præsens in altari ponitur, ac in honorem Dei offertur, ipsa siquidem consecratio, ex dictis antea, essentialiter est oblatio; ergo nihil deest ut vere sit sacrificium.

Resp. nego conseq. deest quippe expressa significatio mortis Christi, quæ in separatione utriusque speciei ac mystica immolatione consistit. Sæpius dictum est, commemorationem illam ac repræsentationem omnino necessariam esse ad sacrificium, tametsi sacrificium istud non sit pure ac nude commemorativum ac repræsentativum, sed verum, reale ac proprie dictum. Cum vero dicimus consecrationem essentialiter esse oblationem, de consecratione loquimur, quæ fit in utraque simul specie, non de alia.

Dices 2. Per consecrationem corporis Christi sub specie panis, Christus aptus fit cibus Fidelium, idemque est de consecratione calicis sola secundum se; ergo alterutrius speciei consecratio sola ad rationem sacrificii sufficit.

Resp. dist. ant. per consecrationem panis, antequam vinum consecretur, corpus Christi aptum redditur ad cibum spiritualem, concedo; ad mysticam immolationem, ac repræsentationem mortis ejus; nego; antequam enim vinum consecretur, non repræsentatur corpus Christi ut mortuum & immolatum quia non fit separatio mystica sanguinis à corpore, quæ separatio & immolatio necessaria est ad sacrificium incruentum, quod fit in memoriam & repræsentationem sacrificii cruenti.

Instabis: In consecratione unius speciei sufficienter repræsentatur cruentum sacrificium crucis, quia illud crucis sacrificium positum non fuit in separatione sanguinis, sed animæ à corpore, & sufficienter repræsentatur per consecrationem solius corporis, quod vi verborum exsangue, ac sine anima sub specie panis ponitur, quamvis ratione concomitantiæ cum anima & sanguine conjunctum sit.

Resp. nego ant. ad probationem dico, cruentum Christi sacrificium formaliter includere non tantum mortem, sed & causam mortis, effusionem nempe sanguinis & separationem ejus à corpore, quam quidem separationem utriusque speciei consecratio proxime significat, remote autem ac consequenter separationem ipsam à corpore, quod quidem sufficit ad rationem incruenti sacrificii.

Dices 3. Si Sacerdos statim post consecratum panem moreretur, nonne Sacrum perfecisse diceretur? Ergo in consecratione unius speciei tota salva est sacrificii natura.

Resp. In casu proposito inchoatum quidem fore sacrificium, sed non plene perfectum; unde alius substituendus foret Sacerdos, qui illud perficeret & absolveret. Ita statutum fuit à Conc. Toletano VII. Can. 2. ut si Sacerdos post inchoatum sacrificium, id est post consecratam unam speciem (ut communiter exponitur illud Decretum) ait Bellarminus, adeo ægrotare incipiat, ut prosequi nequeat, alius Sacerdos succedat, & perficiat sacrificium. *De Sacr. Euch. l. 4. c. 22.*

Dices 4. Christus ipse in Castello Emaus coram duobus Discipulis solum panem consecravit: quin & novi Sacerdotes recenter inaugurati simul cum Episcopo consecrant, neque tamen sanguinem sub specie vini percipiunt; ergo integrum stare potest sacrificium, & sine consecratione utriusque speciei, & sine sumptione.

Resp. ad primum, Christum primum præcepti auctorem, pro sua suprema auctoritate solam panis speciem consecrasse, quia voluit duntaxat eos Discipulos reficere, & ab illis agnosci, ita ut agnitus statim ex oculis eorum se subduxerit & evanuerit, quod quidem eo tempore maxime expediebat. Quod vero Christus ex suprema sua & absoluta voluntate fecit, nobis ad imitandum non proponitur.

Ad secundam, satis est quod Episcopus, qui principalis est

lis est offerens, utramque speciem sumat; neque ullo modo probari potest ex dispensatione fieri, ut Sacerdotes recenter inaugurati sanguinem sub specie vini non percipient.

Dices 5. Referunt nonnulli post Volaterranum, dispensatum aliquando fuisse à SS. Pontificibus Innoc. IV. & VIII. ut sub una tantum specie panis, ob vini penuriam, consecratio fieret. Addunt alii, quòd etsi certum foret, jure divino utramque speciem necessariam esse, adhuc tamen certis in casibus Ecclesiam eo illo jure dispensare posset, sicut dispensat in juramento, voto, & matrimonio rato, quorum obligatio juris divini est ac naturalis.

Resp. Dispensationes illas aut fictas esse, aut ipso jure nullas. Habet quidem Ecclesia potestatem, ut in Sacramentorum dispensatione ea statuat vel mutet quæ suscipientium utilitati, seu ipsorum Sacramentorum venerationi, pro rerum, temporum, & locorum varietate magis expedire judicat; at salva semper illorum substantia, ait Conc. Trid. Sess. 21. cap. 2. Porro substantia sacrificii subsistere non potest sine consecratione utriusque speciei.

Quod additur de dispensatione à juramento, voto, & matrimonio, suo loco exponetur: dixisse hic sufficiat, obligationem, quæ juramento, voto, vel matrimonio contrahitur, dispensatione non tolli, quamdiu manet ac viget promissio juramenti, voti ac matrimonii; sed Ecclesiam dumtaxat declarare certis in casibus juramentum, votum, aut matrimonium non obligare.

Instabis: Ratio essentialis Sacramenti & sacrificii prorsus distincta est; ergo Eucharistia, saltem quatenus Sacramentum est, potest in una specie confecreri.

Resp. nego conseq. Quia Sacerdos una & eadem actione & Sacramentum perficit, & offert sacrificium, neque ipsi fas est cùm celebrat, unum ab alio sejungere. Non ita est de participatione Eucharistiæ extra celebrationem; sub una quippe specie, & à Sacerdote ipso non celebrante, & à Fidelibus tanquam Sacramentum percipitur.

ARTICULUS IV.

Utrum incruentum Missæ sacrificium sit propitiatorium.

INitio hujus disputationis de sacrificio generatim sumpto observavimus, sacrificium ratione finis distingui, in latreuticum, Eucharisticum, impetratorium, & propitiatorium. Latreuticum dicitur, ob cultum latriæ seu perfectæ servitutis, qui Deo supremo rerum omnium Domino exhibetur; Eucharisticum fit in gratiarum actionem pro acceptis beneficiis: impetratorium vero pro accipiendis; propitiatorium denique dicitur, quod Deum nobis propitium, benignum ac placatum reddit, & offertur pro peccatis, & pro peccatorum pœnis ac flagellis avertendis.

Sacrificium propitiatorium dici potest, vel ratione solutionis pretii, ac satisfactionis perfectæ pro redemptione nostra, vel ratione dumtaxat applicationis quæ nobis fit meritorum passionis ac mortis Christi. Duo ista malignè confundunt Novatores: plena solutio pretii redemptionis nostræ facta est in cruce; applicatio vero vel communicatio hujus pretii, seu meritorum Christi, fit per Sacramenta, per bona opera, præsertim vero per sacrificium altaris.

Novatores Lutherani & Calvinistæ non recusant agnoscere sacrificium nostrum, (quod non propriè, sed impropriè ac latiori quodam sensu sacrificium appellant) Latreuticum & Eucharisticum dici posse; ac verè propitiatorium & impetratorium illud esse, pernegant.

CONCLUSIO.

Incruentum Missæ sacrificium verè propitiatorium est ac impetratorium.

Probatur 1. ex institutione ipsa Eucharistiæ, Matth. 26. v. 28. *Hic est sanguis meus qui pro multis effundetur*, vel, juxta græcum, *effunditur in remissionem peccatorum*. Et Luc. 22. v. 20. *Hic est calix novum Testamentum in sanguine meo, qui pro vobis fundetur*, græcè, *funditur*. Diversitas temporis, *fundetur, funditur*, duplicem designat ejusdem sacrificii statum, seu modum pro futuro, cruentum cum physica effusione sanguinis; pro præsenti, incruentum cum mystica immolatione: utrobique verò est in remissionem peccatorum; in cruce, solvendo pretium nostræ redemptionis; in altari, illud nobis applicando, unde meritò Christus nostra propitiatio hoc utroque sensu dicitur. Rom. 3. v. 25. *Quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius, ad ostensionem justitiæ suæ propter remissionem præcedentium delictorum*. 1. Joann. 2. c. v. 2. *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi*. Et cap. 4. v. 10. *Misit Filium suum propitiationem pro peccatis nostris*. Fidem hanc confirmat & ipse S. Paulus Hebr. 5. v. 1. *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in his, quæ sunt ad Deum, ut offerat dona & sacrificia pro peccatis*. Est istud præcipuum Sacerdotis officium, offerre nempe sacrificium pro peccatis; ergo respondere illi debet sacrificium propitiatorium. Etenim Eucharistia, quatenus Sacramentum, non habet ex sua institutione vim tollendi peccata directè ac primariò, sed nutriendi tantùm & conservandi vitam spiritualem, neque potest nisi sumenti prodesse: econtra peccata dimittit, quatenus sacrificium est propitiatorium, quod non tantum offerenti, sed & aliis, pro quibus offertur, fructum affert.

Ex eo vero quod sacrificium Missæ propitiatorium sit, consequens est, ut sit etiam impetratorium: si enim Deum placare potest, ac propitium reddere ad dimittenda peccata, quidni poterit & ab ipso nova & uberiora auxilia gratiæ, cæteraque beneficia impetrare?

Si potest Ecclesia suis votis ac precibus plurima obtinere à Deo beneficia, seu terrena seu cœlestia, an non idem poterit Christus ipse in altari præsens ac mysticè immolatus? Porro non alium in finem Apostolus 1. ad Timoth. 2. v. 1. observet *fieri orationes, postulationes & gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro regibus, & omnibus qui in sublimitate sunt, ut*, inquit, *quietam & tranquillam vitam agamus*. Quem usum P.241.B
Ecclesia semper observevit. *Postquam*, ait S. Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi 5. mysteg. *confectum est illud spirituale sacrificium, & ille cultus incruentus super ipsa propitiationis hostia, obsecramus Deum pro communi Ecclesiarum pace, pro tranquillitate mundi, pro regibus, pro militibus, pro sociis, pro ægrotis & afflictis, & in summa, pro omnibus qui egent auxilio.*

Probatur 2. ex SS. Patribus ac constanti Ecclesiæ Traditione.

S. Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi mox citata, vocat Eucharistiam *hostiam propitiationis*, & postea dicit: *Christum pro nostris peccatis mactatum offerimus, ut & nobis & illis, eum, qui est benignissimus, propitium reddamus.* Ibid.

S. Joan. Chrysostomus Lib. 6. de Sacerdotio. *Qui* Tom. 1. p.
pro tota civitate, inquit, *& quid dico civitate? imo* 424. A.
pro universa terra oratorem agit, Deoque supplicans, ut omnium peccatis sit propitius, non viventium tantum, sed etiam eorum qui obierunt, qualem, quæso, oportet esse?

Tom. 2. p. 63 C. Ibid. 302. D. S. Ambrosius L. 1. de Officiis c. 48. *Offers*, inquit, *Christus seipsum quasi Sacerdos, ut peccata nostra dimittat.* Et in Exhortatione ad Virgines, vocat sacrificium, quod in altari offertur, "hostiam salutarem, per „quam peccatum mundi hujus aboletur.

Tom. 4. p. 1. p. 4. 8. S. Hieronymus Comment. in c. 1. Epist. ad Titum, „Si Laicis, *ait*, imperatur, ut propter orationem abstine„ant se ab uxorum coitu; quid de Episcopo sentiendum „est, qui quotidie pro suis populique peccatis illibatas „Deo oblaturus est victimas?

Tom. 3. p. 1. p. 517. A. S. denique Augustinus q. 57. in Levit. "In multis, „*inquit*, sacrificiis quæ pro peccatis offerebantur, unum „hoc nostrum sacrificium significatur, in quo vera fit „remissio peccatorum.

Perpetuam illam Ecclesiæ fidem ac Traditionem sequitur ac confirmat Conc. Trid. Sess. 22. c. 2. his ver-

Tom 14. Conc. p. 855. C. bis: "Docet sancta Synodus, sacrificium istud vere „propitiatorium esse, per ipsumque fieri, ut si cum vero „corde, & recta fide, cum metu & reverentia, contriti ac „pœnitentes ad Deum accedamus, misericordiam con„sequamur, & gratiam inveniamus in auxilio opportu„no. Hujus quippe oblatione placatus Dominus, gra„tiam & donum pœnitentiæ concedens, crimina & pec„cata, etiam ingentia, dimittit. *Rationem statim reddit* „*Synodus*, Una enim eademque est hostia, *inquit*, idem „nunc offerens Sacerdotum ministerio qui seipsum tunc „in cruce obtulit, sola offerendi ratione diversa.

Ib. p. 855. Et Can. 3. ejusdem sess. "Si quis dixerit, Missæ sa„crificium tantum esse laudis, & gratiarum actionis, aut „nudam commemorationem sacrificii in cruce peracti, „non autem propitiatorium; vel soli prodesse sumenti; „neque pro vivis & defunctis, pro peccatis, pœnis, satis„factionibus, & aliis necessitatibus offerri debere, ana„thema sit.

Probatur 3. evidenti ratione ducta tum ex sacrificiis veteribus, quibus vis ea inerat ut à peccatis saltem legalibus, id est ab immunditia legali, mundarent; tum ex ipso Christo omnium gratiarum fonte ac capite, qui tanquam vera hostia sub symbolis eucharisticis præsens immolatur & offertur in remissionem peccatorum. Causam istam & rationem quam adducit

P. 92. Conc. Trid. eleganter exponit Illustrissimus Petrus de Marca in Dissertatione posthuma de Eucharistia. "Ita„que, *inquit*, cum res oblata, & qui principaliter offert „& interpellat, sit ipse Christus, dubium non est, quin sit „in hoc sacrificio infinita vis impetrandi omnem gratiæ „apparatum, quo instructi, ingentium criminum ve„niam consequi possimus. Quid enim deest ad pecca„torum indulgentiam aliquendam, ubi auctor ipse „gratiæ, qui eum nobis promeritus est cruento sacrifi„cio, in mystica ceremonia illius memoriam renovat, „atque pro nobis Patrem interpellat, quo beneficii in „cruce quæsiti nos faciat compotes? .... *Et postea*; Ut „ atque hunc istum contraham in pauca, propitiatorium „dicitur sacrificium Eucharisticum, quoniam impetrat „gratiam necessariam ad salutem, & adea omnia „consequenda beneficia, quæ nobis sua passione pro„meruit, nisi contumaciter auxilia illa rejecerimus.

Dices 1. cum Luthero. Baptismus unius non prodest alteri, nec potest unus pro alio baptisari; ergo nec sumptio Eucharistiæ potest ab uno pro alio fieri; ergo Missa non est sacrificium propitiatorium.

Resp. ex supra dictis multum interesse inter Sacramenti susceptionem, & oblationem sacrificii: Sacramentum enim ad sanctificationem suscipientis primario ac directe ordinatur, & idcirco non nisi suscipientem sanctificat; at sacrificium ordinatur ac tendit tum ad gloriam Dei, cujus supremum in res omnes dominium declaratur, tum ad impetrandum beneficia iis omnibus

Tom. 3. p. 346. B. pro quibus offertur, *Quare*, inquit Bellarminus L. 2. de Missa cap. 5. *sacrificium simile est orationi, quod attinet ad efficientiam: oratio enim non solùm prodest oranti, sed etiam iis, pro quibus oratur. Ex his colligimus*, pergit doctissimus Cardinalis, *manducationem Eucharistiæ, quæ fit à Sacerdote, ut est Sacramenti susceptio, soli sumenti prodesse; ut autem sacrificii consummatio, prodesse illis omnibus, pro quibus oblatum est sacrificium.*

Dices 2. cum Kemnitio. *Si Missæ sacrificium propitiatorium esset, ac peccata remitteret, utile foret non accedere ad Sacramenta pro remissione peccatorum percipienda; nam remissio peccatorum per unam Missam ab alio dictam, sine ullo labore & periculo haberi potest.*

Resp. dist. ant. Si Missæ sacrificium immediatè ac proximè peccata dimitteret, concedo: si mediatè duntaxat; impetrando scilicet auxilia gratiæ, ac donum pœnitentiæ quo peccatores moveantur ad Sacramenta desideranda & quærenda, nego. Solutio ex mox dicendis clarius patebit.

ARTICULUS V.

De effectibus sacrificii Missæ, & de modo quo producuntur: an ex opere operato, an tantùm ex opere operantis.

OBserva 1. inter varios effectus sacrificii, alios in bonis spiritualibus, alios in temporalibus positos esse.

II. Recolendum ex Tractato de Sacramentis in genere, illud efficax dici ex opere operato, quod ex institutione Christi, virtute operis externi subjecto debitè applicati, effectum suum sortitur; ex opere vero operantis, quod ex fide, pietate seu recipientis, seu ministrantis Sacramentum, aliquod bonum spirituale impetrat.

III. Potest aliquid efficax esse ex opere operato, duobus modis. 1. per modum Sacramenti seu signi & instrumenti à Christo Domino instituti ad certum effectum immediatè producendum: talis est Sacramentorum vis & efficacia. 2. per modum impetrationis, quæ alicui actioni vel operi certò annexa est.

IV. Gratiam & remissionem peccatori conferri posse, vel proximè ac immediatè vel mediatè duntaxat: Sacramenta v. g. gratiam immediatè conferunt, ad quam conferendam sunt à Deo destinata; sacrificium vero mediate, impetrando scilicet gratiam, per quam homines ad conversionem cordis excitentur, & ad Sacramenta, velut ad gratiarum fontes, organa, & instrumenta, confugiant.

V. denique, in peccato spectari posse reatum, tum culpæ, tum pœnæ temporalis, quæ etiam post condonatam culpam luenda superest. His prænotatis,

Dico 1. sacrificium Missæ valere plurimum ad bona spiritualia & etiam temporalia à Deo impetranda.

1. quantum ad spiritualia bona, mox audivimus Synodum Tridentinam dicentem Sess. 22. c. 2. *Hujus*, (Christi) *oblatione placatus Dominus, gratiam & donum pœnitentiæ concedens, crimina & peccata etiam ingentia dimittit.* Justis etiam prodest ad augmentum virtutis & sanctificantis gratiæ.

Spirituales vero illos effectus, gratiam scilicet, donum pœnitentiæ, peccatorum quoad culpam remissionem, immediate ac proxime non operatur sacrificium, [id enim ad Sacramentorum pertinet] sed mediate ac vi intercessionis; quatenus nempe hujus sacrificii intuitu certo ac efficaciter movetur. Deus ad largiendas peccatori gratias actuales, quibus ad pœnitentiam ducitur, ac disponitur ad Sacramenta percipienda, quorum beneficio culpæ veniam immediate consequitur: reatus vero pœnæ temporalis per sacrificium imme-

immediate relaxatur, saltem ex parte. Namque ex mox dicendis sacrificium legitime pro defunctis offertur, eisque prodest, qui tamen eo in statu sunt, ut mereri amplius non possint, nec quidquam ad eam pœnæ relaxationem conferre: Deus quippe peccatori, etiam non cogitanti, ob meritum sacrificii contractum ex peccato pœnæ temporalis solvendæ debitum remittit; atque ea ex parte differt pœnæ relaxatio à remissione culpæ, quod hæc non fiat sine interiori peccatoris, si adultus fuerit, dispositione ac immutatione, non illa, quæ mera est exterior condonatio.

II. Quantum ad beneficia quædam & bona temporalia, certum est virtute sacrificii nonnunquam plurima conferri à Deo beneficia. Ita Conc. Trid. sess. 22. c. 2.
Tom. 14. Conc. p. 851. D. „Quare, *inquit*, non solum pro fidelium vivorum peccatis, pœnis, satisfactionibus, & aliis necessitatibus, sed „& pro defunctis in Christo, nondum ad plenum purgatis, rite, juxta Apostolorum traditionem, offertur."
Tom. 7. p. 766. n. 6. Necessitatum nomine Synodus ea temporalia bona intelligit, quæ ad commodum & utilitatem Ecclesiæ conferunt, pacem ac tranquillitatem Ecclesiarum, terræ ubertatem &c. S. Joan. Chrysostomus Hom. 18. & 21. in Acta Apost. & alibi sæpe docet, offerri sacrificium pro fructibus terræ. S. Aug. L. 22. de civ. Dei c. 8. meminit sacrificii Eucharistiæ oblati ad purgandam domum à dæmonum vexatione. S. Prosper L. de prædictionibus Dei c. 6. scribit suo tempore sacrificium Missæ oblatum pro dæmoniaca; & rursus ea sanata, iterum oblatum in gratiarum actionem. S. Greg. Hom. 37. in Evangel. & Beda L. 4. Hist. Angl. c. 22. scribunt diversis temporibus idem miraculum contigisse, ut cum sacrificium Missæ offerretur pro homine captivo in alia regione posito, & ignorante quid pro se fieret, ejus vincula divinitus solverentur ipsa hora sacrificii. Infinita propemodum virtute Eucharistiæ spatio duodecim sæculorum patrata miracula qui scire voluerit, legat eruditum Opus P. Theodorici de S. Rene Carmelitæ dicti les Billetes, cui titulus gallice, „Remarques historiques „données à l' occasion de la sainte Hostie miracu„leuse conservée pendant plus de quatre cens dans l' „Eglise paroissiale de S. Jean en Greve à Paris. A Pa„ris chez Meinier rue S. Severin au Soleil d'Or." T. 1. à pag. 44. ad pag. 152.

Tom. 3. p. 344. B. Rationem hujusce doctrinæ istam reddit Bellarminus L. 2. de Missa c. 3. „Nam, *inquit*, si oblatio Eu„charistiæ pro peccatis dimittendis valeat: certe etiam „pro aliis necessitatibus, quæ ex peccato ortæ sunt, va„lere debet. Et si Deus hoc sacrificio placatus in gra„tiam cum inimicis suis redit, quanto facilius ob idem sa„crificium adducetur, ut amicis, & reconciliatis bona „temporalia tribuat, si id eis utile fuerit?

Dices: Per sacrificium ea bona comparantur, quæ Christi morte sua promeruit: atqui morte sua Christus non bona temporalia, sed spiritalia & salutis æternæ duntaxat nobis promeruit.

Deinde vero, si bona hujusmodi caduca & temporalia sacrificium nobis impetraret, licitum foret ea concupiscere ac postulare; atqui minime id nobis licitum est; imo continuo hortantur Scripturæ ac Ss. Patres, ut à bonis temporalibus expetendis animum & cor nostrum avocemus.

Resp. ad primum dist. min. bona temporalia in se absolute considerata, & tanquam finem nostram in quo hærere debeamus, Christus morte sua non promeruit, concedo: spectata in ordine ad salutem, & tanquam media quæ divina providentia nobis suppeditat, ut iis utamur ad finem nostrum ultimum, qui Deus est, consequendum, nego. *Sic transeamus per bona temporalia*, inquit Ecclesiæ oratio, *ut mereamur æterna.*

Ad secundum: Resp. dist. min. nobis licitum non est bona temporalia expetere, animo cupiditatis, & tanquam finem quo fruamur, concedo; tanquam media quibus utamur ex ordinatione providentiæ divinæ, ut ad finem nostrum ultimum perveniamus, nego.

Dico 2. sacrificium Missæ vim & efficaciam habere ex opere operato, non quidem ad modum signi seu Sacramenti, sed per certam & infallibilem ex institutione Christi impetrationem.

Prima pars probatur. Quia ea virtus & efficacia dicitur ex opere operato, non autem ex opere operantis, quæ divina institutione tota fluit & pendet ex oblatione ipsa externa sacrificii, non autem à probitate ministri: atqui talis est externa sacrificii oblatio. 1. quia vis sacrificii perinde ac Sacramenti non pendet ex privata ministri conditione bona vel mala: *Munda illa oblatio est*, ait Conc. Trid. Sess. 22. c. 1. *quæ nulla indignitate aut malitia offerentium inquinari potest.* 2. ibidem c. 2. Concilium docet per nostrum sacrificium remitti peccata: & causam reddit, quia eadem est hostia, & idem offerens, qui fuit in sacrificio crucis; vis ergo & efficacia sacrificii tota fluit ex Christo, qui simul hostia est ac principalis offerens, cujus virtutem & efficaciam sua malitia impedire aut retardare non potest minister secundarius & minus principalis. 3. sacrificium Missæ vi suæ institutionis singularem quandam vim & efficaciam habet, ad applicandum nobis fructum mortis & passionis Christi, hæc autem applicatio includit causalitatem ex opere operato, quia fit ex vi institutionis Christi: namque si solum fieret ex merito vel satisfactione operantis, nihil singulare haberet istud nostrum sacrificium ex vi institutionis. 4. sacrificium novæ Legis non debet esse minus perfectum in ratione sacrificii, quam Sacramentum in ratione Sacramenti: sed sacramenta novæ Legis ex opere operato suum effectum sortiuntur. 5. si Missæ sacrificium aliis non prodesset, nisi ex opere operantis, nullum ex hac parte foret discrimen inter illud sacrificium & perceptionem Eucharistiæ, quia scilicet ista perceptio potest etiam hoc modo aliis prodesse, sicut & alia opera religionis per impetrationem: at certum est discrimen esse inter oblationem sacrificii, & perceptionem Sacramenti Eucharistiæ. 6. denique, certum est Missæ sacrificium prodesse defunctis, quantum ad relaxationem pœnæ temporalis; atqui non prodest ex opere operantis, sive ex parte defunctorum, qui mereri amplius non possunt, sive ex parte ministri qui forte in mortali peccato constitutus nihil impetrare à Deo pro aliis potest: ergo tunc sacrificium effectum sortitur ex opere operato.

Secunda pars probatur.

I. quia ex mox dictis sacrificium immediate ac proxime gratiam non producit, sed Deum placando eam impetrat, per quam homo peccator ad Sacramenta confugiens, peccatorum remissionem ac justitiam consequatur. Illud non obscure tonuit Conc. Trid. Sess. 22. c. 2. „Hujus oblatione placatus Do„minus, *ait*, gratiam & donum pœnitentiæ con„cedens, crimina & peccata etiam ingentia dimittit. Tom. 14. Conc. p. 851. D.
„Una enim eademque est hostia, idem nunc offerens „Sacerdotum ministerio, qui se ipsum tunc in cruce „obtulit." Confirmatur hæc prima ratio ex discrimine, quod sæpius adduximus, inter Sacramentum & sacrificium. Istud primario tendit ad honorem Dei, illud ad sanctificationem hominum &c. Ad peccatum immediate tollendum instituta sunt sacramenta Baptismi & Pœnitentiæ, illud pro Infidelibus, hoc pro Fidelibus; sive illud pro originali, hoc pro actuali diluendo. Ergo sacrificium alium habet finem, & alium effectum; aut saltem non eodem modo, quo Sacramenta, peccata dimittit, non immediate, sed mediate ac via impetrationis, id est excellentis cujusdam orationis, quæ intuitu hostiæ in altari immolatæ, Deum certissime movet ad gra-

ad gratiam & donum pœnitentiæ homini peccatori concedendum.

II. quia, inquit Bellarminus, si sacrificium immediate justificaret, requireret necessario prævíam dispositionem in eo pro quo sacrificium offerretur; quod si verum esset, non liceret sacrificium offerre pro iis, quos scimus in peccato libenter manere, nec pro obduratis, & impœnitentibus.

Lib. 2. de Missa c. 4. III. vis major tribui non debet sacrificio Missæ, quam sacrificio Crucis, siquidem ex illo vim omnem ac efficaciam suam trahit nostrum incruentum sacrificium: porro Crucis sacrificium non efficienter ac immediate justificavit, sed tantum meritorie ac impetratorie; alioqui omnes homines justi continuo evasissent, quia Christus pro omnibus hominibus se in sacrificium obtulit. Ut igitur sacrificium Crucis immediate peccatores non justificavit, sed placavit Deum, & impetravit, ut per debita media peccatores ad salutem perducerentur; sic etiam sacrificium Missæ non justificat homines immediate, sed impetrat, ut ex merito sacrificii crucis detur hominibus gratia & donum pœnitentiæ. Impetratio vero illa efficax est ex opere operato, virtute ipsius oblationis.

IV. sacrificium Missæ præcipuam vim habet, ut à Christo summo Sacerdote offertur; Christus autem nunc nec mereri, nec satisfacere potest, sed tantum impetrare. *Sedens ad dexteram Patris semper interpellat pro nobis*. Ergo sacrificium operatur, non ut signum & Sacramentum, sed via impetrationis. Ubi observa discrimen esse inter sacrificium Crucis & Missæ, quatenus utrumque à Christo fuit oblatum, in eo quod sacrificium Crucis fuerit meritorium, satisfactorium, & impetratorium vere ac proprie, quia Christus tunc mortalis erat, & mereri ac satisfacere poterat; sacrificium vero Missæ est dumtaxat impetratorium, quia Christus nunc immortalis, nec mereri, nec satisfacere potest. Cum autem dicitur propitiatorium, vel satisfactorium, id intelligendum est ratione rei quæ impetratur: dicitur enim propitiatorium, quia impetrat remissionem culpæ; satisfactorium, quia impetrat remissionem pœnæ; meritorium, quia impetrat gratiam benefaciendi, ac merita acquirendi: quamquam non negaverim dici etiam satisfactorium, quod ex Christi institutione per illud sacrificium applicetur ejusdem Christi passio ad pœnas tollendas, seu viventium seu mortuorum, quæ post culpam remissam aliquando remanent, vel in hac vita, vel in Purgatorio luendæ. Hæc Bellarminus Lib. 2. de Missa cap. 4.

Dices: Ad efficaciam ex opere operato duo requiruntur; & certa Dei promissio, & infallibilitas effectus: atqui neutrum hic reperitur. Non certe Dei promissio, nullibi enim legitur in Scripturis: non infallibilis effectus, sive spiritualis, sive temporalis; neque enim ii omnes pro quibus sacrificium offertur, gratiam & donum conversionis seu pœnitentiæ, aut alia beneficia & commoda temporalia reportant; ergo &c.

Resp. ad primum: Promissionem ex parte Dei certam & fixam alii agnoscunt in his generatim verbis, Joan. 6. v. 24. *Petite & accipietis*. Alii in istu Matth. c6. v. 28. *Hic est sanguis meus novi Testamenti, qui pro multis effundetur*, græce, *effunditur in remissionem peccatorum*.

Ad secundum: De sacrificii efficacia ex opere operato idem sentiendum, quod de efficacia Sacramentorum, quæ idem ex sese nata & apta sunt gratiam producere, eamque producunt, si nullus sit ex parte suscipientium obex, nullum impedimentum: ita & sacrificium pro varia dispositione suscipientium varie operatur: in his conversionem cordis ac veram pœnitentiam, si, ut par est, bene animo sint præparati, in illis motum aliquem, tametsi levem ac debilem, erga Deum. Satis est quod ex institutione Dei nostrum sacrificium vires habeat ex se efficaces ad fructum mortis & passionis Christi nobis applicandum. *Hujus quidem oblationis cruentæ fructus*, ait Conc. Trid. sess. 22. cap. 2. *per hanc* [incruentam] *uberrime percipiuntur*, pro voluntate scilicet & arbitrio Dei, ac dispositione subjecti neque enim necessarium est, ut effectus sacrificii continuo existat, sed solum ut Deus auxilium & gratiam det, quando ipsi opportunum videbitur. Namque ipsum sacrificium Crucis, non continuo suum habuit effectum, & oratio S. Stephani, Pauli conversionem impetravit, non præsentem, sed futuram tempore à Deo determinato. Bell. l. 2. de Missa c. 5.

Quod autem attinet ad temporalia beneficia, multæ possunt esse causæ, cur non continuo obtineantur, licet infallibilis sit efficacia sacrificii. Nam vel ea Deus non largitur, quia non esse utilia ad salutem æternam intelligit; vel differt, ut opportuniore tempore illa concedat; vel denique indigni sunt pro quibus sacrificium offertur, ut temporalia illa beneficia percipiant, & contra dignissimi qui severissime castigentur. Nam etsi sacrificium offeratur ad Deum placandum etiam indignis, aliquando tamen majora sunt hominum demerita, quam ut Deus uno vel altero sacrificio placari possit: maxime in eorum sententia, qui arbitrantur valorem Missæ finitum esse ac limitatum. Ibid.

Dico 3. Sacrificium vim habet non tantum ex opere operato, sed etiam ex opere operantis, id est ex pietate ac devotione offerentis: cum enim per modum impetrationis seu orationis valeat, eo majorem effectum producit, quo fervida magis est & accensa ipsius ad Deum oratio. Et vero si cætera virtutum opera Deo placent, ac uberiora impetrant auxilia gratiæ, quatenus ab amico aliquo sunt, & ex charitate procedunt, non est cur ob eandem causam Deo non placeat sacrificium, quod egregium est ac præstantissimum opus Religionis nostræ. Si homo justus, qui est in statu gratiæ, potest per quodlibet bonum opus mereri, satisfacere, & impetrare, cur per oblationem hujus sacrificii hoc ipsum non assequetur? Hoc unum interest, quod pro se mereri tantum possit de condigno, pro aliis vero satisfacere ac impetrare.

Quapropter observat Bellarminus, quod etsi necessaria non sit bonitas ministri offerentis ad valorem sacrificii, alicujus tamen offerentis bonitatem necessario requiri: cum enim sacrificium impetrando valeat, ac simile sit orationi, sine dubio non potest placere, nec impetrare, nisi offerens placeat. Contingit autem aliquando Sacerdotem, qui proximus minister est, Deo non placere, ob mortale peccatum cujus conscientiam habet; ergo Christus, qui ex opere operantis tunc Deo placet, est principalis offerens. Neque obstat, quod in sacrificio Missæ res ipsa, quæ offertur, ex se Deo gratissima sit. Namque non res illa, sed rei illius oblatio proprie sacrificium est; sacrificium enim est actio, non res permanens. Porro licet res ipsa placeat ex se, tamen oblatio rei non placet, nisi offerens placeat, ac præsertim Deo, cujus sunt omnia, & qui nulla re indiget.

Inde consequens est, sacrificium Missæ, ut est à Christo principali offerente, vim habere ex opere operantis certo ac infallibiliter, quia placet ex bonitate offerentis Christi, quæ semper est eadem, nec minui, nec crescere potest: ut autem offertur ab homine, vim habere ex opere operato, quia placet Deo, etiamsi homo, qui offert, Deo non placeat. Itaque quod est opus operantis respectu Christi, est opus operatum respectu ministri; nihilominus absolute & juxta usum, cum dicitur Missa vim aliquam habere ex opere operantis, semper intelligitur de valore quem habet ex bonitate ministri, quia ipse est,

qui

qui proprie operatur; Christus enim non operatur nisi per ministrum.

ARTICULUS VI.

Utrum valor sacrificii Missæ finitus sit, vel infinitus.

Tom. 13. 141. E. Finitum esse affirmat Bellarminus L. 2. de Missa c. 4. ista potissimum de causa. "Nam, *inquit*, si Missæ „valor infinitus esset, frustra multæ Missæ, præsertim ad „rem eandem impetrandam offerrentur. Si enim una „infiniti valoris est, certe ad omnia impetranda sufficiet, „Et confirmatur ex sacrificio crucis, quod non alia de „causa unum tantum fuit, neque unquam repetitur; „nisi quia illud unum infiniti valoris fuit, & pretium „acquisivit pro omnibus peccatis preteritis & futuris „remittendis. Sed, *pergit Bellarminus*, licet res ipsa „certa sit, causa tamen non est adeo certa; mirum enim „videtur, cur valor sacrificii hujus sit finitus, cum idem „sit hoc sacrificium cum sacrificio crucis; & cum ipsa „hostia, & offerens Christus, infinito modo sint Deo „grata." Tum unam Dei voluntatem, tanquam præcipuam causam, assignat ibidem Bellarminus. Alii è contra, ob eam ipsam rationem quam affert Bellarminus, infinitum esse sacrificii nostri valorem opinantur.

Verum tota hæc quæstio in ambiguo & æquivoco posita videtur, quæ explicanda est.

I. sacrificii valor ab ejus effectu distingui debet; nam valor significat moralem dignitatem quam habet, tum ex parte offerentis, tum ex parte rei oblatæ; effectus autem id quod de facto datur intuitu illius dignitatis.

II. valor sacrificii considerari potest, vel quoad substantiam & sufficientiam ex parte rei oblatæ, ac principalis offerentis Christi; vel quoad efficaciam seu modum quo nobis applicatur fructus sacrificii Crucis per incruentum sacrificium Missæ.

Dico igitur 1. valorem sacrificii Missæ consideratum quoad substantiam & sufficientiam ex parte rei oblatæ & principalis offerentis Christi, infinitum esse, quia Missæ sacrificium idem est cum sacrificio Crucis, solaque differt offerendi ratione; atqui valor sacrificii Crucis quoad substantiam & sufficientiam infinitus fuit, pro infinita nempe dignitate & hostiæ oblatæ, & & personæ offerentis.

Dico 2. valorem sacrificii Missæ consideratum quoad efficaciam & modum quo nobis applicatur, seu quantum ad effectus, finitum esse ac limitatum, pro natura hominis finiti ac limitati. Id manifeste probat Ecclesiæ usus & praxis, quæ ad rem eandem impetrandamq; idem sacrificium sæpius iterari permittit, ac SS. Pontifices Innocentius VIII. & Alexander VII. prohibent ne Sacerdos, qui plura accepit honoraria seu stipendia ad totidem Missas celebrandas, sub prætextu quod infinita sit virtus sacrificii, per unum sacrificium debito suo satisfacere præsumat; declarantque eum, qui id præsumpserit, peccare contra justitiam, & ad restitutionem teneri. Porro si infinitus foret sacrificii valor, quantum ad efficaciam effectum, & modum applicandi nobis merita Christi, unum sufficeret semel oblatum Missæ sacrificium, sicut ad expianda omnia nostra delicta, & satisfaciendum pro illis, unicum Crucis sacrificium semel oblatum sufficientissimum fuit. Si vero causam & rationem quæsieris cur ita sit, maxime cum dignitas hostiæ & offerentis Christi suprema sit & infinita? Resp. non aliam hic quærendam esse causam, quam supremam Dei voluntatem. Videtur autem sic voluisse 1. ut hoc modo sacrificium frequentaretur, sine quo Religio stare non potest. 2. quia id requirebat ordo divinæ providentiæ, quæ etiam causa est, cur Christus assidue interpellet pro nobis in cœlo, qui tamen, si voluisset, unica interpellatione potuisset omnia statim impetrare: pariter, cur pretium infinitum, quod in cruce acquisivit, quo totus mundus continuo salvari potuisset, nonnisi certo tempore & certa mensura successive applicari voluerit. Harumce rerum, sicut & voluntatis divinæ, causam curiosius rimari nefas. 3. quia studium, laborem ac vigilantiam nostram hoc modo excitare voluit Deus, ut nempe pro mensura nostræ pietatis ac religionis, majorem vel minorem sacrificii fructum perciperemus. "Dicendum, *inquit S. Th. q. 79. art. 7. ad 2.* quod sicut passio „Christi prodest quidem omnibus, quantum ad suffi„cientiam, sed effectum non habet, nisi in illis, qui „passioni Christi conjunguntur per fidem & charita„tem; ita & hoc sacrificium, quod est memoriale „passionis Dominicæ. *Et art. 5.* Quamvis hæc obla„tio ex sui quantitate sufficiat ad satisfaciendum pro „omni pœna, tamen fit satisfactoria pro illis, pro qui„bus offertur, vel etiam offerentibus, secundum quan„titatem suæ devotionis: & non pro tota pœna." Cohæret hæc doctrina cum ante dictis; nempe sacrificium, tametsi agat ex opere operato, majorem nihilominus vel minorem effectum producere, pro majori vel minori dispositione subjecti.

Dices 1. Sacrificium Missæ idem est quoad substantiam cum sacrificio Crucis, diversum solummodo quantum ad modum offerendi; ergo sicut sacrificium Crucis semel oblatum valoris fuit infiniti ad plenam solutionem pretii pro redemptione nostra, & perfectam satisfactionem pro peccatis, ita unum Missæ sacrificium semel oblatum valoris est infiniti ad applicandum nobis fructum sacrificii Crucis, nec necesse videtur ut sæpius iteretur.

Resp. discrimen esse, quod Christus unica oblatione consummavit omnia, ac semel moriendo solvit omne pretium redemptionis nostræ, & superabundanter pro peccatis nostris satisfecit; solutio autem semel perfecta non repetitur, & Christus semel mortuus non moritur amplius: at non unius tantum Missæ celebratione fructum suæ passionis ac mortis nobis semper applicat. Ratio est, quia sacrificium Missæ vi suæ institutionis est ad repræsentandum sacrificium Crucis, & ad applicandum nobis fructum ipsius: porro res eadem & repræsentari sæpius potest, & fructus ejus iteratis vicibus communicari, prout Deo placuerit: neque enim, ut jam dictum fuit, alia hic quærenda ratio quam Dei voluntas, & sicut & in dispensatione fructus sacrificii Crucis, quem non continuo omnibus & singulis, sed certo tempore ac loco, pro beneplacito suæ voluntatis.

Dices 2. Res oblata in sacrificio Missæ est infinita, ipsemet scilicet Christus: ergo oblatio est infiniti valoris. Confirmatur, quia dignitas rei oblatæ aliquid confert ad valorem oblationis; ergo major dignitas plus confert; ergo infinita dignitas confert infinitum valorem.

Resp. dist. conseq. oblatio est infiniti valoris ex parte Christi, concedo: ex parte ministri, per cujus ministerium Christus offert, nego. Observa, valorem illum non tam crescere ex dignitate objecti circa quod versatur, quam ex dignitate personæ operantis, ut patet tum exemplo viduæ evangelicæ, quæ minus quidem offerebat præ aliis, cujus tamen oblatio Deo gratior fuit, propter majorem sanctitatem personæ offerentis: tum exemplo ipso Christi, cujus actiones singulæ infiniti erant valoris, tametsi multæ versarentur circa objectum finitum: tum denique quia actus fidei, spei & charitatis, qui à nobis eliciuntur, sunt valoris finiti, licet eorum objectum sit infinitum. Porro Christus hic non immediate per seipsum operatur, sed ministerio Sacerdotis; unde valor sacrificii, ut est ex opere operantis ex parte Sacerdotis, finitus est, tum in ratione meriti, quia non meretur nisi certos gradus gratiæ &

potest manere illis ira Dei. In mente igitur S. Doctoris mitigari possunt damnatorum pœnæ; atque ad hanc mitigationem seu relaxationem pœnæ obtinendam offerri potest sacrificium Missæ,

Resp. Perspicuum esse ex lectione contextus, S. Doctorem c. 110. Ench. loqui duntaxat de Fidelibus, qui in Purgatorio detinentur, ac Missæ sacrificio, & viventium suffragiis juvari possunt ad mitigationem, vel omnimodam pœnæ liberationem. *Neque negandum est*,
Ibid. p. 218. A Ibid. C. ait S. Doctor, *defunctorum animas pietate suorum viventium relevari, cum pro illis sacrificium Mediatoris offertur, vel eleemosynæ in Ecclesia fiunt..... Cum ergo sacrificia sive altaris, sive quarumcunque eleemosynarum pro baptisatis defunctis omnibus offeruntur, pro valdè bonis gratiarum actiones sunt; pro non valdè malis propitiationes sunt; pro valdè malis, etiamsi nulla sunt adjumenta mortuorum, qualescunque vivorum consolationes sunt.* Illi porrò quos S. Doctor appellat *non valdè malos*, Fideles sunt, qui flammis Purgatorii quidquid pœnæ temporalis luendum ipsis superest, solvunt & expurgant; quique viventium precibus ac Missæ sacrificio juvari possunt; pro aliis verò valdè malis, idest damnatis, *nulla sunt adjumenta mortuorum.* In capite 112. non ex sua propria sententia loquitur S. Doctor, neque ait, *existimem*, ut fert Objectio, sed, *existiment*, nempè Origenistæ, qui damnatorum pœnas, vel per certa temporum intervalla saltem mitigandas, vel tandem aliquando finem omnem omnino habituras esse arbitrabantur; quos ibi refellit sanctus Doctor.
Ibid. E. *Frustra*, inquit, *nonnulli, imo quam plurimi, æternum damnatorum pœnam & cruciatus sine intermissione perpetuos humano miserantur affectu, atque ita futurum esse non credunt; non quidem Scripturis divinis adversando, sed pro suo motu dura quæque molliendo, & in leniorem flectendo sententiam, quæ putant in eis terribilius esse dicta, quàm veriùs &c.*

Ed. Commel. p. 1225. Dices 2. Postquam S. Chrysostomus Hom. 3. in Epistolam ad Philipp. dixit, orandum esse pro mortuis, sic pergit: *Id quidem de iis* (dicimus,) *qui in fide decesserunt. Catechumeni verò neque hac dignantur consolatione, sed omni auxilio sunt destituti, uno quodam excepto. Quale vero hoc? licet pauperibus pro iis dare, atque hinc aliquid percipiunt refrigerationis.* Ergo, judice S. Chrysostomo, damnatis, quales sunt haud dubiè Catechumeni sine Baptismo mortui, aliquid refrigerii accedere potest.

Resp. S. Chrysostomum hoc unum negare, quod disciplina sui temporis ferebat, scilicet pro Catechumenis absque Baptismo ex hac vita discedentibus publicè orandum non esse, quod etiam & à Concilio Bracarensi primo c. 35. statutum fuit. Imo & circa pœnitentes publicos ante reconciliationem mortuos, aliquando à S. Leone observatum istud fuisse, nonnulli volunt: nempe ut, qui cum illis viventibus non communicaverant, cum iisdem mortuis etiam non communicarent. Quòd si hujusmodi Catechumenis nonnihil refrigerii ex eleemosynis, quæ pauperibus eorum nomine erogantur, accedere putavit S. Chrysostomus, singularis fuit hæc ipsius opinio.

Dices 3. Auctor Glossæ in caput *Tempus* 13, q, 2. docet duplicis ordinis esse damnatos: quosdam valdè malos, qui magna & multa crimina perpetrarunt; alios mediocriter malos, qui pauciora & leviora, atque pro his posse sacrificium offerri, non quidem ad plenam liberationem, sed ad quandam pœnæ relaxationem. Quin & S. Damascenus in Oratione *De defunctis*, refert Trajanum & Falconillam, ex inferis liberatos fuisse orationibus Gregorii & Teclæ. Denique Innocentius III. S. P, in caput *Cum Martha. De celebratione missarum*, dicit quosdam ex mortuis esse valdè bonos, idest sanctos, qui non egent suffragiis; quosdam valdè malos, id est damnatos, qui non possunt juvari; quosdam mediocriter bonos, quibus prosunt ad expiationem, quosdam mediocriter malos, quibus prosunt ad propitiationem. Non exponit Innocentius quinam illi sint, quos appellat mediocriter malos.

Resp. 1. deceptum esse Glossatorem, atque hic deferendum, si reipsa existimavit nonnullos ex damnatis aliquid solatii & refrigerii ex sacrificio Missæ posse percipere: in inferno enim non est locus misericordiæ, sed justitiæ ac vindictæ. 2. fabulosum prorsus est quod de Trajano & Falconilla ex S. Joan. Damasceno refertur; neque prætensa illius *De defunctis* Oratio, genuinum opus est, sed adulterinum ac supposititium. An verò probabile est S. Gregorium existimasse damnatorum animas à pœnis inferni liberari posse, qui L. 34, Tom. 1. p. 1135. C. D. Moral. c. 19. alias 13. scribit non magis orandum pro Infidelibus defunctis, quàm pro diabolo? 3. Innocentius III. videtur memoria lapsus, & ex trimembri divisione, quam adduxit S. Augustinus, quadrimembrem fecisse: sed quidquid sit, duo posteriora membra divisionis rectè intelligi possunt de iis qui in Purgatorio pœnas serunt, quorum aliqui sunt mediocriter boni, quia in hac vita benè quidem vixerunt, ex qua in charitate discesserunt; sed quibus pœnarum aliquid luendum superest, ac per sacrificium Missæ & viventium suffragia, subveniri potest ad supplicii mitigationem, vel plenam liberationem; alii sunt mediocriter mali, quia in hac vita non ita piè vixerunt, & tandem à reatu culpæ liberati, cum magno pœnæ reatu discesserunt, quibus sacrificium ad pœnarum mitigationem valere potest.

Dices 4. Judas Machabæus L. 2. Machab. cap. 12. jussit offerri Sacrificium pro Judæis occisis in prælio, sub quorum tunicis inventa sunt donaria idolorum, qui consequenter mortui fuerant in peccato mortali. Quin & Ecclesia pro defunctis Deum orat ut eos liberet morte *æterna, in die illa tremenda, quando cæli movendi sunt & terra*; ut eas liberet *de pœnis inferni, & de profundo lacu, de ore leonis: ne absorbeat eas tartarus, ne cadant in obscurum &c.* Ergo licitum est preces fundere pro damnatis, ac consequenter in eorum gratiam sacrificium offerre.

Resp. ad primum, Judæos illos pro quibus Judas Machabæus sacrificium offerri jussit, idolorum donaria sustulisse, non quidem ad cultum & reverentiam idolorum, sed tanquam prædam & spolia, quæ jure belli victoribus debentur: quapropter ea ex parte peccato mortali obnoxii non fuere. Ad secundum, Ecclesia preces illas, quas longè post obitum fundit, referre ad illud instans temporis quo defunctorum animæ ex corpore discesserunt. Ecclesia scilicet rem præteritam velut futuram ex desiderii sui ardore considerat, atque religionis mysteria, tametsi jam diu adimpleta, festiva recordatione ita exprimit ac celebrat, quasi jam tum adimplerentur, aut adimplenda forent. *Sæpè*, ait S. Augustinus Epistola 98. aliàs 23. ad Bonifacium, *ita loquimur, ut Paschâ appropinquante dicamus, crastinam* To. 2. p. 267. D. *vel perendinam Domini passionem, cùm ille ante jam multos annos passus sit*: non quod ignoret Ecclesia, jamdiu advenisse Christum, illum mortuum & à mortuis suscitatum; sed quod celebrando memoriam illius temporis quo natus est, mortuus &c, nativitatem, mortem &c, spectat quasi jam tum primum implerentur. Eodem sensu exponendæ sunt preces quas Ecclesia pro defunctis, etiam diu post eorum obitum, fundit ad Deum, ut eos liberet à pœnis inferni.

Dico 2. justos in charitate piè defunctos & in Purgatorio detentos, ad temporalis pœnæ relaxationem Offertur pro justis defunctis. vel plenam liberationem Missæ sacrificio, ac viventium suffragiis juvari posse. Hanc esse Ecclesiæ fidem

Patet 1. ex Scripturis Lib. 2. Machab. cap. 12. v. 43. & sequent. *Facta collatione*, ait sacer contextus, *duodecim millia drachmas argenti misit* (Judas Machabæus)

bæus) *Jerosolymam, offerri pro peccatis mortuorum sacrificium, bene & religiose de resurrectione cogitans.... Sancta ergo & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, & à peccatis solvantur.* Ex quo celebri testimonio hæc habemus. 1. mortuos post hanc vitam à peccatis solvi. 2. sacrificia & orationes vivorum mortuis prodesse. 3. omnes peccatorum reliquias non semper per mortem expiari, sicut Luthero & Calvino videtur: illi etenim pro quibus Judas Machabæus sacrificium offerri jussit, mortui erant morte violenta, & quidem pro Religione; atqui tamen persuasum habuit Judas, illos plenè purgatos non fuisse. 4. posse hominem sanctè ac piè mori, & tamen debitum aliquod ipsi solvendum, sive propter levia quædam & venialia peccata non remissa, sive propter pœnam temporalem, quæ post condonatam culpam lethalem solvenda superest: testatur enim sacer contextus loco citato v. 45. eos pro quibus Judas sacrificium offerri voluit, *cum pietate dormitionem accepisse.* 5. denique, officia illa pietatis quæ defunctis exhibentur ad Religionem pertinere.

Patet 2. ex constanti Ecclesiæ praxi ac Traditione. Narrat S. Augustinus L. 9. Confess. Monicam matrem suam enixè rogasse, ut sui memoria in peragendis mysteriis fieret ad altare; cujus votis reipsa satisfactum est, cum, ait S. Augustinus, *oblatum est pro ea sacrificium pretii nostri.* T. 1. p. 168. F.

T. 6. p. 516. Et Lib. de cura pro mortuis gerenda cap. 1. n. 3. *In Machabæorum Libris*, inquit, *legimus oblatum pro mortuis sacrificium. Sed etsi nusquam in Scripturis veteribus omnino legeretur, non parva est universæ Ecclesiæ, quæ in hac consuetudine claret, auctoritas, ubi in precibus Sacerdotis, quæ Domino Deo ad ejus altare funduntur, locum suum habet etiam commendatio mortuorum.* Et cap. 4. *Non sunt prætermittendæ supplicationes pro spiritibus mortuorum: faciendas pro omnibus in Christiana & Catholica societate defunctis, etiam tacitis nominibus eorum, sub generali commemoratione suscepit Ecclesia; ut quibus ad ista desunt parentes aut filii, aut quicumque cognati vel amici, ab una eis exhibeatur pia matre communi.* Ibid. p. 519. E.

Idem repetit S. Doctor Serm. 172. aliàs 32. de verbis Apostoli, ubi observat viventium suffragia mortuis prodesse pro mensura charitatis in qua illi defuncti sunt; non enim nova illis merita comparantur, sed T. 5. p. 827. F. præcedentibus eorum meritis ista redduntur. *Non omnino*, inquit, *ambigendum est, ista prodesse defunctis; sed talibus qui ita vixerint ante mortem, ut possint eis hæc utilia esse post mortem.... Non ergo mortuis nova merita comparantur, cum pro eis boni aliquid operantur sui, sed eorum præcedentibus consequentia ista redduntur.... Et ideo istam finiens quisque vitam, nisi quod meruit in ipsa, non poterit habere post ipsam.*

Rursus hoc ipsum docet in Enchiridio cap. 110. Ibid. p. 238. A. "Neque negandum est, *ait*, defunctorum animas pie„tate suorum viventium relevari, cùm pro illis sacrifi„cium Mediatoris offertur, vel eleemosynæ in Eccle„sia fiunt. Sed eis hæc prosunt, qui cùm viverent, ut „hæc sibi postea possent prodesse, meruerunt.... Quo„circa hic omne meritum comparatur, quo possit post „hanc vitam relevari quispiam vel gravari. Nemo se „autem speret, quod hic neglexerit, cum obierit, apud „Deum promereri.... Non enim omnibus prosunt: & „quare non omnibus prosunt, nisi propter differentiam „vitæ quam quisque gessit in corpore? Cum ergo „sacrificia, sive altaris, sive quarumcunque eleemo„synarum, pro baptisatis defunctis omnibus offerun„tur, pro valdè bonis gratiarum actiones sunt; pro non „valdè malis propitiationes sunt; pro valdè malis „etiamsi nulla sunt adjumenta mortuorum, qualescun„que vivorum consolationes sunt.

Traditionem hanc confirmavit Conc. Trid. Sess. 25. ubi docet Purgatorium esse, animasque ibi detentas Fidelium suffragiis, potissimum verò acceptabili altaris sacrificio juvari. Et Sess. 22. c. 2. ait, "sacrificium „Missæ non solum pro fidelium vivorum peccatis, pœ„nis, satisfactionibus & aliis necessitatibus, sed & pro „defunctis, ritè, juxta Apostolorum traditionem of„ferri. *Et Can.* 3. Si quis dixerit, Missæ sacrificium „tantum esse laudis, & gratiarum actionis, aut nudam „commemorationem sacrificii in cruce peracti, non au„tem propitiatorium; vel soli prodesse sumenti, neque „pro vivis & defunctis, pro peccatis, pœnis, satisfactio„nibus & aliis necessitatibus offerre debere; anathema „sit." T. 14. Conc. p. 894. Ibid. p. 853. D. Plura de hoc argumento hic non addemus, de quo data opera fusè disputavimus in nostris de Deo Prælectionibus To. 1. à pag. 627. ad pag. 661.

Dico denique

I. Sacrificium non offerri Sanctis, ac proinde neque templa, neque altaria Sanctis erigi. Ratio est manifesta, quia sacrificium offertur in protestationem supremi dominii quod in res omnes creatas habet Deus; & ad cultum latriæ pertinet; at quis sanæ mentis tale quid puris hominibus, quantacunque sanctitate ac gloria donati fuerint, tribuere audeat? *Nos*, inquit sanctus Augustinus Libr. 8. de civitate Dei cap. 27. "Martyribus non constituimus templa, sacerdotia, To. 7. p. „sacra & sacrificia.... Quis audivit aliquando fide- 217. „lium, stantem Sacerdotem ad altare..., dicere in „precibus, Offero tibi sacrificium Petre, vel Paule, „vel Cypriane; cum apud Memorias eorum Deo of„feratur?" Et Lib. 20. contra Faustum c. 21. "Nulli To. 8. p. „Martyrum, *inquit*, quamvis in Memoriis Martyrum, 347. B. „constituimus altaria.... quod offertur, Deo offertur C. „qui Martyres coronavit, apud Memorias eorum, „quos coronavit." Ita rem declarat ac definit Concil. Trid. sess. 22. cap. 3. "Quamvis, *inquit*, in honorem Tom. 14. „& memoriam Sanctorum nonnullas interdum Mis- Conc. p. „sas Ecclesia celebrare consueverit; non tamen illis 853. „sacrificium offerri docet, sed Deo soli, qui illos coro„navit. Unde nec Sacerdos dicere solet, Offero tibi sa„crificium, Petre vel Paule, sed Deo, de illorum victo„riis gratias agens, eorum patrocinia implorat; ut ipsi „pro nobis intercedere dignentur in Cœlis, quorum „memoriam facimus in terris.

II. Sacrificia Sanctis non prosunt ad culpæ vel pœnæ remissionem; nec ad gratiæ vel gloriæ essentialis augmentum. Ratio est, quia Sanctis Deo apertè fruentibus nihil superest culpæ vel pœnæ luendæ; nihil, quod gloriæ illorum essentiali superaddi possit, sed tantum gloriæ accidentalis, quæ eorum cultum, honorem ac venerationem spectet. Quare S. Augustinus Tract. 84. in Joan. & Serm. 159. aliàs 17. de verbis Apostoli, monet in sacrificio memoriam fieri Sanctorum, sed non orari pro illis. Tom. 3. part. 2. p. 709. To. 5. p. 765. Et idcirco cum in nostra Liturgia petimus, ut oblatio Sanctis prosit ad gloriam, non tam oramus pro Sanctis, quam pro nobis: nempè gratiam petimus ita sanctè, piè, devotè, rectè sacrificium offerendi, ut meritò Sancti gaudere inde possint, & gloria illis coram hominibus accedat.

III. Sacrificium Missæ non est per se institutum, tanquam ad finem proprium & præcipuum, ad Sanctos honorandos, vel invocandos; siquidem directè ac primariò institutum est ad Deum colendum, & propitium nobis reddendum; secundariò autem tantum ac consequenter ad Sanctos honorandos: quapropter verum foret sacrificium, tametsi nulla in eo fieret Sanctorum memoria.

IV. Non repugnat institutioni cœnæ Domini offerre Deo sacrificium in honorem Sanctorum, atque invocare

vocare ut pro nobis apud Deum intercedant. Hæc est constans Ecclesiæ fides ac praxis. *Si quis dixerit*, Tom. 14. Conc. p. 855. ait Conc. Trid. Sess. 22. Can. 5. *imposturam esse missas celebrare in honorem Sanctorum, & pro illorum intercessione apud Deum obtinenda, sicut Ecclesia intendit; anathema sit.*

Fidem hanc & Traditionem ad nos usque perduxerunt quotquot extant apud Græcos & Latinos Liturgiæ, in quibus SS. Apostolorum, Martyrum & aliorum Sanctorum memoria celebratur. Ex illis Liturgiis nonnulla testimonia laudavimus, cum de Deo agebamus To. 1. pag. 580. & 581. Perdoxerunt & SS. Patres. S. Pagina 241. C. Cyrillus Hierosolym. Catech. 5. mystag. *Cum hoc sacrificium offerimus*, inquit, *mentionem facimus eorum, qui ante nos obdormierunt, primum Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, ut Deus orationibus illorum, & deprecationibus, suscipiat preces nostras* To. 3. p. 2. p. 709. D. Et S. Augustinus Tract. 84. in Joan. *Non sic*, inquit, *Martyres commemoramus* (ad altare) *quemadmodum alios, qui in pace requiescunt, ut etiam pro eis oremus; sed magis ut orent ipsi pro nobis.* To. 7. p. 217. C. Et L. 8. de Civit. Dei cap. 27. reddens rationem, cur in memoriam, & apud Memorias sanctorum Sacra celebrentur, hanc reddit, *ut ea celebritate, & Deo vero de illorum victoriis gratias agamus, & nos ad imitationem talium coronarum atque palmarum eosdem invocate in auxilium, ex eorum memoria renovatione adhortemur.*

Dices 1. cum Kemnitio in examine Conc. Trid. Oblatio sacrificii in honorem Sanctorum directa fronte pugnat cum institutione cœnæ Domini: neque enim dixit Christus, hoc facite in honorem Sanctorum, sed, *in meam commemorationem.*

Resp. negoant. Equidem conceptis verbis Christus Eucharistiam instituens non dixit, Hoc facite in honorem Sanctorum; quia, ut mox dictum est, Eucharistia primario ac directè ordinatur ad cultum Dei; secundariò autem ac indirectè ad honorem Sanctorum: quamvis autem expresè non dixerit, Hoc facite in honorem & commemorationem Sanctorum, non etiam id prohibuit; imò licitum illud esse declaravit Ecclesia, quæ fidelis est voluntatis Christi sponsi sui custos & interpres. Longè porrò diversa est commemoratio quæ fit in sacrificio, tum Christi, tum Sanctorum: christi commemoratio fit, tanquam hostiæ, quæ pro redemptione nostra oblata fuit in cruce; Sanctorum verò, ut pro victoriis quas beneficio gratiæ reportarunt, Deo gratiarum actiones referantur, & ut *ipsi pro nobis intercedere dignentur in cœlis, quorum memoriam facimus in terris.* Concil. Trident. Sess. 22. 463.

Instabis 1. Oblatio sacrificii cultus est supremus ac latriæ soli Deo debitus; ergo superstitio est ac grande piaculum, offerre sacrificium in honorem Sanctorum.

Resp. nego conseq. Sophisma est ab ignoratione elenchi. Non enim Sanctis in honorem Dei offertur sacrificium, sed Deo in honorem Sanctorum, quæ duo valdè diversa sunt.

Instabis 2. Superstitio est ac prophanatio sacræ mensæ, sacrificium in honorem Sanctorum eo animo offerre, *ut per merita & preces Sanctorum in omnibus divinæ protectionis muniamur auxilio*; quasi merita Christi non sufficerent.

Resp. dist. ant. Si merita & preces Sanctorum adjungantur ad supplendum defectum & insufficientiam meritorum Christi, unde major ipsis virtus accedat, concedo: si adjungantur tanquam subsidium aliquod ad implorandam divinam gratiam per intercessionem Sanctorum, nego. Quomodo, quæso, merita Sanctorum meritis christi virium aliquid & efficaciæ adjungerent, cum ipsa omnem suum valorem, omne pretium ex meritis Christi mutuentur & trahant? Neque magis Sanctorum invocatio ac intercessio dignitati & efficaciæ sacrificii nocet, quàm cum Sacerdos postulat à Deo, ut fructum sacrificii sibi & aliis applicare seu communicare dignetur.

Dices 2. S. Augustinus L. 22. de civitate Dei cap. 10. dicit in administratione Cœnæ dominicæ Sanctos à Sacerdote quidem nominari, sed ab illo nullo modo invocari. *Non tamen*, inquit, *à Sacerdote qui sacrificat,* To. 7. p. 674. *invocantur. Deo quippè, non ipsis sacrificat, quamvis in Memoria sacrificet eorum; quia Dei Sacerdos est, non illorum.*

Resp. Hunc S. Doctoris textum directè adversari Kemnitio; siquidem apertè pronuntiat Deo, non verò Sanctis sacrificium offerri, tametsi in Memoria eorum offeratur. Invocari Sanctos negat Augustinus: at quo sensu? invocatione scilicet per sacrificium, quod ipsis offeratur; sacrificium quippè, ut sæpius dictum fuit, efficacissima est invocatio: non negat autem Augustinus, sanctos invocari precibus Sacerdotis, ut pro nobis apud Deum intercedere dignentur.

ARTICULUS VIII.

De Missis privatis.

Bellarminus Lib. 2. de Missa cap. 9. observat sensu multiplici Missas dici posse privatas. 1. ratione loci privati in quo celebrantur. 2. ratione temporis; ut publica dicatur, quæ festis diebus; privata, quæ profestis celebratur. 3. à fine; quæ pro aliquo privato seu particulari homine, vel negotio offertur, ita tamen ut cæteri Fideles, seu viventes seu mortui, non excludantur. 4. à paucitate illorum qui intersunt; ut dicatur publica, quæ fit coram populo, qualis illa est quæ Parochialis, vel Conventualis appellatur; privata autem, ad quam non expectatur populus, sed pro arbitrio Sacerdotis habetur, sive multi sint, sive pauci. 5. Missæ privatæ dici possunt, quæ dicuntur in eodem templo, eodem die, præter unam: nam una tantum solet esse Missa publica & solemnis, quæ dicitur in summo altari; cæteræ quæ dicuntur in minoribus altaribus eodem die, privatæ dici possunt, licèt multi interdum adsint auditores. Varia istarum Missarum privatarum ex veteribus monumentis exempla, ibidem profert doctissimus Cardinalis. 6. denique, privata Missa dici potest, in qua solus Sacerdos communicat; atque hæc ipsa est, de qua potissimum litem nobis movent Novatores, cujusmodi Missas ad invidiam *angulares* appellant.

Dico igitur licitas esse Missas illas privatas in quibus solus communicet Sacerdos.

Probatur ex Conc. Trident. Sess. 22. cap. 6. ubi Missas illas, quæ privatæ dicuntur, verè communes esse ait. En verba Concilii. *Optaret quidem sancta Synodus, ut in singulis Missis fideles adstantes, non solum spirituali affectu, sed sacramentali etiam Eucharistiæ perceptione communicarent, quo ad eos sanctissimi hujus Sacrificii fructus uberior proveniret;* Tom. 14. Conc. p. 854. *nec tamen, si id non semper fiat, propterea Missas illas, in quibus solus Sacerdos sacramentaliter communicat, ut privatas & illicitas damnat, sed probat, atque adeo commendat: siquidem illæ quoque Missæ verè communes censeri debent; partim, quòd in eis populus spiritualiter communicet; partim verò, quòd à publico Ecclesiæ ministro, non pro se tantùm sed pro omnibus fidelibus, qui ad corpus Christi pertinent, celebrentur.* At, inquit Kemnitius, nullum omninò est illud Concilii argumentum, Sacerdos publicus est Eucharistiæ minister; ergo sacrificium Missæ commune est omnibus, non privatum. Namque, inquit ille, minister verbi est etiam publicus minister, & tamen concionari non potest, nec concionando prodesse, nisi præsente populo & verbum Dei excipiente.

cipiente. Pariter qui baptisat est publicus minister, & tamen non potest baptisare nisi aliquis adsit baptisandus.

Verum hæ sunt meræ ineptiæ, reponit Bellarminus: aliter enim Sacerdos est minister publicus sacrificando, aliter concionando, & Sacramenta ministrando. Nam sacrificando dirigit actionem suam ad Deum pro populo; concionando, & Sacramenta ministrando, dirigit actionem suam ad populum propter Deum: ita Bellarminus.

Probatur 2. ex praxi Veterum. Canon nonus eorum qui Apostolici dicuntur, quippe ex veteribus Conciliis excerpti sunt, statuit Clericos excommunicandos, ita tamen ut qui facta oblatione non communicaverint, si causam non communicandi dixerint, *qua rationabilis fuerit, veniam consequantur.* Si ergo legitima causa
Tom. 1. Conc. p. 48. erat indignos arcendi à sacra mensa, licitum quoque erat Sacra celebrare, etsi nullus præter celebrantem, Eucharistiæ Sacramentaliter fieret particeps. Eo tendit quod ait S. Chrysostomus Hom. 67. ad populum, *Diaconum communionis tempore terribili clamore, quasi quemdam præconem, manum in altum tollentem, clamasse, Sancta sanctis, Si quis non sanctus non accedat.*

Tom. 4. Conc. p. 139. & 1386. Concilium Agathense an. 511. jubet omnes Fideles sacrificio Missæ singulis diebus Dominicis interesse, ter autem in anno communicare, scilicet in natali Domini, Paschate & Pentecoste; ergo licitum erat aliis temporibus Sacra facere, tametsi nullus ad sacram mensam accederet.

Concilium Nannetense cap. 30. vult ut Presbyteri soli Missam non celebrent, sed habeant saltem unum respondentem.

Tom. 6. Conc. p. 1230. C. Concilium Toletanum XII. Can. 5. graviter eos Sacerdotes reprehendit, qui sacrificium offerentes non communicabant, *Quale erit illud sacrificium*, ait, *cui nec ipse sacrificans participasse dignoscitur?* quæ verba satis apertè indicant, in ejusmodi sacrificio nullum omninò fuisse, qui communicaret: & tamen concilium non requirit, nisi ut Sacerdos ipse communicet; proinde admittit tanquam rata, &, ut apparet, usitata sacrificia, in quibus solus communicat Sacerdos.

Probatur denique his rationum momentis. 1. natura sacrificii non exigit ut aliqui, dum celebratur, intersint, ac Sacramenti fiant participes, cum totum sacrificium ad Deum referatur, atque fructus illius æquè particeps fieri possit sive qui absens est, sive qui præsens: sacrificium enim simile est orationi; imò quædam est realis & efficacissima oratio: porro certum est orationem ei prodesse, pro quo fit, etiamsi ille nesciat quid agatur. 2. non minùs certum videtur plures eodem tempore in eadem Ecclesia Missas celebratas fuisse. Scribit Cornelius S. P. in Epistola ad Fabium apud Eu-
P. 244. sebium Lib. 6. Hist. cap. 43. suo tempore Romæ quadraginta quatuor Presbyteros fuisse, quorum numerus subinde multùm haud dubiè excrevit; ergo vel illi omnes à sacrificio offerendo abstinebant, quod verisimile non est, vel omnes, aut saltem multi eodem die ac loco Sacra faciebant. Quis porrò crediderit, eos omnes Fideles, qui his Missis assistebant, ad sacram mensam jure ac mandato divino compulsos accessisse? 3. antiquissima consuetudo est in Ecclesia, ut in die natali Domini singuli Sacerdotes Missæ sacrificium ter celebrent, cujus ritus meminit S. Gregorius Homil. de natali Domini. Pariter multi, animo pietatis ac religionis, pluribus intersunt Missis: an verò divino præcepto tenentur in singulis communicare? An propterea illicitæ sunt aut nullæ illæ Missæ, in quibus nemo Eucharistiæ fit particeps? 4. plurimi Sacerdotes quotidie
Ed. Com. t. p. 1051. Ibid. p. 1872. celebrant, & tamen populus multis in locis raro admodum communicabat, ut vel ex illa querimonia Chrysostomi cognosci potest, quæ habetur Hom. 3. in Epistolam ad Ephesios. *Frustra*, inquit, *habetur quotidianum sacrificium Frustra adstamus altari. Nemo est qui participet.* Et Hom. 27. in Epist. ad Hebr. scribit, plurimos tantum semel in anno ad Sacramenti participationem accessisse. Non ait autem S. Doctor, Missas illas, quibus nemo communicat, illicitas, aut nullas esse, sed tantum eas *frustra offerri*, respectu scilicet Fidelium, qui specialem fructum ex Eucharistiæ Sacramento non percipiunt. 5 denique, certum est oblatum sæpius fuisse sacrificium ex causa particulari, v. g. fœcunditate terræ procuranda, domo ab infestatione dæmonum liberanda &c. at verisimile non videtur ministratam tunc fuisse Eucharistiam in hujusmodi Sacris.

Dices 1. Extat divinum præceptum distribuendi Eucharistiam, cum sacrificium Missæ celebratur. *Hoc facite in meam commemorationem*, ait Christus Lucæ 22. Atqui Christus non tantum instituit Eucharistiam, sed etiam distribuit: *Accipite & manducate, hoc est corpus meum.*

Resp. dist. maj. extat divinum præceptum distribuendi Eucharistiam, pro loco, tempore ac personis, concedo: indiscriminatim, omni tempore, loco, & omnibus personis, nego: aliàs etiam indignis & facinorosis hominibus danda foret, sicut ipse Christus, in multorum sententia, eam dedit Judæ proditori. Quis verò id concedet? Distribuendam esse Eucharistiam ex divino jure ac præcepto, ultro agnoscimus; verum hujus præcepti determinatio, quantum ad tempus, locum & personas, ad Ecclesiam pertinet. Optaret illa quidem, ut in singulis Missis Fideles sacro Christi corpori sacramentaliter participarent; at tanquam inutiles, illicitas, vel nullas non damnat eas privatas Missas, in quibus nullus præter Sacerdotem communicat, quod nobis hic satis est demonstrasse.

Dices 2. Ejusmodi Missas improbat S. Joannes Chry- Ibid. p.
sostomus Hom. 3. in Epistolam ad Ephes. *Frustra*, in 1051.
quit, *est quotidianum sacrificium. Frustra adstamus altari. Nemo est qui participet.* Et infra.... *Quicunque est qui mysteriorum non est particeps, is impudenter stat & nimis audacter.* Et rursum. *Dic mihi*, ait, P. 1052.
si quis ad convivium invitatus manus laverit, & accubuerit, & ad mensam paratus fuerit, deinde non fuerit ejus particeps, an non contumelia afficit eum qui invitavit? An non esset melius eum ne adfuisse quidem?

Resp. cum Bellarmino, illa S. Chrysostomi verba, *frustra fit oblatio quotidiana*, non significare absolutè oblationem frustra fieri; sed frustra, quatenus ordinatur ad communionem: nam cum celebratio Missæ partim ordinetur ad sacrificium Deo offerendum, partim ad populum sacro illo pane reficiendum; cum nulli sunt qui communicent, frustra fit, quatenus ordinatur ad posteriorem finem, sed non frustra fit quatenus ordinatur ad finem priorem. Quæ vero Sanctus Doctor paulo duriora superaddidit adversus eos qui ad sacram mensam raro aut nunquam accedunt, benigne sunt exponenda, eo sensu quod se ipsos fraudent miris effectibus qui ex Eucharistia consequuntur, unde illos *indignos & improbos* appellat; non vero isto sensu, quod existimet Missas, in quibus nulli communicant, omnino inutiles esse ac illicitas: noverat enim sanctus Doctor, eas & defunctis prodesse, ac etiam illis viventibus, qui certe omnibus Missis quæ celebrantur interesse non possunt. Et certe, vel illi soli qui Missæ intersunt, fructum ejus participant, vel etiam alii qui sunt absentes. Primum dici non potest: offertur enim generatim sacrificium pro omnibus Fidelibus; ergo etiam absentibus prodest; ergo inutiles ac illicitæ non sunt Missæ quibus nullus, aut certe pauci intersunt, nec communicant.

***

ARTI-

ARTICULUS IX.

De ministro sacrificii. Quis in eo sit principalis offerens.

EX dictis suprà Quæst 5 Art. 2. patet solum Sacerdotem esse ordinarium ministrum esse consecrationis Eucharistiæ. Solummodo hic quæritur, quis sit in sacrificio principalis offerens.

Bellarminus L. 2. de Missa cap. 4. ait Missæ sacrificium à tribus offerri: à Christo scilicet, ab Ecclesia, & à ministro seu Sacerdote; sed non eodem modo. Christus offert ut primarius ac æternus Sacerdos secundum ordinem Melchisedech, offert etiam per Sacerdotem hominem, tanquam per suum proprium ministrum: Ecclesia, seu societas Fidelium, non offert tanquam Sacerdos per ministrum; sed tanquam populus per Sacerdotem; unde sequitur, Ecclesiam propriè non sacrificare exercendo actum sacerdotalem, sed tantùm offerre Sacerdoti rem sacrificandam, aut curare ut fiat sacrificium, aut saltem consentire in sacrificium, & voluntate ac desiderio offerre, cum Sacerdos offert. Itaque Christus offert ut principalis Sacerdos; minister ut Sacerdos quidem verus, sed ministerialis, populus offert voluntate, desiderio, unione spirituali cum Sacerdote offerente.

Dico igitur 1. Christum summum ac principalem esse Sacerdotem offerentem sacrificium per alios Sacerdotes ut ministros.

Probatur 1. ex Apostolo Hebr. 7. v. 17. *Tu es Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech*, quia scilicet perpetuò sub specie panis & vini offert sacrificium per suos ministros; sacrificium autem & sacerdotium inter se necessario connexa sunt. *Omnis namque Pontifex*, ait ibidem Apostolus cap. 5. v. 1. *ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis quæ sunt ad Deum, ut offerat dona & sacrificia pro peccatis.* Æternum porro est Christi sacerdotium, ex quo capite patrum distinguitur à sacerdotio veteri Aaronico, in quo plures erant Sacerdotes offerentes sibi succedentes: unus autem onus est Sacerdos, qui nullos habet successores, sed tantum ministros. *Alii quidem plures facti sunt Sacerdotes*, pergit Apostolus ibidem cap. 7. v. 23. *idcirco quod morte prohiberentur permanere. Hic autem* [Christus] *eo quod maneat in æternum, sempiternum habet sacerdotium: unde & salvare in perpetuum potest accedentes per semetipsum ad Deum, semper vivens ad interpellandum pro nobis.* Christus igitur homo Deus Sacerdos in æternum, primarius est, seu principalis offerens, cum Sacerdos tanquam minister offert incruentum Missæ sacrificium.

Tom. 11. Conc. p. 143. Probatur 2. ex Conc. Lateran. Capite *Firmiter. De summa Trinitate & fide Catholica*, ubi dicit *Christum in hoc mysterio simul esse Sacerdotem & sacrificium.* Idem docet Conc. Trid. Sess. 22. cap 2. his verbis, *Idem nunc offerens* (Christus) *Sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in cruce obtulit, sola offerendi ratione diversa.* Tom 14. Conc p. 833. D.

Probatur 3. his rationum momentis. 1. Actio sacrificandi, non solum à re oblata, sed etiam à principali offerente suum valorem ac dignitatem trahit; ergo cum sacrificium purum & mundum esse debeat, non tantum ex parte rei oblatæ, sed etiam ex parte offerentis, & homo Sacerdos non semper purus sit ac mundus, necesse est adesse summum ac principalem offerentem, qui nullo pacto coinquinari possit ac peccato subjacere. *Talis decebat ut nobis esset Pontifex*, (Christus) ait Apostolus jam citato capite 7. Epistolæ ad Hebræos v. 26. *sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, & excelsior cœlis factus, qui non habet necessitatem quotidie, quemadmodum Sacerdotes, prius pro suis delictis hostias offerre, deinde pro populi.* 2. Longum haud dubiè discrimen est inter vetera sacrificia, & nostrum: porro discrimen illud in eo partim stat, quod vetera immunda & polluta esse poterant, tum ex parte rei oblatæ, Malachiæ c. 1. v. 8. *Si offeratis cæcum ad immolandum, nonne malum est?* tum ex parte offerentis, Isaiæ 1 v. 13. *Ne offeratis ultra sacrificium frustra: incensum abominatio est mihi: manus enim vestra sanguine plenæ sunt. Lavamini, mundi estote.* Ergo necesse est sacrificium nostrum ita sanctum ac mundum esse ex parte principalis offerentis Christi, ut nulla ratione pollui ac immundum fieri possit: quamquam enim ministri Christi sint immundi ac peccatis infecti, nihil officit sacrificio. *Hæc quidem illa munda oblatio est*, ait Synodus Trid. Sess. 22. c. 1. *quæ nulla indignitate aut malitia offerentium inquinari potest*, quia nempe minister non propria sua virtute, nec proprio nomine hic agit, sed in persona Christi. Tom. 14. Conc p. 833 B.

Quæres, quæ sit ratio formalis ac præcipua cur Christus dicatur principalis offerens in sacrificio Missæ: an quia ipse sacrificium hoc instituit; an vero quia tota vis & efficacia hujus sacrificii fundatur in meritis Christi; an potius, quia Christus per humanitatem physicè concurrit ad actionem sacrificandi, an denique, quia Sacerdos in persona Christi offert & consecrat.

Resp. Verum & formalem causam cur Christus dicatur & sit principalis offerens istam esse, quia minister offert in persona Christi. Nam minister in hoc mysterio gerit se sicut legatus Principis, qui sustinet & repræsentat personam Principis. *Sacerdos in Missa*, inquit S. Thomas q. 82. art. 7. ad 3. *in orationibus quidem loquitur in persona Ecclesiæ, in cujus unitate consistit; sed in consecratione Sacramenti, loquitur in persona Christi, cujus vicem in hoc gerit per Ordinis potestatem.* Idem jamdiu antea dixerat S. Cypr. Epistola 63. ubi ait, *Sacerdos in altari vice Christi fungitur.* P. 104.

Dico 2. solum Sacerdotem, qui legitimè ordinatus est, posse legitimè ac validè offerre sacrificium Missæ in persona Christi. Vide superius ad Quæstionem 5. Art. 2. momenta quibus dogma istud Catholicum demonstratur.

Quæres 1. cujus ministri sint Sacerdotes.

Resp. Ministros esse Christi, Ecclesiæ, & populi; Christi, cujus personam gerunt; Ecclesiæ ac populi, cujus vota Deo Patri offerunt per Christum, pro publica omnium salute intercedentes & sacrificium offerentes.

Quæres 2. an Sacerdos excommunicatus, suspensus, depositus, degradatus, hæreticus aut schismaticus, validè sacrificium perficiat.

Resp. Affirmativè, quia potestas Ordinis deleri in eo non potest, adeoque consecratio ab illo facta cum debita materia, forma & intentione semper est valida. *Si Sacerdos*, inquit S. Thomas. q. 82. art. 7. ad 3. *ab unitate Ecclesiæ præcisus missam celebret, quia potestatem Ordinis non amittit, consecrat verum corpus & sanguinem Christi; sed quia est ab unitate Ecclesiæ separatus, orationes ejus efficaciam non habent*, id est, sacrificium nullatenus tunc efficax est ex opere operantis, sed ex opere dumtaxat operato. Si tamen obtineret eorum sententia, qui existimant esse penes Ecclesiam certas quasdam leges ac conditiones apponere in administratione Sacramentorum, quibus violatis minister inhabilis redditur ad perficiendum Sacramentum, quod exemplo Matrimonii præsertim confirmant; si, inquam, hæc sententia obtineret, de qua olim diximus, ac recurret adhuc dicendi locus, ubi de sacris Ordinationibus, diceretur sacrificium à Sacerdote suspenso ac degradato nullum ac invalidum esse.

Dices: In rei veritate & nostra sententia esto Sacerdos ab Ecclesia præcisus possit validè consecrare, & Sacramentum Eucharistiæ perficere, non tamen potest

ea consecratione sacrificium efficere, quia sacrificium à Sacerdote, tanquam ministro publico & mediatore inter Deum & populum, offerri debet: quomodo autem Sacerdos ab Ecclesia præcisus potest mediator esse inter Deum & populum? Id etenim non potest nisi consentiente populo; at populus non consentit ac Sacerdos præcisus id faciat.

Præterea, quomodo Sacerdos ab Ecclesia præcisus potest offerre ut minister Ecclesiæ & in persona ipsius à qua delegatur?

Resp. nego ant. dividi quippe non potest in actione consecrandi ratio Sacramenti & sacrificii; quod si validum ac ratum est Sacramentum, validum quoque ac ratum est sacrificium; porro validum est Sacramentum, quod pendet à potestate Ordinis, quæ indelebilis est. Quod additur leve est, & ad summum probat illicitè offerri sacrificium à Sacerdote suspenso: neque enim ipse propriè ac nomine suo mediator est inter Deum & populum, sed tantum ratione Christi immolati, & nomine ipsius.

Ad id quod additur, dico certum esse Sacerdotem ab Ecclesia suspensum non posse sacrificium offerre in persona Ecclesiæ, nisi ex commissione illius; ergo si ab Ecclesia præcisus est, non censetur habere commissionem Ecclesiæ. Ubi observa, officium Missæ constare partim ex substantia sacrificii, cujus valida consecratio pendet ex potestate Ordinis, partim ex orationibus & ceremoniis; unde licet totum fiat à Sacerdote, ut à publico ministro, non tamen eodem modo: nam in substantia sacrificii gerit personam Christi, in aliis personam Ecclesiæ; igitur Ecclesia non potest illum privare potestate quam habet ex commissione Christi: potest tamen privare potestate quam habet ex commissione quam ipsa dedit, quod fit per censuras Ecclesiasticas. Unde S. Thomas ait orationes ejus qui est ab Ecclesia separatus, efficaciam non habere. *Qu. 82. art. 7. ad 3.*

Dico 3. Ecclesiam, seu Fideles qui sunt in Ecclesia, etiam suo modo sacrificium offerre. In ipsa veteri Lege populus fidelis sacrificium offerre dicebatur, ut Exodi 5. v. 1. *Hæc dicit Dominus Deus Israel: Dimitte populum meum, ut sacrificet mihi in deserto.* Numer. 26. v. 3. *Hæc sunt sacrificia quæ offerre debetis.* Idem patet exemplo Saulis, Davidis, Salomonis, & aliorum qui leguntur obtulisse, non quidem per se, sed per Sacerdotem, sicut explicat S. Augustinus in Libro quæstionum veteris Testamenti q. 46. Quin & in Missa apertum est nomine etiam populi sacrificium Deo per Sacerdotem offerri; stans enim Sacerdos ad altare, ait: *To. 3. p. 1. Append. p. 59. G.* *Orate fratres, ut meum ac vestrum sacrificium acceptabile fiat*, tum ad Deum conversus addit: *Memento Domine famulorum tuarum .... pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc sacrificium ....* Et iterum, *Hanc igitur oblationem servitutis nostræ, sed & cunctæ familiæ tuæ.* Et certè, cum sacrificium ex natura sua sit cultus publicus & solemnis totius populi, nomine totius populi offertur Deo per Sacerdotem: quod enim specialiter agitur ministerio Sacerdotum, hoc generatim agitur ex voto Fidelium, ait Innocentius III. L. 3, c. 6. *De sacrificio Missæ.*

Quæres quo sensu populus dicatur offerre sacrificium. Ratio dubitandi est, quia nullo modo populus videtur ad sacrificium conferre: vel enim concurrit actu interno, per internam pietatem ac devotionem; vel externo, per externam oblationem. Posterius falsum est; prius verò non sufficit, quia sacrificium est oblatio externa & visibilis; ergo solo affectu interno perfici non potest.

Resp. 1. in veteri Testamento populum duplici sensu dictum fuisse sacrificium obtulisse: primò, quia offerebat materiam sacrificii, ut oves, capras, turtures &c. secundò, quia Sacerdos nomine illius, qui materiam suppeditabat, Deo sacrificabat, ut offerenti prodesset: unde S. Augustinus loco mox citato ait, *quamvis propriè Sacerdos fungatur officio, ille tamen offerre dicitur, cujus nomine agit Sacerdos. Ipsi enim imputatur, cujus munera offeruntur.* *To. 3. p. 1. App. ad. p. 59. G.*

Resp. 2. Fideles in novo Testamento dicuntur triplici sensu offerre. 1. generali quadam ratione, quia sunt membra Ecclesiæ, cujus nomine offert Sacerdos; totum enim Corpus Ecclesiæ, quatenus Sacerdotem offerentem includit, rectè denominatur offerens, quia offert per membrum suum, tanquam per ministrum ad id deputatum. 2. speciali ratione, quia non solum sunt membra Ecclesiæ, sed etiam exterius cooperantur Sacerdoti sacrificanti, quod fit petendo, vel procurando sacrificium, dando stipendium vel eleemosynam Sacerdoti, inserviendo sacrificanti. 3. quia interno affectu & unitendo se Sacerdoti, sacrificio consentiunt, ac petunt fructuum illius participes fieri.

ARTICULUS V.

De præcepto quo tenentur & Sacerdotes offerre sacrificium, & Fideles ipsi interesse.

DUo hæc distinctè à nobis sunt expendenda.

An, & quo jure, Fideles teneatur sacrificio Missæ interesse.

Resp. Qua necessitate teneantur Sacerdotes offerre Deo sacrificium pro populo, eadem generatim teneri Fideles ipsi interesse, & illud suo modo offerre. Tenentur autem jure naturali, divino & Ecclesiastico. 1. jure naturali quia sacrificium propriè dictum Deo lege naturali debitum est, ad recognoscendum supremum ejus in res omnes dominium, ad gratiarum actiones ei pro acceptis tot beneficiis reddendas, & ad nova indies, quibus indigemus, impetranda. Inde est quod in omni statu naturæ semper oblatum fuerit ab iis omnibus quibus à natura ipsa inditus est supremi alicujus numinis sensus; atqui nullum aliud est in Religione Christiana sacrificium, quàm sacrificium Missæ incruentum, quod in memoriam cruenti sacrificii crucis offertur. 2. jure ac præcepto divino: quod enim natura ipsa suggerit, quam necessarium ac debitum Deo obsequium, hoc ipsum & jus divinum imperat; quam naturalem sacrificii offerendi legem, Christus Dominus determinavit ad unicum Missæ sacrificium. 3. jure ac præcepto Ecclesiastico, quo cautum est ut singulis diebus Dominicis ac festivis, Fideles Missæ sacrificio interessent. "Missas die Dominico, ait *Conc. Agathense anni* 506. *Tom. 4.* "*Can.* 47. à sæcularibus totas teneri speciali ordinatione *Conc. p.* "præcipimus: ita ut ante benedictionem Sacerdotis *1391.* "egredi populus non præsumat. Qui si fecerint, ab "Episcopo publicè confundantur." Jamdiu lex illa & consuetudo in Ecclesia invaluit, de qua S. Justinus Apol. 2. "Solis, qui dicitur, die, *ait*, omnium qui in *p. 98. D.* "oppido vel ruri degunt, in eundem locum conventus fit.... precibus peractis panis offertur, & vinum, & "aqua." En materia sacrificii. "Et Præpositus itidem, "quantum pro virili sua potest, preces & gratiarum "actiones fundit, & populus faustè acclamat dicens, Amen. Lex vero illa tam gravis est, ut sub pœna peccati mortalis obliget; unde excommunicatione plectuntur à Concilio Agathensi mox citato, qui huic officio contumaciter non satisfaciunt: quod etiam colligimus ex Canone 10. eorum qui Apostolici dicuntur, his verbis, "Omnes fideles, qui ingrediuntur Ecclesiam, *Tom. 1.* "& Scripturas audiunt, non autem perseverantia in ora- *Conc. p.* "tione, nec sanctam communionem percipiunt, conve- *48.* "nit communione privari.

Quæres 1. an præcepto de audiendo Sacro satisfaciat qui notabili Liturgiæ parti non interest.

Resp. non satisfacere, quia *integram Missam non tenent*, ut loquitur Conc. Agathense laudatum; id est, non audiunt: unde prohibet idem Concilium, *ne populus ante benedictionem Sacerdotis egrediatur*. Notabilis autem Liturgiæ pars æstimanda est, tum ea quæ est ab introitu ad Evangelium usque; tum quæ ab Offertorio ad consecrationem; tum maxime quæ est à consecratione ad communionem usque Sacerdotis.

Quæres 2. an præcepto ecclesiastico de audiendo Sacro faciat satis, qui unam ab uno, & alteram ab alio Sacerdote partem audit.

Resp. non satisfacere; & qui contrarium asseruerunt repressi sunt censuris tum Lovaniensibus, anno 1657. tum Archiepiscoporum Senonensis & Parisiensis an. 1658. tum Innocentii XI. an. 1679. ac demum Cleri Gallicani in Comitiis generalibus an. 1700. ubi ista propositio damnata fuit, *Satisfacit præcepto Ecclesiæ de audiendo sacro, qui duas ejus partes, imo quatuor simul à diversis celebrantibus audit. Hæc propositio*, ait Censura, *absurda est, scandalosa, illusoria, communique Christianorum sensui repugnat.*

Nov. Mem. du Clergé p. 731. n. 73.

Neque pariter hoc præceptum adimpleret, qui duas Missæ partes etiam successive à duobus Sacerdotibus audiret: quia duæ illæ partes ita disjunctæ ac separatæ unam & eandem Liturgiam nequidem moraliter constituunt.

Quæres 3. quibus de causis à peccato excusantur, qui Missæ non intersunt.

Resp. 1. ex impotentia, etiam morali, cum vix fieri potest ut copia detur conferendi se ad Ecclesiam; aut saltem cum id fieri non potest sine aliquo gravi detrimento, de quo judicabit prudens & cautus Sacerdos in tribunali Pœnitentiæ. 2. ex charitatis exercitio: v. g. si quis in carcere detentis sublevandis, instruendis ita diu immoretur zelo suo abreptus, ut effluat tempus sacrificio celebrando destinatum; pariter si quis ægrotano opem ac ministerium ita impendat, ut sine illius periculo discedere non possit. 3. à debito audiendi Missam lex officii exolvendi liberat; v. g. similes, quo tempore sacrificium celebratur, excubias agat, aut movere castra statim teneatur; si pastor ovium solus fuerit, nec alteri curam gregis committere possit; quo casu Parochi monere debent *patres familias, ut filios & famulos quos in bestiis pascendis occupant, saltem diebus festis Missæ jubeant interesse*. Verba sunt prioris Conc. Mediolanensis sub sancto Carolo. In eodam Concilio, propter consuetudinem quæ in aliquibus Italiæ locis obtinuerat, sic statutum legimus, *Vidua ob maritorum mortem ad summum ne mense amplius sint sine Missæ auditione: quam in re nulla valeat excusatio cujusvis consuetudinis, quam irritam decernimus; eas item Episcopi, etiam censuris ecclesiasticis, id facere cogant.*

Tom. 15. Conc. p. 261. C.

Ibid.

Utrum peccatores à sacrificio Missæ arceri debeant; & quæ in ipsis dispositiones necessariæ sint, ut sine peccato intersint Missæ sacrificio.

Dico 1. à sacrificio Missæ exclusos olim fuisse tum pœnitentes publicos qui ad consistentiæ gradum nondum pervenerant; tum Catechumenos. Licebat quidem illis precibus & concionibus quæ intra Missarum solemnia habebantur, interesse; sed ubi ad consecrationem corporis Christi deventum erat, Diaconus altiori voce proclamabat, *Exite pœnitentes. Exite Catechumeni*; atque illa sacrificii pars cui & pœnitentibus & Catechumenis adesse licebat, dicebatur *Missa pœnitentium, Missa Catechumenorum*. Sic vero agebat Ecclesia cum his hominibus, ex quadam severitate disciplinæ, non ex necessitate, quasi persuasum illi foret statum justitiæ, seu charitatis habitualis vel actualis perfectæ, necessarium esse ad Missam digne ac legitime audiendam; siquidem gravissimos etiam peccatores ad hoc religionis officium invitat & admittat.

Dico 2. excommunicatos publicos ac nominatim declaratos qui ab omnibus vitandi sunt, ad Missam cæteraque Ecclesiæ Sacramenta non esse admittendos. Id fert vel ipsa excommunicationis idea, quæ est privatio communionis seu societatis cum Fidelibus. Si vero excommunicatus quis revera foret, sed non publice nec nominatim per Judicis sententiam, ex decreto Conc. Constantiensis ac Basileensis tolerandi forent, ac posset Sacerdos coram ipsis Sacra operari.

Dico 3. nullum peccatorem publice non excommunicatum à sacrificio Missæ arcendum esse, quibuscumque tandem ille criminibus oneratus sit. Novum quidem ille peccatum habet, si obfirmata in malo voluntate, & cum actuali affectu peccati, sine debita reverentia, sine ullo de peccatis dolore, vel saltem aliquo desiderio resipiscentiæ ac divinæ gratiæ obtinendæ, mysteriis nostris interfuerit.

I. nullum peccatorem non excommunicatum à Sacrificio arcendum esse, certissimum est: tum quia urget certis diebus de audiendo Sacro Ecclesiæ mandatum; tum quia sacrificium excellentissimum est Religionis officium, ex quo tum Sacerdos offerens, tum peccatores, pro quibus offertur, magna ad salutem subsidia reportare possunt si cum debita animi præparatione ad illud accesserint.

II. debitas requiri ad sacrificium Missæ reverenter & cum fructu audiendum conditiones seu dispositiones, constat 1. ex Concil. Trident. Sess. 22. cap. 2. ubi ait, "sacrificium illud vere propitiatorium esse; „per ipsumque fieri, ut, si cum vero corde & recta „fide, cum metu & reverentia, contriti ac pœnitentes ad Deum accedamus, misericordiam consequamur, & gratiam inveniamus in auxilio opportuno. „Hujus quippe oblatione placatus Dominus, gratiam „donum pœnitentiæ concedens, crimina & peccata „etiam ingentia dimittit. *Concilium Mediolanense* III. „*tit.* De his quæ spectant ad sacrificium Missæ, *sic decet.* Cum audiendæ Missæ rationem populum docet „parochus, eum sæpe admoneat, ut is quisque colligens, si sibi alicujus peccati mortiferi conscius est, „summo ex eo dolore effectus, supplex à Deo veniam „petat." Constat 2. ex eo quod oblatio sacrificii quædam est tum orationis, & quidem præstantissimæ, tum externæ satisfactionis Deo pro offensa illi irrogata, species; atqui in peccatum ac meram irrisionem vertitur oratio illius & satisfactio, qui quem orat ac placare vult, offendere semper ac lædere proponit; magis illa profecto ad iracundiam, quam ad indulgentiam, Deum sic accendit ac provocat. Constat. 3. quia cum Ecclesia præceptum audiendi Missam imponit, non tantum merum opus externum, sed & modum internum, quo debet illud impleri, præcipit; directe quidem opus externum, indirecte vero opus internum. Unde merito Clerus Gallicanus in Censura anni 170 has duas propositiones proscripsit; primam, „Eidem præcepto (*Sacrum audiendi*) satisfacit per „reverentiam exteriorem tantum, animo licet voluntate in aliena, imo & prava cogitatione defixo. „*Secundam*; Præcepto communionis annuæ satis „fit per sacrilegam corporis Domini manducationem. Doctrina his duabus propositionibus contenta, *inquit Censura*, temeraria est, scandalosa, erronea, impietati, & sacrilegio favet, & præceptis Ecclesiæ illudit.

Tom. 14. Conc. p. 853. C. D

Tom. 15. Conc. p. 389. E.

Nov. Mem du Clergé T. 1. p. 731. n. 74. & 75.

Ergo, inquiet aliquis, magis expedit peccatori, qui obstinato ac præparato ad peccandum animo est, non interesse Missæ sacrificio; sic enim à novo pec-

catu abſtineat: quemadmodum peccatori magis expedit tempore Paſchatis ad ſacram menſam non accedere, ſi ita ſit affectus ut nonniſi indigne & cum conſcientia peccati mortalis accedat.

Reſp. abſurdam eſſe ac temerariam hanc illationem, quaſi Canonicus ab Horis canonicis abſtinere deberet, eo quod peccat ſi abſque debita attentione iis interſit; quaſi ab oratione Dominica recitanda retrahendus ille foret, eo quod, ut obſervat Bellarminus L. 2. de bonis operibus c. 6. mendaciter ac velut mimice petit ut fiat Dei voluntas, & nomen ejus ſanctificetur, eo ipſo tempore quo animo pervicaci ac rebelli divinæ voluntati reluctatur ac contradicit, ſuiſque ſcandalis nomen Dei ſanctum ac tremendum impiorum blaſphemiæ exponit; quaſi à ſacris concionibus arcendi forent, qui animo dumtaxat curioſo, non ad emendationem morum iis interſunt. Quam rectius ac verius concluditur; Eccleſiæ præceptum eo ipſo modo impleri ſemper debere quem Eccleſia imperat, ac Deo humiliter ſupplicandum, ut eum animi affectum inſpiret, qui neceſſarius eſt ad dignam præcepti obſervationem. Quando peccat qui præceptum Eccleſiæ indebite exequitur, an idcirco incuſandum præceptum, aut negligenda ejus obſervatio? abſit; ſed incuſanda potius & caſtiganda perverſitas ac malitia peccantis: non propter abuſus rejicienda ſunt optima præcepta, ſed emendandi ſunt ac tollendi abuſus.

Ad exemplum communionis paſchalis, à qua ſatius eſt abſtinere, quam indigne ad eam accedere, dico diſparem rationem eſſe. 1. quia præceptum communionis paſchalis non ita ſtricte huic tempori alligatum eſt, quin differri poſſit ac debeat ex judicio prudentis Sacerdotis: non ita eſt de præcepto audiendi Sacrum quod ſingulis diebus Dominicis ac feſtis adſtringit. 2. indigna & ſacrilega communio Euchariſtiæ nuſquam Dei operam & gratiam conciliare poteſt, imo magis avertere; è contra obſervatio præcepti eccleſiaſtici de audiendo Sacro, quamquam pure externa, mediantibus precibus Eccleſiæ, movere ac flectere Deum poteſt, ut peccatori maxime indurato nonnihil ſpiritualis gratiæ impertiatur. 3. nondum pronuntiavit Eccleſia, permanente affectu peccati, hominem gravius peccare cum Sacro intereſt; è contra certo certius eſt, eum qui corpus & ſanguinem Domini manducat & bibit indigne, judicium ſibi manducare ac bibere. Equidem de novo peccat qui abſque legitima diſpoſitione, ſeu irreverenter Miſſam audit: verum hujuſmodi peccatum neceſſario connexum non eſt cum habituali ad peccandum affectu, quo peccator obſtrictus ſupponitur; idcirco non tenetur ille, durante illo peccati affectu, abſtinere ab audiendo Sacro, quibus diebus urget Eccleſiæ præceptum: at vero indigna & ſacrilega Euchariſtiæ perceptio, graviſſimum eſt ſacrilegii peccatum ab illa communione prorſus inſeparabile.

Diſpoſitiones ad Miſſam debite audiendam neceſſariæ.

Aliæ ſpectant corpus, aliæ animam.

I. Ex parte corporis requiritur modeſta conſtitutio
Diſpoſitiones ex parte corporis. in vultu, in habitu, in veſte. " Satis apparet, *ait Conc.*
„*Trid. Seſſ.* 22. *c.* De obſervandis &c. omnem ope-
„ram & diligentiam in eo ponendam eſſe, ut quanta
Tom. 14. Conc. p. 857. E. „maxima fieri poteſt interiori cordis munditia & puri-
„tate, atque exteriori devotione ac pietatis ſpecie per-
Ibid. p. 858 A. „agatur. *Et paulo poſt*, Ne patiantur (*locorum Ordi-*
„*narii*) ſanctum hoc ſacrificium peragi, niſi prius qui
Tom. 15. Conc. p. 475. F. „interſint, decenter compoſito corporis habitu, declara-
„verint ſe mente etiam ac devoto cordis affectu, non
„ſolum corpore, adeſſe.

S. Carolus in IV. Concilio Mediolanenſi, titulo 10. „De iis quæ pertinent ad ſanctum Miſſæ ſacrificium, „*hæc præcipit*. Cum Sacerdos ad altare acceſſerit Miſſæ „ſacrificium facturus, clericus, qui tunc illi miniſtraturus eſt, ubi alius non ſit qui tunc hoc officium præſtare poſſit, circumſpiciat modeſte adſtantes; & ſi „quempiam animadverterit marem vel feminam in„compoſito corporis habitu, aut alias contra præſcrip„tas regulas Provincialibus noſtris Conciliis, cum inju„ria vel irreverentia ſanctiſſimi illius ſacrificii intereſſe, „moneat graviter ut opus erit: neque Sacerdos ante „Miſſæ initium faciat, quam omnes qui adſunt, decen„ter compoſito corporis habitu declaraverint ſe mente „etiam ac devoto cordis affectu, non ſolum corpore „adeſſe." Et in altero Concil. Mediol. an. 1565. hæc
„jam ediderat ſanctus Præſul tit. 5. " Fideles cum Ibid. p. 265. C.
„Miſſæ interſunt, eodem veſtitu ſint, quo in publicum „prodire ſolent; & ita ſe componant, ut corporis habi„tu animi religionem præſeferant.

Concilium Turonenſe an. 1583. titulo 15. egregia Ibid. p. 1054. & ſeq.
nonnulla ſtatuit à Laicis circa Miſſæ ſacrificium & divina Officia obſervanda.

I. renovat obligationem audiendi Miſſam Parochialem, atque pœnis canonicis eos plectendos decernit, „qui per tres dies Dominicos continue ſequentes, niſi „legitimo impedimento retineantur, ab illa abfue„rint.

II. ſtatuit " Laicis, dum divina peraguntur officia, „non licere, Chorum, præcipue Cathedralium Eccleſia„rum, ingredi, & inter Eccleſiaſticos ſedere; multo „minus dum Sacerdos ſacris operatur, altaris ambitum „cancelloſve ingredi aut aliis altaribus minime ſeptis, „& ambitis, hærere.

III. mulieres " ab ingreſſu dicti Chori, non tantum „Cathedralium, ſed etiam Collegiatarum, Monaſterio„rum, & aliarum quarumque Eccleſiarum arcen„das eſſe.

IV. " cum nos doceat Apoſtolus, mulierem non „velato capite orantem, deturpare caput ſuum, nec „minus eſſe turpe, non velari quam tonderi aut decal„vari, minimeque eam deceat tortos habere crines, & „pectus ſuum nudare: non tantum virgines, ſed etiam „mulieres, ne ſui decoris & officii omnino oblitæ vide„antur, intortis crinibus, ac niſi velatis capitibus & pe„ctore, potiſſimum in Eccleſia, incedere prohibe„mus: indignum eſt enim mulieres chriſtianas, „quas decet cum verecundia & ſobrietate ornatas, „pietatem per opera bona profiteri, meretricio more „intortis crinibus, nudatis capitibus & pectore, ſe velut „nundinatitias populo exponere.

V. idem & viris prohibet. " Cum mollis, *inquit*, „corporis cultus in femina chriſtiana damnandus ſit, „multo certe magis in viro, qui caput mulieris eſt, „damnari debet. Ideoque ex Concilii generalis Con„ſtantinopolitani in Trullo habiti decreto, excom„municationi ſubjacere eos omnes definimus, qui ca„pillos ad videntium detrimentum ſcite excogitatis „nexibus adornant & componunt, & infirmis animis „eſcam ea ratione objiciunt. Ne vero prohibitio noſtra „tum viros, tum mulieres lateat, hanc illis per Pa„rochos in ſuis pronis, & Eccleſiaſticis in ſuis concio„nibus, etiam cum dura & importuna, ſi opus ſit, in„crepatione, ſignificari volumus & intimari.

VI. prohibet ne colloquia in atrio alicujus Eccleſiæ habeantur.

VII. ne in Eccleſia, potiſſimum durantibus divi„nis officiis, deambulent, ſub pœna excommu„nicationis, quam contra eos qui moniti non de„ſtiterint, per Ordinarios pronuntiari volumus & „mandamus.

VIII. jubet " ut Sacerdotes Chriſti fideles moneant, „quando ad Eccleſiam conveniunt, ſine ſtrepitu ac tu„multu eam ingrediantur, in qua etiam, quamdiu „orationis cauſa morantur, nequequam inanes inter ſe „habeant confabulationes: illo enim tempore, divis „Chryſoſtomo & Ambroſio auctoribus, quo Miſſarum „ſolem-

„solemnia celebrantur, non solum ab otiosis & inutili„bus verbis, verum etiam à perniciosis cogitationibus „prorsus est abstinendum.

Dispositiones ex parte animæ.

II. dispositiones ex parte animæ sunt. 1. attentio; ne animus voluntarie alio divagetur, sed ad tremendi sacrificii majestatem, virtutem, ac necessitatem serio attendat. 2. aliquis de peccatis dolor, ac emendationis spes ac desiderium: si enim, ut mox dictum fuit, quis obfirmato ad peccandum animo & cum actuali peccandi voluntate sine debita reverentia Missæ interesset, novo se implicaret peccato. *Sacrificium istud propitiatorium est*, ait Conc. Trid. jam citatum, Sess. 22. c. 2. „& per ipsum fit, ut, si cum vero corde & recta „fide, cum metu & reverentia contriti ac pœnitentes ad „Deum accedamus, misericordiam consequamur, & „gratiam inveniamus in auxilio opportuno." 3. requiritur pia quædam voluntatis affectio seu devotio: patet ex verbis Concilii mox citatis. Necesse porro non est ut hæc pia affectio profluat ex charitate perfecta, seu habituali ac sanctificante; alias soli justi ad audiendam Missam admittendi forent, & peccatores excludendi, quod ex dictis falsissimum est. Ad quid enim sacrificium Missæ? nisi ut peccatoribus, virtute hostiæ quæ pro iis offertur, divina concilietur gratia pœnitentiæ, per quam peccatorum veniam assequantur? Imo ne quidem necessaria videtur ea pia affectio, quæ ex charitate actuali dominante ac perfecta proveniat, sed ea sufficit, quæ gratiæ Dei auxilio excitatur, & voluntatem hominis erigit ad spem & desiderium salutis ac pœnitentiæ virtute sacrificii obtinendæ.

Tom. 14. Conc. p. 853. C.

Dices 1. Joan. 9. v. 31. dicitur, *Scimus quia peccatores Deus non audit*. Ergo soli justi ad audiendum Sacrum admittendi sunt.

Resp. cum S. Augustino Tract. 44. in Joan dictum istud esse cæci nati, hominis scilicet, qui oculos corporis jam quidem restitutos habebat, sed cui oculi cordis nondum patebant. „Adhuc inunctus loquitur; nam pec„catores exaudit Deus, si enim peccatores Deus non „exaudiret, frustra ille publicanus oculos in terram de„mittens, pectus suum percutientiens diceret; Deus „propitius esto mihi peccatori. Et ista confessio meruit „justificationem.

Tom. 3. p. 2. pag. 593. F.

Instabis. Certum est hominem gratia destitutum nihil posse quod Deo gratum sit in ordine ad vitam æternam: ergo qui non est in statu gratiæ nullum ex sacrificio Missæ fructum percipere potest.

Resp. fallaciam latere in nomine *gratiæ*. Revera sine gratia actuali, nihil homo potest in ordine ad salutem: at potest aliquid cum illa, etiam absente gratia habituali seu sanctificante; alias nunquam homo peccator à peccato ad pœnitentiam converti posset.

Dices 2. Ut aliquis ex sacrificio Missæ fructus percipiatur, necesse est illud Deo Patri offerri in remissionem peccatorum: atqui homo peccator qui peccatorum suorum sarcinam adhuc portat, quibus habitu adhuc adhæret, sacrificium offerre Deo non potest; illud enim offerre non potest nisi nomine Ecclesiæ, cujus membrum mortuum est, tametsi exterius non præcisum.

Resp. satis esse si Ecclesiæ nomine offeratur sacrificium in remissionem peccatorum.

Dices 3. Concilium Tridentinum verbis citatis exigit ab iis qui Missam audiunt, *ut cum vero corde & recta fide, cum metu & reverentia, contriti ac pœnitenter ad Deum accedant*. Atqui hujuscemodi homines vere justi sunt ac in statu gratiæ sanctificantis.

Resp. nego min. contritio enim illa & pœnitentia, de qua Conc. Trid. inchoata est duntaxat, & ex charitate nondum perfecta, sed initiali: unde ex sese hominem non sanctificat, sed ad sanctificationem præparat ac disponit.

An teneantur Sacerdotes offerre Missæ sacrificium, & possint honorarium aliquod pro illa celebratione percipere.

Quæres igitur 1. an Sacerdotes sacrificium Missæ offerre teneantur.

Resp. ut supra, eadem lege Sacerdotes teneri offerre sacrificium, qua tenentur Fideles ipsi interesse; hæc enim reciproca sunt: atqui ex mox dictis ac probatis tenentur Fideles sacrificio Missæ pie ac reverenter interesse. *Omnis Pontifex*, ait Apostolus Hebr. 5. v. 1. „ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur „in iis quæ sunt ad Deum, ut offerat dona & sacrificia „pro peccatis." Non nascimur, sed simus Sacerdotes; non nobis, sed populo. Et Lucæ 22. *Hoc facite in meam commemorationem*.

1. Tenentur Sacerdotes sacrificium offerre.

S. Thom. 3. p. q. 82. art. 10. quærit, „Utrum „liceat Sacerdoti omnino à consecratione Eucharistiæ „abstinere. *Respondet his verbis*, Dicendum quod qui„dam dixerunt, quod Sacerdos potest omnino à consecratione licite abstinere, nisi teneantur ex cura sibi „commissa celebrare, & populo Sacramenta præbere: „sed hoc irrationabiliter dicitur, quia unusquisque te„netur uti gratia sibi data, cum fuerit opportunum; „opportunitas autem sacrificium offerendi non solum „attenditur per comparationem ad fideles Christi, qui„bus oportet Sacramenta ministrari; sed principaliter „per comparationem ad Deum, cui consecratione hujus „Sacramenti, sacrificium offertur. Unde Sacerdoti, eti„amsi non habeat curam animarum, non licet omnino à „celebratione cessare; sed saltem videtur quod celebra„re teneatur in præcipuis festis; & maxime in illis die„bus quibus Fideles communicare consueverunt." Et scribens in L. 4. Sentent. 13. q. 1. art. 2. ait „Quia secundum Gregorium, cum crescunt sive an„gentur dona, rationes crescunt donorum; cum Sacer„doti data sit nobilissima potestas, reus erit negligentiæ, „nisi illa utatur ad honorem Dei, & salutem suam, & „aliorum vivorum & mortuorum." Quapropter cum „Cajetanus in suis Commentariis ad art. 10. q. 82. scripsisset *leviter* tantum seu *venialiter* peccare Sacerdotem, qui raro, vel nunquam Sacris operatur, S. Pius V. S. Pontifex doctrinam hanc hane, utpote molliorem, ex Commentariis dicti Cajetani expungi mandavit.

Ex his facile est inferre, Parochos seu Pastores quibus titulo Beneficii animarum cura incumbit, teneri per se vel per alios, si legitime impediti fuerint, iis diebus Sacrum facere, quibus tenentur Fideles ipsi adesse; in etiam diebus, quibus urget vel executio alicujus fundationis, vel ratio stipendii; aut promissionis: totidem enim illi legitimi sunt tituli, quibus Parochi aut alii Sacerdotes tenentur ad celebrandam Missam, à qua non possunt sine quadam injustitiæ specie abstinere; fraudando intentionem vel fundatorum, vel eorum qui honorarium vel stipendium subministrarunt. Videtur hæc esse mens ac doctrina Concilii Tridentini Sess. 23. de reform. c. 1. „Præcepto divino, *inquit*, „mandatum est omnibus quibus animarum cura com„missa est, oves suas agnoscere, pro his sacrificium „offerre, verbique divini prædicatione, Sacramentorum „administratione, ac bonorum omnium operum ex„amplo pascere &c.

Tom. 14. Conc. p. 864.

Quæres 2. quoties Sacerdotes, quibus nulla commissa est animarum cura, celebrare per annum teneantur.

Resp. 1. nulla divina lege fixum ac determinatum esse numerum Missarum quas Sacerdos celebrare teneatur, aut prohibitum plures una die celebrare.

Resp. 2. laudandos maxime ac commendandos inter Sacerdotes eos, qui quotidie ea qua par est

precum

pietate ac religione sacrificium offerunt; juge quippe ac perenne est nostrum altaris sacrificium. „ Ideo nos „Deus offerre vult munus ad altare frequenter & sine „intermissione," ait S. Irenæus L. 4. adversus hæreses c. 18. alias 35. *Episcopatus nostri honor grandis & gloria est*, inquit S. Cyprianus Ep. 54. ad Cornelium, „pacem dedisse Martyribus, ut Sacerdotes qui sacri„ficia Dei quotidie celebramus, hostias Deo & victi„mas præparamus." Apostoli quotidie circa domos frangebant panes; & id est Eucharistiam offerebant & distribuebant.

Ed. pol. p. 252. P. 77.

S. Bonaventura L. de præparatione ad Missam c. 5. vult duo extrema hic esse fugienda: primum, eorum qui tepidi sunt ac minus ferventes; „ Probata ipsum; „*ait*, ex quanta charitate, & fervore accedis; non solum „enim mortalia vitanda sunt, sed etiam venialia peccata „per negligentiam & otium multiplicata, & etiam per „inconsiderationem, sive distractionem dissolutæ vitæ, „& malæ consuetudinis, licet non occidant animam, ta„men reddunt hominem tepidum, gravem, & obnubi„latum, & indispositum, & ineptum ad celebrandum, „nisi dicti pulveres & stipulæ venialium, per afflatum „Sproitus, & flammam charitatis consumantur..... Ideo „cave ne nimis tepidus, & inordinatus accedas & incon„sideratus; quia indigne sumis, si non accedis reveren„ter, circumspecte, & considerate." Alterum extremum eorum est, qui Sacrum facere omnino negligunt. *O*, exclamat S. Doctor, „ quam graves angustiæ me „undique affligunt! Accedere indigne, horrendum est „judicium: non accedere ex notabili negligentia vel „contemptu, damnabilis est culpa." Deinde S. Doctor exponit, quanta mala sequantur, aut saltem quantis bonis seipsum & alios privet, qui ex negligentia raro celebrat. „ Quantum in ipso est, *inquit*, privat Trinita„tem laude & gloria, Angelos lætitia, peccatores venia, „justos subsidio & gratia, in Purgatorio existentes re„frigerio, Ecclesiam Christi speciali beneficio, & seip„sum medicina & remedio contra quotidiana peccata „& infirmitates." Ea lege porro contrariorum, qui quotidie, vel sæpius offerunt sacrificium, ea ipsi bona & commoda procurant, quibus Ecclesia ex non celebratione privetur.

Tom. 7. p. 68.

Sanctus Antonnius 3. p. tit. 13. c. 6. parag. 15. Sacerdotes ad frequenter celebrandum adstringit his momentis. 1. à nobilitate & præstantia Sacramenti, in quo Christus ipse realiter continetur. 2. à suavitate & utilitate. „ Quantæ jucunditatis & dulcedinis est, *inquit*, „tantæ rei Sacramentum verbo conficere, habere præ „oculis, contrectare manibus, ore sumere, & aliis mini„strare?" 3. à benevolentia quam celebrans non indigne à sponso suo Christo & sponsa Ecclesia reportat. 4. ex multiplici fructu quem à celebratione Missæ Fideles qui adsunt, reportant. 5. ex officio ipso Sacerdotum, qui eum ministri sint Ecclesiæ, sacrificium pro populo tenentur offerre. 6. ex periculo cui se objiciunt Sacerdotes, cum raro vel nunquam celebrant. „ Periculum „moræ, *inquit*, quia de facili irregularitas vel infirmi„tas, vel alius defectus, aut impedimentum poterit oc„currere; ita quod diu, aut forte nunquam celebrare „continget." Ibidem sapienter monet S. Doctor, cavendum esse „ ne quis ex sola consuetudine exterioris „operis moveatur ad celebrandum, non advertendo, „an dispositus vel minus dispositus sit; an ex celebra„tione proficiat, vel tepescat, sive an habeat causam ra„tionabilem abstinendi, vel non.

Objectio. At, inquies, nonnulli viri sancti scientiæ & pietate spectatissimi raro aut fere nunquam celebrasse referuntur, non quidem ex negligentia vel contempto, sed ex taverentia & timore. Ita de S. Hieronymo & Vincentio Presbyteris refert S. Epiphanius in Epistola ad Joannem Hierosolymitanum, qui molesta ferebat ordinatum in sua Diœcesi ab Epiphanio fuisse Paulinianum in Presbyterum, violato jure Ordinarii. Facti sui rationem reddens S. Epiphanius, duo inter cætera reponit: primum, Monasterium, aut saltem Fratres qui in eo commorantur; in cujus gratiam Paulinianum ordinaverat, sub potestate ac ditione Joannis non esse. „ Nihil, *ait S. Doctor*, tibi nocuimus, ni„hil injuriæ fecimus, nec quidquam violenter extor„simus. In Monasterio Fratrum, & Fratrum pere„grinorum, qui provinciæ nihil tuæ debent, & prop„ter nostram parvitatem, & litteras quas ad eos crebro „direximus...... ordinavimus Diaconum; & post„quam ministravit, rursum Presbyterum &c." Alterum excusationis motivum petit à penuria Presbyterorum in isto Monasterio. „ Cum enim vidissem, „*pergit*, quia multitudo sanctorum Fratrum in Mo„nasterio consisteret, & sancti Presbyteri, Hierony„mus & Vincentius, propter verecundiam & hu„militatem nollent debita nomini suo exercere sacrifi„cia, & laborare in hac parte ministerii, quæ Chri„stianorum præcipua salus est, invenire autem & „comprendere servum Dei non posses, qui te, eo „quod grave onus sacerdotii nollet suscipere, sæpe „fugiebat, sed nec alius quis Episcoporum facile eum „reperiret.

Tom. 2. p. 312. col. 1. C.

Ib. col. 2. B.

Ad hanc Objectionem dico 1. paucorum factum in exemplum & jus trahi non debere, sed publicæ legi ac disciplinæ semper inhærendum esse. 2. ex verbis S. Epiphanii colligitur quidem noluisse S. Hieronymum & Vincentium Sacra facere in dicto Monasterio Bethleemitano; tum propter dissidium quod ardebat circa Monasterium illud inter Epiphanium, & Joannem Hierosolymitanum; tum quod cum invitus ac reluctans Hieronymus à Paulino ordinatus fuisset in Presbyterum, atque monasticam vitam in Monasterio Bethleemitano ageret, existimavit in his in quibus erat circumstantiis, non expedire ut ministerium Sacerdotis, sive in offerendo, sive in baptisando exerceret. Rem nobis exponit sanctus Hieronymus in Epistola ad Pammachium. *Fac*, inquit, alloquens Joannem Hierosolymitanum, „ à te ordinatum (*Paulinianum*:) idem ab eo „audies, quod à me misello homine sanctæ memoriæ „Episcopus Paulinus audivit. Num rogavi te ut ordi„narer? Si sic presbyterium tribuis, ut Monachum nobis „non auferas, tu videris de judicio tuo. Sin autem sub „nomine Presbyteri tollis mihi, propter quod sæculum „dereliqui, ego habeo quod semper habui; nullum dis„pendium in ordinatione passus es...... *Et paulo post*. „Et certe, *perget*, quinque Presbyteri erant in Mona„sterio, qui suo jure poterant baptisare, sed noluerunt „quidquam contra stomachum tuum facere." Igitur tametsi concludi possit S. Hieronymum in Monasterio degentem ex quadam œconomia, ne Joannem offenderet, ministerium Presbyteri non exercuisse, an sequitur extra Monasterium, nusquam eo officio defunctum illum fuisse, sive per triennium quo Romæ commoratus est; sive cum Roma egressus, ad Orientem tendens, profectus est ad Gregorium Nazianzenum Constantinopolitanæ urbis Episcopum, sacrarum Literarum sub tanto duce ac magistro ediscendarum studio; sive cum variis peragratis regionibus opere & colloquio Judæorum usus, hæbraicæ, chaldaicæ, syriacæ linguæ cum tanto labore ac summo reipublicæ Christianæ commodo notitiam sibi comparavit, sive cum in desertis locis pœnitentiæ desiderio per quadriennium commoratus est, unde ad Monasterium Bethleemitanum tot votis desideratum tandem remeavit? Quamquam vero scripto traditum non habeamus, toto isto temporis intervallo S. Doctorem Sacris operam dedisse, an idcirco negandum? Concludo igitur optimum quidem esse, ac votis omnibus exoptandum, ac charitatis fervore esse omnes Sacerdotes, ut quotidie tuta conscientia celebrare valeant: verum nulla Ecclesiæ universalis lege ad id tenentur; ii præsertim qui nullam ha-

Solvitur Objectio.

Tom. 4. P. 333.

Plures olim una die ab eodem

lam habent titulo Beneficii animarum curam.

Sacerdote Missæ celebratæ,

Resp. 3. plures olim una die Missas ab eodem Sacerdote celebratas fuisse. Ita Conc. Tolet. XII. anno 681. Can. 5. „Relatum est nobis, inquit, quosdam „de Sacerdotibus non tot vicibus communionis sanctæ „gratiam sumere, quot sacrificia in una die videntur „Deo offerre.

Tom 6. p. Conc. p. 1230. Creatus an. 795. Biblioth. PP. T. 15. p. 191. A.

Leo III. referente Walafrido Strabone L. de rebus ecclesiasticis c. 21. plures una die celebrat Missas, „Fidelium, *inquit*, relatione virorum ad nostram usque „pervenit notitiam, Leonem Papam (sicut ipse fatebatur) una die septies vel novies Missarum solemnia „sæpius celebrasse: Bonifacium vero Archiepiscopum „& Martyrem semel tantum per diem Missam fecisse, „qui & non longe ante nostra fuerunt tempora, & ambo tam scientia quam gradu præcipui." De ista praxi ac sententia sic judicat Walafridus, „Unusquisque, „*inquit*, in suo sensu abundet, dum fides concordet; ut „nec sæpius offerentes æstiment Deum aliter non posse „petitiones discernere; nec semel hostias per diem immolantes putent suæ fidei subtilitatem potius quam „superiorem devotionem divinis acceptam conspectib᷒.

Bibliot. PP. T. 14. p. 99. G.

Amalarius Fortunatus (florebat an. 820.) L. 3. de ecclesiasticis Officiis c. 38. asserit ea nocte quæ præcedebat festivitatem S. Joannis Baptistæ celebrari solitam Missam, & alias duas eadem die. „Quapropter, *inquit*, „in exordio lucis diei, quasi in exordio nativitatis, sacrificium Deo offertur in honore ejus, ad laudem Creatoris qui illum dignatus est honorare ex utero matris, „Ideo autem tres Missæ celebrantur in festivitate beati Joannis, quia tribus insignibus triumphis excellenter refulsit.

Consuetudinem illam plures una die celebrandi Missas testantur quotquot eam aut ad certum numerum restrinxerunt, aut penitus abrogarunt. Concilium Salegunstadiense an. 1022. Can. 5. „Decretum est, *inquit*, „ut unusquisque Presbyter in die non amplius quam „tres Missas celebrare præsumat." Ad calcam donationis Ethelvulphi Regis Vvest Saxoniæ in Anglia hæc leguntur: „Placuit etiam Episcopis ..... cum suis Abbatibus & servis Dei consilium inire, ut ...... unusquisque Presbyter duas Missas, unam pro Rege Ethelvulpho, & aliam pro ducibus ejus huic dono consentientibus, pro mercede & refrigerio delictorum suorum .... „dicat. Salisberiensis Concilii tempore, *ait eruditus Thomassinus*, usu invaluerat ut multo plurimas uno & eodem die Missas celebrarent, unde nihil ulterius præcepere hujus Concilii Patres, quam ut ne plures tribus „uno die celebrarentur. Postea ventum est, ne plures „quam duæ; & ne tot quidem diceretur, nisi urgente „necessitate, Non liceat Presbytero," ait Concilium Londinense an. 1200. Can. 2. & 4. *bis in die celebrare, nisi necessitate urgente.*

Tom. 9. Conc. p. 846.

Tom. 8. Conc. p. 245. A.

T. 3. vet. & nov. discip. p. 270. col. 2.

Decret. Grat. p. 2493.

Tandem Alexander II. Decreto quod refert Gratianus *De consecratione*, dist. 1. c. „Sufficit, *sic statuit*. „Sufficit Sacerdoti Missam unam in die celebrare, quia „Christus semel passus est, & totum mundum redemit. „Non modica res est unam Missam facere, & valde felix est, qui unam digne celebrare potest. Quidnam tamen pro defunctis unam faciunt, & alteram de die, si „necesse fit." Quem abusum reprimit S. Pontifex circa an. 1072. „Quicumque, *inquit*, pro pecuniis aut adulationibus sæcularib᷒ una die præsumunt plures facere „Missas, non existimo evadere condemnationem.

Decret. p. 1365.

Innocentius III. Statutum Alexandri renovavit ac confirmavit c. „Consuluisti. De celebratione Missarum „Respondeo, *inquit*, quod excepto die nativitatis Domini, nisi causa necessitatis suadeat, sufficit sacerdoti semel in die unam Missam solummodo celebrare." Causam autem hujus necessitatis est, vel cum major est populi multitudo, quam ut in Ecclesia omnes simul Fideles contineri possint, nec duo adsunt Presbyteri; vel cum à parochiali Ecclesia longius dissitæ sunt, quæ succursales vocantur, ad quas excurrere tenetur Parochus Missam bis, aliquando tertio celebraturus; in quarum tantum ultima ablutionem percipit. Inde inferes non licere Parocho alteram Missam celebrare ut hostiam consecret ad viaticum moribundo ministrandum; quia standum est regulæ ac consuetudini Ecclesiæ, quæ prohibet duas Missas una die ab eodem Sacerdote celebrari.

Innoc. III. in c. Dolentes. De celeb. Miss.

Resp. 4. teneri Sacerdotes sæpius ac frequenter in anno celebrare. Innocentius III. in Concilio Lateranensi IV. eos Sacerdotes redarguit qui vix quater in anno Missam celebrant. „Sunt & alii, *inquit*, qui Missarum solemnia vix celebrant quater in anno .... Hæc „igitur & similia sub pœna suspensionis penitus inhibemus." Gravitas pœnæ, non levem, sed gravem indicat culpam. Conc. Trid. Sess. 23. de reform. c. 14. ubi de iis qui ad Presbyteratum assumendi sunt, & de assumptorum munere, hæc ad rem nostram habet. „Curet „Episcopus, ut ii saltem diebus Dominicis & festis solemnibus; si autem curam habuerint animarum, tam „frequenter, ut suo muneri satisfaciant, Missas celebrent.

Tom. 4. Conc. p. 869. D.

Idem statuunt Concilium I. Mediol. sub S. Carolo, „Tridentini etiam Concilii auctoritatem secuti, præcipimus Sacerdotibus, cujuscunque gradus, conditionis „& dignitatis illi sint, ut Dominicis & reliquis festis diebus Missam celebrare non omittant.

Acta Eccl. Mediol. p. 2. de freq. divi sacrif. oblat. p. 15.

Conc. Remense an. 1583. „Sacerdotes, *inquit*, non „tantum diebus solemnibus, sed etiam Dominicis, sæpiusque, si fieri potest, sacrificent.

Tom. 15. Conc. p. 893. n. 8. Ibid. p. 1387. E.

Conc. Provinciale Tolosanum an. 1590. de Presbyteris & Clericis c. 4. n. 1. „Sacerdotes itaque omnes, *aut*, „quocumque honore insigniti, aut quacumque in dignitate constituti tandem sint, Dominicis festisque diebus, nisi justo aliquo præpedimento avocati fuerint, „Missæ sacrificium celebrent.

Mitto infinita propemodum Conciliorum particularium Statuta, quibus certe evidens fit, mentem ac sententiam Ecclesiæ esse, ut Sacerdotes sacrificium Missæ frequenter, aut saltem diebus Dominicis ac festis, offerant ac celebrent.

Quæres, an Sacerdoti sine ministro Sacrum facere liceat.

Apud Amb. L. de off. c. 14

Resp. interdum, vel tempore persecutionis, vel in Cœnobiis Missas, quas solitarias vocant, celebratas fuisse sine ministris; at mos ille abrogatus statim fuit, ac prohibitum ne Missa sine aliquo ministro celebraretur. *Tu*, inquiebat S. Laurentius Sixtum ad martyrium properantem alloquens, *nunquam sine ministro sacrificium offerre consueveras.*

Tom. 7. Conc. p. 1251.

Nullus Presbyter, ait Conc. Moguntinum an. 853. Can. 43. „solus Missam cantare valeat recte. Quomodo enim dicet, Dominus vobiscum; vel, sursum „corda admonebit habere, & alia multa his similia, „cum alius nemo cum eo sit?

Tom. 12. Conc. p. 554. n. 8.

Sessione 21. Concilii Basileensis inter alios abusus „notatur mos quarumdam Ecclesiarum, in quibus Sacerdotes sine ministro celebrant, ac prohibetur ne in posterum id fiat. Refert Laymanus hunc morem in quibusdam Germaniæ partibus viguisse, maxime in pagis.

Tom. 15. Conc. p. 261. A.

Hunc abusum damnarunt Concilia quæ post Tridentinum habita sunt. Mediolan. I. tit. 5. „Celebranti „Sacerdoti unus saltem minister adsistat, isque Clericus, „ubi possit, & talari veste & superpelliceo indutus." Ex Conc. VI. itidem Mediol. tit. 15. „Clericus, *ait*, qui in „Missæ sacrificio ministrat, dum eam functionem obit, „ne preces horarias, neve aliud quidquam de libro, alio „va officio recitet, sed toto intimæ pietatis studio ad ministerium attentus sit, quod pia religioséque exequi „debet." Vide Concilia, Remense an. 1583. Tholosanum an. 1590. Narbonense an. 1609. quibus cautum est, ne quis Sacerdos solus, ac sine uno saltem ministro Sacra perficiat.

Ibid. p. 729. A. B.

Quæres

Quæres 2. an in casu necessitatis liceat mulieri, Sacerdoti celebranti ministrare.

Decret. p. 1002. Resp. nusquam licere. „ De cohabitatione Clericorum, c. 1. Nulla femina præsumat ad altare accedere, „vel Presbytero ministrare.

Quæres 3. quod modis seu titulis obligari possit Sacerdos ad Missam pro aliquo celebrandam.

Resp. variis modis obligari eum posse. 1. ex obedientia, si nempe Superior, qui jurisdictionem habet, subdito mandet ut pro aliquo, seu necessitate aliqua publica sacrificium offerat. 2. ex charitate, ut si Sacerdos videat aliquem in magna esse necessitate, impellit charitas ut pro eo sacrificium offerat, 3. ex voto, ut si quis voveat se pro aliquo celebraturum, 4. ex simplici promissione, quæ minus obligat quam votum. 5. ex justitia & pacto, & quod dupliciter fieri potest. 1. titulo Beneficii ad hoc instituti, v. g. parochialis, vel capellaniæ, vel alicujus alterius, simplicis, ut vocant, sacerdotii seu Beneficii, cui annexa est obligatio celebrandi Missam. 2. ex peculiari stipendio seu honorario in hunc finem dato,

De stipendio seu honorario Missarum.

Quæres 1. an licite possit Sacerdos stipendium seu honorarium pro celebratione Missæ percipere.

Ratio dubitandi est, quod obligatio ex justitia non potest oriri, nisi intercedat pactum vel conventus: sed omnis hujusmodi pactio in rebus sacris reprobanda est, quæ veram redolet simoniam, in qua spirituale pro temporali datur. *Imprimis quod ad avaritiam pertinet,* ait Conc. Trid. Sess. 22. Decreto “ De observandis „*&c.* cujosve generis mercedum conditiones, pacta, & „quidquid pro Missis novis celebrandis datur. Nec „non importunas atque illiberales eleemosynarum ex„actiones potius quam postulationes, aliaque hujusmodi „quæ à simoniaca labe, vel certe à turpi quæstu „non longe absunt, omnino prohibeant [*Episcopi,*] Tom. 14. Conc. p. 856. D.

Resp. 1. Sacerdotes posse licite stipendium seu honorarium ex celebratione Missarum percipere. Hæc est Ecclesiæ consuetudo ac praxis, & quidem justa; *Dignus enim est operarius mercede sua.* Lucæ 10. v. 7. Et 1, Cor. 9. v. 13. „ Nescitis quoniam qui in se„crario operantur, quæ de sacrario sunt, edunt; „& qui altari deserviunt, cum altari participant.

Ad rationem dubitandi subjunctam, dico ipsa quamdam hic intervenire speciem conventionis & pacti inter dantem stipendia, & Sacerdotem, namque ille dat, ut hic faciat; hic vero facit, quia recipit, vel recepturus est stipendium: pactum vero illud non nisi ex pravo motivo ac fine vitiari potest, nempe si Sacerdos stipendium spectaret tanquam motivum vel finem præcipuum, aut tanquam pretium sacrificii vel fructus ejus, haud dubie impium foret pactum illud. At non ita est: stipendium quippe non datur tanquam pretium operis, sed tanquam sustentatio operantis; *non tanquam pretium mercedis, sed tanquam stipendium necessitatis*, ait S. Thomas 2. 2. qu. 100. art. 2. in corp. Tenetur autem Sacerdos autem Sacerdos ratione stipendii specialiter offerre & applicare sacrificium ei qui stipendium dedit.

Dices: Nefas est pecuniam dare, etiam per modum stipendii, pro collatione sacrorum Ordinum; ergo etiam pro celebratione Missæ.

Resp, nego paritatem. Namque Ecclesia sustentationi Sacerdotum providere tenetur, unde permittitur ut stipendium pro celebratione Missæ percipiant, per medum eleemosynæ, honorarii, ac sustentationis; nihil autem simile permisit pro collatione Ordinum sacrorum; unde tanta mala & scandala suboriri potuissent. Adde quod sustentationi Episcoporum, qui sacrorum Ordinum ministri sunt, abunde satis provisum fuerit.

Quæres 2. quodnam æquum & justum haberi debeat pro Missis stipendium; & utrum qui minora stipendia pro pluribus Missis accipit, possit licite in unum pinguius ac sufficiens conjungere, & unica sacrificii oblatione satisfacere pro debito celebrandi plures Missas. Ratio dubitandi hæc est, quia Conc. Trid. Sess. 25. c. 4. de reform. permittit Episcopis. Missae, pro quibus celebrandis tenuiores eleemosynæ à testatoribus sunt assignatæ, ad minorem numerum reducere.

Resp. ad primum, stipendium illud justum ac congruum æstimari debere, quod vel usu recepto, vel judicio Episcopi determinatum est; neque penes privatos Sacerdotes esse illud pro arbitrio suo, ne dicam cupiditate, figere ac determinare.

Resp. ad secundum, id minime licere: neque favet quod ex Conc. Trid. opponitur; potest quippe Episcopus, quod non potest privatus quilibet Sacerdos. Concilium itaque justis de causis permittit numerum Missarum reduci, vel cum reditus pro illis celebrandis multum sunt imminuti, vel cum quod uno tempore congruum ac sufficiens erat stipendium, lapsu temporis incongruum & in sufficiens evasit sustentandis Sacerdotibus. Tenentur igitur Sacerdotes tot celebrare missas, quot ex conventione promiserunt se celebraturos: ni fecerint, contra justitiam peccant, & ad restitutionem tenentur. Ita statutum legimus à Congregatione Cardinalium, approbante ac confirmante Urbano VIII. anno 1626. „ Deinde, *ajunt* „*Cardinales*, pro pluribus Missis etiam ejusdem quali„tatis celebrandis plura stipendia, quantumcumque in„congrua & exigua, sive ab una, sive à pluribus per„sonis collata fuerunt, aut conferentur in futurum, „Sacerdotibus sacra Congregatio sub obtestatione di„vini judicii mandat ac præcipit, ut absolute tot „Missæ celebrentur, quod ad rationem attributæ „eleemosynæ præscriptæ fuerunt: alioqui graviter „peccant, & ad restitutionem tenentur.

Idem habemus ex Constitutionibus Archiepiscopi Cantuariensis anno 1281. „ Nec credat, *inquit*, cele„brans se dicendo Missam unam, posse satisfacere pro „duabus, pro quo utrique promisit specialiter & in „solidum celebrare.” Qui aliter opinantur, obtendunt sacrificii virtutem infinitam esse, atque unica illius oblatione satisfieri votis multorum, ac multiplici stipendio ad plures Missas celebrandas recepto. Aberrant illi: *Namque*, ut ajunt eædem Constitutiones, „licet ipsum sacrificium, quod est Christus, sit infini„tæ virtutis, non tamen in sacrificio suæ immensitatis „summam plenitudinem operatur, aliquin pro uno „mortuo nunquam oportet, nisi unam Missam dice„re. Operatur enim in hujusmodi mysteriis distribu„tione certa suæ plenitudinis, quam ipse eisdem lege „infallibili ligavit. Tom. 11. Conc. p. 1159 E.

Quæres 3. licet ne Sacerdoti duplicatũ pro eadẽ Missa, quam uni promisit, honorarium seu stipendiũ percipere?

Resp. non licere, Ita statuit Alexander VII. an. 1665, qui duas istas damnavit propositiones: Primam, „ Dupli„catum stipendium potest Sacerdos pro eadem Missa li„cite accipere, applicando petenti partem etiam specia„lissimam fructus ipsimet celebranti correspondentem, „idque post decretum Urbani VIII. *Secundam* Non est „contra justitiam pro pluribus sacrificiis stipendium ac„cipere, & sacrificium unum offerre, neq; etiam est con„tra fidelitatem, etiamsi promittam, promissione etiam „juramento firmata, danti stipendium, quod pro nullo „alio offeram.” Ratio est, quia mens Ecclesiæ est, ut Sacerdos qui stipendium pro sacrificio offerendo accepit, illud speciatim ac nominatim offerat pro illo qui dedit stipendium; sacrificium scilicet pro multis oblatum non tantum prodest singulis, ac si pro uno tantum oblatum fuisset, *Si ergo*, ait S. Thomas in dist. 45. q. 1. argumento *Sed contra*, *suffragium pro multis factum tantum valeret singulis, ac si pro uno tantum fieret, videtur quod Ecclesia non debuit* Rec. des Bulles, p. 418.

insti-

institutisse, ut pro aliquo singulariter Missa, vel oratio fieret; sed quòd semper diceretur pro omnibus fidelibus defunctis, quod patet esse falsum.

Quæres 4. Potestne Sacerdos qui pinguius accepit stipendium, una parte sibi reservata, alteram dare Sacerdoti, qui in ejus locum sacrificium offerat?

Resp. non posse, ac turpe omnino esse lucrum hujusmodi. Quapropter Summi Pontifices Urbanus VIII. anno 1625. & Alexander VII. anno 1665. istam Rec des Bulles, p. 458. proscripserunt doctrinam, *Potest Sacerdos, cui Missa celebranda traduntur, per alium satisfacere, collato illi minori stipendio, alia parte stipendii sibi retenta.* Alexandro VII. præiverat eodem anno Academia Parisiensis. *Hæc propositio ut jacet*, inquit, *falsa est & scandalosa, favet turpi lucro, avaritiæ & injustitiæ.* Ratio manifesta est, quia cùm stipendium illud datum sit cum onere seu obligatione celebrandi Missam, nullo titulo partem stipendii reservare sibi potest, atque totum illud ei concedendum, in quem onus celebrandi rejicit. Permittit nihilominus Urbanus VIII. administratoribus Ecclesiæ, ut aliquid retineant pro expensis cereorum, panis, vini, ornamentorum; ita tamen, ait S. Pontifex, ut si expensis deductis aliquid supersit, totum illud impendi debeat celebrandis Missis pro iis, qui illa stipendia dederunt.

Quæres 5. An Sacerdos, qui titulo Beneficii pastoralis tenetur certis diebus Missam celebrare, possit pro eadem Missa stipendium ab aliis accipere, iisque sacrificii fructum applicare.

Resp. non posse, quia duplicatum stipendium perciperet, unum titulo Beneficii, alterum titulo pacti & conventionis: atqui ex dictis duplicatum stipendium Sacerdos percipere non potest. Ita statuit Urbanus VIII. anno 1626, his verbis. *Sacerdotes quibus diebus tenentur Missas celebrare ratione Beneficii seu Capellæ, legati aut salarii, si eleemosynas etiam pro aliis Missis celebrandis susceperint, non possunt eadem Missa utrique obligationi satisfacere.* Eas igitur Missas pro aliis licitè ac liberè celebrare dumtaxat possunt Parochi, seu Pastores, quas suis ovibus ratione curæ pastoralis, seu titulo Beneficii non debent.

Quæres 6. Licetne Sacerdoti anticipato tempore Missas celebrare pro iis, qui stipendium postea oblaturi sunt ad celebrationem Missarum?

Resp. non licere, quia Sacerdos in celebranda Missa certam & fixam habere debet intentionem, ut vocant, personæ pro qua sacrificium offert: qui enim fieri licitè potest, ut celebretur Missa v. g. ad remissionem peccati, quod nondum commissum est, vel ad aliquod beneficium impetrandum, cùi locus nondum patet? Praxis hæc, quæ cupiditatem & avaritiam sapit, reprobata fuit à Congregatione Cardinalium, approbante Paulo V. die 5. Novembris anno 1605. "Citiùs quoque celebrando peccator, anticipata scilicet applicatione sacrificii, nempe incerta, pro eo, "qui postea eleemosynam dederit, cum suspensione effectus sacrificii. Quæ anticipatio, *ait Gavantus*, prohibita fuit à Paulo V, velut avaritiæ fomes.

Quæres 7. sitne licitum Sacerdoti vel æditui stipendia plurima pro multis Missis percipere, quas Manuale Episcoporum, V. Missa n. 33. prævidet nonnisi multo post tempore celebrari posse.

Resp. non licere, nisi de consensu offerentium. Ratio est, quia offerri solet sacrificium pro iis rebus, quæ urgent ac instant, v. g. pro remissione peccatorum, pro impetrando pœnitentiæ dono, pro felici peregrinationis alicujus, aut litis brevi dijudicandæ exitu, pro infirma valetudine, pro refrigerio animæ in Purgatorio detentæ &c. atqui si post diuturnum tempus Missæ oblatio differatur, quis scit utrum hisce rebus impetrandis locus & occasio adhuc futura sit? Fortè vel lis dijudicata erit, absoluta peregrinatio, desperata sanitas, magis induratum cor peccatoris &c. Deinde tenetur unusquisque quamprimum solvere debitum, & quidem ad mentem creditoris, maximè cum periculum est ne creditor ex solutione debiti, quam sperabat utilitatem, non percipiat.

Quæres 8. quem fructum teneatur Sacerdos applicare ei à quo stipendium accepit.

Resp. triplicem in Missa fructum debere distingui: unum generalem, cujus participes fiunt omnes Fideles vivi atque defuncti ab unitate Ecclesiæ non præcisi; alterum specialem seu medium, qui relictus est liberæ Sacerdotis applicationi; tertium specialissimum, qui Sacerdoti sacrificanti proprius est ac personalis. Sacerdos igitur non tantùm generalem, sed specialem seu medium, ad mentem & intentionem eorum, qui stipendia suppeditant, fructum sacrificii applicare tenetur: proprium verò seu specialissimum ac personalem suum fructum, ex jam dictis, nulli alteri applicare potest, nec tenetur.

Quæres denique, an Sacerdotes, qui vel ex bonis paternis, vel ex pingui aliquo Sacerdotio divites sunt, nec aliunde ullo indigent subsidio, ut vitam suam honestè pro conditione sua sustentent, pro Missa ad quam non obligantur, possint stipendium recipere. Ratio dubitandi est, quia ex dictis ac probatis antea, stipendia illa Ecclesia non permittit nisi ad sustentationem Sacerdotis: atqui Sacerdotes, de quibus hic loquimur, non indigent sustentatione; ergo stipendia legitimè percipere non possunt. Neque ratio laboris, quem sustinent in Missa celebranda, aut eleemosynæ ex his stipendiis pauperibus erogandæ, sufficiens ac legitimus videtur titulus ad ea stipendia percipienda. Non labor corporis, quasi tantus ille foret, ut pretio sit æstimabilis; aut melius, quasi labor esset, & non potius honor ac maximum emolumentum, Deum oblatione sacrificii colere ac propitium nobis reddere. Non eleemosyna ex illis stipendiis eroganda. Namque eleemosyna ex propriis ac justè acquisitis fieri debet, non ex alienis; si ergo nullo titulo legitimo licet Sacerdotibus, qui sustentatione non indigent, ea stipendia pro celebratione Missæ percipere, aliena ipsis & indebita censenda sunt, nec ad eleemosynas faciendas convertere illa debent. Nihilominus contraria opinio prævaluisse videtur, quæ non improbat ejusmodi Sacerdotes stipendia percipere, quia Sacerdoti ministranti ex justitia debetur alimentum; ac per accidens est, quòd ille aliunde possit vitam suam honestè sustentare.

ARTICULUS XI.

De dispositionibus ad Missæ celebrationem requisitis.

Si necessariæ sunt in percipientibus Eucharistiam aliquæ dispositiones, tum ex parte corporis, nempe puritas, jejunium naturale; tum ex parte animæ, sanctitas, pietas, affectus devotionis seu religionis in sacrum altaris mysterium &c. quantò magis illa omnia necessaria sunt Sacerdoti Sacra perficienti? de quibus ut plura hic dicamus necesse non videtur.

Quæres 1. an Sacerdos, cui ex officio celebrare incumbit, sed peccati alicujus mortalis sibi conscius est, nec copiam habet Sacerdotis cui confiteatur, possit sine prævia confessione celebrare Missam.

Resp. posse si doleat de peccato, urgeat necessitas, & quantociùs proponat confiteri. Ita Conc. Trident. Sess. 13. de Eucharistia c. 7. "Communicare volenti, To. 14.
"ait, revocandum est in memoriam ejus præceptum, Conc. p.
"Probet seipsum homo. Ecclesiastica autem consuetu- 807. C.
"do declarat, eam probationem necessariam esse, ut nullus sibi conscius mortalis peccati, quantumvis sibi "contritus videatur, absque præmissa sacramentali con"fessione ad sacram Eucharistiam accedere debeat, quod "à Christianis omnibus, etiam ab iis Sacerdotibus, qui-

"bus ex officio incubuerit celebrare, hæc sancta Synodus "perpetuò servandum esse decrevit, modò non desit il"lis copia confessoris. Quòd si, necessitate urgente, Sa"cerdos absque prævia confessione celebraverit, quam"primum confiteatur.

Duo circa hunc Concilii textum quæruntur: primum, quæ sit illa necessitas, qua urgente potest Sacerdos sine prævia confessiona celebrara: alterum, quando Concilium ait, *quamprimum confiteatur*; an sit præceptum, vel tantùm consilium.

Resp. ad primum, necessitatem illam repeti vel ex circumstantia diei festi, quo orget præceptom audiendi Sacrum, val ex casu, quo nullæ sint in sacrario hostiæ consecratæ, aut aliunde haberi non possine ad viaticum homini jamjam morituro administrandum.

Rec. des Bulles, p. 463. Resp. ad secundum, non merum hìc consilium, sed verum præreptum contineri, interprete ipsomet Alexandro VII à quo duæ istæ propositiones inter alias bene multas n. 38. & 39. proscriptæ sunt. *Mandatum Concilii Tridentini factum Sacerdoti sacrificanti ex necessitate cum peccata mortali, confitendi quamprimum, est consilium, non præceptum...... Illa particula, quamprimum, intelligitur, cum Sacerdos suo tempore confitebitur*. Censuram harum propositionum renovat Clerus Gallicanus in Comitiis generalibus an. 1700.

Quæres 2. an liceat Sacerdoti, nulla existente laudabili causa, Missam celebrare ante persolutum officium Matutinum.

Resp. non licere, si nulla sit honesta causa: quia id prohibent Missalis Romani Rubricæ, usus & consuetudo: tum Innocentius IV. Epistola 10. ad Cardinalem

Tom. 11. Conc. p. 614. n. 12. Ottonem Episcopum Tusculanum, *Sacerdotes autem*, inquit, *dicant Horas Canonicas more suo: sed Missam celebrare, priusquam officium Matutinum compleverint, non præsumant*. Multæ autem causæ esse possunt, quibus à culpa excusantur qui Missam celebrant ante persolutum officium Matutinum: v. g. officium charitatis erga proximum exhibendum; grave negotium, quod differri non potest; multitudo pœnitentium qui ad tribunal certis diebus accedunt &c.

ARTICULUS XII.

De tempore & loco, quibus celebrare licet Missæ sacrificium.

QUæres 1. quo tempore, & qua hora liceat Missam celebrare.

Resp. 1. singulis anni diebus, excepta feria sexta majoris hebdomadæ, posse Missam celebrari; imprimis vero diebus Dominicis ac festis, necessa est eam celebrari, quia his diebus tenentor Fideles ex præcepto Ecclesiæ Missæ sacrificio interesse; dies quippe Dominica divino cultui potissimùm consecrata est. Ita primi Christiani de quibus Act. 20. dicitur, *Una sabbathi cum convenissemus ad frangendum panem*. Et S. Justinus Apol. 2. testatur die Solis hoc est Dominica, convenire solitos Fideles ad publicas preces, & sacrificium Deo immortali offerendum.

Resp. 2. ante initium auroræ non licere calabrare Missam, sed ab illo puncto diei quo aurora incipit. Nomine vero auroræ non intelligitur ortus Solis, id est, ascensus corporis solaris supra nostrum horizontem, sed initium crepusculi diei, seu prima lucis irradiatio. Excipienda tamen ab ista regula, nox natalis Domini, in qua prima Missa celebratur statim post mediam noctem. Jure igitur communi ac recepta obique consuetudina non licet vel ante auroram vel post meridiem, à non jejunis Missam celebrari. Nec merito possunt Novatores exemplom Christi, qui sero & post cœnam sacrificium instituit & obtulit, nobis opponere. Namque nulla lege nos obstrictos voluit Christus, ut quæcumque in ultima Cœna observavit, observaremus: semper etenim ea lex Apostolica viguit, ut nonnisi à jejunis Eucharistia sumeretur, ut antea probatum est. *Non sciet maritus*, ait Tertullianus uxorem suam alloquens, *quid ante omnem cibum sumas*. S. Augustinus Novatorum objectionem jamdiu occupaverat in Epistola 54. aliàs 118. cap. 6. "Liquido apparet, *inquit*, T. 2. p. 126. F.
"quando primùm acceperont discipuli corpus & san"guinem Domini, non eos accepisse jejunos. Num"quid tamen propterea calumniandom est universæ "Ecclesiæ, quod à jejunis semper accipitur? Ex hoc "enim placuit Spiritui S. ut in honorem tanti Sacra"menti, in os Christiani priùs Dominicum corpus in"traret, quàm cæteri cibi: nam ideo per universum or"bem mos iste servatur. Neque enim quia Dominus "post cibos dedit, propterea pransi, aut cœnati fratres "ad illud Sacramentum accipiendum convenire debent; "aut sicut faciebant quos Apostolus arguit & emendat, "mensis suis ista miscere. Namque Salvator quo vehe„mentiùs commendaret mysterii illius altitudinem, ul„timom hoc voluit altiùs infigere cordibus, & memo„riæ discipulorum, à quibus ad passionem digressurus „erat. Et ideo non præcepit, quo deinceps ordine sume„retur, ut Apostolis, per quos Ecclesias dispositurus „erat, servaret hunc locum." Ex illo S. Doctoris testimonio hæc habemus. 1. Dominum nihil de hoc jejunio præcepisse. 2. Apostolos Spiritu S. inspiratos instituisse ut à jejunis Eucharistia sumeratur. 3. id per totum orbem terrarum observari ab omni Christi Ecclesia. 4. rationem hujus rei fuisse honorem tanti Sacramenti.

Quæres 2. quo in loco Missam celebrare liceat.

Resp. jure communi & ordinario non licera celebrare Missam, nisi in Ecclesia, vel loco sacro ab Episcopo consecrato, val saltem benedicto ab ipso, vel de licantia illius. Per Ecclesias autem & loca sacra intelligimus ea, ad quæ Fideles religionis causa conveniunt, quæ vel Templa, vel Oratoria, vel Basilicæ & Dominicæ appellantur. Inter illas Ecclesias, quædam ritu maximè solemni consecratæ sunt ab Episcopo per sacri chrismatis unctionem, aliosque ritus in Pontificali præscriptos; aliæ vero sunt dumtaxat benedictæ ab Episcopo, vel de ejus licentia à simplici Presbytero. Præter illas publicas Ecclesias, quædam sunt Oratoria privata, seu Capellæ domesticæ, quæ ex licentia Episcopi ad divinum cultum destinantur, & ordinariè benedicuntur. In tribus istis sacrorum locorum generibus certum est Missam licitè celebrari, saltem quibusdam diebus. Namque diebus festis solemnioribus non licet in domesticis ibi Capellis absque licentia speciali Episcopi celebrare; imo multi sunt Episcopi, qui etiam dies Dominicos excipiunt, us nampe Parochia his diebus frequentetur, nisi fortè tam longè dissita sit, ut non sine gravi incommodo, & periculo evidenti non audiendi Missam, adiri possit; si vero licentia ab Episcopo concessa indefinita fuerit, licitè etiam diebus Dominicis Missa celebrari poterit & audiri.

Dixi, jure communi & ordinario: ab ista quippe regula nonnullæ sunt exceptiones. 1. cum licentia Summi Pontificis vel Episcoporum Missa celebrari potest in castris pro exercitu, & in littore maris, & navi, pro navigantibus. 2. Episcopis iter facientibus speciali privilegio indultum est, ut quando non potest Episcopos commodè accedere ad Ecclesiam, possit in altari portatili ubivis sacrificare, vel sacrificanti assistere. 3. nonnunquam SS. Pontifices vel Episcopi permittunt, ut Missa dicatur in privato Oratorio ad divinum dumtaxat cultum permanenter destinato, quamvis non benedicto: at nonnisi rarissimè id permittitur pro loco, qui antea prophanis usibus destinatus erat, & statim postea in eosdem usus restituendus est.

Quæres 3. An liceat Missam celebrare in Ecclesia violata seu polluta. Violata autem censetur Ecclesia in iis casibus, in quibus ejus sanctitas violatur, ac prohibet

prohibet Ecclesia ne Sacrum in ea perficiatur. Quinque autem vulgo numerantur hujusmodi casus.

Primus est sanguinis effusio injuriosa & mortaliter mala; alioquin non polluitur Ecclesia. Dixi, *effusio*; id est notabilis copia sanguinis ex violata percussione effusi; unde nonnullæ guttulæ Ecclesiam non polluunt. Pariter mutilatio quæ esset sine sanguinis effusione, Ecclesiam non pollueret. Necesse vero non est ad violandam Ecclesiam ut sanguis intra ipsam fundatur; sed satis est quod homo in Ecclesia ita percussus ac vulneratus fuerit, ut inde sequatur notabilis effusio sanguinis. E contra si percussio fiat extra templum, in quod postea læsus ingrediatur, & ibi sanguis effluat; Ecclesia non erit violata.

Secundus est homicidium voluntarium & injuriosum: at non polluitur Ecclesia per homicidium omnino casuale & involuntarium, ut si quis ad justam sui defensionem aggressorem forte occidat; nec etiamsi quis extra Ecclesiam lethaliter vulneratus, in ea moriatur.

Tertius est adulterium & voluntaria seminis effusio: si enim involuntaria foret, Ecclesia non pollueretur, imo etiam polluitur per copulam conjugalem, quæ in Ecclesia fieri nunquam potest. Supponitur autem pollutionem illam vel adulterium publicum esse ac cognitum; si enim occultum omnino foret, non pollueretur Ecclesia nec opus foret ut reconciliaretur.

Quartus est sepultura Infidelis, vel Hæretici, aut cujuscunque alterius nominatim excommunicati, Cap. *Consulu sti. De consecratione*, unde licet prohibitum sit etiam sub anathematis pœna in Concilio Turonensi anno 1583. sepelire in loco sacro publicum Hæreticum, si tamen nominatim denuntiatus ille non foret, illius sepultura Ecclesia non pollueretur. Multi etiam hanc prohibitionem extendunt ad infantes non baptisatos, nisi in utero materno extincti fuerint; eo enim in casu à matre non distinguuntur, & eadem donantur sepultura.

Ecclesia autem violata, censetur etiam & cœmeterium, si contiguum fuerit, violari, secus vero si distans fuerit, & paries interjacens cœmeterium ab Ecclesia separet. Violato autem cœmeterio, non propterea violata Ecclesia censetur: nam quod minus est, non trahit ad se majus, sicut majus trahit minus. Capite unico, *De consecratione Ecclesiæ*, in Sexto, ubi additur, *Si plura cœmeteria sint cohærentia, sed media pariete sejuncta, eorum altero violato, alterum propterea non reputatur violatum.*

Sext. Decretal. p. 579.

Quintus casus est si Ecclesiæ parietes vel maxima ex parte igne absumantur aut aliter funditus destruantur; vel si non omnino destructis parietibus, omnis crusta, vel major ejus pars destruatur: utroque illo casu Ecclesia violata censetur, nec licet in ea celebrare. Ratio est, quia consecratio in exterioribus crustis consistit, in iis enim fiunt cruces & chrismatis unctiones, nec eadem remanere censetur Ecclesia, si parietes maxima ex parte corruerent ac destruerentur; non ita vero esset, si iis remanentibus, tecta & aliqua ligna dumtaxat comburerentur. Cap. *Ligneis. De consecratione Ecclesiæ, vel altaris. Si tecta aliaque ligna Ecclesiæ*, ait Innoc. III, *combusta sint illæsis parietibus, consecrationem non amittit; quia consecratio in parietibus consistit*, neque si major parietum & crustarum pars subsisteret; tunc enim moraliter, eadem censetur Ecclesia subsistere.

Decretal. p. 1361.

Duo hic adverte: primum, discrimen esse inter pollutionem Ecclesiæ, & execrationem. Namque polluta Ecclesia, polluuntur etiam omnia altaria quæ in ea erecta & fixa sunt, quemadmodum & vice versa, non potest altare pollui, quin etiam Ecclesia ipsa polluatur: at vero si Ecclesia execretur combustis aut destructis parietibus, non ideo altaria, quæ integra & illæsa remanent, execrantur; sicut nec altari per fractionem execrato, Ecclesia execratur. Alterum quod debet adverti, illud est, prohibitum esse dirutam Ecclesiam, quæ consecrata fuerat, ad prophanos usus convertere: regula etenim generalis hæc est; ad usus seculares & prophanos converti non debere ea, quæ semel consecrata fuerint. Cap. *Ligna. De consecratione*, ubi dicitur, *ligna Ecclesiæ dedicatæ, vel igni esse comburenda, vel ad aliam Ecclesiam, vel ad profectum Monasterii esse adhibenda.*

Quæres 4. Quandonam altare censeatur suam benedictionem seu consecrationem amisisse.

Resp. Altare aliud esse fixum, quod alicui loco seu basi affixum est; vel portatile seu mobile, quod etiam viaticum appellatur, & consistit in simplici tabula lapidea, eaque angustiore. Altare fixum suam benedictionem amittit, si à loco suo sine sua basi remotum fuerit. Cap. *Quod in dubiis*: ubi legimus, *Tabula, cui consecrationis benedictio pontificali ministerio adhibetur, si mota vel enormiter fracta fuerit, debet non immerito consecrari.* Mobile vero altare consecrationem non amittit, etiamsi à ligno, in quo inclusum est, separetur, nisi fortè in ligno loculus reliquiarum inclusus sit: in hoc quippe casu plures Theologi arbitrantur amitti consecrationem; sed reliquiæ solent in lapide recludi. Utrumque verò altare, sive fixum sive portatile, amittit suam consecrationem per enormem seu notabilem fractionem. Cap. *Quod in dubiis*. Notabilis autem fractio censetur, cùm in nulla parte confracti altaris calix cum hostia securè reponi potest.

Decretal. p. 1362.

Quæres 5. Quid agere debeat Sacerdos, si, dum celebrat, Ecclesia violetur.

Resp. Si Ecclesia violetur post Canonem inceptum, sacrificium perficiendum est, quia censetur inchoatum, nec intermitti debet: si autem ante Canonem violetur, ab altari recedendum est, donec reconciliata fuerit Ecclesia.

Quæres 6. Per quem Ecclesia, quæ violata fuit, reconciliari debeat.

Resp. Ecclesiam illam vel ab Episcopo consecratam fuisse, vel simpliciter benedictam. Si prius, à solo Episcopo reconcilianda est; vel saltem ex speciali dispensatione vel Summi Pontificis, vel Episcopi, à Presbytero; si posterius, per Sacerdotem ab Episcopo delegatum potest reconciliari.

ARTICULUS XIII.

De Ceremoniis Missæ.

Error Novatorum.

De necessitate ceremoniarum in conficiendis vel administrandis Sacramentis, earum natura, rectitudine, æquitate, utilitate & effectu abunde satis disputavimus adversus Novatores in Prælectionibus nostris de Sacramentis in genere, Quæstione ultima pag. 262. & sequentibus. Ibidem duo expendimus, quæ ad præsens nostrum de sacrificio institutum maximè pertinent: primum, quo idiomate, sive qua lingua divinum Officium celebrari debeat; alterum, utrum necesse sit submissa voce Missæ Canonem recitari. Consule, quæ eo loci discussa sunt.

Sufficiat hic in memoriam revocasse doctrinam Concilii Tridentini circa ceremonias generatim considerátas. „Cùm natura hominum ea sit, ait Concilium „*Sess. 22. de sacrificio Missæ cap. 5.* ut non facilè queat „sine adminiculis exterioribus ad rerum divinarum me„ditationem sustolli, propterea pia mater Ecclesia ri„tus quosdam, ut scilicet quædam submissa voce, alia „vero elatiore in Missa pronuntiarentur, instituit. Cere„monias item adhibuit, ut mysticas benedictiones, lu„mina, thymiamata, vestes, aliaque id genus multa, „ex Apostolica disciplina & traditione; quo & majestas

Tom. 14. Conc. p. 854.

"tanti sacrificii commendaretur, & mentes fidelium per "hæc visibilia religionis & pietatis signa ad rerum altissimarum, quæ in hoc sacrificio latent, contemplatio"nem excitarentur." Canone verò 7. ejusdem Sess. (Ibid. p. 856.) Novatores ferit his verbis: *Si quis dixerit, ceremonias, vestes & externa signa quibus in Missarum celebratione Ecclesia Catholica utitur, irritabula impietatis esse magis quàm officia pietatis; anathema sit.* Verùm iis in præsentiarum suppositis, ad rem nostram propiùs accedimus.

I. Calvinistæ omnes Missæ ceremonias refugiunt, & penitus abrogandas existimant, Calvinus L. 4. Inst. (P. 435.) cap. 10. paragr. 8. *Damnat Paulus*, inquit, *omnes fictitios cultus, quos homines sibi ipsis comminiscuntur, vel ab aliis accipiunt, & quæcumque de cultu Dei tra-* (P. 525.) *dere præcepta ex se audent.* Cap. verò 17. paragr. 43. agnoscit quidem antiquissimas illas esse, & non longè ab ætate Apostolorum incœpisse, verùm eas rubiginem cœnæ Domini inverecundè appellat, aitque *natas esse ex procacitate humana confidentia, quæ se continere non potest, quin in Dei mysteriis ludat, & lasciviat.*

II. Lutherani, qui Christum in Eucharistia realiter præsentem agnoscunt, non ita videntur à ceremoniis abhorrere, quarum aliquas retinent, aliquas etiam culpant. Lutherus adversus Regem Angliæ loquens de iis qui sacram communionem flexis genibus percipiunt, *Nos autem*, inquit, *istos verè fatuos & stolidos appellamus.* In Libro de Cap. Babyl. cap. de Eucharistia, duo affirmat. 1. Missam eò magis esse christianam, quò est simplicior, & similior Missæ Christi, in qua nulla fuit vestium, gestuum, cantuum, aliarumque ceremoniarum pompa, 2. addit, non esse propterea calumniandam universam Ecclesiam, quæ multis aliis ritibus, & cæremoniis Missam ornavit & amplitavit. In Libro verò de formula Missæ, permittit lu- (Observatio,) mina, incensum & aliqua hujusmodi. Ex quibus hic obiter inferes, adversus quoddam delicatum ac fastidiosum hominum genus, qui cum D. de Vert, in ceremoniis Ecclesiæ nihil symbolicum, mysticum nihil ac spiritale agnoscunt, sed id unum, quod in iis materiale est seu physicum, quod usus, vel necessitas invexit; v. g. cereos ad videndum, incensum ad tetrum odorem purgandum, vestes ad tegendum corpus &c. inferes, inquam, Novatores non in eo præcisè errare ac reprehendi ab Ecclesia, quòd ad illos naturales & receptos usus nonnullis ex hisce rebus utantur, sed quòd in illis nihil symbolicum ac spiritale admittant, contra mentem ac sententiam Ecclesiæ.

Kemnitius, referente Bellarmino Lib. 2. de Missa (To. 3. p. 358.) cap. 13. omnes ceremonias Missæ ad quatuor classes revocat.

Prima earum est, quæ divinum mandatum & exempla Scripturæ, & quas substantiales vocat, ut accipere panem, benedicere, manducare, mortem Domini annuntiare.

Secunda earum, quæ licèt non habeant expressum mandatum, neque omnino sint necessariæ, tamen bonæ sunt ac piæ, si ad ædificationem usurpentur, ut Psalmi, lectiones, preces, confessio fidei per symboli recitationem.

Tertia classis earum est, quas ut superstitiosas & impias traducit, ut oblationem pro vivis & mortuis, invocationem Sanctorum, satisfactionem pro animabus Purgatorii, Missam privatam, consecrationem salis, benedictionem aquæ.

Quarta denique earum est, quas adiaphoras, seu indifferentes appellat, ut vestes, vasa, ornamenta & cætera, quæ verbo Dei non repugnant. Docet verò eas, quæ sunt primi generis, omnino servandas; quæ sunt tertii, omnino abrogandas; quæ sunt secundi & quarti, retinendas esse, sed cum libertate, ac ut minimè necessarias.

Si ex iis ceremoniis, quas Kemnitius superstitiosas & impias appellat, mendacia, quibus Catholicum dogma deformat, sustuleris, nihil superfuturum est, quod reprehendi meritò possit. 1. ait, Concilium Tridentinum sine ulla distinctione omnes ceremonias approbare, sive piæ sint, sive superstitiosæ. Mendacium est; Concilium enim non loquitur nisi de iis ceremoniis, *quæ ex Apostolica disciplina & Traditione de-* (Sess. 22. c. 5.) *scendunt.* 2. in illis ceremoniis nos vim quamdam spiritualem agnoscere. At non aliam in illis agnoscimus, quàm quæ ex consecratione ac precibus Ecclesiæ à Deo impetratur; atque ut *mentes Fidelium per hæc* (Ibid.) *visibilia Religionis & pietatis signa, ad rerum altissimarum, quæ in hoc sacrificio latent, contemplationem excitentur.* 3. ajunt nos in hujuscemodi ceremoniis præcipuum Dei cultum reponere. At calumniantur: iis etenim ceremoniis & externis ritibus utimur duntaxat tanquam adjumentis, quibus mentes Fidelium ad cœlestia eriguntur. Sunt illæ ceremoniæ in Religione, quod in arboribus folia, ad conservandos fructus, quorum aliquando luxuriantem copiam resecamus, ut ardore solis fructus maturescant: ita pariter nonnullæ interdum supprimuntur ceremoniæ, vel ne sua multitudine obruant; vel ne iis rudior populus abutatur. 4. asserunt apud nos ita necessariam existimari ceremoniarum observantiam, ut pronuntient piaculum esse quidquam in iis immutari, ac mortaliter peccare illos, qui aliquid in illis neglexerint. Verùm imponunt nobis; prohibet equidem Conc. Trid. Sess. 7. Can. 13. *ne quis minister pro libito præscriptos ritus omittat, aut in novos per quemcumque Ecclesiarum Pastorem immutet*, at non sibi potestatem adimit Ecclesia, ritus aliquos, si expedire judicaverit, immutandi; neque etiam apud nos quælibet negligentia peccatum est mortale, sed contemptus, aut notabilis negligentia in rebus gravioribus: communis quippe Theologorum doctrina est, in istis rebus, sicut & in aliis præceptis, levitatem materiæ excusare à peccato mortali.

Divisio ceremoniarum Missæ.

In duas generatim classes illæ distribuuntur, in eas nempe quæ præcedunt, & in eas, quæ comitantur Missam.

I. Ceremoniæ, quæ Missam præcedunt, quædam sumuntur à persona, quædam à loco, aliæ à tempore; & istæ in rebus consistunt, & prærequiruntur ad sacrificium: aliæ consistunt in actione, & adhibentur inter sacrificandum, partim erga Deum, partim erga populum, partim erga ipsum sacrificium. Ex parte verò personæ requiruntur vestes sacræ: ex parte loci, requiruntur templa, altaria, vasa sacra, ut calix, discus, corporalia, item & lumina: ex parte temporis requiritur, ut præcipuè celebretur Missæ sacrificium diebus Dominicis, ante meridiem, & ante omnem cibum, quæ duo postrema jam exposuimus.

II. Ceremonias, quæ in celebratione Missæ observantur ad quinque capita, revocat Bellarminus Lib. 2. de Missa cap. 15. Aliæ enim, inquit, ad Deum referuntur, ut elevatio manuum, elevatio oculorum, adoratio per inclinationem corporis totius, aut per genuum curvationem; aliæ ad sacrificium, ut elevatio, ostensio, fractio, commixtio: aliæ ad Sacerdotem celebrantem, ut tunsio pectoris, & manuum lotio: aliæ ad populum, ut salutatio & dimissio: aliæ ad ea, quæ in Missa leguntur, ut *Gloria in excelsis*, Symbolum, Epistola, Evangelium, Præfatio. Præter illas nonnullæ sunt aliis rebus communes, ut signum crucis, aspersio aquæ, thurificatio, osculum &c.

De

De cæremoniis quæ Missam præcedunt.

De vestibus sacris.

Christus cum Eucharistiam instituit non alia veste induebatur, quam ordinaria, vulgari & communi. Primi quoque Ecclesiæ Pastores, cum in cryptis ac locis subterraneis persecutionum metu laterent ac Sacra facerent, non aliis vestimentis usi sunt, quam iis, quibus cæteri pro usu induebantur. Postquam vero à persecutionibus Ecclesia respiravit, ipsi reddita pace, ordinari cœpit Ecclesiæ disciplina, & cultus exterior ceremoniarum apparatu ornari & illustrari; quamquam verisimile prorsus est, sacras illas ministrorum vestes, in prima sua origine distinctas non fuisse ab iis quibus pro usu ac conditione cæteri homines utebantur. Verum, cum pro innata hominis levitate ac inconstantia frequentius apud Laicos illæ mutarentur, Ecclesia constanter illas retinuit, tametsi non sine aliqua facta identidem, quantum ad formam, immutatione. Sed quidquid sit, certissimum illud est ex usu ac statutis Ecclesiæ, speciales vestes in Sacris obeundis officiis, ministris assignatas fuisse. Namque, ut recte admodum ait Bellarminus loco mox citato c. 14. sicut Reges, ac Magistratus in publicis actionibus non vulgari utuntur vestitu, sed alio augustiore, & certis insignibus, quo & reverentia ipsis concilietur, & simul imperium ipsorum, & potestas repræsentetur; sic etiam omninò conveniebat, ut in hac publica totius Ecclesiæ actione, Sacerdos sacro ac peculiari habitu uteretur, tum ad reverentiam mysterii, tum ad ipsam Christi passionem repræsentandam.

Et verò nemo ignorat, in veteri Testamento Sacerdotes oblaturos sacrificium, certis vestibus à Deo ipso præscriptis indui debuisse, quæ vestium sacrarum, quibus nunc induuntur Sacerdotes christiani, figuram & typum gerebant. Quapropter S. Hieronymus in caput 44. Ezechielis, ubi de Officio divino sermo est, ait: "Per quæ discimus non quotidianis & quibuslibet pro "usu vitæ communis pollutis vestibus nos ingredi debe-"re in sancta sanctorum, sed munda conscientia & "mundis vestibus tenere Domini Sacramenta.... Porro "religio divina alterum habitum habet in ministerio; al-"terum in usu vitaque communi." Et L. 1. contra Pelagianos ultra medium, scribit, Episcopos & Presbyteros & omnem Clerum in sacrificii administratione candidis vestibus uti. Idem quoque testatur S. Joannes Chrysostomus Hom. 83. in Matth. qui etiam initio Liturgiæ, quæ nomine ipsius circumfertur, describit Orationes, quæ dicuntur, dum Sacerdos sacras vestes induit. S. Hieronymus mox laudatus in Epistola ad Heliodorum de obitu Nepotiani, scribit sibi à Nepotiano Presbytero moriente, relictam fuisse tunicam, qua utebatur in ministerio Christi.

Tom. 3. p. 1019.

T. 4. p. 2. p. 502.

Ibid. p. 271.

Theodoretus L. 2. Hist. cap. 27. refert constantinum Macario Episcopo Jerosolymitano *sacram vestem aureis filis contextam donasse, ut ea indutus divini Baptismi ministerium perageret.*

Pagina 111. A.

Eusebius Cæsariensis L. 10. Hist. c. 4. in Oratione panegyrica de ædificatione Ecclesiarum Paulino Tyriorum Episcopo dicta, exordium ducit ab his verbis, *Amici & Sacerdotes Dei, qui sacra tunica talari induti, & cœlesti gloriæ corona decorati, divinaque unctione delibuti &c.* Erat igitur tunc temporis, anno scilicet 313. in usu sacra tunica talaris, qua induebantur Sacerdotes, & ab aliis ad honorem & reverentiam discernebantur.

P. 371.

Concilia pariter illarum vestium seu ornamentorum mentionem faciunt.

Carthaginense IV. can. 41. prohibet, ne Diaconi alba utantur, nisi in sacro ministerio.

Tom. 2. Conc. p. 1203.

Braccarense IV. c. 4. statuit, ut Sacerdos, qui aut sacrificium oblaturus est, aut Sacramentum corporis & sanguinis Christi sumpturus, non aliter accedat, quàm Orario utroque humero circumseptus, in signum firmitatis atque constantiæ in rebus adversis, non minùs quàm in prosperis.

Tom. 6. Conc. p. 564.

Conc. Toletanum IV. cap. 40. mandat, ut Levita in sinistro humero Orarium portet, quia prædicat; dexteram autem partem habeat liberam, ut expeditus sit ad ministerium implendum. Tom. 4. Conc. p. 1716.

In Conc. Laodiceno c. 22. & 23. cautum est ne Subdiaconi Orario utantur. Non ergo aut novus est aut superstitiosus sacrarum vestium in divinis officiis tractandis usus, sicut garriunt Novatores, neque etiam, ut frigidè ait D. de Vert, ad hoc unum institutus, ut ministri nuditas regatur, quasi in hunc finem non sufficerent communia & vulgaria vestimenta, aut necesse foret speciales illas ac singulares ministrorum vestes ad illos regendos ritu aliquo speciali, signo crucis, & quibusdam orationibus benedici, sicut mos est apud Græcos & Latinos. Tom. 1. Conc. p. 1511. Rituale Græc. p. 19.

Sex verò numerantur hujusmodi vestes Sacerdotis, cùm ad sacrificium perficiendum accedit: nimirum amictus, alba, cingulum, manipulus, stola seu orarium, casula seu planeta. Leo IV. S. Pontifex versus an. 850. hunc ipsum ferè vestium suscipiendarum ordinem præscribit in Homilia de cura pastorali: *Nullus*, inquit, *cantet* [Missam] *sine lumine, sine amictu, sine alba, stola, fanone & casula. Vestimenta nitida sint, & ad nullos alios usus sint.* De illis ex professo scripserunt Albinus Flaccus, Alcuinus de Officiis divinis, circa annum 780. Hunc secuti sunt Amalarius Fortunatus circa an. 810. L. 3. de ecclesiast. Officiis, Rabanus Maurus L. 1. de instit. Cleric. circa an. 815. Rupertus, Innocentius III. Guillelmus Durandi. De his vide & Ordinem Roman. Nullus illorum Scriptorum præcisè tempus assignat institutionis illarum vestium, sed institutas & sua ætate in usu positas supponunt: mysticas verò illarum significationes observant ferè omnes, quas etiam clarè indicant preces, quæ in singulis induendis recitantur. De singulis breviter dicendum. Tom. 8. Conc. p. 34. A.

Amictus.

Amictus generatim quamlibet vestem seu indumentum significat, quo sensu ab auctoribus prophanis usurpatur. Ritu ecclesiastico, vestis, sæculo 8. ut putant, inducta, ad collum, quod tunc temporis nudum gestabatur, obtegendum, unde in humeros diffluebat: minùs etenim decens ac decorum visum fuit, si Episcopus vel Sacerdos Sacris operam daturus nudo ac detecto collo accederet ad altare. Huic ex decentia & decore ratione, accessit & altera, sanitatis & commodi, ad conservandam scilicet vocem divinis laudibus canendis ac celebrandis destinatam, ne fortè ex denudato collo raucedinem contraheret. Ita Amalarius Lib. 2. cap. 17. Mirum quantùm litteralis illa & physica interpretatio D. de Vert arrideat, quantùm in illa exultet; at ignorare non debuisset, huic litterali & physicæ rationi symbolicam ac mysticam ab Ecclesia significationem additam fuisse: quapropter in Missa, quam Illiricus vulgavit, cùm Sacerdos amictum induit, sic orat, *Humeros meos ac pectus meum Spiritus sancti gratia protege me, Domine.* Amictus igitur, cui primùm originem dedit, vel necessitas, vel commoditas, subinde in ornamentum ecclesiasticum usurpatur est, ac destinatus ad significandum, 1. deposito pœnitentiæ sacco, succedere gaudium & lætitiam, quæ ex ministerio sacro degustatur. Hinc in jam citata Missa Illirici, Sacerdos ordinarias vestes deponens dicebat, *Conscinde, Domine, saccum meum, & circumda me lætitia salutari*, juxta illud Psalmi 29. *Convertisti planctum meum in gaudium mihi; conscidisti saccum meum, & circumdedisti me lætitia.* 2. Amictus velut spiritualis galea capiti imposita spectatur ad propulsandos

diabolicos incursus. *Impone, Domine*, ait Sacerdos amictum induens, *capiti meo galeam salutis, ad expugnandos diabolicos incursus*, idque appositè ad monitum Apostoli Ephes. 6 v. 12. *Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias diaboli.* Et v. 16. 17. *In omnibus sumentes scutum fidei, ut possitis omnia tela nequissimi extinguere; & galeam salutis assumite.* Figuratæ sunt procul dubio apud Apostolum voces istæ, *armatura, scutum, galea*, quibus vim animi, robur ac firmitatem designat, ad propulsandos omnes dæmonis impetus necessariam: ut quid ergo tam molestè fert D. de Vert, Ecclesiam in sacris ministrorum vestimentis & ornamentis symbolicum aliquid, mysticum ac spiritale agnoscere? 3. per amictum symbolicè ac mysticè admonentur sacri ministri, ut ponant ori suo custodiam, ac voce sua potissimùm utantur ad sacra mysteria tractanda, divinasque laudes cantandas; quem finem optimè exponit Oratio, quæ in antiquo Missali Cameracensi an. 1527. & 1542. refertur à Sacerdote recitanda his verbis, *Castiget & moderetur vocem meam custodia tua, Deus; ut non delinquam in lingua mea, sed loqui merear, quæ tibi sunt accepta.* In Missali quoque S. Martini Tornacensis sæculo 13. hæc Oratio legitur, *Pone, Domine, ori meo custodiam.*

Circa illum amictum Missale Romanum, titulo, *Ritus celebrandi Missam*, hæc præscribit; *Primum accipiens Sacerdos amictum circa extremitates & chordulas, osculatur in medio, ubi est crux, & ponit super caput, & mox declinat ad collum, & eo vestium collaria circumtegens, ducit chordulas sub brachiis & circumducens per dorsum ante pectus reducit & ligat.*

Ex his igitur intelliges amictum ab Ecclesia adhibitum fuisse, ut illum Episcopus aut Sacerdos celebraturus imponat primùm capiti, in eodem per aliquot morulas retineat, mox declinet, ut illo collaria tegat, & circa eadem coaptet. Obtinuit aliquando consuetudo, ut ille amictus declinaretur tantùm, & statim post indutam casulam eidem velut fascia circumponeretur: verùm quia ritus ille vel antiquus non erat, aut incommodus, aut minùs decens, illum non præscripsit S. Pius V. S. P. non restituit, non imperavit, nec Ecclesia retinuit.

Quærunt Rubricarum periti, an licitum aliquando sit Sacerdoti Missam celebrare cooperto capite, amictu scilicet supra caput posito nec declinato, sicut mos est in Ecclesia Parisiensi hyberno tempore, de qua controversia librum singularem edidit Joannes du Tour Doctor Parisiensis Archidiaconus & Canonicus Suessionensis, in quo demonstrare nititur ex præcepto Apostoli 1. Cor. 11. nusquam viris licitum esse cooperto capite orare in Ecclesia multò minùs Sacerdotibus offerre sacrificium amictu in capite hærente.

Alba.

Alba vestis est seu tunicæ species à candore sic nuncupata. Singularis illius usus erat apud nobiles Romanos; imò & ea indutos fuisse Laicos in Monasteriis commorantes, testatur Lanfrancus Cantuariensis Archiepiscopus Epistola 13. *Plerique*, inquit, *autumant manipulum esse commune ornamentum omnium, sicut & albam & amictum; nam in cœnobiis Monachorum etiam Laici albis induuntur.* Frequens occurrit albæ mentio apud Auctores qui de divinis Officiis scripserunt, Alcuinus, Amalarius, Rupertus, Ordo Romanus. Ecclesia scilicet vestem illam candidam multis communem, ex usu communi ac prophano ad sacrum traduxit, voluitque ministros suos in sacris ministeriis obeundis ea speciali veste indutos esse, nec illa uti debere extra ministerii tempus. Ita Concilium Carthaginense IV. cap. 41. *Diaconus*, inquit, *tempore oblationis tantùm vel lectionis, alba utatur.* Et Regino de vita & conversatione Presbyt. cap. 66. observat prohibitum fuisse Presbyteris, *in alba, qua in suo usu utuntur, Missas cantare.* Unde intelligimus aliam fuisse Albam ad usum communem, & aliam ad ministerium; atque cum ista tantùm licitum fuisse sacra obire ministeria. Quapropter albas sacerdotales opere phrygio interdum ornatas fuisse colligimus ex Eckeardo de Casibus S. Galli c. 10. *Inter quæ*, ait, *præter casulas sericas, cappas, & stolas, alba est illa philologia nuptiis insignis*, quas scilicet descripsit Martianus Capella. S. Hieronymus L. 1. adversus Pelagianos scribit, nihil esse nisi decens ac congruum honori divino, *si Episcopus, Presbyter, & reliquus Ordo Ecclesiasticus in administratione sacrificiorum cum candida veste processerint.* Candidus ille color symbolum est ac signum candoris & puritatis conscientiæ ministrorum, quem in finem Sacerdos, dum albam induit, supplex Deum sic orat: *Dealba me, Domine, & munda cor meum, ut in sanguine agni dealbatus gaudiis perfruar sempiternis.*

[Margin: P. 307. col. 2. D. — Tom. 2. Conc. p. 1203. — T. 4. p. 2. p. 502.]

Olim veste candida induebantur recens baptisati, in symbolum puritatis & innocentiæ, quam profitebantur: imò per totam hebdomadam tenebantur vestem illam gestare. Ita statuit Concilium Rothomagense anno 1050. Can. 19. *Ut baptisati*, inquit, *in eadem Ecclesia, in qua regenerationis gratiam acceperunt, & in qua parochiani existunt; per octo dies in albis repræsententur cum cereis ardentibus.* Et Conradus Urspergensis anno 1124. *Infantes suos*, inquit, *in sabbatho sancto Paschæ & Pentecostes, cum candelis & cappa, quæ dicitur vestis candida, & patrinis comitantibus ad Baptismum deferant, eosque veste innocentiæ indutos per singulos dies usque in octavum diem ejusdem sabbati ad Ecclesiam deferant, & celebrationi divini Officii interesse satagant.*

[Margin: Tom. 9. Conc. p. 1049. — P. 184.]

Cingulum.

Cingulum inter vestes ecclesiasticas vulgò recensetur. Stephanus Æduensis Episcopus Lib. de Sacramento altaris cap. 10. *Cingulum est*, ait, *quo alba constringendo renibus coaptatur.* Qui olim longa & lata utebantur veste, cingulo eam religabant, ne difflueret ac incessum impediret. *Ne tunica ipsa diffluat*, aiunt Beda & Rabanus, *& gressum impediat, cingulo religatur.* Equidem si physicus ac litteralis hujus cinguli usus attendatur, nihil cum Ecclesiæ ritibus commune illum habere non illibenter cum D. de Vert concedimus: at si mens & consilium Ecclesiæ in cingulo adhibendo inspiciatur, mystica significatione non caret; nempe ut admoneantur ministri hoc cingulo circa renes adaptato, restringendos omnes cupiditatis motus ad continentiam & castitatem perpetuò servandam. Oratio, quam ex usu Ecclesiæ fundit Sacerdos, cùm cingulo se adstringit, hunc finem denotat. *Præcinge me, Domine*, ait, *cingulo puritatis, & extingue in lumbis meis humorem libidinis, ut maneat in me virtus continentiæ & castitatis.*

[Margin: Biblioth. PP. T. 20. pag. 1171.]

Manipulus.

Plerique autumant, ait Lanfrancus Epistola 13. *manipulum esse commune ornamentum omnium, sicut & albam & amictum: nam & in cœnobiis Monachorum etiam Laici cum albis induuntur, & antiqua Patrum institutione solent ferre manipulum.*

[Margin: Pagina 307. D.]

Manipulus in prima sua origine mappula dicebatur, seu sudarium, quo sudor frontis, oculorum lachrymæ, ac narium sordes extergebantur. Originem hanc ex necessitate ac munditie ortam, non dissimulant nostri Scriptores. *Mappula*, inquit Alcuinus, *gestatur in sinistra parte, qua pituitam oculorum & narium detergimus.* Et Ivo Carnotensis sermone de significatione indumentorum sacerdotalium, *In sinistra manu*, ait,

[Margin: P. 1091. D.]

Tom. 2. p. 268. col. 1. Tom. 3. p. 263. ait, *ponitur quædam mappula, quæ sæpe fluentem oculorum pituitam tergat, & lippitudinem removeat.* Hugo denique à sancto Victore de Offic. eccl. L. 1. c. 15. "Ad „extremum, *inquit*, Sacerdos fanonem in sinistro bra„chio ponit, quem & manipulum & sudarium appella„verunt, per quem olim sudor & narium sordes exter„gebantur." Hunc manipuli usum, ac litteralem illius significationem avidius arripit D. de Vert, quacunque rejecta illius symbolica significatione: verum aberrat ille, non satis varia tempora distinguens. Manipulus etenim qui diu ad necessitatem fuit, in ornamentum subinde transiit. *Manipulus*, ait Willelmus Brito in vocabulario, *est ornamentum manus.* Undecimo sæculo tot ornamentis onustus erat ac decoratus ex auro & opere phrygio, ut pristino usui non amplius inservire posset: quapropter Hugo à Victore duodecimo sæculo scribit, *olim* per manipulum *sudorem & narium sordes extergebantur.* Si *olim*; ergo jam diu Hugonis ætate usus ille manipuli desierat, ac merum erat ornamentum ministrorum Ecclesiæ.

Obiit an. 1117. Tom. 10. Conc. p. 725. & 5. I. 6. p. 7. Et certe Paschalis II. Pontifex in Concilio Pictaviensi vetat "ne quis Monachorum manipulis utatur, „nisi sit Subdiaconus." Ergo jam tum manipulus honoris vestis erat. Imo & annis fere trecentis ante Paschalem Rabanus Maurus dixerat L. 1. de institut. Cleric. c. 18. "Quartum Sacerdotis indumentum mappula „sive mantile est, quod vulgo fanonem vocant." Et ducentis annis ante Rabanum, S. Gregorius Magnus in Epistola ad Archiepiscopum Ravennæ Clericis hujus Ecclesiæ prohibuerat ne manipulis uterentur. En verba: Tom. ... p. 668. „Illud autem quod pro utendis à Clero vestro mappu„lis scripsistis, à nostris Clericis est fortiter obviatum, „dicentibus nulli hoc unquam alii cuilibet Ecclesiæ „concessum fuisse .... sed nos primis Diaconibus vestris „in obsequio duntaxat tuo mappulis uti permittimus: „alio autem tempore, vel alias personas hoc agere ve„hementissime prohibimus.

Accessit ad hoc ornamentum & symbolica seu mystica significatio, doloris scilicet ac fletus qui hac in vita sustinendus est, & manipulo quasi detergendus: quo certa tendit oratio illa, cum manipulus à Sacerdote sumitur. "Merear, Domine, portare manipulum fletus & „doloris, ut cum exultatione recipiam mercedem labo„ris." Innocentium III. circa annum Christi 1195. tem P. Ed. Colon. 1575. p. 233. sic explicat mysteriorum Missæ L. 1. c. 59. "In sinistra „manu, *inquit*, quædam ponitur mappula, quæ manipu„lus vel sudarium appellatur, quo sudorem mentis ab„stergat, & soporem cordis excutiat, ut depulso tædio „vel corpore bonis operibus diligenter invigilet." Ante Innocentium Stephanus Æduensis Episcopus creatus an. 1113. L. de Sacramentis altaris c. 10. "Mappula, *inquit*, Biblioth. PP. T. 20. pa. 1875. „qua solent siccari stillicidia oculorum, excitat nos ad „vigilandum." Utrumque usum, & necessitatis & religionis, conjungit hic Stephanus.

Observat eruditus P. le Brun Oratorianus, duodecimo sæculo novum quemdam manipulum seu sudarium ad necessitatem ac munditiam unice introductum fuisse Exp. Ios. T. 1. p. 49. ab Episcopo Parisiensi, in Statuto synodali anni 1254. ubi dicitur: "Districte præcipitur ut quilibet Sacerdos „habeat in celebratione Missæ propter munditiam ve„stimentorum servandam circa altare unum manuter„gium pendens circa Missale, ad tergendum os & nares, „si fuerit necesse.

Stola seu Orarium.

Stola interdum usurpatur à Veteribus pro veste oblonga & talari: aliquando pro episcopali pallio. Hic stola & orarium idem prorsus est. Orarium vero apud Latinos erat linteolum quoddam circa collum appositum ex utraque parte defluens, quo narium pituita excipi solebat. Narrat S. Ambrosius in funebri Oratione fratris sui Satyri, eum sæviente tempestate præcipitem in mare dejecisse, inclusa prius in orario Eucharistia, To. 2. p. 1125. D. quam gestabat, & collo circumligata. *Legari fecit*, ait S. Doctor Ep. 85. *in orario, & orarium involvit in collo, & ita se dejecit in mare.* Narrat idem S. Doctor jactata fuisse oraria super recenter inventa corpora De discipl. T. 2. p. 1. L. 2. c. 45. p. 368. SS. Martyrum Gervasii & Protasii. Observat Thomassinus, orarium, stolam & manipulum prima origine ad eumdem usum pituitæ excipiendæ destinata fuisse: fecisse autem summam erga sacrificium reverentiam, ut tanta paulatim cura, tanta arte decorarentur, ut jam essent pretiosissima & honoratissima ornamenta, quorum in antiquiorem usum linteola alia substitui oporteret. Ita cum mutatus usus orarii est, mappola pro orario fuit, seu manipulus pro linteolo, & cum decorata deinde auro & opere phrygio mappula in ornamentum sacrum evasit, alia communia linteola ad abstergendum frontem naresque in usu esse cœperunt. Hæc Thomassinus. S. Hieronymus quid suo tempore orarium foret, clare aperit in Epistola ad Nepotianum, ubi de illis loquitur, qui laudi ac merito vertebant, quod T. 4. p. 2. p. 262. *oraria* non meterentur. *Ridiculum & plenum dedecoris est*, ait S. Doctor, *referto marsupio, quod sudarium orariumque non habeas gloriari.*

Orarium aut derivatur, vel ab *ore*, cui mundando tanquam sudarium inserviebat; vel ab *oratore*. *Orarium*, Pagina 1091. A. inquit Alcuinus L. de divinis Officiis, *id est stola, dicitur, eo quod Orationibus, id est Prædicatoribus concedatur.*" Vel ab *ora*, seu extremitate vestis; scilicet cum vestis in medio foret aperta, extremitates orarium seu stola dicebantur, unde stola nostra hodierna, in modo instiæ ac fasciæ construitur. Stola dignitatis ac jurisdictionis symbolum est: unde in Concilio Moguntino an. 813. c. 28. & in Capitularibus Caroli Magni statuitur, "ut Presbyteri sine intermissione utantur orariis Tom. 7. Conc. p. 1249. „propter differentiam sacerdotii dignitatis." Et Bruno Signiensis de vestimentis episcopalibus, "Orarium, Tom. 2. pa. 145. col. 1. *inquit*, jugum simul & onus est: jugum Sacerdotibus, „onus Diaconibus; unde fit ut Sacerdotibus circa col„lum, & Diaconibus super humeros ponatur; ut enim „collo portatur jugum, sic & humeris onera feruntur.... „Vocatur autem orarium, quia quamvis sine aliis indu„mentis sacerdotalibus, baptisare & consignare, & alia „multa orando facere, sine orario tamen, nisi magna ne„cessitate cogente, nihil horum agere licet.

Stola igitur vestimentum est ac ornamentum Sacerdotum & Diaconorum. *Quintum vestimentum*, ait Biblioth. PP. t. 20 pa. 1073. Rabanus Maurus de institutione Clericorum L. 1. c. 19. *est quod orarium dicitur, licet hoc quidam stolam vocent.* Et Honorius Augustodonensis De antiquo ritu Missarū Ibid. p. 1875. L. 1. c. 204. "Deinde, *inquit*, circumdat collum suum „stola, quæ orarium dicitur." Quæ sit spiritualis ac mystica stolæ significatio, aperit Stephanus Eduensis Episcopus L. de sacr. altar. c. 10. "Stola, *inquit*, collo circum„data, ad inferiora descendens, significat obedientiam „Filii Dei, & jugum servitutis, quod pro salute homi„num portavit." Sensum spiritualem stolæ indicat oratio Sacerdotis stolam induentis, "Redde mihi, Domine *inquit*, stolam immortalitatis, quam perdidi in prævari„catione primi parentis.

Casula seu Planeta.

Isidorus L. 19. c. 24. "Planeta, *inquit*, Græce, & La- Pa. 65. col. 1. „tine dicitur casula quæ totum hominis corpus tegit. „Vestis" dicta, quod oris (id est extremitatibus) errantibus evagetur; inde *planeta* dicta, quod sicut mobiles sunt planetæ, ita & vestis illa simplex nec ornamentis ascititiis onusta, facile mobilis ac versatilis erat.

Casula ideo dicta, ait idem Scriptor ibidem, "Vestis Ibid. „cucullata, quasi minor casa, eo quod totum hominem „tegat, unde cuculla, quasi minor cella." Rabanus

Maurus L. de institutione Clericorum c. 21. *Casula dicitur*, ait, *vulgo planeta Presbyteri, quia instar parvæ casæ, totum tegit, & signat charitatem.* [To. 6. p. pag. 7.] Idem, *Hæc supremum omnium indumentorum est, & cætera omnia interius per suum munimen tegit & servat.*

Cum vero Scriptores illi dixerunt *casulam* derivari à *casa*, quod totum hominem ut casa tegit, oculos converterunt ad veterum casularum formam, quæ totum revera Sacerdotē à collo ad pedes ambibat, atq; adeo brachia ipsa & manus tegebat & obvolvebat; ita ut si iis ad Sacra facienda, aut ad alios usus vellent uti, necessum haberent casulam ad utrumque latus erigere, aut fibula cohibere; quod etiam observat Rupertus Lib. 1. de divinis officiis cap. 22. *est autem*, inquit, (casula) *integra, undique clausa, &c.* [To. 2. p. 756.] Quapropter cum Sacerdos vel incensum adhibebat, vel hostiam sursum elevabat, ministri casulam sublevabant; cujus quidem adhuc vestigium quoddam apud nos permanet, ut honoris causa ac reverentiæ sublevetur casula Sacerdotis, quo tempore Christi corpus populo ostendit; ita ut quod olim ex necessitate factum est, mera jam sit apud nos ceremonia.

Observat Thomassinus loco paulo ante citato, *casulam, planetam, dalmaticam, penulam*, in communi olim Laicorum usu fuisse: [P. 169. col. 1. To. 2. p. 309.] unde colligit D. de Vert, casulam antiquitus nihil fuisse aliud quam simplex quoddam pallium rotundæ figuræ, quo totum corpus involvebatur, unice destinatum ad declinandum pluviæ incommodum. Verum esto, ista fuerit casulæ origo prima, an propterea negari merito potest eam inter vestes sacras, & ornamenta ministrorum numeratam fuisse, addita etiam ipsi mystica significatione? Nonne jam vel ipso septimo Ecclesiæ sæculo in Concilio Toletano IV. an. 633. casula seu planeta inter ornamenta, quibus Presbyteri decorantur, memoratur? *Presbyter* ait Concilium, *è gradu injuste dejectus* [Tom. 5. Conc. p. 1714. cap. 28.] *..... gradus amissos accipiat coram altario .. si Presbyter orarium & planetam ... sic reliqui in sui reparationem recipiant, quæ cum ordinarentur receperant.* Et Concilium Germanicum approbatum à Synodo Liptinensi, [Tom 6. Conc. p. 1535.] cap. 7. *Presbyteri vel Diaconi*, ait, *non sagis, Laicorum more, sed casulis utantur ritu servorum Dei.* Ergo *casula ritu servorum Dei usurpanda erat.* Symbolum autem est charitatis: *Casula*, inquit Rabanus, *instar parvæ casæ totum tegit, & signat charitatem.* Et Stephanus Æduensis L. de Sacram. altaris c. 10. *Casula undique integra unitatem fidei designat.* Significationem illam exprimit Episcopus in Ordinatione Presbyteri, [Bibliot. PP. T. 20. pag. 1875. D.] *Accipe*, inquit, *vestem sacerdotalem per quam charitas intelligitur.* Sacerdos ipse casulam induens, precatur his verbis; *Domine, qui dixisti, jugum meum suave est & onus meum leve; fac, ut istud portare sic valeam, quod consequar tuam gratiam.*

De vestibus Diaconorum, stola, dalmatica.

Præter albam & manipulum, stolam gestant Diaconi. Stola vero illa, ut diximus, orarium dicta fuit; linteolum scilicet, quod in sinistro humero positum paulo diffluebat, & cum astrictum non foret seu ligatum, hinc & inde movebatur: quod cum incommodo esset, superposita tunica seu dalmatica fixum quodammodo fuit. Observat eruditus Pater le Brun, quod, [To. 1. p. 55.] etsi Diaconi stolam in sinistro humero vulgo gestarent, in nonnullis tamen locis, in Gallia præsertim, circa collum adoptaretur, utraque extremitate, sicut in Episcopis & Presbyteris, hinc & inde defluente. Concilium Toletanum IV. anno 633. c. 39. prohibet Diaconis ne duplici orario utantur, eoque ornato. [Tom. 5. Conc. p. 1716.] *Unum orarium*, ait Concilium, *oportet Levitam gestare in sinistro humero .... Caveat ergo Levita gemino uti orario, sed uno tantum & puro, nec ullis coloribus aut auro ornato.* Varius fuit Ecclesiarum usus circa modum quo deberent Diaconi stolam seu orarium adaptare; aliquando supra tunicam, aliquando subtus collocabatur. Concilium Bracarense II. an. 563. cap. 9. vult ut suprà non infrà tunicam ponatur, quia sic latet, nec ullum amplius apparet discrimen inter Diaconum & Subdiaconum. *Quia*, inquit Synodus, *in aliquantis hujus Provinciæ Ecclesiis Diacones infra tunicam utuntur orariis, ita ut nihil differre à Subdiacono videantur de cætero superposita scapula (sicut decet) utantur orario.* [Ibid. p. 841.] Verùm cùm stola supra tunicam posita, hinc & inde moveretur, ac instabilis foret, usus obtinuit, ut infra poneretur, utraque extremitate etiam simul alligata, ne amplius incommodo foret ad agendum, seu ministrandum.

Dalmatica sic dicta, inquit Isidorus Lib. 19. Origin. cap. 22. quòd in Dalmatia primùm reperta sit. Alcuinus Lib. de divinis Officiis ait, *dalmaticam vestimentum esse in modum Crucis, habens in sinistra parte fimbrias, dextera iis carente, & cum largis manicis.* [P. 169. col. 1. Pagina 1091. B.] His consentit Gilbertus Lunicensis Episcopus, de usu Ecclesiastico, ubi ait Diaconos *stolam etiam super humerum sinistrum ferre, & indui dalmatica in solemnibus, id est tunica amplis manicis.* Dalmaticam in modum crucis factam docet antiqua Missa quam vulgavit Mathias Illiricus. Bruno Signiensis de vestimentis Episcoporum. [To. 2. p. 345.] "Dalmatica, *inquit*, magis ad ornatum, quàm ad significationem pertinere videtur, quæ & post aliis indumenta inventa esse probatur. Fimbriæ tamen, quæ in dalmatica à sinistro latere pendent, hujus vitæ impedimenta, superfluitates & sollicitudines significare possunt, quæ quoniam in altera vita non sunt, meritò neque fimbriæ in dextero latere ponuntur." Alteram mysticam significationem profert Robertus de Flamesbure Canonicus S. Victoris, in Pœnitentiali, "Dalmatica, *inquit*, qua utuntur Levitæ, latitudine sui idem significat quod casula, charitatem; per duas lineas coccineas, quibus ipsa ante & retro à summo usque ad deorsum decoratur, utriusque Testamentum, prædicatio Dei, & proximi dilectio figuratur. Duodecim fimbriæ linearum utrimque duodecim ramos charitatis exprimunt, quos Apostolus numerat, dicens: Charitas patiens est, benigna est, &c. Tertia linea, quæ est inter duas, & tribus fimbriis ante & retro insignitur, charitatem fide S. Trinitatis condecoratam demonstrat. Per fimbrias in sinistro latere, sollicitudo activæ vitæ circa plurima intelligitur. Per dextrum latus, quod caret fimbriis, contemplatio cœlestium sine molitudine perturbationum significatur." Qui mysticos illos sensus amant & sectantur, non habent hic, quod amplius desiderare possint. E contra D. de V- totus ab illis alienus, vult tunicam, dalmaticam, - asulam vestes vulgares fuisse ad usum commu- . Laicorum, quibus etiam & ipsi Ecclesiæ ministri usi sunt. Non diffitemur: verùm Ecclesia usu suo ac destinatione, è profanis sacras effecit, ac constanter retinuit, iis ipsis etiam temporibus, quibus apud Laicos in desuetudinem abierunt; & ita propriæ ac singulares ministris Ecclesiæ factæ sunt, ut ab aliis usurpari licitè non possint. Quapropter in Actis martyrii S. Cypriani legimus eum veste vulgari, qua indutus erat tortoribus relicta, dalmaticam diaconis dedisse, *Cum se dalmatica expoliasset, & diaconibus tradidisset, in linea stetit.*

Et S. Isidorus sexto sæculo dalmaticam velut sacram vestem memorat, [P. le Brun, To. 1. p. 57. In expositione Missæ. P. 163. col. 1.] *Quasi*, inquit, *non hodie Diaconi dalmaticis induantur, sicut Episcopi.* Remigius Altissiodorensis hanc exhibet ut vestem sacram & candidam: *Dalmatica*, inquit, *candiditatem habet, & coccineas virgulas.* Isidorus L. 19. c. 22. *Dalmatica*, inquit, *tunica sacerdotalis candida cum clavis ex purpura.* Denique in Ordinatione Diaconi Episcopus ait: *Induat te Dominus indumento salutis & vestimento lætitiæ.* Est igitur dalmatica specialis ac sacra vestis, quæ gaudium & lætitiam adumbrat.

Reges

Reges nostri christianissimi, qua die solemniter inaugurantur, dalmaticam gestant. Feciales, seu Caduceatores, cum pacem vel bellum publice denuntiant, quadam dalmaticæ specie induuntur.

Inter dalmaticam & tunicam hoc unum discrimen est, quod tunica generatim omne vestimentum significet, dalmatica speciale: tunica vestis est strictior cum manicis brevioribus ac strictioribus, quæ infra dalmaticam gestabatur; dalmatica vero cum superposita esset tunicæ, cum amplioribus ac brevioribus manicis ad commodius & facilius agendum.

Subdiaconi, dum ministrant, albam, manipulum & tunicam gestant: solo orario privantur, in notam discriminis & distinctionis eorum à Diaconis. Nonnullis in locis manipulum ipsis denegatum fuit, de quo conqueritur Lanfrancus in Epistola ad Joan. Archiepiscopum Rothomag. *Porro*, inquit, *quod in dandis*
P. 307. col. 2. C. D. *Ordinibus soli Subdiacono dari manipulum prohibuistis, ubi hoc acceperitis rogo me vestris Litteris instruatis, A quibusdam enim id fieri audio, sed utrum id fieri sacris auctoritatibus præcipiatur, meminisse non valeo.*

De Templis.

Templum locus est divino cultui specialiter consecratus, Quamquam enim in omni loco Deus in spiritu & veritate adorari possit & debeat, in solo nihilominus templo cum ceremoniarum pompa & apparatu sacrificium offerre, ac cultu publico Deum adorare licitum est. In uno dumtaxat Templo Jerosolymitano poterant Judæi Pascha celebrare, offerre sacrificium, & alia, quæ ad cultum publicum Religionis pertinebant, adimplere officia; sua quoque templa habent Christiani, quibus speciali modo assistit supremi numinis majestas. *Domus mea*, inquit Christus Matth. 21. *domus orationis vocabitur*. Et Joan. 2. *Auferte ista hinc, & nolite facere domum Patris mei, domum negotiationis*. Cum igitur in scripturis non alia Deo sedes adscribitur quam Cœlum, Matth. 5. *Cœlum Dei sedes est, terra autem scabellum pedum ejus*, Et Act. 17. *Nec in manufactis templis habitat, aut manibus humanis colitur*. Cum Isaiæ 66. Deus pariter ait, *Cœlum mihi sedes est, terra autem scabellum pedum meorum; & quam domum ædificabis mihi?* Cum, inquam, hæc dicit Scriptura, non omnia templa improbat in quibus vere adoretur Deus, sed ea dumtaxat, quibus putetur includi, qua ratione idola, id est, falsa Gentilium numina, vere templis continebantur, nec inde poterant exire, nisi qui ea parietibus affixerant, inde movere & alio asportare vellent.

Quatuor ob fines eriguntur templa, unde etiam varie appellantur. 1, ad sacrificandum Deo; & hinc dicuntur templa. 2, ad orandum; & hinc dicuntur oratoria. 3, ad reliquias Martyrum honorifice conservandas; & hinc dicuntur Basilicæ, seu Memoriæ, seu Martyria. 4. ad populum verbo Dei & Sacramentis pascendum; & hinc dicuntur Ecclesiæ.

Ex his finibus solum quartum agnoscunt Lutherani & Calvinistæ, & quidem cohærenter ad errorem quo circa sacrificium laborant. Ad quid enim templorum necessitas, ut sacrificium offeratur Deo, si nullum revera sit, ut illi putant, sacrificium Anabaptistæ autem & Valdenses, nequidem ad populum verbo Dei & Sacramentis pascendum templa erigenda esse fabulantur.

I. Igitur eriguntur apud Christianos templa ad sacrificium Deo offerendum, Non potest scilicet sacrificium offerri Deo, nisi in altari; altare autem in templo erigitur. Quid est enim templum, nisi locus altaris? Sicut ergo extitere semper in Ecclesia Christi & altaria, & sacrificium Missæ incruentum, ita & templa. Subsumptum illud quod est, de altaribus, mox probabitur.
To. 7. p. 217. S. Augustinus Lib. 8, de civitate Dei cap. ultimo. *Nec nos*, inquit, *Martyribus templa, sacerdotia, sacra & sacrificia constituimus; quoniam non ipsi, sed Deus eorum nobis est Deus*. Et postea .... *Non autem ista esse sacrificia Martyrum novit, qui novit unum quod Deo illic offertur sacrificium Christianorum.* Ibid. E.

II, Ecclesiæ Christianorum recte ad orandum etiam privata oratione instituuntur. Lib. 3. Regum cap. 8. & 2. Paralipom, cap. 6. Salomon affirmat Templum factum esse, ut sit locus orationis; & petit à Deo, ut quicunque ibi oraverit, exaudiatur. 3. Regum cap. 9. Deus apparens Salomoni pollicetur ita futurum, ut ille petierat. At si esset superstitio, ut putant Anabaptistæ & Valdenses, orare in templo potius quam alibi, neque Salomon ad hunc finem, templum instituisset, neque Deus approbasset factum ejus, Præterea Isaiæ 56. Deus ait: *Domus mea domus orationis vocabitur*. Confirmant exempla Scripturæ. L. 1. Reg. cap. 1. Anna precatura Dominum ad Tabernaculum accedit ubi erat Arca; ibique orans exaudita est. L. 2. Reg. c. 7. David similiter precaturus perrexit ad Tabernaculum, & coram Arca Domini orare cœpit. At certe nisi putasset ibi Dominum magis esse præsentem, & orationem facilius exaudiri, domi suæ orans remansisset, Lucæ 2. Anna filia Phanuelis, *non discedebat à Templo, jejuniis & obsecrationibus serviens die ac nocte*, Lucæ 18. Publicanus in Templo orans justificatur. Act. 3. Petrus & Joannes ascendebant in templum ad horam orationis nonam, Act. 8. Eunuchus Reginæ Æthiopiæ venerat adorare in Jerusalem.

Nec obstat quod ait Christus Matth. 6. v. 6, *Cum oraveris intra in cubiculum tuum, & clauso ostio ora patrem tuum ibi in abscondito*. Et Joan. 4. v. 21. *Venit hora quando neque in monte hoc neque in Jerosolymis adorabitis Patrem*,. Namque in primo loco non prohibet Christus alio in loco privatim orare, quam in secreto cubiculo: Apostolus enim ait, *Volo ergo viros orare in omni loco, levantes puras manus sine ira, & disceptatione*; sed excludit dumtaxat ac damnat vanam gloriam, tumorem ac fastum Pharisæorum, qui in angulis platearum orabant, ut viderentur ab hominibus, Quando igitur sic oramus Deum, ut non quæramus humanas laudes, semper in cubiculo oramus; quicunque locus sit in quo oramus, sive in Ecclesia, sive in montibus, sive etiam in foro; quando vero intramus cubiculum ad orandum, & cupimus videri, tunc sane extra cubiculum orare dicimur, sicut apposite observat in hunc locum S. Chrysostomus, In secundo vero loco Christus non loquitur de adoratione ratione loci, sed ratione modi? id est tempore novæ Legis Deum non amplius adorandum esse in monte Garizym, hoc est ritu samaritano, erroribus pleno; nec adorandum in Jerusalem, hoc est ritu judaico, mere carnali, externo & materiali, sed adorandum *in spiritu & veritate*. in spiritu, excluso ritu mere externo judaico; in veritate, excluso errore samaritano. Quod autem in nova Lege non prohibuerit Christus orare in Jerusalem, constat exemplo Petri & Joannis, qui etiam post acceptum Spiritum S. ascendebant in Templum ut orarent,

III, recte sacræ domus eriguntur in memoriam Sanctorum, eorumque reliquias honorifice conservandas. Fuit hic semper Ecclesiæ usus, Concilium Gangrense in Epistola ad Episcopos Armeniæ, damnat Eustathium tanquam contemptorem Basilicarum SS. Martyrum; Concilium Cabillonense circiter ann. 650. Can. ultimo nominat Martyrum Basilicas: Concilium Carthaginense V. can. 14. vetat, ne ædes ulli Martyri ædificentur, nisi ibi sit aut corpus, aut aliquæ ejus reliquiæ, aut ibi Martyr habitaverit, aut certe in eo loco passus sit; aliquid enim horum requiritur, ut Memoria Martyris locus aliquis dici possit. S. Joannes Chrysost. Hom. 28. ad populum, *Ad veras*, inquit, *regias Ecclesias dico, & oratorias ædes, & Martyrum templa*, Ex S. Aug. L. 20. contra Faustum c, 21. *Populus Christianus*, inquit, *memorias Martyrum religiosa solemnitate concelebrat*.

To. 2. p. Conc. p. 415. A. Tom. 6. Conc. p. 391. Tom. 2. Con. p. 1218. To. 8. p. 347. B.

IV.

IV. rectè certa instituuntur loca, in quibus verbum Dei & Sacramenta populo ministrantur. Patet 1. ex Scripturis, exemplo Christi & Apostolorum, qui etsi interdum data occasione variis in locis verbum Dei disseminarent, ordinariè tamen in Templo, vel Synagogis, quæ erant hujus temporis Ecclesiæ, docebant, Matth. 26 Christus ait: *Quotidie apud vos sedebam docens in Templo, & non me tenuistis.* Et Joan. 18. *Ego palam locutus sum mundo; ego semper docui in Synagoga, & in Templo, quo omnes Judæi conveniunt, & in occulto locutus sum nihil.* Item Act. 5. Angelus educens Apostolos de carcere dicit illis: *Ite, & stantes in Templo loquimini plebi omnia verba vitæ hujus. Qui cùm audissent, intraverunt diluculo in Templum, & docebant.* Patet 2. exemplo primorum Christianorum. Nam quòd illi primi Christiani Ecclesias habuerint à privatis domibus distinctas, constat manifestè ex Epistola 1. ad Corinth. cap. 11. *Convenientibus vobis in Ecclesiam, audio scissuras esse inter vos.* Quòd autem ista Ecclesia non esset privata domus, quæ sequuntur demonstrant. *Nunquid,* pergit Apostolus, *domos non habetis ad manducandum & bibendum, aut Ecclesiam Dei contemnitis?* Et rursus: *Si quis esurit, domi manducet, ut non in judicium conveniatis.*

Ex his facile est inferre, magnam templis deberi reverentiam, ac graviter peccare eos qui vel immodesto habitu, vel loquacitate, vel obscenis colloquiis, vel mentis diuturna & libera evagatione illam violant. Crescit etenim peccati gravitas ex loci sacri, ubi peccatur, circumstantia. Templum Dei domus est, domus orationis, in qua speciali quadam ratione divina majestas residet ad beneficia ritè orantibus liberaliter largienda: caveat igitur vir Christianus, ne sua irreverentia illa à se evertat.

De altaribus.

Altare ad sacrificium ordinari ac referri, res est apud omnes explorata: quapropter Novatores, qui sacrificium rejiciunt, altaria quoque respuunt, & locum in quo suam cœnam eucharisticam celebrant, mensam appellant, non altare. Atqui tamen Apostolus Hebr. 13. *Habemus,* ait, *altare de quo edere non habent potestatem, qui Tabernaculo deserviunt.* Et 1. Cor. 10. *Non potestis mensæ Domini, & mensæ dæmoniorum participes esse,* ubi Apostolus opponit mensam Eucharistiæ mensis idolothyrorum; mensæ autem idolothytorum vera erant altaria. Nullus ferè est Veterum qui altaris, quod est in Ecclesia, non meminerit. Canon 3. eorum qui Apostolici dicuntur, Irenæus L. 4. c. 34. Athanasius in vita S. Antonii, & in Apologia pro fuga

P. 136. sua, Tertullianus Libro de Oratione, *Solemnior,* inquit, *erit statio tua, si ad aram Dei steteris.* Cyprianus Epistola 66. jubet, ut non offeratur sacrificium pro quodam Christiano defuncto, qui reliquerat Presbyterum rerum temporalium procuratorem; & causam reddit,

P. 109. *quia non meretur apud altare Dei nominari in Sacerdotum prece, qui ab altari Sacerdotes & ministros voluit avocare.* Denique, ut infinitos alios sileamus, Optatus Milevitanus Lib. 6. contra Parmenianum,

P. 91. *Quid est,* inquit, *tam sacrilegum, quàm altaria Dei, in quibus aliquando & vos obtulistis, frangere?* Nonnullas superiùs de altaribus quæstiones proposuimus & solvimus.

Novatores nos arguunt quòd tanto ceremoniarum apparatu apud nos templa dedicantur, & consecrantur altaria. Verùm an ignorant, quàm magnifica pompa Tabernaculum & altare dedicatum fuerit in veteri Lege, Numerorum 7. Nonne legimus ter, Deo non improbante, factam Templi dedicationem cum ingenti lætitia & celebritate, primò à Salomone, Libro 2. Paralipomenon cap. 7. secundò, ab Esdra, Lib. 1. Esdræ cap. 6. tertiò, à Machabæis, cùm post profanationem iterum esset renovatum & sanctificatum, Lib. 1. Machab. cap. 4. ad quam solemnitatem, quæ annis singulis recurrebat, Christum ipsum accessisse scribit S. Joan. cap. 10. An ignorant Hæretici, veteres Patriarchas altaria, quæ erexerant, consecrasse olei effusione? Jacob Gen. 28. erexit lapidem, in quo sacrificium obtulit, eumque consecravit fundens oleum desuper, & inde eum locum appellavit Bethel, id est, domum Dei. Et cap. 35. monitus à Deo ut altare faceret, rursum ibidem erexit lapidem, eumque inungendo consecravit, & libavit super eum libamina. Subsequentibus verò temporibus nonne Moyses oleo sacro, aliisque ceremoniis consecravit Tabernaculum, altare & omnia ejus vasa?

D. de Vert inunctum à Jacobo lapidem ait, non quidem ad consecrationem, sed in signum seu titulum & monumentum visionis, qua donatus ibi fuerat; nempe ut cùm in eundem locum rediret, lapidem illum hac olei delibutione recognosceret. (To. 2. p. 64.) Verùm ridiculè omnino: quasi post viginti annos unctio illa sensibilis adhuc esse potuerit, et dore solis non exsiccari, aut aeris injuria prorsus non deleri. Alia longè mens erat Augustini, qui L. 16. de civitate Dei cap. 38. ait; *Hoc quod Jacob fecit, ad prophetiam pertinet.* Alia Theodoreti, *Jacob,* inquit, *cùm erexisset titulum, perfudit eum oleo quod etiam nunc fieri solet à permultis mulierculis.... nam consueverunt in templis oleo ungere adytorum cancellos ad demonstrandam pietatem.* (To. 7. p. 449. G. To. 1. p. 62. C.)

Denique mysticas illas templorum & altarium consecrationes usus & disciplina Ecclesiæ semper probavit ac retinuit. Concilium Carthaginense V. Can. 6 sic habet, *Similiter & de Ecclesiis, quoties super earum consecratione hæsitatur, agendum est, ut sine ulla trepidatione consecrentur.* Item Agathense cap. 14. *Placuit,* inquit, *altaria non solum unctione chrismatis, sed etiam sacerdotali benedictione sacrari.* (Tom. 2. Conc. p. 1216. Tom. 4. Conc. p. 1385.) Idem patet ex Concilio II. Bracarensi Can. 6. ex Eusebio Lib. 4. de vita Constantini, Athanasio in Apologia ad Constantium, Basilio in Psal. 114. Gregorio Nysseno L. de Baptismo, Ambrosio L. 1. Epistola 5. ad Felicem, Gaudentio in Tract. de dedicatione, Augustino Serm. 252. de tempore, Gelasio I. Epistola 1. Felice IV. in Epistola decretali de Ecclesiarum & altarium consecratione, qui Pontifex atavus S. Gregorii fuit, & non modo Ecclesias & altaria consecrari debere confirmat, sed etiam, quod est hujus loci proprium, testatur antiquis Canonibus prohibitum, ne sacra Missarum solemnia alibi quàm in locis Deo sacratis, magna necessitate excepta, ullus celebrare præsumat.

De vasis sacris.

Necessaria esse & antiqua vasa sacra ad licitam Eucharistiæ celebrationem, omnes Catholici consentiunt. Prudentius in Hymno de sancto Laurentio meminit aureorum vasorum, quæ in usu erant sancti Laurentii ætate, id est circa annum Domini 260. Tempore Sylvestri S. P. circa annum 300. plurimos fuisse aureos & argenteos calices, paterias, candelabra, thuribula, testatur Damasus S. P. (To. 1. p. 134.) ac pro certo habendum, Constantinum Imperatorem, qui destructis ac solo æquatis idolorum templis tanta pompa & magnificentia plurimas erexit Ecclesias, eas omnibus ad officium divinum vasis & ornamentis exornasse. Sanctus Athanasius in Apolog. 2. contra Arianos multa scribit de (To. 1. p. 439.) mystico poculo, quod ab eo confractum apud Ischyram tempore sacrificii calumniabantur, cujus accusationis falsitatem ex eo demonstrat, quòd Ischyras ille, cùm Presbyter non esset, non potuit apud se calicem sacrum retinere: ex quo loco constat calices Eucharistiæ sacros fuisse, & nonnisi ab initiatis tangi, nec sine sacrilegio pollui posse. Sanctus Gregorius Nazianzenus in Oratione de se ipso contra Arianos, scribit,

ab

ab illis direpta sacra vasa Laicis ad tangendum prohibita; ideoque illos comparat Naburzardano, & Balthasari, quorum alter sacra vasa Templi Hierosolymitani abstulit, alter profanavit.

Quæres 1, an necesse sit calicem & patenam ab Episcopo consecrari.

Resp. affirmative, sic enim præscribunt Canones, sic fert Ecclesiæ disciplina. Cum tamen illa consecratio juris sit Ecclesiastici, potest summus Pontifex dispensare eum simplici Presbytero ut illa vasa sacra consecret. Ferunt Abbates eo privilegio frui; at pro suis Ecclesiis, non pro alienis, nisi specialiter istud concessum ipsis fuerit. Quomodo calix perdat suam consecrationem, antea exposuimus.

Quæres 2, si forte Sacerdos celebrasset, calice aut altari non consecrato, an censetur per contactum corporis & sanguinis Christi sufficiens consecratio?

Resp. discordes hic esse Theologos. Alii affirmant, propter sanctitatem corporis & sanguinis Christi; quorum contactus vasa illa sacra consecrari ab Episcopis per chrismatis unctionem, & quorumdam verborum formam, non autem per solum corporis & sanguinis
T. 2. casu 79. Christi contactum; alii cum Sanbovio distinguunt inter altare & calicem, contenduntque altare non manere consecratum ex sacrificio super illud oblato, quia opposita opinio nullo jure, nullave auctoritate fulcitur; calicem vero consecrari ex solo contactu sanguinis Christi, quod quidem confirmant auctoritate S. Augustini
T. 4. p. 1262. n. 6. in Psalm. 115. ubi sic loquitur, *Pleraque instrumenta & vasa ex hujusmodi materia vel metallo habemus in usum celebrandorum Sacramentorum, quæ ipso ministerio consecrata, sancta dicantur.*

Quæres 3. ex qua materia calix debeat esse conflatus.

Resp. quæstionem solvi Jure Canonico, cap. *Vasa.*
Decret. Grat. p. 1489. *De consecratione.* dist. 1. cujus hæc verba sunt. "Quondam Sacerdotes aurei ligneis calicibus utebantur; nunc „è contrario lignei Sacerdotes aureis utuntur calicibus „.... Ne decus matris Ecclesiæ imminuatur, sed magis „cumuletur & amplificetur, statuimus ut deinceps nullus Sacerdotum sacrum mysterium corporis & sanguinis Domini nostri Jesu Christi in ligneis vasculis ullo modo conficere præsumat. *Et cap.* Ut calix. De
Ibid. „consecratione. *dist.* 1. Ut calix Domini cum patena, „si non ex auro, omnino ex argento fiat. Si quis autem „tam pauper est, saltem vel stanneum calicem habeat. „De ære, aut aurichalco non fiat calix, quia ob vim virtutem æruginem parit, quæ vomitum provocat. Nullus autem in ligneo aut vitreo calice præsumat Missam „cantare." Posset tamen fieri pes calicis ex cupro sive ære; sed cuppa debet esse argentea intus inaurata, simul cum patena.

De sacris linteaminibus.

Sacra linteamina vocamus, corporale, pallam & purificatorium, quæ speciali quodam modo sacra sunt. Necessa autem est in sacrificio Missæ adhibere corporale & pallam, quæ linea sint, & ab Episcopo, vel alio
Ibid. p. 2491. facultatem habente benedicta. Can. *Consulto. De consecrat.* dist. 1. Ex Rubrica, corporale ex lino tantum esse debet, nec serico nec auro in medio intextum, sed totum album ac præsertim mundum & nitidum. *Præcipimus*, ait Innoc. 3. de custodia Eucharistiæ, *ut oratoria, vasa, corporalia, & vestimenta munda & nitida conserventur, nimis enim absurdum est in sacris sordes quærere, quæ dedecorent etiam in profanis.*

Palla calici superimponitur, ne quid forte sordium in eum decidat. Olim unita fuit, seu pars fuit corporalis quod supra calicem applicabatur; nunc vero ad majorem commoditatem à corporali sejungitur. Debet esse linea, sicut ipsum corporale, & ab Episcopo benedicta cum ipso corporali, ut notat Rubrica; ratio est, quia palla est veluti pars corporalis. Nihil tamen vetat inter duplex linum inseri chartam vel etiam pannum pretiosum, ut sic palla commodior fiat & firmior.

Necesse quoque est adhibeatur purificatorium, quo extergatur interior cuppa calicis: debet autem illud ex lino, vel ex tenui canabe confici, & ab Episcopo, vel alio facultatem habente benedici.

Præter hæc tria, requiruntur mappæ, seu tobaleæ, quæ altare cooperiant, Can *Altaris palla. De Consecratione.* dist. 1. Et Can. *Si per negligentiam. De* Decret. Grat. p. 2487.
Consecratione. dist. 2. Item sic Rubrica loquitur: Ibid. p. 2519.
Altare operiatur tribus mappis, seu tobaleis mundis, ab Episcopo vel alio facultatem habente benedictis, superiori saltem oblonga, quæ usque ad terram pertingat, duabus aliis brevioribus, vel una duplicata.

Necesse est præterea ut altare pallio sit ornatum; neque enim sine quadam irreverentia Sacrum celebraretur in altari denudato, nisi pars anterior, marmore, pictura, vel alio simili modo ornata foret. Crux etiam in medio altaris collocanda est, non nuda, sed quæ gerat imaginem crucifixi, quæ non solum picta sit, sed sculpta, & à quolibet alio corpore sejuncta. Necessarium quoque lumen est dum perficitur sacrificium, & quidem duplex ad majorem decentiam ex cereis candelis constans, non ex oleo, vel sebo. In necessitate tamen unus cereus sufficeret. Requiritur præterea Missale cum pulvinari; nullus, quantumcumque memoriæ suæ confidat, debet Missam celebrare sine Libro seu Missali. Requiritur præterea velum & bursa, pro quibus nulla extat benedictio; unde sequitur ea necessariò benedicenda non esse. Imò de velo nihil in jure præcipitur, nec apud antiquos Scriptores; ob istam fortè causam, quòd calix corporali tegeretur.

De cereis.

Cùm de ceremoniis Ecclesiæ generatim egimus in Tractatu de Sacramentis universim sumptis, inter alia probatum à nobis fuit, illas in sua prima origine ac institutione symbolicum aliquid ac mysticum designasse, quamquam non eos improbemus, qui physicam, litteralem ac historicam illarum originem ducunt à necessitate, vel utilitate, vel locorum ac regionum in quibus Sacra perficiebantur, vario usu. His profectò non repugnamus, modò vicissim symbolicam & mysticam ceremoniarum nostrarum significationem agnoscant & fateantur.

Quantùm verò ad usum cereorum hìc attinet, D. de Vert non aliam eorum originem, nec alium finem agnoscit, quàm ut depulsis tenebris oculos juvent ad videndum: cùm enim primi Christiani metu persecutionum in locis subterraneis & obscuris latitantes Sacra facere cogerentur, necesse prorsus ipsis fuit, ut cereis ac luminaribus ad fugandas tenebras uterentur. Quòd si dixeris Ecclesiam subinde cereorum usum lucente etiam Sole retinuisse; reponet, usum illum, cui necessitas primam originem dedit, consuetudine quadam sensim invaluisse & obtinuisse, sicut fieri solet in rebus hujuscemodi: mysticas autem ac spirituales significationes nonnisi nono Ecclesiæ sæculo, cereis ac luminaribus assignatas fuisse. Quantùm ille à vero aberret, faci- T. m. 2. p. 399.
lè demonstratur ex veteribus monumentis, quibus accuratè expensis Concilium Trid. Sess. 22. cap 5. declarat Ecclesiam *ceremonias instituisse, ut mysticas* Tom. 14.
benedictiones, lumina, thymiamata, vestes, aliaque id Conc. p.
genus multa, ex Apostolica disciplina & traditione, 854.
quo & majestas tanti sacrificii commendaretur, & mentes fidelium per hæc visibilia religionis & pietatis signa ad rerum altissimarum, quæ in hoc sacrificio latent, contemplationem excitarentur. Ex Apostolica igitur disciplina & Traditione originem trahit cereorum usus in

sacris

ſacris celebrandis myſteriis: haud dubie non ad uſum mere prophanum & communem, de quo Eccleſia non curat, ſed divinum & ſacrum; *non ad fugandas tenebras*, inquit S. Iſidorus Lib. 7. Origin cap. 12. *ſed ad ſignum lætitiæ*; ut nempe ſub typo luminis corporalis, illa lux oſtendatur de qua in Evangelio dicitur, *Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem*. Non ergo nono duntaxat Eccleſiæ ſæculo invectus fuit cereorum uſus ad myſticam & ſymbolicam ſignificationem, ut placet D. de Vert. Et vero Concilium Eliberitanum anno Chriſti 305. can. 34. prohibet ne cerei in cæmeteriis accendantur; *Cereos per diem placuit in cæmeterio non incendi: inquietandi enim ſpiritus Sanctorum non ſunt*. Cerei illi per diem proculdubio non accendebantur ad tenebras fugandas; ergo religionis cauſa in honorem SS. Martyrum, quorum reliquiæ in cæmeteriis conquieſcunt, Fideles per diem cereos accendebant, quod propter abuſus Concilium prohibet, non generatim, non ubique, ſed in cæmeteriis per diem; ergo in aliis locis ſacris in uſu erant, nec prohibebantur. Ratio prohibitionis qua utitur Concilium, *ut non inquietentur ſpiritus Sanctorum*, interpretes plurimum fatigavit, ut exponeretur. Alii Sanctorum nomine ipſas Martyrum animas, quæ ſub altari ſtant, intelligunt; quoniam vero cereis ardentibus, ignis fumigationibus ſpiritus divexari exiſtimabant, idcirco cereos in cæmeteriis accendi prohibet concilium, ne Martyrum ſpiritus inquietentur. Verum explicatio hæc errorem ſapit. Alii, Fideles intelligunt, quorum ſpiritus, dum orationis causa ad Eccleſiam adveniunt, inquietantur frequentia & cura immodica cereorum ardentium.

P. 560, E. F. — Tom 1. Conc. p. 974.

Ibid. Canone 37. ejuſdem Concilii prohibetur ne ii, *qui ſpiritibus immundis vexantur, lucernas publice accendant*. Quare? quia ſolis Eccleſiæ miniſtris ad honorem id permittebatur. Unde concilium carthaginenſe IV, an. 398. decernit Acolytum *ab Archidiacono accipere debere ceroferarium cum cereo, ut ſciat ſe ad accendenda Eccleſiæ luminaria mancipari*. Ita pariter S. Iſidorus loco mox citato *Acolythi Græce*, inquit, *Latine Ceroferarii dicuntur, à deportandis cereis, quando Evangelium legendum eſt, aut ſacrificium offerendum. Tunc enim accenduntur luminaria ab eis & deportantur, non ad fugendas tenebras, ſed ad ſignum lætitiæ &c.*

Tom. 2. Conc. p. 1200. P. 1210. A.

Ignorat nemo, antiquitus inter manus recenter baptiſatorum cereum ardentem ſolitum reponi, tanquam ſignum ac ſymbolum fidei quam ſumma cura illæſam & integram ſervare tenentur. Vide S. Cyrill. Jeroſolymit. catecheſi 1. circa annum 350.

Nemo pariter ignorat uſum qui à ſæculis duodecim invaluit, benedicendi ritu quodam ſingulari & accendendi cereum paſchalem, non ut per noctem Eccleſiam illuminaret, quæ tanta cereorum ac lampadum multitudine tunc illuſtrabatur, ut nox diei claritatem imitaretur ac fere adæquaret; ſed in ſymbolicam ſignificationem ſacræ Chriſti Reſurrectionis. *Lucerna & cereus*, ait Conc. Toletanum IV. can. 9. *in privilegiis Paſchæ apud quaſdam Eccleſias non benedicuntur, & cur à nobis benedicantur inquirunt. Propter glorioſum enim noctis iſtius ſacramentum ſolemniter hæc benedicimus, ut ſacræ reſurrectionis Chriſti myſterium, quod tempore hujus votivæ noctis advenit, in benedictione ſanctificati luminis ſuſcipiamus*.

Tom. 5. Conc. p. 1708.

Verum inter cæteros audiendus eſt S. Hieronymus ſcribens adverſus vigilantium, qui cultum Martyrum eorumque Reliquias inverecunde proſcindebat. *Cereos*, inquit, *non clara luce accendimus, ſicut fruſtra calumniaris; ſed ut noctis tenebras hoc ſolatio temperemus, & vigilemus ad lumen, ne cæci tecum dormiamus in tenebris*. His verbis innuit S. Doctor, nondum ubique tempore ſacrificii quod orto Sole celebrabatur, accenſos cereos fuiſſe. “ Quod ſi aliqui, *pergit S. Doctor*, per imperitiam & ſimplicitatem ſæcularium hominum, vel certe religioſarum feminarum ..... hoc pro honore Martyrum faciunt, quid inde perdis? „Cauſabantur quondam & Apoſtoli, quod periret unguentum; ſed Domini voce correpti ſunt. Neque enim Chriſtus indigebat unguento, nec Martyres lumine cereorum; & tamen illa mulier in honore Chriſti hoc fecit, devotioque ejus mentis recipitur. Et quicumque accendunt cereos ſecundum fidem ſuam habent mercedem, dicente Apoſtolo; “ Unuſquiſque in ſenſu ſuo abundet. Non improbat S. Doctor pias illas mulieres, quæ in honore Martyrum cereos accendebant. Tum objectionem Vigilantii diſſolvit. ” Idololatras, *inquit alloquens Vigilantium*, appellas hujuſmodi homines? Non diffiteor, omnes nos qui in Chriſto credimus, de idololatriæ errore veniſſe. Non enim naſcimur, ſed renaſcimur Chriſtiani. Et quia quondam colebamus idola, nunc Deum colere non debemus, ne ſimili eum videamur cum idolis honore venerari? Illud fiebat idolis, & idcirco deteſtandum eſt: hoc fit Martyribus, & idcirco recipiendum eſt. Nam & abſque Martyrum reliquiis per totas Orientis Eccleſias, quando legendum eſt Evangelium, accenduntur luminaria, jam ſole rutilante; non utique ad fugandas tenebras, ſed ad ſignum lætitiæ demonſtrandum. ”Unde & virgines illæ Evangelicæ ſemper habent accenſas lampades ſuas. „ *Et ad Apoſtolos dicitur*: Sint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus veſtris. *Et de Joanne Baptiſta*, Ille erat lucerna ardens & lucens, *ut ſub typo luminis corporalis illa lux oſtendatur de qua in Pſalterio legimus*, Lucerna pedibus meis verbum tuum, Domine, & lumen ſemitis meis. Hæc S. Hieronymus.

T. 4. p. 2. p. 284. — Ro. 14. 5. — Mat. 25. Luc. 12. 25. — Joan. 5. 35. — Pſ. 118. 105.

Multi è Veteribus cereorum uſum in ſacris officiis commemorant, Prudentius Hymno 2. in honorem paſſionis S. Laurentii; Paulinus Poemate 14. aliàs 18. S. Greg. Turonenſis Lib. 16. De gloria confeſſorum cap. 21. 69. 71. 79. In exequiis defunctorum ſolitos Chriſtianos cereos accendere, teſtantur S. Gregorius Nazianzenus Orat. 4. adverſus Julianum; S. Hieronymus Epiſtola 86. aliàs 27. ad Euſtochium; S. Gregorius Nyſſenus in vita S. Macrinæ. Toto igitur cœlo aberrat D. de Vert exiſtimans ad ſolam viſus neceſſitatem & fugam tenebrarum inſtitutus fuiſſe: ſi ita foret, fruſtra & in vanum per diem Sole rutilante accenderentur; fruſtra obſervaſſent Eccleſiæ Scriptores, ſub ſymbolo luminis corporalis, Chriſtum, qui eſt lux vera illuminans omnem hominem, deſignari; fruſtra Gentiles ipſi coram ſuis idolis lucernas accendiſſent. Ad quid enim? Ut videant? quid abſonum magis? Ergo ad cultum, quamquam non minùs abſurdum. Id Gentilibus ipſis ridendo exprobrabat Baruch. cap. 6. v. 18. *Lucernas*, inquiebat, *accendunt illis, & quidem multas, ex quibus nullam videre poſſunt*. Fruſtra denique Judæi coram Libro Legis tota etiam nocte perpetuo ardentem lucernam collocant; non quidem ad videndum, cùm nullus adſit præſens, cui ad hunc finem poſſit inſervire; ergo ad cultum & ceremoniam religionis.

Denique Ordo Romanus, Amalarius, Alcuinus, illorum cereorum in celebrando ſacrificio uſum ac neceſſitatem exponunt. Quapropter Micrologus ait: *Juxta Ordinem Romanum nunquam Miſſam abſque lumine celebramus; non utique ad depellendas tenebras, cùm ſit clara dies; ſed potius in typum illius luminis, cujus Sacramentum ibi conficimus, ſine quo & in meridie palpabimus & in nocte*.

Biblioth. PP T. 18. pag. 475. A.

De thure ſeu incenſo.

Quod de cereis, idem & de thure ſeu incenſo docet D. de Vert: non alium ſcilicet illius finem ac uſum primitùs fuiſſe, quàm ut purgaret tetrum ac fœtidum odorem, qui ex locis ſubterraneis, in quibus primi Chriſtiani metu perſecutionum Sacra faciebant, exhalabat.

Quòd

Quòd si opponas, Ecclesiam illum thuris & incensi usum etiam retinuisse, cùm ipsi libero cœlo frui datum est, ac in iis locis offerre sacrificium, in quibus à fœtido exhalitu nihil erat timendum; respondebit hanc causam esse, tum quòd Ecclesia suorum rituum in Officiis publicis retinentissima sit, ac cujuscumque innovationis inimica; tum quòd populi regionum in quibus publica Officia ecclesiastica celebrata primùm fuere, aromatibus & incenso plurimum delectarentur. An verò ignoravit auctor ille, thus & incensum in officium religionis ac cultus à Paganis ipsis usurpatum fuisse? An ignoravit Deum ipsum, Exodi 30. thuris compositionem præscripsisse, facta expressa prohibitione, ne in alium quàm Tabernaculi cultum usurparetur? *Talem compositionem*, ait Deus v. 37. *non facietis in usus vestros, quia sanctum est Domino. Homo quicumque fecerit simile, ut odore illius perfruatur, peribit de populis suis.* An denique ignoravit Canonem tertium eorum, qui Apostolici dicuntur, quo dicitur, *Ne liceat aliquid aliud ad altara offerre, quàm oleum ad luminare, & incensum tempore sanctæ oblationis.*

Tom. 1. Conc. p. 26.

Thurificationis usum in Ecclesia perantiquum esse probat Menardus, ad Lib. Sacrament. S. Gregorii pag. 195. Suam habet symbolicam & mysticam significationem. Deo thus adoletur, in signum supremi ejus in res omnes dominii, cui latriæ cultus debetur: thure fumant & odoribus altaria in honorem sacrificii, quod ibi offertur: thuris honores exhibentur Crucis & Sanctorum imaginibus, qui honos præcipuè ad archetypa tendit ac refertur; exhibetur quoque sacro Evangeliorum Libro, in signum venerationis qua verbum Dei prosequimur, & boni odoris, quem diffundere ubique tenentur Christiani omnes pietate sua ac bonorum operum exemplo; oblationes quoque suffitu perfunduntur, ut consecrentur, ac Deo gratæ fiant & acceptæ: ipsis denique Fidelibus, dum Sacris intersunt, offertur incensum, ut moneantur orationes suas ad Deum dirigere, & bonorum operum odorem, quasi thus acceptissimum, circumquaque spargere ac diffundere, juxta istud Psalmi 140. v. 2. *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo.*

Tom. 1. Præface p. 17. & T. 2. p. 513.

Abutitur manifeste D. de Vert auctoritate S. Thomæ 3. qu. 83. art. 5. ad 2. ubi thus adoleri ait, ut *si quid pravi odoris fuerit, depellatur.* Ita re vera, sed ad reverentiam quæ Eucharistiæ debetur, adeoque ad cultum religiosum istud refert Doctor Angelicus. Audiantur ejus verba, non truncata cum D. de Vert, sed integra. *Dicendum, quod etiam thurificatione non utimur, quasi ceremoniali præcepto legis, sed sicut Ecclesiæ statuto. Pertinet autem ad duo. Primò quidem ad reverentiam hujus Sacramenti, ut scilicet per bonum odorem depellatur, si quid pravi odoris in loco fuerit quod posset provocare horrorem. Secundò pertinet ad repræsentandum effectum gratiæ, qua sicut bono odore Christus plenus fuit &c...... Et ideo undique thurificato altari per quod Christus designatur, thurificantur omnes per ordinem.*

De ceremoniis, quæ Missam comitantur & in actione consistunt.

Generalem ceremoniarum Missæ divisionem jam initio hujus Articuli exposuimus.

Bellarminus L. 2. de Missa c. 15. eas ad quinque capita revocat. Ad eas quæ referuntur 1. ad Deum. 2. ad sacrificium. 3. ad Sacerdotem celebrantem. 4. ad populum. 5. ad ea quæ leguntur in Missa. Præter istas aliæ multis rebus communes sunt, ut signum crucis, thurificatio, osculum.

Ceremoniæ quæ ad Deum referuntur, tres sunt. Prima, elevatio manuum, cujus exemplum in divinis Litteris habemus. Exodi 17. Moyses elevatis manibus orans impetravit. Item L. 3. Reg. c. 8. Salomon oraturus expandit manus in Cœlum. David Psal. 141. ait, *Elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum.* Apostolus denique 1. ad Timoth. 2. *Volo*, ait, *viros orare in omni loco, levantes puras manus.*

Secunda, elevatio oculorum, quæ Christo familiaris fuit, Matt. 14. Marc. 6. & 7. Lucæ 9. Joan. 6. 11. & 17. Tertullianus Apologet. cap. 30. observat Christianos cœlum intuentes, manibus extensis, nudo capite orare solitos. *P. 17. B.*

Tertia est inclinatio corporis, aut genuum incurvatio, quæ index est humilitatis. L. 2. Paralip. c. 6. Salomon flexu genibus orat; Lucæ 22. Christus ipse positis genibus orabat; Sanctus Paulus Act. 21. etiam positis genibus oravit cum iis omnibus, qui secum erant.

Ceremoniæ verò erga sacrificium, sunt 1. elevatio hostiæ consecrandæ coram Domino, quæ fit in Offertorio; qua ratione Levitici 8. 9. & 10. Sacerdos elevat coram Deo id quod offertur. 2. est ostensio Sacramenti ad populum, quæ antiquissima est. 3. est fractio & commixtio; est pariter mixtio aquæ cum vino, de quo antea egimus.

Ceremoniæ, quas Sacerdos celebrans circa seipsum adhibet, sunt, 1. tunsio pectoris qua utitur in confessione, quæ fit ad initium Missæ; ad illa verba, *Nobis quoque peccatoribus*; ad illam precem, *Agnus Dei, qui tollis peccata mundi &c.* & ad ista verba, *Domine non sum dignus.* Hæc autem ceremonia, inquit Bellarminus, pœnitentiam indicat, & naturalis est, atque in Evangelio exemplum habet in Publicano, qui Lucæ 18. orans percutiebat pectus suum dicens; *Deus propitius esto mihi peccatori.* Et Lucæ 22. *Revertebantur percutientes pectora sua.* 2. lotio manuum, paulo ante consecrationem, *Vidistis*, ait S. Cyrillus Catech. 5. mystag. *Diaconum aquam lavandis manibus porrigentem Sacerdoti.* Cujus quidem ceremoniæ causam & rationem reddit, atque lotionem hanc non adhiberi ad sordes corporis abluendas, cùm nemo in Ecclesiam sordidis manibus accedere audeat; sed ob symbolum puritatis animi, qua pollere debent, qui tantum peragunt sacrificium. *P. 139. C.*

Ceremoniæ erga populum duæ sunt; prima, salutatio, per hæc verba, *Dominus vobiscum*, vel, *Pax vobis.* Secunda, est dimissio populi quæ his verbis fit, *Ite Missa est.*

Denique ceremoniæ quæ spectant ea, quæ in Missa leguntur, sunt cantus, organa, musica instrumenta &c. in quibus necesse non videtur, ut hic immoremur.

Sunt & aliæ communes ceremoniæ v. g. aquæ benedictæ aspersio, thurificatio, osculum, signum crucis. Rubricæ lex est, ut diebus Dominicis ante initium solemnis Missæ Sacerdos aquam benedicat, ac deinde se ipsum, tum ministros, altare, ac populum aspergat; quæ aspersio, ait hic Bellarminus, quædam est expiatio & præparatio ad sacrificium, quæ significatur puritas ac munditia tum animi tum corporis in iis necessaria qui sacrificio interesse volunt. Inde singulari ritu aqua immixta sale, & factis exorcismis benedicitur, ut Fideles lavet seu mundet, atque ab omni corruptione contra insidias & fraudes dæmonis vi exorcismorum defendat ac protegat. De thurificatione mox diximus. Osculatur autem Sacerdos altare, Librum Evangeliorum, in signum reverentiæ; ministrum verò suum, & per eum universum Clerum, in signum charitatis & pacis. Denique signum crucis omnium ceremoniarum antiquissima est ac communissima; nihil enim fit quod ad Officium ecclesiasticum pertineat, absque signo crucis; ut ita Ecclesia declaret, quidquid boni fit, aut habemus, oriri ex virtute & efficacia crucis: qua etiam de causa, non tantùm ante consecrationem oblata benedicimus, sed etiam hostiam ipsam jam consecratam signo crucis

frequenter signamus; non quidem ad benedictionem, sicut antea, sed ut demonstremus vim omnem sacrificii Missæ è sacrificio crucis derivari.

De iis quæ in Missa recitantur.

Missa in quatuor partes dividi solet. Prima est ab initio, usque ad Offertorium, & dici solet Missa Catechumenorum, quòd huic parti sacrificii liceret ipsis interesse: secunda ab Offertorio usque ad consecrationem; tertia à consecratione usque ad communionem; quarta à communione usque ad finem.

De Psalmo Judica me, & confessione.

Multò antiquiorem esse, quàm vulgò Eruditi existiment hujus Psalmi recitationem, ostendit eruditus P. le Brun, qui consuli debet. In solis Missis pro defunctis, & tempore Passionis Domini omittitur, ob
To. 1. p. 1101. C. ista scilicet verba, *Quare tristis es anima mea?* quæ cùm lætitiam significent, qua Sacerdos affici debet, cùm ad altare accedit, non videntur Missis defunctorum & tempori Passionis Christi congruere. Quidquid sit, hac Psalmi recitatione Sacerdos Deum, *qui est fortitudo nostra & refugium nostrum*, supplex deprecatur, facta generatim delictorum suorum confessione, ut ad dignè celebrandum gratiam necessariam concedat. Hoc unum Novatores nostros hic offendit; quòd hæc confessio non tantùm Deo fiat, sed & Beatæ Virgini & aliis Sanctis. Verùm in hoc falluntur illi, quòd existiment nos auxilia gratiæ à Sanctis postulare & expectare; non ita est; eorum duntaxat apud Deum præsidium & intercessionem imploramus, ut quæ necessaria sunt, Deo à nobis impetrent & obtineant.

De Introitu.

Introitus constat ex Antiphona & Psalmo cum *Gloria Patri*. Introitus dicitur, vel quia Missæ initium est, vel quia canitur à Choro in introitu Sacerdotis ad altare, quod ipsum etiam Antiphonæ nomen importat. Est quippe Antiphona, cantus reciprocus & alternatim factus: certum enim est quarto Ecclesiæ sæculo Psalmos alternatim in Ecclesiis solitos fuisse decantari. Ex Psalmo autem qui magis congruere videtur Sacerdoti ad altare introeunti, versiculus iste delectus fuit, *Introibo ad altare Dei.* Tum sequitur Psalmus, *Judica me*, qui alternatim à Sacerdote & ministro recitatur. S. Ambrosius L. de iis qui initiantur, sive de mysteriis c. 8. refert verba hæc: *Introibo ad altare Dei*, ab iis pronuntiata fuisse qui recentes à baptismo ad Eucharistiam participandam admittebantur. *His abluta*
To. 2. p. 336. *plebs dives insignibus* inquit, *ad Christi contendit altaria, dicens: Et introibo ad altare Dei, ad Deum qui lætificat juventutem meam.* Et L. 4. de Sacra-
Ib. p. 366. n. 6. mentis cap. 1. *Veniebas, ait, desiderans ad altare, quo acciperes res Sacramentorum. Dicit anima tua: Introibo ad altare Dei, ad Deum qui lætificat juventutem meam. Deposuisti peccatorum senectutem, sumpsisti gratiæ juventutem: hoc præstiterunt tibi Sacramenta cælestia.* Inde forsan ad Sacerdotes ipsos fluxit mos ille dicta verba recitandi cùm accedunt ad altare. *Convenit ferè inter auctores*, ait hìc Bellarminus, *usum Introitus introductum fuisse à Cælestino I. Pontifice; sic enim scribit Walafridus c. 22. Micrologus c. 1. &*
Lib. 2. de Missa c. 16. p. 353. *aliis passim. Sed non est hoc ita simpliciter accipiendum. Nam imprimis non instituit ipse usum canendi unum versiculum, ut nunc facimus; sed ut Psalmi Davidis 150. antiphonatim canerentur per ordinem ante sacrificium; ut in ejus vita scribit Anastasius Bibliothecarius. Sed postea vitanda prolixitatis causa selecti sunt versiculi aliqui, qui ad excitandam devotionem viderentur aptiores, & Psalmi integri relicti*

sunt Horis Canonicis. Deinde, Cælestinus non fuit absolutè primus, qui Psalmos ad sacrificium adhibuit; sed ferè primus fuit, qui Romæ id observari voluit. Nam aliòqui Dionysius Areopagita cap. 3. Ecclesiast. Hierarch. meminit Psalmorum, qui ad initium Missæ canebantur; & S. Basilius in sua Liturgia circa initium, jubet tres aut quatuor versiculos Psalmi decantari. Sed etiamsi à Cælestino hæc institutio ortum habuisset, reprehendi non posset, cùm Introitus ferè semper ex divina Scriptura sumatur, & ab universa Ecclesia iste usus ab annis amplius mille receptus sit. Innocentius III. myster. Missæ L. 2. cap. 13. de Introitu hæc habet. *Pontifex ad altare perveniens & ad se ipsum revertens, antequam ordiatur sacrum officium, de peccatis suis cum astantibus confitetur, Psalmum illum præmittens, qui manifestè per totum sibi ad hoc dignoscitur pertinere & convenire,* Judica me Deus &c. *ut discretus à gente non sancta & ab homine liberatus iniquo, ad altare Dei dignus introeat.*

De Gloria Patri &c.

In fine cujuslibet Psalmi, qui decantabatur, isthæc addebatur clausula seu doxologia, *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto.* Hujus clausulæ primum parentem nonnulli putant Hieronymum fuisse, qui jussu Damasi S. Pontificis eam composuit. Legimus in vita Damasi eum constituisse, ut, quod pluribus jam locis erat in usu, Psalmi per omnes Ecclesias die noctuque ab alternis canerentur, & in fine cujusque Psalmi diceretur, *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto.*
Verùm usus ille Damaso & Hieronymo videtur antiquior; scribit enim Sozomenus L. 3. cap. 20. Antiochiæ temporibus Constantii Imperatoris anno 350. Catholicos in odium erroris Arianorum, dicta clausula in fine cujusque Psalmi usos fuisse; Arianos verò dixisse, *Gloria Patri per Filium, in Spiritu sancto*, Ed. ven.
vel, *Gloria Patri in Filio & Spiritu sancto.* Basilius de hoc versiculo *Gloria Patri &c.* disputat in Lib. de Spiritu sancto cap. 27. Testatur quoque Concilium Vasense, quod ante annos centum supra mille celebratum fuit, Can. 5. non solùm Romæ, sed etiam in toto Oriente, & per Africam, post, *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto*, subjungi solitum, *Sicut erat in principio &c.* Porrò, addit Bellarminus, Epistolæ duæ quæ circumferuntur de hac re, Damasi ad Hieronymum, & Hieronymi ad Damasum, suppositiæ & ineptissimæ sunt. P. 533. C. To. 2. p. 214. Tom. 4. Conc. p. 1680.

De Kyrie eleison.

Vocabula græca sunt, quæ significant, *Domine miserere*, unde intelligimus orationem hanc apud Græcos usurpatam primùm fuisse. Omnium antiquissima est, ac humanis prolapsionibus maximè conveniens; adeo quippe frequentes illæ sunt, ut in certam salutis ruinam, nisi Deus nostri misereretur, nos traherent, *Domine, miserere nostri, te enim expectavimus*, ait Isaias cap. 33. v. 2. & Baruch. 3. v. 2. *Audi Domine, & miserere.* Olim pro Catechumenis & pœnitentibus, imò & pro omnibus Fidelibus hæc oratio fundebatur: ab illa, ceteræ quæ in Missa fiunt supplicationes, initium ducunt. Concilium Vasense Can. 3. an. 529. statuit, ut in Galliis, ubi nondum introducta fuerat, usurparetur. *Et quia*, inquit, *tam in Sede Apostolica, quàm etiam per totas orientales atque Italicas provincias dulcis & nimiùm salutaris consuetudo est intromissa, ut* Kyrie eleison *frequentiùs cum grandi affectu & compunctione dicatur, placuit etiam nobis, ut in omnibus Ecclesiis nostris ista tam sancta consuetudo & ad Matutinum, & ad Missas, & ad Vesperas Deo propitio intromittatur.* Decepti ergo fuere inter Criticos, qui existimarunt dictam orationem à sancto Gregorio Tom. 4. Conc. p. 1680.

Magno

Magno primùm in Ecclesiam Romanam inductam fuisse; siquidem annis sexaginta & amplius antequam Romæ Pontifex sederet S. Gregorius, Conc. Vasanse Can. 3. jam citato testatur dictam orationem non tantùm Apostolicam Sedem, sed omnes etiam Orientales & Italicas Provincias pervasisse. Quapropter S. Pontifex scribens ad Sicilienses asserit, se à Græcis nec *Kyrie eleison*, nec ritus alios mutuatum fuisse, *In nullo*, inquit, *eorum aliam Ecclesiam secuti sumus... Kyrie eleison autem nos neque diximus, neque dicimus ut à Græcis dicitur: quia in Græcis simul omnes dicunt; apud nos autem à Clericis dicitur, & à populo respondetur, & totidem vicibus etiam* Christe eleison *dicitur, quod apud Græcos nullo modo dicitur. In quotidianis autem Missis aliqua quæ dici solent tacemus, tantummodo* Kyrie eleison & Christe eleison *dicimus, ut in his deprecatoriis vocibus paulo diutius occupemur.*

To. 2. p. 940. A. Ibid. C.

De Gloria in excelsis.

Appellatur hymnus angelicus, eò quòd prima illius verba ab Angelis Christi nativitatem annuntiantibus dicta fuerint. Olim in publicis Fidelium precibus canebatur, etiam ante Missæ celebrationem. S. Hieronymus L. de virginitate versus finem, refert sanctas Virgines solitas fuisse hunc laudis canticum sicut & Psalmum *Deus, Deus meus, & Benedicite*, decantare. Hymnus ille à Græcis magna doxologia nuncupatur, ut distinguatur ab alia breviore, *Gloria Patri &c.* Videtur ille unus ex illis fuisse, qui à primis Christianis in honorem Christi ac testificationem ejus divinæ naturæ decantabantur. Ita significat Plinius scribens ad Trajanum Imperatorem. *Carmen quoque*, inquit, *Christo quasi Deo dicunt secum invicem.* Et Eusebius L. 5. Hist. cap. 28. *Psalmi quoque*, inquit, *& cantica fratrum jam pridem à Fidelibus conscripta, Christum Verbum Dei concelebrant divinitatem ei tribuendo.* Multi ex nostris asserunt S. Hilarium hujus Hymni auctorem ac institutorem esse; verùm, ut mox vidimus, S. Hieronymus, à virginibus illum decantari solitum fuisse, observat. Bellarminus cum aliis bene multis arbitratur, morem recitandi in Missa Hymnum illum, à Telesphoro S. Pontifice originem duxisse. *Hic fecit*, ait Pontificale, quod sub nomine Damasi circumfertur, *ut in ingressu sacrificii hymnus diceretur angelicus, Gloria in excelsis Deo.* Verùm incerta planè videtur prima hujus institutionis origo. Patres Concilii IV. Toletani c. 13. ajunt, prima dicti cantici verba ab Angelis [unde dictus est Hymnus angelicus] pronuntiata fuisse: *reliqua verò, quæ ibi sequuntur, ecclesiasticos Doctores composuisse.* Sed quicumque tandem auctor fuerit, ait hìc Bellarminus, nihil omnino offensionis habet, unde etiam Luthero placuit, ut patet ex ejus libro de formula Missæ.

P. 169. A.

Tom. 5. Conc. p. 1710. B.

De Dominus vobiscum.

Sacerdos celebrans stans in medio altaris & conversus ad populum dicit, *Dominus vobiscum*, si Episcopus fuerit, *Pax vobis*. His verbis populum salutat, & ipsi bene precatur. Itaque, ut Bellarminus, ceremonia hæc, quædam est religiosa excitatio, seu invitatio, qua populus ad orandum invitetur, vel ad audiendum, unde præmittimur ante *Oremus*. Hæc porro salutatio, *Dominus vobiscum*, sumpta est ex ritu Hebræorum, qui salutantes dicebant, *Dominus tecum*; aut *vobiscum*, ut patet Judicum 6. Ruth. 2. Paralip. 2. & Lucæ 1. Antiquissimam verò esse ceremoniam in Missa, ut Sacerdos populum salutet, perspicuum est, ait Bellarminus ex vetustissimis Liturgiis, Jacobi, Basilii, Chrysostomi & aliorum, in quibus passim legimus, aut *Pax vobis*, aut, *Dominus vobiscum*; & ad utrumque respondetur, *Et cum spiritu tuo.* Concilium Bracarense II. anno 563. Can. 3. hæc statuit circa prædictam ceremoniam. *Placuit, ut non aliter Episcopi & aliter Presbyteri populum, sed uno modo salutent, dicentes, Dominus sit vobiscum, sicut in Libro Ruth legitur: & ut respondeatur à populo, Et cum spiritu tuo, sicut & ab ipsis Apostolis traditum omnis retinet Oriens, & non sicut Priscilliana hæresis permutavit.* Volebat scilicet Priscillianus, Episcopum uti semper debere ista formula, *Pax tecum*; & nunquam ista, *Dominus vobiscum*. Adversus quem Concilium decernit, ut non aliter Episcopi & aliter Presbyteri populum salutent; sed omnes eadem ista formula, *Dominus vobiscum*. Nihilominus usus contrarius prævaluit, ut diverso modo Episcopi & Presbyteri populum salutent.

De Missa L. 2. c. 16.

Tom. 5. Conc. p. 840.

Collecta.

Oratio, quam Sacerdos post salutatum populum fundit, Collecta dicitur: sive quia supra populum collectum seu congregatum funditur, sive quia, interprete Walafrido Strabone c. 22. *Colligit vota populi... & petitiones compendiosa brevitate colligimus.* Sive denique quia in Missa fit, quæ olim *Collecta* dicebatur, quia colligebatur, seu congregabatur populus ad sacrificium. *Quomodo*, inquiebat Tertullianus L. de fuga in persecutione c. 14. *colligemus, quomodo Dominica solemnia celebrabimus?*

Bib. PP. To. 15. p. 191. H. P. 543. B.

Antiquissimus est Collectæ usus in oblatione sacrificii. Oratio etenim est finis, imò etiam principium, & medium totius illius actionis, quæ dicebatur Collecta: neque enim ad aliud congregabantur olim Fideles, quàm ad orandum & sacrificium offerendum, ut patet ex sancto Justino Apol. 2. Tertulliano Apol. cap. 39. Quantùm verò ad formam Collectæ attinet, Concilium Carthaginense III. c. 23. præscribit, ut oratio, quæ in Missa dicitur, dirigatur ad Patrem per Filium. Nec tamen inde sequitur, ait hìc Bellarminus, Filium & Spiritum sanctum non esse invocandos, aut in Missa non invocari. Nam, ut rectè docet Tertullianus L. de oratione, propter essentiæ unitatem, semper in Patre intelliguntur Filius & Spiritus sanctus. Idem videtur in oblatione sacrificii, quæ propriè ad Patrem dirigitur, ut patet ex initio Canonis, *Te igitur clementissime Pater per Jesum Christum*, & tamen sacrificium toti Trinitati offertur. Imò ex conclusione Collectæ apertè colligitur, cum Patre simul invocari Filium & Spiritum sanctum; dum enim dicimus Filium & Spiritum sanctum cum Patre vivere & regnare per omnia sæcula sæculorum, simul indicamus nos cum Patre Filium & Spiritum sanctum invocare. Cur autem, pergit Bellarminus, Collectæ ordinariè dirigantur ad Patrem, non ad Trinitatem, duæ sunt causæ, una quia Dominus ita nos docuit orare, Matth. 6. *Pater noster qui es in cœlis.* Et Joann. 6. *Quicquid petieritis Patrem in nomine meo.* Altera, quia debet semper oratio concludi per Christum, cùm sit ille advocatus noster, per quem omnia petimus; incommodum autem fuisset dirigere orationem ad Trinitatem, & concludere *Per Filium tuum.* Videremur enim eo modo facere Christum Filium Trinitatis. Quòd si omissa voce *Filii*, diceremus, *Per Christum Dominum nostrum*, videremur dividere Christi personas, nam unam includeremus in Trinitate, quam invocamus; alteram excluderemus, per quam invocamus; tolluntur autem omnia incommoda, cum diriguntur ad unam personam; & quia persona Patris est prima, & ab illa cæteræ originem ducunt, visum est optimum, ut quando ad unam personam dirigendæ erant, ad Patrem dirigerentur.

Tom. 2. Conc. p. 1170.

De voce Amen.

Finita orat. populus respondet, *Amen.* Quæ vox hebræa est ac significat, *verè*, seu *verum est*, *ita fiat*, *consentio.*

Aliquando vox illa est asserentis, aliquando desiderantis, aliquando consentientis. 1. Cùm *Amen* pronuntiatur post fidei dogma, v. g. post symbolum, *Credo*, simplex assertio est, qua significatur rem ita esse. 2. Cùm verò post orationem, qua divinum auxilium pro aliquo imploratur, simplex desiderium est, quo ad aliquid faciendum non obstringimur, sed tantùm ad optandum ut oratio finem suum assequatur, v. g. cùm Sacerdos pro conversione alicujus peccatoris. 3. Cùm Sacerdotis oratione ad opus aliquod obstringimur, *Amen* consensum nostrum exprimit: v. g. cùm in laudem & gratiarum actionem Dei reddendam Sacerdos orat; pariter cùm in fine orationis Dominicæ dicimus, *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*; *Amen* significat consentire nos, ut dimittantur nobis offensæ nostræ in Deum, sicut dimittimus iis à quibus offensi sumus. Antiquissimum verò usum esse in Ecclesia respondendi *Amen*, ostendunt ista S. Pauli verba 1. Cor. 14. *Qui supplet locum idiotæ, quomodo respondebit, Amen?* Ostendunt S. Justinus Apol. 2. Hieronymus in Prologo in 2. Epistolam ad Galatas, & S. Augustinus Epistola 107. nunc 217. ad Vitalem.

De Epistola.

Post collectam sequitur Lectio ex Propheta, vel Apostolo. Judæi diebus sabbati conventus suos auspicabantur à lectione Librorum Moysis & Prophetarum, sicut manifeste patet ex cap. 12. & 15. Act. Apost. Idem diebus Dominicis à Christianis observatum fuisse testantur S. Justinus Apolog. 2. Tertullianus Apologet c. 39. ubi ait, *Coimus ad Litterarum divinarum commemorationem*. Olim ad Lectorem pertinebat Epistolam legere, tum Subdiaconis officium istud injunctum fuit. Istud in Hispania observatum fuisse manifestè supponit Concilium Toletanum I. Can. 4. ubi Subdiaconis in pœnam delicti à lectione Epistolæ suspenditur. *Habeatur*, ait Canon, *inter Ostiarios vel Lectores, ita ut Evangelium & Apostolum* (Epistolam) *non legat*. Et in Concilio Remensi an. 812. Can. 4. dicitur, *Residentibus cunctis lecta sunt Epistola Pauli, qualiter Subdiaconi ministerium est eundem Apostolum legere.* Nihilominus nono sæculo Amalarius L. 2. c. 11. mirabatur usum illum tam citò in sua Ecclesia obtinuisse: *Miror*, inquiebat, *qua de re sumpsit usus in Ecclesia nostra, ut Subdiaconus frequentissimè legat Lectionem ad Missam, cùm hoc non reperiatur ex ministerio sibi dato in consecratione commissum, neque ex Litteris Canonicis, neque ex nomine suo.* Idem observat Micrologus undecimo sæculo cap. 8. Durandus L. 1. cap. 8. Ration. anno 1286. anxius etiam quærit, quare Subdiaconus Epistolam legat. *Quare*, inquit, *diaconus legit Lectionem ad Missam, cùm non reperiatur hoc sibi competere vel ex nomine, vel ex ministerio sibi concesso?* Verùm subinde ut Subdiaconus ex officio & auctoritate Epistolam legat, Episcopus eum ordinans dicit, *Accipe librum Epistolarum, & habe potestatem legendi eas in Ecclesia sancta Dei.* His in locis, in quibus Sacerdos seu Pastor solus est, ipse & Epistolam & Evangelium legit; vel ab aliquo etiam Laico superpelliceo induto Epistolam legendam curat.

P. 32. A. — Tom. 2. Conc. p. 1244. — Tom. 7. Conc. p. 1255. — Bib. PP. T. 14. p. 972. D. — Bib. PP. T. 18. p. 464. — Edit. Lugd. 1605. p. 56. n. 4.

De Graduali, Tractu & Prosa.

Post lectam Epistolam, nonnulli ex Scriptura versiculi sumuntur, quorum alii dicuntur, Responsorium seu Graduale; alii Tractus; alii Sequentia seu Prosa; alii Alleluja.

To. 6. p. 49.

Responsorium dicitur, interprete Rabano Lib. 2. de institutione Cleric. c. 51. quia uno incipiente, alii respondent. Responsorium illud nonnulli Graduale vocant, eò quòd juxta gradus pulpiti cantatur, ait idem Scriptor. B. Rhenanus in annotationibus ad Librum Tertulliani de corona militis, ait *Graduale* appellari, quia canebatur dum Diaconus gradus ascenderet ad Evangelium decantandum. Ex quo intelligi potest, ait Bellarminus, cur hujusmodi versiculi decantentur, nimirum ne otiosè transigeretur tempus illud, quod necessariò interponendum erat inter Epistolam & Evangelium, dum is Diaconus ad illud cantandum præparabat. Fuisse autem morem Ecclesiæ, ut Evangelium ex loco altiore caneretur, perspicuum est ex illis verbis Ordinis Romani, *Ascendit* (Diaconus) *in ambonem superiorem gradum &c.* Et ex S. Cypriano L. 2. Epistola 5. ubi de Aurelio confessore, quem ad legendum in Ecclesia Evangelium ordinaverat, dicit eum ad pulpitum post catastam venire. Denique in antiquis Ecclesiis inveniuntur lapidea pulpita in usum Evangelii legendi instituta, quæ à Micrologo cap. 9. & ab aliis dicuntur *Ambones*, à verbo græco, quod significat *ascendo*.

Bib. PP T. 13. p. 638. — P. 47.

Tractus dicitur, quia versiculi Scripturæ ex quibus componitur, graviter & tractim cani debent in signum tristitiæ; diebus enim jejuniorum loco *alleluja* canitur Tractus. *Dicitur autem Tractus*, ait Durandus L. 4. cap. 21. *à trahendo, quia tractim & cum asperitate vocum & prolixitate verborum canitur.*

P. 123. n. 1.

Denique in festis solemnioribus, ut in Paschate & Pentecoste addi solet *Sequentia*, seu *Prosa*, qui sunt versus quidam rythmici.

Alleluja hebraica vox est, quæ significat *Laudate Dominum*. Est autem cantus lætitiæ, & meritò intermittitur in diebus pœnitentiæ & luctus. Tobiæ 13. ubi describitur gloria cœlestis Hierusalem, inter alia legimus, *Et per vicos ejus alleluja cantabitur.* Et Apocal. 19. describitur lætitia Sanctorum, quæ erit in Cœlo post diem Judicii. *Et audivi*, inquit, *quasi vocem turbæ magnæ, & sicut vocem aquarum multarum & sicut vocem tonitruorum magnorum dicentium, Alleluja, gaudeamus & exultemus.*

De lectione Evangelii.

Post Epistolam & Tractum ex antiquissimo Ecclesiæ usu, Evangelium legitur. Nulla Liturgia est, in qua lectio hæc non præscribatur. Quid enim antiquius & acceptum magis esse debet viro Christiano, quàm ut pronis auribus verba & gesta Christi excipiat? Primum Concilium Arausicanum an. 444. Can. 18. & Valentinum in Hispania cap. 1. statuerunt, ut Evangelium legeretur post Epistolam, & ante oblationem, ut non tantùm Fideles, sed & Catechumeni verba Christi, eorumque expositionem ab Episcopis audire possent. *Ut sacrosancta Evangelia*, ait Canon Valentinus, *ante munerum illationem in Missa Catechumenorum in ordine lectionum post Apostolum legantur.* Ejusdem lectionis Evangelii mentionem habemus in Concilio Laodiceno cap. 16. Carthaginensi IV. Can. 48. Item in sanctis Patribus, Chrysostomo Hom. 6. de pœnitentia, & Hom. 3. in posteriorem ad Thessalonicenses; Augustino, Præfatione in Epistolam Joannis, ubi meminit certarum lectionum ex Evangelio, quæ pro varietate festorum dierum legebantur; Hieronymo L. adversus Vigilantium, qui testatur per omnes Orientis Ecclesias luminaria seu cereos accendi solitos, ubi Evangelium in Missa legitur. Consuetudo est ut ob reverentiam Domini loquentis, omnes stent erecti, & quasi parati ad defendendam evangelicam veritatem.

Tom. 3. Conc. p. 450. — Tom. 4. Conc. p. 1617. D. — T. 2. p. 2. p. 826. — T. 4. p. 2. p. 284.

Antequam Diaconus Evangelium decantet benedictionem à Sacerdote postulat ad dignè annuntiandum Evangelium, atque populum excitat per ista verba, *Sequentia S. Evangelii secundùm &c.* populus verò respondet, *Gloria tibi, Domine*, quæ ceremonia legitur in

Missa

Missa S. Joan. Chrysostomi, & apud Amalarium L. de Officio Missæ cap. 18. & Alcuinum in Libro de divinis Officiis.

De Symbolo.

Symbolum hîc signum quoddam est ejusdem professionis fidei. *Symbolum rectè post Evangelium pronuntiatur*, ait Bellarminus, *quia fides ex auditu verbi Dei sequitur.*

Quadruplex vulgò Symbolum distinguitur. Apostolicum, quod ab Apostolis. Nicænum, quod à Concilio Nicæno generali primo anno 325. Constantinopolitanum, quod à Concilio generali Constantinopolitano I. an. 381. Athanasianum, quod à S. Athanasio conditum est. Nicænum majoris expositionis causâ, occasione erroris Ariani, nonnihil Apostolico Symbolo addidit, sicut Constantinopolitanum Nicæno, propter errorem Macedonii negantis Spiritum S. verum Deum esse.

Quinque prioribus Ecclesiæ sæculis Symbolum inter Missarum solemnia decantatum non legimus: cùm verò serperet Macedonii error, Timotheus Episcopus Constantinopolitanus anno 510. jussit in omnibus Fidelium congregationibus Symbolum, quod appellat trecentorum & octodecim Patrum, id est Nicænum recitare. Et Concilium Toletanum III. cap. 2. an. 589.
Tom. 5. Conc. p. 1009. vult, *ut per omnes Ecclesias Hispaniæ, vel Galliciæ, secundùm formam Orientalium Ecclesiarum, Concilii Constantinopolitani, hoc est centum & quinquaginta Episcoporum, symbolum fidei recitetur*, qui mos ad alias Germaniæ & Galliæ Ecclesias subinde promanavit, potissimùm tempore Caroli Magni, occasione Felicis Urgelitani Episcopi & Elipandi, qui Christum Filium Dei adoptivum dumtaxat esse docebant.

De Offertorio.

Quæcunque in celebratione Missæ præcedunt Offertorium & oblationem, primam veluti partem Missæ constituunt, ac Missa Catechumenorum dicebatur, eò quòd Catechumenis ad eorum informationem ac in-
Tom. 4. Conc. p. 1617. structionem ipsi præsentes adesse liceret. *Decernimus*, ait Concilium Valentinum anno 374. cap. 1. *ut sacrosancta Evangelia ante munerum illationem in Missa Catechumenorum in ordine lectionum perlegantur.* Tenebantur autem illi recedere tempore oblationis, ac soli remanebant Fideles.

Offertorium versibus quibusdam Scripturæ constat, & inde nomen accepit, quòd caneretur dum populus pro more offerebat quæ ad sacrificii materiam erant necessaria, ut tradit Walafridus cap. 22. & Micrologus cap. 10. Illa autem oblatio in silentio & sine cantu facta est usque ad quartum Ecclesiæ sæculum: ætate verò S. Augustini in Ecclesia Carthaginensi mos inductus est hymnos aliquos ex Psalmis extractos cantandi; quem usum adversus Hilarum quemdam maledicum obtrectatorem, strenuè vindicavit S. Augustinus Lib. 2. Retract.
To. 1. p. 45. c. 11. *Hilarus*, inquit, *morem qui tunc esse apud Carthaginem cœperat, ut hymni ad altare dicerentur de Psalmorum Libro, sive ante oblationem, sive cùm distribueretur populo quod fuisset oblatum, maledica reprehensione ubicumque poterat, lacerabat, asserens fieri non oportere.* Mos ille versiculos ex Psalmis cantandi, quo tempore Sacerdos panem & vinum offert, inductus videtur ad imitationem filiorum Aaron, de quibus Eccli. 50. v. 16. & sequentibus dicitur: *Porrexit* (Aaron) *manum suam in libatione, & libavit de sanguine uvæ. Effudit in fundamento altaris odorem divinum excelso principi. Tunc exclamaverunt filii Aaron, in tubis productilibus sonuerunt, & auditam fecerunt vocem magnam in memoriam coram Deo. Tunc omnis populus simul properaverunt,... & amplificaverunt psallentes vocibus suis &c.* In more

autem positum fuisse vel primis Ecclesiæ temporibus, ut populus deferret ad altare panem & vinum unde consecraretur Eucharistia, testantur SS. Justinus Apol. 2. Irenæus L. 4. c. 34. Cyprianus de opere & eleemosyna. Unde S. Augustinus in Psalm. 129. n. 7. *Accipit Sa-* To. 4. p.
cerdos a te, inquit, *quod pro te offerat, quando vis placare Deum pro peccatis tuis.* Quapropter à Concilio 1458. D.
Matisconensi II. an. 585. cap. 4. reprehenduntur, qui panem, & vinum non offerunt. *Cognovimus*, ajunt hu- Tom. 5.
jus Concilii Patres, *quosdam Christianos... ita ut nul-* Conc. p.
lus eorum legitimæ obsecundationis parere velit officio 981.
deitatis, dum sacris altaribus nullam admovent hostiam. Propterea decernimus, ut omnibus Dominicis diebus altaris oblatio ab omnibus viris & mulieribus offeratur tam panis quàm vini. Oblatio hæc usque ad nonum Ecclesiæ sæculum eo ordine peracta fuit, qui describitur ab Ordine Romano: post annum verò millesimum paulò immutari cœpit ordo ille duplici de causa. 1. quia Sacerdotes ad majorem munditiem panes præparabant, quos offerrent. 2. quia cùm liberalitate Principum & populorum dotarentur ac ditarentur Ecclesiæ, earum Rectoribus relicta cura fuit suppeditandi quæcumque ad sacrificium perficiendũ necessaria erant.

Superest adhuc apud nos hujusce primæ oblationis à Fidelibus factæ vestigium, in pane benedicto seu Eulogia, qui in signum mutuæ charitatis & communionis distribuitur inter præsentes, imò & ad absentes in eundem finem deferebatur. Ad illas haud dubiè Eulogias alludebat S. Aug. Epist. 31. aliàs 34. ad Paulinum,
cùm scribebat, *Panis quem misimus uberior benedictio* T. 2. p.
fiat dilectione accipientis vestra benignitatis. Vice ver- 38. C.
sa S. Paulinus panem ad Augustinum transmisit, *Panem unum*, inquit Epistola ad Augustinum inter Augustinianas 25. aliàs 31. *quem unanimitatis indicio misimus charitati tuæ, rogamus accipiendo benedicas.* Idem S. Paulinus scribens ad Alipium Tagast. Episcopum, inter Augustinianas 24. aliàs 35. *Panem unum*, inquit, *sanctitati tuæ unitatis gratia misimus,... hunc panem Eulogiam esse tu facies dignatione sumendi.* Imò non tantùm Eulogias seu panes benedictos ad sese mutuò in signum communionis Episcopi mittebant, sed etiam aliquando Eucharistiam ipsam, quæ præstantissimum est unionis & charitatis signum. Id habemus ex Pagina
fragmento Epistolæ S. Irenæi ad S. Pontificem Victo- 193. C.
rem, apud Eusebium Lib. 5. Hist. cap. 24. & ex Con- Tom. 1.
cilio Laodiceno quarto sæculo Can. 14. quo prohibet, Conc. p.
ne in festo Paschatis Sancta Sanctorum, id est Eucharis- 1499.
tia, Eulogiarum loco ad absentes mittatur. Bellarminus Lib. 2. de Missa cap. 17. observat quinque illas orationes, *Suscipe sancte Pater. Offerimus tibi Domine. Ve-* Biblioth.
ni sanctificator. In spiritu humilitatis, &, *Suscipe san-* PP. To.
cta Trinitas, neque antiquas admodum esse, neque in 18. pag.
Romana Ecclesia ante quingentos annos legi. Scribit 474.
enim Micrologus c. 11. illas preces, *Veni sanctificator*, &, *Suscipe sancta Trinitas*, juxta Ordinem Gallicanum recitari, sed in Ordine Romano nullas orationes esse institutas inter Offertorium & Secretas; unde etiam Walafridus, Amalarius, Rupertus, Alcuinus, imò etiam Innoc. III. & alii Veteres, non meminerunt illarum Orationum, sed transeunt ab Offertorio ad Secretas; quia tamen, addit Bellarminus, nihil continent quod offendat, paulatim ab omnibus receptæ sunt. Deinde nonnullas refert leviores objectiones quas Georgius major adversus nonnulla illarum orationum verba opponit.

De Præfatione.

Offertorio finito, & materia sacrificii præparata, lotisque manibus, & oblatione Deo commendata per Secretas collectas, dicitur Præfatio, quasi præludium, quo præparatur & excitatur populus, ut animum sursum erigat ad illam mensam, quæ mox futura est, consecrationem corporis & sanguinis Christi. Canon Sacra-

mentarii Gelasii S. Pontificis sic incipit, *Incipit Canon actionis*, Sursum corda. Habemus ad Dominum. Est igitur Præfatio præparatio & excitatio populi ad Canonem, qui per excellentiam oratio dicitur, & ad illam actionem in qua propriè sacrificium consistit. Ac primum illa verba, *Per omnia sæcula sæculorum*, pertinent, ait Bellarminus, ad superiores orationes silentio recitatas, sed alta voce conclusio illa dicitur, ut populus respondere possit, *Amen*, & ea voce confirmet superiores, Ita scribit Micrologus cap. 7. Deinde incipit Præfatio, per illud, *Dominus vobiscum*, & usque ad illa verba, *Vere dignum & justum est*, habetur in antiquissimis Auctoribus Græcis & Latinis. S. Joannes Chrysostomus Hom. de Eucharistia, *Quid facis*, exclamat, *ô homo? Non promisisti Sacerdoti, qui dixit, Sursum mentem & corda; & dixisti, Habemus ad Dominum.*

Biblio. PP. T. 18. pag. 473. Ed. Antuerp. 1614. To. 3. p. 382. col. 1. C. P. 195.

S. Cyprianus de oratione Dominica egregie rem totam exponit his verbis. *Quando autem stamus ad orationem, fratres dilectissimi, vigilare & incumbere ad preces toto corde debemus. Cogitatio omnis carnalis & sæcularis abscedat; nec quidquam tunc animus, quam id solum cogitet, quod precatur. Ideo & Sacerdos ante orationem Præfatione præmissa, parat fratrum mentes dicendo*: Sursum corda; *ut dum respondet plebs*, Habemus ad Dominum, *admoneatur nihil aliud quam Dominum cogitare debere. Claudatur contra adversarium pectus, & soli Deo pateat, nec ad se hostem tempore orationis adire patiatur.*

Tom. 4. Conc. p. 953.

Græci unicam duntaxat habent Præfationem: apud nos vero plures sunt. Namque Pelagius II. S. P. ante annos mille interrogatus ab Episcopis Germaniæ & Galliæ, quænam essent, & quot Authenticæ Præfationes, respondit esse novem: primam, de natali Domini; secundam, de Epiphania; tertiam, de Quadragesima; quartam, de cruce; quintam, de Pascha; sextam, de Ascensione; septimam, de Pentecoste; nonam, de Apostolis; decimam Præfationem, quæ est de sancta Maria, addidit Urbanus II. in Concilio Placentino circa an. Domini 1080. teste Gratiano, Can. *Sanctorum* dist. 70.

Decret. Grat. p. 463.

Finita Præfatione dicitur canticum, *Sanctus, Sanctus &c.* quod quidem desumitur, partim ex Hymno Angelorum, quem Isaias cap. 6. audivisse senatur; partim ex cantico Hebræorum quod Christo cecinerunt, cum in die Palmarum intraret in Hierusalem, Matth. 21. & habetur in antiquis Liturgiis, Jacobi, Basilii & Chrysostomi, & de eo extat peculiaris Canon in Concilio Valensi Can. 3. an. 529. Hæc Bellarminus.

Tom. 4. Conc. p. 1680.

De Canone Missæ.

Tam inverecunde Lutherus in Libro *De abominatione Canonis* debacchatur, ut vix sustinere possint aures Christianæ: ait enim *homines audito nomine Canonis signare se cruce debere, & fugere, ac si illis diabolus occurrisset.*

Circa Missæ Canonem expendemus 1. nomen. 2. auctorem & antiquitatem. 3. an in eo aliquid culpandum ac reprehendendum occurrat.

Kemnitius 2. parte examinis quatuor præcipue reprehendit. 1. quod ritum illum celebrandæ Missæ Canonem esse velimus, id est, regulam fixam & stabilem: vellet enim ille liberum unicuique esse, quibus vellet precibus uti. 2. quod auctorem Canonis Tridentinum Concilium faciat partim Christum, partim Apostolos, partim antiquos Romanos Pontifices. 3. quod antiquum esse affirmemus. *Fumi*, inquit, *& nugæ sunt, quod de antiquitate Canonis fabulantur*. 4. quod nullum errorem in toto Canone inveniri pronuntiemus, cum ipse septemdecim enumeret.

Nomen Canonis.

Canon idem est ac regula, sed ordo & ritus in celebratione Missæ observandus. Propriè Canon incipit ab his verbis, *Te igitur* usque ad orationem Dominicam, qua incipit præparatio ad sanctam communionem. *Orationem Dominicam*, inquit S. Gregorius Magnus Epist. L. 9. Ind. 2. Epist. 12. alias L. 7. Epist. 64. *mox post precem dicimus.* Sicubique fere cludebatur Canon ætate S. Aug. *Totam*, inquit Epist. 149. alias 59 *petitionem fere omnis Ecclesia Dominica oratione concludit.*

To. 2. p. 940. D. Tom. 2. p. 509. C. Tom. 5. Conc. p. 313. C. P. 195.

Apud Veteres nonnullos nomine Canonis *Canonicæ preces* intelligebantur. Ita Vigilius S. Pontifex Epistola ad Eutherium. *Ipsas*, inquit, *Canonicæ preces textum direximus. Præfatione præmissa ante orationem*, ait S. Cyprianus Tractatu de oratione Dominica, & Innocentius I. Epist. ad Decentium, *De nominibus recitandis antequam preces Sacerdos faciat.* Isidorus L. 1. de Officiis divinis c. 15. vocat *ordinem precum*, quo oblata Deo sacrificia consecrantur. Canon antonomasticè *oratio* dicitur, per quam scilicet omnium donorum excellentissimum, Christum nempe, à Deo suppliciter efflagitamus, Walafridus Strabo, L. de rebus ecclesiasticis c. 22. vocat tum Actionem, tum *Canonem*; quibus duabus vocibus omnes posteriores utuntur, à quibus Canon appellatur *actio*, *mysterium sanctissimæ actionis*, *actio sacri mysterii*: *quia nempe in eo Sacramenta conficiuntur Dominica*; id est celebratur actio sacrificii. Optatus Milevitanus L. 2. contra Parmen. canonem simpliciter vocat *legitimum*. *Quis dubitat*, inquit, *vos illud legitimum in Sacramentorum mysterio præterire non posse? Offerre vos Deo dicitis pro Ecclesia, quæ una est.* Ibi *legitimum* vocat Optatus statum & certum ordinem, quibus in consecranda Eucharistia utimur, in cujus ordinis initio offerre nos dicimus pro Ecclesia. Ista porro nomina, *Canon*, *regula*, *legitimum ordo*, aperte satis indicant, ait Bellarminus L. 6. de Missa c. 18. apud Veteres ordinem celebrandi Missam, arbitrarium non fuisse, ut vult Kemnitius, sed ab Ecclesia præscriptum, qui secus facerent, rei haberentur violatæ legis ecclesiasticæ.

Tom. 2. Conc p. 1246. n. 2. P. 584. col. 2. Biblio. PP. T. 15. pag. 193. A.

pag. 36. n. 12.

Duo hic opponit Kemnitius: unum ex Concilio Africano can. 70. & Milevitano can. 12. ubi præscribitur, ut in Missa non dicantur preces, nisi quæ prius cum prudentioribus viris sint collatæ, aut à Synodo approbatæ, ne forte aliquid contra fidem contineant; ex quo colligit Kemnitius, non fuisse antiquo more præscriptum certum canonem orationum, qui omnes obligaret, sed permissum fuisse, ut quisque ad arbitrium preces componeret, modò cum dogmate fidei consentirent. Alterum argumentum petit Kemnitius ex diversitate Liturgiarum, Basilii, Chrysostomi, Ambrosii, Gregorii, Isidori.

Respondet Bellarminus ad primum. Laudatos conciliorum canones non loqui de canone Missæ, sed de collectis, quæ semper & variæ & multiplices fuerunt: de canone quippe Missæ jam audivimus Optatum dicentem, *legitimum esse, & prætermitti non posse.*

Ad secundum respondet idem Bellarminus, Catholicos non negare diversa fuisse, & etiam hodie esse apud Græcos, & apud quasdam Latinorum Ecclesias verba canonis: neque cogit Ecclesia Romana, ut mentitur Kemnitius, ut omnes Canonem Missæ Romanæ, tanquam necessarium omnino ad consecrandam Eucharistiam servent, cùm & in ipsa Urbe Roma, & alibi per Italiam, Romanus Pontifex contentiat à Græcis teneri Liturgiam Basilii, vel Chrysostomi; & Mediolani, Ambrosianam, & Toleti in Hispania eam quam dicunt Mozarabam; sed hæc duo contendunt Orthodoxi. 1. ordinem sacrificii celebrandi rectissimè canonem appellari, quòd debeat esse certus, & ab iis præscriptus, qui legitimè in Ecclesia præsunt, non verò uniuscujusque arbitrio permissus. 2. in ritu, seu canone Græcorum, & aliarum Ecclesiarum à nostro diverso, nullum errorem, nihil indecens & inordinatum contineri.

Auctor

Auctor Canonis.

Concilium Tridentinum Sess. 22. cap. 4. de canone
Tom. 14. Conc. p. 834. Missæ hæc habet: *Cum sancta sanctè administrari conveniat, sitque hoc omnium sanctissimum sacrificium, Ecclesia Catholica, ut dignè reverenterque offerretur, ac perciperetur, sacrum Canonem multis antè sæculis instituit, ita ab omni errore purum, ut nihil in eo contineatur, quod non maximè sanctitatem ac pietatem quamdam redoleat, mentesque offerentium in Deum erigat. Is enim constat tum ex ipsis Domini verbis, tum ex Apostolorum traditionibus, ac sanctorum quoque Pontificum piis institutionibus.*

Quis verò omnium primus formam aliquam sacrificii celebrandi, collectit in unum illis Domini verbis, Apostolicis traditionibus, ac sanctorum Pontificum piis institutionibus, invexerit, facile non est definire. S. Petrum primùm celebrandi sacrificii formam aliquam dedisse, adjunctis nimirum ad verba Domini certis precibus & ritibus, putat Isidorus Lib. 1 de Officiis c. 15. subinde tamen diversi Pontifices preces diversas addiderunt, usque ad Gregorium I. qui fuit ultimus eorum, qui ad canonem aliquid addiderunt, ut ex Walafrido colligi potest, Libro De observationibus Ecclesiasticis cap. 22.

P. 584. col. 2. Biblioth. PP. To. 15. pag. 193.

Neque istud Canoni Missæ vitio vertere debent Novatores, quòd à multis auctoribus compositus fuerit. Nonne Symbolum Apostolicum una est ac simplex fidei confessio? attamen à duodecim Apostolis, singulis sententiam suam dicentibus compositum fuisse S. Leo scribit in Epistola 13. ad Pulcheriam, & ante Leonem Ruffinus in explicatione Symboli, & S. Augustinus Serm. 115. de tempore; quod Symbolum auctum deinde fuit, seu evolutiùs explicatum in Conciliis Nicæno & Constantinopolitano, unde tandem prodiit Symbolum illud plenius, quod Constantinopolitanum vocatur. Pariter nonne Liber Psalmorum, si Hieronymo credimus in Epistola ad Sophronium, multos habet auctores, & tamen unicus Liber censetur? Id autem mirum videri debet, ac commendandum, quòd etsi Canon Missæ sit multorum auctorum, ita tamen aptè partes omnes inter se jungantur & cohæreant, ut unius auctoris esse videatur.

Ubi istud cum Bellarmino est observandum, quòd etsi quædam Liturgia dicatur Basilii, alia Ambrosii, Gelasii, seu Gregorii, nostra videlicet Romana, non tamen isti auctores Liturgiam de integro composuerunt, sed tantùm eam, quæ suo tempore erat in usu, ad meliorem formam redegerunt, vel detrahendo, si quid irrepserat minùs conveniens; vel addendo aliquid pro temporum varietate; vel denique ob tædium vitandum aliquid inde subtrahendo, sic tamen, ut substantiales partes Liturgiæ ab Apostolis institutæ integræ permanerent. Namque S. Gregorius Gelasianum codicem coarctavit, ut scribit Joannes Diaconus in Lib. 2. vitæ S. Gregorii c. 17 Et ipsemet Gregor. Lib. 7. Epist. 73. asserit, se restituisse in Missa antiquas consuetudines, & sustulisse quædam, quæ postea irrepserant; itaque auctor fuit non institutionis, sed reformationis Liturgiæ. Gregorius item VII. iterum emendavit Officium ecclesiasticum, sed, (ut ipse testatur, Canone, *In die. De Consecratione.* dist. 5.) non novum instituit. Quod postea fecit etiam S. Pius V. tum in Breviario, tum in Missali restituendo, unde dicitur Missale S. Pii V. seu Missale novum, quod tamen novum non est, sed antiqui emendatio ac restitutio.

Dices S. Gregorius L. 7. Epist. 64. nunc Lib. 9. E-
To. 2. p. 940. pist. 12. duo asserit, his quæ modo dicta sunt, planè contraria. Primum, Apostolos in consecranda Eucharistia solam adhibuisse Dominicam orationem: ergo auctor Canonis non fuit S. Petrus, alterum est. Canonem à *Scholastico* quodam compositum fuisse: Scholasticum autem esse nomen proprium alicujus hominis, probant ex eodem Gregorio L. 2. Epist. 54. & L. 9. Epist. 14. Quod si Scholasticus auctor Canonis fuit, non ergo verum est, quod nos cum Synodo Trident. diximus, Canonem partim à Christo & Apostolis, partim à SS. Pontificibus compositum fuisse; nullus enim Apostolus aut Pontifex fuit, qui proprio nomine Scholasticus diceretur.

Resp. ad primum, non immeritò dici posse, Apostolos initio solam Dominicam orationem in mysterio Eucharistiæ ad verba consecrationis addidisse; subinde verò cùm Ecclesiastici ritus formam aliquam habere cœperunt, multa alia eos adjunxisse.

Resp. ad secundum, longè verisimilius esse S. Gregorium, *Scholastici* nomine, non aliquem hujus nominis hominem indigitasse, sed virum doctum & litteratum: quo sensu S. Hieronymus Lib. de Scriptoribus ecclesiasticis scribit, Serapionem virum doctissimum, ob ingenii elegantiam *scholastici* cognomen adeptum fuisse; & Gennadius in Catalogo Scriptorum, vocat Prosperum sermone *scholasticum*, id est eloquentia & eruditione præstantem; Honorius pariter in Catalogo Scriptorum appellat Alcuinum officio *scholasticum*; imò & ipse S. Gregorius Lib. 10. Epist. 2. vocat Matthæum *scholasticum* virum clarissimum. Eodem sensu nomen scholastici usurpat S. Aug. in Ps. 44. Tales erant Presbyteri quidam doctissimi, qui præficiebantur olim Scholæ christianæ ad erudiendos, qui ex Judæis aut Gentibus ad Ecclesiam veniebant; quales fuerunt Pantenus, Clemens Alexandrinus, Origenes &c. Denique & etiamnum in quibusdam Ecclesiis & nomen & dignitas *Scholastici* persaverat, licet ipsa functio communiter ad Præbendam Theologalem pertineat.

Quòd si S. Gregorius nomine *Scholastici* intelligit certum aliquem hominem, qui ætate ipsius vixerit, respondendum est, S. Gregorium non loqui de Canone Missæ, aut saltem non de toto Canone, cùm dicit, *precem Scholasticus recitari super oblationem*; sed de aliqua alia oratione extraordinaria, quales sunt tres illæ quæ dicuntur ante communionem, post *Agnus Dei*, quæ, ut scribit Micrologus c. 18. non sunt de Canone, neque ex ordinario præscribuntur, sed ex consuetudine religiosorum recitantur. Quæ explicatio à verbis S. Gregorii non abhorret; siquidem scribit S. Pontifex accusatum se fuisse, quòd jussisset orationem Dominicam recitari post Canonem; ac respondet id se fecisse, quia indignum existimabat à *Scholastico compositam super oblationem dici, & ipsam Christi orationem super corpus ejus non dici*, quibus verbis indicat Gregorius, se non agere de Canone, sed de orationibus, quæ dicebantur post Canonem. Et quidem ante ipsius tempora post Canonem ante communionem, videtur in usu fuisse, ut diceretur aliqua oratio à *Scholastico* composita; oratio autem Dominica vel diceretur post communionem oblatione consumpta, vel non diceretur: sed Gregorius hunc ordinem mutavit, & voluit ut oratio Dominica diceretur mox post Canonem, corpore Christi adhuc in altari præsente; oratio autem *Scholastici* sequeretur. Ex his duabus sententiis eliget Lector quam maluerit, neutra sententiæ nostræ adversatur. Hæc Bellarminus.

Antiquitas Canonis.

Concilium Tridentinum Sess. 22. cap. 4. jam citato ait, *Ecclesiam Catholicam sacrum Canonem multis antè sæculis instituisse.*

Certum est 1. Canonem, qua forma apud nos extat, integrum statim ab ipso Ecclesiæ initio non extitisse, cui identidem SS. Pontifices successivè nonnihil addidere. Sanctus Leo addidisse refertur verba ista, *Sanctum sacrificium, immaculatam hostiam.* Ita observant Strabo cap. 22. auctor Libri Pontificalis, & alii qui

de Missa scripserunt. S. Gregorius Magnus hæc verba addidit, *diesque nostros in tua pace disponas &c.*

Certum est 1. Canonem integrum, qualem illum jam habemus in Missalibus, in usu fuisse ante octingentesimum Christi annum siquidem extat in Ordine Romano, non procul ab initio; quem Ordinem laudant Alcuinus & Amalarius, qui tempore Caroli Magni floruerunt. Deinde Alcuinus ipse in Lib. de Officiis Ecclesiasticis cap. *De celebratione Missæ*: totum Canonem verbatim exponit; ac deinceps ab aliis posterioribus idem omnino Canon exponitur, ut ab Amalario, Hugone, Ruperto, Innocentio III. Porro Ordo Romanus non instituit Canonem, sed eum refert, tanquam rem usitatam & celebrem in Ecclesia: quare necesse est fateri, Canonem illum antiquiorem esse Ordine Romano.

Et verò apud S. Ambrosium L. 4. de Sacramentis cap. 5. & 6. legitur verbis parum immutatis ista pars
To. 2. p. 371. & seq. Canonis: *Quam oblationem tu Deus in omnibus, quæsumus, benedictam, adscriptam, ratam &c.* & ista: *Qui pridie quàm pateretur &c.* pariter ista: *Unde & memores &c.* & ista denique, *Supra quæ propitio ac sereno &c.* quæ sunt partes quatuor potissimæ Canonis totius; duæ enim proximè præcedunt, & aliæ duæ sequuntur consecrationem. Quia verò non omnium primus S. Ambrosius partes illas Canonis instituit, sed eas ex antiquo ritu refert, ad confirmandum id quod eo loco tractabat, nempe verum esse in Eucharistia Christi corpus & sanguinem, necesse est illarum institutionem Ambrosio antiquiorem esse. Idem S. Doctor L. 4. de Sacramentis cap. 4. apertè meminit primæ orationis Canonis, ubi oratur pro Ecclesia, & pro Rege, licèt ipsa verba non exprimat. Ejusdem etiam meminit Optatus Lib. 2. contra Parmen. ubi dicit, *legitimum esse, ut offeratur* (Sacrificium) *pro Ecclesia Catholica.*

Orationis verò illius, ubi oratur pro defunctis, me-
P. 35. n. 12. To. 3. p. 2. pag. 709. D. minit etiam S. Augustinus Tract. 84. in Joan. Porro si orationes illæ ab aliquo è Summis Pontificibus, aut homine privato institutæ fuissent, vix credi potest istud ab aliquo Scriptore observatum non fuisse, sicut observata sunt ea quæ à Leone, vel Gregorio addita fuerunt; ergo antiquissimus est Canon Missæ, non recens, nec ab homine privato, qui *Scholasticus* diceretur, institutus.

Conjectura istud confirmat Bellarminus, nempe in toto Canone nullam fieri mentionem Confessorum, aut Virginum non Martyrum, sed Martyrum tantùm, seu virorum, seu feminarum, quod etiam notavit Augustinus Lib. de sancta Virginitate cap. 45. Hujus au-
To. 6. p. 364. tem rei causa nulla est alia, nisi quam reddit Innocentius III. L. 3. c. 10. de mysteriis Missæ; quia videlicet eo tempore Canon compositus est, quo nondum cæperant publicè coli in Ecclesia sancti Confessores: siquidem certum est, Martyres cæpisse publicè invocari, & eorum nominibus dies festos coli, & B[asil]icas erigi ab initio planè Ecclesiæ; Confessores autem multò seriùs hunc honorem in Ecclesia obtinuisse. Constat autem
Tom. 7. Conc. p. 1250. ex concilio Moguntino sub Carolo Magno celebrato Can. 36. festa Confessorum jam in usu fuisse an. 800. siquidem in catalogo festorum dierum ponuntur dies festi S. Martini & S. Remigii; igitur ante annum 800. Canonem compositum fuisse necesse est.

Veritas Canonis; an sit ab omni errore purus.

Negant Novatores; affirmat concilium Triden-
To. 14. Conc. p. 854. tinum Sess. 22. cap. 4. *Ecclesia Catholica*, inquit, *sacrum Canonem multis antè sæculis instituit, ita ab omni errore purum, ut nihil in eo contineatur, quod non maximè sanctitatem ac pietatem quamdam redoleat, mentesque offerentium in Deum erigat.* Et Can. 6. ejusdem Sess. *Si quis dixerit, Canonem Missæ errores continere, ideoque abrogandum esse, anathema sit.*

Canon Missæ continet orationes duplicis ordinis; aliæ præcedunt consecrationem, aliæ verò sequuntur: aliæ deprecatoriæ sunt ad divina beneficia impetranda; aliæ ad gratiarum actionem pro acceptis beneficiis. *Omnes ergo*, ait S. Augustinus, *antiquiores sunt omni memoria, excepta una vel altera. Nam quod dicimus, Imprimis quæ tibi offerimus pro Ecclesia tua sancta & Catholica &c.* Optatus L. 2. contra Parmen indicat vel hanc, vel similem recitatam fuisse ante sua tempora.

Sex omnino sunt orationes in Canone, quas Novatores inverecundè ac insciè omnino, velut erroneas, aut saltem absurdas, sugillant & carpunt. *Tanquam in tabella*, inquit Kemnitius, *spectandum proponemus, quot errores, & quæ vitia contineat Canon Pontificius,*

Prima Oratio.

Incipit ab his verbis, *Te igitur clementissime Pater &c.* & extenditur usque ad hæc verba, *Communicantes & memoriam celebrantes*, adversus quam hæc objiciunt apud Bellarminum. 1. Oratio.

I. Superfluam verbositatem. Ad quid enim, inquiunt, istæc synonima verba, *hæc dona, hæc munera, hæc sancta sacrificia illibata?* Pariter & ista, *omnibus Orthodoxis atque Catholicæ & Apostolicæ fidei cultoribus?*

II. Ante consecrationem panis & vinum vocantur *sacrificia sancta & illibata*, quod quidem videtur absurdum: si enim sancta sunt, cur in eadem oratione à Deo postulatur, ut illa benedicat? Si sacrificia sunt, ergo panem & vinum Deo sacrificamus.

III. Objiciunt verba ista Canonis, *Quæ tibi offerimus, imprimis pro Ecclesia tua.* At illa sacrificia constant ex mero pane & vino; ergo panem & vinum Deo pro Ecclesia offerimus. Neque responderi potest, inquiunt, illud, *offerimus*, accipi pro futuro; ac referendum esse ad hostiam consecratam, ut sensus sit, *mox offeremus.* Nam repugnat huic solutioni demonstrativa particula, *hæc dona, hæc munera*; dicimus enim nos offerre illa dona, quæ ad sensum tunc ostenduntur.

IV. In eadem oratione dicitur, *Quæ tibi offerimus, vel qui tibi offerunt pro redemptione animarum suarum.* Rursus, *quorum tibi fides cognita est & nota devotio.* Si ergo, ajunt, isti Fideles & devoti sunt, certè redempti sunt, si redempti, quorsum offerunt *pro redemptione animarum suarum?*

V. Verba ista, *Communicantes & memoriam venerantes &c.* significat etiam mortuos communicantes esse, cùm tamen Christus cœnam instituerit, ut esset vivorum communio.

VI. Reprehendunt ordinem verborum istorum, *ut accepta habeas & benedicas hæc dona &c.* Priùs quippe, inquiunt, debent esse benedicta, quàm à Deo accepta sint.

VII. Verba ista, *Memento Domine famulorum famularumque tuarum*, Deo videntur injuriosa, quasi obliviosus esse posset.

VIII. Ista, *pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt*, apertè demonstrant Canonem loqui de eleemosynis, quas populus solebat offerre ad altare pro pauperibus: proinde non rectè nunc ista detorquentur ad sacrificium Eucharistiæ.

IX. Ponderant ista, *pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc sacrificium laudis.* Ergo, concludunt, sacrificium nostrum tantùm laudis est ac merè spirituale; non propitiatorium, nec impetratorium.

X. An-

X. Antiqoos Ecclesiæ usus fuit, ut juxta illa verba Psal. 116. *Vota mea Domino reddam*, gratiæ Deo agerentur pro acceptis beneficiis: nunc vero sublato illo antiquo ritu, Canon Missæ verba illa refert ad Missas votivas, quæ data pecunia celebrantur.

XI. Canon Missæ Martyrum memoriam renovat, *& memoriam venerantes*; antiquitus autem Ecclesia non tantum Martyrum memor erat, sed eorum præclare gesta ac susrepta pro fide certamina prædicabat.

XII. Io Canone Sancti invocantur, quod non licet.

Resp. hæc omnia, quæ opponunt Novatores, partim sophistica esse, ex ignoratione elenchi, ut vocant; partim falsa, ex erroneo Novatorum præjudicio; partim frivola & nugatoria.

Ad primum, quomodo ignorant Adversarii, rei ejusdem frequentem repetitionem valere plurimum ad effectum explicandum & inculcandum? Cantica & Psalmi vix aliquid semel pronuntiant, quod non iterum aliis verbis repetant. Psalm 92. *Quoniam ecce inimici tui, Domine, quoniam ecce inimici tui peribunt.* Psalm. 115. *Ego servus tuus, ego servus tuus, & filius ancillæ tuæ.* imo Psalm. 118 qui omnium prolixior est, idem fereo omnibus versibus repetit: & S. Lucas c. 18. cum narrasset Dominom prædixisse Apostolis mortem suam proximam esse, subjungit, *Et ipsi nihil eorum intellexerunt, & erat verbum istud absconditum ab eis, & non intelligebant quæ dicebantur.* An verba hæc veluti otiosam & anilem repetitionem sugillare audebunt Novatores?

Ad secundum, qois nesciat panem & vinum appellari sacrificia & quidem sancta & illibata, quia sunt materia sacrifi ii sancti & illibati, ad quod destinantur & prævius oratiunibus præparantur? In veteri lege oves adhuc viventes passim sacrificia dicebantur, cum scilicet destinabaotur & adducebantur ut immolarentur.

Ad tertium eadem recurrit solotio. Panis recte dicitur afferri pro Ecclesia, non quod ista oblatio sit proprie sacrificium propitiatorium, sed quod ista est dedicatio rei, ex qua faciendum est sacrificium propitiatorium. Cum igitur dicimus nos Deo panem offerre pro Ecclesia, sensus est, nos offerre Deo panem consecrandum, ex quo, accedente consecratione, verum sacrificium Deo immolandum est pro Ecclesia. Sophisma in eo est, quod per panem, Novatores intelligant, tum ante, cum post consecrationem, panem ordinarium, nulla supposita illius in corpus Christi transmutatione.

Ad quartum duplex potissimum hic distinguenda redemptio: una solutionis pretii nostræ redemptionis, quæ in cruce facta est & in Missa repræsentatur; altera applicationis pretii in cruce soluti, quæ justificatio dicitur Rom 3. *Justifi ati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem quæ est in Christo Jesu.* De ista posteriori intelligenda sunt verba orationis supradictæ.

Ad quintum, illud, *communicantes*, inquit Bellarminus, dupliciter exponitur à Veteribus. Quidam, ut Alcuinus, Amalarius & alii, referunt illud ad communionem cum Sanctis, ut sensus sit: Offerimus hoc sacrificium communicantes memoriis Sanctorum, & eosdem Sanctos venerantes; ubi non fit mentio communionis per manducationem Eucharistiæ quæ non convenit mortuis, sed communionis per societatem & conjunctionem in corpore Christi mystico. Alii, inter quo est Micrologus c. 12 & Hugo Victorinus L. 2. de Officiis c. 19. volunt illud *communicantes*, referri ad offerentes inter se, non cum Sanctis; ut sensus sit: Offerimus communicantes, id est inter nos unitι & conjuncti, ut decet membra ejusdem corporis, & præterea memoriam Sanctorum venerantes. Id probat Mircologus optima ratione: nam in Natali, Epiphania, Pascha, Ascensione & Pentecoste, post illud *communicantes*, additur, *& diem sacratissimum celebrantes &c.* & paulo post, *sed & memoriam venerantes &c.* ubi aperte videmus, illud, *communicantes*, oon conjungi cum memoria Sanctorum, sed ad solos offerentes referri debere.

Ad sextum, facilis est solutio. Nam ut est oblatio duplex, una rei consecrandæ, altera rei consecratæ, ita est duplex acceptatio: benedictio autem & sanctificatio unam earum oblationum & acceptationum sequitur, alteram vero præcedit; unde sicut hoc loco ubi agitur de prima acceptatione, postponitur benedictio; ita paulo post in illa oratione, *Quam oblationem tu, Deus, in omnibus benedictam, adscriptam, ratam, acceptabilem facere digneris*; ubi agitur de posteriori acceptatione, præponitur benedictio.

Ad septimum: nihil in scripturis occurrit frequentius quam istæ loquendi formolæ, *Memento*, vel, *Recordare Domine*. Vide exod. 32. v. 13. Deut 9 v 27. Lib. 4. Regum c. 20. v. 3. Lucæ 23. v. 42. Non solum in Scripturis passim legimus, *Memento Domine*, sed vel, *Ne obliviscaris*: vel *Quare oblivisceris* ut Psalm. 9. v. 32. Psalm. 12. v. 2. & Psalm 41. v. 10. Qui verba hujuscemodi Deo injuriosa esse dicuot, eorum profecto sensum non assequuntur. Metaphorici sunt illi modi loquendi, dicitur enim Deus per metaphoram *oblivisci*, quando oon juvat; è contra *recordari*, quando juvare incipit.

Ad octavom, falso prorsus id supponont Novatores. Nulla hic eleemosynarum mentio, sed eorum duntaxat qui offerunt, vel pro quibus offertur sacrificium: alii quippe absentes suot, qui non offerunt, sed pro quibus offertur; alii vero præsentes qui offerunt sacrificium mente ac spiritu, sese uniendo Sacerdoti sacrificanti.

Ad nonum: Missa jure merito sacrificium laudis dicitur, sicut & sacrificium eucharisticum, quia ad Dei laudes, & gratiarum actiones ipsi pro acceptis beneficiis referendas ordinatur: at ita sacrificium laudis dicitur, ut etiam sit reale, verum, propitiatorium; imo ex eo potissimum sacrificium laudis ac gratiarum actionis est, quod verum sit propitiatorium & impetratorium.

Ad decimum, isthæc omnia calumniæ ac mendacia sunt: non enim Canon per vota intelligit Missas votivas, sed pia desideria & oblationem astantis populi; hæc enim verba dicuntur in omnibus Missis, etiam non votivis, & ab iis qui pecuniam nunquam accipiunt, vel acceperunt pro Missæ celebratione.

Ad undecimum, falsum est quod supponit Objectio: Veteres enim non in Liturgia, sed in concionibus ad populum, tum in Lectionibus quæ recitantur in Horis Canonicis, Martyrum præclare ac fortiter gesta memorabant. Et vero in nulla Liturgia, sive Basilii, sive Chrysostomi, aut alia qualibet Martyrum præclare gesta leguntur, sed eorum duntaxat nomina recitantur & apud Deum gratiam & protectionem imploramus.

Ad duodecimum, nihil novi. Hæc objectio continet adversus cultum & invocationem Sanctorum, de quo argumento alibi disputavimus.

Secunda Canonis Oratio

His verbis concepta est: *Hanc igitur oblationem servitutis nostræ, sed & cunctæ familiæ tuæ, quæsumus Domine ut placatus accipias, diesque nostros in tua pace disponas; atque ab æterna damnatione nos eripi, & in electorum tuorum jubeas grege numerari.* In hac oratione quatuor à Deo petuntur. 1. ut oblationem nostram placatus accipiat. 2. ut dies nostros in sua pace disponat 3 ut ab æterna damnatione nos eruat. 4 ut in electorum grege nos numeret.

Adversus illam Orationem opponit.

I. Lutherus, nos panem & vinum offerre ut Fideles liberentur ab æterna damnatione. *Tantam*, inquit, *efficaciam panis & vini tribuunt. Nam ad hanc redemptionem nullius est momenti mors & passio Filii Dei.*

II. Kemnitius opponit veterem Ecclesiam obtulisse Deo in celebratione Eucharistiæ, preces pro impetrandis per Christum beneficiis temporalibus & æternis. *Ad hoc sacrificium precum*, inquit, *veteres petierunt hæc verba*, hanc oblationem placatus accipias &c. *Pontificius vero Canon hæc transfert ad memoriam sive ad repræsentationem panis nondum consecrati; & orat, ut Deus illam ita accipiat, ut propter illam dies nostros in sua pace disponat, & à damnatione nos eripiat.*

Resp. cum Bellarmino, hæc duo totidem calumnias esse, non argumenta.

Ad primum, non orat Sacerdos, ut per oblationem panis & vini liberemur ab æterna damnatione, sed orat Deum ut ipsam panis & vini oblationem accipiat tanquam materiam sacrificii futuri, eamque benedicat & sanctificet, benedictione quadam & sanctificatione præparatoria ad consecrationem. Deinde adjungit aliar tres petitiones supra enumeratas: at non precatur eas impleri per oblationem panis & vini, sed per eundem Christum Dominum nostrum. Post consecrationem vero, non amplius panem & vinum sed ipsum Christi corpus & sanguinem offert in redemptionem peccatorum nostrorum.

Ad secundum, falso ait Kemnitius, hanc oblationem referri posse ad preces quibus vetus Ecclesia pro beneficiis impetrandis utebatur. Namque de eadem oblatione agitur in prima, secunda, & tertia oratione Canonis: in tertia vero clarum est, per oblationem.

nem intelligi debere oblationem panis & vini consecrandi, quia expresse dicitur, *ut fiat nobis corpus & sanguis &c.* non igitur ad eleemosynam, nec ad orationem, sed ad Eucharistiæ sacrificium referendum est, quidquid dicitur in his orationibus.

Tertia Oratio.

Quam oblationem tu Deus in omnibus, quæsumus, benedictam, adscriptam, ratam, rationabilem, acceptabilemque facere digneris, ut nobis corpus & sanguis fiat dilectissimi Filii tui Domini nostri Jesu Christi, & continuatur usque ad finem consecrationis. Huic Orationi hæc opponit Lutherus.

I. Quod hic oremus pro Christo, quasi mediatores simus inter Christum & Patrem, Deumque rogemus, ut benedicat, & sanctificet corpus & sanguinem Christi.

II. Ad hæc verba, *benedictam, adscriptam, ratam, rationabilem, acceptabilemque facere digneris. Portenta illa verborum*, ait Lutherus urbane satis ac honeste, *neque ego intelligo, nec stolidus ille qui scripsit.*

III. Kemnitius contendit nomen *oblationis* in ista oratione, *Quam oblationem &c. à Pontificiis detorqueri ad actionem sacrificuli* designandam.

IV. Licet fateatur idem Kemnitius, verba citata tertiæ Orationis legi apud S. Ambrosium L. 4. de Sacram. c. 5. & apud S. Augustinum, referente Gratiano. Cap. *Utrum. De consecr.* dist. 2. attamen contendit longe alium sensum illius esse apud illos Patres, & apud nos: apud illos enim referuntur ad sumptionem Sacramenti, apud nos vero ad repræsentationem.

Resp. ad primum, objectionem Lutheri esse de falso supponente. Non enim oramus pro Eucharistia consecrata, sed pro pane & vino consecrando; neque petimus, ut Deus benedicat & sanctificet corpus & sanguinem Christi, sed ut benedicat & sanctificet panem & vinum, ut per benedictionem & sanctificationem præparetur, & fiat corpus & sanguis Christi. Cum igitur etiam post consecrationem frequenter supra corpus & sanguinem Christi fit signum crucis per modum benedictionis, hoc unum ritus ille significat, omnem scilicet vim & efficaciam sacrificii Missæ, esse à cruce, passione & morte Christi, cujus commemoratio & repræsentatio est.

Ad secundum quæ Luthero verborum portenta videntur, hæc fatente ipsomet Kemnitio, leguntur apud SS. Ambrosium & Augustinum, quibus non *portenta*, sed mysteria visa sunt. Quamquam fallitur ille dum Augustinum hic appellat: non enim extant apud illum citata verba, sed apud Ambrosium & apud Paschasium in L. de corpore Christi cap. 4. Falso etiam supponit Kemnitius, aliter à nobis, & aliter à S. Ambrosio citata verba intelligi; namque non de sumptione, sed de consecratione, utrobique intelligenda sunt. Litteralis autem illorum verborum expositio, ut ex Alcuino & Hugone, atque Innocentio colligimus, hæc esse videtur: petimus à Deo, ut ipse oblationem nostram consecrando, benedictam & sanctam ex communi & profana efficiat; eandemque approbando, faciat adscriptam, id est adscribat & numeret inter dona quæ ipsi probantur: confirmando ratam efficiat, id est stabilem & firmam, ut fructum certum & perpetuum ad nos referat: rationabilem quoque faciat, ut non solum bona, sed etiam bene, rationabiliter, & prudenter offeramus, ac sit rationabile obsequium nostrum, juxta Apostolum, Rom. 12. Denique acceptabilem faciat, id est, ita undique bene se habentem, non solum ex parte doni, sed etiam ex parte ministri offerentis, ut digna sit, quæ à Deo acceptetur.

Ad tertium, fallitur Kemnitius. Verba etenim ista: *Quam oblationem tu Deus &c.* non ad actionem sacrificantis, ut imponit Kemnitius, sed ad panem & vinum referuntur, nullus enim unquam tam absurdus fuit, vel stupidus, ut non videret nomen oblationis hoc loco ad panem & vinum, non ad actionem referri posse; siquidem à Deo petimus, ut hanc oblationem ita benedicat, ut ea fiat nobis corpus & sanguis Christi.

Ad quartum, patet responsio ex dictis in responsione ad secundum.

Quarta oratio.

Ab his verbis incipit, *Unde & memores, Domine, nos servi tui, sed & plebs tua sancta, ejusdem Christi Filii tui Domini nostri &c.* & extenditur usque ad illud, *Memento etiam, Domine &c.* namque ante *Memento*, ponitur conclusio, *Per Christum Dominum nostrum.*

Opponit Lutherus

I. Verbositatem seu inutilem repetitionem.

II. His verbis, *supra quæ propitio & sereno vultu respicere digneris*; ajunt nos orare pro Christo, & reconciliare velle Filium Patri, quod est perabsurdum.

III. Per hæc verba, *sicut accepta habere dignatus es munera pueri tui justi Abel, & sacrificium Patriarchæ nostri Abrahæ*, videmur non plus tribuere hoc loco efficaciæ ipsi Christo pro nobis immolato, quam irrationali pecori.

IV. Objicit & ista verba, *& quod tibi obtulit summus Sacerdos tuus Melchisedech.* Porro inquit Lutherus, Melchisedech nunquam panem & vinum sacrificavit.

V. Sacerdos ait, *Jube hæc perferri per manus sancti Angeli tui in sublime altare tuum.* Porro absurdum videtur ut Sacerdos petat deferri in cœlum, quod ipse paulo post consumpturus est; nec minus absurdum est, ut altare aliquod esse cogitetur in cœlo.

VI. Absurdum quoque Luthero videtur Sacerdotem dicere, *ut quotquot ex hac altaris participatione sumpserimus*, quasi multi forent communicantes, cum solus ipse sit communicaturus.

VII. Reprehendunt istud, *panem sanctum vitæ æternæ, & calicem salutis perpetuæ.* Quæ verba suspicantur adjecta ab aliquo indocto & superstitioso, qui sibi persuaserat, Christum in Missa Deo Patri offerri. Id vero probant, quia cum paulo ante in eadem prece dicatur, *Offerimus de tuis donis ac datis*, quæ sine dubio ad eleemosynas, quæ à populo offeruntur, referenda sunt, non potuit nisi indoctus aliquis, sermonem de eleemosyna institutum, continuo transferre ad Christum.

VIII. Kemnitius observat, *antiquitus de oblatis à populo donis & datis sumebatur quod sanctificabatur verbo Christi, ut fieret Eucharistia corporis & sanguinis Domini, & hæc sumptio & sanctificatio dicebatur oblatio; nunc cum mos ille non servetur, verba transferuntur ad repræsentationem sacrificuli.*

IX. Reprehendit idem Kemnitius ista verba, *supra quæ propitio ac sereno vultu &c.* ubi horrendam comparationem fieri dicit inter Christum & bruta animantia, quæ ab Antiquis immolabantur; & addit hanc orationem apud Basilium extare ante consecrationem, ubi comparatio fit sacrificii Abelis, Noe, Abraham, & aliorum Veterum, cum oblationibus panis & vini, quæ à populo afferuntur; sed imperitia auctoris Canonis, positam esse post consecrationem, & inde factum esse, ut intolerabilem errorem contineat.

X. Denique objicit idem Kemnitius verba ista, *jube hæc perferri.* Namque absurdissimum esse ait, quod petamus Christi corpus nunc primum in cœlum ab Angelis deferri, cum Apostolus Hebr. 9. dicat, Christum jamdudum in cœlum ingressum esse. Deinde affirmat hæc verba legenda esse ante consecrationem, & ad preces & eleemosynas esse referendas. Id vero probat ex Irenæo, qui L. 4. c. 34. dicit orationes & eleemosynas deferri ad altare, quod est in cœlo: tum ex Augustino, Cap. *Utrum, De consecratione*, dist. 2. tum ex cap. 12. Tobiæ, & cap. 5. Apocal. ubi preces dicuntur ab Angelis in cœlum deferri.

Resp. ad primum, similia prorsus verba legi apud S. Ambrosium L. 4. de Sacramentis cap. 6. atque eodem plane spiritu Apostolus Rom. 12. scripsit, *hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium.* Ad prætensam quam Lutherus opponit verbositatem, patet responsio ex iis quæ dicta sunt ad primam orationem.

Ad secundum 1. verba citata extant apud S. Ambrosium post consecrationem L. 4. de Sacramentis c. 6. Omnes item græcæ Liturgiæ post verba consecrationis ponunt orationem pro donis pretiosis & sanctificatis; quare novus non est, sed antiquissimus ritus orandi pro oblatione jam consecrata. 2. illud orare non est pro reconciliatione Christi apud Patrem, sed pro nostra potius infirmitate; est enim oblatio consecrata ex parte rei quæ offertur, & ex parte Christi principalis offerentis, quæ semper Deo placet: verum ex parte ministri vel populi astantis, qui simul etiam offerunt, potest non placere. Id igitur est quod petimus, ut Deus benigne respiciat hoc munus ut à nobis offertur.

Ad tertium, ea pariter verba extant apud S. Ambrosium loco citato, Neque vero comparatio fit inter sacrificium nostrum, & sacrificium Abelis & Abrahæ absolute, sed tantum ratione fidei & devotionis offerentium: id scilicet optamus, ut Deus nobis det tanta fide & devotione sacrificium offerre, quanta Abel & Abraham obtulerunt; & proinde ut ex parte

ministri

ministri non minus placeat Deo sacrificium nostrum, quam illorum placuit: fieri autem comparationem inter sacrificium illorum & nostrum, ratione fidei & devotionis, non autem absolute, aperte indicare videtur Apostolus Hebr. 11. *Fide*, inquit, *plurimam hostiam Abel, quam Cain obtulit*. Et Gen. 4. *Respexit*, inquit auctor sacer, *Deus ad Abel, & ad munera ejus*.

Ad quartum, ex dictis antea cum de veritate sacrificii agebamus, manifestum est, Melchisedechum obtulisse panem & vinum, ideoque Christum ab Apostolo Hebr. 5. vocari Sacerdotem secundum ordinem Melchisedech.

Ad quintum, non tam crasse hæc intelligenda sunt, quasi quoddam sit in cœlo altare corporale ac sensibile, & ad illud reipsa & corporaliter Sacramentum corporis Domini manibus Angelorum deferatur; spirituali ergo sensu altaris nomen hic usurpandum: quo sensu in Apocalypsi dicitur esse in cœlo tabernaculum, thronus, incensum, thus &c. Porro altare illud, vel Christus ipse est, per quem ad Deum orationes & oblationes nostræ ascendunt, vel certe altare dicitur esse in cœlo, quia in Cœlo recipiuntur sacrificia quæ Deo vero immolantur in terris: deferri autem sacrificia nostra ad Deum per manus Angelorum, nihil est aliud, nisi Angelorum intercessione juvari, & Deo commendari nostrum obsequium & cultum, quam illi immolando exhibere desideramus. Neque dissimile est, quod legimus Tobiæ 12. & Apocal. 8. orationes nostras ab Angelis deferri ad Deum: neque enim Angeli voces & verba nostra corporalia sursum deferunt, sed vota & desideria nostra intercessione sua Deo commendant.

Ad sextum, absolute non loquitur Sacerdos sive de multis, sive de uno; sed orat, ut quotquot sumpserint, sive unus, sive multi sint, utiliter sumant. Vide quæ superius diximus de Missis privatis.

Ad septimum, verba, inquit Bellarminus, quæ ab aliquo indocto adjecta suspicatur Georgius Major, habentur etiam apud S. Ambrosium L. 4 de sacr. cap. 6. tanquam usitata & recepta in tota Ecclesia; & quædam similia habentur in Liturgiis græcis, Jacobi, Basilii, & Chrysostomi: neque male cohærent ista cum illis, *de tuis donis ac datis*. Namque ista possunt referri ad panem & vinum, ex quibus fit Eucharistia, ut sensus sit, Offerimus tibi hostiam puram, panem sanctum & calicem salutis, quem ex creaturis tuis à te datis & donatis, ex pane scilicet & vino per consecrationem habemus. Sic exponit Innocentius L. 5. c. 3. de mysteriis Missæ. Possunt etiam referri omnia ad ipsam Eucharistiam; sive ad Christum, ut in Eucharistia præsentem: rectissime enim dicitur Christum, Dei donum & datum. Joan. 3. *Sic Deus dilexit mundum ut Filium suum unigenitum daret*. Et ipsummet Sacramentum & sacrificium, nonne verissimum est Dei donum & datum?

Ad octavum, apertum est Kemnitii mendacium, quod Catholici verba transferant ad repræsentationem sacrificuli: omnes enim Catholici verba illa, *offerimus præclaræ majestati tuæ*, de quibus adversarius loquitur, referunt ad ipsam hostiam puram & sanctam confectam per consecrationem ex Dei donis ac datis, ut verba ipsa Canonis sonant, non ad aliquam repræsentationem. Impertinens autem est, utrum panis & vinum, unde fit Eucharistia, sint à populo data, an à Sacerdote oblata; undecumque enim venerint, Dei dona & data rectissime nuncupantur, & Eucharistiæ materia esse possunt.

Ad nonum: Quod attinet ad comparationem, ait Bellarm. jam solutum est in responsione ad tertium Lutheri argumentum. quod vero ad transpositionem pertinet, falsum est hanc orationem transpositam fuisse; constat enim ex S. Ambrosio Lib. 4 de Sacramentis cap. 6. eam fuisse post consecrationem, etiam tempore Basilii; Ambrosius enim, qui eam legit post consecrationem, æqualis Basilii fuit. Neque obstat, quod apud Basilium alia quædam similis oratio habeatur ante consecrationem, nam in utroque loco ea oratio recte inseri potest: unde in nostro Missali habetur quædam similis oratio ante consecrationem, ut idem Kemnitius annotavit, in Collecta secreta Dominicæ septimæ post Pentecosten; & tamen rursus habetur post consecrationem.

Ad decimum, fatendum est absurdissime dici Christi corpus nunc primum in cœlum ab Angelis deferri corporaliter: sed quis inter Catholicos tam absurdus est qui hoc dicat? Hoc unum docemus, ut jam dictum est, oblationem corporis Christi ab Angelis in cœlū deferri, quatenus Angeli suis precibus nostrum obsequium Deo commendant; quod idem Kemnitius de precibus & eleemosynis dicere cogitur, quas ab Angelis in cœlum deferri, ex Tobia & Joanne non ignorabat. Neque enim haud dubie censuit eas reipsa & corporaliter deferri, sed modo duntaxat spirituali, quo etiam modo Eucharistiæ sacrificium in cœlum ab Angelis defertur. Quod attinet ad alteram partem objectionis, falsum est hæc verba fuisse olim posita in Canone ante consecrationem: nam & Ambrosius ea legit post consecrationem, & ita etiam habent Liturgiæ Jacobi, Clementis, Chrysostomi.

Quinta Oratio.

Ista est. *Memento, Domine, famulorum, famularumque tuarum, qui nos præcesserunt cum signo fidei, & dormiunt in somno pacis. Ipsis, Domine, & omnibus in Christo quiescentibus, locum refrigerii, lucis & pacis, ut indulgeas deprecamur, per Christum Dominum nostrum.*

Objicit 1. Lutherus hanc orationem secum ipsam pugnare. Namque hic oramus pro iis qui dormiunt in somno pacis, & qui in Christo requiescunt; & tamen eis apprecamur locum refrigerii lucis & pacis. Si dormiunt ac requiescunt, quid illis refrigerium petimus? si pacem habent, cur pacem illis optamus?

Objicit 2. Kemnitius, olim solam memoriam defunctorum fieri solitam ad imitationem scilicet, & in testimonium, quod mortui apud Deum vivant: postea ad illam memoriam accessisse etiam preces pro defunctis: postremo sacrificium ipsum pro defunctis offerri cœptum; ita nimirum paulatim Veterum instituta in superstitiones degenerasse.

Resp. ad primum, manifestum eos, quos hæc oratio spectat, in Purgatorio detineri, qui pacem quidem aliquam habent, quia certi sunt ac securi de præmio æternæ fœlicitatis, & liberi à bello tentationum & concupiscentiæ, & ab omni opere malo; sed nondum pacem & plenam quietem possident, ob quasdam peccatorum reliquias, quæ ipsis expiandæ supersunt. Nec poterat oratio hæc ita componi, ut solis conveniret qui in Purgatorio degunt: nam qui sunt in gehenna, ii nullam pacem & quietem habent, qui vero sunt in regno, omnem pacem & quietem possident: soli, qui in Purgatorio exercentur, ita in somno pacis requiescunt, ut adhuc refrigerio & pace indigeant.

Ad secundum, patet solutio ex iis quæ supra diximus de constanti usu offerendi sacrificium pro defunctis. Unum hic profero testimonium Dionysii (si tamen genuinum est opus quod ipsi tribuitur) L. de Ecclesiast. Hierarch. c. 7. parte 3. ubi sic loquitur, *Accedens Antistes precem sacram super defuncto peragit: qua finita, ipse met Antistes eum salutat, ordineque deinceps sui omnes qui adsunt. Rogat itaque precatione illa divinam bonitatem, ut defuncto peccata omnia dimittat, quæ per humanam infirmitatem contracta sunt, eumque in lucem sanctam ac vivorum regionem transferat &c.* To. 1. p. 611.

Sexta oratio Canonis.

Incipit illa oratio ab his verbis, *Nobis quoque peccatoribus*, & extenditur usque ad *Per omnia sæcula sæculorum*, ante Dominicam orationem; concluditur enim totus Canon alta voce his verbis, *Per omnia sæcula sæculorum*, ut populus totum confirmet, respondendo *Amen*. Quapropter feria sexta majoris hebdomadæ, quia totus Canon qui pertinet ad consecrationem, omittitur, nulla harum sex orationum legitur, nec dicitur *Per omnia sæcula sæculorum*: sed immediate post lotionem manuum, fit transitus ad orationem Dominicam. In hac oratione Sacerdos pro se ipso Deum orat, ac suis meritis diffisus, precatur sibi ex divina misericordia, partem & societatem cum sanctis Apostolis & Martyribus.

Adversus hanc orationem Lutherus.

Objicit 1. culpandum esse Sacerdotem quod hoc loco non precetur se admitti ad consortium Christi, quasi eo non indigeat; sed tantum ad consortium Sanctorum: & rursus, quod solum petat partem cum Sanctis, cum Christus non partem, sed totum thesaurum suum dare paratus sit.

Objicit 2. adversus ista verba, *per quem hæc omnia semper bona creas*, quasi existimemus per nos Christum creari. Addit Kemnitius, hæc olim ante consecrationem dici consuevisse ad eleemosynas populi commendandas.

Resp. ad primum, nugæ illæ sunt ac calumniæ Lutheri. Ignorat ille consortium Sanctorum esse ipsum Christi consortium; id enim petimus, ut in regno Christi consortium Sanctorum habeamus. Quod attinet ad vocem, *partem*, ignorat etiam Lutherus eam ex sacris Litteris desumptam esse, quæ per partem

cum

cum Sanctis, describunt omne bonum & felicitatem Coloss. 1. *Qui dignos nos fecit in partem sortis Sanctorum.* Et Joan. 13 Dominus ad Petrum, *Si non lavero te, non habebis partem mecum.* Adde, inquit Bellarminus, quod hanc partem orationis, quam Lutherus ita reprehendit ac ridet, è contrario Kemnitius vehementer laudat. *In altera*, inquit, *commemorationis Sanctorum verba sunt pulcherrima. Nobis quoque peccatoribus famulis tuis: Hæc absque dubio fuit formula veteris commemorationis Sanctorum.*

Ad secundum, hæc verba nusquam inveniuntur in Liturgiis vel apud Expositores ante consecrationem posita: inveniuntur autem post consecrationem, apud Alcuinum & Amalarium L. 3. de Officiis eccles. cap. 26. Nihil autem absurdi hæc verba continent, sed potius aptissime conveniunt in Canonis conclusionem: commemorant enim brevissime omnia beneficia divina circa hoc Sacramentum, inchoando à prima productione materiæ, unde illud conficitur. Dicimus itaque 1. hoc Sacramentum à Deo per Christum ratione materiæ primo creari. 2 sanctificari, cum dedicatur per primam oblationem ad Sacramentum conficiendum. 3 vivificari, cum efficitur mysterium vitæ & in verum corpus Domini & in ipsum Christum, qui est vita nostra, convertitur per consecrationem. 4. benedici, cum omnis benedictionis effectum recipit, ut scilicet sacramentali efficacia caput cum membris uniat 5 denique, nobis præstari, cum ad sumendum, ut ex eo vitam hauriamus, datur. Ita Alcuinus totum hunc locum exponit. & post eum Hugo L. 2 de officiis divinis c. 36. Hactenus Bellarm.

De Oratione Dominica, & sequentibus orationibus.

Omnium præstantissima oratio est, cujus ipsemet Christus formam & præceptum nobis dedit.

Tertullianus Lib. de Oratione eam appellat *Breviarium totius Evangelii.* Revera etenim compendiose continet quæcumque petere à Deo tenemur, quæ nostri officii sunt, sive erga Deum, sive erga proximum, sive erga nos ipsos

Pagina 130. A.

Oratio illa Dominica recitatur vel canitur tempore quod interjacet inter consecrationem & communionem. Ita quoque apud Græcos collocatur, cum hoc uno discrimine, quod apud illos à toto astante populo canitur, apud nos à solo celebrante Episcopo vel Sacerdote. Quadam veluti præfatiuncula disponitur ad eam pronuntiandam, his verbis, *Præceptis salutaribus moniti, & divina institutione formati, audemus dicere, Pater noster &c.* Antiquissima vero est illa præfatio, cujus mentionem habet S. Hieronymus L. 3. contra pelagianos *Sic*, inquit, *docuit Apostolos suos* (Christus) *ut quotidie corporis illius sacrificio credentes audeant loqui, Pater noster &c.* Integra fere reperitur apud S. Cyprianum Lib. de Oratione. Porro dominica illa oratio in omnibus extat Liturgiis, atque illam in Missa legendam esse, perspicuum est ex S. Cyrillo Catechesi 5. Mystag. ex S. Ambrosio L. de Sacramentis 5. cap. 4. ex S. Hieronymo loco mox relato, & ex S. Augustino Epistola 149 aliàs 59. ad Paulinum &c.

To. 4. p. 2. pag. 543.

Post orationem Dominicam sequitur oratio quædam quæ ab his verbis incipit, *Libera nos quæsumus Domine, ab omnibus malis præteritis, præsentibus & futuris &c.*

Sequitur deinde alia oratio dum hostia frangitur & commiscetur corpus Domini cum sanguine, *Pax Domini &c. & Hæc commixtio & consecratio corporis & sanguinis Domini nostri Jesu Christi fiat accipientibus nobis in vitam æternam Amen.*

Luthero displicet hæc oratio his de causis 1. quia videtur prorsus absonum ut commisceatur corpus cum sanguine, cum unus sit Christus & indivisus. 2. non minus absurdum ipsi videtur, ut ista mixtione fiat consecratio, quæ jam facta supponitur 3. denique perperam omnino huic commixtioni vis tribuitur conferendæ vitæ æternæ: cum enim mixtio hæc opus nostrum sit, si eam vim habet salutis conferendæ, certe opere nostro salutem consequemur.

Verum nullo negotio hæc diluuntur.

Ad primum recte Bellarminus reponit, nunquam Catholicorum mentem hanc fuisse, corpus & sanguinem in propria specie commisceri: norunt etenim id fieri non posse; sed in specie panis & vini: sicut enim ratione specierum dicitur videri, tangi & frangi, ita etiam dici potest commisceri.

P. le Brun, To 1. p. 581.

Dubitant nonnulli utrum illa oratio instituta fuerit ad commiscendam partem hostiæ consecratæ cum vino consecrato, vel tantum ad commiscendam partem hostiæ, vel aliquot sanguinis guttas cum vino non consecrato. At nulla solida videtur esse dubitandi ratio In Missali quippe Ambrosiano legitur, *Commixtio consecrati corporis & sanguinis.* E contrario D. de Vert. opinatur non alium in finem institutam dictam orationem quam ut ad populi communionem aliquot sanguinis consecrati guttæ cum vino consecrato miscerentur Usum hunc aliquando in nonnullis ecclesiis obtinuisse testatur Ordo Romanus; testatur & Durandus decimo tertio sæculo L. 4. c. 41. n. 1. *In quibusdam locis*, inquit, *post sumptionem corporis & sanguinis Christi aliquid de ipso sanguine reservatur in calice, & superinfunditur vinum purum ut ipsi communicantes inde sumant Non enim esset decens tantum sanguinis consecrare, quo calix capax inveniretur.* Porro, quod observandum, in hujusmodi mixtione nulla pronuntiabantur verba: non dicebatur oratio *Hæc commixtio & consecratio*; sicut non dicitur feria sexta majoris hebdomadæ in Missa præsanctificatorum: solum quippe vinum est in calice cui particula hostiæ consecratæ admiscetur. *Hac die*, ait Ordo Romanus, *quando particula hostiæ in calicem mittitur, non dicuntur verba illa*, fiat commixtio *quia ibi de sanguine mentio fit, sed in calice sanguis non est, nec hostia consecratur* In Missis autem quæ quotidie celebrantur, dicta oratio, *Commixtio & consecratio &c* pronuntiatur, non ad denotandam mixtionem vini consecrati cum vino non consecrato, ut placet D de Vert, sed mixtionem corporis & sanguinis Christi. Si vero postulaveris mysticam hujusce mixtionis rationem & causam facile respondetur, istam esse, ut postquam per separationem utriusque speciei mors Christi adumbrata fuit, per commixtionem corporis & sanguinis significetur Christum toto resumpto sanguine vivum à mortuis surrexisse, non amplius moriturum. *In isto officio*, ait Amalarius L. 3. de eccles. Off. c. 31. *monstratur sanguinem fusum pro nostra anima, & carnem mortuam pro nostro corpore, redire ad propriam substantiam, atque spiritu vivificante vegetare hominem novum, ut ultra non moriatur, quo pro nobis mortuus fuit & resurrexit.*

Bibl. PP. To. 14 pag. 997.

Ad secundum, consecratio ibi sumitur pro re ipsa consecrata, nempe corpore & sanguine Christi: quo sensu S. Laurentius Sixto Summo Pontifici dicebat apud S Ambrosium L. 1. de de Officiis c 41: *Experire utrum idoneum ministrum elegeris, cui commisisti Dominici sanguinis consecrationem* hoc est sanguinem consecratum, ut populo distribueretur: neque enim Diaconis datum unquam fuit ut Eucharistiam consecrarent Vox illa, *consecratio*, ait hic Bellarminus L. 2. de Missa c. 17. si bene intelligatur, nihil habet incommodi Non enim petimus ut nunc fiat consecratio, sed ut consecratio antea facta, sit nobis ad vitam æternam salutaris. Addit forsan commode responderi posse, aliquo sensu novam quamdam fieri consecrationem seu significationem sacramentalem, nempe resurrectionis Christi, per illam corporis & sanguinis commixtionem.

To. 2. p. 55. A.

Ad tertium, patet solutio ex mox dictis: non enim ex commixtione ipsa, sed ex corpore & sanguine Christi commixtis æterna salus nostra dependet ac speranda est.

At, inquies cum Kemnitio Julius S Pontifex apud Gratianum. Can. *Cum omne. De consecr.* dist 2. prohibet illam mixtionem in Missa fieri.

Resp. Julium non prohibere mixtionem quæ fit in Missa, sed eam quam nonnulli faciebant, cum populo Eucharistiam porrigebant Priorem mixtionem semper usurpavit Ecclesia, quam expresse commendat ac præcipit Concilium Arausicanum I an 441. Can 17. *Cum capsa*, inquit, *& calix offerendus est, & admixtione Eucharistiæ consecrandus.* Unde Micrologus c 18. describit commixtionem quæ fit in Missa, ut antiquissimam & legitimam: deinde c. 19. damnat commixtionem illam quam Julius reprehendit.

Tom. 3. Conc. p. 1450. Biblioth. PP. T. 18. p. 477

Post commixtionem sequitur *Agnus Dei.* Tum sequuntur tres orationes ante communionem, tum ista, *Quod ore sumpsimus &* & illa. *Corpus tuum, Domine, quod sumpsi &c.* tum denique Missa clauditur dimissione populi, per ista verba: *Ite Missa est*, in quibus exponendis cum nulla specialis occurrat difficultas, diutius hic non immorabimur Legatur eam in rem egregium Opus eruditi Patris le Brun, de quo mentionem sæpius fecimus.

Atque hæc dicta sint de augustissimo Eucharistiæ Sacramento, & de sacrificio, in quibus exponendis, si quid nobis incautis minus sanum & rectum excidisse deprehendatur, pro non dicto ac revocato habemus.

F I N I S.

INDEX

d.p.Restauro s.n.c.

Intervento di restauro, segnatura 2-55 Vol III

- collazione
- spolveratura
- rammendo alla piega e imbrachettatura (velina giapponese Vang 25502 e 25508)
- integrazione lacune e strappi (carta Vang 25517 e 25502)
- spianamento a umido
- cucitura su 4 nervi in traccia originale (filo in cotone, corda di canapa)
- fogli di guardia struttura F (carta Vang 20231)
- prima indorsatura (carta Vang 25517)
- capitelli (lino naturale, cotone colorato)
- seconda indorsatura lino e cuoio sfiorato
- piatti (cartone fibrato tipo Avana)
- compensazioni in cartoncino durevole per la Conservazione Fabriano
- coperta in tutta pelle (capra a concia vegetale)
- doratura diretta
- collanti per operazioni di rattoppo, imbrachettatura e indorsatura Tylose MH300P al 4% e 6%
- collanti per la legatura Tylose MH300P al 6% (80%) e Plextol B500 (20%)

